REVERENDI PATRIS GAUDENTIJ BONTEMPI, BRIXIENSIS, ORDINIS CAPUCINORUM

Sacræ Theologiæ Professoris.

PALLADIUM THEOLOGICUM,

SEV

TOTA THEOLOGIA SCHOLASTICA

In septem Tomos distributa.

AD INTIMAM MENTEM D. BONAVENTVRÆ SERAPHICI DOCTORIS.

Cuius eximiæ Doctrinæ raptæ restituuntur, sententiæ impugnatæ propugnantur.

In qua diuinæ Sapientiæ Thesauri, dudum depositi, jam recens effossi, erutique, mundo elucent.

Tomus Sextus. De Salvatore Christo.



LVGDVNI,

Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, IOAN. & PETRI ARNAVD.

M. DC. LXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.




INVICTO

LUDOVICO XIV.

GALLIARUM MONARCHÆ, BATAVORUM EVERSORI, FIDEI PROPUGNATORI.

DIVI BONAVENTURÆ OPERA LUGDUNI EDENDA, DICANTUR.



ONTINETE vos in tenebris vestris Vespertiliones
Caluinistæ,
Absque capite Hydræ, sine CHRISTO Christiani;
Ac inferorum monstra GALLICVM HERCVLEM
LVDOVICVM vereamini,
Qui quot gerit LILIA, tot redimitur CORONIS,
Quot serit spicula, tot colligit Palmas.
Tu fausto alite in Aulam TANTI REGIS lætus palam egredere
Ingeniorum Aquila,
Sophiæ Phœnix,
Theologorum Lumen,
Cœli Decus,
Ecclesiæ CHERVBIM, ac SERAPHIM
OPTIME BONAVENTVRA.
Publica Luce Gaudet veritas,
Quæ, quia tanquam odiosa exsibilatur, & fugitur;
Cœlestium LILIORVM odore, & decore alliciat, ac trahat.
REGIS PVRPVRA, ac Triumphantis Paludamentis
Discit tandem nuda, tegere nuditatem;
Ac vt regnare videatur, REGI nubit.
Vt tuta per tela, per hostes queat ire,

INVICTI titulo LVDOVICI loricata BONAVENTVRÆ
MINERVA incedit.
Ne lateat doctrinæ latex candidus,
LILIORVM lacte præsignatur.
Debetur PRÆSVLI GALLVS,
Doctißimo Panoplia,
Diuo CHRISTIANISSIMVS.
Lætare iure fælicißime PRINCEPS.
Qui alios dirigit, se tibi dirigit.
Cui Sophos innititur, tibi innititur.
Ne viuant impunè mali, gratis boni,
Qui Hæreseos compescis, Theologos amplecteris:
Qui scripta digna agis, Scriptores diligis.
De fortunæ infidelitate sollicitus
Fortunæ verticem tenens, Sapientiæ verticem non abigis.
O quot Bona ventura à BONAVENTVRA tuo?
Si in eo Fortuna non peccauit,
Neque Fortuna peccabit.
TE Ostendisti POTENTISSIME REGVM in tanta
Hæreticorum Batauorum Piscatione
DIGNVM Piscatoris PRIMOGENITVM;
BONAVENTVRA se probabit firmißimum FIDEI DOCTOREM
Mutos illos Oceani Pisces docendo verbum.
Hoc vnum deerat Caluinistis;
Vt caluum, & sine cerebro caput,
Et FRANCI MARTIS ense, & FRANCISCANI
APOLLINIS Calamo
Amplius denudaretur;
Et tot perduellium maculas etiam atramentum
Dilueret.
Inuenisti LVDOVICE nouos in Oceano Batauo Orbes:
SERAPHICVS AGRICOLA feret, & colet.
TV alter ROMVLVS indomitos illos Armis celeritèr
Domasti:
ILLE alter NVMA eos indociles sanctiori Sophia.
O ambo Beati Prædones?
Iam alter sedes errorum, alter errores ipsos eripit.
Fælices tamen in ipsis iacturis Hæretici,
A quibus dum vtrumque eripitur,
Anima, Cælumque donatur.

ALEXANDER GIRARDELLVS Patritius Bergomi
I. V. D. Clusoni Archipresbiter, Vicarius S. Officij, &c.

FACVLTAS

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

NOS F. Stephanus à Cæsenna totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum Generalis minister, licet immeritus, virtute & tenore præsentium concedimus, vt seruatis seruandis, Typis mandetur Opus, cui titulus: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica ad mentem D. Bonauenturæ*, à R. P. GAVDENTIO BONTEMPO, ex Prouincia Brixiensi, olim Ordinis nostri Concionatore, & Sacræ Theologiæ Prælectore compositum; & in septem Tomos distributum: Opus quippè ad alteram reuisionis per aliquos Theologos, à nobis deputatos, ita sedulò appensum, & approbatum; vt nihil sit minus habens inuentum, quinimò Seraphicam Doctrinam, præclarè elucidatam, omnium oculis objicere censeatur: In quorum fidem, his, solito nostro sigillo, firmatis, manu propria subscripsimus.

Datum Parisiis in Conuentu nostro Assumptionis, die 20. Maii 1674.

Fr. STEPHANVS MINISTER Generalis.

Approbationes, & Censuræ.

TOmum hunc sextum, de *Saluatore Christo* intitulatum, ego infrà signatus, de speciali mandato R. P. Stephani à Cæsenna, Generalis nostri, reuisi & relegi, totumque inueni orthodoxum, & Sacra vbique eruditione refertum: nihil in eo mutandum, plura reperi miranda, censendum nihil, celebrandum omne: fidem, quantum fas est, elucidat, moresque mirificè illustrat, dum Deum, & Deiparam, inter homines in veritate conuersantes, dogmaticè discutit: Quare vt fælici Typographiæ sarn, hoc lapidum virtutis & veritatis Seminarium in publicam, & amplam exurgat messem, à cunctis incunctabili studio legendam, prælo quantociùs committendum adiudico.

Datum Lugduni die 15. Februarij 1674.

F. ANDRÆAS NVGENTIVS, ab Hybernia Concionator Capucinus, & Apostolicus Missionarius.

APPROBATIO.

CVm nos, infra scriptos Theologos, deputauerit R. P. Stephanus à Cæsenna, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum Generalis Minister, ad reuisionem operis Theologici, à R.P. GAVDENTIO BONTEMPO, Concionatore Capucino, & prælectore Theologo compositi, notum omnibus facimus, Tomum hunc eiusdem operis sextum, à nobis studiosè & sedulò perpensum, non solum totum à Sacris fidei præceptis, morumque institutis dependere, nihilque illis dissonum indicere; sed talem insuper esse, qui amplam, & selectam doctrinæ supellectilem continens, mereatur præli beneficio in publicam aream, & auram exponi: sic indubitanter censemus.

Dat. Parisiis in Conuentu nostro Assumptionis, die 20. May 1674.

Fr. CYPRIANVS GAMACHÆVS Concionator Capucinus, olim Serenissimæ Brittanniarum Reginæ Matris à Sacris.
Fr. FRANCISCVS COSSIN Concionator Capucinus, & Sacræ Theologiæ Lector.

APPROBATIO.

EGo infra scriptus Sacræ Theologiæ Lector, Testor, Tomum hunc Sextum, *de Saluatore Christo*, nuncupatum, à me sedulò relectum de mandato R. P. Stephani à Cæsenna, Ordinis Capucinorum Generalis Ministri, nihilque continere, quod solidum simul & sobrium non sit, quodque fidei firmitati, & morum pietati non suffragetur; quamobrem vt Typis detur, dignissimum censeo.

Lugduni in Conuentu S. Andreæ, die 9. Octobris 1676.

F. CALIXTVS BVRGENSIS, Concionator Capucinus, & Theologiæ Lector.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

AVthoritate Regis Cautum est, ne quis in suo regno, aliisvè locis suæ ditioni subditis, intra decem proximos annos, librum, qui sic inscribitur: PALLADIVM THEOLOGICVM, *seu tota Theologia Scholastica &c. Tomus Sextus*, absque LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, JOANNIS, & PETRI ARNAVD, Bibliopolarum Lugdunensium permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. Qui secùs fecerit, pœna indicta, pro vt amplius in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Versalliæ die 16. Martij 1674. De mandato Regis. Signatum LE NORMANT.

Prima editionis prælum cessauit die primo Nouembris, anno 1676.

INDEX

DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, Sectionum, & Dubitationum, quæ in hoc Sexto Tomo.

DE SALVATORE CHRISTO CONTINENTVR.

DISPVTATIO PRIMA.

De Existentia Incarnationis.

SECTIONES.

DISPVTATIO II.

De Conuenientia Incarnationis.

DISPVTATIO III.

De necessitate Incarnationis.

DISPVTATIO IV.

De fine Incarnationis.

DISPVTATIO V.

De vnionis factæ in Incarnatione Physica ratione formali.

DISPVTATIO VI.

De ratione formali Morali Incarnationis.

DISPVTATIO VII.

De Causa efficiente Incarnationis.

DISPVTATIO VIII.

De persona assumente.

DISPVTATIO IX.

De Natura Assumpta.

VIII. An

DISPVTATIO X.

De Ordine vnionis naturæ Humanæ cum Verbo.

DISPVTATIO XI.

De Gratia singularis Personæ Christi.

DISPVTATIO XII.

De virtutibus, & donis Christi.

DVBITATIONES.

DVBITATIONES.

DISPVTATIO XIII.

De Gratia Christi Capitis.

DISPVTATIO XIV.

De scientia animæ Christi.

DISPVTATIO XV.

De potentia Animæ Christi.

DISPVTATIO XVI.

De defectibus Corporis Christi.

DISPVTATIO XVII.

De defectibus animæ Christi.

DISPVTATIO XVIII.

De communicatione idiomatum.

DISPVTATIO XIX.

De Vnitate essentiæ Christi.

DISPVTATIO XX.

De pluralitate voluntatum Christi.

DISPVTATIO XXI.

De meritis Christi.

DISPVTATIO XXII.

De subiectione Christi.

DISPVTATIO XXIII.

De Oratione Christi.

DISPVTATIO XXIV.

De Sacerdotio Christi.

DISPVTATIO XXV.

De Filiatione Christi Diuina.

DISPVTATIO XXVI.

De Prædestinatione Christi.

DISPVTATIO XXVII.

De Adoratione Christi.

DISPVTATIO XXVIII.

De Beatissima Virgine Matre Dei.

DISPVTATIO XXIX.

De Conceptione Christi.

DISPVTATIO XXX.

De Natiuitate Christi.

DISPVTATIO XXXI.

De legalibus circa Puerum Iesum.

DISPVTATIO XXXII.

De Vita Christi ad annum trigesimum.

DISPVTATIO XXXIII.

De Baptismo Ioannis.

DISPVTATIO XXXIV.

De Ratione Vitæ Christi.

DISPVTATIO XXXV.

De tentatione Christi.

DISPVTATIO XXXVI.

De Doctrina Christi.

DISPVTATIO XXXVII.

De Miraculis Christi.

DISPVTATIO XXXVIII.

De Transfiguratione Christi.

DISPVTATIO XXXIX.

De Passione Christi.

DISPVTATIO XL.

De descensu Christi ad Inferos.

DISPVTATIO XLI.

De Resurrectione Christi, & nostra.

PARS PRIMA,

De Resurrectione nostra.

PARS

PARS SECVNDA

De Resurrectione Christi.

De Dotibus Christi gloriosis. pag. 528

DISPVTATIO XLII.

De Assencione Christi.

DISPVTATIO XLIII.

De judicio Extremo.

Finis indicis Disputationum, Quæstionum, &c.
Tractatus de Christo Saluatore.





APPARATVS
IN
TERTIAM PARTEM
SVMMÆ THEOLOGICÆ
AD MENTEM
D. BONAVENTVRÆ.

CVM diuinæ diu potentiæ oſtenta, hominum oculis obfulgurantia, imbellem offenderent obtuitum; nec erudirent repetita flagella, quin potius, velut ſub incude ferrum, in rebellem pertinaciam adigerent, ac denſis obuoluerent tenebris; placuit tandem Deo, placidioris luminis materiam, oleum ſcilicet miſericordiæ, effundere, ac expeditiorem emolliendi artem excogitare, ſuæ ſe iræ ictibus obijciendo, ac Fabro ſe ſimul ſubditum ſupputando: Ideò qui totus miſericors eſt, totum ſe, velut ſui prodigus, in noſtram profudit ſalutem, vt ipſum, bonorum quippe omnium centrum, & cumulum, plenè poſſidentes, cætera tanquam ſtercora ſpernamus; hinc volens, non minus omnium in ſe accendi voluntates, quàm intendi mentes, omne amandi motiuum, omnemque ſcribendi materiam pauculis illis verbis concluſit: *Deus, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia ſaluati eſtis*, quæ verba, ſuper mel, & fauum dulciora, ac ſuper Solem ipſum lucidiora, ociùs arripiens Seraphicus Bonauentura, ſapidoque ruminans palato, in eis omnis ſapientiæ, & ſcientiæ Theſaurum abſconditum exugit, & elucidat, eaque, in tertium ſententiarum proœmio præmiſſa, ad præcedentia, & ſubſequentia etiam trahit: In primis enim dicitur: *Deus, qui diues*

est, &c. vbi tangitur reparationis humanæ Author, DEVS: Deinde Status indicatur reparabilis: *cum essemus mortui peccato*; Persona postea Saluatoris: *Conuiuificauit nos Christo*: Tandem concluditur salus Reparati: *cuius gratia saluati sumus*. His quatuor totidem respondent sententiarum libri, in quorum primo de primo omnium principio, & humanæ salutis authore, DEO scilicet TRINO, & Vno agitur; In secundo consideratur homo, ab innocentiæ deliciis in calamitosum miseriæ barathrum, se præcipitem dejiciens; & est status reparabilis: In tertio expenditur Dei, & hominum Mediator, qui ideò Deus est, & Homo, Christus Iesus; *in quo complacuit omnem plenitudinem in habitare, & per eum reconciliare omnia*, En Saluatoris persona. In quarto denique de reparatione, congruis comparandâ mediis, tractatur, quæ dum in culpæ simul remotione, & miseriæ subleuatione consistit, vltimo loco, vbi de Sacramentis agitur, SALVATORIS FONTES, in vitam salientes æternam, culpæque abluentes maculam sitibundis haustibus ebibuntur.

PORRÒ Nos, quibus incubuit totam hanc Magistri Materiam, & Methodum in Summam redigere Seraphicam, duos primos sententiarum libros, tam in Primâ Primæ, quàm Primâ Secundæ, ac Secundâ Secundæ absoluimus; restat igitur Tertia bipartita pars, tertium, & quartum duplici complexura volumine, in quo Mysteria cuncta non alienis fucis, sed propriis depicta coloribus obuiant; obuoluit hîc humanam mentem diuinorum consiliorum lucidissima caligo, in quam cæcutiés ferè cecidi, Tertiam hanc aggressurus Partem; Deum quippe, quem luminis ambit abissus, in totius huius operis limine pronus (vt par erat) suspiciens, Hominemquè siue è nihili sui latibulis prodeuntem, suæ siue tenuitatis cunabulis vagientem, & vacillantem in operis progressu dispiciens, in Diuinas eum delicias, & amplexus Hypostatica abiturum vnione, constupentibus Angelis, planè obstupui; quis enim hominum horrore non perfundatur, dum mundum audiat omnis immunditiæ, & scelerum colluuie scatentem, carnémque dæmonum Ludibrio expositam, in omnem libidinem, & fœdissima defluxam flagitia, eò tamen euectam, vt in æternæ Majestatis Solio, arctissimo iuncta fœdere resplendeat, & veluti Nubeculæ interpositione, acres diuinitatis radios, lucis quadam refractione nostris oculis attemperet? nam vt eximiè refert è D. Augustino S. Prosper, sent. 262. *Nisi sapientia Dei ad homines dignaretur venire per carnem, nemo ad Verbi contemplandam Diuinitatem posset accedere. Quia ergo lux non poterat comprehendi, ipsa lux mortalitatem subiit tenebrarum, & per similitudinem carnis peccati, participationem dedit luminis veri.* Hinc mirabundus clamat Iob 38. *Quis posuit nubem vestimentum eius, & caligine quasi pannis infantia*

tia obuoluit, nimirum ille, qui Verbum ſuum æternis circumfuſum fulgoribus, carnis tandem circumcluſum tenebris, Virginalis vtero occludere non exhorruit; Hæc tamen carnis tenebræ, diuinis ità lucent radiis affuſæ, vt ad earum intuitum, tanquam ſtellula ad Solis præſentiam, naturæ omnis cognitio euaneſcat: Nutat hic philoſophus, arcto videns vinculo, quæ diſtantiſſima ſunt, copulari, nec capit, quibus captum illecebris, primum Ens infimo ſocietur, & quod magis eſt, vnum aliud, quod fecit, fiat. Miratur Mathematicus in triangulo angulos hic vniri ſimul poſſe, & opponi; Filius tamen Dei, velut triangularis Deitatis angulus, triplicem ſubit in Chriſto naturam, Deum ſcilicet, Corpus & Animam, quorum contrarietas hic conciliatur, vnoquoque in ſuo eſſe manente. Obmuteſcit Medicus, alienam ægritudinem in ſe curare coactus, nec eò attingunt Hippocratis Aphoriſmata, vt à ſano ſumpta potio, in tot diſſitos ægros ſanitatem refundat: Non proſunt hìc ſua iura Legiſtis, dum reus ſolutus abit, iuſtuſque in pœnas abigitur; ſilet denique ipſe Priſcianus, nec ſuſurrat, qua neſciens ratione, actiuum idem, pariter & paſſiuum Verbum eodem queat tempore coniugari; quæ tamen cuncta in hoc Sacratiſſimo offenduntur Myſterio: Nec mirum eò omnes rationes recurrere, ſeque ſcientias recondere, vbi ſunt omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri abſconditi; cùm & flumina, per longè deductos terræ meatus ſecurè diu diuagantia, apertiſque alueis immunes vndas iactantia, ſubitò ac aquarum pelagus offendunt, abſorpta abeunt in profundum. Strenuo itaque hìc ſolum opus eſt Theologo, qui fixis ſtans veſtigiis, ne latum quidem vnguem à fidei principiis pedem dimoueat; non enim aliter Arcanum hoc, ſacris inuolutum tenebris enucleare fas eſt, in quo, vt ait D. Auguſtinus epiſt. 3. ad Voluſian. *Homo ad Deum acceſſit, Deus à ſe non receſſit, nec hominem conſumpſit, ſed ita aſſumpſit, vt nec inferiorem naturam conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio.* Sed & fidelis Theologus, vt ad poſteros non corrigenda currant dogmata, fidum ſibi adſciſcat Typographum, in cuius prælo non inconcinnam huius myſterij ſimilitudinem ſolita aduertit ſubtilitate Antonius Glielm. *de SS. Trinit. diſc.* 11. Typographicum enim ita ſe habet prælum, vt in quamcumque partem verſum ſuſcipiat exemplar, illud in aduerſam partem exemplatum reddat; ita etiam perſonarum Trinitas, & naturæ Vnitas in Incarnato Verbo ſub Mariano ſe prælo preſſit, vt vnam in ipſo perſonam, treſque relinqueret naturas, dum vno Verbi ſuppoſito cum Diuina Natura Corpus ſuſtentatur, & anima, ad quæ tria vnienda, cùm cætera cuncta illuſtri quodam compendio concludant, præceſſere, tanquam complementi ſui præludia, omnia Dei opera, cuius potentiæ magnificentia,

ſapientiæ mirificentia, & bonitatis munificentia (vt terminis vtar Seraphici *in cap.* 1. *Ioan.*) non minus elucent in opponendis vnitis, quàm componendis oppoſitis; ideò à mundi naſcentis exordio, poſtquàm æternam illam tot rerum in ſuo vno exemplari vnionem diſſolueret, & vnaquæque res ſua velut ſeparatione ſtupefacta iaceret, die ſexta, quæ maiori oppoſitione diſtabant, corporea ſcilicet, & ſpiritualia, in maiorem compoſitionem adduxit; ſed ne incompletas ſubſtantias complendo magis videretur illarum indigentiæ, non ſuæ proſpicere potentiæ, & vt ad altiorem vnionem viam ſterneret, quam nobis non abſque aliquali exemplo traderet. Plures Angelos in aſſumptam corporum vnionem demiſit, & inuitos ſpiritus corporeis flammis alligauit. Tandem omnium vnionum excellentiſſimam in ſenario ſeneſcentis iam mundi numero perfecit, non minus ad completam eruditionem, quàm perfectam redemptionem; hic enim numerus ſignat temporis plenitudinem, qua adueniente miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, vt dicitur *Galat.*4. ità etiam homo die ſexta conditus, cætera Dei opera terminabat, quem vt perfectè Christus ſuperabundanti quadam proportione redimeret, conceptus eſt menſe, à conceptione Ioannis, ſexto, vt ait Lucas, *menſe autem ſexto*, quo, quippe Martio, mundus creatus recrearetur; venit etiam ſexta ætate, ſexto annorum numero, ſexta quoque feria eſt paſſus, ſicut & ſexta hora in cruce ſuſpenſus, vt eleganter ediſſerit S. Doctor ad *cap.* 1. *Lucæ*; Hinc optimus Legiſlator cunctis communia parauit Sacramenta, in Diuites æquè ac Miſeros diuinam diſtillantia gratiam, idem omnibus inſtituit Sacrificium, cuius beneficio non potiori Rex gaudeat, quàm Subditus; Cæleſtem, item veritatem ita omnibus prædicandam prouiſit, vt non minus eam ſibi dictam audiat Rusticùs, quàm Aulicus. Verùm cùm de mediis ſalutis ſequenti tomo diſſerendum ſit, hîc in tam vaſto dicendi pelago vela libet contrahere, & præſtitutam nobis viam ociùs capeſcere, nimirum æterni conſilij Arcanum hoc magnum exponere, Verbumque Diuinum iamdiu Incarnatum probare: Aduerſarios habemus non paucos, nec temnendos; nimirum quotquot ſint Iudæi, quorum Religionem, toties repetitis ſcripturæ oraculis celebratam, tot ſæculorum tractu firmatam, tam magnifico ſacrificiorum, prodigiorum, & rituum apparatu illuſtratam, tandem aliquando vnico vnius Hominis aduentu proſcriptam, ac proſtratam oſtendere, non exigua ſanè res eſt: Hoc tamen fauente nobis benignitate, & Humanitate SALVATORIS noſtri DEI, in principio huius operis præſtabimus.



TRACTATVS DE SALVATORE CHRISTO, SEV DE INCARNATIONE VERBI.

PARS PRIOR.

PROOEMIVM.



ERTIAM hanc partem suprà bipartitus sum; Esto itaque hæc pars prior de SALVATORE CHRISTO, quem Theologicè disserendum suscipio, ideò seraphicos illos ardores, quos ætneo pectore eiaculari solet, de hoc loquens mysterio D. BONAVENTVRA, quantum fas erit, temperabo, solumque splendorem contemplandum simul, & admirandum apponam. Enimvero licèt quodcumque fidei nostræ arcanum pelludissimis cælestis mentis suæ radiis lustrauerit S. Doctor; de VERBI tamen incarnatione acturus, se continere non valuit, quin Spiritus eum Seraphicus inuaderet, inflammaret, ac ità conflagraret, vt diuini potius amoris sapientissimas (sit mihi fas loqui) exararet insanias, quàm scholasticas concinnaret doctrinas; ideò igne innolutus, paucos passus est ad se accedere, & quotquot accesśêre, interceptos in ipsa superficie radios, tanquam irritulantes gemmulas, sibi inscripsere. Verùm nos, quibus cordi est, omne in suum refundere principium, & cui honorem, honorem; cui tributum, tributum persoluere, ita sub auspiciis ipsius SERAPHICI hoc aggrediemur opus, vt totum, quod ipse dicendum dederit, ipsi retribuamus; cæterosque, quos ditauerit authores, fideliter afférendo recognoscamus, nil vlli affingendo, nullique aliquid auferendo. Cæterùm nulli parcam labori, vt exquisitissimus, licèt breuis, sit hic tractatus, in quo à capite ad calcem omnia ordine percurram. In primis ab existentia Incarnationis exordiar, vbi perpetuam illam, quam cum Iudæis iniuimus de Aduentu Messiæ, pugnam longiùs protraham, eò præcipuè, quod ingratum non videbitur ipsa argumenta, & rationes deducere, quibus plures Hebræorum comminùs sum sæpe agressus, eosque in veritatem iurare, Diuina succurrente gratiâ, adegi. Huius deinde Mysterij Conuenientiam, Necessitatem, & Finem expendam: Exponam posteà tria illa, ex quibus Arcanum hoc resultat: Personam scilicet assumentem,

Naturam assumptam, & vtriusque in vno supposito Vnionem, vbi quicquid naturali, vel morali connexione his appenditur, etiam elucidabo: Nec in opulentissimis his Mysteriorum thesauris exerendis, quorum pars magna fuit, prætermittenda est DEIPARA VIRGO: Sicut enim sine ipsa Incarnationem fieri non decuit, ita nec referri fas est. Amplissimam itaque in ea Matris dignitatem, & admirabilem Virginis puritatem, cum cæteris omnibus è duplici hoc fonte manantibus studiosè pariter, & concisè disseram; & licèt seorsim de sacratissima Virgine disputationem instituturus sim, agam tamen plurima in ea, quæ ad prolem eius sanctissimam spectant, cùm ea sit vtriusque vnio, sicut & similitudo, vt iuxta regulam correlatiuorum, nec Matris conditio absque prole, nec huius vicissim absque illa rectè explicari queat; vt autem ad hæc altam, facilemque mihi viam applanare valeam, primum sibi locum vindicabit, Intemerata Virginis Conceptio, vnde cætera eius charismata, velut è limpidissima scatebra promanarunt. Porrò inter tot antiquos Doctores, qui pro aduersa sententia venditari solent, gratulabor, SERAPHICVM non computari ab his, qui viderint quicquid prouectioris iam factus ætatis, proprio marte, non aliena commentando, sed sua declarando exarauerit, vt abundè irrefragabili, & nusquam ambigua argumentorum serie comprobabo. Vltimo tandem loco, cùm ea sit inter primum, & secundum Christi aduentum connexio, vt hic sit illius consummatio, postquam vitæ, & passionis eius Historiam discussero, agam de vltimo, & vniuersali Iudicio, in quo quisque pro meritis mercedem accipiet.



DISPV

DISPVTATIO PRIMA.

DE EXISTENTIA INCARNATIONIS.

QVOD incarneus Deus dicatur Incarnari, potius quàm inanimari, dum nostram assumpsit naturam, nullus miretur; cùm caro, quippè nobis notior, totum hominem repræsentet, ideò Genes. 6. dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam* & Lucæ 3. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Hinc ad totam humanæ naturæ substantiam exprimendam, hac voce vsi sunt Romanæ eloquentiæ peritissimi Patres, ità Leo Magnus *Conc. 2. de Natiuit.* Augustinus 9. *de Ciuit. c.* 17. Hieronymus in id Marci: *Non sum dignus soluere, &c.* expressiùs autem eam vocem applicat Symbolum Concilij Nysseni: ET INCARNATVS EST DE SPIRITV SANCTO. Omnibus verò huius vsitationis exemplum præbuit primo Ioannes: VERBVM CARO FACTVM EST. Nec tantùm totius naturæ ad hypostaticam vnionem eleuationominе Incarnationis insinuatur, sed & diuinæ personæ maior exprimitur humiliatio, & profundior dignatio explicatur, vt habet Seraphicus Doctor 4. *parte Breuiloquij*, *cap.* 1. quia cùm caro à Deo magis distat, quàm anima; & corruptionibus sit magis obnoxia, demissiùs Deus inclinatur, dum dicitur INCARNATVS, quàm si diceretur inanimatus.

QVÆSTIO I.

An MESSIAS SALVATOR *aduenerit.*

1 GRAVIS est nobis cùm Iudæis disputatio, quibuscum sanè conuenimus, Messiam dici de Iudæis oriundum, à Deo promissum, à Prophetis præuunciatum in Regem, & Saluatorem hominum. Fuit autem Messias appellatus Vnctus à Deo, Rex, & Sacerdos, balsamo diuinitatis, *Psal.* 44. Messias enim Hebraicè significat, quod Græcè Christus; Latinè Vnctus, vt docet D. Bonau. ad id Ioan. 4. *Scio quia Messias venit*, ex D. August. *tract.* 15. *in Ioan.* post medium *Tom.* 9. quos imitantur Eugubinus *lib.* 3. *de arcanis, cap.* 3. & Suar. *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 1. *ante sect.* 1. Tannerus *disp.* 1. *quæst.* 1. *dub.* 2. qui eisdem authoritatibus cùm D. Bonau. id ostendunt, alijque apud Serlogum *in cap.* 1. *Cant. Vestig.* 3. *num.* 15. Hanc controuersiam latiùs agit Bouerius *Tom.* 1.

2 HVNC autem Messiam iam venisse nullus Christianorum, quantumuis hæreticus, negabit: Cùm enim Samaritana illa dixisset, cap. 4. Ioan. *Scio quia Messias venit.* Respondit Christus: *Ego sum, qui loquor tecum,* quasi diceret: *Ego sum, qui sum.* Moysi reuelatus, Exodi. 3. *Qui loquor tecum*, iam factus homo missus à Patre, *qui nouissimè locutus est nobis in Filio*, Heb. 1. Sic Mysterium hoc suauissimum mulieri reuelauit, vt ait S. Bonauentura ad eum locum, & post eum Suarez *loco citato.*

3 SOLVM igitur cum Iudæis est disputandum, qui adhuc non venisse Messiam pertinaces asseuerant. Et quia solùm vetus testamentum recipiunt, eius testimoniis contra ipsos pugnabo. Hæc ante testimonia, cùm sex principaliter sint, totidem sectionibus in aciem disponam; sit itaque.

SECTIO I.

De prædictione Patriarchæ Iacob.

PRIMVM testimonium, quo nititur Catholica veritas habetur *Genes.* 49. vbi Iacob è lecto Iudam filium, cuius è tribu Messiam prædicit, grauiter alloquitur, indicans tempus aduentus:

לא יסור שבט מיהודה ומהקק מבין רגליו
ragelau miben vmihochech mihuda schevet iazur lo

עד כי יבא שילה
scilo iauo chi ghad

ADVERTE apud Zachariam Bouerium *demonst.* 2. *in Iudaos, art.* 2. duo esse hìc mendosa, alterum est *meochech*, pro quo habet *mehochch*; sanè littera ק *coph* est vltima, vt dixi: Omittit etiam coniunctiuam (&) Alterum est *ragelau* signans pedes, pro quo scribit *vaglau*: At postea illas mendas corrigit Latina vulgata: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* 4

ALIVD huius aduentus addit indicium ולו יקהת עמים *Ielo icheath nagamin.* Quæ verba Pagninus vertit: *Et ei obedientia populorum.* Vulgata verò: *Ipse erit expectatio gentium.*

IVDÆI nomen *Silo*, exponunt locum, vbi Arca morabatur *p. Reg.* 1. ac Saul Regem hic promitti aiunt, quem in Silo venisse, ibiquè vnctum ferunt. 5

HÆC tamen expositio inanis ostenditur.

PRIMÒ, quia Saul non est vnctus Rex in Siloh שילה; sed בארץ צוף in terra Soph, seu in Masphat, *primo Reg.* 9.

DEINDE tunc non est ablatum Sceptrum de 6

 tribu

tribu Iuda, quia non potuit auferri, nisi priùs in
ea tribu extitisset; at non extitit ante Dauidem, qui
Sauli successit. Quòd si de alia dignitate principa-
tus loquitur, iam antea ablatum fuerat principante
longa Iudicum serie ex aliis tribubus, vt patet in
libro Iudicum. Prætereà Saul non fuit à populis
exteris sponte adoratus, aut expectatus, vti erat
Messias.

7 Alii dicunt, impletum vaticinium tempore Ie-
roboam, quo tempore diuisum est regnum. At
Ieroboam non est vnctus in Siloh, sed in שכם
Sechem 3. *Reg*.12. Deinde non fuit ablatum tunc
regnum a Iuda, licet fuerit imminutum. Neque
Ieroboam obedientiam populorum expertus est, nec
expectatus à Gentibus.

Alii dicunt impletum, 4. *Reg*.25. Nabucho-
donosor, cum Sedechia excoronato, & captiuo,
Nabuchodonosor regnum extinxit Iudæorum. Hanc
expositionem afferebat Iulianus Apostata, apud
D. Cyrillum *lib*.8.

8 At neque venit Siloh, nec fuit expectatio Gen-
tium, imò contradixerunt; neque ablatum fuit
tunc regnum à Iuda: nam Godolias à Nabuchodo-
nosor creatus Vice-regis, tunc occisus est ab Isma-
hele principe, è sanguine Regio, & Ioachim Ba-
bylone dignitatem, & coronam regiam obtinuit,
4. *Reg*.25. In quo laudo Caietanum, qui dicit, non
ablatum Regnum; sed interruptum per aliquod
tempus; & Melchiorem Canum, qui dicit, da-
tum regimen tribui Leui in deposito, donec veni-
ret fidelis. Et tempore Cyri, Zerobabel è tribu
Iuda, fuit princeps totius populi, *Aggæi*, 1. *Zach*.
9 1. quod frustra negat Peretius è *Hierem*. 22. qui
solùm negat, coronam ab illo vsque ad Machabæos
peruenisse: nunquam tamen defuerunt Principes,
& Duces à tribu Iuda, vt tradunt Hebræi, & refert
Genebrardus *l*.2. *Cronol*.

Deinde regnauerunt Machabæi, qui Pontifi-
ces, & Principes fuerunt totius regiminis, vt pro-
bat D. Cyrillus *lib*.8. *in Iulianum*, D. Hieron. *Soph*. 1.
D. August. *lib*. 18. *de ciuit*. *cap*. 45. & sumitur ex
Iosepho *lib*. 13. *à cap*. 15. *ad* 18. & Nicephorus
lib. 1. *hist*. *cap*. 9. & Galatinus *lib*. 4. *cap*. 4. idem re-
ferunt ex Hebræorum traditione.

Qvoniam verò Machabæi erant Pontifices,
10 profectò erant de tribu Leui; at tribus Leui, & Iu-
da miscebantur, vt dicitur *primo Paral*. 2. & Ma-
chabæi, ex linea matris, erant de tribu Iuda.

Enim verò, quia hoc non satis videtur ad osten-
dendam perseuerantiam regni in domo Iuda, obser-
uant multi, durasse illud vsque ad Herodem Asca-
lonium Concilium Sanhedrin regale, quasi
Senatum, habentem in LXX. Principes, Iudices gra-
11 uiorum causarum, 4 *Reg*. 14. sic intelligunt aliqui, vt
Petrus de Martinis *in suo Pugione*, & ideo legit:
*Non auferetur sceptrum, & Dux de collegio, seu Con-
sistorio eorum, qui dicebatur*. Sanhedrin, vt refert
Burgen. *in addit*. *ad hunc locum*. Hoc autem durauit,
sicut potestas capituli, sede vacante. Erant autem
sub regibus Iuda, ideò nomine eorum præsidebat,
quæ authenticis authoritatibus Hebræorum osten-
dit. Neque enim fuit Sañhedrin ablatum in capi-
tulo, vt patet *Dan*. 13. vbi senes populi Susannam
iudicarunt. Vbi Glossa, & Lyra aduertunt, illos
12 fuisse de tribu Iuda, quod sanè gratis negant Thu-
ringius & Peter. *Genes*. 49. cum Suar. *d*. 1. *sect*. 1.
hos enim præcipuos fuisse habetur loco cit. Danie-
lis, *Et constituti sunt de populo duo senes iudices in illo
anno: de quibus locutus est Dominus. Quia egressa
est iniquitas de Babylone à senioribus Iudicibus, qui
videbantur regere populum*. Ex quo colligitur, iudi-
ces ibidem electos fuisse de ordinario genere, solito
eligi, & solum extitisse in malitia degeneres: Hos
verò, qui erant Princeps omnium, vt suprà vidi-
mus, fuisse de tribu Iuda, probatur: Nam alterum
ita alloquitur Daniel: *semen Chanaan, & non Iuda*, 13
vbi alterum etiam includit, & fatetur de tribu Iuda,
quia obiicit, eum à tribu Iuda esse degenerem; si-
cuti cùm Dido Æneam compellat, Æneid. 4.

*Nec tibi Diua parens generis, nec Dardanus
Author*.

Et Armida Rinardum.

——- *Nè te Sofia produsse*,
E non sei nato del Atio sangue tu, &c.

Quamvis autem non dicat semen Issacbar, vel aliam 14
tribum nominans, sed *semen Chanaan, & non Iuda*,
nil refert, nam in his Inuectiuis solemus declinare
ad extraneos. Sic Dido:

——*Sed cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaque admorunt vbera Tygres*.

Et Armida.

—— *Te l'onda vsana
Del mar produsse, el Caucaso gelato, è le mamme
allatar di tigre Ircana*.

Neque eam iniuriam populo præsenti ex aliis tribu-
bus inferre debuit.

Qvod verò ibi loquatur propriè de tribu Iuda,
prout ab aliis tribubus Israël differebat, probatur,
quia ibi ait: *Sic faciebatis filiabus Israel, sed non fi-
lia Iuda*, & Daniel, qui erat de tribu Iuda, & de 15
semine Regio, vt habetur *cap*. 1. malè habuit senes
hos Principes de sua tribu, ad quam spectabat iu-
dicandi Principatus, adeò sceleribus deturpari, vt
suam Principem tribum in se, & in Susannam con-
spurcare conarentur.

Adde aliud indicium, quòd Daniel vocatus
est ad iudicandum (Deo quidem afflante) quod in-
dicat ad eum ex genere pertinuisse, licèt, vt ado-
lescens nondum per ætatem esset admissus. 16

Confirmatvr: nam Ioachim *eodem cap*,
dicitur honorabilior omnium, & ideò confluebant
ad eum Iudæi, & præcipuè isti duo senes frequen-
tabant domum Ioachim, & subdit: *Veniebant ad eos
omnes, qui habebant iudicia*. Ergo etiam ad Ioachim,
qui erat Princeps, ad quem veniebant isti duo, vel
ad aulam, vel vt coniudices minus principales. Sic
enim solet fieri, vt Vicarij, & Iudices ad domum,
seu aulam Prætoris, aut Principis, causas dicturi,
conueniant. Ex quo apparet contra Peterium, rese-
disse in Sanhedri Principum potestatem. Dicitur
verò Susanna *filia Iuda*, num. 57. necnon & maritus
ex ea tribu, cùm non esset Leuita, & Legis seruator

Hoc verò tribunal durauit in tribu Iuda semper, 16
vt dixi, & amplius probatur, nam Regnum Israel,
quod à regno Iuda seiunctum est, sub Rohoam 3.
Reg. 12. vastatum fuit 500. annis ante Christi ad-
uentum sub Rege Salmanasar, Ità vt nulla illius
mentio vlterius habeatur, vt patet 4. *Reg*. 7. & 18.
Vnde si aliquis principatus durauit vsque ad Chri-
stvm, fuit in tribu Iuda. Vnde notat Iosephus
l. 11. *antiq*. *Iudæorum*, appellationem tunc primum
illi genti, & regioni impositam, quando è Baby-
lonica captiuitate, tempore Nehemiæ reuersa est 18
propter hanc, vt reor, causam, quia sola tribus
Iuda populata, & princeps erat. Licèt enim aliqui
ex aliis tribubus reliqui essent: attamen dicitur 4.
Regum, cap. 17. *Iratus Dominus Israeli, etiam abstulit
eos a conspectu, & non remansit, nisi tribus Iuda tan-
tummodo*. Itaque & de hac tribu debuit esse extra-
ctum illud tribunal, saltem quò ad Principem. Sic
enim

enim etiam ante Moysen, Iacob ait Iudæ, Genes. 49.
19 *Iuda, te laudabunt fratres tui.* Et in egressu ex Ægypto cœpit ea tribus principem locum obtinere, vt habetur *num.* 27. & post mortem Iosue *Iudic.* 1. Princeps electus est ex Iuda, *& primo Paral.* 2. & alibi, dum Genealogiæ recensentur tribuum, principalem locum obtinet tribus Iuda. Igitur, vt concludamus, Principatus durauit vsque ad Herodem Ascalonium, ab eoque ablatum referunt, ex traditione Hebræorum, Genebrardus, & Galatinus suprà, idque confirmant illo *Ioan.* 18. Iudæorum responso: *Nobis non licet interficere quenquam.* Per legem enim illis concessum erat, *Deuter.* 17. occidere iustè.

20 HANC tamen rationem non accipit S. Bonau. *ad* 19. *Ioan.* eamque è D. Aug. *Tract.* 114. *in Ioannem* ante medium, *tom.* 9. infringit, quia *Act.* 7. occiderunt Stephanum. Voluêre ergo dicere, è D. Chrysostomo, *homil.* 82. *in Ioan.* post medium *tom.* 3. non licêre sibi punire pœna crucis, vel alia imposita à lege ciuili, quia iudicium ciuile eis erat ablatum, & sola iurisdictio spiritualis fori concessa erat; ideò erant adhuc Principes Sacerdotum, Anna, & Caiphas.

21 ENIMVERO, quia iudicium Sanhedrin erat euersum, & sola fori spiritualis iurisdictio relicta, duxerunt Christum ad Pilatum, & postea ad Herodem, cùm proclamatus est Galilæus. Sanhedrin enim ante, plenam obtinebat potestatem, vt dicitur Deuter. 13. *Si difficile, aut ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, ascende ad locum, quem elegit Dominus. Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegit Dominus.* Quæ verba, si rectè perpendisset Suarez, non dixisset, Sanhedrin habuisse perpetuò Iudicem Leuiticum. Ergo non ex tribu Leui, sed ex tribu, quæ erat Princeps Tribuum, sæpe obtinuit, & hæc erat Iuda, vt ipse probat nobiscum.

22 FRVSTRA verò Thuringius *loco cit.* concedit, fuisse è tribu Simeonis, & falsò citat pro hoc Interlinearem hic, sed *Deuter.* 17. dicit, illum Iudicem fuisse Pontificem; At hoc falsum ostendi. Præterea iam Pontificatus emebatur simoniacè ab exteris, sicuti emptus est ab Anna, & Caipha, vt refert S. Bonauentura *ad* 3. *Luc.* ex Beda.

23 INSTAT. Nam subditur: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c.* Ergo Princeps Senatûs erat Sacerdos.

RESPONDETVR, negari sequelam. Nam statim subditur: *hic nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore, ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille,* nempè iudicis suprà nominati, quem à Leuitico genere non oriundum asserit; alioqui iure naturæ ipsi Sacerdotes læsi in mi-
24 nisterio suo essent iudices, & parentes. Durabant autem tribunalia Pontificum ad causas spirituales. Ideò contra Christum, & Stephanum sederunt Anna, & Caiphas; sed ablatus erat Princeps Iudex in temporalibus à Romanis, quia ipsi omnes causas temporales volebant; & hoc confirmant dicta Pilato, qui cùm audisset: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit,* Ioan. 17. quam causam Sanctæ Inquisitionis veluti asserebant contra blasphemiam, Respondit Pilatus; *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate,* quia est causa Religionis; alioqui, si nullam interficiendi retinuissent potestatem, Pilatus non dixisset: *Accipite eum vos, &c.* Erat enim Pilatus
suæ iurisdictionis instructus, atque relator. Raptus 25
ergo erat de dextra tribus Iudæ Principatus Iudiciarius, seu virga, quæ nominatur in Vaticinio, quæ non solam potestatem Regalem, sed etiam Principatum includit, ita vt cessante & Coronâ, & Virgâ, omnis principatus in tribu Iuda, quam specialiter alloquitur, impleretur vaticinium. Quare non durauit Sanhedrin vsque ad Titum, vt putat Burgensis, alioqui non vrgeret contra Iudæos ad probandum, Iesum Nazarenum esse Messiam, quia ipse venit ante octuaginta annos, vt monet Thuring. *in Glossa* 49. *Genesis.*

ENIM verò Bouerius *Demonst.* 2. *in Iudæos, art.* 2. 26
ait, Sanhedrin vsque ad annum secundum mansisse post Christi mortem, & tunc ab Herode Agrippa trucidatis optimatibus, fuisse deletum. Allegat Sanhedrin Hierosol. *cap. de iudiciis,* Auenezram *c.* 1. Christum autem ab hoc damnatum ait. Idem dicit *demonst.* 3. *art.* 1.

ENIM verò Sanhedrin deletum ab Herode auo, 27
narrant Ioseph: *de Bello Iud. lib.* 1. *cap.* 5. *&* 25. & *lib.* 15. *cap.* 10. Philo *lib. de temp.* & ipse Bouerius *art.* 8. idem confirmat, hos referens. Addit Rabbinos, Hama, Mili, Eliezer, Moysen, Hadarsan *ad* 49. *Genes.* dicentes, in aduentu Messiæ Sanhedrin delendum, Imò primi tres addunt, non venturum Messiam, antequam Sanhedrin esset deletum.

QVOD verò ab eo La sya sit damnatus, suprà refutaui, & explicui.

PERERIVS verò *ad* 49. *Genes.* negat, extitisse Sanhedrin septuaginta optimatum, aut id probari posse è Scriptura, è Iosepho, vel Philone.

AT esto hoc daretur, fuissent Optimates electi ex omnibus Iudæorum tribubus; non autem omnes è Iuda creati essent.

EIA concedamus (ait) è tribu Iuda; nil iuuat, 28
nam adhuc non seruabant summum Principatum, in vaticinio intentum; sed velut in Gallia habetur Parlamentum, aut in Hispania, Senatus Regius, aut Romæ, Eminentissimorum Cardinalium Collegium. His exultat Pererius.

HÆC sanè inania sunt. Et quidem *num.* 21. insti- 29
tutum hoc LXX. virorum Collegium ostendi, in quo primi erant de tribu, quæ ab exitu ex Ægypto prima; mox Regibus plena erat, & post captiuitatem Princeps, & ferè sola, vt suprà ostendi. Nec obest, alias intrare, vt minores; maximè si latè sumatur IVDA in vaticinio pro tota Iudæorum natione. De hoc suprà.

IOSEPHVS verò hoc Collegium refert suprà *cit.* 30
loco, esto illud non vocet hoc nomine.

PHILO quoque clarè id refert. Hic verò liber communiter eius creditur.

SATIS autem erat, illam obtinere aliquem Principatum, vt notant allati Rabbini, & Patres, quod sanè è vaticinio colligunt: *Non auferetur sceptrum de Iuda,* nempe Regia potestas: *& Dux,* vbi Chaldæus: *Non auferetur habens Principatum, neque scriba.* Vel, vt notat Bouerius è *Sanhedrin, cit. demonst. aduers. iudæos, capita captiuitatum.* Et Ioseph *loco cit.* lib. 11. cap. 4. *Incoluerunt Ierosolymam Iudæi instituta ea Respub. forma, quæ per optimates administratur, cum paucorum dominatu.*

EN mi Pereri, Iosephus alto non premit (vt ais) 31
silentio hoc regimen, ferè esse Aristocraticum, cui præcellebat in spiritualibus Pontifex, vt dixi *p. p. tract.* 1. *disp.* 5. Ita durauit, donec venit Messias. Hæc tamen particula עד, *donec* non satis conuinceret Regnum è Iuda in aduentu Messiæ auellendum, vt constat, nam Matth. 1. habes: *Non cognouit eam*
donec

donec peperit. & Psal.109. *Sede à dextris, donec ponam inimicos, &c.* vt monet Suarez è D. Bonau. 4. *dist.30. dub.4. litt.* & *in Psal. cit.*

32 Enim verò, si constet, vere ablatum esse Regnum, signum est euidens, venisse Messiam. Probatur, nam promisis, Regnum vsque ad eius aduentum permansurum, ais enim: *Donec veniat, qui mittendus est.* Onkelus: *Vsque dum veniat Messias.* Ionathas verò Chaldæus: *Vsque ad tempus, quo veniat, qui mittendus est.* Iam verò, si nunc auulsum est regnum; sequitur, iam aduenisse eum, vsque ad quem durare è Diuino promisso debuit; hic autem est Messias è vaticinio: ergo iam venit.

33 Nunc mundo patet luce clariùs meridianâ, Iudæos sine Principe stirpis, omnium Principum esse ergastulos, omnium gentilium, etiam Barbarorum Dynastarum imperio miserabili seruitute subiectos, deploranda captiuitate deuinctos, iamque myriade, sexque annorum centuriis, desperata libertate in profundæ abyssi calamitatum cœno omnibus maleolentes, & inuisos, miserrimè iacere sepultos. Prolixas nimium, eorum Atauis antiquiores, septem annorum decades captiuitates in Perside, in Assyria in Ægypto lamentabantur, ac sine intermissione deplorabant, & sanè meritò cum ob grauia scelera illis in locis punirentur.

34 Perpendite miseri execrandum Nazarens Iesv Deicidium vobis emeritum exterminium attulisse: Nam ex quo sanguinem à vobis effusum, nobis in Baptismum profudit, ignis è cœlo vos vrit.

35 Observat autem S. Bonau. ad 3. *Lucæ*, quòd in gente Iudæorum remanserat tempore aduentus Iesu Nazareni (qui computatur a Baptismo, vt infra) adhuc potestas spiritualis in Principibus Sacerdotum, Anna, & Caipha. In reliquo imperabat eis Cæsar Tiberius, cuius nomine Poncius præsidebat Iudeæ, post Cyrinum, sub quo natus est Iudæis inuisus Christus: In Galilea autem regnabat Herodes, filius Herodis Magni Ascalonitæ Idumæi: Philippus verò eius frater in Ituræa, & Traconitide, imperabat, sicut & Lysanias in Abilina. Sic in quatuor partes erat diuisum regnum Iudæorum, & facta erat Tetrarchia: (nam *Tetra* significas quatuor, & *Archos* Princeps.) Itaque vt ait Beda, tres Tetrarchiæ partes, regebant tres filij Herodis Magni, sub quo Dominus natus est.

36 Nota verò, duos fuisse Lysanias, alterum filium Hyrcani: alterum Herodis, quem suprà diximus Tetrarcham. Hoc erat regimen initio prædicationis Christi.

In Natiuitate verò imperabat Octanianus Augustus, cuius nomine præsidebat Syriæ Cyrinus, & Herodes Magnus Ascalonita, qui armis Romanorum debellauis Antigonum, Regem Iudæorum, è Machabæis oriundum, & omnem Regiam stirpem perdidit, & libros Genealogiæ Regiæ combussit, ne ipse extraneus conuinceretur. Interfecis quoque Doctores legis, qui docebans illud Deuter. 17. *De medio fratrum tuorum pones super te Regem*, vt notat Lyra, *cap.3. disputationis huius*, quæ habetur *in fine Apocal.* apud illum.

37 Hic verò Herodes mortuus est, Christo Ægyptum incolente, cui successit primogenitus Archelaus, qui in exilium deportatus est Lugdunum, vnde postea Regnum in Tetrarchas diuisum abiit. Hæc D. Bonauentura, qui cùm esset Lugduni immoratus, potuit hunc Archelai exitum nosse.

38 Ex his ruit quoque responsum quorundam Iudæorum, quos refert S. Hieronymus contra Luciferianos, Tertullianus *de præscript. cap.45.* Epiphanius *hæres.20.* qui dicebans, hunc Messiam fuisse Herodem; Herodes enim neque ortus est de tribu Iuda, nec expectatus à gentibus, vel ab eis adoratus; imò fuit omnibus inuisus, nec fuit Saluator, sed euersor.

39 Corrvit etiam error, in quem inclinat Iosephus *lib.7. de bello Iudaic cap.12.* hunc fuisse Vespasianum. Hic enim neque ex Iuda ortus est, vel Saluator, nec erat primus regni Iuda raptor. Referunt sanè historiæ, hunc imperio euectum, regnum Christi affectasse, ideò enim templum pacis erexit, & magicis artibus, præstigiisque prodigia quædam, atque apparentia edidit miracula, vt Christus crederetur. Hic sanè, vt refert Eusebius *lib.3. hist. cap.11.* omnes posteros Dauid, magnâ diligentiâ conquisitos, ad internecionem deleuit.

40 In vaticinio autem certum est, nomine *Siloh* Messiam intelligi, vt omnes Catholici sentiunt, & Rabbini, etiam Christo antiquiores, vt refert Galatinus *lib 4. cap. 4.* & Chaldaica paraphrasis, quæ apud Iudæos magnæ authoritatis est, expresse posuit: *donec veniat Messias*, & omnia verba vaticinij conueniunt. Nam propter Messiam illa tribus cæteris prælata est; *Iuda, te laudabunt fratres tui*, & nulli alij totum vaticinium potest aptari, vt probant Irenæus *lib.4. cap.33.* Cyprianus *epist.63.* Iustinus Martyr *Dial. aduersus Tryphonem.* & Author *qq. ad Antiochum*, qui censetur Athanasius *q.103.* 41

42 Sed cur Messias nomine *Siloh* significatus est? Vulgatus interpres nomen *Siloh*, a verbo *Salah* quod *mitte* sonat, deduxit, quod per antonomasiam significat Christvm, solemnibus promissionibus prænunciatum, missumque a Deo ad mundi salutem.

Dicit tamen Suarez, alijs litteris scribi apud Hebræos verbum *Siloh*, quando *missum* significat, quàm in hoc loco Genesis habeatur, & adducit locum Isaiæ 8. Addit, fortasse nostrum interpretem hoc nomen eisdem litteris scriptum inuenisse.

43 Cætervm cùm D. Hieronym. sit Hebraicæ linguæ peritissimus, Lyranus, Pagninus, Onkelus, & Ionathas Chaldæus, plerumque Rabbini; Super omnia autem translatio Chaldaica, quam vocant Targvm, quæ est ita authentica apud Iudæos, vt nullus Doctor eorum ausus sit ei contradicere; imò, quando vetus expositio Hebraica est obscura, recurrunt ad illam pro explanatione, in qua habetur: *donec veniat Messias*, vt dixi; ideò dicendum videtur, nomen *Siloh* esse nomen commune loci, & missi, vt vult eruditus Lyra *ad 49. Genesis.*

44 Hoc autem modo scriptus, venit à *Scialah*, & significat *pacificum*, quo nomine Messias decoratus est, tum ab Isaia, tum à Zacharia *cap.9.* & ita accipitur ab Oleastro. Id indicat etiam D. Bonauent. *ad 2. Lucæ* post initium.

Alii à Sere deriuant, quod filium significat. Vnde Galatinus *loco cit.* refert, Hebræos id retulisse ad priuilegium geniture huius filij è fœmina, sine opere viri, quam interpretationem Caietanus in Genesin laudat.

45 Evgvbinvs ait LXX. diuidisse nomen *Siloh* in *Sce* ש quod significat relatiuum *qui, quæ, quòd.* Et in pronomen Lo ל. quod significat *ei*, vel *ipsi*, vt legerint: *Donec veniat, quod ei repositum*, quasi dicant: donec veniat pretiosissimus Messias, repositus in thesauro diuinorum oraculorum, atque bonorum. Solemus enim pretiosissima nominare *Reposita.* Vel *donec veniat, cui repositum est regnum æternum*, vt exponit Athanasius *l. de Incarn. Verbi, in fine,*

fine, & *l. de cruce*, *& Passione Domini in fine*. &
Hieron. *in Ep t.plio P. ula*, seu *ep stola* 27.*tom*.1.
46 Qvod verò timet Suarez, *S loh*, cùm significat *M.ssia*, non scribi eisdem litteris, allegans Isaiæ 8.
non obstat. *Siloh* quidem in Genesi sic scribitur *Siloh* שרה In Isaia autem *Silloach* שירה; Si Pagnini
lectionem sequaris: At si veriorem scriptionem,
nil à nomine scripto *Genes* 49. differt. *Siloe* est
Natatoria, seu piscina de qua Christus *Ioan*. 9. ait
47 cæco: *Vade, laua in natatori. Si.oe*; hanc enim vocat Isaias, loco citato *aquas Siloe*, quod eisdem litteris scribi debet שרה hoc solùm discrimen quod
littera ה post *cholem*, quod est punctum in dextro
latere ר secundùm regulam ordinariam quiescit.
Ideò in Genes. vbi inscribitur verus sensus, ponitur *quiescens Siloh*, at quia interdum ה in fine describitur cum puncto in ventre, quod non est *daghes*,
sed *mappic*, quod solet etiam scribi sub ה tunc autem non quiescit, sed educit sonum (*mappic* enim
48 vult dicere eductor.) Quare solum punctum *mappic* additur loco Isaiæ, quo littera ה educatur,
quod tamen non variat sensum; sicuti nec nouam
consonantem, aut vocalem addit. Sic additum *mappic* ordinariis quatuor verbis תמה *tamahh*, admirari גבה *ganahh*, superbire כמה *camàhh*, mate
נגה *nagahh*, splendere, non immutat à sensu,
quem facerent absque *mappic*. Sic intelligunt Patres ad illud Ioan. *Siloe* ad quos remittit S. Bonauentura in commentario.
49 His ità constitutis arguit S. Doctor. *in* 2. *&* 3.
Luca, *&* 4. *Ioan*. Cessante omni Regno, & Principatu in tribu Iuda, quod non erat auferendum ab
eo vsque ad Messiæ aduentum, tenemur asserere,
Messiam venisse è vaticinio *Genes*. 49. At omnis
Principatus cessauit in tribu Iuda, & vniuersa illa
Iudæorum natione. Ergo signum infallibile est, venisse Messiam. Cessauit autem in diebus Iesv
Nazareni, aliis probati. Ergo ille est Messias.
Totum argumentum suprà validissimè probatum
manet.
Vanvs Rabbi Iosue in Thalmud ait, Messiam
à se visum esse mendicum, leprosum, peregrinantem.
50 Insani alij, dicentes, eum in montibus Caspiis, aut Babylone expectare tempus Epiphaniæ,
idque se è traditione habere. Vni eorum respondi:
ergone volitantibus fabellis salutem demandatis?
51 Avdite Hieremiam, cap. 5. *Præuaricatione præuaricata est domus Israel, & domus Iuda, ait
Dominus. Negauerunt Dominum, & dixerunt: Non
est ipse: Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo*, &c. Pergit verò describens mala, quæ Iudæi subiere à Romanis, eò quòd Christvm
negantes repulere, quæ prædixit Moyses Deuter.
52 28. *Adducet Dominus super te gentem*, &c. Optimum eis foret consilium Rabbi Iacob *in collect. de
Messia*, vt habetur in Thalmud, cap. Helec. *Expleti sunt termini aduentus Messia. Res pendet è sola
pœnitentia, & bonis operibus.*
Inane etiam responsum aliorum, non haberi
עד. ghad *donec* & confundunt cum עד at interpositum extat punctum (ׅ) *Athnach* sub עד est
punctum (ׂ) *serbin*, signans dictionem esse monosyllabam.
53 Nec sanior est responsio aliorum, vaticinium implendum, cùm sceptrum transferretur ad aliam tribum. Et hoc inane est, vt patet legenti vaticinium,
quod solùm in signum affert excoronationem tribus
Iuda.
54 Mihi summopere displicet opinio Poncij, promissionem illam fuisse sub conditione datam, & per
id explicandam, quod habetur Psalm. 88. & 13. *De
fructu ventris tui ponam super sedem tuam; si custodierint filij tui testamentum meum*, vt videtur asseri
3. Reg. 8 *Conserua Domine famulo tuo Dauid patri
meo, quæ locutus es ei, dicens: Non auferetur de te
vir coram me, qui sedeat super Thronum Israel: ita
tamen, si custodierint filij tui viam suam*, &c. Hanc
expositionem refert Turrianus *lib*. 2. contra Sadelem *cap*. 3. è Theophane Episc. Nicæo in *Symphonia veteris, & noui testamenti, contra Iudæos*. Vnde
sequitur; licèt tribus Iuda sceptro priuata sit; nihil tamen actum contra hanc prophetiam, quia
propter peccata sua priuata est, vt constat ex *Hierem*. 25. & 2. *Paral*. 36. & 4. *Reg*. 24. & 25. Eam
verò sequitur.
Qvoniam autem videbat Theophanes, nostrum 55
argumentum contra Iudæos eneruari, addit, fuisse
absolutè promissum, saltem Ducem durare ex tribu
Iuda vsque ad Messiam; Regem verò conditionatè.
At vtrumque lego absolutè pronunciatum:
Donec veniat Messias, non vt vterque duraret, sed
vt alteruter, vsque ad Messiam, & non tolleretur
vterque spoliata ea gente omni Principatu, vt dixi.
Mansit autem Respublica, vt ostendi.
Vervm enim verò libeat afferre postremam, 56
quæ est D. Bonau. ad ea verba Lucæ 2. *Ascendit autem & Ioseph, vt profiteretur cum Maria*, &c. quam
cæteris probabiliorem acclamat Pererius, eamque
è Sanctis Patribus probat, Iustino, Athanasio,
Chrysostomo, & Ambrosio, quibus addit Eusebium,
& Rupertum.
Censent autem, vaticinium de tota gente, donec veniret Messias. Hæc autem opinio omnes ferè 57
difficultates euitat, quia siue in tribu Iuda, siue in
alia tribu fuerit sceptrum, sanè perseuerauit vsque
ad Herodem Ascalonita, qui regnauit ea ætate, qua
Christvs est natus; ab eo autem tempore gens
Iudæa facta est tributaria. Pro hac sententia adducuntur à Suar. 2 Eusebius *lib*. 3. *Demonstrationum*,
cap. 2. Iustinus *Dial. cont. Tryphonem*, Augustinus 18.
de ciuit. Dei, *cap*. 45. Ambrosius *l. de benedictionibus
Patriarch. cap*. 4. Chrysost. *homil*. 67. *in Genesim*.
Eam tamen nimis violentam proclamat Suarez;
quia Patriarcha *ibi* alloquitur Iudam indiuiduè, sicut etiam cæteros, illique specialiter promittit Messiam dicens: *Iuda, te laudabunt fratres tui*. Genes. 58
49. vers. 8.
Respondetvr tamen, ex hoc deduci responsum; quia enim hoc erat negotium aduentus Messiæ, qui de tribu Iudæ nasciturus erat, i .ò illi
prolatum est etiam vaticinij tempus.
Qvod autem ait: *non auferetur sceptrum de Iuda*, Genes. loco citato, triplici è capite rationabiliter
factum est.
Primvm caput est, quia Regnum ferè semper 59
erat futurum in tribu Iuda, postquam in Dauide
corona resplenduit, & ante ea etiam tempora, in
quibusdam Iudicibus; de quibus tamen non est curandum, quia vaticinium asserit, non esse tollendum sceptrum de gente Iuda à tempore coronationis, quæ cœpit in Dauide, ideò illam progeniem
specialiter alloquitur.
Deinde, quia præuidit Iacob, totam gentem à 60
Iuda denominandam Iudæorum, post captiuitatem
Babylonis, vt testatur Iosephus, imò sola ferè tribus Iuda erat reditura è captiuitate; & solium duraturum in Hierusalem, quæ est Regia vrbs in sorte
Iudæ; ideò semper dicitur duratura corona Iudæ,
etiamsi ad alias tribus translata. Dat Pererius exemplum de corona Polonica, quæ dicitur adhuc Polonica,

nica, etiam postquam deuoluta est ad exteros. Simi-
liter & Hispanica, etiam postquam deuoluta ad Au-
striacos, & hanc esse potissimam rationem asserit.
61 Hæc ratio nullo modo probatur, eodem etenim mo-
do posset dici corona Iuda, etiam postquam deuo-
luta ad Herodem Ascalonitam, eiusque filios; imò
etiam postquam ad Turcas translata, nam adhuc Ot-
tomanus coronam gerit Hierusalem.
62 Liceat in medium proferre solutionem, quam
mihi retulit Rabbinus quidam Abraham, quocum
disputabam, cum concionarer Finali Mutinæ, Vati-
cinium nundum esse impletum, quia non Princi-
patum obtulit in signum aduentus Messiæ, sed
denomen Iudæorum à tribu Iuda, velut insig-
ni, & in signum circumsionis. Sic igitur legit
eo ferè modo, quo ex Hebraico Pagnini legimus:
*Non auferetur dignitas, & primatus de tribu Iuda,
id est, vt ex tribu Iuda, omnes tribus denominentur,
tanquam à Principe; & Scriba, seu Legislator de in-
terpedee, id est, quo vsque adhuc vigeat obseruantia
Legis, & signum, quo Legislator antiquus Moyses
eos obsignauit, iuxta vltimum testamentum editum à*
63 *Domino per Malachiam* cap. vltim. *cui vltimò Deus
locutus est: Mementote Legis Moysi serui mei, quam
mandaui ei in Oreb ad omnem Israel, præcepta, &
iudicia.* Hoc autem æternum Legislatoris monu-
mentum est Circumcisio: Tunc sic. At perseuerat
adhuc hic primatus tribus Iuda, etiam apud Chri-
stianos, qui vniuersam gentem denominant ab illa
tribu, nominantes cuiusque tribus homines Iu-
64 dæos, perseuerat quoque signum illud Circumci-
sionis, & neutrum fuit interruptum à tempore, quo
in reditu è Babylonica captiuitate cœperunt omnes
Hebræi nominari Iudæi, & Circumcisio fuit per-
petuò obseruata, & obseruatur: ergo frustra hinc
arguitis, iam Messiam aduenisse, quem nos soli-
dius, fideliusque expectamus. Hanc solutionem
Rabbinus admodum probatam acclamabat suis Do-
ctoribus.
65 Eqvidem hanc ego non doctrinam, sed ma-
litiam admiratus, respondi.
Primo quidem vt eius ipsam versionem lege-
ret: *Non recedet sceptrum de Iuda*, seu *Virga*, quæ
sceptrum in Scriptura significat. Nam in Hebræo
est שבט. *Shebet*, significans virgam Regiam. Sic
legitur *Psalm.* 44. vbi: *Virga æquitatis virga regni
tui.* & Isaiæ 11. *Assur virga furoris mei*, vbi Re-
gem Assyrum compellat vtentem sceptro, à Deo
obtento, ad puniendos malos. Talis etiam erat vir-
ga aurea, quam extendit Assuerus *Esther, cap.* 4. &
5. quæ sceptrum dicitur ex Hebræo, & assimili
nomine vocatur, dicitur enim שרביט *Sharbit*. At
virga, prout significat surculum, scribitur in He-
bræo sic המקלות virgas, & in singulari מקל *Ma-
kel*, Genes. 30. & Exod. 4. מטה *Mate*.
66 Deinde LXX. legunt: *Non deficiet Princeps*,
& Chaldaica: *Non auferetur habens principatum*,
vbi personam aliquam dominantem, seu regnan-
tem significat, non autem nudum, & aridum, at-
que contemptum nomen Iudæorum. Similiter ad-
ditur: *Dux de femore*, vel *de femoribus*, vt LXX.
67 legunt. Hebraica verò: *Scriba*, vel *Legislator*, vbi
etiam virum principem legislatorem, & eruditissi-
mum apponit, non autem membrum obscœnum
præputio reciso, nisi forte sacra Priapi colentes
membrum illud sibi Ducem, Legislatorem, atquè
Scribam in lege eruditissimum acclament, quod
turpissimum dicere obieci.
Præterea nullus priscorum Interpretum, aut
Rabbinorum à nostra interpretatione discedens, ad
hanc accessit. Quò ad testimonium Malachiæ, infra
referam, quo pacto illud retorsi in Iudæos.

SECTIO II.

De Prædictione aduentus Messiæ, *facta ab Angelo Danieli.*

Secvndvm testimonium, quo solidè innititi- 68
tur nostra assertio, est *Danielis* 9. quo vtitur
S. Bonauent. ad 21. 22. & 23. Lucæ: *Animaduer-
te sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdo-
mades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super
vrbem sanctam tuam, vt consumetur præuaricatio, &
finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & ad-
ducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, &
prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Scito ergo,
& animaduerte; Ab exitu sermonis, vt iterùm ædifi-
cetur Hierusalem, vsque ad Christum Ducem, heb-
domadæ septem, & hebdomadæ sexagintaduæ erunt:
& rursum ædificabitur platea, & muri in angustia
temporum, & post hebdomadas sexaginta duas, occi-
detur Christus: & non erit eius populus, qui eum ne- 69
gaturus est: & ciuitatem, & sanctuarium dissipabit
populus cum Duce venturo: & finis eius vastitas, &
post finem belli statuta desolatio: Confirmabit autem
pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdo-
madis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in templo
abominatio desolationis, & vsque ad consummationem,
& finem perseuerabit desolatio.* Hæc Gabriel Danieli
est collocutus.
Ante omnia prælibare oportet, oraculum hoc 70
emissum Danieli, feruentissimè supplicanti Deum,
vt impleret vaticinium, Hierem. 29. *Cum cœperint
impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos: &
suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam
vos ad locum istum.* Hoc patet initio capitis. Neque
verò solam è Babylonis captiuitate liberationem,
sed etiam spiritualem per Messiam, cuius regnum,
cap. 30. & aduentum, *cap.* 31. prosequitur Hiere-
mias eodem vaticinio: orat Daniel, præcipuè illis
verbis: *Tibi Domine iustitia. Tibi misericordia, &* 71
*propitiatio. Exaudi Deus, & fac: ne moreris propter
temetipsum Deus meus: neque enim in iustitiis nostris
prosternimus preces ante faciem tuam, sed in misera-
tionibus tuis multis.* Quare Daniel, dum petebat vm-
brosam liberationem, eamque intellexit, depreca-
batur, & obtinuit etiam spiritualem perfectam à
peccatis, propter quæ erant Hebræi flagellati. Vtra- 72
que verò liberatio, eodem vaticinio Hieremiæ
promittebatur, vt notat Lyranus ibi, quamquam
ad cap. 9. *Danielis*, id non aduerterit, & ideò di-
xerit, Danielem postulasse liberationem è Babylo-
ne: At Deum, qui plus dat, quàm ab eo petatur,
reuelasse ex abundanti etiam liberationem perfe-
ctam, faciendam à Christo, quod idem frustra con-
cedit Suarez *sect.* 2. Quo concesso Neoterici multi
Hebræi pertinaciùs negant promitti hoc vatici-
nio, Messiam, animarum Redemptorem.
De hoc verò locutum Angelum probatur, quia 73
præfinit, adhuc septuaginta hebdomadas, *vt consum-
metur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, &c.*
vsque ad illud: *& vngatur Sanctus Sanctorum, &
adducatur iustitia sempiterna*, quam suprà Daniel
precatus est. Abolitio verò peccatorum, & addu-
ctio sempiternæ iustitiæ, non poterant ab alio, quàm
à Christo Messia fieri, qui ideò dicitur: *San-
ctus Sanctorum*, quod nomen soli Christo con-
uenit,

uenit, qui *Psalm.* 44. dicitur: *Vnctus oleo præ participibus suis.*

74 Ex quo ruit etiam effugium Iudæorum quorundam, dicentium, Christum illum, de quo hic est sermo, esse Regem Cyrum, qui *Isa.*44. *&* 45. dicitur Christus.

CONTRA enim est, quia hic vocatur Iustitia, & Sanctus Sanctorum; deinde Cyrus iam præcesserat; & iste, de quo Daniel loquitur, futurus erat post sexagintanouem hebdomadas.

75 RVIT quoque expositio Eusebij *lib.*8. *Demonst. cap.*2. & Theodoreti, qui hunc Christum occidendum, dixerunt esse Hircanum Pontificem; nam is nec Sanctus Sanctorum, nec Redemptor à peccatis, nec adductor Iustitiæ sempiternæ, dici potest.

CORRVIT expositio quorundam etiam Iudæorum, Christum illum fuisse Agrippam Regem; ob allatas causas. Addo testimonia aduersariorum fidei canonica.

76 IVSTITIA enim sempiterna, quæ dicitur adducenda, est Messias; secundùm traductionem Thalmudistarum, & habetur in Thalmud *l. de ordine mundi*, dicto Hebraicè *Ceder holam*, vbi Rab. Barachias exponens illud Isa. 66. *proxima est saluatio mei ad ueniendum, & iustitia mea ad reuelandum*, ait, per iustitiam intelligi Messiam, de quo Dan. 9. *& adducatur Iustitia sempiterna.* Iustitia enim in abstracto, de solo Deo prædicatur. Hæc est iustitia, quam Daniel suprà implorauit. Sic exponunt & Rabbini Saadias hic, Hahaman Gerund, & Moyses Hadarsan.

77 SIMILITER *Sanctus Sanctorum* asseritur Messias à Rab. Moyse Barnhaman, quod colligit ex Thalm. Sic igitur ait in expositione Dan. 9. *Sanctuarium Sanctuariorum, vel Sanctum Sanctorum, non nisi ipse Messias est sanctificatus de filiis Dauid.* Ita refert Burgensis *Addit.* 1. *ad* 9. *Danielis.*

SECVNDO cùm post illas hebdomadas implenda asseratur prophetia, oportet videre; quæ hebdomadæ sint illæ, post quas Sanctus Sanctorum occidendus, vt si eas ostenderimus transactas, liquidò inferatur, venisse Messiam.

78 CERTE hebdomadas eas recenset, de quibus notitia erat apud Hebræos.

GEMINÆ autem hebdomadarum species extant apud Hebræos. Altera dierum septem, de qua *Leuit.* 3. vbi narrandæ iubentur septem hebdomadæ à Paschate ad Pentecosten, quæ cumulant quadragintanouem dies, & in quinquagesimo erat Pentecostes; altera verò hebdomada, erat septem annorum, sic Leuit. 25. *Numerabis septem hebdomadas annorum*, quæ reddunt quadragintanouem annos, vt in quinquagesimo anno Iubilæum celebrarent.

79 ET *Genes.* 49. Iacob dicitur impleße hebdomadam septem annorum pro Rachel: Neque aliud hebdomadarum genus inuenitur; ac proinde inane est cum nonnullis Hebræis apud Galatinum confingere hebdomadas septem decenarum, vel septingentorum annorum; Angelus enim loquitur Danieli nominans hebdomadas, quas ei notas supponit; at apud Hebræos nulla alia nominabatur. Quod si ad libitum liceat confingere, nulla determinatio ab Angelo intenta inuenietur.

80 PRÆTEREA, cùm iam defecerit hostia, & fuerit templi desolatio, & in eo abominatio, quæ prædicantur futura circa mortem Messiæ, ante hebdomadarum complementum; sequitur, omnia esse completa. Omnes igitur ferè antiqui Hebræi nobiscum erunt, vt refert Bouerius *art.* 4.

81 QVARE incassum laborat Origenes *tract.* 29. *in Matth.* à creatione numerans hebdomadas istas, quas septuaginta annorum statuit. Sic enim (ait Suarez) adhuc non esset completa tempore desolationis templi, cùm à creatione, vsque ad id tempus fluxerint solum 4060. anni, & ita adhuc deerant plusquam octingenti. In hoc tamen incertè videtur loqui Suarez: nam à creatione ad Christi natiuitatem fluxere anni 5199. iuxta Martyrologium, vel è Bucellin: 4053:

82 RABBI Moyses Ægyptius eum prædixit nasciturum anno à creatione 4974.

CONTROVERSIA verò est: An isti anni solares sint 365. dierum, sexque horarum, An verò Lunares 354. dierum; alios enim annos non habuit Hebræorum gens.

MVLTI hos annos Lunares arbitrantur, quia apud Hebræos familiares erant. Ita SS. Ambrosius *lib.* 4. *Hexamer. cap.* 4. in fine, Basil. *homil.* 6. Hexamer. prope finem. Rupertus *lib.* 1. *de Trin. cap.* 45. Iulius Afric. relatus à D. Hieronymo in Danielem, quem ibi secutus est. Rupert. *lib.* 1. *cap.* 15. Albert. Chart. & alij expositores, Beda *l. de ratione temporum, cap.* 7. & *lib.* 3. *in Esdram, cap.* 16.

83 AT verò Hebræos annis solaribus vsos quis ignorat? Primò quidem quoties computantur anni ætatis Patriarcharum, captiuitatis Ægyptiacæ, & Babylonicæ, de solaribus est sermo; alioqui omnis annorum, chronicarumque ratio, in scriptura dubia esset.

84 PRÆTEREA certum est, Græcos, & Romanos annis Solaribus vsos. Græcos autem veram anni rationem ab Ægyptiis habuisse, refert Strabo *l.* 17. *sua Geographia*; atque Ægyptios eandem anni mensuram adhibuisse, refert Herodot. *l.* 2. *hist. propè initium*; eamque probabiliter ab Hebræis acceperunt, à quibus Astrologiam didicerunt, testibus Ioseph. *lib.* 1. *antiq. cap.* 16. Eusebio *lib.* 9. *de præpar. cap.* 4. Vnde Picus Mirandul. *lib.* 11. *in Astrol. cap.* 9. antiquissimos Hebræorum dicit diuisisse annum in dies 365. & quadrantem diei.

85 PRÆTEREA, nisi Hebræi vterentur annis Solaribus, non possent suos dies festos, præcipuè Pascha, statutis temporibus celebrare; V. g. decima quarta Luna post Æquinoctium vernum, nam si tantùm anni Lunaris haberent rationem, cùm is sit plusquam vndecim diebus breuior Solari, oporteret singulis annis sequentibus totidem dies festum Paschæ anteuertere; & ita citius festum Paschæ celebrassent in Lunatione præcedenti; & in quolibet mense eueniret,

86 QVARE neque anni tempora ritè computassent, & ita Martius non fuisset ei semper primus: Ad hoc autem inconueniens excludendum, solebant cantè menses Lunares aliquarum solemnitatum, quibus vtebantur, ad Solares reducere, intercalando tertio, vel aliquando secundo etiam anno, mensem vnum, atque in vnico anno tredecim menses concludendo, vt hoc modo numerus annorum Lunarium, numero Solarium responderet; vt docent Basil. & Rupert. *loc. cit.* & ita ad mensurandas ætates, regnorum durationes, &c. anno Lunari, ad Solarem sic reducto, vtebantur.

87 QVAPROPTER verisimile est, Gabrielem de his annis locutum, & Eusebius *lib.* 8. *Demonstr. cap.* 2. & Chrysostomus *orat.* 2. *contra Iudæos*, & alij antiqui expositores interpretati sunt, quos secutus est Lyra *Dan.* 9. & *disp. contra Iudæos citato.* Driedo *lib.* 3. *de dogmat. Scriptura*, *cap.* 5. *part.* 4. Lucidus *lib.* 7. *de emendatione temporum.* Galatinus *lib.* 4. *cap.* 4. Genebrardus *lib.* 2. *Chronologico circa finem.*

88 DICES. Videtur Angelus indicasse annos Lunares,

res; dicens: *septuaginta hebdomada abbreuiatæ sunt.*

RESPONDETVR, id non indicari illis verbis, sed solùm, definitum, ac præfixum esse tempus aduentûs Messiæ; illud verò abbreuiatum ob preces Sanctorum, iuxta illud Psalmi: *Propter gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*, vt habet S. Bonau. *in 3. dist. 4. art. 2. quæst.* 1. Hæc autem abbreuiatio non fuit annos attenuando, sed pauciores numero determinando. Ideò ex Hebræo habetur *decisa sunt*
89 נחתך sicut dicitur Marci 13. *Propter electos breuiabuntur dies illi*, non quia totidem dies ad pauciores horas contracti futuri sint illi; sed quia ante aliquos illorum prouidebit. Annos igitur hos fuisse Solares asserunt communiter expositores Hebræi, Græci, & Latini.

90 NON est tamen vituperanda, vt aliqui audent, opposita sententia, nempe Angelum, ad obscurius loquendum, accipere annos Lunares absque additione embolismi, seu anni intercalaris; at sufficiat nobis, asseri annos Solares ab Hebræis, quibuscum est nostra disceptatio, vt Lyranus aduertit. Erunt igitur 490. anni, qui resultant multiplicando septuaginta, per septem.

91 Ex quo infertur, Rabbi Salomonem, qui ex Thalmud, annos istos computare incipit, à primâ destructione templi, facta a Nabuchodonosor, & asserit, septuaginta hebdomadas completas esse in destructione secunda templi, facta à Tito, & Vespasiano, necessariò fateri debere ex Thalmud, vbi asseritur, eos annos præscribi aduentui Messiæ, vt suprà retuli; iam Messiam ex tunc aduenisse, vt infert ad hominem Burgensis *loco cit.* vbi aduertit, librum Thalmud apud Iudæos esse de fide, sicut apud nos definitiones Concilij Generalis, à Papa sanctis-
92 simo firmatæ. Idem asserit Rabbi Moyses, initio Deuteronomij. Haberi autem hanc expositionem in Thalmud bis, nempe *in l. de ord. mundi*, qui Hebraicè dicitur *Seder holam*: & in lib. qui dicitur *Aboda Tara, cap.* 1. refert Burgensis *loco citato.*

93 ILLVD tamen aduertendum, Rabbi Salomonem in computatione annorum aberrare, quia secundùm omnes historiographos, multò plures anni elapsi sunt, à prima euersione templi, vsque ad secundam. Interpretatio quoque Rabbini istius, quæ apud Iudæos est cunctis celebrior, absona est. Sic autem ipse explicat: Septuaginta hebdomadæ præcisæ sunt, & definitæ a prima demolitione templi, vsque ad secundam super vrbem, & populum, vt perfectè puniantur, & ita recognoscentes pœniteant; & sic consummetur præuaricatio, idest, desi-
94 stant à præuaricationibus, & adducatur Iustitia sempiterna, & fiant in æternum iusti, & tunc impleatur visio, & prophetia, idest, promissiones de Christo, & vngatur Sanctum Sanctorum, Area, & Templum per Messiam ædificatum. Tu ergo animaduer-
95 te de exitu sermonis. (Itaque non terminum *à quo*, sed subiectum, de quo loquitur, significat,) id est, intellige, qua ratione intelligendus sit sermo, seu decretum de ædificatione Hierusalem. Quia vsque ad Christum Ducem sunt hebdomadæ septem, idest, vsque ad Cyrum hebdomadæ septem. Nam à ruina prima templi ad Cyrum fluxere anni 52. qui faciunt septem hebdomadas, & addit tres annos, & hebdomadibus 62. reuertetur, idest populus de captiuitate: & ædificabitur platea, & muri, & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, id est Rex Agrippa, & non erit illi populus, qui eum negaturus est, id est non erit Agrippa, quia occisus; vel (vt alij) non erit post hæc Rex vsque ad Messiam. Et ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus; destruetur ciuitas à Romanis; & finis eius vastitas, quia Romani, & reliqui hostes Iudæorum à Messia Rege vastabuntur. Et vsque ad finem belli 97
statuta desolatio Iudæorum, vsque ad finem belli GOGH, & MAGOG; & tunc vincentur à Messia, & restituetur Regnum Iudæorum. Confirmabit autem hebdomada vna, quia in vltima septena annorum fuerunt fœdera inter Romanos, & Iudæos; sed in medio hebdomadæ fracto fœdere, venerunt Romani, debellarunt Iudæos, & sic defecit hostia, & sacrificium, & fuit abominatio.

OBSECRO, quæ & quanta confusio! Itane con- 98
sumpta est præuaricatio à Romanorum expugnatione? Scrutemur lanternis Ghetos Iudæorum, & inueniemus periuria, sortilegia, auguria, lascuias, & homicidia: Scilicet deleta est iniquitas! Innocentulinè igitur iam captiui ab illo tempore? Et quidem ante Christum ob Idolatrias, aliaque scelera ad summum quinquaginta duos annos captiuitatis sustinuere, secundùm Rabbi Salomonem; nunc autem, qui est annus 1672. iam captiuitas habet 1589. annos. Ergonè abluti estis? Sanctificati estis? Decorati iu-
stitia sempiterna? Profectò maior est iniquitas per- 99
uicaciæ hæc, quæ manet delenda, Idolatriis, cæterisque patrum vestrorum abominationibus, Occisum IESVM NAZARENVM confitentes deplorate. At quia vos silicibus duriores vidit, vos ipse deplorauit Lucæ 19. *Videns ciuitatem, fleuit super illam.*

PRÆTEREA; quandonam implenda est prophetia, quam Aggæus *cap.* 2. in reædificatione templi post modicum implendam iurauit? Ergone modicum, 1589. anni?

QVOD verò rursus vngenda sit Area, repugnat 100
Hierem. cap. 3. vt probat Lyra. Neque potest tantum tempus implendæ prophetiæ præstitui, quàm intra septuaginta illas hebdomadas, non autem post illas implendam Angelus asseruit; post eas enim aliæ ducentæ annorum hebdomadæ transierunt.

NEQVE Cyrus potest dici Christus; de quo *Isa.* 101
45. secundùm Magistrum Hebræorum, & Rabbi Auenezdra; nam ibi sumitur pro vero Messia.

DEINDE dato etiam, sed non concesso, Cyrum in Scriptura dici Messiam, cùm tamen adiungitur hæc vox *Nagid*, significat Messiam principalem; nam vox *Nagid*, significat principalem, vt patet Prouerb. 8. *Audite, quia principalia loquor.* In Hebræo est *Negidim* נגידים quod est plurale vocabuli *Nagid*, vnde fallitur Burgensis, dicens *loco cit.* haberi *nagid*, & hoc esse plurale huius *nagidim*, nam potiùs è contra res se habet.

REOR tamen, esse typographi errorem, quia 102
Burgensis est apprimè eruditus in lingua Hebræa. Ibi ergo *negidim* traducitur à Pagnino, *præcipua*, seu *eximia*. Sic etiam Christus Rex Messias solus dicitur, inter alios Christos, seu vnctos *nagid*, vt Isa. 55. *Dedi eum testem nagid præceptorum.*

HOC igitur modo vocatur ab Angelo *Daniel.* 9. Vbi enim nos habemus *vsque ad Christum Ducem*, habet Hebræus עד-משיח נגיד. Quæ cùm ita sint, nullus Hebræorum sanæ mentis hunc asseret Cyrum, sed eximium Regem Messiam.

EX quo etiam patet, insanè Rabbi Abenezra, & alios modernos, vt sensum verum extorquerent, ne, si concederent loqui de Christo, cogerentur fateri eum iam venisse, de Zorobabel, vel Nehemia exposuisse. Nullus enim eorum dicitur *Nagid.*

Ex dictis igitur constat, iam venisse Messiam, 103
no,

Iuxta allatum vaticinium. Reliquum est, vt ostendamus, eas hebdomadas completas in Iesu Nazareno, vt inde concludamus, eum esse Regem Messiam.

Hæc omnino pendent ex temporum calculo, vndenam sumendum sit initium septuaginta hebdomadarum; in quo adeò varij sunt calculatores, vt Suarez relatis omnium sententiis, contentus esse videatur dubitasse: Et cæteri quidem nil stabile contra Iudæorum peruicaciam inuenire videantur.

104 Qvoniam igitur cùm Hebræis est disputatio,
sequemur eorum calculationes, ne nobis alienas
negent. Igitur incipiendum est: *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem.* Hic autem
sermo est primò ad Hebræos factus per Hieremiam
cap. 29. *Hæ sunt verba libri, quæ misit Hieremias propheta de Hierusalem ad reliquias seniorum transmigrationis. Hæc dicit Dominus: Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, vt reducam vos ad locum istum,* & cap. 31. *Rursum ædi-*
105 *ficabo te, & ædificaberis virgo Israel, &c.* Hic autem sermo egressus est anno duodecimo Nabuchodonosor, qui est quartus Sedechiæ, vt patet 28.
106 *Hierem.* & 4. *Reg. vltim.* Ab hoc anno regnauit
Nabuchodonosor ad triginta tres annos, quia regnum eius fuit quadraginta quinque, vt tradunt
Hebræi in libro, qui dicitur *Magnila, cap.* 1. sequuntur anni Euilmerodach vigintiquatuor, & tres
Balthasar, qui duo Reges ex omnium Hebræorum
asserto, tot annos regnauerunt. Sequuntur duo
anni Darij, & triginta Cyri nepotis eius. Hos autem annos fuisse triginta, asserunt non solùm Græci, & Latini, vt Paulus Orosius, Beda super Esdram *cap.* 5. Hieronymus *super Zachariam.* Glossa
1. *Esdra* 5. Magister historiarum *in fine Danielis,*
107 & Magister Raymundus de Martinis, Burgens. *addit.* 3. *ad* 9. *Danielis*, testantur, sed etiam Ioceson
Iudæus, abbreuiator Iosephi, de gestis Cyri in fine,
tametsi aliqui Hebræi tres annos tantum ei asserant.
De duobus verò Darij non est quæstio.

Seqvitvr Assuerus, filius Cyri, maritus Hester, regnans annos quatuordecim, vt Hebræi fatentur, & postea Darius tertius, qui sex annos regnauit vsque ad consummationem templi, vt patet *in textu.* Itaque fuerunt quinquagintaduo anni Persarum, & sexaginta Chaldæorum, qui cumulant 112.
108 annos. Templum verò secundùm omnes Hebræos
durauit 420. annos, quos si coniungas, summabunt
532. annos ab exitu sermonis, vsque ad desolationem templi secundam; à quibus, si rescindantur
42. anni, quibus præcessit passio Christi vltimam
templi destructionem; vt omnes asserunt, remanebont 490. quibus septuaginta hebdomadæ Danielis
109 componuntur. In qua sanè computatione concordant omnino Thalmudica, & omnis Hebraica historia, exceptis annis Cyri; in quibus cùm omnes
Græcos, & Latinos ferè habeamus, & aliquos Iudæos pro nobis numerantes triginta annos, potius
eis standum videtur, quàm aliquibus tantùm Iudæis, vt notant Raymundus, & Burgensis. Hæc est
computatio Magistri Raymundi de Martinis *p. p. Pugionis, cap.* 2.

110 Ait ergo: A dato decreto vrbis restaurandæ vsque ad Christum hebdomadæ septem, & sexaginta duæ erunt, & post has sexagintaduas (supponentes numerum minorem septem aliarum, quas Hebræo stylo præmisit) id est in septuagesimæ anno tertio, iuxta supputationem P. Bucellenij *in Nucleo hist.* vel *in quartò*, iuxta alios, qui fuit 34. vitæ, Christus occisus. Ita sexaginta nouem hebdomadæ terminant in Baptismo Christi, cum testimonio Patris exhibitus est in Iordane mundi Magister, hominumquè Redemptor.

Hæc est expositio D. Bonauenturæ *ad* 3. *Lu-* 111
cæ, vt infrà. Interponit verò Iudæorum è Deicidio ruinam, postea elapsis iam septuaginta hebdomadibus incurrendam. Rursus resumit historiam redemptionis, dicens: *Confirmabit pactum*, idest, fœdus, nouumque testamentum hebdomada vna, nempe insigni illa vltima, *& in dimidio hebdomadæ deficiet hostia, & sacrificium*, quia cessauerunt legalia sacrificia in pretiosissimo Christi holocausto. Rursumque pergit describere alia mala subsecuta, templo Iudæorum iam priuato sacrificiis, & hostiis, nempe, desolationem, vsque ad finem perseueraturam.

Hoc verò testimonium, quo adeò nititur D. 112
Bonauent. & alij omnes, si explicatum sit de annis non Solaribus, sed Lunaribus, sic erunt septuaginta hebdomadæ constitutæ ex septem annis secundùm Lunæ cursum, si detur Cyro imperium solùm trium annorum, iuxta calculationem Bedæ, & Africani, Theodoti, & Ruperti, aliorumque moderniorum, quorum sententia est communior, sumpto tamen initio à vigesimo anno Artaxerxis, quo exiit à Rege sermo reædificandi Hierusalem.

Solvm obstat vnum, quod Suarez insolubi- 113
le putat, quia *è primo Machab. vltim.* cogimur minuere Græcorum regnum viginti annos, vel circa, & ita ab illo anno Artaxerxis, vsque ad Christi mortem, non erunt vltra 460. anni, qui non explent sexaginta, & octo hebdomadas, ex annis Lunaribus confectas.

Hæc tamen oppositio non est timenda à Iudæis, qui Libros Machabæorum non accipiunt.

Bovarivs *demonstrat.* 2. *in Iudæos, art.* 4. & 114
demonstr. 3. *art.* 2. *signo* 5. ab anno 4. Sedechiæ ad 41. Octauiani, quo natus est Iesvs, completas esse septuaginta hebdomadas ait: sic tatus tricas declinare.

At magis implicatur allatis difficultatibus. Deinde quo pacto inter hebdomadarum terminos mors Christi, templi desolatio, & reliqua vaticinij intelliguntur?

Alii, vt allatam à Suarez oppositionem soluant, 115
incipiunt numerare à septimo Artaxerxis, quando is misit Esdram, cum pecuniis ducem in Iudæam, vtique ad ædificandum, vt legitur *primo Esdra* 7.

At nullus de Hierusalem reædificanda tunc prodiit sermo, nec aptè supputantur septuaginta hebdomadæ, vt dictum est.

Alii verò inchoando hebdomadas à tertio an- 116
no Artaxerxis, illarum finem pertrahunt ad Titum. Sumunt autem initium ab eo tempore,
quo perfecta fuit ædificatio: tunc enim dicitur
sermo aliquis habere exitum, quando opere completur; ille autem fuit annus trigesimus, vel
trigesimus secundus Artaxerxis, vt habetur *Nehemiæ* 13. quam sententiam videtur insinuare
Chrysostomus *orat.* 2. *contra Iudæos*, quæ ita
potest breuiter explicari, iuxta Olympiades, quibus calculat Eusebius *lib.* 8. *de Demonstrat. ca-* 117
pit. 2. adiuncto loco, 1. *Machab. vltim.* nam,
iuxta Eusebium, à trigesimo secundo anno Artaxerxis Longimani, vsque ad Alexandrum, fluxerunt 103. anni. Alexander verò regnauit sex, vel

nouem annos, qui Monarchiæ Græcorum initium
dedit, ex quo iuxta *locum citatum* Machab. vſque ad
Hircanum, fluxere 177. anni: deinde ab Hircano
vſque ad finem ducenteſimæ ſecundæ Olimpiadis, in
qua paſſus eſt CHRISTVS, fuerunt 160. anni, qui
hos efficiont 440. annos, è quibus ſexaginta tres
hebdomadæ conficiuntur; & ità, iuxta hanc compu-
118 tationem, mors CHRISTI fuit hebdomada ſexage-
ſima tertia. Ita poteſt explicari verbum illud: *Poſt
ſexaginta duas hebdomadas occidetur Chriſtus.* Deinde
tranſactis aliis reliquis hebdomadibus, id eſt poſt
quadraginta duos annos diſſipatum eſt Sanctuarium,
& ciuitas deſolata à Duce Romano, & ita initio
ſeptuageſimæ hebdomadæ, tota impleta eſt pro-
phetia. Hunc ſenſum videtur indicare S.Bonauen-
tura *loco cit. & ad* 18. *Lucæ*, vbi viſus eſt ita ſen-
tire.

119 RELIQVÆ ducuntur vſque ad ruinas Iudæo-
rum. Hunc probabilem ait Suarez, etſi textui non
adeo aptatum, & addit vix euitari quin ſuperſit
hebdomada; Nam vſque ad Chriſti necem ela-
pſi 440. anni, additis quadraginta doobus ab ea,
ad euerſionem Hieruſalem, ſunt 482. & ſuper-
ſunt octo.

AT facilè reſpondeo, Alexandrum regnaſſe an-
nis duodecim, vt legitur *primo Machab.* 1. Addo
geminos fuiſſe Longimanos, & ecce 490. anni.

120 HOC vnum faceſcit negotium, quod legitur:
*Ab egreſſu ſermonis vſque ad Chriſtum, hebdomadæ
ſexaginta nouem*, quo pacto igitur in ſexageſima ſe-
cunda necatus eſt.

DICO hebdomadas ſeptuaginta complecti to-
tam hiſtoriam petitam aduentus Meſſiæ, mortis
eius, & captiuitatis perpetuæ, quæ erat effectus,
à Chriſto dictus *Lucæ* 21. ab eodem Duce infli-
genda. Ideò dicit: *vſque ad Chriſtum*, legit, in om-
121 nibus verſionibus DVCEM, ideò in eius aduentu,
etiam reditus in Romano exercitu includitur. Iam
Exodi 32. *&* 34. dixerat: *In die vltionis viſitabo.*
Interlinearis: *Per Romanos.* Vocat autem ſe נגיד
DVCEM PRINCIPALEM. At Moyſi *loco cit.* נגיד
Duci Ita Romanorum Dux ſupremus refertur in
hebdomada ſexageſima tertia. Dux ſalutis occiſus,
vltionem erat ſumpturus, vt dixi *à Deuter.* 28.
Hierem. 5.

122 NOTA, Hebræos legere יכרת *iicaret*, EXCE-
NI, non OCCIDI ſignans; at falluntur, vt habes *Ge-
neſ.* 9. *&* 11. *Tertio Reg.* 18. 4. & fatetur Rabbi
Salomon apud Iudæos eximios.

123 TANDEM Rabbini præcipui apud Boucrium
Demonſtr. in Iud. art. 4. hinc fatentur, iam Meſſiam
veniſſe. Alios recenſet *art.* 8. idem aſſerentes. Sanè
datâ quauis ſupputatione temporum, impletum eſt
vaticinium.

SECTIO III.

*De Vaticinio Danielis, prædicentis regnum
Chriſti.*

TERTIVM teſtimonium, quod nititur S. Bonan.
ad 2. *&* 3. *Lucæ*, eſt vaticinium Danielis 2.
Vbi Nabuchodonoſor vidit ſtatuam illam, ſignifi-
cantem Imperia. Caput enim aureum Imperium
Chaldæorum exprimebat: Pectus, brachiaque ar-
gentea Imperium Medorum, atque Perſarum. Ven-
ter, & femora ænea Imperium Græcorum: Crura
verò ferrea teſtaceis tibiis agglutinatis, quibus ſo-
liditas, fragilitaſque exprimebatur, Romanum ſig-
nabat imperium; nam vt notat D.Bonauent & poſt
eum Lyranus, Regnum Romanorum, initio erat fer-
reum dumans omnes gentes, ſicut ferreum metalla
frangit; poſtea ciuilibus diuiſionibus eſt infirmatum:
nam Iulius Cæſar Pompeum confregit, & Roma- 124
nam Rempublicam. Octauianus Antonium ſibi con-
ſociauit, qui duobus cruribus ferreis ſignantur, &
poſtea Tiberius, aliique per multas clades, & gen-
tium ſubditarum ſeditiones, atque defectiones vi-
cerunt.

ADDIT verò propheta: *In diebus autem regnorum* 125
*illorum, ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum
non diſſipabitur, & Regnum eius alteri populo non tra-
detur: comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna
hæc: & ipſum ſtabit in æternum. Secundum quod vi-
diſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis, ſine manibus,
& comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argen-
tum, & aurum.* Iam verò Chriſtus eſt ille Rex æ-
ternus, qui ſubiecit ſibi Romanorum Imperium, vt
patet: Ergo iam venit.

ORTVS eſt autem Chriſtus ſub Octauiano Im- 126
peratore, & gentes Romanas, Græcas, & omnes
orientales, atque occidentales ſub iugo ſuo dulciſſi-
mo edomuit. De eo autem Angelus Lucæ 1. *Regni
eius non erit finis*, & Dan. 7. *Poteſtas eius, poteſtas
æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non
corrumpetur*, vt notat D. Bonau. *ad* 1. *Lucæ.*

IPSE fuit lapis, non manibus, ſeu opera hominum 127
veniens in mundum, ſed ex Virgine, Spiritus Sancti
operatione, diuinctus exiens. Mirum verò, domuit
non corpora ferro; ſed animas fide.

SECTIO IV.

*De variis veteris teſtamenti vaticiniis, à Chri-
ſto ipſo, & in nouo impletis.*

QVARTVM teſtimonium appono ipſius Ieſu. 128
Matth. 11. vbi interrogatus. *Tu es, qui venturus
eſt, an alium expectamus?* Ipſe reſpondit implicitè,
ſe eſſe, idque probauit ex ſignis datis à Deo per pro-
phetas genti Hebrææ: *Cæci vident, &c.* Hoc autem
argumentum latè proſequitur S.Bonau. *in Euangelia*,
oſtendens, prophetias latas de Meſſia, iam impletas
in IESV NAZARENO, filio MARIÆ, licèt obcæ-
cati Iudæi non intelligant. Ideò enim (ait S.Bonau.
in S.Ioan.) dixit Chriſtus: *Scrutamini ſcripturas,
quia vos putatis in eis vitam æternam habere: & illæ
ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Scrutamini
(ait) non dixit, legite, quia ea, quæ de ipſo dice-
bantur, multa indigebant diligentia, quæ obum-
brabantur deſuper: propterea excauare eos iubet, vt
ea, quæ in profondo iacebant, poſſent inuenire. Ita
Chryſoſt. *homil.* 4. *in Ioan.* ad initium litt. T. apud
D. Bonau. *Scrutamini, quia theſaurum continent in
profundo.*

PRIMO quidem (ait S. Bonauentura initio E- 129
uangelij.) Lucas incipit: *Fuit in diebus Herodis
Regis Sacerdos*, vt attentos redderet ad percipien-
dum iam Meſſiæ tempus inſtans quoniam Hero-
des Aſcalonita, primus Allophylorum, imperabat
Iudæis, & ita impletum eſt vaticinium Geneſ. 49.
Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c.

Mox Præcurſor oritur, de quo *Malach.* 3. 130
Iſa. 40. ſcripsère. Oritur Bethleem, de quo Mi-
cheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in mil-
libus Iuda: ex te enim exiet dux dominator in Iſraël, &
egreſſus*

egressus eius ab initio, à diebus æternitatis, vt notat S. Bonauentura, *ad 2. Lucæ.* Ideò Chaldæus legit: *ex te egredietur Messias.* Idem ait Rabbi Salomon; & tradit in Thalmud in Beresith Rabba consonat: *Natum è Virgine* asseritur Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, quasi partus sine parturitione, vt dicitur Isaiæ 66. *Antequam parturiet, peperit*, vt notat D. Bonauent. *ad 1. Lucæ.* Quem locum sic exponit Glossa Hebræorum authentica: *Antequam natus esset ille, qui in seruitutem vltimam redegit*, (idest Titus) *natus est Redemptor.*

131 Ibi Hebræus העלמה signat virginem adolescentem, vt notant Rabbini apud Galatinum *lib. 7. arcan. cap. 15.* Adrian. *fin. lib. 2. flagel. cap. 9.* Perbelle *cap. 45.* eius conceptio partim è cœlo ducitur: *Rorate cæli desuper*: partim è terra sine ope viri: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Hinc magnus Rabbi Haccados *in l. Galerazeia*, hanc Virginem vocat MARIAM. Refert etiam Suidas è Theodosio Iudæo, electum IESVM inter Sacerdotes, hoc titulo: IESVS FILIVS DEI VIVI, ET VIRGINIS MARIÆ. Id Sibillæ etiam prædixêre.

PERSICA: *Virgine matre satus.*

132 DELPHICA: *Qui virginea conceptus abaluo.*

SAMIA: *Humano quem Virgo sinu inuiolata fouebit.*

ERITHREA, quæ ante Troianum bellum fuit: *Et breuis egressus Maria de Virginis aluo.* Hinc IESVM nostrum Messiam esse ostendamus, qui è Virgine MARIA ortus est.

HÆC autem è tribu Iuda esse debuit, vt habes *Genes. 49.* & fuit, vt habes *Matth. 1.* Debuit è radice Dauid nasci. *Isa. cap. 11.* & Targ. Chald. & Hierem. 23. & versio Chaldaica, *ibi*, & *Psal.* 88.

HINC ortum Iesum habes *Matth. 1. Luca 3.* & agnitum, *Matth. 21.*

133 ADORATIO quoque gentium probat Iesum Messiam, Genes. 49. *Et ipse erit expectatio gentium.* Pagnin. *& ei obedientia populorum*, & Psal. 71. *& adorabunt eum omnes Reges terræ.* Idem habes Isa. 60. *Omnes de Saba venient, &c.* LXX. *& salutare Domini Euangelizabunt.*

Io ad lineam factum, & impletum esse cum IESV in natali, nequeunt Iudæi negare. Id narrant Matthæus, & Chalcidius Platonicus.

134 MESSIAM fore sanctum, testatur *Psal. 44. Isa. 11.* & omnes Rabbini. IESV vitam sanctam probant omnes, & testatur Rab. Samuel, ad Rab. Isaac. Miracula etiam ad eius Deitatem comprobandam, de quibus, infrà clarent, & prædicta sunt *Isa. 35.* vt ait Christus *Luca 3.* & *Matth. 10.* & aduertit S. Bonau. *ad 3. & 7. Luca*, referens etiam *Micheam, 4. Ezech. 37. & ad 18. Lucæ*, afferens *Psal. 52. Isa. 50. & 53.* & *ad cap. 22.*

135 MESSIÆ prædicatio prædicta est *Isa. 61.* vt ipse IESVS *Luca 3.* exponit. Id in procemio Midras confirmatur.

DISCIPVLORVM quoque prædicatio prænunciatur *Psal. 18.* & *Hierem. 16.* nomine piscatorum exprimuntur.

ECQVAS hæc IESV denegat? Miracula simul prosequitur S. Bonau. *serm. de SS. Simone, & Iuda.* Propheta futurorum annunciatur, Deuter. 18. *Prophetam sicut me suscitabit*, ait Moyses. Nullum verò æqualem Moysi extitisse dicitur *Deuter. 34.* nisi solus Messias, vt habet Midras Cohelet. At Euangelia IESVM Prophetam ostendunt in expugnatione Hierusalem *Matth. 23. Marci 13. Lucæ 21.* Propagatio etiã Euangelij, Gentium conuersio, &c. id ostendunt.

136 LEGISLATOREM nouum demonstrant Messiam, *Genes. 49.* ex Hebræo, vt dixi. Testatur Isa. 2. *De Sion*

exibit Lex, vt exponit Rab. Salomon. Idem habet Isa. cap. 42. *Ecce seruus meus, &c.* Isa. 11. Ipsum gentes deprecabuntur. Rab. Hama. *Non venit Rex Messias, nisi vt det gentibus mandata.*

EN Iesus legem sanctam dedit vniuerso, vt inde arguat. Quòd Iesus sit Deus. Ioan. Chrysost. *in sua Demonstr.* & Rabbi Vadda *in Ser Hassirim*, qui legem æternam amoris asserit, eodem modo, quo Paulus *ad Rom. Galat. & alios.* Sic & Glossa *Heb.* ad id Ecclesiast. *omnia vanitas.* 137

VITAM humilem, & pauperem describit Isaias, quasi Euangelista, maximè *c. 53. Zach. 9* vt exponunt Rabbini, Moyses Hadars *ad 49. Genes.* explicans: *Non recedet sceptrum de Iuda.* Salom. in Gloss. & alij, vbi additur: *Ligans ad vitem asinam suam*, & componitur facto illi, cùm Hierusalem IESVS intrauit sedens super asinam; vt dicit *Zach. loco citato.*

PASSIONES iusti Messiæ describit eximiè Isa. *loco cit.* & quia incredibiles videbantur, exorsus est: *Domine quis credidit auditui nostro? Et nos putauimus percussum à Deo*, vbi Hæbrea מכה אלהים *muche elohim* percussum Deum, *oblatus est, quia ipse voluit*, Hebræus legit נגש והוא נענה. *Oppressus est, & ipse afflictus est*, vbi vltima vox non traducitur *voluit* à Pagnino, & alijs sicuti à D. Hieronymo. Nam radix ענה *ghnana*, affligere signat; at denotat 138
139 etiam *exaudire*, vt ait Symmach. teste Procopio. Igitur oblatus est, quia assensit, exaudiens proponentem Patrem; Itaque liberè, vt exponunt præclari Rabbini, Moyses Hadars in id Genes. *Fiat Lux.* Rab. Abba: & dicam, *disp. 20 quæst. 3.* & *disp. 22. quæst. 3.*

PASSIONEM prædixit etiam Daniel *loco citato*, Zacharias c. 12. *& ad me aspicient, quem confixerunt*, & Thalmudica expositio *Deuteronom. 32.* vt habetur in libro Siphræ, vbi Messias asseritur DEVS. Quid id negent Iudæi adhuc cruenti? 140

PRODITIO à familiari dicitur patrata, Psal. 40. *Etenim homo pacis mei, in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*, & psal. 56. *laqueum parauerunt pedibus meis.*

VENDITIO describitur Zachariæ 11. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, &c.* Prædicitur etiam *Amos 8.* at exponit Rabbi Samuel, & Rabbi Isaac *cap. 8.* vbi è morte, illata Messiæ, ruinas agnoscit Iudæorum.

COMPRIHENSIO refertur Psal. 21. *Circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me, &c.* Et Thren. 4. *Spiritus oris nostri Christus captus est in peccatis nostris.* In Hebræo habetur משיח יהוה *Messiach Iehouah* MESSIAS DEVS. Pagninus verò legit: VNCTVS DOMINI, sed cùm non habeatur signum nominis Genitiui casus, eum ita legisse miror: Itaque hic captus, non Sedecias impius; nec Iosias iustus homo, qui neque captus, neque in peccatis erat nostris; sed CHRISTVS DEVS Redemptor asseritur; soli enim Deo IEHOVAH astruitur.

FALSI testes asseruntur prædicto Psalmo 34. *Surgentes testes iniqui interrogabant me*, & 108. *Locuti sunt aduersum me linguâ dolosâ, & sermonibus odij circumdederunt me.* 141

COLAPHI, Irrisiones, genarumque vellicatio habentur Isaiæ 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Sic & cap. 53. Thren. 3. *saturabitur opprobriis* & psal. 68. Sic legunt Hebræi in Midras Echa, vbi fertur Rabbi Samuel, cùm ad hæc perueniebat oprobria, lacrymis perpetuò obrutus exclamasse: *O acta deploranda!*

FLAGELLATIO prædicitur psal. 34. *Cõgregata sunt super me flagella*, & psal. 72. *Et fui flagellatus tota die.*

Thren. 3. *Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contriuit ossa.*

Coronatio spinea adumbrata est, *Genes.* 32 in Ariete illo inter vepres deprehenso.

Conormnatio ad mortem habetur Psalm. 73 & sapientiæ 2. *morte turpissima condemnemus eum.*

141 Tractio quasi ouis ad supplicium, Isaiæ 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur.* Hieremiæ 11. *Quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, &c.*

Crucifixio describitur Psalm. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos*, Zachariæ 13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? &c.*

Potatio fellis habetur Psalm. 68. *Dederunt in escam meam fel; & in siti mea potauerunt me aceto.* & Thren. 3. *Repleuit me amaritudine, inebriauit me absynthio.*

143 Vestium diuisio innuitur Psalm. 21. *Diuiserunt sibi vestimenta mea, &c.*

Interrectio tumultuaria, Isaiæ 53.

Sepulturam inuenies descriptam in Isa. 11. *Et erit sepulchrum eius gloriosum.*

Resurrectio habetur Oseæ 6. *Die tertia suscitabit, &c.* & fatetur Rabbi Moys. Hadars *in Genesim.*

Ascensio astruitur Psalm. 67. post quadraginta dies: *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*, vt fatetur Rabbi Haccados *l. Galerazeia.*

144 Sessio super Thronum, Psalm. 109. *Sede à dextris meis*, & explicat Rabbi Moyses cit. ad 18. *Genesis*, & Midras Theillim *Psalm.* 17.

Missio spiritus sancti describit Ioel. cap. 2. *Effundam spiritum meum super omnem carnem*, &c.

Vniversale iudicium habetur Isa. 66. *In igne Dominus diiudicabit, &c.* Vide Seraphicum in sermonibus Pentecostis.

Hæc omnia è testamento veteri confirmat testimoniis adductis, aliisque S. Bonauentura in iis locis Euangeliorum, vbi hæc enarrantur facta, *& in Medit. vita Christi.*

145 Hinc arguit S. Doctor. *locis cit.* Prophetæ eum prædixere Messiam, cui suprà relati euentus conuenissent. At omnia hæc, aliaque verificata sunt in Iesv Nazareno: Ergo. Maior est nota. Minor constat ex Euangeliis, aliisque historiis, vbi miracula fulgent ad hanc veritatem confirmandam, quæ à discipulis patrata ad eam contestandam illustriora toti mundo affulsêre.

146 Qvod si Iesus ementità filij Dei Messiæ facie, se ipsum Deum prædicasset, num à Deo iusto, qui Luciferum, Nabucho. Antiochum, Herodem adeo est vltus, Iesum impunem dimisisset, & toti orbi reddidisset miraculis clarum, religioso Latriæ cultu gloriosum? Is Iesus mundum, non potentia Regum, non Sapientum virtute subiecit, sed nudis, idiotis humunculis Idola contriuit, Imperia sibi fecit subiecta, cultores orbis, Reges reddidit.

147 Respicite o miseri, Iudæorum Deicidarum posteri. Quem lapidem non admonerunt, quem arietem non impulêre patres vestri, vt Christi cultores ad internecionem delerent, vt Ecclesiam expugnarent. Nunc vos Christianorum ergastoli, imò Barbarorum etiam captiui, nullo Duce, iam mille sexcentis annis iacetis. Septenam captiuitatem vsque ad Nabucho. vobis recenseo, quæ ad septuaginta annos summa est. Hæc verò octaua irredimibilis vobis æterna beatitatis vice est constituta. Grande facinus tantam iram meruit, execranda quippè nex Iesv Nazareni. Ab eo sanè tempore hæc vobis mala enim vestra perseuerant pernicaciâ. Hæc Rabbi Samuel ad Rab. Isa. c. 13. 19 & 26. recenset. Hæc Rabbino finali Mutinæ opposui, quibus obmutuit.

SECTIO V.

De Prophetia Aggai, Christi Ecclesiam prænunciantis.

Qvintvm testimonium *Aggai* 2. vrget S. Bonauent. ad ea verba Ioan. primo. *In propria venit.* & ad 3. Ioan. & 19. Lucæ ad ea verba: *Benedictus, qui venit, &c. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes: Et veniet desideratvs cunctis gentibus; & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est aurum, meum est argentum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissima, plusquàm primæ, dicit Dominus exercituum; & in loco isto dabo pacem.* 148

Primvm omnium statuendum est, hic sermonem esse de aduentu Messiæ; qui meritò dicitur: *desideratus cunctis gentibus*, alludens ad id Genes. 49: *Et ipse erit expectatio gentium.* Quia verò LXX. legunt, *Veniet electa omnium gentium*, detorquent sensum Hebræi aliqui, dicentes, ibi significari venturos gentiles omnes cateruatim ad pretiosa, & selecta dona in templo offerenda. 149

At nullæ gentes aduenerunt ad religionem profitendam, sed ad templum illud prophanandum. Solus quidem Alexander ibi immolauit, sed prophana sacris miscens ad fastum; eò enim venit ad Iudæos domandos, vt scribit S. Augustinus 18. *de ciu. cap.* 45. 150

Præterea Hebraica lectio habet: *Veniet desiderium omnium gentium.* Quamvis autem eum singulariter non desiderarent gentes, tamen desiderabant in genere bonum summum, quod à Messiæ pendebat aduentu.

Cvm igitur *adhuc modicum* prædixerit Aggæus *cap.* 2. venturum Messiam, & à prædictione, quæ fuit secundo anno Regis Darij, effluxerunt ferè tria millia annorum, sequitur ipsum venisse. 151

Neqve terreat illud *modicum* legi ad Apostolo Heb. 12. *Adhuc semel*, id enim etiam modicum, vel pusillum significat, vt vertit Paguinus [illegible]. 152

Alia deinde verba vrgent, nempe, Messiam ingressurum templum illud, & gloria repleturum; non enim aliter fuit gloriosius, quàm primum Salomonis; imò longè inferius; propterea Sacerdotes veteres, qui illud Salomonis viderant, flebant, dum secundum dedicaretur, aliis iuuenibus exultantibus *primo Esdra* 3. Igitur sicut primum Salomonis templum dicitur impletum gloriâ Domini, nebulâ apparente, quæ Dominum repræsentabat, 3. *Reg.* 8. ita hoc dicitur implendum gloria Domini præcellentiori, nempe intrante ipso Domino illud.
Vnde subdit: *In loco isto dabo pacem*, quod profectò 153
impletum est, Christo in templo præsentato, cui Simeon accinit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.* Sic enim exponunt locum istum Hieronymus, Rupertus, Lyra, & ferè cæteri expositores, ac Galatinus, Burgensis, & alij Recentiores, contra Iudæos disputantes. Iudæi verò nullam rationem inuenire valent declarandi, quo aliò pacto prophetia hæc in templo fuerit impleta.

Qvod enim assumit Rab. Salomon, plus durasse annos decem, parùm iuuat, vt superet primi templi gloriam, vbi omnia auro fulgida splendebant, vbi Arca, vbi oracula, oleum Sanctum ad 154

Reges,

Reges, & Pontifices sacrandos conseruabantur, &c. quibus secundum caruit; & fatentur in Thalmud *l.Toma*, & in Thalmud Babylon. *cap. septem diebus*, & confitetur Iosephus *Antiq. lib.* 11. *cap.* 3. Vide Boueriom *art.* 5.

Hoc *modicum* consonat cum illo: *Statim veniet ad templum, &c.* vt dicitur Malachiæ 3. ne Iudæi prorogas ab Aduocatis mendicent, vt concedit Rab. Aquibba in Glossa: Hunc autem dominatorem venturum ait *Mich.* 5. vt exponit Rab. Salomon.

155 Miracvla etiam prædicta in Natiuitate Christi apparuerunt, vt notat D. Bonauentura; Angeli enim descenderunt; Stella noua apparuit, tres Soles apparuerunt, vt referunt historiæ. Vide Galatinum *lib.* 4. *cap.* 10. Iulium Obseq. *lib. de prodigiis, cap.* 128. vbi alia referuntur, quæ narrat Bouerius.

Reges per maria venerunt, commota est Iudæa eorum aduentu, & totus orbis in descriptione fuit. Adde miracula, quæ Christus patrauit, quibus Palestinam commouit, &c. adeò nota, vt Iose-
156 phus lib. 18. antiq. dicat: *Eodem tempore fuit* Iesvs *vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere, erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Iudæis, quàm de gentibus sectatores habuit. Christus, idest, Messias hic erat, quem accusatum à nostra gentis Principibus Pilatus cum adduxisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio
157 cœperant: apparuit enim eis tertia die viuus; ità, vt diuinitus de eo vates hæc, & alia multa miranda prædixerit.* Alludit ad id Isa. 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Sic exponit Rab. Salomon. Sic fatentur de Messia Rab. Moys. Hadars. *in psal.* 74. ex Rab. Hattonai è Midra Cohelet. *cap.* 1. ex Thalmud passim. Rursus Rab. Moyses Hadars cit. ait, impios detracturos veris Messiæ iusti miraculis, dicendo, ea dæmonum arte conficta. Hæc omnia in Euangeliis leges.

158 Somniant Rabbini, Iesvm hæc signa patrasse, nomen יהוה pronnnciando, & fabulas miscent. At (esto) Miracula Dei virtute sola fieri valent, & in Dei nomine à Iesv facta sunt in nomine suo, ad suam Deitatem asserendam. Quo igitur pacto Deus veritatis, & proprij Zelator honoris, ac nominis, ea mira esset operatus in Iesv, si is non fuisset Messias Deus? Iure ergo commotus est in Iesv aduentu mundus.

Neqve verò quis dicat, templum, de quo loquitur Aggæus, non durasse vsque ad Christum, sed dirutum ab Herode, qui aliud octo annorum spatio illustrius extruxit.

159 Sane templum sub Zorobabel extructum durabat tempore Christi, vt notat D. Bonau. *ad* 2. *Ioan.* De hoc enim aiebant Iudæi: *Quadraginta, & sex annis ædificatum est templum hoc.* Esto fuisset in aliqua parte completum ab Herode, qui neque à longè salutauit maiestatem Salomonici templi, etiamsi Iosephus *lib.* 15. *antiq. cap.* 12. & *lib* 6. *de bello Iudaico, cap.* 8. referat, reædificatum ab Herode, & multa de hoc iactet præclara. Stultè verò Iudæi aliud templum extruendum ominantur, cum templi desolationem vsque ad finem duraturam Daniel prædixerit, suprà *cap.* 9.

SECTIO VI.

De validissimo vaticinio Malachiæ, veterum Prophetarum vltimo.

Sextvm testimonium est Malachiæ, quod fui 160
ego coactus à Rabbino illo contra ipsum afferre; Ipse enim testimoniis allatis pressus, respondit, etiam dato, venisse Messiam, non teneri se legem mutare, quia Messias, cùm sit homo, non potest leges à Deo latas antiquitus abolere, vel immutare: Ego verò ad hominem argui, ex versione eius suprà allata *ad* 49. Genesis: *Non recedet Principatus de Iuda, & Legislator de interpretibus eius, donec veniat Siloh.* Ergo cum Principatu mutanda est Lex per Messiam, quem validè probaui argumentis Apostoli *ad Heb.* & aliis etiam, quæ retuli *p. p. Tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 7. Et ea in publica Iudæis concione prædicaui.

Qvare poposcit à me, quinam inter prophe- 161
tas vltimus esset, cui Dominus locutus est? Respondi. Vltimus est Malachias. Age igitur, dixit, affer Biblia. Aperuit librum, & ostendit caput vltimum, vbi dixit: *Mementote Legis Moysi serui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta, & iudicia.* Et vt ostenderet, legem Moysi vsque ad finem mondi obseruandam. Post immediatè subdit: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Et hic est finis prophetarum, quos Hebræi admittunt.

Ego quidem resumens Malachiæ vaticinium res- 162
pondi, malè intellectum ab ipsis Malachiam. Ostendi autem ei ex *cap.* 1. intentum prophetiæ, nempè declarandi eis reprobationem ante diem vltimum, & electionem gentium: *Onus verbi Domini ad Israël in manu Malachiæ Prophetæ. Offertis mihi panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? Non est voluntas mea ad vos, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Hic propheta vaticinatur, Iudæorum sacrificia 163
reproba euertenda, atque cessatura, quia Dei beneplacitum accepturum sit sacrificia Gentium ab ortu Solis ad occasum in omni loco. Cùm igitur iam euanuerint, vt reproba, eorum sacrificia; sequitur euanuisse & legem; nam translato Sacerdotio, necesse est, vt translatio legis fiat, vt arguit
Apostolus *Heb.* 7. Ratio est, quia si mutantur cæ- 164
remoniæ, Sacrificia, & Sacerdotium, quæ in lege ordinantur, nec amplius ea adhibentur: Ergo ipsa Lex mutatur. Hoc autem iam totum factum est temporibus Iesv Nazareni; saltem in Romana expugnatione: & quidem tempore Malachiæ non offerebatur in toto mundo holocaustum à Gentibus, Deo gratum; Ergo de futuro loquitur, quod iam videmus impletum, tempore Iesv Nazareni; iuxta 9. Danielis: *Et deficiet hostia, & sacrificium;* & tunc simul prædicit venturum Christum ad templum: *Ecce veniet ad templum Dominator, quem vos quæritis; & Angelus testamenti, quem vos vultis;* iuxta Aggæi sensum, ex verbis eius elicitum.

165 Respondit Rabbinus, iuxta LXX. haberi: *Offertur nomini meo incensum*; nempe quia aliqui gentiles agnoscebant etiam Deum verum cœli, simul cum Diis suis fictitiis.

At instit, LXX. addidisse & *Sacrificium mundum*, quod non potest esse à gentilibus, adorantibus alios etiam Deos cum vero Deo, qui vnus est.
166 Tales enim sunt Idolatræ, qualis fuit Tiberius Imperator, qui Imaginem Iesv inter alios suos Deos exposuit. Incensum enim offertur in signum veræ religionis Deo: Ergo si est mundum, oportet vt etiam religio gentilium in toto mundo existentium, sit vera, & sancta. Hæc autem opponitur fœdis, pollutisque Iudæorum sacrificiis.

Respondit secundò, per Gentes sæpè intelligi etiam Iudæos, qui in toto mundo sparsi sunt.

167 At instit, Spiritum sanctum ponere antithesim Gentium, contra Iudæos, ità vt Iudæi reprobi sint, ac spurci; Gentiles verò oblationem mundam, & sanctam offerant; at nullibi Scripturarum, in quibus hæ antitheses fiunt, confunduntur Iudæi cum gentilibus.

Instituit, Iudæos inter gentes admixtos fuisse, & obtulisse sacrificia munda.

168 Respondi primò, Malachiam accusare omnes Iudæos, non tantum eos, qui erant Babylone (in quo fallitur etiam Lyra) atque omnes, spurca offerentes proclamare, nam incipit Malachias: *Onus verbi Domini ad Israël. Dilexi vos, &c. Iacob dilexi: Esaü autem odio habui*, vbi complectitur totum genus ex Iacob, provt distinctum ab Esaü, omnes etiam ad sacrificia ex toto orbe conueniebant Hierusalem; non enim licebat offerre victimas extra locum illum, quem elegerat Dominus: Ergo Iudæi per mundum sparsi inter gentiles non offerebant panem pollutum, & sacrificia immunda.

169 Respondit Rabbinus, mundam oblationem, dici orationem, quæ etiam incensum dicitur: hoc autem poterat in toto mundo offerri. Hæc est responsio etiam Rab. Salomonis, At LXX. dicunt, incensum, & sacrificium esse mundum, provt opponitur pani polluto, oblato à Iudæis, reprobato à Deo. Deinde totum genus Iacob simul accusat spurcum, vt patet; & reprobat omne donum, ait enim: *Munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis, & vsque ad occasum eius, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco suffumigatam oblatum nomini meo, & oblatio munda.* Sic legitur ex Hebræo.

170 Qvòd verò post indictam legis obseruantiam, minetur diem iudicij, non refert; est enim hic mos Scripturis referre vtrumque aduentum Domini simul, aliaque intermiscere cum eis. Sic & *cap. 3.* agit Malachias, exponens primum aduentum Christi, & sacrificium gratum per aliquos filios Leui, nempe Apostolos, & discipulos Christi offerendum, & simul iudicium minatur. Sic aduentus conscribit etiam Isaias *cap. 2. & cap. 30*, aliique prophetæ.

171 Eos autem miserè derelictos in deploranda captiuitate absque propheta, absque Sacerdote, absque victima placationis, luce clarius apparet. Et licet eorum Patres ante Christum, ob Idolatrias, & alia abominanda ad summum septuaginta duo annos iacuerint captiui; nunc iam annus millesimus supra quinquagentesimum elapsus est, & nulla radiante spe liberationis, in profundo calamitatis iacent. Quodnam tam grauem pœnam scelus promeruit?

172 Avdite Rabbinum Moysen *in l. Iudic.* ordinariorum apud eos authentico: *Iesus Nazarenus visus est esse Messias, & interfectus est per domum iudicij, & ipse fuit causa, & promeruit, vt destrueretur Israel in gladio.*

Porrò & Legem à Deo per Messiam mutandam constat è *loco cit. Malachiæ*, dum noua sacrificia instituenda, veteribus reiectis, asserit, vt dixi Rabbino, & obseruat Bouer. *dem. 2. art. 7.* cum
Rabbinis *in l. Berachot Ierosol. c.* Korim, & in 173
Berach. Babyl. c. Meemathai, & Rab. Hezchia.

Id colligunt ex *Hierem. 31.* vbi nouum fœdus spondet, quod vocat legem ad phrasim *Exod. 33. Deuter. 19. Hierem. 31. Ezech. 44.* Ipsam quoque Circumcisionem iam cessasse, ostendi *p. 2. tract. de Leg. disp. 10. quæst. 6.*

Qvapropter manet Iudæis obligatio legis nouæ, esto moralia stent, vt dixi *disput. cit. de Legibus.*

Alivd argumentum appono aduentus Messiæ 174
cum Bouerio *art. 6.* nempe Idolatriam abolendam. Sic diuinarunt *Isa. cap. 2. & 31. Zach. cap. 13. Sophon. cap. 3.*

Ecqvis autem ignorat, Idola Christi prædicatione sepulta, & Oracula obmutuisse, vt fatentur Pagani, & in actis Sanctorum legitur? Plutarchus libellum scripsit de Oraculorum defectu. Strabo *lib. 9. Geograph.* ait: *Hodie profectò in summa mendicitate Delphicum oraculum est.* Eadem ait Porphyr. lib. de responsis: *Conticuere Iupiter, Ammon, Osiris, Isis, & cætera monstra.* Vide Galatinum, Lyranum, Burgensem, Suarez, Bouerium suprà, Valentiam *disp. 1. quæst. 1. puncto 3.*

Pro Iudæorum argumentorum solutione, ad- 175
uerte primò, Iudæos carnales expectare Messiam ad temporalem prosperitatem, eumque ditioni ipsorum, subiugantem terrarum orbem; ideò eas nobis obiiciunt Scripturas, quæ talia sapiunt, obliti fœlicitatis allatæ in primo aduentu; tametsi in altero iudicij terribilem, & gloriosum depingant. Ex vtriusque autem aduentus confusione delirant Iudæi, ac confunduntur, multasque non intelligunt Scripturas.

Deinde oportet aduertere, multa de aduentu 176
Messiæ in prophetis metaphoricè prædici, quibus spiritualis fœlicitas pedetentim dignoscatur, & ipsi litteratim capiunt, vt Isa. 11. *Habitabit Lupus cum Agno.* Et cap. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*, ex quo insulsè clamant, montem Sion super alios montes exportandum à suo Messia. Hunc errorem latè prosequitur Origenes *lib. 4. Periarch. cap. 2.* & Eusebius *lib. de Demonst.* specialiter *septima, cap. 8.*

Obiicivnt ergo primò Isa. 2. *Erit in nouissi-* 177
mis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes. Non leuabit vltra gens contra gentem gladium. Hæc sunt quatuor indicia Messiæ. At Iesvs non venit in nouissimis diebus, nec mons super montes est positus, nec fluxere ad eum omnes gentes, nec fuit pax perpetua: Ergo non est Messias.

Respondet D. Bonauentura *ad cap. 8. Ioan.* 178
in ea verba: *Iesus perrexit in montem Oliueti.* Nouissimos dies esse non modo Messiæ, sed etiam Ecclesiæ eius. quæ postea vsque ad finem perseuerabit. In hac igitur mirabilia futura super præcedentia asserit, primò operante Christo in Iudæa, quod etiam Rabbi Salomon concedit. Deinde in toto orbe, vnde adunata est Ecclesia. Hæc verò patrata fuisse à Christo, suprà ostendi ex Iosepho, & aliis historiis.

Montes verò montibus supponendos somniant 179
cum

cum Poëtis; cùm ſenſum verum ſub oculis habeant, Montem בראש in capite eſſe Meſſiam, ſanctum ſuper omnes, vt dicitur Pſal. 86. *Fundamentum eius in montibus, &c.* quippe cum ſit Eccleſiæ caput ſupremum.

QVOD ex omni genere ſingularum gentium ad Ieſum confluxerint, patet: Hoc autem ſucceſſiue fit, quod experimento videmus.

180 QVOD verò pax fuerit, conſtat ſub Octauiano in ortu Chriſti, quo vſque Iudæi rebelles à Meſſia, & à Romanis defecere. Maxima verò pax promittitur ſpiritualis ibi; at non impiis, ſed ad Ieſum confluentibus. Neque pax abſolutè æterna promittebatur. Vbi enim nos legimus (*vltra*) habet Hebræum *aad*, quod non ſignificat æternitatem, vt patet 4. *Reg.*6. Vbi dicitur: *Vltra non venerunt latrones*, in Hebræo *aad*, & tamen poſtea Syri inuaſerunt Iudæam. Sic reſpondet etiam Pater Bouerius noſter ſuprà.

181 RESPONDETVR ſecundò à D. Bonauentura *ſerm.*16.*Hexaemer.* loqui de ſecundo aduentu Meſſiæ, quando dies Domini erit ſuper omnem arrogantem, vt ibi teſtatur propheta, tunc Iudæi conciliabuntur Eccleſiæ.

OBIICIVNT ſecundò, *Iſa.*11. dicitur: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & Flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Accubabunt ſimul Lupus, & Agnus; Pardus, & Hædus paſcentur ſimul.*

182 RESPONDET S. Bonauent. *ad* 3. *Luca*, hanc eſſe locutionem metaphoricam, vbi Chriſtus dicitur *flos de radice Ieſſe.* Vnde obſeruat è D. Hieronymo in Hebræo haberi loco cit. *flos Nazarenus.* Id latiùs proſequitur S. Doctor. *in ſpeculo B.V. lec.*12. Sic igitur & animalia illa metaphoricè ſunt intelligenda, vt gentes inimicæ in Eccleſia vniantur, & ſint cor vnum, vt dicitur *Act.*4. Sic enim & *Geneſ.*49. multi Patriarchæ nomine Leonis, Lupi, Colubri enunciantur, & hi dicuntur in nouiſſimis diebus, qui tamen iam fuerunt. Ideò vbi nos habemus; *Habitabit Lupus cum Agno, &c.* habet Chaldæa: *Et pax in diebus eius multiplicabitur.*

183 OBIICIVNT tertiò. *Deuter.*30. *& Ezech.*39. promittit Deus, omnes Iudæos transferre in Paleſtinam, cùm Chriſtus venerit.

RESPONDETVR è D. Bonauent. *ad* 11. *Ioannis*, hanc congregationem faciendam à Chriſto ſpiritualiter, vt filij, qui ſunt diſperſi, congregentur in vnum, vt Caiphas prædixit; neque promittitur eis ampliùs Palæſtina.

OBIICIVNT quartò *Zach.* 6. dicitur: *Oriens nomen eius.* Chaldaica legit: *Meſſias*; & additur, hunc ædificaturum templum; at Ieſus hoc non præſtitit: ergo non eſt Meſſias.

184 RESPONDETVR primò è Rabbi Salomone, intelligi de templo ædificato ſub Zorobabel: Vel dic cum S.Bonau. *ad* 2. *Ioan.* Chriſtum ædificaſſe templum ſpirituale Eccleſiæ ex lapidibus viuis. Vide S.Doctorem *ad* 22. *Luca.*

OBIICIVNT quintò Hierem. 23. dicitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus & ſuſcitabo David germen iuſtum*, &c. & addit: *In diebus illis ſaluabitur Iuda*; at potius exterminati ſunt à Ieſu Iudæi: ergo. Hic eſt Iudæorum Achilles.

185 RESPONDET S. Bonauent. ad id Lucæ 19. *Benedictus, qui venit*, &c. bona à Meſſia danda, non peruicacibus. Ideò *Deuter.* 18. Meſſiam exhibens addit: *Ipſum audies.* Contumacibus verò *cap.*28. ea ſanè, quæ nunc Iudæi patiuntur, maledicta fulminat, vt exponit Rab. Moyſes Hadarſan *ad* 41. *Geneſ.*

OBIICIVNT ſextò Daniel. 7. *Ecce in nubibus cœli, quaſi filius hominis.* At Ieſus non ſic venit: Ergo.

RESPONDETVR, ibi loqui de ſecundo aduentu, quem cum primo Iudæi confundunt. Ita D. Bonauent. *ad* 19. *Luca*, addens id Apocal. 1. *Ecce venit cum nubibus.*

OBIICIVNT ſeptimò Iſa. 30. *Erit lux Lunæ, vt lux Solis, ſeptempliciter.* 186

RESPONDETVR, ibi loqui de fine mundi, quo tempore illa oſtenta affulgebunt, vt alibi etiam innuit.

OBIICIVNT octauò Iſa. 53. *Videbit ſemen longæuum.* & Pſalm.88. *Ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius*; At Ieſus Nazarenus non habuit filios: ergo non eſt Meſſias.

RESPONDET S.Bonauent. *ad* 23. *Luca* ad ea verba: *Et hæc dicens, expirauit*, obtinuiſſe ſemen longæuum filiorum, ſecundùm ſpiritum, quos moriens redemit, ac genuit. 187

OBIICIVNT nonò, *Ezech. vltim.* deſcribitur pulchrum templum, ac ciuitas, quæ complenda eſt (aiunt) in aduentu Meſſiæ.

RESPONDETVR è D. Bonauentura *in fine Dietæ ſalutis*, intelligi ciuitatem cœleſtem.

OBIICIVNT decimò. Si Ieſus fuiſſet Meſſias, ſanè aliqui docti eum cognouiſſent; at non cognouerunt: ergo. 188

RESPONDET S.Doctor. *ad* 7. *&* 11. *Ioan.* aliquos eruditos, & Principes eum agnouiſſe, ſed timuiſſe Senatum, qui contra credentes conſpirarant, vt dicitur *Ioan.* Ideò abſconditè ſe gerebant, vt patet de Nicodemo, *Ioan.*3. Ideò enim *cap.*7. Chriſtum defendit.

ADDIT Seraphicus Doctor, in hoc indicia Dei apparuiſſe, quòd non multi ſapientes ſecundùm carnem venerunt ad eum, erant enim ſcientiâ ſuâ inflati. Ipſum vide, quem ſequuntur in reſponſionibus Lyranus, & alij. 189

Ex dictis planè colligitur, Meſſiam eſſe hominem, quod exprimitur Deuter. etiam 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit tibi Dominus.* Ex quo malè inferunt Iudæi, hunc non eſſe Deum, nam hic idem dicitur: *Deus fortis.* Iſa. 9. & *Deus Ieſus.* Habac.3. vt notat S. Bonauentura *ad* 1. *Ioan.* 190

NEQVE Iudæi, aut hæretici id negant; Et in toto Euangelio id clarè habetur. Ita initio Euang. S. Ioan. dicitur: *Verbum caro factum eſt* Et ſæpe HOMINEM nominant Euangeliſtæ omnes. *Ioan.* 1. dicitur VIR. *Ioan.*8. *&* 9. vt notat D.Bonauentura *ibi.*

EVNDEM quoque eſſe verum Deum latius oſtendi *p. p. tract.*2.*diſput.*1:*quaſt.*6. contra Iudæos, & hæreticos, vbi multa congeſſi teſtimonia, vtrumque probantia, nempe Meſſiam eſſe Deum, & hominem. *Hierem.*32. *Iſa.*9. 45. & aliis ibi allatis. *Michea* 5. *Zach.*9. quæ vide ibi. Contra Paganos verò probatur è Sibillis apud D. Auguſt. 18. *de ciu.* Sixtum Senenſem *tom.*1. *Bibl. lib.*2. Bonetium *tomo* 1. *demonſtr. contra Iudæos.* 191

QVÆSTIO

❧❧❧❧❧❧❧❧❧*†*❧❧❧❧❧❧❧❧❧

QVÆSTIO II.

An MESSIAS *sit Deus.*

192 RABBINVS, quo cum Finali Mutinæ disputaui, cùm aduenisse Messiam conuictus admitteret, resumpsit, se non ob id teneri Religionem mutare, quia Messias est purus homo, non valens Legem Dei, latam Hebræis, abrogare. Coactus propterea illico, mox è suggestu, Christi mei Deitatem comprobaui. Iam *p.p.tract.2. disp.1.quæst.7.* Secundam SS. Trinitatis Personam Deum ostendi, multaque huc tendentia apposui; nunc tamen contra Iudæos ago præcipuè.

193 IVDÆI tenebris offusi Arianorum, IESV Deitatem negant. Eos recensui *p. p. loco cit.* & identidem nominabo.

194 CATHOLICAM sententiam, cuius eximios defensores ibi adduxi, Christi Deitatem adorandam comprobantes, confirmandam assumo cum Patre, Zacharia Bouerio nostro, cum Lyrano, & Burgensi ad Bibl. Eam verò præcipui Iudæorum libri, atque Rabbini confessi afferentur.

ASSERO Domini mei IESV Messiæ DEITATEM; neque solo atramento; sed: O quis mihi det Martyriis adeo feris asserere id, vt sanguis atramento nigrior erumpat.

195 PROBATVR primò Scripturis veteris Testamenti, quibus vtitur S.Bonauentura.

PRINCIPEM locum tenet Christi argumentum, Matth.22. & Psal.109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Sic verò arguit Christus: *Si Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?* Infert autem hunc, quem Iudæi confitebantur Christum Messiam, iuxta expositionem veterum Rabbinorum, Isaac, Barachiæ *in Genes.* Moysis Hadarsan *in 45. Genes.* Ionathæ Chaldæi, qui legit: *Dixit Dominus Verbo suo*, vt habetur lib. Kibbutum Midras Theillim *in psal. 2.* Et Glossa Hebraïca; hunc inquam Dominum Deum
196 esse Dei Filium. Id argumentati sunt *hoc psalmo*,
Theodoretus, Euthymius, Cassiodorus, Chrysostomus, & Hieronymus *ad locum Matthæi.* Didymus *lib.2. de Spiritu sancto*, Tertull. *lib.4. in Marcionem, cap.38.* & aduersus Praxeam, *cap.11.* Irenæus, *lib.3.cap.6.* Hilarius 12. *de Trin.* Ambrosius *de fide, lib.4. cap.4.* Rursus Theodoretus *lib.2. de Græcorum affect.* D.Bonauentura ad hunc locum, & *in speculo B. Virginis, lect. 16.* cum Apostolo *Hebr.1.*

197 IOANNES Antonius Velasquez *in cap. 1. ad Philip. vers.2.* acu subtilior ait, non conuinci intentum ex eo, quòd Dauid vocet Christum Dominum suum, sequi esse Deum; sed debuisse vocare ipsum absolutè Dominum: *Dixit Dominus Domino.* Sic enim Scripturæ hoc nomine Domini absoluti vniuersalis, Deum exprimunt. At nisi supponamus Dauidem super omnes Reges, nullum hominum vocaturum Dominum suum, non infertur: Ergo is est Deus, qui meus est Dominus. Ideò Patres ex hoc nomine DOMINI, Deitatem Christi cum Christo inferentes, carpit.

198 ENIM verò, si nomen Domini *hic*, cum sua expressione à Dauid allata, accipitur, id satis conuincit. Primò enim (vt ait Christus) Dauid vocat eum absolutè Dominum: *Quomodo ergo Dauid vocat eum Dominum?* Et infrà: *Si ergo Dauid vocat eum Dominum*; nam in Chaldæo: *Verbum suum vocat*, & in Hebræo neum Iehoua ladoni: *Dixit Deus ineffabilis meo Domino*, נאם יהוה לאדני.
Licet autem nomen ADONAI etiam creatis Do- 199
minis adscribatur aliquando; tamen *hic* exprimit
esse Deum, dum ei à Deo Patre dicitur: *Sede à*
dextris meis, vt argumentatur Apostolus *Hebr.1.*
Dum is relatiuè exponitur cum Patre regnans, à
quo ante Lucis originem ex vtero è sua est substan-
tiá genitus. Quare tenebatur Velasquez perpende- 200
re, qui Dominus astruatur, sicuti Patres considerant, ex hoc nomine Domini Deitatem cum Christo, & cum Paulo inferentes; nam & ipse ibidem hoc admonet faciendum, vt sciamus: An ADONAI ibi de Deo accipiatur, eumque significet.

HVIC consonat Psal.71. *Ante Solem permanet.* 205
Adorabunt eum omnes Reges, vt ait S. Bonauent. *serm.2.Epiph.* cum priscis Rabbinis apud Bouerium *art.7. demonstrationis primæ in Iudæos.*

DICITVR ergo Messias à Iehouah, Dauidis Dominus Deus אדני Adonai.

DICITVR ortus ante omne tempus ex vtero Dei Patris Filius Verbum; non è Dauidis ventre, qui ab æterno non erat, vt notat Tertull. *lib. 3. contra Marcionem, cap.20.* & Rab. Isaac Arama *in Genes.* Ergo non agit de temporali Messiæ è Dauid ortu. Hoc etiam vide *p.p.tract.2.disp 1. à num.77.*

SECVNDO loco occurrit *Isa. cap.7.* vbi Regi 202
Iudæ territo obtulit Vates signum grande triumphis at renuenti indixit maximum: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, vt notat D.Bonauentura *serm.2.Dom. infra octauam natiuitatis.*

HOC signum domui Dauid offert, Virginis inuiolatæ partum העלמה *haghalma*, idest, *virgo adolescentula*, vt censent Hebræi apud Galatinum *lib.7. arc. cap.15.* Adrian. Fin. *lib.2. flagel. cap.9.* D.Hieronym. *hic*: Rab. Dauid ad id Psal. 67. *In medio iuuencularum.* Sanè nullum erat signum, Virginem parere, & corrumpi.

PORRÒ signum hoc datur liberationis ab obsi- 203
dione, tunc vrbem premente, ex qua finem Regni Iuda pauebant; at Vates dicit, eo tempore Messiam nasciturum, iuxta vaticinium *Genes. 49.* allatum *quæst.1.* non quod prius Virgo esset paritura, vt malè exponit Bouerius; nam ablatum est prius dominium, vt ibi ostendi.

HINC, neque Lyra rectè ait, hoc dari signum, præteriti rememoratiuum.

FILIVS hic vocatur עמנואל ghimmanuel *nobis-* 204
cum Deus, nempe naturæ nostræ homo factus. Neque de hoc nomine id negant Iudæi Ethymologiam. Est argumentum D. Bonauenturæ *in speculo B.Virg. lect. 13.* allegantis D. Hieronymum *epist. 10.* Et *serm.4. Vigil. Natiuitatis.*

TERTIVS locus est cap.9. *Paruulus natus est no-* 205
bis, & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: sed super Solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt corroboret illud in sempiternum.

HOC de Messia iure intelligunt translatio Chal- 206
dæa, Rab.Moyses Ægypt. Rabb. Auenazra.

DICITVR natus paruulus, & filius datus desuper, vt dicitur *Ioan. 3.* vt notat D. Bonauentura *serm.1. infra octauam Epiphaniæ.*

PONDERAT S. Doctor *serm.2. Epiph.* nomen 207
Admirabilis פלא. Hoc nomen Dei est: sic vocatur

Angelus

Angelus, Deum repræſentans, *Iudic.* 13. vt monet S. Doctor *ad* 1. *Lucæ, & ad* 2.

Præclare' verò vocatur אל *El*, Devs fortis; quo titulo abſoluto ſolus Deus nominatur.

Ivdæi, vt omnia peruertant, vertunt actiuè: *Deus fortis, Admirabilis, Conſiliarius, vocabit Puerum natum Meſſiach, Principem pacis.*

208 Scias eiſdem litteris ſcribi actiuum, & paſſiuum יקרא, & antiquitus lectum paſſiuè *vocabitur*, vt aſſerunt LXX. Interpretes, & Chaldæa tranſlatio.

Enim verò Rabbini, qui poſt annum 476. puncta dedere, vt notat Bouerius, cum Bellarmino *p.*1. *Gram. cap.*2. Vatiniano odio in Chriſtum, puncta aptarunt, vt legerunt Iikkra actiuè; vel ſecundùm alios, qui puncta eſſe à tempore Moyſis aſtruunt, mutando puncta, non Iikkare *vocabitur*.

Atqve ſi actiuè eſt legendum; oporteret nomini Meſſiæ apponere notam accuſatiui ה, vel ל, quod non inuenio.

209 Anno Pagninum legere ויקרא vaikra, & tamen reddere adhuc paſſiuum: *Et vocabitur*, accipiendo imperſonaliter, ſeu paſſiuè (vt notat Bouerius) tertiam perſonam.

Addit: *Multiplicabitur eius imperium*, vbi verbum למרבה *lemarbe* habet *mem* clauſam, quæ ſolùm in fine conceditur, vt notat Francus in Sole linguæ ſanctæ *lib.* 1. *cap.* 1. myſterio quidem hoc adſcribunt Rab. Hauchu, celeberrimus Thalmudiſta, & Rab. Haccados in ſumma apud Hebræos æſtimatione, apud Galatinum *lib.* 7. *arc. cap.* 13. nempe, Regni Meſſiæ æternitati.

210 Cætera tandem verba vaticinij Soli Meſſiæ conueniunt, non terreno Regi, vt notat S. Bonauentura *ſerm.* 1. *in octauam Paſcha*, & *ad* 1. *Lucæ.* Certè Imperium æternum Dei eſt (ait S. Doctor) adducens Pſal. 144. *Princeps pacis*, vt habes ad Thren. ex Iudæis.

211 Qvartvs locus Iſa. 48 *Non à principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore antequam fierent, Ego eram: & nunc Dominus miſit me, & Spiritus eius.*

Hic loquitur Meſſias, ſe aſtruens æternum, & paulò antè ſe Creatorem aſſeruit.

Profectò hic alius non eſt, niſi Filius Dei, à Patre miſſus, vt arguit S. Doctor *ad* 4. *Lucæ.*

212 Qvintvs locus Iſa. 45. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Hunc autem Deum confitetur: *Tantum in te eſt Deus* אל, *& non abſque te Deus, verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator.*

Ita oſtendit S. Doctor ad conſecrationem Miſſæ, & in ſpeculo B. Virginis, *lect.* 7.

Initio capitis, non inficior, indicari liberationem à Cyro, vt monet S. Doctor *ad* 4. *Lucæ*; at Cyrus neque Deus Iſraël, neque Iuſtus, ſed Idolatra erat, etſi in liberando populo vmbram Chriſti geſſerit.

213 Præclare' Chriſti Deitatem aſtruit *Iſa. c.* 53. vbi de illo: *Et ipſe peccata multorum tulit.* Hebr. נשא *Naſſah*, dimiſit. Neque verò poteſt alius præter Deum peccata dimittere. Tollere autem peccata dictus eſt Chriſtus redimendo, & dimittendo, vt notat S. Doctor *ad cap.* 1. *Ioan.* & *ad* 23. *Lucæ*; hoc exponens.

Multa etiam apud Hieremiam teſtimonia Diuinitatis Chriſti exiſtunt.

214 Primvm, *cap.* 14. vbi Deum alloquitur: *Quare quaſi colonus futurus es in terra! & quaſi viator declinans ad manendum? Quare futurus es quaſi vir vagus, vt fortis, qui non poteſt ſaluare? Tu autem in nobis es Domine* יהוה, quod eſt nomen Dei ineffabile, hunc appellat: *Expectatio Iſrael Saluator.* Quid ad hoc reſpondeant Iudæi?

Secvndvm habetur, cap. 23. *Ecce dies veniunt* 215
dicit Dominus: & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum: & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Hunc Meſſiam confitentur Targum Chaldæum, Ionathæ Benahozul, & omnes priſci Thalmudiſtæ. Hebraïcè verò habes Iehovah, vt notat Pagninus, Bouerius, aliique. Falsò autem autumant Iudæi, alium in recto vocatum Iehova, vt obſeruat Bouerius.

Enim verò Rabbini corrumpunt verbum יקראו 216
mutato *ſciurech* ו in *cholem* ו, legunt non *Ierçu* vocabunt; ſed *Ierio*, vocabit eum, & ſenſum dant ſpurium: *Deus iuſtus noſter vocabit Meſſiam.* At Paraphraſis Chaldaïca legit: *Et hoc eſt nomen eius, quo appellabunt eum*, & Rab. Abba *in Thren.* ad ea verba: *Quia elongatus eſt à me conſolator, conuertens animam meam, Quod eſt nomen Meſſiæ: Deus Iehouah eſt nomen eius, ſicut dictum eſt.* Hierem. cap. 23. *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus Iuſtus noſter.* Habetur enim יהוה, quod ſoli Deo conuenit, vt monet Bouerius cum D. Bonauentura paſſim locis adductis, *p. p. tract.* 1. *diſput.* 12. Hoc nititur S. Doctor *ad* 1. *Lucæ.*

Insignis etiam eſt locus Michææ 5. *Et tu* 217
Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael; & egreſſus eius ab initio æternitatis.

Hvnc locum de Meſſia expoſuêre antiqui Hebræi, & qui vocati ſunt ab Herode *Matth.* 2. & Rabbi Salomon, etſi nobis infenſiſſimus hoſtis. En Diuinitas eius, cuius eſt egreſſus ab æternitate, vt arguit S. Doctor *ſerm.* 1. *de Natiu.* & *ad* 2. *Lucæ.* Ideò Thalmudiſtæ legunt, *Meſſias à Deo æterno.*

Præclarvm è *Zach.* 2. teſtimonium offero: 218
Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te.

Hic Dominus Iehovah bis ponitur, qui ſe venturum, & gentes adducturum ait; ipſe verò à Domino Exercituum Iehouah Sabbaoth. En verus Deus mittens, & miſſus in medium Iſraël, & ad Gentes.

Alia loca attuli *p. p. tract.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 7. non 219
modò contra Iudæos, ſed etiam hæreticos, vbi è Diuinis nominibus, Meſſiæ adſcriptis, eum oſtendi eſſe Deum. Multa habes & *hîc.*

In ſolùm refero, quod ait Rab. Simeon Ben Ioachai, apud Rab. Haccados: *Deus ſanctus, & benedictus mittet filium ſanctum ſuum, & carne humana*
ſe induet. Veh illis, qui propter prauas ſuas opiniones 220
erunt rebelles huic Meſſiæ, & reſpuent dicta, quibus præcipiet, vt mundificentur aqua mundificationis ad purganda eorum peccata. Ipſi verò non incedent in viis Deo gratis: nec facient voluntatem eius; ſed ingenti iracundia percipi eum occident.

Floruit verò Rab. Haccados circa tempora Machabæorum, & ſonat *Magiſter Sanctus.*

Multas addam etiam rationes, è S. Bonauentura ſumptas, quas ampliat Bouerius *art.* 10.

Prima habetur 4. *p. Breuil. cap* 1. Deus initio 221
fuit Primum Principium, rerum Conditor, qui

immediatè

immediatè orbem homini condiderat; ac proinde est Vltimus Finis. Creauerat autem omnia summâ potentiâ, sapientiâ, & bonitate, vt habetur Genesi: *In principio creauit Deus* אלהים *Dij cœlum, & terram. Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Cùm igitur homo corruisset, debuit eum Conditor reparare summa potentia, sapientia, & bonitate, ne Vltimus Finis, qui est Deus ipse, foret ei frustra. Hinc Iob 33. *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificabit me.* Est autem vtrobique
222 נשמת *nischmath anima*, spiraculum ׳ *Sadai*, omnipotentis. At quæ obsecro anima Dei omnipotentis viuificauit nos? Sanè Messiæ, vt habet Isa. 53. *Pro eo quod laborauit anima eius* (נפץ nephets, vel melius נפש naphese, & signat magis animam sensitiuam) *videbit, & saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse Iustus seruus meus multos, & iniquitates*
223 *eorum ipse portabit.* En Deus omnipotens, assumptâ naturâ, Deo seruâ, iustificat anima sua rationali, emerita pœnis sensitiuis, nos peccatores; quod nemo infra Deum præstare valet. Isa. 43. *Ego sum, qui deleo peccata.* Ità Dei potentia coniunxit duo extrema infinitè distantia, naturam Diuinam, & humanam in vna persona. Sapientia vnivit Primum Principium, & vltimum Finem vltimæ creaturæ. Bonitas dedit vitam Dei pro seruis. Hinc Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*; vbi habet Hebræa נפש signans animam, maximè sensitiuam.

224 Ex dictis eruit S. Doctor aliam rationem *loco cit.* Quia homo à suo Principio auersus recedens, ad sensibilia oblectamenta declinarat; factus est Deus homo sensibilis, vt sic illum ad se conuerteret. Ideò Verbum caro factum dicitur, & animam etiam sensitiuam assumpsisse.

225 TERTIA ratio Seraphici Doctoris est: Humanum genus, Adæ peccato, damnatum est. Ideò ad redimendum perfecta solutione requirebatur Redemptor infinitæ dignitatis, vt Deo infinito offenso, satisfactio condigna exhiberetur. Sanè hic erat finis Messiæ, non liberatio, à Iudæis asserta, à temporali seruitute, quæ parum ad finem beatitatis confert. Ideò Messiæ dicitur Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, &c.* Imò dicitur: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, &c.* Psal. 71. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas.* Et Dan. cap. 9. apertè venturum ait: *Vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.* En quot modis refricat Messiæ finem.

226 QVARTA ratio. Homos peccans propriam amiserat excellentiam, nec eam à creaturâ assequi poterat, cum nulla habeat omnem efficientiam; & si haberet, ea esset deterior illâ, quam obtinuerat à Deo.

QVINTA sumitur ex officio Messiæ. Concedunt omnes, Messiam munere Saluatoris, Redemptoris, ac Mediatoris inter Deum, & homines perfunctutum. Genes. 49. *Salutare tuum expectabo Domine.* Isa. 24. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Sic cap. 62. 12. 43. 59. Zach. 9. 13. Psal. 71. 129. Dan. 9. Sophon. 2.

227 ERAT autem pro omnibus gentibus eo munere perfuncturus, vt habes Genes. 49. *Ipse erit expectatio gentium.* Genes. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Isa. 49. *Dedi te in lucem gentium.* Et cap. 61. *Spiritus Domini super me: eò quòd Dominus vnxerit me, vt prædicarem captiuis indulgentiam;* quæ S. Doctor prosequitur *ad 4. Lucæ*, vt ostendat, liberationem hominum à culpis, maximè ab Originali, quam fatentur & Rabbini Ioses *in lib. Syphra*, Moyses Hadars *in Psal. 48.* Midras Schir. Haschirim *in 1. Cant.* Midras Ruth *cap. 2.*

Ex his arguit S. Bonauentura: Mediator debet 228
vtrique extremo communicare: Messias est Mediator inter Deum, & homines: Ergo debet esse Deus, & homo. Et cum sit perfectus Redemptor, debet esse meriti, adæquati infinitis Dei offensis, vt satisfactio sit condigna, vt dixi.

RELIQVA vide *p. p. tract. 2. disp. 1. quæst. 7.* vbi 229
etiam obiecta dilui, multa etiam *hic, quæstione sequenti* soluam.

QVÆSTIO III.

An Personæ Diuinæ INCARNATIO *rationibus probari queat.*

{ D. Bonau. 3. dist. 1. quæst. 1.

INCARNATIONIS nomen sumptum est ex 230
Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Quamvis enim totam hominis naturam assumpserit; fit tamen mentio carnis, siue quia incredibile videtur, Deum vniri corpori: Siue quia carne explicatur totus homo, Genes. 9. *Consumpta est omnis caro*, siue ad hæreticos præmonendos, qui veram carnem erant Christo negaturi. Siue ad Verbi Dei humilitatem laudandam, vt differit S. Bonauentura *ad 1. Ioan.*

NOMINE hoc vtitur Concilium Nicænum *in* 231
Symbol. Videbatur dicenda animatio à nobiliori: At ità magis celebratur miraculum in vnione summi Spiritus cum corpore, vt monet S. Doctor *lib. 4. Compend. Theol. cap. 7. & parte 4. Breuil. cap. 2.*

EST itaque Incarnatio *Vnio singularis naturæ humanæ cum Verbo.*

HINC etiam elucet, Incarnationem Verbi sine fide non percipi.

PROBATVR à D. Bonauentura primò *ad 1. Ioan.* 232
vbi idem Verbum dicitur, per quod facta sunt omnia, factum caro, quod sola fide agnoscitur. Hinc infert S. Doctor eximiam Ioanni reuelationem factam. Hoc medio idipsum probat Suarez *disput. 3. sect. 1.*

PROBATVR secundò à S. Doctore *ad 3. Ioan.* ex illis Christi verbis: *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis? Nemo ascendit in cœlum, nisi qui & descendit. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Descendit autem ad assumendam humanam na- 233
turam, vt dicitur *Ephes. 4. Philip. 2.* & aliis epistolis, vbi etiam addit, datos Apostolos Spiritu sancto plenos, vt ostenderent nobis diuitias absconditas, & Mysterium sæculis ignotum Incarnationis. Et *Rom. 10.* dicitur: *Hoc est Verbum fidei, quod prædicamus.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore ex illo *Lucæ 1.* vbi Angelus volens persuadere Beatæ Virgini hoc Mysterium, recurrit ad Dei omnipotentiam: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et Mariæ 234
necessaria fuit fides, vt consentiret. Ideò Elisabeth ait: *Beata quæ credidisti.* Lucæ 1. Id confirmat S. Doctor è *cap. 3. ad Ephes.* vbi cùm Apostolus Incarnationem vocasset Mysterium absconditum à sæculis, & inuestigabiles Dei diuitias, præmissa supplicatione Deo, vt concederet Ephesiis cognitionem fidei ad comprehendendam supereminentem scientiam

tiam charitatis Christi, subdit: *Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus secundùm virtutem, quæ operatur in nobis, ipsi gloria.*

235 HINC D.Aug. *epist.* 1 *ad Volusianum*, de hoc Mysterio ait: *Fatemur ergo, Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse.* Quæ verba assumens Concilium Toletanum 11. subdit: *Si ratione ostendi posset, non esset mirabile: si exemplo, non esset singulare.*

236 HINC tritum illud in oratione Seraphici de hoc Mysterio proloquium: *Plus potest Deus facere, quàm nos intelligere*, alioqui si nil ampliùs posset, iam esset Dei potentia finita, quippè nostro intellectui commensurata.

SVPPOSITA autem fide, fuit hoc Mysterium cognitum, & precibus imploratum à Sanctis Patriarchis.

PROBATVR tandem à S.Bonau. *lib.* 1. *Phar.c.*2. è D.Gregorio Magno, qui *lib.* 8. *Moral.cap.* 27. hoc vocat ineffabile Sacramentum, delatum ad Virginem ab Angelo.

237 PROBATVR quoque rationibus à S. Doctore, quia substantiæ perfectæ non subsistunt alienâ subsistentiâ: & in vnionibus substantiarum interuenit pati, componi, &c.

IGITVR, si Personæ alicuius Diuinæ vnionem probare velimus, supponenda est fides de SS.Trinitate, quæ naturaliter haberi nequit, vt ostendi *p.p. tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 1. *&* 2. & admonent Valentia *quæst.* 1. *puncto* 2. Suar *disp.* 3. *sect.* 1. Tanner. *disp.* 1. *quæst.* 1. *dub.* 1. & iam ostensum est.

238 ET S.Doctor *in hac quæstione*, solùm inquirit: An Deus possit naturæ humanæ in hypostasi vniri; Deus enim subsistens esse debet. Insuper debemus credere, naturam humanam alienâ personâ subsistere.

ASSERO, potuisse Diuinam naturam in hypostasi vniri naturæ humanæ.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Cùm ergo possit homo dicere, & credat absque implicantiæ obstaculo, Deũ humanitati vnitum; videtur posse fieri.

239 DEINDE *Ephes.* 3. Deus potest superabundanter facere, plusquàm petimus; At SS.Patres Deo afflante hoc petiere; accinit *Genes.* 17. Ibi Deus, Abrahæ nouo imposito nomine, promissurus Patriarchatum gentium in Christo, ait: *Ego sum Deus omnipotens.* Et c. 18. idem promissurus, ait: *Nunquid Deo quidquam est difficile.* LXX. *Nunquid apud Deum impossibile erit verbum?* Idem *Hierem.* 32. Quæ autem implicantia hic? Sanè id ita factum testantur Scripturæ, Diuinitatem Christi contestatæ, quas retuli *quæst.* 2.

240 PROBATVR tertiò à Scoto apud Fabrum *disp.* 1. *n.* 27. & Mastrium *disp.* 1. *n.* 4. non repugnare ex parte Assumentis. Quod est independens in aliquo genere dependentiæ, potest terminare aliud, in eo genere dependens: Persona Diuina est independens personaliter: Ergo potest terminare naturam humanam, in ratione personali dependentem. Itâ, quia persona est persona perfecta, potest personare omnem naturam personabilem.

241 CONTRA arguo primò. Non minus natura Diuina in ratione naturæ est independens: & è regione, natura creata dependens in ratione naturæ, quàm Persona Diuina sit independens in ratione personæ, &c. At Persona Diuina per vos, ratione independentiæ, potest dare creatæ naturæ esse personale Diuinum: Ergo & natura diuina esse naturale diuinum. Comparatio est optima, & sequela absurda.

242 DEINDE independentia diuinæ Personæ est vltimum eius, & est mera negatio; quæ non dicit perfectionem apud Scotum, vt vidimus *p.p. tract.* 2. *disp.* 5. *q.* 3. *&* 4. & *disp.* 3. *q.* 10. quæ ibi repuli. Et si dicant, negationem hanc connotare affirmationem, hæc erit ratio terminandi, non autem negatio; ac proinde ratio terminandi in Diuina persona, erit actualitas Verbi ad illam potentialitatem implendam. Id latè ostendi *p.p. tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 3. *&* 4.

RESPONDET Faber, non dicere Scotum, rationem terminandi esse independentiam, sed solùm hanc exigi; mox addit, hanc independentiam esse rationem formalem proximam terminandi. 243

HÆC sanè se implicant, & hoc asserit, quod negauit. Neque ex eo, quòd requiritur independentia, probat sat esse. Vnde argumentum deficit.

HIS ruit altera Scoti ratio apud Fabrum *num.* 54. & Mastrium *num.* 18. nixa, non repugnare ex parte naturæ assumptæ, quia persona est negatio communicationis, re differens à natura positiua, ac proinde separabilis. Hanc tamen personalitatis naturam ostendi vanam *p.p. tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 4. Video hic etiam Fabrum concedere in persona perfectionem, quod negat *in primo dist.* 22. 244

INSTAT Mastrius *hic*, & *disp.* 11. *Met. q.* 4. *art.* 4. naturam formâ compleri; & personalitatem superuenire accidentem.

Hæc nil premunt; etenim forma complet quidem in ratione essentiali naturæ; at in ratione perfecta substantiæ, quæ est vltima ratio in se subsistendi, emanat modus substantialis diuinitus impedibilis; atque adeò natura illa, in ordine ad Personam diuinam, est in potentia personali magis, quàm corpus sit in potentia naturali, vt differit S.Doctor *in corpore*, & Mastrij disparitas *n.* 20. est nulla; si Scotistæ hac vsi comparatione cum Seraphico intelligant, nempè, naturam creatam aptam vniri Verbo, ac terminari ab eo, etsi infinito, quia licèt in hoc genere maximè distent; tamen in ratione perfectibilis, & perfectiui magis ordinari naturam creatam ad Verbum, quàm corpus ad animam, docet S. Doctor, & cum eo Scotus *ad* 2. & cæteri apud Mastrium *num.* 22. maximè cum natura rationalis sit Dei Imago, Deique capax. Vide Seraphicum Doctorem *hic*. 245

PROBATVR quartò. Aut repugnat ex parte Verbi assumentis, aut ex parte naturæ assumptæ. Neutrinque repugnat: Ergo. Prius probatur, quia Ens per essentiam continet formaliter omnes perfectiones. At sustentare terminando naturam, est mera perfectio: Ergo. Hoc nititur S. Doctor, quod malè Caspensis *tract.* 20. *disp.* 1. adscribit Scoto. 246

IMò Scotus *dist* 1. *q.* 1. *art.* 2. id refellit sic: Itâ essentia Diuina continet essentiam creatam; sicut persona Diuina creatam: at essentia Diuina nequit esse essentia creaturæ, vt suppleat vices eius personaliter: Ergo. 247.

HÆC tamen friuola esse, ostendit S.Doct. 3. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. longè enim abest similitudo.

PRIMò, quia natura Diuina creatam naturam continet eminenter tantùm, cuius forma, seu essentia dicit imperfectionem; at Personam continet in ratione Personæ formaliter.

DEINDE vnio naturarum est ad vnam essentiam, vel ad vnum per accidens, quod implicat Deo, & creaturæ; at vnio in persona nil tale dicit, redolens Deo imperfectum. Quòd neque ex parte creaturæ pugnet, probatur à S.Doctore, quia pendet à Deo, quæ pendentia potest terminari, vt dixi.

PROBATVR quintò à D. Bonauent. *in corpore*, & *ad argumenta*. Vel hoc repugnat, quatenus Verbum est persona, vel vt est diuina, vel vt est Verbum. Non primum, quia simpliciter est independens, & ab ea pendet creatura. Neque secundum, quia hac terminatione, nulla indecens personam 248

Diuinam interuenit imperfectio, sed sola perfectio
249 sustentandi hypostaticè naturam. Non interuenit enim ibi aliqua passio; dum vnitur, aut aliqua compositio, nec potentialitas, nec limitatio, vt ostendemus *in responsionibus ad argumenta* è D. Bonauentura; non enim oportet, nisi vt terminans hanc dependentiam sustentet naturam creatam sua infinita hypostasi. Nec tandem repugnat, vt est secunda persona, quia est distincta realiter ab aliis, habens distinctam subsistentiam relatiuam.

250 PROBATVR sextò à D. Bonauent. *in corpore*, & *ad 1. & vlt.* Vniri enim in hypostasi, non est necessariò pati ab alio, ita vt subiectetur in vtroque extremo: Sed sat est, vt subiectetur in vno, & alterum trahat per intimam præsentiam substantialem ad se; non enim vniens sibi illicò est subiectum, sed tantùm efficiens, & præsens intimè, vt nouum aliquid soli naturæ terminatæ adueniat, vt dicam *ad vlt.* Dat Scotus exemplum accidentis, quod duplici titulo comparatur ad subiectum. Primò, vt informans; & hoc dicit næuum. Secundò, vt quid posterius ad prius; & hoc titulo non dicit imperfectionem; sic enim & natura humana habet habitudinem ad Verbum, vt ad prius, & terminans, ab eoque ita pendet.

251 HOC tamen exemplum à Thomistis exsibilatur, vt redolens quid Nestorianæ vnionis accidentalis, etiamsi Doctor subtilis in hoc non ponat comparationem.

Eo tamen omisso, aptius exemplum è D. Bonau. *hic*, quod fuit D. Athanasij *in Symbolo*, afferam: Sicut enim ex anima, & corpore fit vnum substantiale in natura, licet adeò diuersæ naturæ sint, ita ex Verbo, & Humanitate vnus in persona Christus. Alia ex insitis ramis, & è ferro ignito infra recitabo *disp. 8. quæst. 2.* Vide Boucrium *demonst. 1. art. 5.*

252 FATEOR cum Belluto *d. 1. de Incarnat. quæst. 2. art. 3.* & Plastrio, etiam comparationem Scoti ad aliqua esse aptam; nam substantia est prior accidente dignitate, naturæ independentiâ ipsum sustentans; resultat quædam idiomatum communicatio naturæ substantialis, & accidentalis vnitæ in eodem supposito. Sic dicitur corpus album, & substantia colorata.

253 OBIICIES primò. Vnio cùm sit ratio formalis, quâ extrema vniuntur, debet vtrumque afficere extremum, & in vtroque recipi, & ita etiam Verbum vnitur, & patitur. Sic enim modificatur ab vnione, quæ est modus vtriusque extremi, & cùm sit modus respectiuus, afficit vtrumque extremum.

254 RESPONDET S. Doctor, dari quædam verba passionem resonantia, quæ tamen actionem significant. Vniri enim *hic* naturam Diuinam humanæ, signat, hanc terminare hypostaticè, quod non afficit vtrumque extremum; est autem vnio modus afficiens id, in quo est subiectiuè; non verò id, cuius est tantùm terminatiuè. Et licèt sit vtriusque extremi modificatio vnitiuè, non tamen inhæsiuè, vt suprà dixi; neque quid amplius exigitur ad modum hunc relatiuum, vt docet S. Doctor *ad vlt.* afferens exemplum eius, cui immoto fit alius dexter, cùm esset sinister. Addit secundò, quòd vniri Deum, non dicit actionem, sed relationem, quæ dicit dependentiam in sola natura creata, tametsi vnitio actionem dixerit, sed communem tamen toti Trinitati.

255 OBIICIES secundò. Quæ sibi inuicem vniuntur, componuntur; at Dei simplicitas compositionem horret.

RESPONDET S. Doctor, vnionem dicere coniunctionem duorum in tertio, siue vniantur ad tertium constituendum, siue non: compositionem verò esse coniunctionem plurium ad tertiam entitatem compositam statuendam, & importat potẽtialitatem.

OBIICIES tertiò. Id, quod de nouo substantiali- 256
ter vnitur, & est aliquid, quod antè non erat substantialiter, sanè mutatur. Verbum substantialiter vnitur humanitati, non minùs, quàm humanitas Verbo; & est substantialiter homo, cùm antè homo non esset; & hoc fit, non per meram denominationem extrinsecam, sed vnione physicâ substantiali: Ergo sicut humanitas vnita mutationem subiit; ita & Verbum.

HANC difficultatem maximam clamat Suarez 257
disp. 8. sect. 4. vt vix dissolui queat, de qua parum dixisse antiquos Theologos, ait Lugo *disp. 11. sect. 6.* Recentiores autem ait in ea multum insudare: Totam verò in eo esse positam, vt assignetur vnionis subiectum. Hanc latè exponunt Moderni apud Mastrium *disp. 1. quæst. 1. art. 1.* Bellutum *3. disp. 1. quæst. 2. art. 2.* Lugum citatum, Arriagam *disp. 21. sect. 2.* Gallum *disp. 1. quæst. 1. art. 1. c. 6.* vbi Scotus *ad 4.* Boucrium citatum. At quia S. Bonau. optimè hanc ex more declarat, missas facio alias, ab aliis refutatas, & hanc solam exhibeo.

QVONIAM verò nonnulli, non lecta quæstione 258
Seraphici, eum feriunt, eius loca proferam.

PRÆLIBAT S. Bonauentura, hoc esse opus omnipotentiæ. Mox *fundam. 3.* basim iactam complanat, sic dicens: Verbum substantialiter sibi nectere, & vnire humanam naturam, ita vt in hoc hypostasis nexu, naturæ, Diuina & humana, sint coniunctæ. Enim verò, quia Verbum infinitæ perfectionis, nequit esse nouæ subiectum perfectionis, maximè verò, quia potius creatura tota est in potentia ad Deum, & multò magis quælibet anima ad eum ordinatur, tanquam perfectibile ad suum perfectiuum, quàm corpora ad illas: Sunt enim entia per participationem eius, ad quem ordinantur, etiam vt imagines. Itaque non recipit de nouo Verbum aliquid, 259
vnde mutetur: humanitas verò vnionem recipiens, ab ea perficitur, tanquam ab actu, quo sustentatur suâ potentiâ incompletâ indigens subsistentiâ. Ita Verbum verè humanitati vnitum, non afficitur intrinsecè per vnionem, non perficitur, non completur, nec vnio est in Verbo, vt in subiecto inhæsionis; sed est potius ab eo, vt à termino suo.

HINC Verbum non denominatione merè extrin- 260
seca dicitur vnitum, vt putat Lorca *disp. 15.* dicens, esse Recentiorum communem sententiam, pro qua falsò addunt Seraphicum Doctorem *hic*, decepti exemplis, ab eo adductis; Et primo Petri, qui fit è dextro sinister Paulo, hoc immutato, quo exemplo vtitur Boëtius lib. *Quòd Trinitas sit vnus Deus*: Vel exemplo Oloris, qui immutatus, incipit fieri similis nouis Oloribus nascentibus: Vel Solis, qui immutato radio, incipit chrystallum irridiare, quo vtitur libenter Bouerius.

IAM verò S. Doctor non hæc applicat in hac de- 261
nominatione extrinseca, his aduemente, sed in hoc, quòd nil nouæ perfectionis intrinsecè accipiunt noniter. At dixit iam, Verbum de nouo vniri physicè intrinsecè per modum termini, non tamen, vt subiectum inhæsionis; ideò cautè applicat. *Sic suo modo, &c.* Quare non rectè à modernis impugnatur.

SANÈ id soluere volebat, & soluit, quod vrgebat argumentum, inferens, sequi mutationem. Ipse verò negat sequi, si vnibilium alterum solum
sit potentiale, vt euenit *hic*; vbi Verbum, habens 262
omnem hominis perfectionem, fit homo; nec aspergitur næuis. Fit igitur homo, & denominatur substantialiter homo, non ad modum, quo Deus creat, nec tamen denominatur creatura. Abeat igitur

tur Victoria, tremore concedens, mutari apud Areqiuum *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 17. His ferè se expediunt Bogo, Mastrius, & alij.

OBIICIES quartò. Quod est vnibile, est proportionabile; At creatura cùm sit finita, nequit Deo proportionari; ergo neque vniri.

263 RESPONDET S. Bonauentura, ad vnionem non exigi proportionem commensurationis, sed satis esse proportionem ordinis. Si enim iaciatur gutta aquæ in mare, illi vnietur. Satis est igitur, Verbum, vtporè infinitum, terminare naturam humanam, quæ cùm finita sit, & terminabilis, potest Dei omnipotentiâ operante terminari. Adde, animam Dei imaginem, ordinatam, vt à Deo perficiatur immediatè, vt dictum est *p. p. tract. de anima rationali.*

264 DICES: Sicuti personalitas Angeli non potest terminare naturam alienam, quia à propriâ naturâ adæquatur; ita nec Diuina, quia debet sustentare naturam infinitam.

RESPONDETVR, personalitatem Diuinam ad intra adæquari; attamen ad extra producere potest, sicuti intellectus, & voluntas Patris exhauritur ad intra in generatione, & spiratione; & tamen extrà adhuc possunt infinita producere. Ita in caso nostro, vt notat Mastrius *num.* 22.

265 OBIICIES quintò. Plus distant Deus, & creatura, quàm duo opposita, vt rationale, puta homo; & irrationale, puta Asinus. Hæc enim communicant in aliquo genere, vt docet Aristoteles: 5. *Phys. t.* 8. Sed Deus nequit facere, vt Homo sit asinus: ergo.

RESPONDET S. Doctor, opposita conuenire magis in genere, non in ordine; neque verò participatio in aliquo communi, facit vnam rem alij vnibilem, sed potius inclinatio, & ordo. Hinc anima rationalis vnitur corpori ad vnum substantiale essentiale, cùm nequeat alteri animæ vniri. Igitur in re, etiamsi opposita, magis quò ad essentiam conueniant, attamen anima magis in Deum ordinatur, vt eius imago.

OBIICIES sextò. Inter compositiones vna est è natura, & supposito, at componi, Deum dedecet. 266

RESPONDET D. Bonauent. *hic* & locis afferendis *disp.* 5. *quæst.* 3. è natura, & supposito innato in nobis, fieri compositionem; quia illa vt potentia, hoc vt actus, sed modalis, se habet; at in Christo, Persona infinitè perfecta terminat, nil recipiens, non emanans ab ea. Sic & Bouerius *loco citato.*

OBIICIES septimò. Persona est naturæ intellectualis subsistentia incommunicabilis, è Richardo Vict. *lib.* 4. *de Trinitate.*

DICO, id euenire ex finitate personæ creatæ, 26
quæ à propria natura adæquatur; esse tamen proprium etiam Diuinis completis, esse ad intra incommunicabilem. Vide Bouerium nostrum.

DISPVTATIO SECVNDA.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

NIHIL conuenientius potest excogitari, quàm quòd Medicina respondeat morbo, reparatio lapsui, & nocumento remedium; & sicut homo cecidit diabolica suggestione, ita resurgat angelica denunciatione, & sicut mulier decepta per generationem concupiscentialem peccatum in omnes transfudit; sic & Virgo credens, ad immaculatum conceptum à Spiritu sancto obumbrata, gratiam omnibus conciliet. Item quid potest esse conuenientius, quàm vt homo ad Diuinam conformitatem perducatur ab eo, qui Dei est Imago, ad Diuinam erudiatur cognitionem, ab eo qui verbum est patris, quod carni queat vniri, sicut in homine Verbum vnitur voci; & ad filiationem denique adsciscatur adoptiuam per eum, qui filius est naturalis? Hæc tamen licet ita sint, amplius quæritur, num ipsi Deo fuerit INCARNATIO conueniens.

QVÆSTIO I.

An fuerit conueniens INCARNATIO *Dei ex parte eius.*

D. Bonauen. in 3. dist. 1. art. 1. quæst. 1.
D. Thom. 3. part. art. 1.

DVOBVS modis potest aliquod opus Diuinum esse conueniens. Primò ex parte Dei, si sit opus ex se amabile. Secundò, propter alium, cui tale opus sit vtile, aut necessarium, vt docet D. Bonau. *hic* post Clementem Alex. *lib.* 1. *Pædag. cap.* 3. De priori *hic.*

ASSERENDVM, conueniens fuisse Deo incarnari.

PROBATVR à D. Bonau. primò. Opus, in quo 2
perfectè ostenditur Diuina potentia, sapientia, & bonitas, est Deo conueniens; Talis est Incarnatio: ergo. Minor probatur; quia Diuina potentia perfectè ostenditur in opere infinito; Talis est Incarnatio, in qua vnita sunt infinitè distantia, Deus spiritus supremus, & caro; in aliis enim coniunctionibus, puta disparium elementorum, puta corporis cum spiritu creato, modicè potentia splendebat.

3 RESPLENDET quoque Sapientia in vniendo primo, id est Verbo Dei, per quod facta sunt omnia, cum vltimo opere, idest homine, vt homo fieret Deus, & hominem perditum ad suum finem perfectum reuocaret, soluto iusto pretio iustitiæ, ita tamen, vt licèt infinitum esset Redemptionis pretium, triumpharet tamen misericordia, dum Iustissimus pro iniustu soluit. Et ita mirum circulum contexit Diuina Sapientia. Vide S. Bonauenturam *quæst.6.dist.*20. *ad vltim.* & *in corpore*, vbi reductionem hominis rei ad Deum exponit.

4 RVTILAT etiam hic Bonitas, dum infinitè communicatus est Deus per vnionem hypostaticam naturæ humanæ, cui licèt prius se communicasset per præsentiam, potentiam, & essentiam; attamen finita erat communicatio. Hoc argumento vtitur etiam D. Thomas *opusc.*60. & Suarez *disp.*3.*sec.*3. latius autem S. Bonau. 4.*p. Breuil. cap.*1.

5 CONFIRMATVR à S. Doctore, quia sicut erat vna natura in pluribus personis, vnde Diuina bonitas elucebat; ita per Incarnationem factum est, vt plures essent diuersissimæ naturæ in eadem persona.

6 PROBATVR ab eodem *dist.*20.*quæst.*1. quia non decet sapientiam Dei, propositum eius infirmari, & creaturam fine fraudari. Non decet benignitatem, perditam relinquere totam stirpem pro peccato Parentis: Neque decet Dei virtutem relinquere opus in manu diaboli. Vide Seraphicum ad argumenta, vbi diuitias charitatis Dei in nostra exaltanda natura, & se humiliando explicat.

7 HINC malè apud Lugo *disp.*2. *num.* 2. adducitur S. Doctor cum Alensi *quæst.*1, & Tostato *in Matth. quæst.*27. quasi necessitatem inducens.

QVÆSTIO II.

An fuerit INCARNATIO *conueniens nobis.*

D. Bonauent. q. 6. ad arg. m.
& dist. 20. q. 1. & 6.

8 ASSERO, Incarnationem fuisse nobis vtilissimam, & optimam.

PROBATVR à D. Bonau. *quæst.*6. *dist.*20. ex 2. Heb. *Decuit Iesum consummari.*

SECVNDO è D. Aug. 13. *de Trin. cap.* 10.

9 PROBATVR ab eodem *quæst. cit. ad arg.* quia per Incarnationem subleuata est natura humana ad summum, vt homo sit verus Deus, & adoretur ab Angelis, vt Princeps. Vide D. Aug. *de præd. Sanct. cap.* 25. Quamuis autem vnicam assumpserit naturam; attamen hæc vtilitas in omnes redundauit, quia totius naturæ partes assumpsit, vt esset omnium mediator, & omnes secum in gloriam perduceret, vt habet Apostolus *Hebr.*9.*&* 10. & probat D. Bonauentura, *dist.*2. *art.*1. *quæst.*3.

10 PROBATVR tertiò à S. Doctore *loco citato Breuil.* 4.*p. cap.*1. & *ad cap.*1. *Ioannis*. Similitudo est causa amoris, & assimilatio est amoris effectus; At Verbum, quod est sapientia Patris, in quo sunt omnes thesauri, assimilatus est homini, factus homo, vt habetur *Philip.*2. & quia homo, carnalis iam factus erat, ideò Verbum dicitur caro factum à D. Ioanne, vt ostenderet summam Dei condescensionem, vnde nobis fieret amabilis.

11 QVOD ampliùs confirmat S. Bonau. *ad 3. Ioannis*, ex illo: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sic igitur Deus vnitus homini, maximum erga eum amorem ostendit, quia, vt ait D. Dionys. *c.*4. *de Diuinis nominib.* amor est vnitiuus: Qualia autem motiua habeamus redamandi Deum, Vide in hoc amore vberrimum S. Doctorem, tum in Euangelia; tum in Stimulo Diuini amoris; tum in Pharetra *lib.*1.*cap.*2. & aliis operibus, vbi Sanctorum PP. affectus elambicatos refert grati animi notas ob tam præclara beneficia, ex Incarnatione, & Redemptione nobis resultantia. Vide illum etiam *dist.*20.*quæst.*6.

PROBATVR quartò à S. Doctore *dist.* 20. quia 12
scilicet liberati sumus à Diaboli potestate, vt dixi suprà.

DEINDE, quia alioqui homo, qui est finis vni- 13
uersi careret suo fine, & consequenter vniuersum ipsum. Secundò, quia lapsa erat tota natura ex alterius tentatione, peccato, &c. Tertiò, quia iam erat pœnitentia cum miseria. Pœnitentia placabat quodammodò iustitiam Dei; & miseria excitabat misericordiam.

VIDE præcipuè Seraphicum ad ea loca Ioan. 1. *Erat Lux vera, &c. Gratia, & veritas per Iesum* Ioan. 8. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

DISTINCTIONE quoque 20. *quæst.* 6. probat, 14
quia sic liberatus est homo per viam iustitiæ, qui potuisset ex sola misericordia, & *copiosa est Redemptio*, vt dicitur Psal. 129. ex data anima pro anima, vita Christi Dei pro vita hominis. Ita perfectissimè redempti sumus.

QVÆSTIO III.

An conuenientius fuerit, INCARNATIONEM *fieri in natura humana, quàm in alia natura corporea.*

D. Bonauen. dist. 2. q. 1.
D. Thom. quæst. 4. ar. 1.

HÆC sanè præsupponunt ea, quæ infra à Do- 15
ctoribus disputantur, nempe Incarnationem factam esse per vnionem naturæ humanæ cum Diuina in Persona, seu subsistentia Verbi, ita vt in vna persona sint duæ naturæ subsistentes.

SVPPONO deinde è Seraphico, naturas corpo- 16
reas irrationales potuisse à Deo assumi ad vnionem hypostaticam. Quare falsò Petrus à S. Ioseph Fuliensis *lib.*2. *cap.*13. *resol.* 1. dixit, hoc negari à Seraphico Doctore.

PROBATVR à S. Bonauentura *hîc* tum è D. Augúst. ad Volusianum, vbi huius, & aliorum mirabilium, dicit, totam rationem facti esse potentiam facientis. Cùm ergo potentia Dei sit infinita, nil obstat, quin potuit etiam alias naturas assumere. Idem clarius habet S. August. *de vera Relig. capite* 16.

PROBATVR deinde à S. Doct. validè *argumento* 17
2. Quia quæcumque natura est capax subsistentiæ, potest à Diuina persona terminari, eique vniri; sed omnes naturæ aliæ substantiales, sunt capaces subsistentiæ non minus, quàm natura humana: ergo. Minor probatur; nam quo ad vnibilitatem absolutè omnes infinitè, atque adeo æqualiter, distant, licèt quò ad ordinem in Deum conueniat magis natura humana; & ex alio

capite

capite bruta non ordinantur in Deum; ac proinde indecorum videretur, Asinum fieri Deum; hominem verò fieri Deum, non dedecet, quia ipse natus est effici Deiformis, & dignitatem personæ sustinere. Hanc, ait Suarez, esse rationem propriam.

18 PROBATVR tertiò à S. Doctore *dist.2. art.2. quæst.1. ad 4.* & *dist.21. quæst.2. ad tertium.* Certum est, Verbum mansisse vnitum carni Christi in triduo mortis.

EADEM est igitur ratio de aliis corporibus, licèt propter ordinationem corporis Christi ad animam, atque humanitatem constituendam congruè erat apta; non sic natura irrationalis. Loquitur autem semper Seraphicus de ineptitudine congruitatis. Quare non vere Vasq. *disp.30. cap.1.* Vulpes *disp.6. art.3.* S.Doctorem trahunt in sententiam dicentium, non potuisse simpliciter naturam Diuinam vniri
19 bruto. Hi sunt Henricus *quodl.13. quæst.5.* Carthus. *dist.2. quæst.2. art.3.* Picus Mirandul. *in Apol. concl.4.* eamque probabilem putant Richard. *in 3. dist. 2. art.1. quæst.4.* Gabr. *dist.2. quæst.2.* quibus addunt etiam Alensem *3. parte, qu.2. memb.7.* Sed ipse cum D.Bonau. discipulo suo, loquitur de congruo, vt notat Suarez *disput.16. sect.2.* vbi tamen suspicatur, Alensem in eam sententiam lapsum *quæst.11. memb.1.* & *quæst.12. memb.1. art.1.* & ait, sequi ex alia eius doctrina *quæst.7. memb.2. art.1.* scilicet naturam non esse assumptibilem, nisi mediante gratiâ; At ipse loquitur de congruo, sicuti etiam D.Bonauentura, ponentes gratiam, vt dispositionem ad vnionem hypostaticam, vt dicam *disp.6. quæst.2.*

20 SENTENTIA igitur asserens, potuisse assumi inanimata: Est communior Theologorum, post D.Bonau. *in 3. dist.2.* vbi D.Thom. *quæst.1. art.1.* Ità Scotus *quæst.1. art.2.* Palud. *quæst.1.* Durand. *quæst.1.* Almai. *quæst.2.* Marsil. *quæst.3. art.1.* Ocham *quæst.1. art.3. & 9.* Capreolus, Caietanus, & omnes Thomistæ, quos sequuntur Suarez *loco cit.* §. *Dico secundo.* Tanner. *disp.1. cap.2. num.31.* & alij ibi.

ASSERO igitur, congruum fuit, Verbum assumere potius naturam humanam, quàm aliam corpoream.

21 PROBATVR à D. Bonau. primò ex ipso facto, quo ostenditur ità fuisse decentius.

PROBATVR secundò à S.Doctore. Id, quod est aptum ad dignitatem personæ obtinendam, aptius est sustentari à Verbo, quàm ea, quæ non sunt capacia dignitatis personæ, licèt subsistere possint: at inter corporea, sola natura humana est capax dignitatis personæ: ergo. Ex hoc argumento habetur, irrationale subsistens in Verbo, non futurum personam, quia persona est naturæ rationalis subsistentia.

22 PROBATVR tertiò à D. Bonauentura. Ea, quæ non sunt ordinata ad operationes sanctas, & beatitudinem, sunt incongrua hypostaticæ vnioni cum Verbo: Talia sunt omnia irrationalia: ergo. Maior probatur, quia gratia vnionis est sanctificatione, & glorificatione præstantior, ac proinde indignum videtur, eum esse in Persona Deum, cui nequeat conuenire Deum videre, eique vniri accidentali deiformitate sanctitatis, & fruitionis. Non tamen sequitur implicantia, quia vnio hypostatica solùm subsistere dat, quod etiam brutis conuenit: at charitas, & beatitas dant videre Deum Spiritum, eum amare, &c.

23 PROBATVR quartò à S. Doctore. Summa perfectio supernaturalis congruit magis naturæ perfectiori, quæ est aliarum finis: Talis est natura rationalis: Ergo.

24 PROBATVR quintò *in resp. ad vlt.* Quod est capax vnionis hypostaticæ, debet de congruo esse maximè vnibile ipsi Deo, decore sanctitatis, omniumque virtutum, quæ substantiali respondeant sanctificationi: Talis est sola natura humana inter corporeas: Ergo.

25 PROBATVR sextò, *fundam.4. D.Bonauentura, & ad 3.* Quia cùm homo sit creatura nobilissima, in qua sunt perfectiones omnium aliarum, attulit decorem toti vniuerso, in sui vnione cum Verbo, quia per primum reducitur multitudo ad suum principium. Quam rationem esse egregiam Caietani *q.1. art.1.* asserit Valentia *disp.1. quæst.1. punct.4.* §. *Iam vero,* circa medium, & Suarez *disp.3. sect.3.* & Nazarius *ad art.1. D.Thomæ.*

HÆC verò non arguere absolutè docet, quia vt natura assumi queat, sat est, posse eam sustentari hypostaticè, nec exigitur aliqua operatio, nobilitasve, &c.

26 TANDEM confirmatur à D. Bonauentura *in corpore, & ad vlt.* quia indecens videtur, Asinum, & huic similia, esse in persona Deum. Ergo cùm hoc non deceat Diuinam Sapientiam, & bonitatem, videtur potius de homine ad dicendum. Neque tamen repugnat simpliciter, vt aliqui inferunt, dicentes, hanc deductionem fieri à D. Anselmo *in lib.2. Cur Deus homo, cap.4. & 5.* Quid enim impedit ad ostensionem Diuinæ potentiæ id fieri?

27 SIC enim indecens videbatur etiam vt de fœmina, licèt Virgine, nasceretur, vt notat Tertul. *lib. de carne Christi, cap.4.* Vnde Ecclesia canit: *Tu non horruisti Virginis vterum.* Et eodem modo D.Gregorius Nyssen. *in orat. magna cathec. cap.25.* ait, posse Deum sine indecentia vnamquamque naturam sumere, quià omnes à Deo infinitè distant; vnde respectu illius, ferè nihil inter se distant. Quamvis negandum non sit, in vna natura maiorem esse congruitatem, quàm in alia. Hæc ad verbum est ratio secunda etiam S. Bonauenturæ.

28 ADVERTE autem, etiam formas irrationales, licèt non sint subsistentes in se, sed in materia subsistant, participaturas subsistentiam in Verbo, non per se, sed vt simul cum materia constituunt vnam naturam. Sic enim subsistunt etiam subsistentiâ naturali, quæ totam naturam afficit adæquatè: Nam tota natura est, quæ trahitur ad subsistendum, non autem sola materia.

29 HIC etiam addo, posse formam substantialem materialem, separatam à materia, vniri hypostaticè ipsi Verbo. Sic enim haberet existere per se, magis quàm accidentia in Eucharistia. Et hic modus profectò esset substantialis eiusdem rationis cum substantia. Cùm ergo possit per se subsistere, potest etiam in Verbo subsistere. Idem de materia sequitur, quæ etiam potest separata stare. E contra verò, accidens, licèt possit per se existere, tamen quia est modus accidentalis, non videtur subsistentiâ substantiali posse vniri Verbo.

30 Ex dictis habes callidè Vulpem *loco cit.* afferre argumenta D. Bonauenturæ, quasi voluerit eis probare absolutè, naturas irrationales esse inassumptibiles.

FRVSTRA etiam patet eum apponere solutiones Scoti, Suarij', & suas, quæ sunt eiusdem D. Bonau.

QVÆSTIO IV.

An fuerit conuenientius, VERBVM *vniri naturæ humanæ, quàm Angelicæ.*

{ D. Bonau. dist. 2. q. 2.

31 SVPPONO è D.Bonauentura, Angelum potuisse assumi à Verbo, contra Albertum *in 3. dist. 2. art. 2.* Est autem sententia D.Thom. *quæst. 4. art. 1. ad 3. & 4. contra Gent. cap. 55.* Eos verò sequuntur alij communiter *in 3. dist. 2.* apud Tannerum *disp. 1.* Suarez *disp. 14. sect. 2.* Vasq. *disp. 30. num. 17.*

32 PROBATVR à S.Bonau. ex illo Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Quæ verba indicant, potuisse Deum etiam Angelum apprehendere: Sed ex gratia apprehendisse naturam humanam, vt notat etiam Suarez *disput. 16. sect. 2.*

ASSERO, fuisse congruentius Verbum vniri naturæ humanæ, quàm Angelicæ.

33 PROBATVR à D. Bonau. ratione bipartitâ, ex naturæ humanæ conditione, & ex eius reparatione.

Ex priori quidem capite probatur tripliciter.

PRIMÒ, quia assumens est persona habens esse per originem à Patre: Ergo congruum erat, vt assumeret naturam, cui innata est personalitas ex origine generantis, vt sic Filius Dei, esset filius hominis; hoc verò non haberet, si assumpsisset naturam Angelicam.

34 SECVNDÒ ex maiori expressione exemplaris, quæ est in homine; nam homo non modò ratione essentiæ animæ repræsentat Deum; sed etiam ratione ipsius animæ, prout est tota in toto corpore, veluti paruo mundo, & tota in qualibet parte eius, vt sæpè refricat S.Augustinus.

TERTIÒ, quia, cùm homo de ratione omnium creaturarum participet, vniuersum in eius exaltatione magis videtur illustratum; tum insensibilia; tum vegetabilia; tum sensibilia, tum etiam rationalia.

35 E capite etiam reparationis tripliciter id probat.

PRIMÒ, quia homo magis eâ indigebat, cùm tota natura esset lapsa; at Angelica solùm ex parte.

SECVNDÒ, quia homo minùs indignus erat, quia per alium tentatus corruerat.

36 TERTIÒ, quia plus ei proderat, cùm non esset in malo obstinatus. Hæ tamen causæ è Diuinæ misericordiæ diuitiis vim obtinent, vt notat S. Bonauentura, quia etiam homo indignus erat, & in malo obstinatus fuisset, si ei omnis gratia deesset, & via resipiscendi esset detruncata.

37 HINC colligit *ad argumenta*, Angelum, tametsi nobilioris naturæ, ob quam videretur magis assumenda eius natura; tamen in ratione proxima obiecti, quæ est reparabilitas, esse minus idoneum, quàm hominem.

ADDE aliam rationem, quam habet S. Doctor *in 3. dist. 13. art. 2 quæst. 1. in corpore*, & *ad 15. Ioan.* ad ea verba: *Ego sum vitis, vos palmites.* nempè, vt homines haberent Caput eiusdem naturæ, seu homogeneum. Quod habet fundamentum in Apostolo *Coloss. 1. Ephes. 4.* & notat etiam Suarez *disp. 3 sect. 3.*

38 ALIAS vide rationes infrà *disp. 3. quæst. 1.* quas huc transferre potes.

QVÆSTIO V.

An conuenientius fuerit, VERBVM *Incarnari in vnica singulari natura, quàm in omnibus simul.*

{ D.Bonau. dist. 2 q. 3.
{ D.Thom. q. 4. art. 5.

ASSERO, conuenientius, esse, Verbum assumpsisse vnicam naturam indiuiduam. 39

PROBATVR à D. Bonau. primò, quia hoc satis erat ad finem Incarnationis; Deus autem, & natura non faciunt per plura, quod æquè benè potest fieri per pauciora. Minor probatur *ex 9. & 10. ad Hebræos.*

SECVNDÒ, quia naturæ humanæ assumptæ à Verbo debebatur eximius honor, vt sit Princeps Humani generis, at hoc tolleretur, si omnes essent assumptæ. Ità etiam D. Thomas. Maior est Apostoli *Philip. 2.*

TERTIÒ, quia tolleretur ratio Mediatoris, quia 40
non esset pro quo mediaret, non enim esset peccatum in natura assumpta.

QVARTÒ, quia sic vel debuisset assumere naturam peccatoris, si res ità se haberent, vt nunc.

QVINTÒ, quia, vel inter eas nulla esset germanitas, vel aliqua. 41
Si nulla, videtur, eas recessuras ab imitatione Diuinarum personarum, inter quas est summa germanitas, vt ait Richardus. Si verò adesset; iam confusio sequeretur, vt eadem persona filij esset Pater, Filius, frater, soror, &c. vnaque persona, plures personæ apparerent.

SEXTÒ, quia decebat, vnum suppositum vni esse 42
naturæ vnitum, vt Vnigenitus Patris, esset etiam Matris vnigenitus; & ità nec recederetur ab vnitate, nec confunderetur personæ proprietas. Ità etiam D.Thomas.

OBIICIES primò. Sicut primus Adam continebat totam generationem humanam; ità debuit etiam secundus.

RESPONDET S.Doctor, secundum Adam con- 43
tinere eam debuisse spiritualiter, & in virtute, non carnaliter cum primo. Id colligitur ex Apostolo passim.

OBIICIES secundò. Bonum est diffusiuum: Ergo summum bonum fuit maximè diffusiuum: Ergo debuit communicari omnibus indiuiduis.

HÆC ratio videtur sequi ex illa D. Thomæ 44
quæst. 1. art. 1. qua probat, Incarnationem fuisse Deo conuenientem, quia de ratione boni est, vt se communicet. Incarnatio autem est summa communicatio: Ergo debuit à Diuina bonitate fieri in omnibus naturis: nam bonum est diffusiuum omnibus.

RESPONDET S.Bonauentura, diffusionem boni ad extra esse Deo liberam, ac dirigi à Diuina Prouidentia, & sapientia, prout conuenit operibus; & quia conuenit communicari intensiuè ad opus amoris, & Incarnationis, & propter alios, suprà allatos, fines, ideò communicata est vni; non decebat autem extensiuè eam diffundi omnibus, ob suprà allatas rationes; quibus adde, quòd eo ipso, quòd vnio hypostatica est maxima, debuit esse singularis; nam insignia dona non omnibus dantur. Ità respondent etiam Suarez *in Comment. D. Thomæ*, Nazarius, *controuers. 1. & 2. ibi*, citans alios.

PRO

45 Pro quo aduerte, Bonum se communicare, vt bonum, mouendo in genere essentiæ finalis, supposita apprehensione, factaque repræsentatione ipsi voluntati, quæ saltem, quò ad specificationem actus, mouetur à bono, ita vt à malo nequeat moueri, & hæc dicitur communicatio intentionalis: est verò bonum communicatiuum sui, etiam diffusione, vel effectiuà, producendo suâ virtute diffusà aliud bonum; vel formali, communicando seipsum; sic enim forma communicat se materiæ, & materia formæ, ex vtriusque indigentia, in quo reperire est imperfectionem. At si communicetur, non ex Indigentia, vel acquirendo aliquam perfectionem, sed ex abundantia Bonitatis, hæc est maxima perfectio. Tali pacto fit communicatio in Diuinis emanationibus.

46 Ex his videbis, quomodo Incarnatio sit summa boni communicatio intensiuè, vt ait S. Bonauent. *ad 3.* Intellige verò de liberali communicatione, quæ sola potest Deo conuenire, respectu creaturæ.

Commvnicatvr itaque ad extra Diuina persona substantialiter, personali communicatione, atque vnione, qua nulla maior potest esse. Nam essentialis communicatio Deitatis; non potest extra Diuinas personas fieri, vt dicam infra *disp. 5. quæst. 1.*

47 Neqve huic comparetur communicatio beatifica, quæ solùm fit in ratione obiecti, non substantialiter perficiendo, vel vnum constituendo; sicuti hæc præstat. Vnde S. Augustinus *lib. de prædest. Sanctorum, cap. 15.* ait, altius non posse attolli humanam naturam.

48 Est etiam summa communicatio in genere causæ efficientis: Hoc enim inter diuinæ omnipotentiæ opera est maximum, in quo omnia mirabilia comprehenduntur. Quod videtur insinuare Apostolus *Ephes. 5.* iuxta lectionem S. Hieronymi ex Græco. *Recapitulare in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.*

Deinde infinitè distantes res vniuntur Incarnatione, scilicèt Deus, & caro, aliæque partes humanitatis, quæ sunt creaturæ, vt probat S. Bonau. *dist. 6. quæst. vltim.* & alibi sæpe.

49 Est etiam summa communicatio bonitatis in ratione finis; hoc enim ostendit vim diuinæ bonitatis, & super omnia allicit ad Dei amorem, vt eleganter disserit S. Bonauentura *locis adductis, quæst. 2.* post D. Augustinum *in Manual, cap. 26.* Aliam rationem addit Seraphicus.

QVÆSTIO VI.

An conuenientius fuerit Incarnari Filium, quàm Patrem, vel Spiritum Sanctum.

D. Bonauent. dist. 1. art. 2. quæst. 3.
D. Tom. quæst. 3 art. 8.

50 De fide est, solum Filium esse incarnatum, vt definitur in quinta Synodo *coll. 8. can. 4. & 15.* Concil. Later. sub Martino I. *consult. 5. can. 4. & 10.*

Assero verò, conuenientius id extitisse.

51 Mvltas congruentias affert S. Bonauentura, sumptas è Patribus; è Damasceno *l. 4. de fide, cap. 4.* Anselmo *l. de Incarn. cap. 4.* & *lib. 2. cur Deus homo, cap. 9.* Bernardo *serm. Dom. 1. aduent.* Augustino *qq. noui, & veteris testamenti, quæst. 113.* Athanasio *l. de Incarn. Verbi, & corporali eius aduentu.* Fulgentio *l. de fide ad Petrum, cap. 2.* quos refert Vasq. *ad art. D. Thomæ,* Valentia *disputat. 1. quæst. 1. puncto 4.* Bouerius *demonstr. 1. aduersus Iudæos, art. 11.*

Probatvr à D. Bonauentura primò, quia veniebat, vt Mediator, quod personæ mediæ videtur congruere.

Secvndo ex fine eodem; quia Incarnatio ordi- 52
nata est, vt homines fierent filij Dei, & hæredes gloriæ, iuxta illud Rom. 8. *Si filij, & hæredes.* ideò congruum erat, vt per eum, qui naturâ est filius, cæteri adoptionem participarent, vt habet Apostolus *ibidem*; Ita etiam D. Thom. *hîc*, cum Sanctis Patribus adductis. Est D. Cypriani *de eleem.*

Tertio, quia veniebat, vt Aduocatus, vt ha- 53
betur 1. *Ioan.* 1. optimus autem Aduocatus apud Patrem est filius dilectissimus. Hæc est ratio D. Anselmi, *lib. Cur Deus homo.*

Qvarto probat *in corpore*, ex parte Incarnatio- 54
nis [illegible] am magis conuenire filio.

Primo, quia est Imago Patris; ideò eum decuit vniri imagini diuinæ, eamque in homine reformare. Quæ est ratio S. Clementis Alex. *orat. hortatoria ad gentes, circa finem.* & Athanasij *lib. de Incarn. Verbi.*

Secvndo, quia est Verbum, ideò debuit vniri sensui, vt Deitas reuelaretur, sicuti verbum internum manifestatur vnitum voci sensibili; hæc autem reuelatio congruè facienda erat homini, vt sic perficeretur in sapientia, quæ est perfectio propria creaturæ rationalis, quæ optimè fit per verbum mentis communicatum, vt ait etiam D. Thomas: Quæ est ratio etiam S. Bonauenturæ *ad 1. sapientia,*
quod probat ex illis verbis, Eccli. 1. *Fons sapientiæ* 55
Verbum Dei in excelsis, quam attigit Clemens Alex. *orat. hortatoria ad Gentes, longè ab initio.* Basil. *homil. de principio Euang. Ioannis.* D. August. 15. *de Trin. cap. 11.* vt refert Valentia *disp. 1. quæst. 1. puncto 4.* Tertiò, quia filius est, ideò illi magis conueniebat, esse filium, etiam secundum carnem. Has ampliat Bouerius *loco citato.*

Idem probat *ibidem* ex ordine Incarnationis ad 56
suum finem; ordinabatur enim, vt redimeretur homo, qui per appetitum scientiæ aberrarat, appetendo falsam Dei similitudinem. Ideò per sapientiam Dei, & similitudinem Patris, debuit in Deum reduci. Et hæc ratio est D. Anselmi *lib. Cur Deus homo*, & D. Bernardi, explicantia illud Ionæ: *Si propter me orta est hæc tempestas.*

Deinde filius est optimus Mediator inter Patrem Regem; & subditum reum.

Tertio, quia debent posteriora reduci ad prin- 57
cipium per id, quod est prius: Iam verò homines reducendi erant ad Dei filiationem, vt habetur *Galat. 4.* ergo per filium, secundùm naturam æternum. Ideò D. Aug. 3. de Trin. adducitur, cap. 3. *Vt homo ex Deo nasceretur; prius ex eo natus est Deus.* Sic per filium secundùm naturam decenter creati sumus filij adoptiui, & ad hæreditatem admissi. Easdem rationes habet 4. *p. Breuil, capite* 2.

In responsione verò *ad primum*, quod vrgebat; 58
magis conuenisse Patri, cui adscribitur creatio, etiam recreationem, ac reformationem; argutè respondens, eruit aliam rationem pro se. Pater enim per Verbum omnia condidit, vt habetur *Ioan. 1.* Cùm enim Verbum in mente artificis sit exemplar artefactorum, per illud artifex rem constituit,

ſtituit, & dirutam reſtituit. Sie igitur decebat, per
Verbum reſtaurari omnia, vt ait Apoſtolus, quæ
primò facta per Verbum, erant diruta. Hæc eſt ra-
tio etiam D. Thomæ.

Obiicies primò. Adoptio filiorum competit
Patri, ſub cuius poteſtate filij aſciſcuntur.

59 Respondet S. Bonauentura, eam faciendam per
filium, cuius eſt hæreditas.

Obiicies ſecundò. Summum hoc donum de-
buit eſſe è Spiritu Sancto, qui eſt Donum dono-
rum, ex D. Auguſt. 12. *de Trin. cap.* 19. Confir-
matur, quia Spiritui Sancto competit miſſio à Pa-
tre, & filio.

60 Respondet S. Doctor, hoc donum maximum
debuiſſe quidem Spiritui ſancto donorum fonti ad-
ſcribi. Cæterum, quia mittenda erat perſona; vt
nos à ſeruitute redimeret, & adoptionem acquire-
ret per gratiam ſanctificantem, & alia dona ſuper-
addita; ideò debuit primò mitti, qui primò eſt
miſſionis capax, filius, ad iugum ſeruitutis amo-
uendum, nobiſque ſuam filiationem participandam,
non naturâ, quia hæc ei propria; ſed adoptione;
mox Pater cum Filio mitteret Spiritum Sanctum, vt
fieret per ſanctificationem gratia, & donorum exe-
61 cutio. Hunc ordinem accinit Apoſtolus *Galat.* 4.
vt notat S. Doctor; atque argumentatur D. Auguſt.
tract. 2. in Ioannem.

QVÆSTIO VII.

An deceret, VERBVM *ex Adamo carnem ſumere.*

D. Thom. quæſt. 4. art. 8.

62 Assero, hoc decuiſſe.
Probatvr à D. Bonauentura *ad 3. Lucæ*
ex Genealogia Chriſti, quæ reducitur in Adam,
qui eſt creatus imago Dei. Sic enim decuit, Imagi-
nem adæquatam Patris incarnari, aſſumendo natu-
ram humanam, quæ eſt imago Dei, & in Adam
fuerat deturpata; vt transformaremur in Diuinam
imaginem, quæ eſt ratio Sanctorum, Clementis
Alex. *orat. hort. ad gentes, ſub fine.* Baſilij *lib. 5. con-
tra Eunomium, circa medium,* Athanaſij *lib. de In-
carn. Verbi, eiuſque corporali aduentu,* vbi habet præ-
63 clara hæc verba: *Vt enim forma aliqua in tabula de-
picta, ſordibuſque aliunde ſuperinductis obliterata,
inſtaurari nequit, niſi eius præſentia adhibeatur, ad
cuius ſpeciem primitus tabula depicta fuit, & eodem
modo ille vndequaque bonus Patris filius, Imago, &
character Patris, ad noſtras regiones profectus eſt, vt
hominem ad ſui ſimilitudinem factum, denuò reficeret.*
Hæc eſt ratio D. Bonauent. *in 3. diſt. 1. art. 2. quæſt.*
64 *3. in corpore.* Non vult imaginem Dei eſſe omninò
deletam, ſed notis deletis redditam obſcuram, & in-
cognitam; id ſignat obliterare imaginem, quæ litte-
ris exprimitur *v. g.* TITVS.

65 Probatvr ſecundò à S. Doctore *diſt. 3. art. 2.
quæſt. 1. fund. 1.* è D. Auguſt. 10. *de Geneſ. ad lit.
cap.* 20. Decuit inde ſumi remedium ſanguinis, vn-
de ſumptum eſt toxicum præuaricationis, ſicut è
Vipera trahitur Theriaca; & de eo, qui fuerat vi-
ctus, arma reſumi ad vincendum. Hac ratione vtitur
etiam D. Thomas.

QVÆSTIO VIII.

An fuerit conuenientius, Humanum Genus per ſatisfactionem iuſtam redimi, quàm alia ratione.

D. Bonauent. diſt. 20. quæſt. 1.

Assero, hunc redemptionis modum fuiſſe 66
magis conuenientem.

Probatvr à D. Bonauentura primò. Conue-
nientius fuit ſeruari in redemptione ordinem iuſti-
tiæ; ſed in ſatisfactione hic ordo ſeruatus eſt: ergo.
Maior probata eſt à S. Doctore *quæſt. præced. ad* 4.
quia cùm vniuerſæ viæ Domini ſint Iuſtitia, & ve-
ritas, decens fuit, vt in hoc etiam ſummo eluceret
opere, ex quo Diuina Maieſtas erat grauiſſimè of-
fenſa ab homine; & ita ab ea natura exhiberetur ſa-
tisfactio, à qua manarat offenſa; in quo Iuſtitia elu-
xit: miſericordia verò, dum vindictam in filio exi-
gens, reos dimiſit. Ita S. Doctor *in corpore.*

Secvndo. Ordinatio culpæ ad pœnam, ſeu 67
peccantium ad ſupplicium manifeſtat decorem Di-
uinæ ſapientiæ, quæ non patitur, Vniuerſum ali-
qua ex ſui parte deturpari; ſed cùm ex ſatisfactione
releuatur peccator, ſequitur pœna: ergo magis de-
cet ſapientiam.

Tertio probatur, quia in puniendo reos ſerua- 68
tur dignitas Diuinæ maieſtatis, ac præſidentiæ, quæ
non adeò appareret, ſi peccatum non eſſet puni-
tum.

Qvarto probatur, quia decens eſt, vt ſicut 69
ſumma Maieſtas à viliſſimo verme eſt contempta;
ita per ſatisfactionem debitus ei honor reſtituatur.

Probatvr à D. Bonauentura *in corpore* ex D. 70
Auguſt. 13. de Trin. cap. 10. *oſtendamus ſananda
noſtra miſeria conuenientiorem alium modum non fuiſſe,
nec eſſe oportuiſſe.*

Secvndo ex D. Anſelmo *lib. Cur Deus homo,*
quem retuli *quæſt. præcedenti:* hic enim ex profeſſo
D. Anſelmus diſputat de hac re, & neceſſarium ſta-
tuit, non quidem ad liberandum hominem, ſed ad
redimendum iuſto pretio, vt exponit Gabriel *in 3.
diſt. 20. quæſt. vnic.* poſt D. Bonauent. *in 3. diſt. 29.
quæſt. 1. & 6.* vt dicam *diſp. 3. quæſt. 2.*

Tertio addit, glorioſius eſſe gloriam acquire- 71
re ex merito, quàm abſque merito; & ideò etiam
glorioſius erat, culparum remiſſionem è ſatisfactione
exhibita fieri, quam gratis abſque ſolutione pretij.

Obiicies primò. Videtur contra Iuſtitiam exi-
gere ſatisfactionem ab Innocente, & tradere illum
in mortem pro reis.

Respondet Suarez *diſp. 4. ſec. 2.* è D. Bonau. 72
ad 4. & in *diſt. 20. q. 5.* Non iniuſtitiæ, ſed amoris,
& miſericordiæ fuiſſe poſtulare à Deo homine, Dei
filio, ſatisfactionem ſpontaneam, ſuſcepto ſuper hu-
meros principatu, iuxta dictum Iſaiæ, cum onere
ſoluendi noſtrum debitum, quod ita factum eſſe in
hoc dulciſſimo myſterio oſtenditur, Hebr. 10. Pſal.
39. *Aures autem perfeciſti mihi,* ſeu: *Corpus autem
aptaſti mihi.*

Postqvam verò Chriſtus fideiuſſor factus eſt, 73
debuit ſatisfacere ex iuſtitia ad æqualitatem. Ideò
benè Chriſto aptatur illud Eccleſ. 29. *Gratiam fi-
deiuſſoris ne obliuiſcaris: dedit enim pro te animam
ſuam.*

Obiicies secundò. Si absque satisfactione condonasset nobis, fuisset exemplum gratis condonandi proximo, & non ob ostensam exigendi satisfactionem.

74 Respondet S. Bonau. non esse necesse, vt nobis Deus sit ad omnia exemplar, præcipuè in his, quæ ad iustitiam spectant, quia *Vindictam mihi, & ego retribuam*, vt dicitur *Rom.* 12. Ad nos autem, quorum non est iudicare, condonare spectat.

75 Deinde exemplar fuit Principibus ministrandi iustitiam, vt dicitur sap. 1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*; & simul nos docuit misericordiam, dum nobis condonauit, satisfactione à filio suo dilectissimo exacta, vt nos gratis saluaremur.

76 Obiicies tertiò. Si hoc medium fuit optimum, vt ait D. Augustinus *loco cit.* ergo necessariò fuit eligendum; Deus enim semper operatur, quod melius est, vt ait S. Clemens Alex. 6. *Strom.* S. Augustinus *lib. 3. de libero arb.* cap. 5. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, hoc scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem.*

77 Respondet Suarez *loco cit.* è D. Bonauent. *dist. 20. quæst. 6. ad 3.* Deum non semper eligere, quod melius est simpliciter, & nobis conuenientius, alias nil posset facere melius, imò nil præter id, quod fecit, quod est Vuiclephi error.

Agit igitur omnia ordinatè, prudenter, absque malitia, quod intendebat *loco citato* S. Augustinus, agebat enim contra Manichæos, qui Deum quendam fingebant malorum authorem.

78 Ideo licèt iste modus Redemptionis fuerit conuenientior, non tamen necessarius fuit, vt dicam *disp. 3. quæstione* 2.

QVÆSTIO IX.

An Incarnatio *conuenienti tempore facta sit.*

D. Bonauent. dist. 1. quæst. vltim.
D. Thom. quæst. 1. art. 6.

79 Prælibandum est tempus, quo facta est Incarnatio, vt inde eius conuenientiam auspicemur. In hac verò computatione annorum circumfertur vulgatum istud prouerbium: *Quot capita, tot sententiæ.* Omnes conueniunt, in sexta mundi ætate id Mysterium peractum; Sed in his calculandis varij admodum reperiuntur.

80 Primo quidem ætates sic communitèr diuiduntur è D. August. 22. *de ciuit. cap. vltim. & primo de Genes. contra Manichæos, cap. 33.*

Prima ætas durauit ab Adam vsque ad diluuium.

Secunda erat à diluuio vsque ad Abraham.

Tertia vsque ad Dauid.

Quarta vsque ad captiuitatem Babylonicam.

81 Quinta vsque ad Christum.

Sexta à Christo vsque ad finem mundi.

Alii tamen, vt Martyrologia cum D. Bonauent. *in 3. dist. 1. in littera.* Primam ab Adam statuunt vsque ad diluuium. Secundam vsque ad Abraham. Tertiam vsque ad Moysen. Quartam vsque ad Dauid. Quintam vsque ad Christum. Parum tamen refert; sed difficultas est in annorum computatione.

82 Ecclesia autem Orientalis, & Occidentalis in supputatione annorum sequitur LXX. Interpretes ex Eusebij Chronico. Ita D. August. *lib. 15. de ciu. Dei, cap. 12. & cap. 13.* S. Hieronym. *de Hebr. qq. in Genes.* & Iulianus Archiepiscopus Toletanus docent, morem antiquum Ecclesiæ esse, sequi LXX. Interpretes. Idem asserunt Concilia, quæ in actis Synodicis Oecumenicis computationem annorum, iuxta LXX. ponunt. Ita sexta Synod. *can. 5.* apud Theodorum Balsamonem *pag.* 198. & PP. Græci, & Latini antiqui, quos refert Baronius in Martyrologio *ad 25. Decembris.*

Iuxta hanc igitur supputationem, Natiuitas Domini nostri Iesv Christi contigit anno à creatione mundi 5199. A diluuio anno 2957. A natiuitate Abrahæ anno 2015. Ab egressu populi de Ægypto 1510. Ab vnctione Dauid in Regem, 1032. In hebdomada Danielis sexagesimaquinta, Olympiade 194. Ab vrbe condita, 752. Anno Imperij Octauiani Augusti quadragesimosecundo. 83

Hæc videtur sententia D. Bonauent. *qui in 3. dist. 1. quæst. vltim. ad 3. & 4. p. Breuil. cap. 4. & in cap. 1. Luca*, tempus Incarnationis in sexta ætate constituens, addit in postremo loco: Ideò & Christus venit in sexta ætate, & sexto numero annorum, vt videatur in sexto millenario natus, iuxta Ecclesiæ computationem. 84

Multi tamen secuti Hebraicam lectionem, in 4000. annis, paucis additis, hoc constituunt. Sic Gabriel Buccellinus in Nucleo historiarum ponit annos 4053; alij 4200. alij 4100. alij 4000. quibus aliqui addunt 20. alij 30. alij totidem demunt, vt refert Suar. *disp. 6. sect.* 1. Hi diuersis admodum fundamentis sex mundi ætates calcularunt; ex quibus eligam probabiliorem computationem. 85

Prima ætas constat 1656. annis, & durauit vsque ad diluuium, vt habetur *Genes. 5. & 7.* 86

Secunda ætas à diluuio ad Abraham fuit 322. annorum, additis triginta annis Caianan, antequam filios gigneret, qui debent poni, quia omissi sunt à Vulgata, & Hebraica editione.

Tertiam ætatem ab Abraham vsque ad Dauid fuisse 941. annorum, ait Suarez; nam ab ortu Abrahæ vsque ad primam promissionem illi factam fluxerunt 75. anni, *Genes.* 12. ab illa autem promissione vsque ad finem captiuitatis populi in Ægypto, seu vsque ad legem datam, quod idem est (nam post tres menses egressionis data est Lex) fluxerunt 430. anni. Inde enim ait, communiter sumi initium illorum 130. annorum, quibus demoratum est semen Abraham in Ægypto, vt dicitur *Exod.* 12. A Lege autem data vsque ad Regnum Dauid fuerunt 436. anni, vt habetur *3. Reg. cap. 6.* vbi à lege datâ, vsque ad initium templi Salomonis numerantur 480. anni; cœpit autem Salomon ædificare anno quarto Regni sui, vt *ibid.* dicitur. Dauid autem quadraginta annis regnauit, vt ibidem astruitur *3. Reg. 2.* demptis ergo his quadragintaquatuor annis, ab illo numero 480. annorum, supersunt dicti 436. qui additi supra quinque, & 500. efficiunt 941. quibus hanc tertiam ætatem durasse diximus. Hæc est communior opinio. 87

Contra hanc tamen supputationem, opponitur primò id Genes. 15. *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* 88

Respondet Lyranus ad eum locum è D. Aug. *lib. 16. de ciuit. cap. 22.* illos quadringentos annos poni in fine, vt complectantur peregrinationem simul, & seruitutem; non autem solam seruitutem. 89

Opponunt

90 Opponvnt secundò, quia *Exodi* 12. *verſ.*40.
dicitur: *Habitatio autem filiorum Iſraël, quæ manſe-
runt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta an-
norum.*

Respondetvr, Habitationem denominari ab
Ægypto, quia ibi maiori ex parte demorati ſunt,
ſed complecti etiam peregrinationem in terra Cha-
naan. Ideò LXX. ſic legunt: *Habitatio autem fi-
liorum Iſraël, quam habitauerunt in terra Ægypti,*
91 *& in terra Chanaan anni* 430. Igitur à deſcenſu Ia-
cob in Ægyptum fuit 215. annorum; mirum ta-
men eſt ad tantum excreuiſſe, vt 600000. arma-
torum abſque paruulis, & mulieribus exierint ex
Ægypto. Sed ne miteris (ait D. Auguſt.) conſide-
ra fœcunditatem illorum hominum, qui diu viue-
bant, & omnes generationi vacabant, & plures
vxores ſumebant. Non potuiſſe autem 400. annos
tranſire ab ingreſſu Iacob in Ægyptum, vſque ad
egreſſum Moyſis probatur. Nam Caath deſcendit in
Ægyptum cum Leui Patre, & Iacob auo, vt habe-
92 tur *Geneſ.*46. Caath verò vixit 133. annis, & Amram
filius eius 137. vt habetur *Exod.* 6. Moyſes verò,
filius Amram, erat 80. annorum, quando egreſſus
eſt de Ægypto, vt habetur *Exodi* 7. qui anni om-
nes ſunt totum 350. Iam verò ab his ſubtrahere de-
bes annos Caath, quando deſcendit in Ægyptum,
& annos, quos vixit, antequam genuit Amram, &
annos, quibus vixit Amram, antequam genuit Moy-
ſem, qui ſaltem omnes erant quinquaginta, & ita
93 erunt 300. anni incolatus in Ægypto. Præterea
Mater Moyſis fuit filia Leui, quæ nata eſt illi in
Ægypto, vt dicitur *Numer.* 26. Quare, ſi populus
fuiſſet in Ægypto 400. annis, oporteret, matrem
Moyſis habuiſſe 320. annos, quando eum peperit,
nam ipſe anno 80. egreſſus eſt de Ægypto.

Mihi quidem alius etiam modus facilior occur-
94 rit reſpondendi, quadringentos annos computari
incolatus Ægypti, quia Abraham, in cuius lum-
bis erant Iacob, & filij eius, deſcendit in Ægyp-
tum, ſeptuagintaquinque annos habens, vt dicitur
Geneſ. 12. quo tempore à Catholicis incipiunt nu-
merari 430. anni, aliquot verò ibi annos commora-
tus eſt, docendo eos Aſtrorum ſcientiam, vt notat
Lyra ibi, & creauerunt illi greges, & armenta, vt
colligitur ibi. Præterea flagella illata à Deo Pha-
95 raoni fuêre in ſterilitate, quæ per aliquot annos de-
buit diſci experimento. Cùm igitur in Ægypto in-
cepetint illi anni, & in finibus creuerint, & rurſus
in Ægypto magna ex parte ſint impleti, non incon-
gruè dicontur anni Ægyptij incolatus.

96 Ex his etiam habes 400. annos, de quibus *Ge-
neſ.*15. & *Actorum* 7. computari à natiuitate Iſaac,
qui natus eſt, ætate 100. annorum Abrahæ Patris
ſui, vt dicitur *Geneſ.*21. deberent autem omnes eſſe
405. Sed more Scripturæ ponitur ſolus numerus
perfectus. Ego quidem, vt nulli omittantur anni,
dicerem 400. annos incipere ab anno 105. Abra-
hæ, vbi aduerto, Abrahamum dedicaſſe Deo vero
97 filium, ad ætatem diſcretionis deductum. Quod adeò
gratum Deus ſibi acclamauit, *Geneſ.*18. vt propte-
rea nil à ſe ei denegandum iutauerit: *Num celare
potero Abraham, quæ geſturus ſum: Cùm futurus ſit
in gentem magnam, & robuſtiſſimam, & benedicenda
in illo ſint omnes nationes terræ? Scio enim, quòd præ-
cepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſto-
diant vias Domini, vt adducat Dominus propter
Abraham omnia, quæ locutus eſt ad eum.*

98 Qvare non abſurdè exiſtimarem, ex illa conſe-
cratione filij, ex qua tot bona erant ei euentura, in-
cepiſſe quadringentos annos.

Confirmatvr; nam tunc ablactatus eſt 99
Iſaac, eoque anno Abraham ſolemnitatem celebra-
uit, quam in natiuitate ſuppreſſerat. Quod habe-
tur *Geneſ.*21. *verſ.*8. Probabile autem eſt, longio-
rem fuiſſe ætatem lactationis, ſicut etiam cæteræ
ætates erant prolixiores, & ideò, licèt poſtea trien-
nium fuerit lactantibus præfixum, vt colligit Lip-
pomanus è 2. *Machab. cap.*7. tamen tempore Abra-
hæ fuiſſe quinque annorum, vt ritè aſſerit Pererius
ad eum locum. Et ex Hebræis refert D. Hierony-
mus *in Traditionib. Hebraicis in Geneſim.* Diem au-
tem ablactationis Iſaac, eſſe inſigniorem die natiui-
tatis, obſeruat D. Aug. *quæſt.*50. *in Geneſim.*

Marito quæritur, cur Abraham nec die, quo 100
natus eſt ei filius, nec die, quo Circumciſus eſt,
ſed die, quo ablactatus eſt, epulum fecerit; Quod
niſi ad aliquam ſpiritualem ſignificationem refera-
tur, nulla ſolutio quæſtionis eſt. Tum ſcilicet eſſe 101
debuit magnum gaudium ſpirituale ætatis, quando
fuerit factus homo nouus ſpiritualis, id eſt non ta-
lis, qualibus dixit Apoſtolus: *Lac vobis potum de-
di, non eſcam.* Similia habet Ambroſius *lib.* 1. *de
Abraham, cap.*7. præclarè verò Rupertus *lib.* 6. *in
Geneſ. cap.* 19. vbi Sanctiſſimæ Euchariſtiæ vm-
bram aſſerit fuiſſe conuiuium illud Abraham in fi-
lij ablactatione: Ipſum vide.

Qvamvis igitur in Circumciſione Abrahamus, 102
filium Deo ſacraſſet neſcientem, tamen in quinto
anno puer docilis, & præcox ingenio, facilè creditur
ſui ipſius actibus Deo donatus, quo tempore etiam
natalitia celebrabantur pueri, iam ſolido cibo vten-
tis, iam ex ſe pedetentim abeuntis, expeditéque
loquentis, ac rationis crepuſculo radiati. Hunc ve- 103
rò fuiſſe morem illarum gentium, ait Caietanus, &
Pererius. Quæ cùm ita ſint, rectè ab hoc anno ex-
ordiar quadringentos annos numerare: nam à ſep-
tuageſimo quinto anno Abrahæ tranſierant triginta
anni, & ita omnes ad vnguem à Scriptura recenſen-
tur: Et qui à natiuitate Iſaac incipiunt, vt reor, de-
bent de ſolemniſſima ablactationis feſtiuitate, quæ
natiuitati fiebat, intelligi.

Igitvr quadringenti triginta anni ab ingreſſu 104
Abrahæ in Ægyptum ſumuntur, de quibus *Exod.*
12. & *Galat.*3. at quadringenti, de quibus dicitur
Geneſ. 12. & *Galat.*3. ab Iſaac ablactatione exor-
diuntur.

Qvarta ætas, quæ eſt regni Iudæorum, duran- 105
tis à Dauid, vſque ad captiuitatem Babylonicam,
ſumitur faciliùs è *lib.*3. *Reg.*2. 11. 22. *& ſequenti-
bus*, & *lib.* 4. *cap* 8. *& ſequentibus*, addendo non-
nulla è 2. *Paral.* 12. *&* 22. è quibus locis ſimpli-
citer omnia computando, prout in vulgata haben-
tur, 470. anni colliguntur.

Compvtatvr autem ab vnctione Dauid ad
vndecimum Regni Sedechiæ, in quo euulſum eſt
regnum, & Hieruſalem deſolata per annos ſeptua-
ginta iacuit, vt habetur *Hierem.cap.*25. 29. 52. *&
Danielis* 9.

Adverte autem primò, hiſtoriam regnorum 106
fuiſſe continuam, & vbi Reges defuerunt, nota-
ri tempus, vt factum eſt tempore Athaliæ, vt patet
4. *Reg.* 11.

Deinde aduerte annos integros numerari re-
gum Iudæorum, maximè à Dauid; aliorum verò
regna ſolùm referri pro tempore ſpectante ad Sa-
cram hiſtoriam, vt videre eſt in Regnis Darij, Cy-
ri, &c. Anni verò Saul ex myſterio dicuntur duo,
ſiue quia illis ſolis fuit bonus (vt aliqui aiunt) vn- 107
de & maiori metaphorâ dictus eſt etiam in regno,
filius vnius anni; vel quia ſolos duos annos poſt
Samuelem

Samuelem regnauit. Omninò autem quadraginta
annis, vt habetur *Act.* 13. qui explicuit locum Re-
gum, vnde hinc historia non læditur.

108 ALIQVID est difficultatis circa regnum Ioram,
qui dicitur regnasse octo annis, & cœpisse regnare
trigesimo secundo ætatis 4. *Reg.* 11. Ex quo fit, cum
mortuum quadragesimo anno ætatis, quod est abso-
num: nam Ochozias eius filius, qui ei immediatè
successit, cœpit regnare quadragesimo secundo æta-
tis, vt dicitur 2. *Paral.* 22. ergo esset natus duobus
annis ante patrem suum, si Ioram octo annis tan-
tùm regnasset.

109 NON probatur expositio Lyrani, & Glossæ, so-
los octo annos poni, quia in reliquis pessimè re-
xit; sic enim multi aliorum Regum essent detrun-
candi, vt Achaz, Manasse, Amon, &c.

110 RESPONDETVR ergo, Ioram cœpisse regnare
trigesimo secundo anno ætatis, & viginti octo reg-
nasse, viginti verò cum Patre suo Iosaphat: nam
4. *Reg.* 8. dicitur, cœpisse regnare quinto anno
Regni Iosaphat: & tamen 3. *Reg. vltim.* dicitur,
regnasse Iosaphat vigintiquinque annos: regnauit
ergo viginti, simul cum Iosaphat, post illum ve-
rò octo, qui soli numerantur, quia illi soli ad
computationem Chronici spectabant. Vnde fit, Io-
ram mortuum sexagenarium. Oportet autem, Ocho-
ziam cœpisse regnare cum Patre vigesimo secundo
anno ætatis, vt dicitur 4. *Reg.* & cum eo regnasse
viginti annis; post mortem verò Patris tantùm reg-
nasse anno vno, cùm iam esset quadringintaduo an-
norum, & ita solus vnus annus pertinet ad Chrono-
logiam; & ideo solus numeratur.

111 SOLERTER etiam aduerte, in hac Regum, &
omni alia ætatum hominum computatione, nume-
rari annos, qui sæpe non sunt integri, & medio an-
no moriente vno, alter successit. Vnde periculum
ingruit, ne idem annus bis numeretur. Enim ve-
ro mos est Scripturæ, annum inchoatum omittere,
& ponere perfectum, vt docent Epiphanius *in An-
chorato*, Augustinus *quæst.* 47. *in Exod.* sic Dauid
3. *Reg.* 2. dicitur regnasse quadraginta annis, & ta-
112 men 2. *Reg.* 5. videtur haberi, regnasse quadragin-
ta annos, & sex menses. Sic Athalia dicitur reg-
nasse sex annis, 4. *Reg.* 11. & 2. *Paral.* 22. & ta-
men *ibidem* habetur indicatum, regnasse insuper
etiam aliquot menses; nam in septimo anno vnctus
est Ioas. Hinc vero sequi videtur, si alia medietas
etiam in alio succedente omittatur, multos annos
omitti; At reor, Spiritum Sanctum semper in alte-
rutro numerasse, maximè vbi est maior pars anni,
quod videtur indicari in Chronologia; nam statim
post Regem defunctum, recensetur Rex nouus, &
ætas illius, & incipiunt anni statim computari, vbi
alterius annus desinit.

113 QVINTA ætas non est adeò difficilis, vt mina-
tur Suarez, si nostram computationem septuaginta
hebdomadarum sequamur Danielis, & septuaginta
annorum captiuitatis.

CVM igitur primus annus captiuitatis fuerit vn-
decimo anno Sedechiæ, & durauerit septuaginta
annis; & in quarto Sedechiæ inceperint septua-
ginta hebdomadæ Danielis, vt arguimus *quæstione*
1. Si sequamur Chronologica Hebræorum, erunt
detrahendi è septuaginta annis, septem anni, & ita
erunt sexaginta tres anni captiuitatis, sumptis in-
tegris septuaginta hebdomadibus, vel dempta vna
hebdomada septuaginta captiuitatis. Ideò erunt
553. anni.

114 ALII sic computant: Ab vndecimo anno Sede-
chiæ incepit captiuitas desolationis, quæ habetur
Hieremiæ locis adductis, & *Dan.* 9. Hi fuere 70.
anni, vt ibidem habetur, qui finem habuere initio
Imperij Cyri, vt dicitur in Esdræ primo. *In anno
primo Cyri Regis Persarum, vt compleretur verbum
Domini ex ore Hieremiæ, suscitauit Dominus spiri-
tum Cyri*, ab eo autem tempore incipiunt, secun-
dùm multos, hebdomadæ Danielis, & ita erunt
560. anni illius ætatis. Vel si per Olympiades sint
numerandi, sic computantur: Cyrus cœpit regna- 115
re initio Olympiadis quinquagesimæ quintæ. Ortus
autem Christi contigit Olympiade 194. in medio,
seu anno tertio, aut quarto. Itaque erunt 762. an-
ni, cum annis captiuitatis, si fuerint computatæ
illæ 139. Olympiades, quæ remanent, posita In-
carnatione in anno tertio Olympiadis. Itaque posi-
ta prima ætate annorum 1656. Secunda 322. Ter-
tia 941. Quarta 470. Quinta 762. erunt anni
4151.

DICITVR autem hæc plenitudo temporis, pri- 116
mò, quia Deus impleuit, quod præfinierat, vt ait
Glossa ad 3. Galat. *Vbi venit plenitudo temporis.*

SECVNDO, quia impleta sunt promissa, vt ait
Glossa ad id Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.*

TERTIO, quia impletæ sunt figuræ, Matth. 5.
Non veni soluere, sed adimplere.

QVARTO ob plenitudinem gratiæ, quæ in Chri-
sto habitat, *Coloss.* 2.

QVINTO ob plenitudinem generationis, quia 117
est quadruplex modus generationis. Primus de ter-
ra, vt Adæ. Secundus de solo viro, qui est Euæ.
Tertius de viro, & muliere, vt Abel. Quartus de
sola muliere, & hic est Christus.

SEXTA ratio est, quia est sexta ætas complens
ætates, sicuti die septima hebdomadæ completus est
orbis. Hæc S. Bonauent. 3. *dist.* 1. *dub.* 5.

QVÆRES, quo mense fuerit facta Incarnatio.

MATTHÆVS Beroaldus *lib.* 4. *suæ Chronologiæ,* 118
cap. 2. ait, Christum natum fuisse mense Septem-
bri, vnde Incarnatio fuisset mense Decembri.

SED est temeraria sententia, contra vniuersalem
Ecclesiæ Latinæ traditionem, quæ habet, Christum
natum esse vigesima quinta die Decembris, & ideò
Incarnationem factam esse vigesimaquinta Martij.
Ita D. August. *lib.* 4. *de Trin. cap.* 5. & *serm.* 18. *de
Natiuitate*, Clemens Alex. *lib.* 1. *strom.* Nicepho- 119
rus *lib.* 1. *hist. cap.* 12. Chrysostomus *homil.* 1. *in
Lucam*; & sequenti, qui aduertit, in singulis an-
ni temporibus occurrere Conceptionem, vel Nati-
uitatem Christi, vel Ioannis Baptistæ. Sic primis
mensibus Veris, & Hyemis occurrit Incarnatio, &
Natiuitas Christi. Primis autem mensibus Autum-
ni, & Æstatis, Conceptio, & Natiuitas Ioannis.
Sic etiam D. Bonauentura *locis citatis*, & elegantes
reddit rationes.

ASSERO, conuenienti tempore factam esse In-
carnationem.

PROBATVR à D. Bonauentura *hic* primò. Omnia 120
opera directa à Diuina sapientia, tempus habent, vt
habetur *Eccle.* 8. *Ecclesiastici* 39. Sed beneficio ple-
nissimo, complemento perfectissimæ creaturæ mun-
di, in ordine ad beatitudinem conuenit, vt pleni-
tudine temporum conferatur, vt accinit Apostolus
Galat. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus
filium suum*, quod arguit Diuinâ sapientiâ id esse
directum, ac proinde opportunè etiam factum con-
uincit. Hoc est argumentum S. August. Tract. 31. 121
in Ioan. *Multi dicunt: Quare non anteà venit Chri-
stus? Quibus respondendum est, quia nondum vene-*

rat

rat plenitudo temporum, moderante illo, per quem facta sunt tempora. Sic igitur venit, quando expedire vidit.

122 Secundò, quia in omnibus operibus Dei, seruatur ordo naturæ conueniens, sed sapientia æterna per Incarnationem veniebat mundum edocere sapientiam, vt habetur prima Cor. 1. *Factus est nobis sapientia*, & Ioan. 1. *Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, & cap. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.*

123 At ordo proportionatus discendi est, vt paulatim edoceamur, vt in ætate perfecta, sapientia obtineatur, quæ videtur vigère in canis, vt ait Aristoteles, & in antiquis multa viget prudentia, vt habetur *Iob* 12. ergo oportebat, mundum præerudiri adolescentem in aliis necessariis ad apprehendendam sapientiam, & in ætate prouecta præmissis iam pædagogis ad minuta quæque, & præuia docenda; postea sapientiam Diuinam venire ad altissima edocenda, quæ primis ætatibus non percepissent. Hæc est ratio D. August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 43.
124 vbi ait: *Et quicunque ad certam sapientiam peruenerunt, non nisi eadem veritate suarum sigillatim ætatum opportunitate illustrati sunt: A qua veritate, vt populus sapiens fieret ipsius generis humani, opportuna ætate homo susceptus est.* Igitur conueniens fuit, sapientiam Diuinam missione perfecta dari in plenitudine ætatum mundi.

125 Tertiò, opera illa, quæ maiorem connexionem habent in ordine ad finem, debent etiam esse viciniora; sed Incarnatio, & Redemptio habent maiorem connexionem cum beatitudine, & glorificatione, quæ est in fine, quàm cum creatione, quæ est in principio: ergo. Minor probatur: Nam Incarnatio est medium supernaturale ad eum finem supernaturalem necessarium; at Creatio est ordinis naturalis, ad finem naturalem præcisè ordinata.

126 Quartò. Beneficium, vt bonum sit, debet conferri, ita vt iuuet; at beneficium Incarnationis, vt iuuaret, debuit post multa tempora elapsa conferri: Ergo. Probatur minor, quia vt iuuaret, debuit acceptari, ac proinde recognosci, vt autem recognosceretur, debuerunt præcedere instructiones fidei, prophetiarum, & mysteriorum, vt beneficij immensitas cognosceretur, & æstimaretur: Ergo. Est argumentum S. August. *tract.* 31. *in Ioannem* suprà *citato*, vbi subdit: *Sciebat enim quando venire deberet. Primò per multam seriem temporum, & annorum prædicendus fuit; non enim aliquid paruum venturum fuit: Diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quantò maior iudex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat.*

127 Quintò ad ostensionem iustitiæ, vt ait Apostolus, vt videntes Deum tot temporibus iratum, peccati grauitatem elicerent, quæ est ratio Apostoli infra citandi, debuere igitur disponi homines, vt magnitudinem beneficij cognoscerent, dum se à peccato exules videntes punitos à Deo, pro redemptione suspirarent, & magnum è peccato damnum intuentes detestarentur, dum tot sæculis mundus sub peccato conclusus, & sub incredulitate, vt dicitur *Galat.* 3. *Rom.* 11. humilius Deum Redemptorem agnoscerent, & delato beneficio aucta necessitate magis Saluatorem inclamarent.

128 Hæc est ratio etiam D. Thomæ *hic*, & PP. Irenæi *lib.* 4. *contra hæres. cap.* 75. Theodoreti *lib.* 6. *de curationibus Græcorum* ad finem. Chrysostomi *homil.* 4. *ad Coloss.* & *homil.* 9. *ad populum*, Leonis Papæ *serm.* 3. *de Natiu. c.* 4. Gregor. Nyss. *orat. de Natali Domini*, Bern. *serm.* 1. *de Aduentu*, Ambrosij, & expositorum
epistolæ *ad Galatas*, & Theophilacti 9. *ad Hebræos*, 129
vbi è Gregorio Nyssen. hæc refert: *Quomodo infiniti medici intus adhuc febri corpus suppurgante, cum per morbum facientes causas adhuc ascenditur, nullum adhibent ægroto è cibis auxilium, expectantes tantisper dum malum hoc ad summum increuerit, sic & nobiscum actum est; expectauerat animarum medicus, donec vniuersa ægritudo panderetur.*

Itaque propter morbum melius curandum, di- 130
lata est Incarnatio; morbus enim spiritualis non curatur, nisi agnoscatur ab infirmo, qui gratus accipiat beneficium, ne ingrati animi notam incurrens, eo dono, & aliis priuetur. Debuit ergo homo agnoscere suam infirmitatem, ignorantiam, impotentiam, culpam, vt ritè curaretur. Hoc verò per multa tempora debuit experimento edisci, & lege inditâ, & scripta, & prophetarum, ac figurarum eruditionibus præueniri.

Io significat Apostolus Gal. 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo*, & c. 4. *Cùm essemus paruuli sub elementis mũdi huius eramus seruientes.* Vide expositores.

Sexta ratio est. Quantò enim beneficium ali- 131
quod differtur, tantò magis agnoscitur, desideratur, ac pretiosius æstimatur.

Hanc assertionem eleganter roborat S. Bonauentura 4. *p. Breuil. cap.* 4.

Primo, quia remedium, & beneficium collatum debet dari secundùm capacitatem recipientis, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: At recipiens est homo liberi arbitrij: ergo
secundùm capacitatem eius debuit dari. Sic autem 132
debuit offerri, vt liberè reciperetur; vt verò reciperetur liberè, debuit præmoneri, prædoceri, erudiri, atque beneficium agnoscere; nullus enim quærit medicum, nisi ægritudinem recognoscat; nullus quærit Doctorem, nisi se agnoscat ignorantem; nullus quærit adiutorem, nisi se cognoscat impotentem.

Quia igitur homo initio sui lapsus adhuc su- 133
perbiebat de scientia, & virtute, ideò præmisit Deus tempus legis naturæ, in quo conuinceretur de ignorantia. Et postea cognita ignorantia, & permanente superbia de virtute, qua dicebant: *Non deest, qui faciat; sed deest, qui iubeat*; Addidit legem præceptis moralibus erudientem, & cæremonialibus aggrauantem, vt habita scientia, & cognita impotentia, confugeret homo ad Diuinam misericordiam, & gratiam postulandam, quæ data
est nobis in aduentu Christi, ideò post legem natu- 134
ræ, & scripturæ, subsequi debuit Incarnatio Verbi.

Secundo, quia sublimitas remedij requirit, 135
vt credatur fide firmissima, & ametur charitate ardentissima, tanquam mysterium secretissimum, & saluberrimum; ideò congruum fuit, vt Aduentum Christi præirent testimonia prophetarum, tam explicita in verbis, quàm implicita in figuris, vt multis, & firmis testimoniis, quod erat secretum, fieret certum, & indubitabile. Præirent etiam ardentissima desideria, vt beneficium promissum expectaretur, expectatum differretur, dilatum ampliùs desideraretur, & diù desideratum, feruentiùs amaretur, & amatum gratiosiùs susciperetur, & susceptum sollicitiùs seruaretur. Quare clamabant: *Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam*, vt exponit D. August. & Cassiodorus ibi, cum Ambrosio, ac Hieronymo *epist.* 151. *quæst.* 2. & 7.

Tertio

136 Tertiò ex parte vniuersi, quod requirit, vt omnia sint ordinata.

Cum igitur opus Incarnationis sit perfectissimum, quo natura humana, quæ est finis mundi, summè perfecta est, conuenienter post alia opera factum est. Nam ordo congruus est, vt ab imperfectis, ad perfecta opera prodeat artifex, & ita ab ordine creationis, ad ordinem gratiæ, & ex hoc ad ordinem vnionis hypostaticæ, & ex lege naturæ ad legem gratiæ, vt dicitur, 1. *Corinth.* 15.

137 Enim verò, quia ex parte efficientis, debet fieri progressus a perfecto, ità vt perfectum præcedat, & Verbum Incarnatum communicaturum erat gratiam, vt habetur Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*, & per gratiam ad opus perfectissimum gloriæ deducere, ideò nec in finem mundi debuit differri Incarnatio. Hæc est ratio etiam D.Thomæ. His rationibus vtitur quoque Valentia *disp.* 1. *quæstione* 1. *puncto* 4. Suarez *disp* 6. *sect.* 2. Velasquez *ad cap.* 2. *vers.* 15. *Epistolæ Philip. adnot.* 4. *moral.*

138 Ex his deducit S.Bonauentura, non fuisse conueniens venire Christum initio, quia mundus erat rudis, ignarus, cæcus, superbus, adolescens; & ideò feruore concupiscentiæ ebulliens, ideò præcox fuisset beneficium.

139 Secundo deducit, neque differendum ad finem, quia nimis esset tardus morbo curando, mundoque erudiendo. Decebat enim tempus ponere inter Redemptionem, & iudicium; decebat, mediatorem, quædam suorum membrorum præcedere; alia subsequi. Decebat tamen venire magis prope finem, vt terrore iudicis, spe verò gloriæ excitarentur homines, nè adeò tepida fides inueniatur in fine; sicut esset, si Christus initio venisset. Hinc Theodoretus *loco cit.* ait: *Si in principio mortem subiisset, quando peccatum non perinde effusum fuisset, nemo deinde credidisset.*

140 Hinc soluitur obiectio illa tertia D. Bonauenturæ. Si Deus priùs esset Incarnatus, multò plures saluati essent.

Respondetur enim cum eodem S.Doctore, 141
falsum esse, considerata hominum conditione, & ordinario modo Diuinæ prouidentiæ. Hæc enim est hominum conditio, vt non multò in officio virtutis perseueret, vt nimis experimento didicimus, a tempore adolescentis Ecclesiæ, vbi feruentissimi fideles, sanctitate omnia replebant; nunc autem tepor irrepsit, & ad finem augebitur, vt Christus dixerit: *Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra?* Si igitur multò ante venisset, quando non 142
erat hominum tanta multitudo; iam postea crescente multitudine, & fidei feruore tepescente, multo plures perirent. Sic igitur veniens eo tempore, quo mundus erat plenus, diffusa est eius doctrina, ac longè latequè propagata, & homines magis vndique eruditi, vt suprà vidimus, salutem sunt consecuti. Quod vero aliqui damnati sint, qui saluarentur, congruum fuit Diuinæ prouidentiæ, vt bonum particularium cederet bono vniuersali, & vt in quibusdam ostenderet Deus iustitiam suam.

143 Obiicias secundò. Deus propter nimiam charitatem, qua dilexit homines, incarnatus est: Ergo debuit incarnari statim à necessitate; nam amor est velox.

144 Respondet S. Bonauentura, amorem Dei esse à sapientia directum ad sua opera exequenda, & quia sapientia cognoscit, plus hoc beneficium profuturum, si differretur, vt vidimus; ideò & amor ardentissimus tunc impulit, & deduxit. Fuit autem medio quodam tempore inter creationem, & finem mundi, magis autem ad finem. Vnde dicitur Habacuc 3. *In medio annorum notum facies.* Hæc omnia ferè è D.Bonauentura habet Suarez *disp.*6.

145 Multa definienda *disp.seq.* inferent totam huius mysterij conuenientiam; non necessitatem, quæ differo, quia à nonnullis pro necessitate astruuntur.



DISPVTATIO TERTIA.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

1 Prælibandum est, Humanum Genus in Adam corruisse, & inimicitias cum Deo contraxisse, & factos seruos Diaboli. Hoc fundamentum iaciunt omnes ferè Patres, initio huius Tractatus D.Athanasius *lib. de Incarnatione Verbi, Tomo* 1. & *lib. de salutari Christi aduentu, Tomo* 2. Nazianzenus *oratione* 42. *&* 51. Cyrillus *lib.*4. *contra Iulianum.* Damascenus *lib.*3. *cap.*1. Lactantius *lib.*4. *Diuinarum Inst. cap.*10. Anselmus *lib. Cur Deus homo*, aliique Patres allati *prima secundæ, Tract.* 3. *disp.*4. *quæst.*1.

2 Secundò supponimus, Verbum carnem factum ad humanum Genus liberandum à peccato. Hoc perperam negauit Abailardus, relatus à D.Bernardo *epist.* 190. Damnantur verò hi errores ab Innocentio II. *epistola ad Bernardum*, quæ est 194. inter eius epistolas, & in Concilio Tridentino *sess.*6. *cap.*1. *&* 2.

QVÆSTIO I.

An necessariò DEVS *hominem reparauerit.*

D. Bonauent. in prol. tertij sent. & dist. 20. q. 1.

3 ASSERO liberè Deum è solâ misericordiâ, & charitate venisse ad hominem redimendum.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex 2. Ephesiorum: *Deus, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo.* Vbi obseruat Seraphicus Bonauentura, ô thesaurum misericordiarum hanc maximam commisse, non aliunde, vt dicitur Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

4 SECVNDO probat, Coloss. primo, *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia.*

TERTIO probat ad Titum: *Secundùm misericordiam suam saluos nos fecit.*

5 QVARTO probat 5. ad Rom. *Commendat autem Deus charitatem suam, cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

6 QVINTO probat Philip. 2. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c.*

PROBATVR à D. Bonauentura etiam *lib. 4. Pharetra, cap. 2.* è SS. PP. multis.

RATIONE quoque probatur ab eodem S. Doctore 4. *parte Breuil. cap. 1.* Sic est liber Deus in recreando, sicut in creando; sed in creando non fuit necessitate compulsus: ergo. Maior probatur. Nam vtraque sunt opera ad extra.

ADDIT rationes, quibus magis hominem, quàm Angelum redimere debuit, quas retuli ex parte etiam *disp. 2. quæst. 4.*

7 PRIMA est, quia homo poterat alio modo, quàm perditione æternâ pœnas luere, nempe morte, quâ, sicut recesserat à Deo volens anima, ita inuita separaretur à corpore. Angelus verò, quia spiritus, solâ damnatione poterat pœnas soluere.

8 SECVNDA ratio est vertibilitas voluntatis hominis, quia longior via conuenienter est ei assignata; Angelus verò breuissimam habere debuit viam suæ conuersioni proficuam.

TERTIA ratio est, quia sicut homo operante alio per suggestionem lapsus est, ita alio operante per redemptionem sublenandus erat; at verò Angelus ex interna superbia præceps ruit. Hæc est ratio D. Bernardi *serm. 1. de Adu.* Gregorij 4. *Moral. cap. 9.* apud D. Thomam *p. p. quæst. 64. art. 2. ad 4.* Idem habet S. Bonau. *in 3. d. citando.* At hæc ratio videtur deficere, quia solus Lucifer sic peccauit; sed ceteri, eo suggerente, quod videtur sentire D. August. *lib. 9. de mirabil. gratiæ, cap. 2.* & ostendi *p. p. Tract. 4. disp. 7. quæst. 8.*

9 HAS tres rationes affert S. Bonau. *in 3. dist. 2. q. 2.* & *in 3. dist. 20. quæst. 1. ad 2.*

PRIMA est, quia minor Angelorum pars corruerat; at verò tota hominum multitudo præceps abierat. Hæc est ratio D. Aug. *in Enchir. cap. 29.* eamque amplectitur Magister *in 2. distinct. 21.*

RESPONDET tamen D. Thom. *in 2. d. 7. q. 1. art. 2.* etiam multas species Angelorum omninò corruisse.

A *p. p. tract. 4. disp. 1. q. 4.* probatum manet, angelos non esse omnes diuersarum specierum, vt S. Thomas supra supponit.

10 SECVNDA ratio est, quia Angeli seipsis propriis voluntatibus peccarunt; homo verò erat in Adam voluntate culpandus.

TERTIA, quia homo in malo non erat obstinatus, vti sunt Apostatæ Angeli.

11 AD argumenta verò alias rationes addit, quia scilicet natura humana erat imbecillior, ideò magis prouocauit Diuinam misericordiam, vt Luciferi illa superbia, & inuidia retunderetur, quæ hominem deiecerat.

ALIAM rationem habet Theodoretus *lib. 6. de prouidentia Diuina, cont. Græcos,* dicens: *Quoniam res vniuersi quæ sub sensum cadunt propter hominem creata sunt; ideo non putauit contemnendum eum, cuius gratia cuncta creauisset.*

12 HÆC est ratio S. Bonau. in *corpore,* qui addit, sublcuato homine, in quo sunt omnes creaturæ epilogatæ, subleuatum vniuersum. His rationibus vtitur etiam Suarez *disp. 4. sect. 1.* Vide etiam Bouerium *demonstr. 1. art. 3.* Hinc Athanasius *de Incarnat.* Anselm. *lib. 1. c. 4.* indecens, aiunt, fore, Deū hominē non redimere.

QVÆSTIO II.

Vtrum ad reparandum genus Humanum INCARNATIO *necessariò fuerit.*

D. Bonauent. dist. 20. in quæst. 4. & 6.

13 REPARATIO humani generis requirebat, vt è potestate Diaboli eruti transferremur in sortem filiorum Dei. Genus enim humanum iacebat sub potestate Diaboli, qui non solum, tanquam carceris custos, homines tenebat, vt male sentit Basilius, relatus à S. Philastrio *l. cont. hær.* quem sequutus est Abailardus supra relatus *[illegible]*, sed etiam quia per peccatum primi parentis priuati gratia, & sanctarum cogitationum auxilijs indigni facti, dæmonis incursibus obnoxij, & insidijs procul dubio succumberent, nisi à Deo auxilia misericorditer redderentur. Ideò ait

14 Apostolus 2. Tim. 2. *Captiui tenentur laqueis diaboli ad ipsius voluntatem.* Miserrima sane conditio, vt ad voluntatem diaboli deiiciamur, ac consequenter eius potestati subiiciamur, vt infert S. Bernard. *epist. 190.* vbi contra Abailardum arguit: *Audis (ait) ad ipsius voluntatem, & negas potestatem?* Hac ratione id confirmat S. Bonau. *in 3. d. 19. circa litteram Magistri, n. 5.*

15 ID probat S. Bonau. *ad 14 Ioan.* ex eo, quòd Diabolus dicitur: *Princeps mundi,* id est peccatorum, ex illo *Ephes. 6.* vbi ait: *Est nobis colluctatio aduersus principes, & potestates tenebrarum.* Princeps enim habet potestatem maiorem, quàm carceris custos, cuius voluntati non subest ergastulus. Idem obseruat D. Bonau. ad illud Lucæ 22. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum,* vbi obseruat, dæmones vocari potestates, & rectores mundi, in inducendis hominibus ad peccata. Idem obseruat Vasquez *disp. 1. cap. 1.*

16 Ex hac verò potestate diaboli non esse redemptos à Christo, de fide est, & optime à D. Bernardo probatur contra Abailardum, è prima Timoth. 2. *Vnus est enim Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus: qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus,* & 2. ad Titum: *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Idem habetur *Heb. 9. Galat. 3.* His testimonijs scriptura referta comperitur, vt ait D. Bernardus.

Ex

17 Ex professo autem hanc veritatem probat S. Bonau. *dist.* 19. *q.* 3. præcipuè ex illo Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, nempe, quia ablatus est ei principatus, & potestas in homines per auxilia inspirationum, instructionum, & Sacramentorum, quibus vires eius refrangantur. Hoc verò infrà discutietur *disp.* 21. *q.* 8. *& sequenti.* Nunc satis est, veritatem præbare, vt inde arguamus; An ad hoc necesse fuerit, verbum incarnari.

18 Dvobvs verò modis potest intelligi quæstio. Primo: An simpliciter ad redemptionem fuerit necessaria Incarnatio. Secundò: An ad redimendum hominem iustâ solutione.

Fvit opinio dicentium absolutè, necessariam fuisse Incarnationem ad nostram redemptionem. Attribuitur D. Anselmo *lib.* 1. *Cur Deus homo*, *c.* 16. *&* 17. vbi videtur intendere, necessarium fuisse, hominem reparari, ad ruinas Angelicas resarciendas, nec alio modo id fieri potuisse. Tribuitur etiam Richardo de S. V. *lib. de Incarn. Verbi*, *c.* 8. Absolutè verò Lullo Granado *de vol. Dei, tract.* 2. *d.* 3. ait, Deum hoc sensu necessitari, quia semper à contradictoriis eligit melius. De quo actum est *p. p. tract.* 3. *d.* 16. *quæst.* 20.

19 Vera tamen sententia est, potuisse Deum alia ratione hominem redimere. Ita Scholastici cum Magistro *dist.* 20. *c.* 1. vbi D. Bonau. *q.* 1. Rich. *q.* 4. Scotus *q. vn.* Durand. & Palud. *q.* 1. Gabr. *q. vn. art.* 1. *&* 2. Altisiodor. *lib.* 3. *Sum. tr.* 1. *c.* 8. Alex. 3. *p. q.* 1. *memb.* 2. *&* 4 Guliel. Paris. *lib. Cur Deus homo, cap.* 7. Vega *lib.* 2. *ad Concil. cap.* 3. secuti Hugonem de S. V. relatum à Seraphico è *lib.* 1. *de Sacram. p.* 8 *c.* 10. quos refert, & sequitur Vasq. 3. *p. d.* 1. *c.* 3. Suarez *disp.* 4. *sect.* 2. Valentia *d.* 1. *q.* 1. *p.* 5. Faber *in* 3. *dist.* 49. Tannet. *disp.* 1. *c.* 5. Boner. *demonst.* 1. *art.* 3. *&* 4. Lugo *disp.* 2. *sect.* 1.

Assero cum hac sententia, potuisse Deum aliis modis nos liberare à perditione.

20 Probatvr primò à D. Bonau. *lib.* 1. *Pharetra*, *c.* 1. è D. Gregor. *lib.* 20. *Moral. c.* 26. vbi ait: *Qui nos existere fecit ex nihilo, etiam sine sua morte reuocare nos potuit a diabolica passione. Sed vt quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod nos esse voluit: vt in semetipso temporaliter mortem susciperet, quàm à nobis in perpetuum fugaret.* Idem habet *lib.* 17. *cap.* 18. *& lib.* 24. *cap.* 2. vt refert S. Bonau. *quæst.* 6. *citata.*

21 Probatvr secundò à S. Doct. ibi è D. Aug. *lib. de prædest. & gratia, cap.* 53. *tomo* 7. vbi ait: *Venit Filius Dei quærere, quod perierat; sanare, quod ægrotabat; exigere, quod iacebat, potestatem habens dimittere peccata, quod non debebat donare, quod ei debebatur ignoscere.* Et lib. de agone Christi, cap. 18. ait: *Stulti sunt, qui dicunt; non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem.*

22 Probatvr tertiò à S. Doctore *q.* 6. *dist.* 20. *cit.* è D. Leone Papa *serm.* 12. *de Passione Domini*, qui est de ramis palmarum, vbi ait. *Omnipotentia filij Dei, qua propter eandem essentiam est æqualis Patri; potuisset liberare genus humanum solo imperio voluntatis suæ, nisi diuinis operibus maximè congruisset, vt hostilis nequitia aduersitas eo, quem vicerat, vinceretur.* Idem habet *serm.* 2. *de Natiu.* Idem ait Athan. *serm.* 3. *in Arrian.* aliique Patres.

23 Probatvr ratione deducta è D. Gregor. *loco cit.* quam S. Bonau. ibi aduertit. Quod non implicat, est Deo adscribendum; sed Diuinæ misericordiæ non implicat condonare peccata absque Christi solutione (secluso decreto exigendi,) ergo. Hac ratione nititur Valentia. Confirmatur à Seraphico. Quia omne, quod non implicat, est obiectum omnipotentiæ. Sed hoc non implicat: ergo. Vasq. *n.* 22. hac ratione nititur. vbi latè ostendit, non implicare.

Probatvr à S. Doctore alia ratione, qua nititur Scotus, & Fauentin. Ea quæ sunt ad extra, sunt contingenter educibilia à Deo (secluso immutabilitatis decreto); at Incarnatio ordinata ad redemptionem est talis: ergo. Ideò Lulli sententiam censurâ dignam clamant, quibus annuit Lugo *disp.* 2. *num.* 6. 24

Qvoad D. Anselmum, quem acriter impugnant Scotus, Vasq. Faber; videtur non satis sanè ab eis non percipi, vt probant Alensis, & D. Bonau. quos sequuntur Suarez, & Valentia. Nam D. Anselmus loquitur, supposito diuino decreto immutabili redimendi pretio iusto. Et quoad honestatem, & decentiam, quam vrget, solùm vult dicere, honestatem, quam in opere intendit, puta redimendi hominem sanguine, non esse honestatem oppositam inhonestati, seu inconuenienti; sed honestatem immutabilitatis ex vi decreti, quo remoto, alia posset loco eius honestas substitui, puta condonando, vt indicant verba S. Anselmi *loco cit.* quæ refert S. Bonauent. & ita interpretatur. 25

Qvod si obiicias, D. Anselmum, & alios Patres, in quibus D. Athan. *tract. de Incarn.* asserere, indecorum futurum fuisse, hominem lapsum absque remedio relinqui, ex quo videtur inferri aliqua necessitas simpliciter redimendi hominem, ne opus Dei relinqueretur absque suo fine. 26

Respondet Valentia è D. Bonau. hanc fuisse honestatem in creatura, quam potuit Deus omittere, secluso decreto, quòd tamen aliquam in naturam humanam honestatem, & aliquem decorem induxit.

Vasqvez, *num.* 30. ait, decipi eos, qui defendunt Anselm. quia, licèt nullam necessitatem ponat in Deo operando antecedenter ad eius voluntatem, tamen suppositâ eius voluntate, eam astruit. Quare non vult, necessitatem redimendi hominem ortam ex decreto redimendi, propter quod necessitas meræ immutabilitatis sit; sed ortam ex creatione, ita, vt supposita creatione, & lapsu præuiso necessariò decreuerit redimere, ne creaturam suam nobilem absque fine ei præfixo relinqueret. 27

Enim verò fallitur Vasquez. Nam decretum illud secutum ex indecentia, quæ eueniret, si homo lapsus relinqueretur, vocat carentiam honestatis; seu congruentiæ status hominis, quæ meram conuenientiam inducit in sententia D. Anselmi, vt notat S. Bonau. Sola igitur, quæ sequitur decretum, est necessitas quam immutabilitatis vocat, & distinguit à decentia antecedente decretum, quod si hanc etiam necessitatem crederet, nullo modo distinxisset à necessitate, nam etiam hæc est immutabilitas decreti supposita creatione antecedens decretum redemptionis: Itaque vtramque necessitatem nominasset, & magis eã, quæ esset ante decretum Incarnationis, quippè antecedentẽ, quæ est necessitas magis propria, quàm consequẽs. 28

Confirmatvr. Nam D. Anselmus *in c.* 5. *ad Rom.* laxis fibris fatetur, innumeros modos Deo occurrisse, quibus absque Incarnatione potuisset redimere homines. Eum verò commentarium, absque fundamento suspicatus fuisse Heruæi. 29

Mvlti etiam Patres, qui nobis fauent, dicunt, necessariam fuisse Incarnationem ad redimendum insto pretio homines, sed necessitatem conuenientiæ intelligunt, vt ait Suarez.

Assero igitur secundò, ad redimendum homines æquitate satisfactionis necessariam fuisse Personæ Diuinæ Incarnationem. 30

Probatvr primò à D. Bonau. *q.* 6. è Glossa, ad ea verba Heb. 2. *Decuit consummatorem Iesum per omnia*

consummari, vbi ait: *Nisi Christus mereretur, homo non redimeretur: & non redemptus, periret, & frustra essent omnia facta.* Glossa quidem ordinaria omittit prima verba, & ponit ea tantùm. *Quia aliter, homo non redemptus periret, si Christus non fuisset consummatus:* ergo sequitur, aliter Christo non adueniente, hominem non redimendum.

31 Fortassè etiam S. Bonauentura aliam indicat Glossam illius loci; quæ est D. Cyrilli *lib.2. de fide ad Regin.* vbi exponens eadem verba Apostoli: *Ideò* (ait) *Verbum carnem induisse, quia mortem superare, supra humanam erat facultatem*, & refricat sæpè, Christum esse Deum, quia potuit perfectè nos redimere, *lib. de Incarn. Vnig. cap.* 21. & *lib.2. Thesauri, cap.*11. & *lib.4. de Trin. circa principium*, 32 vbi negat, Christum potuisse offerre condignum pretium nostræ redemptionis, nisi esset Deus. Et in Exegesi de Valeria, quæ habetur in Concilio Eph. *tom.6.c.*17. circa medium, exponens illud Isa. 53. *Cuius liuore sanati sumus. Quo pacto* (inquit) *vnus pro omnibus mortuus, iustum pro omnibus pretium exsoluere potuit, si per passionem illam puri cuiuspiam hominis fuisse dicamus?* Quin & *lib.2. eodem ad Regin.* dinetat: *Si vt vulgus homo concipiatur, quomodo illius corpus vita omnium æstimationem, ac dignitatem exæquat? Aut quomodo Deus haberi non debet, qui suo sanguine credentes in ipsum emundat?* Alios Patres adducam *quæst.* 4.

33 Probatvr secundò à D. Bonau. è D. Anselmo *lib. Cur Deus homo, à cap.*16. vbi ait: *Non potuit transire calicem, nisi biberet, non quia non posset vitare mortem, si vellet; sed sicut dictum est, impossibile fuit aliter saluare mundum.* Locutus autem fuerat de salute per redemptionem iusto pretio. Addit S. Bonauent. *disp.*13. *quæst.*2. *ad* 3. eundem Ansel. *lib.2. cap.*7. dicentem, oportuisse redemptorem esse Deum, & hominem.

34 Probatvr tertiò à D. Bonau. è D. Ambrosio *in epistolam ad Rom.* relato à Magistro *dist.18.cap.vlt.*, vbi ait: *Tantum fuit peccatum nostrum, vt saluari non possemus, nisi Vnigenitus Dei filius moreretur pro nobis, debitoribus mortis; sed sic dignos nos fecit testamenti, & promissa hereditatis.* Quæ verba non negant, fuisse alium modum saluandi, sed dicunt, aliam hostiam nobis non potuisse regnum cœli aperire ex merito, iuxta Diuinum decretum, vt notat S. Bonau. cum Magistro, tum *in dub. vlt. litt.* tum in responsione ad argumenta *hic, quæst.*6.

35 Idem habent alij Patres relati à Suarez *loco cit.* qui ait, esse vniuersalem traditionem Sanctorum Patrum.

Probatvr quartò ratione D. Bonau. *argumento vlt. addito responso.* Quia satisfactio adæquata non posset ab alio, quàm à Diuina persona exhiberi, quod latius infrà ostendam. Hac ratione nititur Suarez.

Assero tertiò, esse conuenientissimum, reparari hominem per Incarnationem. Patet ex dictis *hic, & disp.*1. *quæst.*1. *& seq.*

36 Assero quartò. Supposito decreto, fuit hoc necessarium.

Probatvr à D. Bonau. argumento D. Anselmi sumpto ex Dei immutabilitate. Ideò ait *Act.*4. dici: *Non est aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat nos saluos fieri*, & ad Heb.11. *Non patere nobis aliam salutis viam.*

37 Granadvs porrò nimis in his arctat Dei libertatem contra phrasim scripturæ, & Patrum, vt ait Lugo *disp.*2. *n.*9.

QVÆSTIO III.

An homo aliquis merus possit pro suo peccato mortali Deo satisfacere.

D. Bonau. dist. 20. quæst. 3. & 4.
D. Thom. q.6. art. 2.

Vt necessitatem Incarnationis ad redimendum homines iusto pretio definiamus, oportet videre; An aliqua pura creatura potuisset pro peccatis satisfacere, & primo pro se; deinde pro aliis. Supponit autem hic D. Bonau. cum Suarez *loco cit.* non esse quæstionem: An absque Dei auxilio supernaturali id fieri possit. Nunc enim cum Catholicis disputatur. 38

Nonnvlli Theologi asserunt, posse quemlibet purum hominem pro suo peccato mortali condignè satisfacere. Ità Alensis 3.*part. quæst.*1. *memb.*5. *art.*2. *in corp.* & *ad* 1. & 2. Hanc verò satisfactionem dicit, fieri posse per contritionem, ex gratia habituali manantem. Consentit Palud. *in* 3.*dist.*20. *quæst.*2. *art.*2. Richard. *in* 4.*dist.*17. *art.*1.*quæst.*7. quem sequitur Ruard. Taper. *art.*6. §. *sed hæc satisfactio*, & §. *Tertia difficultas*, & *art.* 8. §. *Sine hac fide.* 40 Citatur etiam Caietanus *ad art.*2. *quæst.*1. *S. Thomæ*, §. *Ad alteram verò*, & verè ita sentire videtur, vt ait Nazarius *controu.*5. *ad* 2. *art. quæst. prima D.Thomæ.* Huc reducitur etiam Scotus *in* 4. *dist.*15. *quæst.*1. vbi ait, purum hominem potuisse reddere æquiualens pro peccato, quia quantum malum fuit auersio à Deo per peccatum, tantum bonum est conuersio ad Deum per charitatem. Clariùs hanc sententiam habet *in* 3.*dist.*20.*contra istud*, & Scotistæ fidiores apud Gallum 3. *d.* 20. *dub.*6. *cap.*2. Mastrium 3. *disp.*4. *quæst.*5. *num* 135. 39

Vera tamen sententia est, nullum, quantumvis gratia adiutum, posse pro suo peccato perfectè satisfacere. Ità D. Anselmus *lib.*1.*Cur Deus homo cap.*2. D. Bonau. *dist.*20. *quæst. cit.* D. Thom. *ad* 2. Richard. *quæst.*4. & 5. Durand. *quæst.*2. & *in* 4.*dist.*15. *quæst.*1. Capreol. *ibi quæst.*1. *art.*1. *concl.*1. & *art.*3. ad arg. contra primam conclusionem. Maior *in* 4.*dist.* 14 *quæst.*2. *ad* 3 *dubium.* Gabr. *in* 4.*dist.*14. *quæst.*1. *art.*2. *post* 5 *conclu.* Almai. *in* 4.*dist.*15.*quæst.*1.*art.*2. Ferrar. 4.*cont. Gent. cap.*54. Dominicus Sotus 3. *de natura, & gratia, cap.*6. Caiet. in Comment. *art.*2. *q.*1. *D.Thom.* Ioan. Medina *cap. de pænit. tract.*3.*q.*1. Andreas de Vega *lib.*15.*super Concil. cap.*4. 41

Videtvr inclinare Scotus *loco cit.* §. *de secundo*, vt refert Vasq. *disp.*2.*c.*2. consentiens cum Suarez *d.* 4.*sect.*8. vbi alios suprà allegat, & cum his Alens. 3. *part. quæst.*5. *art.*2. *in corpore*, & *ad* 2. Idem sentit Gregor. de Valentia *disp.*1.*quæst.*1. *puncto* 5. qui præter allegatos adducit Albertum *in* 3. *dist.* 20. *art.*5. Idem sentit Nazarius *controu.*5.*ad art.*2.*quæst.*1. *D. Thoma*, Aluarez *disp.*7.*concl.*3. Lugo *disp.*5.*sect.*4. Didacus Nungus *quæst.*85.*art.*3.*dub.*2. Tannet. *dub.* 1. Bouer. *demonst.*1. *in Iudæos, art.*4. 42

Assero cum hac sententia, quam sustinui etiam *prima* 2. *tract.* 3. qui de peccato, *disp.*1.*quæst.*4. 43

Probatvr à D. Bonau. *quæst.*4. primò. Si quilibet homo potuisset pro suis mortalibus condignè satisfacere: Ergo gratis Christus mortuus est. Sed hoc est absonum dicere. è 2.*ad Galat.* ergo. Hac ratione nititur Nazarius in vltima conclusione.

Neqve dicant ad gratiam nobis emendam tantùm necessariam fuisse Incarnationem. Tunc enim ea 44

gratia

gratia adhuc esset nobis gratis data. Quod si etiam nobis data esset, sicut Adæ infusa extra Christi meritum, non adhuc ea infinitam Dei offensam adæquatè solueremus.

Vvlpes 3. part. disp. 55. art. 4. n. 11. instat, Seraphicum gratis hoc modu arguere. Hæc satisfactio a solo Deo homine potetat exhiberi: ergo necesse fuit, Deum fieri hominem.

45 At S. Doctor ritè concludit, supposita offensæ infinitate, quam statuerat Deus non remittere absque adæquata satisfactione. Ergo debuit Persona Diuina satisfacere. Quòd si merus homo dicatur posse satisfacere: ergo gratis traditus est Christus, vt infert Apostolus.

46 Mastrivs disp. 4. quæst. 5. n. 217. respondet cum Poncio disp. 38. quæst. 6. num. 44. è Scoto, 3. dist. 20. Si ratio ex Apostolo vrgeat, sequi, necessariam fuisse ad satisfaciendum ipsam mortem antecedenter, nec potuisse actibus virtutum filij Dei decerni solutionem adæquatam. Quare ne mors Christi sit gratis, satis esse, quòd fuerit cæteris modis conuenientior; non verò exigi, vt fuerit necessaria.

47 Hi non attingunt rationis nostræ nucleum. Apostolus enim, vt notat S. Bonau. sic arguit magnitudinem sui peccati, quia necessariò eguit fide Iesu Christi, sine cuius meritis nemo potest iustificari. Negat autem, posse nos seorsim ex operibus legis adæquatè debitis culparum satisfacere, absque meritis Christi, quæ ex decreto morte sunt completa ad redemptionem; tametsi potuisset, ante decretum, sola filij quæcunque oblatione infinitâ plenè contentus esse. Ideò dixit: *In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit.* (Syriaca, dedit) *semetipsum pro me*, subdit autem: *Non abiicio gratiam Dei. Si enim per le-*

48 *gem iustitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Hæc consequentia, vt sit optima, Spiritu sancto digna, debet nil ampliùs inferre, quàm in antecedente sit. Ergo si absque Christi dati pro me exhibitione potuit satisfieri; sequitur, eum gratis traditum, seu datum. Nominat verò mortem, qua ex decreto exuberans redemptio est consummata. Quare aduersariorum illatio est irrita.

49 Probatvr secundò à S. Bonau. argumento D. Anselmi: Omnis pura creatura, cùm sit finita, finitam satisfactionem reddere potest; at culpa mortalis est infinita offensa Dei: ergo improportionata creaturæ. Hac ratione nituntur quoque D. Thom. Richardus, Capreolus, Maior, Ioan. Medina *locis citatis*, Nazarius *loco cit.* Minor ergo probatur à D. Bonau. *q. 3. fund. 2. & corp. & q. 4. fund. 2.* nec non *in 2. dist. 33. quæst. 2. corp. & dist. 28. quæst. 1. fundamento penult.*

50 Svpponit autem S. Doctor primò, grauitatem offensæ crescere ex dignitate personæ, in quam committitur, & ex vilitate committentis, ita vt quantò vilior est offensor, & nobilior est offensus, tanto grauior sit offensa: Quare si plebeus lædat sputo Ducem, erit grauis læsio; si Regem, erit grauior; si Imperatorem adhuc grauior; si Summum Pontificem, adhuc est grauior; is verò, qui in Christum expuit, grauissimè, & quò vilior est plebeus ille, puta, si mendicus, si satelles, si carnifex, si infamis crimine, eò erit grauior læsio.

51 Svpponit secundò, satisfactionis valorem crescere ex dignitate satisfacientis; nam satisfacere, est exhibere honorem in compensationem offensæ; honor autem crescit ex digniori persona exhibente, ac proinde honor exhibitus à vili persona, vilis etiam æstimatur, qua de causa Aristoteles 5. *Eth. cap. 5.* postquam ostendit, esse aliud iustum præter repassionem, & postquam assignauit medium commutatiuæ iustitiæ in repassione, subdit: *Nam si is, qui Magistratum gerit, alium percussit, non est repercutiendus: at si quispiam eum percusserit, non solùm repercutiendus est; sed etiam supplicio afficiendus.* Vtrumque verò suppositum probat S. Bonau. *quæst. 3. ad 2.*

Hinc Seraphicus deducit, talis esse naturæ offensam Dei, vt nil, quod est in creatura pura, siue actus, siue habitus, illam delere valeat absque nouo Dei condonantis fauore, quia nihil creatum potest adæquare offensam infinitam. Sic edisserit etiam Marchantius, *lib. 1. tract. 3. lect. 4.* 52

Hanc rationem plurimi euertere conantur. Primò Scotus *in 3. dist. 20. quæst. vnica*, & *4. dist. 15. quæst. 1. art. 1.* eo suo fundamento, quòd tantum redditur Deo actu charitatis, quo in Deum conuertor, quantum abstuli actu auersionis; infert, hinc finitam satisfactionem sufficere ad Dei offensam condignè soluendam. Sequitur Vulpes *disp. 55. art. 4.* & alij Scotistæ, quos imitantur Lugo *disp. 5.* Salas *tom. 2. prim. 2. tract. 11. disp. 15. sect. 6.* 53

At hoc fundamentum ruit ex dictis, & ex seipso: Nam cùm offensa crescat è personæ offensæ dignitate; & satisfactio è personæ satisfacientis dignitate; & peccator offendens Deum sit vilis, non reddit tantum, quantum abstulit, offendendo Diuinam Maiestatem. 54

Contra arguit Scotus, & cum eo Faber *in 3. d. 47. n. 9.* Mastr. *n. 230.* quia peccatum est infinitum obiectiuè tantùm; alioqui neque Christus potuisset reddere æquiualens, quia meritum eius fuit finitum formaliter; at creatura potuisset reddere satisfactionem infinitam obiectiuè, quatenus actum redderet, tendentem in Deum obiectum infinitum. 55

At hæc crassiora sunt, viro subtilitatis dote præclaro indigna. Actus enim donantis ex solo dante crescit, cuicunque detur, nisi relationem moralem habeat ad personam præcisè, & formaliter. Sic donans equum Regi, non auget donum dando Regi, quia donum vt sic, non habet specialem correlationem ad Regis personam; at offensa, quia respicit honorem personæ offensæ, accipit ab ea morale augmentum, vt tantò sit grauior, quantò honoratior est persona illa offensa. Quare non sequitur, si offensa crescit in infinitum ratione obiecti offensi, crescere quoque donum contritionis, qui potius cresceret exhibitus viliori se. 56

Respondet Fauentinus ex Aristotele 5. *Eth. cap. 4.* In iustitia commutatiua non attendi rationem personarum, sed differentiam nocumenti: ergo grauitas iniuriæ non crescit ex dignitate personæ offensæ; & valor meriti ex dignitate personæ satisfacientis. 57

Ante verò *cap. 3.* iustitiam distributiuam, quæ in medio est Geometrico, ait consistere in distributione rei, secundum dignitatem personæ, vt si dignior sit Vlysses Aiace, plus ei detur, quàm Aiaci, & hoc est medium Geometricum, proportio personarum.

At *cap. 4.* in iustitia Commutatiua ait, non seruari medium Geometricum, quia non seruatur ratio personarum, sed Arithmeticum, quia habetur ratio sola lucri, & damni. Sic affert exemplum percutientis, & percussi; vbi Iudex non ponderat personas, sed damnum illatum. Et addit, non considerari, an probus prauo detraxerit; sed ad pondus detrimenti. 58

Qvod verò suprà à bonis *è cap. 5. Aristotelis* est allatum, soluit, dicens, non dignitatem personæ, sed statum diuersum augere offensam; & ideò Magistratum offendendo grauius peccare, quia est persona non ampliùs priuata, sed publica, nempe repræsentans Rempublicam, ideo ita circumstantia auget offensam, 59

non ratione dignitatis personæ, quæ quantumvis no-
bilis, & ornata virtutibus, non cresceret ratio offensæ.
Vnde etiam, atque etiam miratur, viros in Aristotele
apprimè versatos, hoc ruinoso niti fundamento.

60 At magis miror, ipsum tam manifestam in Ari-
stotele contradictionem ponere. Si enim, vt ipse
ait, iustum Commutatiuum in eo differt à Distribu-
tiuo, vt hoc personas; illud solùm res, & quanti-
tatem earum consideret, siue res sint reales, siue
actiones; ac proinde non considerat: An vir dig-
nior honore ob virtutes percutiatur; quomodo è
statu personæ Magistratus crescit læsio, circa Com-
mutatiuam. Hæc verò ideò asseruntur, quia non per-
cipitur vera ratio distinctionis Aristotelis.

61 In hoc igitur Aristoteles distinguit iustum Geo-
metricum, circa quod versatur distributiua, ab Arith-
metico, quod est obiectum Commutatiuæ; nam
Geometricum considerat proportionem meritorum
in personis Reipublicæ, vt non æquale omnibus de-
tur, sed secundùm proportionem meriti; vt si Aiax
habeat quatuor gradus meriti; Vlysses verò sex, de-
tur huic de bonis Reipublicæ tantum plus, quan-
tum sex gradus meriti excedunt quatuor. Itaque
considerantur personæ, vt proportione meritorum se
62 excedentes: At Arithmeticum considerat simplici-
ter æqualitatem rei, cum re, & offensæ cum satisfa-
ctione, secundùm Arithmeticam, vt tantum detur,
quantum est ablatum; non quia non considerentur
in hoc etiam rationes personarum, vt faciunt ad
rationem augmenti satisfactionis, vel offensæ; hoc
enim in exemplo percutientis magistratum docet
obseruari; sed vult, considerari personam solùm, vt
hæc cum re vnum quid constituunt, puta persona
Magistratus cum alapa vnam componunt iniuriam,
vt septem. Quòd enim crescat læsio ex dignitate
personæ, vt est altioris status, vel vt est nobilior,
nil pro eo facit, nam sufficit è ratione personæ of-
fensæ crescere per se offensam.

63 Ex quo sequitur, vt Deum offendens, qui statum
omnium personarum, vt Rex Regum infinitus, ex-
cedit, infinitæ offensionis sit reus. Quando verò
exemplum affert Aristoteles de illo læso, qui est pro-
bus, vel prauus, loquitur pro nobis; nam vult di-
cere, non considerari merita, & vtilitates illius per-
sonæ erga Rempublicam, vel alia, quæ ad rationem
offensæ non faciunt in persona; sed ea, quæ in per-
sona faciunt ad offensam augendam, aut quæ publi-
cè talia æstimantur; vt sunt dignitates Magistratus,
64 imò & nobilitas: quis enim ignorat, magis puniri
rusticum, si virum nobilem percusserit, quàm si ru-
sticum? Talis est etiam virtus aliqua, quæ in oculis
Reipublicæ, reddit illustrem, atque conspicuum;
non autem quælibet, quæ hominem tantùm probum
in se reddat. Addo, illud exemplum ab Aristotele
allatum in hoc cohærere, vt discernat, vt dixi, ratio-
nem personæ virtute præditæ, quæ in distributione
bonorum Reipublicæ, data æqualitate necessitatis
cum alio, debet considerari, & auget proportionem;
sunt autem diuersæ rationes, personæ virtus, & di-
gnitas, atque nobilitas.

65 Vasquez latè, hanc nostram rationem euertere
conatur, & primò quidem *n*. 8. miratur, nos augmen-
tum infinitum peccatorum constituere in peccatis,
quæ cum inæqualia sint, nequeunt esse infinita, cùm
non sit vnum infinitum alio maius. Sunt autem pec
cata inæqualia in genere peccati, quia vnum est
contra virtutem præstantiorem, ac maioris boni pri-
uatio, ac proindè maius malum. Et in ratione quo-
que offensæ, quia vnum est maior Dei offensa, vt
patet: ergo nullum peccatum est offensa infinita.

Hoc vrgent Lugo, & Salas, plurimique apud hunc
postremum.

Respondetur tamen, rationem offensæ Di- 66
uinæ dupliciter considerari; primò, vt est offensa in
genere offensæ, vt est contra bonum infinitum. Se-
cundò vt est talis offensa ex parte actus, quatenus
est actus humanus, malè à voluntate directus contra
virtutem aliquam. Hoc sanè secundo modo finitus
est actus, ac proinde finitum peccatum, crescens
ex hac parte, ex augmento congenitæ malitiæ ex
parte actus, & virtutis oppositæ. Attamen offensa in
Deum respicit maiestatem infinitam læsam, & ex
hoc capite est infinita. Hæc adeò diuersa confun-
duntur ab aduersariis, maximè Lugo, qui ad mutum
Vasquij, & Vulpis probat, inæqualitatem offen-
sarum, seu culparum esse in ordine ad diuersa præ-
cepta inæqualia, violata ex obiectis; quod vltrò
admisimus.

Prætendit verò Lugo à *num*. 29. probare, 67
inæqualitatem etiam in ratione Diuinæ offensæ,
quia si essent infinitæ, ac proinde æquales, habe-
rent vim conseruandi indignationem; data quauis
satisfactione, etiam Christi.

Enim verò fallitur; nam potuit sanè Deus nol- 68
le cuiusvis satisfactiones; at verò si æquali sit con-
tentus; satis superque factum est à Christo, qui ex
dignitate infinitæ simpliciter personæ, excedit infi-
nitatem secundum quid offensarum, vt ait Clem.
VI. *extrauag. vnig.* de qua infrà *quæst* 8.

Instat verò Lugo à *num*. 30. cum suo Vasquez, 69
calculationem nostram à dignitate personæ læsæ, as-
cendentem infinitè in Maiestatem infinitam Dei
læsam, mille pati instantias, alioqui & bonitas actus,
crescens è bonitate obiecti, reddet actus charitatis,
& beatificæ visionis infinitos, quia obiectum habent
infinitum. Sufficit ergo vt ascendat in ordine crea-
tæ maiestatis offensa, vt docet etiam Nazar. *p.* 2.
quæst. 87. *art*. 4. & hic *quæst*. 1. *art*. 2. *controu*. 1. &
apud aduersos legitimum sempiternum asseueratur.

Hæc tamen suprà iam elisa sunt; non enim est 70
eadem ratio de omnibus actibus, vt crescant ratione
obiecti, sed aliqui solùm, qui habent moralem ra-
tionem strictæ relationis specialis, vt dixi, & ideò
non sequitur, si non augetur physicè in infinitum
visio Dei, quia est obiecti infiniti, aut actus charita-
tis, quia est in Deum infinitum; neque augeri of-
fensam, quæ simul cum obiecto vnum morale strictè
componit, vt benè notat Aluarez; nam infinitas ob-
iecti beatifici est extrinseca: at verò maiestatis Di-
uinæ infinitas est intrinseca, redundans in ipsam of-
fensam. Neque solâ denominatione redundat, vt
putat Nazarius *controu*. 1. *ad* 2. *articulum*, sed in-
trinsecè; sicuti infinitas Personæ satisfacientis in sa-
tisfactionem, vt patet in Christi satisfactione.

Quod verò dicit, non crescere vniuocè, friuo- 71
lum est, nam infinita quoque genera sunt infra
Deum, puta dignitatum, magistratuum, &c. Et
ita etiamsi in singulis mutetur genus, oportet as-
cendere proportionaliter, & cùm Deus sit supra omne
genus infinitè, & super infinita genera, oportebit
etiam offensam infinitè augere. Ita arguunt ascen-
dendo ad infinitatem offensæ, D. Bonauentura *hîc*,
& D. Thom. *de verit. quæst*. 28. *art*. 2. quem infrà
referam.

Paradoxum autem nobis obtinnit Lugo *nu-* 72
mer. 32. concedens Deo illatam offensam excedere
alias infinitis gradibus; non tamen excessu infinito
simpliciter; sed finito, qui continet gradus aliarum
infinitarum offensarum: sicut & inter Leonem, &
Angelum possunt mediare aliæ infinitæ creaturæ
corporeæ

corporeæ, quas omnes superat Angelus, qui tamen non est infinitus simpliciter, quia habet super se aliam creaturam præstantiorem. Damus (ait) offensæ tot gradus, quot dignitatis Deo; at non est infinita, quia limitatur ab excedentibus aliis, puta fornicatio ab adulterio, homicidio, hæresi, &c.

73 At malè differit: Si non concedit, offensam Dei continere infinitos gradus, intensiuè in Dei Maiestate positos, qui excedunt intensiuè omnes dignitates creabiles, erit infinitas in tali ratione infinita simpliciter, non intra terminos dignitatum humanarum. Quare exemplum creaturarum mediarum inter Angelum, & Leonem non est ad rem. Imbellis est etiam applicatio, quia finitas actus, vt est contra virtutem, est diuersa à moralitate offensæ, vt sic: Ideò nequit in alieno genere continuare, vt limitet.

74 Neque verò satisfacit Vasquez *num.* 11. dicens, auersionem à Deo non esse de ratione peccati, sed quid hinc consequens? auersionem verò, in qua est ratio offensæ Dei, non priuare Deo tanquam forma aliqua, sed vt obiecto, & fine; priuare verò virtute opposita, sicut cæcitas priuat visu formaliter; colore autem, tanquam obiecto.

75 Respondetur enim, hæc nil facere, quia ratio offensæ non sumitur ex bono, quo priuatur offendens, sed quo priuatur offensus; neque in aliquo physico, sed morali, vt vidimus; neque est infinitas actui extrinseca, eò quòd ei adueniat ex habitudine ad obiecta; etenim ex hac sumunt actus, tam physici, quàm morales suam speciem, vt ostendi *p.p. tract.* 9. *disp.* 2. *quæst.* 3. & eo magis actus offensarum, quò in sua moralitate speciali ratione insitam habent personæ offensæ dignitatem, ad cuius accrementum crescit offensa.

76 Latius verò *cap.* 3. rationem nostram oppugnat, quam primo aspectu speciosè compositam, & ad popularem sensum adaptatam mirificè, parum verò momenti habentem, ait: Primò, quia non omnis iniuria crescit è dignitate personæ, quòd enim subditus non obseruet leges Principis, non peccat specialiter in Principem; alioqui essent duæ culpæ: altera in Principem; altera in legem: solùm ergo hoc augmentum sumitur in materia iustitiæ: neque in omni obiecto iustitiæ, vt patet; nam furtum commissum in Regem non auget, sed potius diminuit, quia minus est furari diuiti, quàm pauperi.

77 Præterea contra id, quod nos asserimus, satisfaciendi dignitatem esse sumendam è persona, quæ satisfacit, vt nequeat inferior superiori satisfacere, falsum esse ait; nam si quis lædat in fama, satisfaciet palinodiam canendo; si in honore, posset reddere in aliquo casu, puta eximendo personam illam grandem è periculo mortis, exponendo se ob id vitæ discrimini; si verò sit iniuria transgrediendo præceptum, satisfaciet luendo pœnam. Accinit his Lugo.

78 Iam verò offendens Deum non lædit honorem (ait) in quo solum vrgent eorum exempla; nam Deus in bonis suis non læditur à peccatore, sed sola denominatione extrinseca; solùm ergo offendit Deum transgrediendo præcepta, in quo non solùm Deus, sed neque Princeps inhonoratur (præciso contemptu.) Nostra igitur culpa in eo est, vt aliquid faciamus Deo displicens, & hinc Deo inimici efficimur; ex quo fit sufficere, si ponatur in nobis forma tantæ bonitatis, quæ Deo gratum constituat seipso, talem autem esse actum contritionis, & habitum gratiæ, vt *prima secunda*, ostendere conatus est.

79 Hæc falsis sunt nixa basibus, ac proinde ruinosa; sic enim contingit, vt qui semel labile iecerit doctrinæ fundamentum, super eo cogatur male ædificare, quod sæpè huic viro subtili accidit, quod tamen in aliis reprehendit *disp.* 3. *num.* 6.

Primò quidem supponit, malitiam peccati more transgressionum humanarum in leges hominum adæquatè esse mensurandam, atque adeo per contritionem, seu actum dilectionis Dei adæquatè satisfieri, satisque sarciri, quod perinde falsum est, vt temeritate damnetur a Suarez *sect.* 8. Hæc enim supponit, contritione ita dari gratiam sanctificantem, vt ab ea sit formaliter; cùm tamen solùm dispositiuè ab illa causetur, & sit necessaria adhuc noua gratia, vt satis ostendi *prima secunda, tract.* 5. *d.* 3. *quæst.* 2.
Hoc verò probatur primò è Scripturis, quæ per- 80
fectæ pœnitentiæ promittunt, tanquam nouam, gratiam sanctificantem, vt *Ezech.* 18. *&* 33. at quis dicat, promitti per aliquid, quod iam habetur? Hinc Eccli. 17. *Quàm magna misericordia Domini, Et propitiatio illius conuertentibus ad se.* Psal. 31. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Ioël. 2. *Scindite corda vestra, & conuertimini ad Dominum: quia benignus, & misericors, &c. & præstabilis super malitia.*

Clarissimè verò id è Concilio Tridentino 81
ostendi; nam *sess.* 14. *cap.* 4. definit, contritionem fuisse semper necessariam ad impetrandam remissionem peccatorum, & præparare ad illam obtinendam. Vbi ponderat Suarez, Concilium in fine capitis eodem modo asserere, contritionem imperfectam disponere ad impetrandam remissionem peccati in Sacramento; vbi certum est, remissionem illam esse distinctum beneficium à Sacramento, & attritione. Eodem ergo sensu locutum est Conci- 82
lium initio. Nec minus clarè idem docet *sess.* 6. *cap.* 6. *&* 7. & *can.* 3. vbi sic definit: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, aut diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Vbi apertè distingnit gratiam iustificationis ab omnibus actibus, quibus homo disponitur ad illam gratiam recipiendam. Loquitur autem de actibus etiam perfectis. Quæ satis *loco adducto* confirmaui.

Oportet igitur admittere in Dei offensa mo- 83
ralitatem illam specialem offensæ in Deum, quæ actibus nostris adæquatè non redimitur. Ideò SS. PP. qui disputant contra Nouatum, negantem pœnitentibus veris post Baptismum remissionem, concedunt dari remissionem ex Diuina misericordia, vt videre est in D. Thom. 3. *part. quæst.* 86. *art.* 1. & in multis Patribus, qui habentur *in Decreto de pœnit. d.* 3. & specialiter *in cap. Talis est*, sumpto è Chrysostomo *epist.* 5. ad Theodorum lapsum.

Id latè ostendit S. Hieronym. *epist.* 46. *&* 48. 84
quod præcipuè probat ex facto Dauid, qui contritus petiit veniam, cui Nathan respondit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: & ad hoc explicat etiam osculum Patris, exhibitum prodigo contrito. Quod benè tractat etiam D. August. *lib. de vera, & falsa pœnit. cap.* 3. *&* 5. Et *in Enchir. c.* 65. Ex his sequitur, non satisfieri adæquatè Deo per contritionem, vt notat etiam Lugo. Deinde verò Vasquez aliud supponit, peccatum non esse offensam in Dei honorem, cuius oppositum probaui *prima secunda, tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 3. *&* 4. & infrà ostendam.

Tertiò, auersionem à Deo non essentialem 85

peccati, sed consequentem naturam eius insinuat, cuius oppositum ostendi *prima secunda, tract. 3.* qui est *de Peccato, disp. 1. quæst. 3.*

Decipitvr verò grauiter Vasquez considerans peccatum nostrum pari passu cum transgressionibus legum Principis, in quo est summa diuersitas, ex qua nostra doctrina consurgit, quam à fundamento examinat S. Bonauentura *3. part. cap. 9. & 10.*

86 Qvia enim Deus est primum omnium principium, & finis, ad quem tenemur ordinare nos ipsos, nec ei aliquod bonum præferre, sed eum diligere super omnia; hinc est, vt peccator transgrediens grauiter præcepta, Deum creaturis postponat, eumque contemnat auertens se à suo vltimo fine, & contra suum principium.

87 Hinc incipit dignosci grauitas diuinæ offensæ, admodum dissimilis transgressionibus legum Principis, cui cùm id vnum legis obsequium extrinsecum debeamus, non statim contra iustitiam in eum peccamus, sicuti in Deum, cui omnia debemus, quibus tenemur tanquam primo principio, & vltimo fini.

88 Prætereà honorem Dei offendimus, cuius obsequia cùm in omnibus teneamur verè ipsum pessundamus, licèt enim ex eo, ei nil adimatur, quippe immutabilis sit, honoremque nullum intrinsecè addamus, vel minuamus, attamen eum honorem extrinsecum, qui ei debetur, negamus, & apud alios etiam minuimus, quæ sanè honoris est vera offensa, qualis esset subditi, qui tentaret Regem inuadere, & contumeliis afficere, sed ab assistentibus remoueretur: & os ei obstrueretur. Quapropter verè ille reus læsæ Maiestatis censeretur, atque puniretur.

89 Hinc Scripturæ sæpe id asserunt, *Esther 13. versu 14.* Mardochæus iustificat se, cur noluerit Amanum adorare: *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem.* Psal. 28. & 98. dicitur: *Afferte Domino honorem.* Eccli. 50. *Rogauit populus Dominum, vsquequo perfectus est honor Domini.* Malach. 1. versu 6. *Si Pater ego sum* (ait Dominus) *vbi est honor meus?* Arguit autem Dominus sic: Vos confitemini me Patrem, principium creaturarum, & peccata patratis. Pater habet à filio honorari. Si ergo vos estis filij, & ego Pater; cur inhonorastis me? Primo Reg. 2. *Magis honorasti filios tuos, quàm me.* Et Christus Ioan. 8. versu 49. *Et vos inhonorastis me*, arguit autem vt Deus: *Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem; vos inhonorastis me:* Ergo & Patrem, vt notat S. Bonauent. ad eum locum.

90 Freqvens autem hic sermo in Scripturis ostendit, lædi in honore Deum à peccatoribus omnibus; nam hæ locutiones vniuersales sunt; & cum lædatur gradus infinitus Personarum Diuinarum, erit quoque offensa infinita; vnde non est ad rem exemplum Lugo, & Vasquez, de eo, qui lædit honorem Principis, & satisfacit subeundo mortis periculum, ad Regem, in vitæ discrimine positum, liberandum.

Primò enim, cùm offensa in Deum sit altioris ordinis, quàm quodlibet bonum creatum, vt fatetur Lugo *sect. 2.* Vasquez *num. 14.* non satisfiet quolibet oblato bono à peccatore Deo.

91 Deinde verò neque apud Principem terrenum id fit; nam cùm bonum honoris sit æstimatum super bonum vitæ, quæ ob honorem iustitiæ exponitur discrimini, non satisfit à subdito læsioni graui honoris Regij, si vitam discrimini exponat, esto

per legem nulla esset pœna indicta, aut Rex, generoso illius subditi actu viso, esset satis, superque contentus.

Qvamvis igitur peccatum ex intrinseca malitia, non sit infinitum, quatenus peccatum est actus contra virtutem, tamen ex obiecto læso, quod intrinsecum est peccato, redditur offensa infinita quia Deus infinitus contemnitur, & deseritur ob bonum creatum, vt ait S. Bonau. suprà, cui consonat iisdem ferè verbis S. Thomas, *de verit. quæst. 28. art. 2. in corp.* vbi hinc arguit infinitatem offensæ Dei, non per solam denominationem extrinsecam, vt conatur persuadere Nazarius, sed intrinsecè. Ait enim: Quicumque rem aliquam digniorem indigniori postponit, iniuriam ei facit, & tantò ampliùs, quantò res est dignior. Quicumque autem in re temporali finem sibi constituit, (quod facit omnis mortaliter peccans) præponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam, quàm Creatorem. Finis enim est, qui maximè diligitur. Cùm ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum infinita offensa ex parte dignitatis eius, cui per peccatum quodammodo iniuria fit, dum ipse Deus contemnitur, & eius præceptum. 92

Valeant hunc aduersi: Hoc enim nostrum argumentum est Sanctorum PP. & Spiritus sancti. 93 94

D. Basilivs *homil. 24. in Psal. 48.* ait ad ea verba: *Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ. Neque igitur frater fratrem suum redimere potest, neque vnusquisque seipsum; propterea quòd multò meliorem oportet esse redemptorem captiuo. Sed & neque omnino facultatem habet homo ad Deum, vt ipsum placare possit de peccato, quoniam & ipse peccato obnoxius est. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificanturque gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Non dabit igitur Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ. Neque igitur fratrem quæreto in redemptionem, sed eum, qui excedit naturam tuam. Neque hominem nudum, sed hominem Deum Iesum Christum, qui etiam solus placationem dare potest. Quid enim potest homo inuenire tantum, vt det pro redemptione animæ suæ? Sed inuentum est vnum simul omnibus comparandum, quod datum est in pretium redemptionis animarum nostrarum, nimirum sanctus; & pretiosus sanguis Domini nostri Iesu Christi: Quapropter & magno pretio empti sumus. Ne igitur hominem solum putes deitatis ignarus potentia, Talis enim conueniebat Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis.* 95 96 97

Damascenvs lib. 3. de fide, cap. 1. *Etenim, qui redemptus erat, oportebat prorsus ἀναμάρτητον, & nulli per peccatum morte obnoxium: at solus Deus suapte natura ἀναμάρτητος.*

Theodotvs vnus è Patribus Concilij Ephes. orat. de Natiuit. Saluatoris: *Naturam nostram sanare volens Deus, non per alios salutem nostram, sed per semetipsum molitus est: quia omnis creatura deficiebat ad salutem nostram.* 98

Apertè D. Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo, cap. 21.* quem sequitur Richardus de S. Vict. hoc vtitur argumento: Exprimit id Scriptura signans, Deum ipsum venire voluisse. Psal. 129. *Ipse redimet Israel.* Isa. 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos.*

Isaiæ 45. *Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus, absconditus Deus Israel Saluator.* 99

Osaæ 1. *Et saluabo eos in Domino Deo suo.*

Zachariæ 9. *Et saluabit eos Dominus Deus ipsorum.* Vide alia, *disp.* 1. *quæst.* 2. alios verò Patres hic *quæstione sequenti* inuenies.

100 E Patribus allatis, quibus adde Proculum Episc. Cizicenum *orat. de Christi Natiuit.* Hildebertum Episc. Cenomanensem *epist.* 48. *apud Bouer. demonst.* 1. *in Iudæos*, *art.* 4. habetur tertia ratio, quam Vasquez, reliquis spretis, vnicam acclamat, *cap.* 5. quam ampleauntur Caietan. ad hunc artic. D. Thom. Ferrar. 3 *contra Gent. cap.* 54. Sotus *lib.* 3. *de natura, & gratia, cap.* 6. Eam vero affert D. Bonauentura *fundam.* 3. & *ad penult.* & magis *in corpore*, & *ad* 2. vt viderunt Vasquez, & Lugo *sect.* 4. qui probat ea Patribus, nullum posse pro offensa Deo illata adæquatè satisfacere, nisi sit Persona Diuina. Affert D. Ambrosium *in cap.* 9. *Hebr.* Leonem *epist.* 81. Alios affert Suarez *disp.* 4. *sect.* 9.

101 Male tamen Lugo, hanc inæqualitatem satisfacientium ad iustitiam, esse finitam addit.

Sane cùm Patres solam Personam Diuinam æqualem asserant, exclusis omnibus satisfactoribus creabilibus, inæqualitatem illam astruunt, quæ est creaturæ ad Deum, profectò infinitam esse simpliciter, vt ostendam etiam *quæst.* 4.

102 Svppono autem primò cum D. Bonau. *dist.* 15. è D. August. *in Enchir.* & *de Eccl. Dog. cap.* 54. satisfactionem iustam tollere omnem influentiam efficacem culpæ in satisfacientem; alioqui non erit perfecta solutio, si pro toto non fiat, & ex æquitate non remoueatur omnis culpæ influxus, qui vel in culpa cogit manere, vel ad culpam necessariò tendere: nam quoad aliquam pœnam, ordinatam ad exercitium, vel meritum, non implicat, inefficacem influxum remanere, non obstante perfecta satisfactione. Quo pacto concupiscentia morbi, & mors relicta sunt nobis post Christi satisfactionem.

103 Vnvs verò è malis influxibus peccati est originalis, cogens hominem in peccato remanere, quod est veluti radix omnium, & debitum quoddam carendi gratia, & sanctis cogitationibus, quod sanè transfunditur etiam per generationem à iustis in filios, simul cum culpa originali. Itaque per peccatum primi Parentis perdidimus, simul cum gratia, omnem sanctam cogitationem, quæ fuisset aliter nobis consequens ad donum iustitiæ originalis.

104 Ità definit Cælestinus I. *epist.* 1. *cap.* 4. Docentque Sancti, Prosper *ad cap. Gallorum, resp.* 8. & ad excepta Ianuensium *resp.* 3. Fulgentius *lib. de Incarnatione, & gratia Domini Iesu, cap.* 12. & 13. Bernardus *lib. de libero arbitr. circa medium.* Idem verò debitum eadem ratione incurrimus propter peccatum actionis nostræ, nempe carendi auxilio ad exeundum ex abysso inimicitiæ Dei.

105 Dicitvr autem propriè hoc debitum radix peccati; quia sicuti manente radice arboris, non tollitur arbor perfectè; ita manente hoc debito, non tollitur peccatum, nec tolli potest per satisfactionem adæquatam, quia ad eam requiritur diuinum auxilium, quo sumus indigni, & gratis ipsum accipimus, vt satisfaciamus, & ideò ante satisfactionem oportet, vt ea eo capite remissa sit gratis culpa, qua merebamur priuari necessario auxilio, ac proinde ea parte gratis culpa remissa est in radice, seu ablata est radix, qua viget, & permanet, & repullulat culpa, ac proinde solùm ex parte potest auferri culpa, siue originalis, siue actualis.

106 Hæc ratio longè minus placet Nazario, quàm aliorum rationes ipsi Vasquez probentur.

Primò eam impugnat, quia debitum illud carendi auxilio, est pœna; non culpa. Nostra autem quæstio est: An possit homo satisfacere pro culpa, vt monet etiam Lugo, *disp.* 5. *sect.* 1.

Respondet D. Bonau. primò *ad vlt.* satisfactionem respicere obligationem ad pœnam, vt satisfactio sit adæquata; vt dicam ratione sequenti.

Respondat secundò, culpam, vt ex vi satisfactionis tollatur, debere tolli quoad ea, quæ habent rationem radicis, stabilientia in peccato, ita vt de eo nequeat peccator emergere. Hoc igitur debitum, est causaliter culpa, seu radix culpæ est formaliter pœna. 107

Secvndò impugnat, quia adhuc exhibito Dei auxilio, contritio non est æqualis culpæ satisfactio, vt suprà vidimus, cùm remissio sit noua misericordia. Sic arguit etiam Lugo.

Respondetvr, rationem illam apud D. Bonauent. non esse vnicam huius assertionis, ita vt assignet eam adæquatam, sed impedimentum satisfaciendi. Ita contra nos nil premit, sed solùm contra Vasquez.

Tertiò impugnat, quia homo in gratia non habet debitum carendi auxilio, quo satisfaciat, & tamen contritio elicita, non est adæquata satisfactio. 108

Respondetvr, hominem, in gratia constitutum, impropriè dici satisfactioni incumbere pro peccato remisso, alioqui principium meriti cadet sub merito, vt rectè aduertit Suarez *sect.* 7.

Qvòd verò addit Nazarius, nunquam hominem elicere actum contritionis, nisi sit iustificatus, falsum est, vt ostendi *prima secunda, tract.* 5. *disp.* 3. *quæst.* 12. nam contritio est dispositio ad gratiam, ac proinde ad iustificationem.

Qvartò impugnat, quia homo per peccatum incurrit non modò debitum carendi auxilio, sed etiam vt alij denegetur auxilium satisfaciendi pro ipso; & tamen hoc non obstante, Christus adæquatè pro nobis satisfecit. 109

Respondetvr facilè, satisfactionem, ex parte nostri, nullam fuisse; sed solùm ex parte Christi, qui soluit hoc debitum, & gratiam nobis emit, simul cum præparatione auxiliorum; & ideò ex parte solius Christi est satisfactio. Neque verò ex debito nostro, gratis nobis condonato, debet diminui meritum Christi soluentis, vt patet. 110

Probatvr quartò Assertio à S. Doctore argumento, quo vtitur Durandus. Qui pœnæ mortis reus est ob aliquod delictū, non potest propter illud satisfacere; sed peccator ex originali est reus mortis corporis, vt patet *Rom.* 8. & reus est etiam mortis animæ: Ergo. Eadem ratio habetur à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 33. *quæst.* 2. *in corpore*, & *in* 3. *dist.* 18. *dub.* 4. *litt.* & à Patribus suprà. 111

Respondat Vasquez *num.* 37. negando maiorem, quia qui reus est mortis, potest aliquid præclarum patrare, quo redimat illam obligationem, puta liberando Regem à nece, vel Rempublicam à ruina. Secundò negat minorem, quia contritio viuificat animam. Ideò æqualis videtur ex hac parte ad compensandum malum mortis spiritualis. Quare hæc ratio (ait) nihil probat. 112

At argumentum est insolubile: Nititur enim ea veritate, quam suprà confirmaui, & latiùs ostendi *prima secunda, tract.* 5. *disp.* 3. *quæst.* 2. nempè contritionem non redimere adæquatè iustificationem, & viuificationem, eamque esse nouam gratiam, quod absque temeritate non potest negari, vt ait Suarez, neque ipsa meretur resurrectionem corporis.

Qvòd

113 Qvod verò ait, posse aliquo facinore debitum mortis redimi; apud Deum non occurrit, quia nihil absque gratia, qua est indignus, potest peccator; vnde insufficientiam omnis satisfactionis possibilem retundit Vasquez *cap.5.* Quare si intuitu satisfactionis exhibendæ, Deus gratiam donet, qua satisfaciat, iam principium meriti cadet sub merito; nam in eo casu gratiæ elargitio esset effectus satisfactionis præuisæ, & causa illius in re.

114 Respondet Gallus *d.6. cit. cap.3.* non sequi hoc absurdum, quia cùm gratia, & peccatum non opponantur physicè, sed sola Dei ordinatione, potest dare gratiam, vt eliciat actus, non vt remittat peccatum; & ita poterit ea gratia postea satisfacere pro peccato, & induci noua gratia, peccato opposita.

Hæc tamen non soluunt; nam si adhuc noua requiritur gratia; sequitur, priorem non reddidisse satis iustum, & aptum ad satisfaciendum de condigno. Quod si per priorem gratiam est iustificatus perfectè, iam cùm per eam satisfaciat, eamque in virtute satisfactionis præuisæ obtinuerit; sequitur eandem esse causam, & effectum satisfactionis.

115 Mastrivs *num.239.* sic resoluit, posse hanc satisfacere actu contritionis, procedente à gratia, quæ est prior remissione peccati, saltem naturâ, quod sufficit, vt sit causa satisfactionis: & cùm actus contritionis procedat à persona grata, erit satisfactorius. Itaque gratia dabitur sanè gratis, sed ea operabitur ad satisfaciendum.

116 Enim verò actus contritionis, quo iustificamur, ex Concilio Tridentino est dispositio ad gratiam; & ideò non esset effectus eius, cùm sit causa, nec aliter esse potest, nisi ponamus causam post effectum. Itaque gratia iustificans aduenit posteà; vnde peccator non adhuc est ad satisfaciendum idoneus.

117 Probatvr quintò à S. Bonau. Qui pro suo originali satisfaceret, deberet tollere radicem deriuantem peccatum in se; sed hæc est culpa Adæ: Ergo deberet pro culpa Adæ, vt originalis est, satisfacere; sed culpa Adæ, vt originalis est, diffunditur necessariò ad totum genus hominum: Ergo deberet is satisfacere pro hac culpa, sic diffusa; sed hoc non potest, vt ostendam *quæst. seq.* Idem habet S. Doctor *in 2. loco citato.*

118 Dices: Posset satisfacere pro ea parte, qua malitiæ riuulus deriuatur ad se, sicuti Christus satisfecit singulariter, ne originale deriuaretur in B. Virginem solam.

Respondetvr, Christum gratia capitis pro tota culpa Adæ satisfecisse ad præseruandam B. Virginem; at verò satisfaciens ad subleuandum suum vnicum lapsum, non satisfaceret pro deriuatione in satisfacientem. Secundò, quia iam reus est, & ideò non potest mundare, vt è Patribus citatis suprà notat S. Bonau. *in corpore.*

119 Ratio verò assignatur à S. Doctore *ibi*, quia deprauatio, facta ab originali, est deprauatio naturæ, vt sic; & ideò per propagationem diffunditur, at cùm natura sit immutabilis, & respiciat personam Adæ, vt est naturæ communis principium, non vt persona est, ideò cùm non possit aliquis mereri in principio eradicationem, si pro sui solius infectione satisfaciat, esto suspenderet (quod neque potest ob alias suprà allatas rationes) adhuc tamen radix, & debitum multorum malorum remaneret etiam posito quocumque nobilissimo actu, ideò non potest satisfieri pro vno, nisi satisfaciat pro omnibus, vt ait S. Bonau. *quæst.3. ad 5.* Debet ergo habere gratiam, quam solus homo Deus habere potest, vt infra patebit.

120 Probatvr sextò à D. Bonau. *in corpore.* Iniuria mutatur secundùm mutationem graduum personæ offensæ; sed gradus Diuinæ Maiestatis est ordinis superioris omni creaturâ (dato, & non concesso, non crescere ordinem vniuocè intra eundem gradum in infinitum, vt vrget Vasquez suprà, sed solùm transcendendo ordinem creaturarum omnium in alium ordinem alterius rationis:) Ergo adhuc non posset creatura adæquatè satisfacere, quia quidquid exhibet satisfactionis, erit inferioris generis. Ità S. Bonau. *in corpore quæst.3 & 4.*

121 Probatvr septimò à S. Doctore *ad vlt.* ratione, qua vtitur Almainus. Licèt homo possit offerre Deo actum æquè bonum cum malitia peccati, ita vt omnem deleat auersionem, tamen non satisfacit pro pœna æterna, atque adeò nec pro debito peccati; satisfactio enim respicit obligationem ad pœnam. Quod verò non soluat adæquatè pro pœna, probatur, quia pœna æterna non soluitur adæquatè quolibet actu finito.

122 Respondet Vasquez *num.38.* quod si contritionis, vel charitatis actus tantum habet bonitatis, quantum malitiæ habeat peccatum, hanc etiam vim habebit, vt omnem pœnam æternam auferat; nam qui ex inimico Dei fit amicus, ex digno pœna æterna, fit dignus, vt non in æternum puniatur.

123 At futilis est responsio, vt notat S. Bonau. *hic*, & *in fine corporis.* Nam licet gratia, quoad essentiam moralem, formaliter tollat omnem malitiam, & Deo reconciliet, non statim efficienter tollit etiam pœnam; atque in hoc apparet diuersitas Sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ.

Præterea virtus gratiæ ad pœnas delendas è Christi passione habet virtutem; nam Christus satisfactione plenissima omnem nostram pœnam soluit, etiam infinitam; ex quo non sequitur, idem præstare gratiam, vt sanctificantem simpliciter, præcisâ virtute satisfactionis, quæ est à meritis Christi, à quibus habet tum inimicum Dei reddere amicum; tum pœnas omnes eluere.

124 Circa dictum D. Bonauenturæ, quòd actus conuersionis tollit omnem auersionem; aduerte, non tollere omnem moralitatem iniuriæ, ita vt statim reddat Deo amicum absque nouo fauore, vt dixi suprà, & aduertit Suarez *sect.8. §. Ex his etiam fundamentis*; Ratio est, quia actus ille non habet virtutem, iniuriæ adæquatam illatæ, vt sæpè refricat S. Doctor *allegatis locis.* Neque omnis pœna eluitur; atque adeò malè hoc medio vtuntur aduersarij ad probandum, satisfactionem esse æqualem per contritionis, charitatisve actum.

125 Probatvr octauò è dictis *prima secunda, tract.3. disp.1. quæst.6.* & *tract.5. disp.3. quæst.3.* vbi ostendi, gratiam non suâ merâ virtute Physicâ expellere peccatum, sed necessariam esse Dei insuper acceptationem ab initio. Et *tract.3. disp.3. quæst.2.* suprà *citatis*, vbi satis probaui, gratiam sanctificantem esse nouam gratiam, additam contritioni. Tunc sic: Id, quod nouâ gratiâ eget, non est sufficiens satisfactio: Talis est actus contritionis; Ideò hoc satis probabile fatetur Vasquez *num.46.*

Imò vlterius vrgere possum ex dictis primis duobus allegatis locis. Quod naturâ suâ non adæquat formaliter, sed eget fauore, est insufficiens ad satisfactionem: Talis est gratia, nudè considerata: Ergo. Hoc argumento nituntur Scotus, Gabriel, & Ioannes Medina.

126 Assero secundò, satisfactione semiplenâ, seu

congruen

congruentiæ potuisse hominem satisfacere pro suo actuali peccato. Ità communiter DD. suprà adducti, præcipue D. Bonau. *quæst. 4. in corpore*, D. Thom. *3. part. quæst. 85. art. 3.* Vide *primâ sequnda, tract. 5. disp. 4. quæst. 9. & 10.*

PROBATVR à D. Bonauentura. Qui ex gratia, seu auxilio per Christum nobis dato, vt satisfaciamus, operatur quantum in se est, hac intentione satisfaciendi, proculdubio satisfaciet aliquo modo: hoc autem modo operatur, qui ad Deum conuertitur: Ergo. Hac ratione vtitur Suarez *sect. 8. in fine.*

ASSERO tertiò, non posse aliquem pro suo ori-
127 ginali satisfacere in toto damno, etiam remissa culpâ, quod est satisfacere semiplenè.

128 PROBATVR à D. Bonau. vt suprà vidimus, quia cùm sit peccatum naturæ, non potest in sua radice ab aliquo, quoad damna, extirpari, nisi in sua radice, seu stirpe Adam euellatur; at hoc non potest absque eo, quòd eradicetur in tota stirpe; Neque potest hoc modo euelli à pura creatura: Ergo. Probatur Maior à D. Bonau. quia in voluntate illa debet destrui, vnde est radix peccati; at hæc est voluntas Adæ; Ergo. Minor probatur à S. Doctore,
129 vt dixi *in quinto argumento*. Subsumptum probatur, quia ad totam stirpem hominum emendandam, & pro ea satisfaciendum, requiritur gratia Capitis, quæ diffundatur per membra omnia, at gratia Capitis non potest esse, nisi in Persona Diuina: Ergo. Maior est euidens, Minor probatur à S. Doctore hic: Gratia Capitis dicit originem ipsius gratiæ in totum corpus; sicut à capite motus, & sensus in totum corpus deriuatur, tanquam à primo principio. Sic enim Caput Ecclesiæ cum capite naturali comparatur passim ab Apostolo, at nulla pura creatura potest esse primum principium motus, & sensus spiritualis in omnes homines; Ergo. Idem habet S. Bonauent. ad 1. Ioannis: *Plenum gratia*, Et ad cap. 15. eiusdem Ioannis, ad ea verba: *Ego sum vitis*.

130 PROBATVR verò à D. Bonau. totum ex Colossensibus, vbi ait: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium*, vbi Glossa: *Qui est principium secundum diuinitatem.* Hinc gratiam capitis (ait q. 2.) adscribit primò vnioni hypostaticæ, seu relationi Verbi ad naturam humanam, quâ vnione Humanæ naturæ cum Verbo, est caput aliorum hominum. Homo enim ille eo ipso est caput aliorum hominum, quo est verbo Dei subsistens, vt ait S. Bonau. *quæst. illa 2. in corpore.*

131 Ex quo S. Doctor deducit hic, gratiam capitis esse incommunicabilem creaturæ, quam illationem deducit etiam Vasquez *disp. 49. num. 18.* & infert cum D. Bonau. solum Christum potuisse in Sacramenta gratiam diffundere. Quæ cum ita sint, etiam, atque etiam miror, eundem Vasquez *num. 17.* admirabundum exclamare, S. Bonauenturam nunquam de gratia vnionis locutum, cum de gratia capitis disseruit; cùm præcipua causa efficaciæ meritorum Christi non fuerit gratia habitualis, sed gratia vnionis apud S. Doctorem, vt ostendam *disput. 13. quæst. 3.*

132 SVAREZ *disp. 4. sect. 7. §. Dico iam primò*, ait, nullam esse implicantiam, constitui à Deo aliquem purum hominem caput hominum in ordine gratiæ, quam in alios influeret. Sicut Adam factus est caput hominum, ita vt eo peccante omnes peccatores essemus, quippe qui nostras in eius voluntate habeamus voluntates. Si ergo vnus potuit omnibus nocêre; cur non potuisset & gratiam diffundere?

CONFIRMATVR, potuisset enim puro homini tantam gratiam tribuere, quantam & Christo tribuit, eique præcipere, vt omnes suas actiones ordinaret ad merendum, atque satisfaciendum pro omnibus. Quo posito facile intelligitur, eum hominem posse aliqua ex iustitia, esto imperfecta, pro omnibus satisfacere. Eadem responsione vtitur Faber *disp. 4. ... num. 14.*

HOC argumentum sumpserè è D. Bonau. *quæst. 3.* 133
cui respondet, potuisse hominem esse vnum principium infectionis, quia erat principium generationis, per quam infici potest natura; non autem potuit esse principium generationis spiritualis; primò quia tale principium debet esse æquiualens toti humano generi in æstimatione, & ita, etiamsi totum se exhiberet, non compensaret damnum totius
generis. Amplius verò exigitur, vt influat tam- 134
quam principium, & causa gratiæ; quod soli Personæ Diuinæ conuenire potest. Quapropter & si Deus aliquem gratia repleret, eiusque operationes ordinaret ad satisfaciendum pro omnibus, non esset ipse influens gratiam, sed similem in hoc efficientiam haberet canali, per quem traducitur aqua.

ADDO, id contra omnem legem esse, vt tanta gratia detur puræ creaturæ, quanta data est Christo, cuiusque non esse capacem, quanta fuit capax anima vnita Verbo. Esto verò operans pro omnibus mereretur, & aliquam imperfectam exhiberet satisfactionem, quam aliis etiam Sanctis insignibus
non negabo. Attamen non satisfaceret eo modo, 135
quo intendit D. Bonauentura, nempè pro toto damno, quod è peccato originis emersit, vt radicitus euelleretur, quia sic oporteret etiam totam culpam extirpare, quod vni hominum esset impossibile; nam gratia illa adoptionis esset eiusdem naturæ cum nostra; & ita non haberet condignitatem ad merendum aliis, sed soli habenti eam. Et hanc rationem ex Adriano Papa *epist. ad Episcopos Galliæ,*
& Hispaniæ, & Concilio Franckford: *in libro Sacro* 136
syllabo, desiectam esse, ait Nazar. *quæst. 1. art. 2. controu. 4. in §. contrà.* Sed de hoc *quæstione sequenti*.

QVÆSTIO IV.

An potuisset purus homo satisfacere adæquatè pro omnibus Hominibus.

D. Bonau. dist. 20. quæst. 3 & 4.

VIDEBITVR iam definitum è præcedenti quæ- 137
stione id, quod *hic* quæritur; qui enim non potest pro se solo satisfacere, multò minus pro aliis omnibus: at verò hic est quæstio non de potentia sola ordinaria, sed etiam absoluta. Deinde alia maior ratio est; quia satisfaciens pro se, supponitur reus; at pro aliis potest supponi penitus innocens. Fateor, aliquas rationes suprà allatas, etiam hanc quæstionem definire negatiuè.

SVPPONIT autem Nazarius *controu. 4. ad art. 2.* 138
quæst. 1. è D. Bonau. *quæst. 6.* Neminem adhuc pro aliis satisfecisse: Probat cum S. Doctore ex 4. Act. *Non est aliud nomen sub cœlo datum, in quo oporteat nos saluos fieri*; & Hebr. 5. & seq. & *Rom. 3. 4. & 5.*

PRIMA opinio duo dicit: Primum est, potuisse ex 139
Dei potentia virum constitui, qui condignè Deo pro

pro omnibus satisfaceret. Secundum, hunc tamen non satisfacturum ad regulas perfectæ iustitiæ. Ita Suarez *disp.4.sect.7.* qui ideò in secondo dicto negat, fore satisfactionem ex perfecta iustitia, quia non esset æqualis offensæ, quæ est infinita ratione personarum Diuinarum offensatum. In quo videtur sibi implicare, notat Vasquez *disp.4. num.14.* si enim satisfacere non potest condignè ratione offensæ infinitæ; quo pacto asseritur condigna satisfactio.

140 Et sanè pro priori sententiæ parte est Sotus *4.dist.1. quæst.5. art 4.* & *dist.19. quæst.1. artic.2.* Caiet. *quæst.1. art.2. D.Thom.* vbi citatur etiam idem S.Thomas, sed falsò: Nam in *sola responsione secundi* de hoc loquitur, & dicit, futuram satisfactionem ex se imperfectam. Citatur quoque in aliis locis, sed perperam, vt ostendit Vasquez *cap.1.*

141 Pro secunda parte istius sententiæ est etiam Sotus *loco citato*, imò sunt DD. allegandi pro secunda sententia; sed illi non admittunt cum Soto, vel Suarez priorem partem de condignitate satisfactionis. Eam verò admittunt Rada *3. part. controuers.13. art.1.* & Porrectanus apud Nazarium *quæst.1.art.2.controu.4.* Aureolus verò *in 4.dist.15. art.2.* admittit, eam potuisse esse de toto rigore. Faber *in 3.dist.47.num.11.* dicit esse Scoti, ponentis, fore eam satisfactionem de rigorosa iustitia, non tamen exclusa misericordia Dei. Sumit tamen perfectam iustitiam, vt debuit reddere æquiualens, non ponderatis aliis iustitiæ regulis. Ea est sententia Scoti, & Scotistarum apud Mastrium *3.dist.4. quæst.5.*

Perantiqva sententia est, nullam meram
142 creaturam, quantalibet innocentia, & sanctitate conspicuam, potuisse condignè, ac proinde neque ex iustitia, pro omnibus hominibus satisfacere. Ità D. Bonau. & D. Thom. *hic*, Altisiodor. *lib.3. sum. tract.1.cap.8.* Guillielmus Paris. *tract.Cur Deus Homo, cap.7.* Alensis, *3.part.quæst.1.memb.7.art.2.* Durandus *in 3. dist. 20. quæst.2.* Abulensis *prol. in Matth. quæst.17.* Ioannes Medina *Cod. de Pœnitent. tract.3. quæst.1.* Ferrar. *4.contra gent.cap.54.* Driedo *de capt. & redempt. generis Hum. tract.2.cap.2. p.3. art.6.sent.4.& 9.* Pesant.*disp.4.* Aluar.*disp.6.* Nazar. *loco cit.* Lugo *disp.5.sect.8.* His a fortiori additur Scotus *3.dist.9.quæstione vnica*, & Scotistæ, atque Gabriel *3. dist.19. quæst. vnic. art.1. not. 3. & artic.2. conclus.1.* qui idem sentiunt de meritis ipsius Christi.

143 Assero, non potuisse meram creaturam adæquate pro omnibus hominibus satisfacere.

Probatvr à D. Bonau. primò, ratione Procli Episcopi Ciziceni, *homilia de Christi Natiuitate*; quæ est *in Tomo 6. Concil. Ephes. cap.7.* & aliorum PP. infrà: Vel ista creatura fuisset homo, vel Angelus. Si homo, cùm esset peccator, saluare se non poterat, & multò minus alios. Si Angelus, contra: Quia non poterat tantum redemptionis pretium soluere, quod adæquaret debitum; quia cùm gratia sit semen tantùm meriti, & gloriæ in eo, qui
144 illam habet, non est conueniens fundamentum ad satisfaciendum, & merendum pro aliis, sed condignè ille solus potest satisfacere, qui peccauit, nisi habeat gratiam capitis, quam solus Filius Dei habere potuit. Ideò infert Proclus: *Vnica hæc restabat mali solutio.*

145 Hæc ratio iudicio Vasquij *cap.5.* noua est, & vnica, qua probari possit assertio. Cùm enim ea gratia, qua sanctus ille satisfaceret, esset eiusdem rationis cum gratia, quam modo iusti habent, nunc autem nullus iustus possit alteri condignè mereri primam gratiam necessariam ad Diuinam reconciliationem; sed sibi soli incrementum gratiæ, & vitam æternam: Ergo neque illa id præstare valeret. Est tamen noua hæc ratio D.Bonau. *3.dist.20. quæst.4.* vt vidit Mastrius *3. disput. 4. quæst.5. num.227.*

Hinc sequitur, eam gratiam, etiamsi inten- 146
sissima esset, non fuisse futuram sufficientem ad hoc meritum pro aliis, quia intensio facit quidem perfectius ad effectus eiusdem generis, puta calor, vt octo ad intensius calefaciendum; non tamen ad actus extra suum genus, puta ad generandum ferrum; ratio est, quia incrementum qualitatis est intra genus suum per gradus eiusdem rationis specificæ, ac proinde eiusdem etiam specificæ virtutis.

Obiicies cum Mastrio. Sicut gratia è Diuina 147
acceptatione, non solà suà physicà entitate facit meritum condigni, & iustificat; ita potuisset è pacto Dei alicui dari, vt homo mereretur condignè pro aliis, & satisfaceret; & tunc haberet virtutem moralem ad hunc effectum condignè satisfaciendi. Hæc & similia opponit Lugo *disputatione 5. à num.140.*

Respondetvr, talem gratiam non fore suf- 148
ficientem, quia non adhuc eleuaret satisfactiones ad offensam adæquandam, essent enim adhuc satisfactiones creaturæ, exhibitæ Creatori infinitè offenso. Ideò S. Doctor hanc non ponit vnicam rationem; sed eam primo loco ponit, quia gratia est primum fundamentum meriti, licèt non sufficiens ad quodcumque meritum magnum, sed secundùm suam, & operantis virtutem.

Probatvr ergo secundò à Seraphico. Satis- 149
factio condigna offensæ adæquat offensum. At satisfactio cuiusuis creaturæ, etiam integerrimæ, est finita: offensæ verò mortales in Deum sunt infinitæ, vt ostendi latè *quæstione præcedenti*, vel saltem sunt improportionaliter supra satisfactionem (vt ait Lugo) sicuti Deus est transcendens secundum gradum omnes creaturas, vt ait S. Doctor *in corpore*: Ergo nulla satisfactio creaturæ potest esse condigna offensis mortalibus Dei. Hoc nititur Suarez.

Adde quoque quandam innumerabilem peccatorum colluuiem, qua merguntur homines è pelago originis, vt ait S. Bonau. *hic*; quam non astruit proprie infinitam, vt putant Lugo *num.138.* Vasq. *cap. 4.* sed improprie, cum suo Magistro Alensi *quæst.1.memb.6.*

Ex infinito autem excesso Diuinæ offensæ super 150
omnem satisfactionem creaturæ possibilem, necessarium fuisse, vt satisfaciens esset Persona Diuina ad condignè operandum, colligunt SS. PP. apud Vasq. *cap.3.* Suar. *disp.4.sect.2.* Valentiam, *disp.1. quæst.1. punct.5.*

E Græcis D. Athanasius in Euangelio de Passione, & Cruce Domini ait: *Sed cùm videret malitiam intolerabilem, neque mortale genus idoneum esse, quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persoluere posset*, (nam excessus malitiæ excedebat
omne supplicium,) *vidensque Patris bonitatem, &* 151
se, quàm idoneus esset, & potens, (Christus in Dei potentia, & sapientia) *commotus fuit suâ humanitate, & misertus nostra imbecillitati, illam ipsam imbecillitatem induit* Et paulo infra: *Vidensque simul, quod non ad solutionem pœnæ sufficeremus, illam ipsam pœnam in se transtulit.*

D.Basilivs in id Psal.28. *Redimet homo*, ait, 152
non

non homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus, quia nullus alius poterat condignum offerre pretium.

D. Cyrillus *epist.* 1. seu Exegesi ad Valerianum *de Verbi Incarnatione*, quæ est *in* 6. *Tomo*, Concilij Eph. cap. 18. *Quo pacto autem vnus pro omnibus mortuus, iustum pro omnibus pretium exsoluere potuit, si perpessionem illam puri cuiuspiam hominis esse dicamus?* Arguit autem ibi contra Nestorium, qui dicebat, Christum sanctum quidem, sed purum hominem fuisse. Et lib. ad Reg. de recta fide,
153 cit. *Quod mors Christi salutaris*, ait: *Quo pacto non necessarius Verbo ex Deo nato incarnatus erat mundus, vt iustificet in sanguine suo in se credentes, & conciliet Patri per mortem sui corporis, vt & simul viuamus cum ipso?* Et paulo infrà: *Quomodo sanguis communis hominis, sanctos nos efficeret? sed sanctificauit sanguis Christi: Deus igitur, & non simpliciter homo.* Et infrà: *Ex confesso salutaris est mors Christi. Sed si non esset Deus, quomodo ipse, & solus sufficeret ad hoc, vt sit pretium; sed sufficit solus pro omnibus mortuus, quia & super omnes est Deus: igitur est morte sua carnis à mundo depellens mortem.*

154 Photius Patriarcha Constantinopolit. *epist. ad Michaelem de septem Synodis generalibus*, quæ est *in primo Tomo Concil. cap.* 5. contra Nestorium sic arguit: *Nec illud animaduertebat, quod si naturam humanam à Verbi persona separaret, eam propriis morbis laborantem reliquisset.*

155 E Latinis Patribus S. Cyprianus *de operibus Christi Cardin. serm. de Passione Christi*, non longè à medio: *Cum originalis mortis nullum, nisi in Christi morte potuerit esse remedium, nec reconciliare Deo potuerit exules, & damnatos qualibet oblatio, nisi sanguinis huius singulare sacrificium.* Addit verò: *Sine hoc holocausto poterat Deus condonare peccatum, sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrænibus.*

Hæc secunda est noua ratio politica, sumpta ex cautela, non laxandi habenas. Ea verò vtitur Lugo *disput.* 9. *quæstione* 4. quam latè insectantur aliqui.

156 Leo Papa I. *serm.* 1. *de Natiuitate*, ait: *Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium.* Et serm. 12. de Passione: *Qua autem reconciliatio esse posset, qua humano generi repropitiaretur Deus, si hominis causam mediator Dei, & hominum non susciperet? Qua verò ratione veritatem mediatoris impleret, nisi quia in forma Dei æqualis est Patri, & in forma serui particeps est nostri; vt nouus vinculum vnius præuaricatione contractum, vnius morte, qui morti nihil debuit, solueretur.* Eadem habet *epist* 83. & 97. *cap.* 2. eaque desumpsit *ex epist.*
157 *S. Caij Papa*, & è D. Leone desumpsit Agapitus *epist. ad Antimum*, & *serm.* 5. *de Passione*, idem Leo: *Iustus enim, & misericors Deus non sic iniuriâ suæ voluntatis est vsus, vt ad reparationem nostram solam potentiam benignitatis exerceret, sed quia consequens fuerat, vt homo faciens peccatum seruus esset peccati; sic medicina ægris; sic reconciliatio reis, sic redemptio est impensa captiuis, vt condemnationis iusta sententia, iusto Liberatoris opere solueretur. Nam si pro peccatoribus sola se opponeret Deitas, non tam ratio diabolum vinceret, quàm potestas. Et rursum si causam lapsorum sola ageret, natura mortalium, non erueret à conditione, qua libera esset à genere.* Hæc est prima ratio D. Bonauenturæ.

158 D. Irenævs lib. 3. aduersus hæreses: *Oportuerat enim, mediatorem Dei, & hominum per suam*

ad vtrosque domesticitatem, & ad amicitiam, & concordiam vtrosque reducere, & facere, vt Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo: quâ enim ratione adoptionis filiorum eius participes esse possemus, nisi per filium, eam, quæ est ad ipsum recepissemus ab eo communionem, nisi Verbum eius communicasset nobis, caro factum?

S. Fvlgentivs lib. de Incarnatione, & gra- 159
tia Christi, cap. 4. *Verbum igitur Deus, iuest, Vnigenitus Dei Filius, qui est in omnibus, sicut ipse testatur α, & ω, Initium, & Finis, sic mirabiliter secundum humanam naturam concipi carne non abnuit; sicut eadem carne moriens Deus humanæ naturæ debitum finale persoluit. Nullatenus, namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens, atque idonea fieret, nisi vnione Verbi Dei, non naturali confusione, sed solùm vnitate personali transiret.* Ideo habet *lib.* 2. *ad Trasimundum.*

Præclarissimvm est testimonium Adriani 160
Papæ I. ad Episc. Hispaniæ: *Sicut peccatum non tolleret, si ipse* (quippè Christus) *peccatum haberet; ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sorde peccati, necessarium habuerit, vt gratiam adoptionis acciperet.* Vbi gratiam adoptionis, quantumvis intensam, in Christo non putat satis, vt aliis quoque adoptionis gratiam tribuere possit, scilicet merito condigno; sed necessarium existimat, vt eius humanitas ex vnione cum Verbo dignitatem filiationis naturalis haberet, nec vlla adoptione indigeret; ita verò id putat necessarium, sicuti necesse fuit, liberum esse à peccato, vt nos liberaret. Quo quid potuit illustrius pro nostra sententia pronunciari?

Omitto D. Anselmum, qui ex professo id de- 161
fendit *toto lib.* 1. & 2. *Cur Deus homo*, vt retuli *quæstione* 2. cum aliis PP. *ibi*, D. Bonauentura relatis.

Respondet Mastrius *numero* 217. Patres aliquos loqui de homine lapso originali; nos verò de innocente. Alios autem asserere necessariam esse Christi mortem; quod verum est tantùm, supposito decreto.

Vervm enim verò Patres ponunt exclusiuam 162
cuiusque, qui non sit Deus, & excludunt eum, qui non esset vnione hypostatica talis. Itaque non ponunt necessariam mortem Christi, vt mors est; sed vt est Dei, nam hoc solo modo esset sufficiens ad æquale. Itaque flocidum responsum.

Probatvr tertiò à D. Bonauentura: Non fit 163
adæquata satisfactio, nisi restituatur ablatum in ea perfectione, qua erat ablatum; sed nullus potest Deo restituere genus humanum in eo statu primo innocentiæ: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur primò è D. Athanasio, lib. de Incarnatione Verbi, pag. 4. *Cuius opera ad recuperandam istam gratiam requirebatur, nisi solius Verbi? Eius etiam fuit id, quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere, & pro omnibus id, quod æquum est, Patri præstare.* Et oratione 2. contra Arrianos: *Si enim Dominus homo factus non fuisset, nunquam nos à peccatis vindicati ex mortuis resurrexissemus.*

D. Basilivs in *Psal.* 48. ad ea verba: *Non da-* 164
bit homo pretium redemptionis animæ. Neque igitur fratrem quære in redemptionem; sed eum, qui excedit naturam suam. Neque hominem nudum, sed hominem Deum Iesum Christum.

S. Theoditus vnus è PP. Concilij Ephesini *orat. de Natiuitate Saluatoris*, quæ extat Tom. 6. Concilij Ephes. append. 6. cap. 2. *Naturam nostram sanare volens Deus, non per alios salutem nostram, sed per semetipsum moliens est, quia omnis creatura deficiebat ad salutem nostram.*

165 Idem habet S. Augustinus *lib. 1. de consensu Euang. cap. 35.* & *in Enchir. cap. 108.* vbi ait: *Neque per ipsum liberaremur mediatorem Christum, nisi esset Deus.* Idem habet *serm. 8. de verbis Apostoli, & 9. de Ciuitate, cap. 17.* & alij apud Valentiam *disp. 1. quæst. 1. punct. 5.*

Clarissime verò S. Iustinus Martyr in expositione fidei de vera rectaque confessione: *Filius, qui & Deus esset, & homo, Adæ peccatum deleuit, &c. ita vt integerrima vita, quam egit, peccatum obliteraret, &c. Hoc autem ipso quod Deus erat, id quod dissolutum, mortuumque erat, restitueret,*
166 *mortemque funditus euerteret.* Probatur Minor etiam ratione D. Bonauenturæ, quia nulla creatura valet, quantum valebat genus humanum totum in statu innocentiæ, (sic enim in eo statu debet considerari, vt notat S. Bonauent. *ad penult.*) Id volunt significare omnes Patres suprà adducti, dum necessarium asserunt ad satisfaciendum pro genere humano, personam satisfacientem, restituentemque esse Deum, quia nulla creatura tantum restituere valet satisfaciendo, quantum valet res à Deo ablata per peccatum. Hoc adhuc probabitur aliis S. Bonauenturæ argumentis.

167 Probatur quartò à D. Bonauentura: Nullus potest satisfacere pro omni homine, nisi in homines omnes transfunderet iustitiam, sicut Adam transmisit culpam: Sed nulla pura creatura potest influere iustitiam, vel dare gratiam: Ergo. Maior est certa, quia deberet satisfaciens reddere homines Deo ex iusta compensatione reconciliatos, omni solutâ offensâ, omni damno sarcito. Minor probatur ex dictis *quæstione præcedenti, in fine*, & *hic, argumento primo*, quia debuisset redimere gratiam sanctificantem, auxilia, quibus se indignos reddiderunt, hæc autem non potuit aliquis de condigno redimere, tum quia gratia adoptionis, quæ sola potest esse in pura creatura cum gratiis aliis gratis datis, non ordinatur ad condignè alteri soluendum
168 debitum, sed soli habenti. Et si ordinaretur ad hunc finem satisfaciendi pro aliis, non influeret gratiam propriè in alios, neque mereri posset totam gratiam iustificationis adæquatè, neque ex iustitia reconciliatum reddere: nam etiamsi mereretur contritionem, adhuc ei misericordia esset iustificatio; & si mereretur gratiam iustificationis physicam, non tamen mereretur id, quod in ea inimicum Dei reddit sanctum, & amicum, quod est supra physicam gratiæ entitatem, & suprà omne creatum meritum, & est acceptatio Dei infinita, de qua infrà, solius Christi meritis emptibilis.

169 Ex quo fit, vt influens totam rationem gratiæ, possit esse tantùm Deus, qui est Christus, vt infert D. Bonauentura. Hinc ait Psalmista: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et Ioan. 1. *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*; vt notat S. Bonau. ibi *Ioan. 1.*

Probatur quintò à S. Doctore: Si aliqua creatura nos redimeret, teneremur ei, & non minus, quàm Deo infinitè tenemur nunc ob creationem, & redemptionem: Sed hoc est absonum; nam teneremur eam diligere æqualiter in beneficiis cum Deo.

Probatur sextò à S. Doctore *hic*, & *quæst. 4. in corpore.* Vt aliquis satisfaceret pro peccato originali, deberet redimere totum damnum, & offensam, & ita omnium pœnalitates, mortes, damnationes æternas, amissiones omnium bonorum, simul cum diuinæ offensæ infinitate; & ita vincere mortem, peccatum infinitum; sed hæc omnia simul nequeunt à pura creatura redimi: Ergo. Minor probatur è Sanctis Patribus allatis, qui præcipuè dicunt, necessariam fuisse incarnationem ad omnium mortes vincendas. Vide etiam Suarez *disp. 4. sect. 2.* 170

Sic D. Cyrillus suprà relato loco: *Quod mors Christi mundo salutaris*, postquam arguit contra Nestorium ad probandum, Christum esse Deum, quia factus est Redemptor hominum, & mortuus pro omnibus, omnes redemit, concludit: *Igitur morte sua carnis à mundo depellens mortem, &c.* 171

D. Cyprianus *loco allegato*, vt vidimus, & de Circumcisione, non longè à fine, ait: *Nec poterat vlla ratione illa absolui damnatio, nisi morti omnium vita subuenirет, & pro generali morbo, gratia Dei singulare propinaret antidotum.*

S. Leo serm. 1. de Natiuitate: *Quia ergo primi hominis vniuersa posteritas, vno simul vulnere sauciata corruerat, nec vlla Sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis euincere, venit è cælo medicus singularis.* Idem habet loco suprà allegato. 172

D. Irenæus loco cit. *Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non iustè victus esset inimicus. Rursus autem, nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam.*

Aliquæ aliæ etiam rationes allatæ *quæst. præced.* hoc idem confirmant, vt manifestè patet. Argumenta verò in oppositum facilè ex dictis corruunt. Et patent in Seraphico Doctore. 173

Obicies primò cum Scoto *loco cit. in 4.* & Fabro. Potuit Deus instè ducere prædestinatos ad gloriam absque Incarnatione; sed non potuit id fieri, nisi satisfieret: Ergo. Minor probatur è D. Augustino *13. de Trinit. cap. 10.* vbi ait: *Fuit alius modus redemptionis nostræ possibilis.*

Obseruat autem Faber, vocari redemptionis modum, certè quia emptio fit iusto pretio. 174

Respondetur, D. August. non dicere redemptionem, sed liberationem; nam rigorosam redemptionem docet S. August. requirere Deum mediatorem. Sic *cap. 108 Enchir. lib. 9. de ciuit. cap. 17.* & *serm. 8. de verbis Apostoli.*

Obicies secundò cum plurimis Scotistis. Tota, vel saltem principalis ratio meriti è Diuina prouenit acceptatione: Ergo potuit Deus acceptare merita puri hominis, etiamsi finita, sicuti acceptauit merita Christi.

Respondetur, hoc argumentum esse labile, vt fatetur Mastrius, *numero 202.* Primò enim ratio meriti non consistit tota in Dei acceptatione; alioqui posset creatura etiam naturalibus operibus exhibere satisfactiones æquiualentes satisfactionibus Christi. Deinde merita Christi fuere infinita, & à nullo æquabilia. 175

Obicies tertiò. Peccatum mortale nil Deo aufert, & ideò non est propriè illi iniuriosum, vbi autem non interuenit propria iniustitia, non exigitur satisfactio. 176

Respondetur, peccatum esse propriam iniuriam in Deum, quia tenetur homo parêre Deo, non solùm vt supremo Legislatori, sed etiam vt

supremo

supremo Domino, habenti ius morale in creaturas, & actus earum. Ideò peccatum aufert Deo honorem debitum, vt docet D. August *lib.83. qq. quæst.31.* vbi ait: *Qui de Deo pravè sentit, verè lædit illum in honore, quia recta existimatio de illo est ei debita.*

177 Obiicies quartò cum Fabro *cap.2.* falsum esse nostrum fundamentum, quod peccatum sit offensa infinita, quia in Deum, eò quòd offensa crescat ex dignitate personæ offensæ. Contra enim est, nam Aristoteles 5. *Ethic. cap.4.* docet, in iustitia commutatiua, siue correctiua, non attendi rationem personarum, sed differentiam nocumenti; vnde si quis rapiat centum Regi, & ducentum plebeo; plus huic debet, quàm illi.

178 Respondetur, offensam personæ illatam crescere ex dignitate personæ offensæ, vt docent communiter cum S. Bonau. Sic & Scotus 3. *dist.18. quæstione vnica*, infra litt. D. & *dist.19. quæstione vnica, ad 2.* & Aristoteles 5. *Ethic. cap.5.* Ideò autem *cap.4. adducto*, dixit, In iustitia commutatiua non semper attendi personæ dignitatem, quia in actionibus, quæ dicuntur reales, & nullum respectum ad personam habentes, non crescunt è
179 conditione personæ. Tales sunt solutiones debitorum, restitutiones rei alienæ, &c. at sunt aliæ actiones personales, vt contumeliæ, verbera, vulnera, &c. quæ grauiora sunt in Principem, quàm in Rusticum. Ideò *l. Prætor, ff. de iniuriis*, habetur: *Pro varietate personarum variandas pœnas.* Idem currit de satisfactione, crescente è dignitate satisfacientis.

180 Dices cum Gallo 3. *dist.20. d.5. cap.2.* Satisfactio crescit ex dignitate personæ, quando se submittit creditori: At Filius Dei non se submisit Deo, cùm sit æqualis.

Respondetur, Filium Dei vt hominem, se subiecisse; & opera eius, ex dignitate personæ, erant magnæ æstimationis.

Tandem grauiter obiicit Mastrius *num.107.* vt nostrum conuellat fundamentum; nam licèt offensa crescat ex dignitate personæ offensæ obiectiuè, non hinc tamen tota sumitur grauitas; sed è grauitate materiæ, & obiecti creati ipsius culpæ, prout variis, atque diuersis virtutibus inæqualibus opponitur ex maiori, vel minori cognitione, ac proinde malitia circa illum actum.
181 Cùm igitur grauitas peccati ex his capitibus limitetur, poterit Deus puro homini tantam conferre gratiam, vt eius satisfactio adæquet offensam, Deo illatam, quia hæc absolutè est finita, & solùm infinita secundùm quid. Sic enim & iniuriæ in Regem crescunt ratione materiæ; atque ità magis offendit, qui alapam ei impingit, quam qui non salutat.

Respondetur, satis, superque me huic argumento fecisse, *prima secundæ, tract. de Peccato, disputatione 1. quæstione 4.* ibi enim ostendi infinitatem diuinæ offensæ. Rursus *quæstione 13.* ostendi contra Stoïcos adhuc ratione propriarum differentiarum, peccata esse inæqualia, nec id obesse, ostendi *hic, quæst.3.*

181 Quomodocumque verò infinita sit Dei offensa, etiam secundùm quid, ratione solius obiecti, non poterit ex hoc capite à pura creatura, quæ est finita, etiam maximâ gratiâ imbuta, satisfieri, quia, vt satisfactio sit æqualis, debet satisfaciens habere cum Deo proportionem, vt notat
183 Suarez. Quamvis enim ratio satisfactionis materialiter sumatur ex proportione obsequij cum iniuria illata; tamen, quia peccatum est offensa Dei infiniti, nullum obsequium adæquare potest iniuriam infinitam, nisi ex dignitate personæ infinitæ crescat, vt monent Caspensis, Amicus, Auersa, Morandus, & alij.

Nec est simile de iniuria, illatâ Regi finito, 184
quæ potest in ratione offensæ crescere obiectiuè. Itaque satisfactio creaturæ, cùm sit inferioris ordinis, (esto perficiatur, augeatur, & intendatur) semper erit ordinis inferioris, & non attinget ordinem diuinum: Nulla enim res inferioris ordinis, etiamsi quantumvis intendatur, multiplicetur, attingit ordinem superiorem; & ita, esto dentur plurimi Leones perfectissimi, nunquam attingent ordinem rationalis.

Respondet Mastrius *numero 212.* esto phy- 185
sicè nequeat res inferioris ordinis attingere pretium superioris, tamen moraliter potest, si multiplicetur; & ità licèt argentum nequeat auri perfectionem attingere, tamen si multiplicentur centum reales, plus valent, quàm nummulus aureus. Et furtum, quod est ordinis inferioris peccato contra religionem, transcendet ob materiam; & ita maius peccatum erit furari duos milliones, quàm omittere Sacrum.

Arriaga *disputat. 4. sect.5.* fatetur, posse 186
aliquando euenire, vt res inferioris ordinis attingat aliam superioris ordinis, si non sit adeò notabilis excessus; id tamen non semper euenire; quamvis enim mortale vnius possit æquare aliud superioris, non tamen poterunt centum venialia ascendere ad ordinem mortalis. In hoc ergo ordine stat satisfactio nostra, vt nunquam attingere valeat compensationem diuinæ offensæ, quæ est infinita; & ideò non rectè Mastrius *num. 214.* ait, non explicare Arriagam, quo pacto satisfactio nostra sit de numero eorum, quæ attingere non valent compensationem Diuinæ offensæ, quæ est in-
finita. Quod sanè, esto non adeò validis rationi- 187
bus probaretur; tamen Sanctorum Patrum authoritatibus validè nititur, vt ostendit Card. Lugo *disp.5. sect.4.*

QVÆSTIO V.

An saltem pro suis venialibus condignè quis satisfacere queat.

D. Bonau. quæstionibus superioribus.

Prima opinio est dicentium, posse hominem 188
viribus, imò naturæ, pro peccatis venialibus perfectè satisfacere, vel pœnam sustinendo, vt ait Scotus *in 4. distinct. 21. quæst.1.* & Gabr. *dist.16. quæst.5. art.1.* Vel per actum moraliter bonum, & veniali peccato contrarium, vt ait Durandus *in 4. distinctione 16. quæstione 2.* & *distinctione 21. quæstione 1.*

Secunda sententia est Petri Soto *lib. de Inst. Sacerd. lect.18.* nullum iustum posse pro suo peccato veniali perfectè satisfacere.

Tertia sententia est, posse iustum, Dei ta- 189
men adiutorio, peccata venialia iustè soluere. Ità Suarez *disput.4. sect.9.* & *ad quæst.18. D. Thom.*

dist. 5. Vasquez *disp.* 3. *cap.* 2. Mastrius 3. *disp.* 4. *quæstione* 5. *numero* 214. Nazarius *quæst.* 1. *art.* 2. *controuers.* 6. Est sententia D. Bonau. *quæstionibus sup rioribus*, & *in* 4. *dist.* 16. *quæst. vltim.* & *dist.* 21. *quæst.* 1. & 2. & citatur, & Thom. *quæst.* 87. *art.* 3. Lugo *disp.* 5. *sect.* 7.

Assero primò, nullum posse viribus naturæ
190 satisfacere condignè pro venialibus. Hanc assertionem ait S. Doctor adeò certam, vt prima opinio Pelagianum oleat, & Vasquez eam erroris insimulat.

Probatur à D. Bonau. ex professo ad 15. *Ioan.* ad ea verba: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.* In-
191 cidenter verò *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 1. *fundamento* 2. Id, quod est in nostra potestate, non petitur ab alio: At Deus docuit nos orare, (ait S. Doctor) etiamsi in gratia essemus: *Dimitte nobis debita nostra*, quæ sunt venialia: Ergo non stant in nostris viribus solis. Hoc est argumentum, quod desumpsit S. Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 11. Et in expositione Orationis Dominicæ S. Bonau. quæ habetur *initio Comment. in Lucam*, quam de peccatis etiam venialibus intelligit.

Probatur secundò à S. Doctore *loco cit. Ioan.* ex illis verbis: *Qui fert fructum, purgabit eum.* Loquitur de iusto, vt patet, quia eum opponit non manenti in se. Deinde id probat acutè ex illo Apoc. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

192 Probatur tertiò à D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 16. *artic.* 2. *quæst.* 2. *argum.* 1. vbi sic arguit: Quidquid confert ad intrandum in gloriam, est supernaturale; & quod impedit, debet pœnitentiâ supernaturali ex Dei auxilio deleri. Hoc verò declarat *distinctione* 21. *quæst.* 1. *in corpore*, vbi gratiam gratis datam ad hoc necessariam esse supponit. Vnde *fundamento primo*, ex D. Augustino 21. *de ciuit.* aduertit, neque parua dimitti, idest venialia, nisi nos dimiserimus, & hoc nos petere in Oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; ex quo supponit necessitatem gratiæ. Hæc est ratio etiam Sacrorum Conciliorum, Mileuit. *cap.* 6. 7. & 8. & Arausic. 2. *can.* 14. & 22.

193 Ratio deducitur è D. Bonauentura *in* 2. *distinctione* 28. *quæstione vltima*, vbi vniuersaliter ostendit, omne id, quod ordinatur ad finem supernæ beatitudinis, esse ex Dei auxilio, vt habetur 2. Corinth. 3. *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*, & oppositum notat Pelagiana labe meritò damnatum iri.

Assero secundò, posse iustum Dei auxilio condignè pro venialibus satisfacere.

194 Probatur primò ex duobus argumentis, allatis quæstionibus præcedentibus, quæ ita de mortalibus currunt, vt venialia excludant; ac proinde nil impedit hanc satisfactionem.

Vasquez c. 20. conatur nos implicantiæ argue-
195 re. Nam peccatum veniale est offensa Dei: Ergo est infinita. Probatur consequens: Nam secundum nos grauitas offensæ desumitur ex persona offensa. Cùm ergo dixeritis, non posse ex hoc capite satisfieri pro mortali; sequitur quod neque pro veniali.

Miror, hunc virum non obseruasse responsionem in Seraphico *distinctione* 16. *quæstione vlt. argumento vlt.* & *distinctione* 21. *quæstione* 2. *argumento* 4. vbi etiam argumentum contra eum vrget ad hominem: Peccatum veniale est improportionabiliter, imò infinitè, minus mortali; at mortale per te actu contritionis condignè iustificatur: Ergo multò magis veniale. Maior explicatur, quia peccatum veniale nec est offensa Dei propriè, nec contra legem, vt ostendi *prima secunda*, *tract.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 2.

Deinde non reddit hominem indignum Diui- 196
no auxilio, vt ipse Vasquez fatetur *cap.* 3. ex quo vnicam suam deducit rationem, cur pro veniali possit condignè satisfieri. Hæc verò infinita propemodum differentia colligitur ex pœna vtriusque; nam pœna mortalis peccati est æterna; venialis verò solùm temporalis. Minor verò est Vasquez, vt vidimus *prima secundæ*, *tract.* 5. *de Gratia*, *disp.* 3. *de Iustif. quæst.* 2. vbi tamen eam impugnauimus.

Nunc nobis satis sit ratio D. Bonauenturæ *in* 197
4. *distinctione* 21. *quæstione* 2. *ad* 1. Opus contritionis, vel amoris Dei, qui in Deum perfectè conuertunt, plus ad Deum ducunt, quàm per veniale fuerit homo abductus; nam per veniale aliquis non auertitur à Deo, deficit enim voluntario imperfecto, vt plurimum, & non offendit Deum propriè; sed manet homo iustus, & amicus Deo, atque vt talis Deo satisfacit per actualem contritionis in Deum conuersionem: Ergo perfectissimè satisfacit. Et hoc obseruat S. Bonau. *loco cit.* docuisse etiam Magistrum; orationem, vel ieiunium sic, vt præcedat aliquantula contritio, esse modum perfectè satisfaciendi pro venialibus. Quare miror Suarez non adducere hunc locum Seraphici.

E quibus obiecta defluunt, quæ congerit Lugo 198
num. 36. *disp.* 5.

Miror quoque, Vasquez non vidisse, ad D. Bonau. spectare rationes, quas Recentioribus adscripsit, nempe Suarez, cuius sententiam sub nomine Recentiorum quorundam assolet recitare.

Ex quo fit, vt contritio ad delendum veniale, 199
non egeat tantâ Dei acceptatione, quantâ eget in peccato mortali. Quoniam verò diximus, gratiam gratum facientem non suâ solâ physica virtute, sed addita Diuina acceptatione, reddere sanctum; & peccatum veniale non dimittitur absque infusione gratiæ, eluentis maculam venialem, in sententia D. Bonau. *in* 4. *distinctione* 21. *quæst.* 1. dicimus, contritione mereri gratiam cum tota illa morali perfectione; neque cum iustificatione à mortali eam esse comparandam ob incomparabilem distantiam.

Vasquez *numero* 19. vnicam ait esse rationem 200
huius assertionis, quia satisfactio hominis iusti, non supponit condonationem debiti carendi perpetuò sancta cogitatione, necessaria ad resurgendum, sicuti supponit, qui satisfacit pro mortali. Itaque sicut iste satisfactor sola hac de causa non satisfacit condignè ob mortale, ac proinde, hac ablatâ causa, satisfaceret condignè; ità is, qui pro veniali satisfacit, hoc debito carens, satisfaciet condignè.

Hæc tamen ratio rudis est, atque debilis, si 201
sola remaneat, vt vidimus *quæst.* 3. *argum.* 5. nam etiamsi remoueatur hoc debitum, & daretur auxilium non indigno, adhuc satisfactio non est adæquata offensæ Dei, vt vidimus *quæstione* 3. & 4. etiam in doctrina ferè eiusdem Vasquez: Ergo non sequitur, ablato hoc debito, præcisè reddi satisfactionem æqualem, sed remouendæ sunt aliæ causæ, præcipuè grauitas offensæ mortalis, auersio, & alia, quæ veram differentiam constituunt inter peccatum

mortale,

mortale, & veniale, vt ostendi *prima secunda, loco citato.*

OBIICIT Soto, nos orare: *Dimitte nobis debita nostra*, idest venialia: Ergo ea dimissio est gratia, non satisfactio iusta.

202 RESPONDETVR, nos orare Deum, vt præbeat auxilium necessarium, à quo dependet ipsa satisfactio, & ideò illi adscribi etiam deletionem, tanquam principali; non tamen negatur satisfactio. Quæ verò ad remissionem venialium spectant, disputabuntur *de Sacram. Pœnit. disput.1. quæst.30. & 31.*

QVÆSTIO VI.

An possit homo, saltem vt Christi membrum, satisfacere Deo ex perfecta iustitia pro peccatis suis.

203 QVIA sæpè euenit, vt quæstionis titulus diuersè accipiatur; sequitur etiam, diuersas assignari definitiones, quæ, redacto titulo ad veram intelligentiam, parum admodum distabunt.

QVONIAM verò aliqui accipiunt operari vt membrum Christi, quatenus dicit proximè satisfactiones Christi, nobis imputatas; ideò asserunt, hominem ex rigore satisfacete pro peccatis suis, vt est membrum Chtisti: alij vero propriè sumendo *satisfacere*, vt sumus membra Christi, nempe quia vniti capiti deriuatam accipimus ab eo gratiam, quâ operemur, variè sentiunt.

204 PRIMA igitur opinio absolutè affirmat, hominem, vt membrum Christi, satisfacere ex iustitia. Citantur Caietanus, & Medina *quæst.1.* D.Thom. *art.2.* Sotus *in 4.dist.19. art.2.* Cardinalis Hossius *in Confess. Catholica, cap.73.*

205 ENIM verò Caietanus *loco citato*, & *tom. 3. Opusc. tract. 10. cap.9.* asserit, satisfactiones nostras, siue considerentur, vt innituntur satisfactionibus Christi, siue ex radice charitatis, in me operantis, esse satisfactiones secundùm acceptationem; quia charitas se tenet ex parte Dei acceptantis, & communicatio satisfactionis Christi misericorditer mihi fit, nec transfertur ad me æqualitas satisfactionis Christi, sed ex parte: si verò accipiatur satisfactio mea cum Christo, quatenus ex vtroque fit vnum corpus mysticum, ait, esse ex rigore iustitiæ, imò excedere.

206 IDEM censet Nazarius *quæstione 1. articulo 2. controuers.7.* Suarez *disputatione 4. quæstione vltima*, asseritque nos eatenus satisfacere, vt membra Christi, quatenus satisfacimus per gratiam à Christo communicatam, à quo habemus etiam auxilia; & nostra opera propter Christi iustitiam acceptantur; & si quid dignitatis deesset nostræ satisfactioni, totum id suppletur ex coniunctione cum satisfactione Christi. Quoniam verò Christus pro nobis perfectè satisfecit, & nobis meruit nostras satisfactiones, ideò posse dici passiuè acceptari ex iustitia; actiuè verò non satisfacere nos, vt Christi membra, de rigore iustitiæ; quia non communicatur nobis virtus ad satisfaciendum, modo perfectissimo proprio Christi; sed alio inferiori.

207 VAZQVEZ apud Nazarium asserit (citatur verò *disp.10. cap.7.* sed non inuenio ibi) gratiam nobis collatam ex meritis Christi nō amplius valere, quàm si ex Dei solâ benignitate absque Christi meritis daretur, & sicut tunc nostra satisfactio, è gratia procedens, non esset perfecta, ità neque nunc; attamen cùm meritum iustorum ad vitam æternam, & satisfactio pro pœna temporali sit perfecta, quia condigna, hic rigor attribuendus est gratiæ, vt sic communicatæ ex meritis Christi, non formaliter reduplicatiuè; quia eundem valorem haberet, etiamsi non esset ex meritis Christi; Opus verò proximè elicitum à Christo esse ex rigore iustitiæ; & ex hoc capite nos, vt membra Christi, posse dici satisfacere ex rigore, quia opera eius nobis, tanquam membris eius, tribuuntur. De hoc actum est *prima secunda, tract.5. disp.4.* à *num.132.* contra Vasquez.

HAC tamen multiplicata asserta ad nostram 208
quæstionem superflua sunt: Sufficit ergo dicere cum D. Bonauentura *quæst. 4.* nostra opera dici à nobis vt membris Christi, quatenus ab eo, quippe capite, in nos deriuatur gratia, qua satisfacimus pro damno aliquo, puta pœna temporali: pro offensa verò non satisfacimus ex rigore: quamvis autem Christus satisfecerit; non ob id satisfacimus nos, vt illa satisfactio sit nostra; & ideò actioni nostræ attribuenda (esto communicetur fructus Christi satisfactionum) extrinseca verò imputatio apud orthodoxos malè olet.

ASSERO igitur, Nos vt membra Christi non sa- 209
tisfacere pro mortalibus ex iustitia.

PROBATVR, quia, vt ait S. Bonauent. *in corp. & ad penult.* peccator est membrum mortuum Christi, & ideò non potest satisfacere; eget verò gratiâ ad culpæ remissionem, qua gratis remissa, operatur tantùm semiplenè ad satisfaciendum, vt ostendi *quæst.3.*

EXPLICATVR verò è D.Bonauent. *ad 15 Ioan.* 210
Homo, qui non est membrum viuum Christi, non potest opera perfecta, & Deo placentia edere, quod probat ex illo Ioannis 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis*; manemus autem in Christo, quamdiù sumus membra eius viua, vt habet D. August. *tract.81. in Ioan.* ad hæc verba, vt refert S. Bonauent. & colligit è sequentibus Christi verbis: *Si quis in me non manserit: mittetur foras*, & ideò subdit clarius: *Manete in dilectione mea*, idest in gratia, vt exponit S. August. *tract.81.* &
refert Suar. *loco citato*: Cùm enim valor operum 211
moralium ad vitam æternam pertinens ex vita ipsius operantis pendeat; vita autem consideranda sit in operante immediato, cuius actus vitalis est operatio; sequitur, vt mortui membri operatio non sit satisfactoria de condigno.

QVOD verò Christus pro eo satisfecerit ex rigore, non facit, vt ei imputetur illa satisfactio; alioqui posset quilibet dici satisfacere pro toto mundo, & infinitè, & quilibet Martyr singulis guttis sanguinis acquireret thesaurum infinitum, sicut
de CHRISTO ait Clem. VI. & vt infrà dicam; 212
& infans in Baptismo, sicut & adultus, possent dici mereri primam gratiam, quia Christus eam ipsis meruit, quæ omnia absona penitus sunt. Neque tamen inde sequitur, nullam dignitatem à Christo nostris meritis prouenire, vt asserui *prima secunda, tract.5. d.2.q.4.*

OBIICIES. Actiones capitis sunt actiones corporis, ex regula Ticonij, apud D. August. *libro septimo, de doctrina Christiana, cap. 30. & 31.* Sed Christus est caput Corporis Mystici Ecclesiæ: Ergo.

213 Raspondetvr cum D.Bonau. *quæst.4. in corpore*, actiones Christi esse membrorum passiuè, quatenus eis communicatur à capite gratia, & homo recipiens gratiam satisfacit; non autem quòd actiuè opera Christi sint à nobis. Hæc porro locutio est metaphorica, quæ non est perfectè adimplenda. Ità respondet etiam Suarez.

QVÆSTIO VII.

An Christi *satisfactiones fuerint ex se condignæ, vt* Devs *teneretur eas acceptare.*

214 Satisfactio est redditio voluntaria æquiualentis, aliàs indebiti, vt docet D. Bonau. *Opusc. de sex Alis Cherub. Ala* 2. quem sequitur Scotus *in* 4.*dist.*15 *quæst.*1.*art.*1.Soto *in* 4. *dist.*19.*art.*2.*& lib.*3.*de natura, & gratia, cap.*6. qui dicit, esse communem Theologorum sententiam.

Debat igitur primò satisfactio reddere æquiualens debito.

215 Secvndò debet esse voluntaria; alioqui, si coactus, non satisfaciet, sed satispatietur.

Tertiò debet esse rei aliàs indebitæ, alioqui, si illud idem debetur creditori, pro alio, hoc non satis compensabit.

216 Hanc verò satisfactionis definitionem implicitè habet *in* 3.*dist.*20.*quæst.*4. vbi considerat in peccato duo mala: Alterum in hominem peccantem, à quo Diuinam subtrahit gratiam, quæ est vita animæ spiritualis, & forma adoptans in filios Dei, hæredes gloriæ, qua priuatus homo, sexcentis calamitatibus, ac damnis obnoxius iacet: Alterum est principale malum, quod in Dei Maiestatem offensam, contemptum dicit.

217 Satisfactio igitur propriè stat in offensæ Diuinæ compensatione; nam satisfactio est actus iustitiæ ad alterum, non ad seipsum secundùm idem. Ideò S. Doctor aduertit *in* 4. *dist.*15. *quæst.* 1. è D. Anselmo, *lib.* 2. *Cur Deus Homo, cap.*11. definiri: *Satisfacere, est debitum Deo reddere honorem*, quod obseruat etiam 3. *part. Centil. sect.*1. Ideò *quæst.*2 *d.*15.*cit.* probat, Deo faciendam: damna verò pec-

23 catoris Deus satisfactione placatus remittit, omnia quidem in Baptismo (intellige actualium culparum, nam ex originali remanent pœnalitates, & mors, atque concupiscentia;) in pœnitentia verò aliqua; cætera satisfactionibus pœnalibus à nobis soluenda relinquens, vt notat S. Bonau. *quæst.* 4. 3. *sent. d.* 20 & omnes apud Nazarium *quæst.*1. *art.*2. *controu.*2. *in resol.* & est de fide.

218 Qvæstio igitur nostra est: An actiones, & passiones voluntariæ Christi fuerint æquiualentes debitis peccatorum, præcisà Diuinà liberalitate.

Prima opinio est, satisfactiones Christi, non ea natura sua, sed è Dei liberalitate, qui hisce contentus esse voluit, fuisse debitis condignas. Id sensit Stancarus hæreticus *lib. de Trin. & Mediatore in refut. prioris epistola Trigurinorum*, & Caluinus *lib.*2.*Instit.cap.*17.

129 E' Scholasticis citantur Durand. *in* 3.*dist.* 20. *quæst.*2. & *in* 4.*dist.*15.*quæst.*1. Scot. *in* 4.*dist.*15. *quæstione vnica*, & *in* 3. *distinct.*16. *quæstione vnica*, & *d.*19.*&* 26.vt exponit Faucntinus *in* 3. *disp.*48. *cap.*3. Rada 3. *part. controu.*13.*art.*3. Gabr. *in* 3. *dist.*16. *quæst.vnic.art.*1. *not.*3. *& art.*2. *concl.*1. Almainus *eadem dist. quæst.*1.*not.*3. Ioan. Medina, *Cod. de Pænit.tract.*3.*quæst.*1.

Secvnda opinio est, Christi satisfactionem ex se, præcisa Dei liberalitate in acceptando, fuisse omnino condignam; imò neque promissionem, aut pactum interuenisse necessariò ad condignitatem constituendam. Ita Vasquez *disp.*5. *cap.*2. & *prima secunda, d.*214. & qui cum eo allegati sunt *prima secunda, tract.*5.*d.*4.*quæst.*4. qui vniuersaliter de condignitate meriti id astruunt. 220

Tertia sententia est, satisfactiones Christi esse condignas ex sua æqualitate, nec eguisse diuina liberalitate acceptante; fuisse tamen necessarium pactum præcedens. Ità D. Bonauent. *loco citato, prima secunda*, suprà *indicato*, cum omnibus allegatis ibi cum illo, qui pactum ad omnem satisfactionem exigunt. 221

Præcipvè verò de merito Christi id asserit S. Bonauent. *in* 3. *dist.*20.*quæst.*5. iam supponens è *quæst.* 3. satisfactionem Christi non eguisse acceptatione liberali.

Idem asserunt Suarez *de Incarnatione, disput.*4. *sect.*4. Valentia *disputatione* 1.*quæstione* 1. *puncto* 5. *circa finem*, vbi tamen cum D. Bonauentura addit, hoc pactum tale fuisse, vt cùm nobis filium decreuerit in carne exhibere, atque donare, & is exhibuerit satisfactiones infinitas, indecens prorsus, & indecorum fuisset, eas non acceptare.

Hæc porrò sententia Scholarum plausu excipitur, vt fatetur Vasquez allegatus *prima secunda*, suprà, vbi satis eum confutani, eiusque argumenta collisi; eaque videtur Scoti sententia 3. *dist.*19.*quæst.*1. vt notat Mastrius, 3.*dist.*4. *quæst.*3. *art.*1. & Hurtadus 3.*part. disp.*11. *sect.*1.§.5. & *disp.*63.*sect.*4. §.47. vbi Nominales etiam, & Durandum adducit. 222

Assero primò, Christi satisfactiones, præcisa liberalitate Dei acceptantis, fuisse condignas, imò superefluentes. 223

In hoc conueniunt cum D.Bonauent.D.Thom. *tertia parte, quæstione* 1. *articulo* 2.*ad* 2.& *quæst.*48. *art.*2. & *quæstione* 29. *de ver. art.* 7. & *lib.*4. *contra Gentes, cap.*54. *&* 55. & *in* 3.*dist.*20. *quæstione* 1. Alens. *tertia parte, quæstione* 17. *membr.*3. *art.* 2. & *membr.*5. *art.*2. Richard. *in* 3. *dist.*20. *quæst.*4. Capreol. *quæstione vnica, articulo* 2. *conclus.* 2. *&* 3. Marsil. *in* 3. *quæstione* 12. *art.*2. Paludan. *in* 4. *distinctione* 15. *quæstione* 1. *art.*1. Altisiodor. *lib.*3. *tract.*3. *cap.*8.Guilielm. Paris. *lib. Cur Deus Homo, cap.*7. Abulens. *par.ad.*1. *cap.*41. & Prol. *in Matt. quæstione* 27. & *in cap.*3. *quæst.*19. Sotus *lib.* 3. *de natura, & gratia, cap.*6. & *in* 4. *dist.* 1. *quæst.*5. *art.* 4. & *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.*2. Ferrar. 4. *contra Gentes, cap.* 55. Driedo *de capt. & liber.* Generis Hum. *tract.*2. *cap.*2. *p.*3. *art.*3. *prop.*2. Vega *lib.*7. 224
*super Concil. cap.*8. *&* 9. Caietan. Nazar. & alij Recentiores *in art.*2.*q.*1. *D. Thomæ.* Tanner. *disp.*192. *dub.*2. *num.*64. vbi multos adducit, & Mastrius *loco citato*, vbi præter allegatos affert Medinam, Suarez, Ragusam, Puteanum, Becanum, Bonacinam, Lugum *disp.*6. Auersam, Hurtadum, Amicum, Arriagam, Caspensem, Orlandum, Baldium, Morandum, & eam esse germanam S.Bonau. & S.Thom. concludit, & aliorum veterum procerum Theologorum. Ità Basilius *in Scholiis ad vitam Nazianzeni, n.*127. & omnes authores secundæ, & tertiæ sententiæ, cum D.Anselmo *lib.*2.*Cur Deus homo, cap.*4. *&* 19. vbi id confirmat, & Richard.de S.Vict. *lib. de Incarnat. cap.*8.

Proba

225 PROBATVR è D. Bonauentura primò, hoc præclaro testimonio Apostoli *ad Rom.* 5. quo maximè nituntur Lugo, Vasquez, Valentia, Tannerus, aliique, vbi è Christi morte arguit condignitatem satisfactionis eius: *Vt quid enim Christus pro impiis mortuus est? Cùm adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum, sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.*

226 PARTICVLA autem *in plures* non indicat in plures comparatiuè transiisse gratiam Christi, quàm peccatum Adæ; sed sonat *in multos.* Hinc subdit: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Cùm igitur non fiat comparatio extensiua de facto, licèt pro pluribus satisfecerit, scilicet infinitis; sequitur fieri intensiuam, vt excellentior fuerit iustitia, seu iustissima satisfactio Christi ad redimendos homines, quam fuerit culpa
227 ad eosdem capessendos, & sicut peccatum Adæ, supposita Dei pactione, ex se fuit sufficiens, & condignum ad tantam perditionem; ita iustitia Christi multò magis ad saluationem. Hunc locum vrget S. Doctor etiam *dist.* 19. *art.* 2. *quæst.* 2. *corpore*, & efficacius *in* 2. *dist.* 32. *quæst.* 2. & cum eo cæteri, ac denique Petrus à S. Ioseph *lib.* 2. *de Christo*, *cap.* 10. Gulielmus *p. p. discurs.* 2. & *part.* 2. *discurs.* c.

228 PROBATVR secundò a D. Bonau. *hic*, 6. *Rom.* vbi idem prosequitur argumentum, iniungens, vt enitamur exire de peccato, non autem in eo permanere, eò quòd superabundet Christi gratia. Dicit autem, nos e peccato cunctos esse, & complantatos in gratia per mortem Christi. Ideò verò dicit, Christum mortuum semel, quia eius mors sufficientissima, & condigna fuit ad mortes omnium, & culpas sepeliendas, vt notant Expositores cum D. Bonau. *loco cit.* & *dist.* 19. *quæst.* 1.

229 NEQVE aliqui benè respondent, Apostolum redemptionem, vocare gratiam: *Non sicut delictum, ita & donum*: nam vocat donum respectu nostri, vt exponit Agapitus P. epist. 1. *Effusio enim iusti sanguinis Christi tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum diaboli vinculum retineret. Quoniam sicut Apostolus ait: Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia: & cùm sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quàm debitum seruitutis.* Ecce donum nobis à Christi redemptione exhibitum, excedit debitum. Hæc verba sumpsit Agapitus è Leone I. *serm.* 12. *de Pass.* & *epist.* 83. & 93. Leo verò sumpsit è Caio Papa *in epist. Decret.* Ineptè autem tres summi Pontifices vocarent Redemptionem diuitem ad pretium, si acceptatore egeret.

230 PROBATVR tertiò à S. Bonauent. *dist.* 19. *circa litteram*, ex Apostolo *ad Hebr.* 2. quem locum non obseruarunt exhibere validissimum argumentum. Cùm enim *cap.* 1. ostendisset Apostolus, Christum esse filium Dei, consubstantialem Patri, pergit *c.* 2. ostendere, quomodo efficaciter, & condignè potuerit redimere homines perditos, sibi ipsi satisfaciendo, vt Deus est, & Patri. Primò enim prælibat
231 dignitatem Legis nouæ è Legislatore CHRISTO; & venerationem ei debitam. Postmodum insinuat, hunc filium Dei humiliatum, & vt sciremus, quomodo idem, qui est filius Altissimi, esset minoratus, ait: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.*

SIC igitur arguit, vt notat Lyra: Deus Pater, 232
qui est causa omnium, & habet curam deducendi homines ad finem beatitudinis, conuenientissimè fecit, vt hominum perditorum Redemptor esset ille filius æqualis incarnatus, & nobis factus similis, vt dedecus culpæ decore iustitiæ satisfacientis elucretur; ita vt puniretur homo, qui peccauerat, & satisfaceret Deus, qui poterat, quia offensa primi hominis quandam infinitatem continebat. Sic progreditur ad ostendendum, per mortem hanc pretiosissimam Diabolum esse vi expulsum ab imperio, in quo sedebat, sicuti etiam ait Ioan. cap. 12. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, & ipse Apostolus, Coloss. 2. *Expolians principatus, & potestates,* 233
traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Certè hic triumphus vim iustitiæ Redemptoris indicat satisfacientis, vt notat etiam Valentia.

IDEO ait Apostolus: *Vt per eum destrueret.* Syriaca legit: *aboleret eum, qui mortis habebat imperium,* ex iustitiæ vi abolens, & destruens imperium Diaboli, permissum in reos.

HINC progreditur Apostolus ad mirabiles effe- 234
ctus huius mortis ostendendos, *donec* cap. 9. *Vna oblatione* (ait) *consummauit omnes sanctificatos*, vt notat S. Bonauent. *in* 3. *dist.* 19. *quæst.* 1. & *dist.* 20. *quæst.* 5. *ad vlt. Ioan.* ait: *Omnia penè in sanguine mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio,* ad Heb. cap. 9.

HINC S. Doctor vrget id Coloss. 2. *Delens chirographum, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Ita *dist.* 19. *quæst.* 2. vbi obseruat, id factum esse, & abolitum cum decreto diabolum, quia iam ex iustitia solutum est debitum, vt notat cum eo etiam Valentia.

PROPTEREA idem Apostolus *Heb. cap.* 5. ait: *Cùm esset filius Dei, exauditus est pro sua reuerentia.* Et *quæst.* 3. S. Bonauent. obseruat id Apoc. 20. *Apprehendit Draconem*, & cap. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda*, & Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, nempe ex vi iudicij, & iustitiæ, vt obseruat S. Doctor etiam ad eum locum Ioannis, adducens alia scripturæ loca, & Patres.

PRÆCIPVE verò id probat S. Doctor, *dist.* 20. 235
quæst. 6. *ad vlt.* & *in opusc.* cui Titulus, *Amatorium pag.* 6. è Psal. 129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio,* & subdit rationem sumptam è D. Gregorio Nazian. *orat.* 42. quæ est secunda *in Paschate*, vbi plurimis Christi passionis miraculis recensitis, ait: *Nullum tamen cum salutis* 236
meæ miraculo conferendum est, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem vniuersum instaurarunt; atque idem quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in vnum nos coniungentes, & constringentes. Hæc verba desumpsit è D. Bonauentura Clem. VI. qui creatus est in summum Pontificem, anno 1342. aliquot annos post S. Doctorem: & cùm esset Gallus, optimè S. Doctoris doctrinas in Galliis peruulgatas nouerat.

REFERAM verba Seraphici ad eum locum: *Co-* 237
piosa apud eum redemptio, & verè copiosa, quia per quinque partes de corpore eius, vnda sanguinis emanauit, cùm ad redemptionem totius orbis vna pretiosissimi sanguinis sui gutta sufficeret. Pontifex verò, in Extrauag. *Vnigenitus*, de pœnit. & remisione ait: *Non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani*

generis sufficisset, sed copiosum, velut quoddam profluuium, noscitur effudisse. Addit, eum acquisiuisse thesaurum infinitum ob vnionem istam, in qua infinitatem meritorum ponit.

238 HANC eandem rationem assignat S. Bonauentura *loco cit.* sic: Vide Christum in Cruce pendentem. Considera filium Virginis. Ne pertranseas Dominum Angelorum. Agnosce, quam grauia sunt illa vulnera, pro quibus necesse fuit, Christum Dominum vulnerari. Si hæc omnia non essent ad mortem, mortemque sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. Et quia filius Dei occidi iubetur, vt pretiosi sanguinis in balsamo vulneribus mederetur, &c. Eodem nititur Tannerus, aliique.

239 CVM igitur fuerit redemptio, sequitur, fuisse pretium æquale, vt arguit Scotus, & Faber Fauent. allegati *quæst. 4. in fin.* Cùm verò fuerit copiosa redemptio; sequitur ex vi pretij redundasse, & cum ex vnione ad Verbum hæc condignitas orta sit; sequitur, eam non ex acceptatione oriri.

240 HVC spectat illud Iob 6. *Vtinam appenderentur peccata mea* (idest mundi) *quibus iram merui: & calamitas, quam patior in statera. Quasi arena maris, hæc grauior* (id est dignior) *appareret*; vt exponit D. Gregorius *lib. 7. Moral. cap. 2.* & D. Bonauentura, & cap. 23. ait Iob: *Proponat æquitatem contra me.* Vbi D. Gregor. *lib. 16. Moral. cap. 14.* exponit de æquitate Christi in vincendo diabolum, vt notat Seraphicus ad verba suprà allata *Ioan. 12.*

Ex his facilè corruunt responsa aduersariorum.

241 RESPONDET Medina, vnam guttam sufficisse redemptioni, quoniam per opus aliquod minus potuisset nos redimere, accedente liberali Dei acceptatione.

CONTRA, quia Pontifex ex vnione ad Verbum arguit pretium guttæ Sanguinis Christi, vt fatetur quoque Mastrius *num. 115.*

FAVENTINVS, ex more, latè conatur Scripturis, aliisque authoritatibus respondere. Igitur *in 3. dist. 45. num. 27.* dicit, Scripturas, & Pontificem astruere aliquam sanè infinitatem meritis, & satisfactionibus Christi; hanc tamen esse extrinsecam è Diuina acceptatione, & hoc sufficere ad saluandam *Extrauagantem*: de modo autem, quo sit infinitum, *Extrauagans* nihil loquitur.

242 O miram cæcitatem! *Propter vnionem ad Verbum* asserit, Christum acquisiuisse sibi thesaurum infinitum. Propter illam vnionem, in qua nullam ad hoc sanctitatem, nullam gratificabilitatem ponit Faber *tota disput. 45. & 46.* vbi latius respondet, satisfactiones Christi fuisse quidem perfectas, quo ad æqualitatem pretij; attamen includere misericordiam Dei creditoris, quâ suppositâ, redditur satisfactio æquiualens debito: Talis est æquitas satisfactionis filij ad Patrem, serui ad Dominum, quam

243 Aristoteles 5. *Eth. cap. 6.* vocat *iustum*, non ciuile, sed per quandam similitudinem. Igitur opera Christi, hoc modo, satisfactoria fuere Deo, etiam de potentia Dei absoluta, vt ait Scotus *in 4. art. 5.* & hoc sensu omnes Scripturas, & omnia testimonia eludere conatur, dicens, ea verè asserere copiosam Christi redemptionem superabundantem esse, & infinitè excedere nostra debita, nempe supposita gratia: Et hoc significari *Rom. 5.* dum dicitur: *Non sicut delictum, ita & donum. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Et Rom. 3. *Quem proposuit Deus ad ostensionem iustitiæ.* Vnde colligit idem esse, *proposuit*, ac, *misericordiâ suâ acceptauit.*

244 AT hæc friuola sunt ad nostram doctrinam succutiendam; nam Scriptura adscribit æqualitatem satisfactionis, dignitati satisfacientis, vt patet *ex epistola ad Heb. in Clementis Extrauag.* & tota *epistola ad Rom.* vbi prælibat, dignitatem filij Dei, & postcà pedetentim ingreditur ad dignitatem legis, satisfactionum, & omnium operum Christi exponendam. Quòd verò vocauit donum, & gratiam redemptionem; miror, cùm ipsemet *dist. 47. num. 6.* vrgeat, redemptionem penitus condonationi è diametro oppositam esse; neque vllo modo posse redemptionem perferre nomen doni, idque è Scoto, *4. dist. 15. quæst. 1. art. 1.* cogitur asserere, vt eius argumentum alicuius momenti fiat.

DEINDE quis non videt, redemptionem ibi vocari gratiam respectu nostri? ait enim: *Non sicut delictum, ita & Donum*, quod respectu nostri ab omnibus Patribus intelligitur, vt nullus de Christu exponat eo sensu, sed vt exponunt tres Papæ, S. Caius, S. Leo, & Agapitus, suprà relati, quibus adde Concilium Ephesinum *cap. 7. Tom. 6.* quod habet hæc verba: *Necessarium erat, vt huiusmodi pretium penderetur, quod exactum debitum adamussim iustitiæ exequaret.* 245

ADDO Sanctos Patres relatos, & adductos à D. Bonauentura, omissis hís, qui à Valentia, Vasquez, Suarez, & aliis referuntur. D. Aug. *de Agone Christiano*, apud D. Bonau. in 3. dist. 19. quæst. 2. *In ipso vincuntur inimicæ in nobis inuisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates. Fuso enim sanguine sine culpa, omnium culparum chyrographa deleta sunt, quibus debitores à diabolo antè tenebantur.* 246

QVAMVIS enim maius sit satisfacere Deo, quàm diabolum vincere, vt notat D. Bonan. *distinct. 20. quæst. 3. ad 3.* tamen delere chyrographum debiti includit integram satisfactionem, vt ait S. Bonau. *dist. 19. quæst. 2.* in resolutione, & *lib. 1. Pharetræ c. 2.* refert multos Patres asserentes, nos emptos esse Christi morte, magno pretio. Inter hos est D. Bernardus *serm. 22.* circa medium, qui ait: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio: prorsus copiosa, quia non gutta sanguinis, sed vnda largiter per quinque partes corporis emanauit*, & serm. 4. de Aduentu Domini, & in Vigil. Natiuit. Domini: *Venit vniuersitatis Creator, & Dominus ad homines, Redemptor ad venditos, &c.* 247

ALII quoque PP. *ibi*, & *cap. 4.* relati, exprimunt victoriam de Diabolo, ereptionem iustam, hominisque reconciliationem in sanguine Christi cum Deo. 248

AD *cap. 1.* Ioan. affert D. Aug. *qui tract. 2. in Ioan.* ait: *Verbum Dei ex seipso fecisse medicinam, vt perfectè sanaremur.*

PROBATVR à D. Bonauent. *in 3. dist. 20. quæst. 4. in corp. & quæst. 5.* ratione, qua maximè nituntur Capreolus, Caietanus, Media, Suarez, Valentia, Vasq. & alij, & Mastrius *num. 116.* cum Scoto 3. *dist. 19 quæst. vn. B.* Ratio est, quia erant operationes Dei hominis, seu Theandricæ, Dei virilis, appellatæ. Pro hac sciendum, perantiquum esse Sanctorum PP. dogma, operationes Christi fuisse salutares, quia erant Theandricæ, id est Dei virilis. 249

PRIMVS videtur S. Dionys. Areopagita epist. vlt. ad Caium dicens; *Et Diuina, non quatenus Deus est, perfecit, neque humana, quatenus homo, sed cum nobis conuersatus est Deus, homo factus nouam quandam Dei, virique actionem.* (Scilicet perfecit) Pro Dei, virique est καινήν μίαν Theandricam. 250

HANC doctrinam diuinitus commentatur D. Damasc. *lib. 3. de fide, cap. 19.* quod est de operatione

Thean

Theandrica: *Non enim humana humano modo efficiebat, non enim homo dumtaxat erat*, & cap.15. *Non enim humano modo humana factitabat, vt qui non homo solum, sed etiam Deus esset, vnde etiam ipsius passiones viuifica, & salutares extiterunt*, & cap. 17. *Domini caro Diuinarum actionum opibus circumfluxit, ob purissimam illam, hoc est, personalem, cum Verbo vnionem.*

251 EADEM loquitur Theodotus Episc. Ancyræ, *homil. Nativ. Dom.* quæ est in 6. Tom. Concilij Ephesini, cap.10. *Vim illis* (idest passionibus Christi) *tribuit Verbum, mors namque, veluti ipsius Dei facta, mortem demolitur; nam qui moriebatur, simul Deus, & homo erat.* Et in alia homil. *de Domini Natiuitate*, quæ refertur *in quarta Appendice ad Tom.9. eiusdem Concilij, cap. 2.* contra Nestorium, qui dicebat: *sed hominis passiones non præsumo Deo coniungere.* Sic arguit: *Ergo nec sanare, cum passiones hominis dicis, neque cruce spoliasse virtutem diaboli, neque nostrum peccatum affixisse ligno, neque propriis passionibus sanasse hominum passiones, neque morte dicis eum destruxisse mortem, si enim non fecit Deus proprias passiones, vnde passionibus Christi tantarum correctionum sunt facta virtutes? Sed ista passiones propria facta Dei, virtutem quidem tantarum correctionum ex diuinitate perceperunt, tanquam propria Dei facta.* Hic, si attentè obseruetur, est modus loquendi S. Bonauenturæ *in 3. dist.19. & 20.* passim. Idem habet Dionys. Alex. *Epist. in Samosat.*

252 ADDIT S. Doctor, *dist. 13. quæst. 2. ad 3.* D. Anselmum *lib.2. Cur Deus homo, cap.7.* dicentem, oportuisse eum, qui satisfacere posset, esse Deum, & hominem.

253 SCIAS verò, hæreticos Monothelitas hinc aberrandi ansam arripuisse, dicentes, in Christo Theandricam operationem esse Diuinæ voluntatis, & nullam aliam in eo operationem reperiri. Hi sunt damnati in Concilio Lateranensi sub Martino I. *consult.5. can.15.* vbi dicitur: *Si quis secundum scelerosos hæreticos Dei virilem operationem, vnam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum SS. PP. aut ipsam Dei virilis, quæ posita est, nouam vocabuli distinctionem vnius esse designatiuam, sed non vtriusque mirifica vnionis demonstratiuam, condemnatus sit.*

254 QUOD autem Driedo *tract.2. de capt. & redemp. generis humani, cap.2. part.3. art. 3. prop. 2.* ait: *Ideò operationem humanam in Christo virtutem habuisse viuificandi nos, & merendi nobis vitam æternam, quia id, quod egit Christus voluntate humana ad nostram redemptionem, egit etiam voluntate Diuina, ita vt humana voluntas, veluti instrumentum mota fuerit à Diuina:* damnatur à quibusdam, vt arridens hæresi Monotholitarum.

AT Driedo non vult, vnicam fuisse operationem, sed humanam actionem per Diuinam deificatam esse, vt ita dignior effecta, mereretur nostram redemptionem; non quod ex operatione voluntatis Diuinæ, & humanæ, composita sit vna operatio, quæ dicatur Theandrica, vt ritè aduertit Vasq. *disput.5. cap.4.* Idem videtur sentire Vulpes infra citandus *quæst.8. ad 1.*

255 VERUM tamen est, ipsum velle Christi deificatum esse, vt ait Sophronius in epistola, quæ approbata fuit *in sexta Synodo, act. 11.* non quia velle hominis, esset præcisè velle Dei, seu ratione voluntatis Diuinæ, sicuti opera miraculosa, quæ à voluntate Diuina procedebant; sed ratione naturæ diuinæ vnitæ, quæ ante omnem actum voluntatis, ipsam naturam humanam deificabat, & veluti balsamo sacrabat. Quam doctrinam habuit Sophronius è Nazianzeno *orat. 36. quæ est 4. Theologia, num.46.*

INSERVNT igitur, vnionem hypostaticam sanctificare naturam, eamque eleuare ad eminentem illum operandi modum; sicuti enim gratia adoptionis, reddens nos adoptiuos, nostras eleuat operationes ad gradum sublimiorem; multò magis gratia vnionis, quæ reddet illum hominem filium Dei naturalem: Actiones enim sunt suppositorum, vt legitur in Concilio Florent. *sess.8.* ex Ioanne Theologo; vt dicam *quæst. 8.* Probabile tamen est, necessariam ad meritum connatorale gratiam sanctificantem cum D. Bonau. *dist.13. quæst. 1.* quem sequuntur alij apud Suar. *disp.39. sect.2.* sed dignitas è persona sumebatur. 256

NEQVE vult Seraphicus, etiam per Dei potentiam, non potuisse mereri absque ea, vt vult Scotus; sed solum requiri ad actus supernaturales, connaturali modo eleuandos ad meritum, vt videtur agnouisse Suarez; dignitatem verò operationum è persona operante deduci, vt docet ipse Seraphicus *dist.15. quæst.2. ad argumenta*, & ostendam *disp.11. quæst. 2.*

HINC sic argumentor: Satisfactio crescit in valore ex dignitate personæ satisfacientis, vt ostensum est *quæst.3.* Sed persona satisfaciens pro nobis fuit infinitæ dignitatis: Ergo & opera eius fuere infiniti valoris ad satisfaciendum. Tota hæc ratio fundatur in PP. allatis, & aliis, suprà *quæst.4.* Eaque vtuntur Tanner. *num.71.* qui dicit, ab omnibus Theologis probari hoc fundamentum; ita & alij. 257

HANC rationem, quæ est nostrum fundamentum, conatur pro viribus euertere Scotus *in 3. dist.19.* & Faber *disput.45. & 46.* qui crassiori Minerua, quàm deceat viros, subtilitatis surculos, male considerantes operationes Christi hominis, vt procedentes à voluntate creata finitæ entitatis physicæ, & à gratia finita habituali, inferunt, nos infinitam entitatem rei finitæ attribuere, eamque cum diuina entitate physicè comparare; cùm vrgeamus infinitatem, non physicam, sed moralem, assertam Sanctorum Patrum dictis, quæ aduersarij non soluunt. 258

ILLÆ enim operationes adeptæ sunt moralem dignitatem infinitam, quia sunt Theandricæ, seu Dei virilis, quæ dignitas non oritur ex intrinseco voluntatis operantis, vt sic, sed quatenus homo operans est Deus, eò quòd actiones sint suppositorum, vt indicat S. Bonauent. *dist. 13. quæst.2. in corpore*, & natura operans, vncta balsamo deitatis, moraliter infinitè est dignissima, vt aiunt Sancti PP. quibus optarem aduersarios respondere. 259

HÆC autem ratio non extrinsecam tantum infinitatem, sed intrinsecam moralem arguit; nititur enim dignitate sublimi illius hominis operantis, vt authoritates allatæ astruunt. Quòd enim relatio humanitatis ad suppositum sit physicè finita, vt ait Faventinus *num.22. dist.45.* nil obstat, quin moralem dignitatem infinitam ebibat. Neque est locutio hyperbolica, vt clamant aduersarij, sed vnanimi Sanctorum Patrum sensu apprimè asserta.

ASSERO secundò, quamvis opera Christi sint gratissima, & infiniti valoris abundantia super debita nostra, ratione vnionis hypostaticæ; tamen necessariam fuisse promissionem, vt Deus teneretur acceptare illa pro hominibus. Ita D. Bonauent. *quæst. 5.* & *loco adducto prima secunda*, quem sequuntur ibi allegati, & ipse Suarez *hic, disput.4, sect.5.* circa finem contra Vasq. *cap. 6.* soluto *in 4. dist.19.* 260

dist. 19. *quæst.* 1. *art.* 2. Ledesmam 2. *part. quæst.* 11. *art.* 2. *dub.* 1.

261 PROBATVR autem à D. Bonauent. *loco cit. ad* 1. è Scripturis, quæ asserunt, filium a Patre destinatum morti, eumque exhibuisse, & acceptasse mortem, Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, vt multi Patres exponunt. Et Isa. 53. *Dominus voluit conterere eum in infirmitate: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, & infra: *Iniquitates eorum ipse portabit; ideò dispertiam ei plurimos. Posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* Idem innuit S. Doctor *in* 3. *dist.* 19. *ad argum.* ex 3. ad Rom. *Quem proposuit Deus propitiatorem ad ostensionem iustitiæ in sanguine eius.*

262 HOC male detorsit Faber *disp.* 47. *num.* 24. ad indicandum, necessariam fuisse diuinam acceptationem, sic arguens: Deus proposuit Christum ad ostensionem iustitiæ. Ergo præposuit misericordiam. Quæ illatio adeo est inanis, vt non egeat responsio.

RECTE quidem infertur: Deus proposuit illum propitiatorem ad ostensionem iustitiæ in sanguine eius: ergo aliqua conuentio facta est, qua propositus Redemptor acceptauit. Quod patet ex effectibus.

263 PROBATVR ergo à D. Bonauent. *dist.* 30. *quæst.* 5. *ad* 1. ex aliis locis scripturæ, quibus astruitur, Patrem tradidisse filium, Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Vbi obserua ex dignitate, & ex meritis filij Dei ipsius traditi, colligi, peccata nobis esse condonata, omniaque bona donata nobis indignissimis.

264 HINC Adrianus Papa *in epist. ad Episc. Hispaniæ*, ait: *Scimus, quia non est traditus secundum diuinitatem; sed secundum id, quod verus homo erat; illum nimirum, qui traditus est, id est, hominem ipsum. Apostolus, proprium Dei filium protestatur*, Philip. 2. *Cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c.* Hoc explicat Apostolus ad Heb. 2. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.*

265 PROBATVR secundò à S. Bonauent. *argum.* 1. facto pro prima assertione, deducto è 5. Rom. *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Pro quo suppono ex Vasq. *disp.* 5. *num.* 11. Peccatum Adæ non fuisse ex se efficax ad inficiendum totum genus hominum, sed necessarium fuisse legem, & pactum Dei, quo daretur hæc vis eius culpæ. Tunc sic ad hominem: Sicut per Adam peccatum intrauit in mundum; ita per Christum deletum est, & pro eo satisfactum; sed non potuit peccatum habere vim inficiendi omnes homines absque pacto ex Vasquez: Ergo neque satisfactio Christi absque pacto fuit efficax.

266 NEQVE verò aliquid dignitatis detrahitur meritis, & satisfactionibus Christi; nos enim eas condignissimas asserimus; Deum tamen non fuisse coactum absolutè, eas velle absque pacto suo; quo posito tenebatur non recusare, ob rationes allatas *prima secunda, tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 4.

267 OBIICIES primò contra primum assertum cum Durando. Christus non potuit reddere æquales gratias pro beneficiis, quæ acceperat: Ergo neque satisfacere pro nostro peccato.

RESPONDET Vega primò, negando Antecedens, quia gratiarum actio Christi fuit infiniti valoris.

RESPONDET secundò, negando consequentiam: Potest enim aliquis non posse reddere æquales gratias pro se, & tamen satisfacere posse pro aliis, quia potest esse minus debitum aliorum, pro quo satisfacit, quàm suum, pro quo reddit gratias. Ita respondet etiam Vasquez *cap.* 7. qui ait, sumi responsionem è D. Thoma *in* 3. *dist.* 20. *quæstione* 1. *art.* 2.

ALIAM responsionem deduco è D. Bonauent. *quæst.* 5. potuisse Christum, vt hominem Deum, reddere gratias Patri pro acceptis, pro quibus opera aliqua vitæ satisfacere poterant, & actus voluntatis; aliis verò satisfecisse, mortem subeundo. Quare si gratiarum actio Christi fuit nouum donum, pro quo ipsamet gratiarum actio non exhibetur, potuit aliis operibus Christi solui. 268

DICES. Etiam illæ aliæ operationes sunt noua Dei beneficia, quippe procedunt ex gratia, quæ ideò non possunt pro seipsis soluendis reddi, & ita per omnes Christi gratiarum actiones procedendo. Quo fit, vt pro omnibus non possint sufficientes reddi gratiæ; nam saltem vltima remanebit sine gratiarum actione. Hoc argumentum timet Vasquez, Caietanus verò negat, illam gratiarum actionem esse nouum beneficium humanitati assumptæ. 269

RESPONDETVR, potuisse vno actu ex dignitate personæ infinita solui etiam alium, qui erat quidem à gratia Dei sanctificante finita; at dignitas operis erat à gratia vnionis, quæ non semper nouam, ac nouam gratiam in singulis operibus dicit; sed supposità ipsà, dat connaturalem operationem, quippe quæ in substantia, & natura fundatur, non in operatione, sicuti ratio gratiæ cooperantis habitualis. 270

PRÆTEREA dignitas oriebatur à supposito operante, cui non est gratia concessa cum ipsum sit gratiarum omnium scaturigo.

HINC facilè eluitur argumentum illud Fabri *disp.* 46. *cap.* 2. quod est eius Achilles. Satisfactio, quæ fundatur in gratia creditoris, non est æqualis; at satisfactio Christi fundatur in gratia Dei sanctificante, qua meritum complebatur, vt docet etiam D. Bonau. *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 1. Ergo. At esto fundetur in gratia vnionis, hæc tamen est gratis concessa illi humanitati operanti. 271

HÆC tamen ratio eluitur à Seraphico *dist.* 13. *quæst.* 1. vbi eam vidit; nam licèt humanitati Christi vnio esset gratia Dei, attamen non erat gratia supposito operanti, à quo dignitas infinita operationum deriuatur. Christus igitur satisfaciebat ex alienis, sed ex sua etiam gratia. Ità respondet etiam Medina, & Soto.

FABER *num.* 7. instat dicens, siue comparetur vnio ad humanitatem, siue ad personam Verbi, semper liberaliter illi confertur. Nam comparata ad Humanitatem, certè est gratia, vt ait D. Augustinus. Idem probatur in ordine ad Verbum, quia ex intrinseco Verbi, non oritur necessitas habendi hanc vnionem, quia est liberalis, & contingens. 272

EQVIDEM etiam, atque etiam miror, virum Theologum hæc effutire: Hoc enim est asserere aliquid gratiæ Verbo Dei, atque adeo ipsi Deo concessum, ita vt Verbum infra Deum cum Arrio ponatur. Ex eo verò, quòd vnio hypostatica non fuit connaturalis Verbo, sed libera, numquid est gratia ipsi Verbo? Sic enim erit gratia & Patri, & Spiritui. 273

ritui Sancto, quod probatur. Opus hoc vniendi Verbum cum natura humana de fide est à tota Trinitate, vt ipsemet fateris *hic*; sed per te, ex eo, quod est liberaliter factum, est gratia ipsi Verbo: ergo erit gratia etiam Patri, & Spiritui Sancto, qui eodem modo actiue concurrunt.

NEQVE dicat quis, esse gratiam Verbo, quia ipsi singularis est vnio; nam Fauentinus subdit aliud argumentum; quòd scilicet contingens fuerit, Verbum terminare naturam humanam, ideò ex parte etiam relationis est gratia: Primum verò eius argumentum est ab efficientia.

274 AT omittamus reliqua; quid obsecro entitatis gratuitæ additur Verbo? Sane Scriptura, Patres, aut Theologi nunquam hoc idioma admittent. Quod si hæc licet asserere, licet etiam, creationem mundi esse gratiam factam Sanctissimæ Trinitati, quia dati sunt ei liberaliter subditi.

TERMINARE ergo naturam humanam non fuit gratia ipsi Verbo, sed naturæ, vt omnes vnanimes asserunt Catholici.

OBIICIES tertiò cum Durando. Si Christi humanitas manens vnita Verbo peccaret, non posset pro se satisfacere: ergo neque nunc pro aliis.

275 RESPONDETVR, data illa hypothesi impossibili, negari consequentiam è D. Bonauent. *distin.* 20. *quæst.* 3. *in corpore, & argum.* 1. *secundo loco*, quia nunc, cùm sit homo sanctissimus, innocens, ac Deus infinitæ dignitatis, habet omnia requisita ad perfectam satisfactionem. Hoc argumentum, vt notat Mastrius *num.* 125. non est difficile.

OBIICIES quartò. Maior est grauitas peccatorum nostrorum, quippe contra Deum, quam satisfactiones Christi, quæ à Christo homine sunt.

276 RESPONDETVR, Christum satisfecisse, vt Deum hominem, ita vt humanitas fuerit *principium Quo*; sed Verbum *principium Quod*, eas operationes dignificans. Quamuis enim Verbum, vt persona, nil influat, quia actiones ad extra sunt à tota Trinitate Sanctissima, influit tamen moraliter dignitatem, vt ostendam *quæst. sequenti*.

OBIICIES quintò. Debitum peccatorum fuit infinitum, sunt enim offensæ in Deum. Ergo, licèt Christi satisfactiones fuerint Theandricæ, & infinitæ, non fuerunt superabundantes, vt vos dicitis, quia vnum infinitum non est maius alio. Hoc argumentum Mastrio videtur à nobis insolubile.

277 RESPONDETVR tamen, offensas Dei esse quidem infinitas; sed obiectiuè extrinsecè; habere tamen obiecta, quibus terminentur, puta genus peccatorum, satisfactiones autem simpliciter operationes Theandricas esse infinitas, quippe filij Dei intrinsecè operantis, & ita infinitæ in tota latitudine, non habent vnde terminentur. Quare nil mirum, si vna Christi operatio, vel gutta sanguinis acquisiecit thesaurum infinitum, vt satisfaceret pro omnibus. Hoc verò argumentum rursum resumetur *quæst. sequenti*.

278 NEQVE dicat Vulpes, suppositum Verbi esse extrinsecum naturæ operanti humanæ, nam operationes illæ sunt suppositi Diuini, supplentis vices creati, ac proinde ei meritò adscribuntur non minus, quam si in proprio supposito operaretur, vt concedit Scotus apud Mastrium *num.* 130.

OBIICIES sextò. Si merita Christi essent infinita, cùm pro omnibus sint exhibita, deberet omnibus dari gloria, & ad eam efficacissimæ gratiæ; iuxta id Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, &c. quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* ergo tota ratio pretij stat in acceptatione.

RESPONDETVR, hoc tantùm probare, quòd, licèt merita Christi essent superabundantia, tamen poterant non acceptari à Deo, sicuti si exhibeas pro equo pretium superfluens, potest Dominus dicere: Nolo tibi eum vendere. Ideò hoc argumentum contra Vasq. vigetur ab Auersa *quæst.* 9. 279

CONTRA secundum assertum obiicit Vasquez primò. Si ad satisfactionum Christi efficaciam necessarium fuit pactum Dei, sequitur; Christum non meruisse antiquis Patribus; quia nullum pro eis pactum cum Deo inire potuit, cùm iam obiissent.

RESPONDETVR ex dictis *prima secunda, loco cit.* ex ipso Vasquez *ibi*; ad pactum non requiri in Deo mutuam acceptationem, sed sufficere operari ex decreto, & eò magis, supposita pacti præuisione.

OBIICIT secundò. Peccatum sine pacto infecit homines: ergo potentius fuit redemptione Christi, quæ pacto indiguit. 280

RESPONDET D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 32. *quæst.* 2. *argum.* 2. negando consequentiam, quia, vt ait Apostolus Rom. 5. *Non sicut delictum, ita & donum*; nam delictum mortem attulit, & damnationem; at donum fuit Vnigeniti filij in carne afferentis pelagus gratiarum, & gloriam; plura verò requiruntur ad bonum constituendum, quod ex integra causa esse debet, quàm ad malum, quod fit ex quouis defectu; vt passim inculcat S. Bonauentura.

OBIICIES tertiò. Sequeretur, Christum non meruisse redemptionem paruulis, quibus remedium Baptismi applicari non potest; nam Pater Christo non promisit, se daturum illis opportunitatem, vt posset eis remedium passionis Christi applicari. 281

RESPONDETVR, negari sequelam, quia, vt dixi *prima prima, tract.* 1. *disp.* 21. *quæst.* 5. Deus dedit ex pacto media sufficientia, vt ibi ostendi: ergo secundùm nostram sententiam promiserat Christo illa dare.

DEINDE cùm ipse Vasquez ibi opinetur, non dari istis paruulis media sufficientia; & hæc decreuisse non dare; magis sequitur, Christum ea pro illis non meruisse, vel frustra, & gratis è Patris decreto laborasse. Imò ipsum Christum illis è statuto voluisse mereri sufficienter, & non mereri.

EX dictis assero igitur vltimò cum Seraphico *quæst.* 5. talem quidem fuisse Christi satisfactionem, vt licet absolutè posset recusari, tamen indecens foret, non acceptare. Ita Valentia *puncto* 5. Sotus *in* 4. *distinct.* 19. *quæst.* 1. *artic.* 2. qui tamen nimium dicunt, volentes, fuisse omninò impossibile recusare. 282

PROBATVR ergo à Valentia, ratione D. Bonauenturæ principali. Compensationem pro iniuria oblatam, tunc aliquis debet acceptare, & dedecet recusari secundùm iustitiam, cùm tales circumstantiæ factum, & satisfactionem vestiunt, vt alienum à ratione videatur eam respuere: sed talis est satisfactio Christi: ergo. Maior verissima est; hic enim vnicus, & certissimus modus est cognoscendi decentiam in rebus ad quamcunque virtutem spectantibus. Minor probata manet, si spectetur compensatio oblata, & ille, qui satisfacit, & illi, pro quibus oblata est, & DEVS, cui est oblata satisfactio. 283

PRIMÒ quidem satisfactio plena fuit, & redundans, & aptissima ad placandum; vnde ait D. Anselmus, *lib. Cur Deus homo*, cap. 11. *Nihil asperius, & difficilius potest homo ad honorem Dei pati sponte & non ex debito, quàm mortem*, & hæc est oblatio, & satisfactio, data à Cristo, vt habetur Eph. 5. *Tradidit seipsum oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis*. In qua satisfactione est infusio 284

medicinæ

medicinæ ad morbum curandum, & culpam soluendam, quia enim homo per superbiam, gulam,
285 & inobedientiam, vt ait D. Gregorius, voluit Deo assimilari in scientiæ sublimitate, gustare lignum vetitum suaue, & Dei non subiici præceptis: ideò per contrarium, satisfactio data est maxima humiliatione, amaritudine, dolore, & obedientia à Christo homine, Deo satisfaciente. Vnde ait Apostolus Philip. 2. *Cùm in forma Dei esset, humiliauit semet ipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.*

286 Præterea hæc satisfactio potentissima fuit ad conuertendum hominem ad Deum, vt dicitur Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*: & hoc à Deo requirebatur, vt homo auersus, ad diuinum amorem pœnitens conuerteretur, neque aliter frueretur veniâ. Quis enim non diligat tantum amorem? Quis non amet tantam Dei bonitatem, quæ tam eximium excogitauit modum, vt filium vnicum traderet, amictum natura hominis rei, hominem factum ad pœnas subeundas? Hinc Hugo, de arrha sponsæ, ait: *Vt ostenderet tibi, quantum te diligeret, non nisi moriendo, te à morte liberauit, vt non tantùm pietatis impenderet beneficium, verum etiam charitatis monstraret affectum.*

287 Præterea hic modus fuit ad dæmonem expugnandum aptissimus; debebat autem Redemptor, eum prudentia prosternere, qui astu elatus triumpharat. Ideò Iob 26. dicitur: *Prudentia percussit superbum*, & infra: *Numquid poteris Leuiatam hamo capere?* Ideò etiam *dist. 19. apud D. Bonau.* ait D. Augustinus: *Quid fecit Redemptor captiuatori nostro? tetendit ei muscipulam crucem, & quasi escam sanguinem suum.*

288 Hinc liquidò apparet dignitas satisfactionis ex aliis quoque capitibus, nam satisfaciens est persona Diuina, quæ mortem turpissimam, & extremum subiit supplicium. Hinc Apostolus Rom. 5. *Christus pro nobis mortuus est: & cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt: multò magis donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Et cap. 6 idem prosequitur. Sic igitur homines per vnum sui generis innocentissimum, & sanctissimum obtulerunt sanctificationem, qui cùm esset filius Dei, non potuit recusari à Patre. Ideò Apostolus, Heb. 5. ait: *exauditus est pro sua reuerentia.* Quasi diceret: Tanta Persona non debuit recusari satisfaciens.

289 Homines insuper, pro quibus offerebatur, erant miserabiles, Diaboli captiuitate perpetuâ deuincti, è fragilitate in omne nefas propensi. Deus verò, qui hominem ad finem beatitudinis creauerat, non potuit ferè recusare hunc potissimum modum, qui hominem ad sui amorem, & honorem reuocaret: Imò ipse Deus, hunc modum efficacissimum decreuit, quem infinita bonitas, prouidentia, & charitas non recusarent. Hæc S. Bonau. & post eum ferè ad nutum Valentia.

290 Aliqua sibi obiicit S. Doctor, quæ referam. Primò; Indecens est satisfactio, quæ innocentis vitam postulat: Talis est hæc: ergo. Minor probatur, nam Philip. 2. dicitur: *Factus obediens*: ergo exacta est talis satisfactio, & sæpe Pater dicitur tradidisse filium, *Rom. 8. Isaiæ 53.* & alibi.

Respondet S. Bonauent. Patrem non dedisse positiuè filium in manus tyrannicas, & impias carnificum, sed filio offerente se, iuxta illud Isaiæ: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Pater acceptauit oblationem, & permisit, in manus impiorum incidere. Hanc responsionem affert ex D. Anselmo *loco cit.* de quo *disp. 20. quæst. 3.*

Obiicit secundò. Iniustum est soluere nocen- 291
tem, & innocentem damnare; sed Christus innocens damnatus est: *Qui peccatum non fecit*, vt dicitur 1. *Petri 2.* vt nos Deus absolueret nocentes, qui *sicut oues errauimus*, & vt inquit Isa. 53. *In eo posuit iniquitates omnium nostrum*: Ergo.

Respondet S. Doctor. impium esse, innocentem inuitum damnare pro reo; at si innocens spontè ad salutem reorum iugulum præbeat, heroicum est. Talis fuit Christus, vt ipse fatetur Ioan. 10. *Ego pono animam meam pro ouibus meis.* Laudantur sane in historiis, qui sic mortem oppetiere.

Obiicit tertiò. Deus non delectatur morte ali- 292
cuius, quia mortem non fecit, vt dicitur *Sap. 2.*

Respondet S. Doctor, eum delectari affectu charitatis, quo propter salutem perditorum hominum mortem subiit.

Obiicit quartò. Melior erat vita Christi, quàm mors: ergo magis satisfactionem exigere debuisset, sinendo tamen Christum viuere.

Respondetur, licèt posterior fuerit vita in se, tamen ad satisfaciendum melior est mors, seu vitæ profusio, quia satisfactio debet esse pœnalis, & maxima satisfactio, maximè pœnalis.

Deinde ex parte offerentis, maioris perfectionis est velle mori pro aliis, quàm viuendo benefacere, ideò ait Christus: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, vt dicitur *Ioan. 15.* quem locum egregio commentario Seraphicus Doctor illustrat.

Obiicit quartò. Non est modus ordinatus sa- 293
tisfaciendi, quo nouum peccatum additur, sed Christus occidi non poterat absque deicidio Iudæorum: ergo.

Respondet, veram esse maiorem, quando peccatum additur à satisfaciente; at Christus non peccauit; quod si aliorum peccatum permisit, fuit maximæ sapientiæ inuentum, è tanto malo tantum elicere bonum.

Obiicit quintò. Grauius fuit peccatum occi- 294
dentium Christum, quàm peccatum Adæ; sed non potuit Adæ peccatum solui absque Christi satisfactione: ergo & pro peccato crucifigentium debuit secundò occidi, & soluere primam occisionem, & aliam secundam in infinitum.

Respondet S. Bonauent. satisfactionem vni- 295
cam Christi fuisse infinitam, superabundantem in infinitum ad satisfaciendum pro peccato Adæ, & crucifigentium, omniumque peccatorum. Ideò dicit Apostolus Heb. 10. *Vna enim oblatione, consummauit in sempiternum sanctificatos.*

QVÆSTIO VIII.

An CHRISTI *satisfactiones fuerint infinitæ valoris.*

Etsi valeat etiam satisfactio sine merito, dum 296
illata resarcitur iniuria, vel fit restitutio, possitque esse meritum sine satisfactione; nam ad meritum sufficit placere, satisfacere autem exigit solutionem offensæ, vt ait S. Doct. *dist. 1. art. 2. quæst. 2.* ad

ad 4. & alibi passim; tamen in Christo omnia opera erant satisfactoria, simul & meritoria.

297 SVPPONO autem, CHRISTVM DOMINVM satisfecisse pro omnibus peccatis totius mundi. Sic habetur *Psal.* 129. *Prima Ioan.* 10. Concil. Trid. *sess.* 5. *can.* 5. *& sess.* 6. passim, & ostendi *quæst. præced.* Hanc autem satisfactionem in adultis non habere effectum absque propria cooperatione, vt declarat Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. & deducitur è 16. Marci: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Heb. 5. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* etsi prima gratia sit ante cooperationem, vt admonet Suarez *disp* 4. *sect.* 3. modo dicto *prima primæ, tract.* 1. *disp.* 21. *quæst.* 12.

298 EST igitur quæstio: An merita Christi fuerint infinita ex natura sua, ob dignitatem personæ operantis.

OMNES, qui præcedenti quæstione negant, satisfactiones Christi fuisse ex intrinseco debitis peccatorum condignas; multò acrius negant, eas esse infinitas. Hæc est Scoti sententia 3 *dist.* 19. *quæst vn.* dicentis, merita Christi non intrinsecè è personæ operantis dignitate, sed extrinsecè ex diuina acceptatione, ob congruitatem suppositi Diuini operantis, accipiente, ea merita fuisse infinita extensiue, quam congruitatem non haberet persona creata.

299 SIC interpretantur, atque plaudunt Scotistæ omnes noui, & veteres. Mayro, Rubion, Bassolis, Lichetus, Tartaretus *ibi*, quos referunt, ac sequuntur Faber 3. *dist.* 45. Rada 3. *part. contron.* 13. Mastrius 3. *disp.* 3. *quæst.* 8. addens Bellutum, Gallum, Centinom, Arretinum, & alios suæ scholæ; vno excepto Vulpio, qui *tract.* 3. *parte* 4. *disp.* 56. *art.* 8. dicit, satisfactionem Christi habere infinitum valorem, ac pretium simpliciter è natura rei, quatenus præcise includit proprium velle bonum Verbi Dei intrinsecum personale, & hunc esse germanum Scoti sensum, qui etiam *dist.* 13. *quæst.* 1. lit. H. ait: *In commendando Christum malo excedere, quàm deficere in laude sibi debita, si propter ignorantiam in alterum*
300 *oportet incidere.* Neque in ea fuit sententia, vt tota ratio satisfactionis Christi, pretium à Diuina obtineat acceptatione, sed quidem ab ea complementum habuisse dicit, seu condignitatem, intelligens debitum, cum ab vnione hypostatica haberet congruitatem, vt acceptaretur, quæ congruitas in commensuratione consistit. Ita exponit Scotum Mastrius *num.* 92. *disp.* 3. seu etiam, quia & gratia vnionis erat cum peccato compossibilis, ideò non ex se adæquatè, sed ex diuina ordinatione eleuabat opera illa ad condignitatem cum premio infinito. Sic exponunt Scotum Bellut. *disput.* 7. *quæst.* 4. *numero* 95. Aretinus 3. *dist.* 19. *q. vn. art.* 1. & Mastrius *n.* 281.

301 OPPOSITA sententia est, merita, & satisfactiones Christi ex natura sua ob dignitatem personæ diuinæ operantis, fuisse infiniti valoris simpliciter. Ità D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 1. *&* 2. & *dist.* 20. passim præcipuè *quæst.* 5. Alens. 3. *part. quæst.* 17. *memb.* 5. *art.* 2: D. Thoma 3. *part. quæst.* 48. *art* 2. *ad* 3. & *in* 3. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 6. & *de ver. quæst.* 27. *art.* 7. Palud. 3. *dist.* 10. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 3. Capreol. *quæst vn. art.* 1. *concl.* 2. Richard. *dist.* 13. *art.* 1. *quæst.* 2. Ferrar. 4. *contra Gent. cap.* 55. Caiet. & Recentiores Thomistæ *ad art.* 2. *q.* 1. *D. Thoma*, vbi latè Naaar. *contron.* 2 *prima primæ*, Billius *in Scholiis ad vitam Nazianzeni, num.* 127. Sotus 4. *dist.* 1. *quæst.* 3. *art.* 5. & *dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 2. & *lib.* 3. *de Natura, & gratia, cap.* 6. Vega *lib.* 9. *super Concilium, cap.* 9. Suarez *disp.* 4. *sect.* 4. Vasquez *disp.* 6. Valen-

tia *disp.* 1. *quæst.* 1. *puncto* 5. Tanner. *disp.* 1. *quæst.* 2. *dub.* 3. Vulp. *art.* 7. allegans Scotum, dicensque Radum, & Fabrum à Scoto, & à veritate Catholica deficere. Becan. 3. *cap.* 53. *quæst.* 1. *&* 2. Caspensis, Morand. *tract. de Incarn. quæst.* 45. Mætac. *disp.* 6. *sect.* 2. Pasqualigo *disp.* 99. *sect.* 6. Petrus à S. Ioseph *lib.* 1. *cap.* 10. Marchantius *lib.* 1. *tract.* 3. *prop.* 3. Gotliclmus *de Trin. locis cit. quæst.* 7. Velasquez *in cap.* 2. *ad Philip. vers.* 8. *annot.* 7. *moral.* Cardin. Lugo *disp.* 6. *sect.* 7. & ibi plurimi.

MEDIAM enimverò sententiam excogitauit 302
Lugo *sect.* 1. merita non fuisse infinita, quod probat, quia potuit vna actio esse maioris meriti, quam alia, cum tamen non possit vnum infinitum esse maius alio; tamen habuisse infinitum valorem ad quodcunque præmium excogitabile.

ASSERENDVM, opera Christi fuisse infiniti valoris, in genere meriti, & satisfactionis.

PROBATVR primò Scripturis, & PP. relatis *q.* 303
præcedenti, asserentibus, redemptionem à Christo factam fuisse magnam, & superabundantem. Hoc est argumentum D. Bonau. *in opusc. cui Titulus Amatorium, pag.* 6. & *in* 3. *dist.* 20. *quæst.* 6. *ad ult.* & *p p. Pharetra, c.* 2. ex D. Bernardo ad id Psal. 129: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*, quod desumpsit è D. Bonauentura Clemens Papa VI. *in Extrauag. Vnigenitus, de pœnit. & remiss.* Referam autem eius verba, vt hinc sponte defluant Scotistarum responsa.

Vnigenitus Dei filius de sinu Patris digna-
tus est in vterum descendere matris, in qua,
& ex qua nostræ mortalitatis substantiam
Diuinitati suæ, in suppositi vnitate, ineffa-
bili vnione coniunxit, id, quod fuit perma-
nens, & quod non erat assumens: vt ha-
beret, vnde hominem lapsum redimeret, &
pro eo satisfaceret Deo Patri. Vbi enim ve-
nit plenitudo temporis, misit Deus filium
suum, Galat. 5. *vt eos, qui sub lege erant,* 304
redimeret, &c. Ipse enim factus est nobis
sapientia, sanctificatio, & redemptio, 1.
Cor. 1. *Non per sanguinem hircorum, aut*
vitulorum, sed per proprium sanguinem in-
troiuit semel in sancta, æterna redemptione
inuenta. Heb 9. *Non enim corruptibilibus* 305
auro, & argento, sed sui ipsius incontamina-
ti, & immaculati pretioso sanguine nos re-
demit: qui in ara Crucis innocens immola-
tus, non guttam sanguinis modicam, quæ
tamen propter vnionem ad Verbum pro re-
demptione totius humani generis suffecisset,
sed copiosè, velut quoddam perfluuium, nos-
citur effudisse. Quantum ergo exinde, vt nec 306
superuacua, inanis, aut superflua tantæ effu-
sionis miseratio redderetur, thesaurum mili-
tanti Ecclesiæ acquisiuit, volens suis thesau-
rizare filiis pius Pater: vt sic sit infinitus

thesaurus hominibus, quem per B. Petrum, eiusque successores suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum; de cuius consumptione, seu minutione non est aliquatenus formidandum propter infinita Christi merita.

Idem habet S. Bonauent. in Lament. Hierem. *cap. 3.* ad ea verba. *Recordare, &c.*

307 RESPONDET Mastrius *num.* 314. & 321. Scripturas, & PP. solùm asserere redemptionem copiosam, non autem infinitam, vel si aliquam infinitatem concesserint, eam esse tantùm ordinis, quatenus non poterat dari maior satisfactio offensæ Dei. Deinde etiam, quia satisfactiones Christi sunt in ordine superiori ad nostra demerita. Hæc enim à cognitione limitantur, quia tanta est offensio, quanta est cognitio, quæ habetur de dignitate personæ; at meritum sumit dignitatem à persona merente, etiam præcisa cognitione suæ dignitatis, quo fit, vt iustus, etiam sui status inscius mereatur; non tamen meritum Christi erit simpliciter infinitum, sed solùm in ordine, quia potest actus limitari è duratione operis, intensione, obiecto, &c. actionis ipsius. Cùm autem multa concurrunt ad aliquid constituendum, è quibus vnum quidem sit infinitum, & reliqua finita, non producitur effectus infinitus, sed finitus; erit tamen ordinis su-
308 perioris. Et hoc est magnum fundamentum Scotistæ huius. Sequitur igitur, quòd satisfactiones Christi, cùm sint ordinis superioris, nequeant à quacunque multitudine offensarum adæquari. Sic enim res se habet sæpe in his, quæ sunt inferioris ordinis; sic infinitus numerus boum, non adæquabit animam rationalem, neque tamen hæc est infinita. Itaque in casu nostro non erit tanta multitudo peccatorum, quæ non excedatur à Christi satisfactionibus, & meritis, atque adeò thesaurum meritorum Christi infinitum, hoc sensu à Clemente asseri.

309 CONTRA tamen, quia Pontifex sumit fundamentum huius excessus, non à quavis ordinatione superiori aliqualiter limitatum, sed à dignitate personæ operantis infinita, vt aduertit Arriaga *disput.* 8. *num.* 49.

NEQVE satis limitantur merita finitate actus, obiecti, vel intensionis, vt putat Mastrius; namomnes hæ finitates, vt sunt ab operante, esto relinquant actum physicè finitum; tamen eum moralitate dignitatis personæ infinitum reddunt.

NEQVE mihi necesse est inquirere simile in effectibus physicis, eleuatâ à Deo causâ, puta igne à Deo eleuato, vt conatur ostendere Arriaga; nam ignis ille adhuc virtute sui physica operatur, neque inquam producet infinitum actu, vel si produceret, hoc esset à Deo, non ab ignis illius finiti virtute. At in casu nostro Deus immediatè operatur, moraliter dignificans operationem illam.

310 HOC expressit Apostolus *Heb.* 5. vbi describens orationem Christi patientis, ait: *Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Vbi Chrysost. homil. 8. *Et quamquam esset filius Dei, pro reuerentia, inquit, exauditus est; vult ostendere eius esse magis effectum, quàm gratia Dei; tanta inquit erat eius reuerentia, vt etiam propterea eum reuereretur Deus.* Hic ostendit exauditum Christum, non ex gratia, sed pro dignitatu infinita personæ.

RESPONDET Mastrius, exponi à Glossa, Lyrano, & D. Thoma, exauditum Christum propter reuerentiam suam erga Deum in postulando: Deinde data Chrysostomi expositione, necessarium fuisse saltem pactum, etiamsi meritum esset condignum. 311

AT sensus germanus Pauli est hic; nam ibi volens magnificare Christi Pontificatum, & Sacrificium, ait: *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui potuit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis, offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* En præclarè è dignitate filij, colligit reuerentiam, operibus, & orationibus eius debitam. Subdit: *Et quidem cùm esset filius Dei.* En ratio. 312

QVOD verò saltem necessarium fuerit pactum, fateor, sed hucusque non venit Scotus, qui nullam condignitatem; & vix congruitatem meritis Christi è persona adscribit, sibique videtur etiam excedere.

CONFITETVR deinde *numero* 322. inualidam esse communem Scotistarum solutionem, satisfactiones Christi extrinsecè tantùm esse infinitas; quia Scriptura, Patres, & Pontifices attribuunt dignitati personæ Verbi infinitatem illam meriti, ac satisfactionis. 313

QVARE iam ruit Fabri responsio *num.* 7. Clementem asserere quidem merita Christi infinita, non tamen modum, seu rationem allegare, & ideò sufficere, si sit extrinseca è Diuina acceptatione.

SANE Pontifex declarat verbis maiusculis, hanc dignitatem: PROPTER VNIONEM AD VERBVM existere in Christi meritis, ita vt oriatur infinitas ex dignitate personæ operantis, & ex ipsa re oblata infiniti valoris, quia erat sanguis filij Dei, & vita Christi, vt disserit Vasquez *cap.* 2. cum D. Bonauent. suprà, & indicat D. Thoma *quæst.* 48. *art.* 2. & *in* 3. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 2. vbi ait. Vita corporalis Christi habebat quendam infinitum valorem è Diuinitate coniuncta, in quantum erat vita non puri hominis, sed Dei, & hominis, & ita eum defendit Capreolus *ibi.* 314

HANC secundam partem, nempe ex pretio rei oblatæ, infinitam esse Christi satisfactionem, probat Nazar. *hic*, §. *Quinto sciendum*, & colligit ex Bulla allegata, vbi dicitur, Sanguinis Christi guttam esse infiniti valoris, propter vnionem ad Verbum. Addit tamen Nazarius, Redemptionem non habuisse infinitum valorem ex persona offerente, quia in emptione, & venditione, non aspicitur dignitas personæ ementis, sed æqualitas pretij. 315

ENIM verò Suarez *quæst.* 48. *art.* 4. & Vasquez *cap.* 2. hoc rident; nam emptio *hic* de Christi passione dicitur metaphorice; nam eatenus dicitur Christus redemisse, quatenus merito, & satisfactione, nostram promeruit libertatem. Itaque valor huius pretij, fuit valor meriti, quod è personæ operantis dignitate sumitur. In hoc enim stat pretium morale exhibitum, nempe in operibus virtutum, in actibus heroicis, & passionibus, quæ è Verbi operantis dignitate sumebantur. 316

CONATVR verò è contra Nazarius veram, non metaphoricam ostendere redemptionem; redimere enim est iterum, quod suum erat, & in alterius incideret

derat potestatem, suum facere pretio interposito, vt ait Medina *q.48. art.4.* Iam verò inciderat homo in captiuitatem, & potestatem diaboli, qui ideò dicitur: *Princeps mundi huius*, Ioan. 12.

317 TRIPLICEM autem acquisierat Diabolus potestatem in hominem. Prima est attrahendi hominem, post hanc vitam, ad mortem sempiternam. Secunda, detinendi iustos in Lymbo post hanc vitam: Tertia, tentandi homines acriter in hac vita, & in peccata attrahendi; vt ait D. Gregorius. Quæ accepit Nazarius è D. Bonauent. *in 3. dist. 19. dubio litt. & quæst. 3. & lib. 2. Pharetra, cap. 5.*

HINC deducit, propriam redemptionem generis humani à Christo factam.

PRÆTEREA Scripturas conglomerat, quibus Christus dicitur redemisse nos: *Matth. 20. prima Cor. 6. Psalmis 25. 30. 129. Isa. 43. & 52. Lucæ 21. & 24. Rom. 2. Eph. 1.* quæ non debent ad metaphoras trahi, cùm nullum ex veræ redemptionis expositione sequatur.

318 DICO igitur cum D. Bonauent. *in 3. dist. 19. in dub. litt.* & Magistro, Christum verè fuisse Redemptorem hominum, modo dicendo.

PROBATVR à D. Bonau. primò *in Dieta salut. tit. 1. 9.* vbi inuehitur contra luxuriosum, qui pro vili voluptate mercator pessimus vendit animam suam, vt dicitur Prou. 6. *Pretium Scorti vix est vnius panis: mulier autem viri pretiosam animam capit*, & iniuriam infert Christo, qui animas magno pretio emit, vt dicitur, 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno.* Et locis allegatis in argumento probat ex illo Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio.* Idem innuit ad ea verba Lucæ 24. *Quoniam ipse esset redempturus Israel.*

319 ENIM verò aduertit S. Doct. *loco cit. in dub. litt.* non intercessisse propriè contractum, sed dolo Sathanæ hominem deductum in eius potestatem; nam voluptuosus non intendit pro delectatione animam vendere, neque potest eam propriè vendere, cùm sit Dei; astu verò Diaboli pellicitur; in contractibus autem, dolus, & fraus nemini patrocinatur. Itaque iniusto titulo possidet, non iure propriæ emptionis, & ideò malæ fidei possessor erat; sed iustè permittebatur, hominem, qui à Deo se auertens, ad creaturas conuersus fuerat, à diabolo detineri. Diaboli verò fraus non patrocinabatur, quia veluti latro hominem detinebat. Ad redimendum verò hominem, vel aliam rem à latrone raptam, dominus non vtitur contractu emptionis, vel nouæ emptionis, sed redemptionis, id est, reductionis, ac liberationis; nullus enim emit, quod suum est; quia emptio transfert dominium.

320 EATENVS igitur intercessit redemptio in pretio condigno sanguinis Christi, quatenus homo, decreto Diuinæ iustitiæ, detinebatur seruus in pœnam raptus animæ, facti Deo, qui cùm sit legitimus Dominus, iniuriam acceperat, & ideò pretium sanctissimi sanguinis exhibitum est Deo, vt placaretur, & hominem liberaret à seruitute diaboli, atque æterno supplicio, & sic Diuinæ iustitiæ satisfecit.

321 QVARE cùm pretium hoc esset satisfactionis iniuriæ, & raptus animarum, etiam à persona offerentis erat desumenda eius excellentia. Itaque non potest separari ratio meriti, & satisfactionis Christi à ratione redemptionis, vt putat Nazarius.

EIVS porrò argumenta assumunt differentias proprij contractus emptionis, & meriti, satisfactionisque, eamque doctrinam ex Asturicensi delibauit.

322 PROBATVR secundò assertio; ex dictis *quæst. præced. & quæst. 3. & 4.* Dignitas satisfactionis sumitur è persona satisfaciente; sed persona satisfaciens pro nobis est Infinita: Ergo & satisfactio. Est argumentum Seraphici *distinct. 13. quæst. 2. in corpore*, & alijs locis adductis *quæst. 3.* mox citatis, & est fundamentum solidissimum, quo cæteri nituntur, vt ait Suarez.

FATETVR etiam idem ipse Vasquez *num. 9.* parum tamen consequenter, quippe nos acriter impugnauit *quæst. 3.* nolens, dignitatem satisfactionis sumi è dignitate personæ satisfacientis. Agnouit hoc ipse, qui confitetur, dignitatem satisfactionis, quæ fit per modum meriti condigni, ex dignitate satisfacientis pensandam esse. Sed peterem (nisi esset extra chorum saltare.) Si hoc est verum, cur dixit, personam infimam posse satisfacere nobili superiori?

NVNC igitur prima nostra maior explicita est *quæst. 3.* & satis roborata. Minor est Clementis VI. 323
Imò totum argumentum est Pontificis, & Sanctorum PP. quos *quæst. 7.* recensui, dicentium, dignitatem operum Christi inde manare, quia Theandrica, id est Dei virilis, sunt. Porrò actiones esse suppositorum docet Aristoteles, vt notum est, ac etiam S. Bonau. *primo, dist. 36. quæst. 2. fund. 1.* & Ioan. Theologus in Concilio Florent. *sess. 18.* cuius verba recitaui *tract. de Trin. disp. 11. quæst. 5.*

HINC Scotistarum responsa inania ruunt, quia 324
axioma Sanctorum PP. impugnant futilibus fundamentis. Quod enim relatio humanitatis ad Verbum sit finita, & actiones voluntatis Christi essent finitæ, sicut finita erat gratia habitualis animæ Christi, à qua etiam procedebant, vt respondet Fauentinos, non facit ad rem; nam Sancti PP. omnésque Catholici agnouerunt duplicem operationem, ac voluntatem in Christo, & satisfactiones à voluntate creata dignoscebant; & tamen virtutem infinitam eis adscribunt, quia Theandricæ sunt, id est, Dei hominis.

ID præclarè agnouit S. Bonauent. *dist. 13. quæst. 2.* 325
ex quo Scotus sua desumpsit fundamenta, non aduertens, ea iam à S. Doctore esse diruta. Operatio igitur Christi ex parte voluntatis creatæ, similiter & gratia eius creata, dubio procul finita erant in genere entis; alioqui esset Deus, & nil esset discriminis Dei cum creatura; attamen, quia humana voluntas erat Verbo vnita hypostaticè, infinitam dignitatem ebibebat ex illa vnione, non quidem physicam, sed moralem, & quia satisfaciens, vt sic, erat Homo Deus, ideò à personæ dignitate satisfactiones moralem dignitatem contrahebat, vt notat S. Bonauent. quem sequuntur omninò Capreolus, Caietanus, Medina, Suarez, Vasquez, Nazarius, & alij suprà allegati, ac omnes ferè, vt notat Velasq. *in cap. 2. ad Phil. vers. 7. adnot. 1.*

MASTRIVS, refutatis cæteris Scotistarum res- 326
ponsis, tanquam ineptis, ait *num. 333.* valorem è personæ satisfacientis dignitate non crescere ad æqualitatem Arithmeticam, sed ad proportionem Geometricam, quia ex aliis capitibus finitatur, è quibus oritur; neque enim actiones sunt suppositorum formaliter, quasi personalitas physicè in eas influit, sed tantùm moraliter, quatenus persona operans, est quasi forma propriæ operationis; hæc tamen moralis informatio non est ad æqualitatem, sed ad proportionem, & hoc sat est, vt Christi operationes Theandricæ sint.

AT, esto crescerent Geometricè; tamen semper 327
oportet, vt crescant, & ita cùm ascendatur ad personam simpliciter infinitam operantem, oportebit, esse meritum infinitum, vt arguit Clement. VI.

Papa, quia Pontifex eam assignat in ratione meriti; at Scotus vt congruitatem: tum quia ratio vnde sumitur dignitas, est persona simpliciter, & positiuè infinita.

328 RESPONDET Mastrius *num.* 335. Si argumentum valeret, æquè benè concludere infinitam simpliciter perfectionem in actu amoris in Deum, & in volitione dandi eleemosynam infinitis hominibus. Sicuti igitur perfectio actus dicitur crescere ex perfectione obiecti, proportione obiectiua; ità & meritum, ac satisfactio ex dignitate personæ crescit consimili proportione, quæ neque sit Arithmetica, neque Geometrica rigorose; alioqui posset inquiri; quot centenarij inueniantur in ea, & erunt infiniti, & ità fiet augmentum etiam secundùm Arithmeticam, quod cautè obseruat etiam Bellutus.

329 Hæc tamen inania sunt. Et primò vellem recordaretur Mastrius à *numero* 289. se negasse paritatem inter dignitatem crescentem extrinsecè, & ex parte obiecti, & ex parte personæ operantis intrinsecè crescentem, vt referam *responsione ad* 4. vbi infert, multò magis eam crescere ex hoc capite, vnde etiam operationes denominantur Diuinæ, si sint Dei; Angelicæ, si Angeli; cùm ex parte obiecti non denominentur; non enim visio Diuinæ essentiæ, aut actus charitatis humanus, dicitur Diuinus. Vnde concludit: Potest igitur excellentia personæ longè maiorem communicare dignitatem operationi, quàm excellentia obiecti ipsi actui. Quod aduertit etiam Morandus: Tunc sic arguo: Sed per te *numero* 341. & *hîc*, excellentia obiecti infiniti confert actui dignitatem infinitam secundùm quid; Ergo excellentia infinita personæ operantis, confert dignitatem simpliciter.

330 DEINDE augmentum Geometricum è dignitate personæ concesserat absolutè *num.* 300.

RVRSVS ipse Mastrius è, iacto fundamento dissimile accrementum concesserat, personæ infinitæ operi meritorio, quod non habet, vnde limitetur; & peccatoris in Deum offensæ, quæ limitantur à notitia, in tali gradu habita, de offensa Maiestate infinita.

Ex hac verò diuersitate deduxerat, satisfactiones Christi datas esse super omne debitum offensarum. Sic *num.* 290. *&* 314. At offensa Dei per te est infinita secundùm quid: Ergo satisfactio Christi simpliciter, & non tantùm secundùm ordinem superiorem, quia crescit infinità intrinsecè. Rursus *numero* 341. ait, eo modo crescere perfectionem actus ex obiecto, sicut è personæ operantis dignitate, quod contradicit asserto suprà allato.

331 NEQVE solùm è dignitate personæ crescit, sed etiam ex opere, vt notat Pasqualigo *sect.* 3. Ragusa *disp.* 14. Tanner. *disp.* 1. *quæst.* 1. *dub.* 4. Ideò enim, 1. *Petri* 2. dicitur: *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, &c. sed pretioso sanguine, &c.* Et Clem. VI. ait, Vnam guttam sanguinis emisse thesaurum infinitum, *propter vnionem ad Verbum.* Et Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. Sacrificium Missæ propitiatorium declarat, quia offertur eadem res, quæ in ara Crucis oblata fuit.

332 RESPONDET Mastrius *num.* 346. ex obiecto non deduci infinitatem meriti, quia qualitas obiecti non auget bonitatem operis, nisi quatenus per se cognita, & intenta; ideóque ex infinito obiecto non deriuatur in actum bonitas infinita, sed dignitas operantis confert suum effectum, etiamsi sit occulta, & ignota. Cùm igitur Scriptura, & Patres sanguini adscribunt meritum; intelligunt, provt à Christo effundebatur.

Hæc tamen nil valent; quia ideò sanguis, & 333
vita Christi valorem obtinent, eò quòd sunt sanguis, & vita Filij Dei; alioqui non esset, cur nomen PRETIOSI daretur sanguini; non nego antem, valere etiam ex persona offerente, cùm sit hæc actio effusionis Christi meritoria.

INSTAT Mastrius cum Morando, pretium ex oblatione infinita, finitum esse, si offerens sit finitus. Sic enim oblatio Christi, facta à B. Virgine, & à Simeone, finita fuit; Sic & oblatio, quæ fit in Missa.

RESPONDETVR, nos non sumere infinitatem 334
è sola re oblata; sed provt offertur. Quod si offertur totum, & est infinitum, erit quoque infinitum pretium, veluti si thesaurus infinitus offeratur à vili homine. Itaque sanguis Christi, oblatus à Christo, habet infinitum valorem, non solùm quia offerens est infinitus, sed etiam quia talis est oblatio: nec est simile de oblationibus factis à Simeone, vel Sacerdote, quia non offertur Christus secundùm totam rationem, cùm non sit in eorum plena possessione.

FABER *num.* 8. gloriatur, se pluribus insectatam 335
hanc responsionem *disp.* 14. Eam verò impugnat *disput.* 36. *cap.* 2. argumento. D. Bonauenturæ, quia essent infinitæ entitatis, & consequenter Deus.

VRGET autem *hîc*: Vel ratio meriti, vt distinguitur ab entitate meriti, est ens reale, intrinsecum ipsi entitati meriti, vel quid extrinsecum. Si primum: Ergo eadem entitas per vos est finita, & infinita. Si est quid extrinsecum, erit Diuina acceptatio.

RESPONSIO iam potuit à Scoto videri in D. Bonauentura *loco cit.*

RESPONDETVR ergo, esse intrinsecum ipsi en- 336
titati meriti; neque tamen benè illatio Fabri iacitur. Nam entitas meriti est entitas moralis, quæ à persona operante habet infinitatem in iusta æstimatione: Et de hac non dicitur esse meritum etiam finitæ entitatis; sed dicitur finitæ entitatis physicæ. Igitur meritum non distinguitur ab entitate morali sui ipsius, sed ab entitate physica, provt dicit actus illos vitales voluntatis, & similes, puta pœnalitates voluntarias ad satisfaciendum: Repugnat verò, aliquam entitatem humanitatis Christi Physicam, esse infinitam, puta voluntatem operatricem, at non repugnat, dignitatem moralem, quæ venit è dignitate Personæ Diuinæ operantis, & ex humanitatis vnione cum sanguine illo effuso, qui soluitur in satisfactionem, esse infinitam; imò hoc à Patribus, & Pontificibus est definitum.

INSTAT verò cum Scoto. Non potest actus bo- 337
nus humanitatis Christi habere infinitum valorem intrinsecè in ratione meriti, nisi habeat etiam infinitam entitatem intrinsecè. Probatur: Bonitas infinita formaliter non potest oriri ex entitate finita; quia tunc effectus excederet perfectionem suæ causæ.

RESPONDETVR facillimè, ex entitate physicè finita, non oriri infinitam bonitatem physicam; at ex entitate infinita morali, oriri potest infinita bonitas moralis. Non dicimus nos, infinitatem moralem meritorum Christi oriri ex entitate physica finita, sed ex infinita entitate morali, quæ est dignitas redundans in humanitatem ex vnione hypostatica cum Verbo; Et Verbi ipsius, in 339
humanitate actus illos creatos producentis; licèt enim Verbum producat illos actus finitos physicè, quatenus sunt etiam à Patre, & Spi-

ritu

ritu Sancto, vt potè actus ad extra producti; attamen quatenos illi actus sunt ab illa humanitate vnita Verbo, & Verbum ipsum illi vnitum, constituir hominem operantem; infinitam hauriunt dignitatem.

Vbi aduerte, infinitatem moralem in actibus Christi non oriti præcisè ex entitate morali, prout continet totam rationem moralitatis; nam actus voluntatis Christi, vt est liber, & ex gratia habet suum specificum morale, sicut in omnibus aliis, iuxta cundicta *prima secunda*. Sed è ratione morali, pro vt dicit actum illum voluntatis vnitæ Verbo, & pro vt homo ille volens est Deus.

339 Hoc autem alio exemplo declarant. Nam actus contritionis peccatoris habet totam suam innatam entitatem, etiam moralem, & tamen non valet ad meritum; adueniente verò gratiâ, quâ peccator fit gratus, ille actus contritionis incipit è dignitate addita personæ ad meritum prodesse.

Hinc non veretur dicere, moralitatem ex persona esse extrinsecam, quod verum est, si comparetur cum actu, vt in genere talis virtutis; at verò vt sumitur eius moralitas secundùm hoc esse indiuiduum, erit intrinseca, quæ sanè moralitas reddit infinitum simpliciter actum illum, sanè in genere meriti. Vnde non est ita gratus Deo, sicut persona ipsa Verbi, quæ est grata ex infinitate simpliciter in genere entis. Vnde per hoc respondetur etiam interrogationi Scoti, quam vrgent Fauentinus, & Rada.

340 Instat Faber, & gloriatur ostendere, sequi è nostro fundamento, opera Christi esse infinita in genere entis.

Svpponit verò id, quod ait se probasse *Theorem.* 87. Actiones non esse suppositorum efficienter, sed solùm denominatiuè, & tunc actio non potest à supposito ebibere infinitatem. Quod si veluti (ait) actiones Christi esse à supposito effectiuè, sequeretur actiones Christi ad extra non esse indiui-
341 sas, seu totius Trinitatis, quod est falsissimum. At hoc illis dato; sequitur, actiones Christi hominis esse infinitas in genere entis; nam secundùm eam rationem sunt infinitæ, secundùm quam à Verbo procedunt; at procedunt à Verbo per vos in genere entis: Ergo. Maior est certa, quia causa, & effectus sunt proportionata. Minor probatur, quia actiones sunt suppositorum physicè.

342 Respondetvr facilè primò, dogma illud, quod colligitur ex Aristotele, primo Met. in proœmio: *Actiones sunt suppositorum*, posse intelligi efficienter; licèt enim forma det esse, & operari, *vt quo*, tamen suppositum operatur, *vt quod*. Non enim natura Leonis comedit, sed ipse Leo.

Qvod verò effectus assimiletur naturæ *v. g.* calor calori, non igni, nil refert; nam cùm actio sit à supposito per naturam, vt eam producat ad perpetuandam, nil mirum, si naturæ similis producatur. Et licèt subsistentia nuda sit modus; at non agit simplex subsistentia, sed totum illud subsistens, quia nil potest agere in aliud, nisi prius in se habeat esse perfectum. Igitur humanitas Christi se solâ non ha-
343 buisset operationes, nisi vt in supposito. Verbum igitur supplenit rationem suppositi creati, vt Deus, sanè efficiendo, & vt Verbum sustentando naturam illam, & perficiendo in ordine ad actum primum operandi. Vnde miror Suar. *in Meta. disp.* 37. *sect.* 7. tam facilè Scoto manus dare propter hoc argumentum, quod sequeretur, hominem illum Christvm non habuisse operationes hominis perfectas, si ad operandum agit suppositum.

Hac verò suppositâ doctrinâ, respondetur, 344
actiones Christi hominis, non esse physicè infinitas, quia licèt Verbvm agens sit physicè infinitum, attamen operabatur adaptando se naturæ, quam mouebat ad opus, & quia natura illa erat finita, similiter actus finitos physicè producebat, quia causæ propriæ illius actus sunt finitæ, vt ipse Scotus *loco cit.* & Faber *hic*, & *num.* 31. deducit, imò & vrgent licèt non inferant rectè contra nos, vt infra.

Neqve argumentum est ad hominem, vt iactat Faber, sed ad tibiam; non enim dicimus, ex concursu physico suppositi ad actum, hunc esse physice infinitum, sed solùm secundùm dignitatem moralem; concursus verò Physicus suppositi, se solo non facit actum physicè infinitum, si natura, qua operatur, est finita; nam operatio proportionatur naturæ, vt ipse Faber *Theorem. adducto ait*; & li- 345
cèt Verbum sit in se infinitum, non producet effectum infinitum, quia non operatur operatione adæquata suæ virtuti, sed inadæquata, vnde posset in omnibus Angelicis, & humanis assumptis naturis operari. Quod si ex operatione physica operantis infiniti, licet deducere infinitatem effectuum physicam, omnes causæ naturales, quippe efficienter motæ a Deo, producent solùm effectus infinitos in genere entis, quod est ridiculum.

Respondetvr secundò, ad dignitatem infini- 346
tam meritorum Christi non requiri efficientiam illam suppositi, vt agat magis, quàm natura, aut æquè; sed sufficit, illud concurrere per se substantialiter, perficiendo naturam, eamque sustentando, vt operetur; quia sine subsistentiâ non operaretur, & sit ratio proxima potentiæ agendi ipsi naturæ, quod Scotistæ concedunt. Ex hac enim, qualiscunque sit, concurrentiâ suppositi apud SS. PP. & prudentes homines, deriuatur moralis quædam dignitas infinita in hominem illum Iesvm, sicut etiam in aliis dignitas personæ operantis, tametsi accidentaliter talis, puta Rex, plurimi æstimatur 347
in satisfactionibus; quia ille homo operans per naturam, habet in illa supplicatione adiunctam personalitatem accidentalem regalem, non quòd regalis dignitas operetur; sed quia operatur natura illa, vt aiunt Scotistæ, quæ habet illam personalitatem accidentalem; quantò magis Persona Diuina, sustentans substantialiter naturam humanam, & eam faciens operatiuam, communicabit ei dignitatem.

Propterea nnn dicimus, communicare infinitatem entitatiuam Verbi, vt inferebat Scotus, & Faber, sed solam moralem. Adde ex vnione Humanitatis cum Verbo, vniri quoque actiones, quæ moraliter infinitantur.

Hinc libeat deducere, Vulpem incautè lap- 348
sum (si Vulpis astu, vt Sinon, ad nos non diuertit) ad dicendum, Verbum suæ voluntatis personalis operationibus meruisse simpliciter infinitè; Et quidem ipsum potuisse mereri, quia, licèt ratione naturæ sit Patri æqualis, tamen ratione personæ est inferior, quod probat; quia missus est; Et sic sequitur Scotistarum argumenta ruere.

Hic modus dicendi non necessarius (etiamsi esset 349
verus) ad tuendam meritorum Christi excellentiam, malè olet. Primò enim certum est, Diuinam voluntatem Verbi non posse mereri, quia est vna voluntas cum Patre, & nullo modo inferior: Eam porro inferiorem mussitare, est error ille Græcorum quorundam, qui dicebant, Christvm, vt personam Diuinam, Patri orationes emisisse, &

apud illum meruisse : Quem errorem ex instituto refellit S. Augustinus *præfat. in Psalmi* 29. Neque è Diuinis missionibus hæc inæqualitas colligitur, vt ostendi *prima primæ, tract.* 2. *disp. vlt.* Neque vllus Patrum, aut vllum Concilium minoritatem Christi accepit, nisi è natura humana. Itaque doctrina hæc falsissima est, & graui digna reprehensione.

350 OBSERVA etiam cum Mastrio *art.* 2. cæteros Scotistas ferè omnes, dum vrgent finitatem meritorum Christi ex eo, quòd actiones sunt suppositorum denominatiuè tantùm, quod docet Scotus *in primo dist.* 12. *quæst. vn. ad secundum principale* & *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 3. *ad* 2. *principale*, ipsi Scoto repugnare, qui locis, in eius sententia allatis, adhuc tenet, merita Christi è dignitate suppositi Diuini habere quandam infinitatem. Quare è Scoto ad tribuendum huiusmodi valorem Christi meritis non requiritur, vt suppositum effectiuè concurrat; sed sat est, vt natura sustentata in Diuino supposito agat. Hinc enim moralem contrahit dignitatem, vt Christi operationes Theandricæ sint. Quomodocunque enim Persona agat : actiones infinitæ dignitatis acclamantur à Patribus, & à Pontifice Clemente supra, ex hoc capite definiuntur.

351 IRRITVS est etiam Scotistarum conatus ad concutiendum aliud è nostris fundamentis. Quòd satisfactio crescat è satisfacientis dignitate, sicut iniuria è persona offensa augetur. Est enim superioribus quæstionibus solidatum.

PORRO hìc, sic omnem infinitatem meritorum Christi eradunt, cui aliquam concedit è dignitate Scotus 3. *dist.* 18. *quæst. vn.* post litt. D. & *disp.* 19. *quæst. vn. ad* 2. Hinc enim Aristoteles ipse 5. *Eth. cap.* 5. docet, quòd *si quis percutiat Magistratum, non solò est repercutiendus, sed etiam supplicio afficiendus.* Quòd si *cap.* 4. docuerat, in iustitia correctiua attendi, non personarum rationem, sed nocumenti; hoc venit ex eo, quod offensa fuerit realis, puta in furto, non personalis; at in offensa Diuina læditur etiam persona.

352 OBIICIT secundò Faber cum Scoto, & Rada. Principium per se actionis meritoriæ Christi, sumptum cum omnibus respectibus ad Verbum, est finitum intrinsecè : Ergo & effectus fuit finitus. Antecedens probatur, quia principium illius actionis est voluntas creata ex gratia finita operans; neque è respectu ad Verbum induit infinitatem, quia ille respectus est finitus. Consequentia probatur, quia à principio essentialiter finito, non potest esse ratio infinita.

RESPONDETVR primò, dignitatem operationis sumi, non à principio *Quo*, sed à principio *Quod*, id est VERBO operante, iuxta primam sententiam de illo axiomate : *Actiones sunt suppositorum*. Et hoc satis esse ad operationes Theandricas, vt notat Mastrius *num.* 392. vbi & Scotum allegat.

353 RESPONDETVR secundò ex dictis, ad infinitatem moralem non requiri infinitatem physicam, quinimò, etiamsi Verbum physicè operaretur per humanitatem, adhuc effectus esset finitus physicè, vt suprà ostendi, sed dignitas moralis oritur è dignitate illius personæ, quæ sustentat humanitatem substantialem, & facit hominem Deum, & dat illi naturæ operationem physicam, & moralem, ex qua oritur moralitas infinita apud eximios rerum æstimatores; quæ quidem dignitas informat actum finitum secundùm se, eo planè modo, quo dignitas personæ operantis perficere solet entitatem moralem, innatam actui è proprio obiecto.

PORRO hoc habet ampliùs satisfactio Christi, 354 vt dignitas personæ è substantiali vnione resultet; in aliis verò ex accidentali, quia quo ad personalitatem substantialem omnes sunt ferè æquales, excepta aliqua perfectione indiuidua naturæ, quæ in satisfactione non attenditur. Quamvis autem satisfaciat Christus, in quantum homo, tamen includit suppositum Diuinum Verbi, æqualis Patri, satis, superque ad satisfaciendum pro offensa infinita, illata Deo; dixi: superque sufficiens, quia non exigitur ad satisfactionem, vt sit æqualis Deo, sicuti neque offensa est infinita simpliciter, vt DEVS; sed ratione obiecti læsi, ita igitur sufficit, vt satisfaciens sit DEVS. Sicut enim offensa è persona læsa accipit 355 suam intensionem; ita pari passu satisfactio è persona satisfaciente, quæ quidem dignitas non est necesse, vt sit intrinseca, seu essentialis ipsi actui considerato in ordine ad obiectum, puta actui contritionis, vel charitatis, vt in tali genere virtutis; sed sufficit si actuet, & perficiat eo modo, quo potest persona perficere; perficit autem modo connaturali, suæ sustentationi substantiali, quem si extrinsecum confiterentur, statim putabunt falsò Scotistæ, esse Diuinam acceptationem; in quod sæpe Faber impingit.

ISTI quoque Zelantes, ne merita CHRISTI 356 superflua sint, eò quòd præmio infinito nequeant remunerari, negant eorum infinitatem, non aduertentes, remunerari remissione infinitarum offensarum, & effusione donorum, & missione Spiritus Sancti, & exaltatione CHRISTI Humanitatis, quod si aliquod Christo restat in thesauro hoc, ad eius magnificentiam, & amplitudinem spectat, vt semper magna soluens, habeat adhuc aliquid soluendum. Possent verò adæquatè remunerari, si pro illis noua fieret vnio Verbi, Patris, aut Spiritus Sancti hypostatica.

DEBVISSENT igitur isti Zelatores vereri, ne dum ipsi finita Christi merita statuunt, thesaurus Christi exhaustus sit, & non sit obulus reliquus ad indulgentias, & alia dona dispertienda, quod offendiculum, vt remoueat, nititur Clemens VI. & ideò merita Christi asserit infinita.

QVOD enim è Diuina acceptatione sufficiant, vt 357 ait Faber, non facit, quod certò sint inexhausta. Nos igitur cum Pontifice ea infinita melius asserimus ea vnione ad VERBVM, vt ait S. Bonauent. *locis adductis*, & *quæst.* 2. *cit. ad* 3. & ad id Thren. Hierem. *Recordare afflictionis, &c.* Ex his multa Scotistarum argumenta ruunt.

OBIICIES tertiò. Si dignitas meriti cresceret è dignitate personæ; sequeretur, plus mereri hominem gratum vt quatuor, opere charitatis intenso vt duo, quàm alium gratum vt duo, eodem actu intenso vt duo, quod est falsum.

RESPONDETVR primò, negari maiorem, quia 358 operans vt duo, operatur remissiùs, quàm deceat, cùm & æqualiter operetur is, qui habet remissiorem gratiam, & ita non meretur ampliùs. Itaque gratia hic se habet in operante solùm concomitanter; at verò in persona semper concurrit dignitas substantialis, qualis erat CHRISTI, imò & accidentalis, quæ non se habet ad modum gratiæ, sed gradus substantialiter trascendentis; cùm iusti eodem in ordine gratiæ sint.

RESPONDETVR secundò, magis mereri eum, 359 qui intensiorem habet gratiam habitualem in aliquorum opinione, quæ non est omninò improbabilis, supposito, quod remissiùs operans augeat meritum, de quo 1. 2. *tract.* 5. *disp.* 4. *q.* 12. actum est.

OBICIES quartò cum Rada. Si licet infinitatem meritorum CHRISTI arguere calculatoriè ex eo, quod satisfactio crescit è dignitate satisfacientis, ità vt, si persona satisfaciens sit dignior, fiat satisfactio maior; & ideò si infinita sit persona, fiat satisfactio infinita, licebit eodem argumento probare infinitam visionem cuiusque beati; quis si videre clarè obiectum perfectius, est visio perfectior: Ergo videre infinitum, erit infinita.

360 RESPONDETVR, negando paritatem. Diuerso etenim modo operantur: Obiectum enim se habet vt terminus specificans actum extrinsecè; vnde, sicut non dat actui suam speciem, vel aliam æqualem, ita non dat valorem suum, &c. At persona operans suam afficit operationem, & moraliter influit in eam, & quasi eam informat. Hinc actus denominantur à persona, non ab obiecto; actio enim Dei Christi dicitur Theandrica, Diuina, Dei virilis; dicitur Angelica, si est Angeli; at cognitio de Deo, non dicitur Diuina; vel de Angelo Angelica: Ideò Mastrius *numero* 289. hanc rationem suorum elidit, & ante eum id ipsum præstitit Morandus.

361 DEINDE obiectum, vt infinitum, quia attingitur tantùm vt terminus, non semper attingitur vt infinitum, & totaliter; ideò non comprehenditur, sed solùm quando visio subiectiuè est infinita, & tunc rectè arguitur. Si visio vt quatuor est perfecta, & vt sex perfectior: Ergo & ascendendo; & ita visio infinitè intensa, erit infinita, vt discurrit S. Bonauentura *3. dist.* 14. *quæst.* 2. *&* 3.

362 AT verò persona Satisfaciens semper tota attingit suâ dignitate operationem; Ideò crescit eius operatio calculatoriè, & non tantùm vsque ad terminum aliquem præfixum, in aliquo ordine superiori, vt putat Mastrius: & ideò operationes personæ Verbi incarnati sunt Theandricæ, & infinitæ, quippe Dei hominis, quia ratio personæ tota ingreditur quoad dignitatem; & non sola operatio, sed persona se submittit satisfactione. Sic *Christus semetipsum exinaniuit.* Philip. 2. Hæc porrò infinitas, eo gradu intrinseca est operationi, quo & suppositum naturæ operanti, & sicut suppositum substantialiter vnitur naturæ; imò suppositum naturale differt tantùm modaliter à natura; ita & operatio quandam haurit ab operante supposito dignitatem, quæ aliquo modo intrinseca est ipsi satisfactioni, dum ipsa humiliatur persona, siue persona efficienter producat illos actus, siue eleuet naturam ad operationem, dando illi esse completum, ad quod sequitur operari, quod non potest absque substantia prodire. Ideò Agapitus Papa, aliique duo Pontifices maximi, relati *quæst. præcedenti*, arguunt valorem satisfactionis Christi ex eo, quod non vt filius adoptiuus, sed vt naturalis operabatur, vt notant Caspensis, & Vasquez cum D. Bonau. *distinct.* 12. *quæstione* 2. *ad* 3.

363 HÆC enim est dignitas moralis, quæ omnia opera Christi vno modo afficit. Et ideò, licèt in suo genere sint inæquales, v. g. actus charitatis nobilior actu temperantiæ, tamen ex hoc capite moralitatis, è persona operante, omnes sunt eiusdem dignitatis, quia eiusdem personæ.

364 QVARE non sequitur, quod infert Mastrius *art.* 3. omnia Christi opera esse ex omni capite æqualia, aut si inæqualia, dari vnum infinitum maius alio. Infinitas enim veniebat è dignitate operantis, remanente inæquali bonitate, sumpta ex obiecto, circumstantiis, &c. vt notat Suarez. Ità tamen vt simpliciter dicantur opera infiniti valoris, quia inæqualitas illa trahitur ad gradum personæ operantis.

NON tamen renuo id, quod docet etiam Arriaga, posse dici, manere inæquales, vt magis Deus delectaretur actu Christi mortis, quàm suspirio. Erant autem inæquales in se intrinsecè, sed vt dignificatæ à persona, omnes erant in ratione hac æquales, vt notat Morandus.

REMANET argumentum præcipuum apud Ma- 365
strium *num.* 296. e Scoto. Quando sunt plura ad aliquod constituendum finita, etiamsi interueniat vnum infinitum operans, manet effectus finitus: Sed ad opera Christi interueniebant multa finita, puta actus creatus voluntatis humanæ, intensio, obiectum virtutis: Ergo, licèt operaretur persona infinita, adhuc actus erant finiti, sicut offensa Dei, licet ex parte obiecti sit infinita, quia tamen à voluntate finita prodit circa rem finitam, est finita, sic & pœna Inferni, etsi æterna, tamen, quia intensè finita, talis censetur.

RESPONDETVR, actum accipere speciem ab 366
vltimo constitutiuo, & quia in actibus moralibus satisfactionis, & meriti, tametsi diuersarum specierum finitarum, accipirut vltimum complementum, & vltima perfectio ab operantis personæ dignitate, ideò actus sortitur speciem à dignitate operantis, quæ in nostro casu est infinita. Sic respondet Orlandus *tract.* 1. *de Incarnat. disp.* 2. *quæst.* 8. & videtur doctrina Suarez, & Vasquez.

MIROR autem, Mastrium concedere *num.* 304.
actus à personæ operantis dignitate sortiri vltimam 367
specificam perfectionem, & negare, quod cùm persona sit infinita, non sit actus infinitæ dignitatis; nam res simpliciter ab vltima forma habet speciem. Ideò Cardin. de Lugo infert, non obstante actuum finitate antecedente, adhuc satisfieri per eos infinitè simpliciter, quia per operantis Christi dignitatem, vltimam perfectionem præmio dignam obtinent, non quia dignitas vltimò sumatur è ratione præmij, vt carpit Mastrius, sed quia talis est dignitatis ratione personæ, vt præmium sit inde commensurandum. Quia enim opera non sunt ita digna, vt sic, sed vt à tali persona, ideò sumitur inde valor, vt notauit Morandus *num.* 391.

VRGET tandem. Si merita Christi sunt infini- 368
ta; sequitur, plus potuisse Christum mereri, quàm potuerit Deus remunerare; Deus enim non potest conferre infinitam gratiam.

RESPONDETVR cum Suarez, infinitatem meritorum Christi non sumi ex eo, vt debeatur eis infinita remuneratio; nam, quod est impossibile, non cadit sub merito; sed vt dato quocunque præmio, semper de Christi thesauro remaneret, & hoc est in gloriam Dei ipsius, non autem diminutio eius; sicuti ad potentiam Dei spectat, vt possit semper creare in infinitum, tametsi nequeat producere infi-
nitum actu; sic explicant Becanus, & Auersa; esto 369
autem meritum Christi moraliter sit actu infinitum, tamen non minuitur Dei gloria; nam est meritum è Diuinæ Personæ dignitate, quòd verò non detur creatura capax absorbendi totum huius meriti præmium debitum, hoc venit è finitate creaturæ. Quare frustra laborat Mastrius, vt inde inferat in Dei virtute diminutionem, & frustra insudant, vt istinc eximant se Suarez, Arriaga, Lugo, & alij. Est igitur ad Christi Dei gloriæ pompam, vt habeat thesaurum insolubilem, vt indicatur *in Extrauag. Vnigenitus.* Adde alias solutiones præmissorum indicatas ad 2.

370 MORANDVS ait, exhaustam esse Del potentiam intensiuè in ordine ad merita Christi, qoia nequeunt dari opera, quæ pluris valeant in ordine ad præmium, non tamen extensioè, quia poterar Verbum alias etiam naturas assumere, & alia opera exhibere. Allegat Vasq. *num*. 32. Mærac. *sect*. 6. *d*. 6. & Pasqualigum *sect*. 7. *num*. 59.

371 Ex dictis habes primò, valoris infinitatem in Christi meritis fuisse mnralem, non physicam; non enimoriebatur è natura actus, qui erant finiti physicè; sed è dignitate persouæ operantis. Ità Morandus eum Pasqualigo contra Suarez *sect*. 4. Tannerum *num*. 151. Albertinum *principio* 1. *Phil. corol*. 18. *quæst*. 18. *num*. 4.

372 COLLIGE secundò, etiamsi omnes actus Christi essent infiniti meriti; tamen è pacto statuto, mortem fuisse tedemptionem specialiter, & hoc conuenienter, vt pretium esset æquale, non solùm è personæ dignitate; sed etiam vt ex parte operis, graues pœnæ pro tot sceleribus grauibus rependerentur, vt ait D. Bonauent. *in Medit*. D. Thom. & Suarez apud Morandom, ad finem.

PIE' verò clamat Isaias, cap. 12. *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris*, non exhaurietis, cùm, quantumvis hauriantur, nunquam fons ipse arefiet, quinimo sempet pari virtute redundabit.

QVÆSTIO IX.

An satisfactiones CHRISTI, *& merita omnia fuerint ad regulas Iustitiæ exactè.*

773 QVAMVIS *prima prima*, *tract*. 1. *disp*. 9. *quæst*. 1. *&* 2. satis ostenderim, non esse Dei ad nos exactam iustitiam; ex quo facilè videtor definitum, neque merita, & satisfactiones Christi esse ex iustitiæ regulis; attamen, quia aliqua sunt in Christo præcipua, de quibus potest esse dubitatio, ea hîc discutiam.

OBSERVANDVM primò, aliquas conditiones necessarias esse, ad exactam iustitiæ rationem, ex quibus aliquæ ab his; aliæ ab aliis sunt requisitæ; aliquæ assertæ; aliquæ etiam negatæ in varias dedocunt opiniones, circa Christi satisfactionem.

374 VASQVEZ *disp*. 8. *num*. 2. refert, D. Bonauent. *in* 3. *dist*. 20. *quæst*. 3. cum Alensi 3. *p*. *memb*. 7. D. Thomam 3. *part*. *quæst*. 1. *art*. 2. hanc vnicam conditionem exigere, vt sit satisfactio perfecta, nempe vt sit æqualis offensæ, nec indigeat acceptatione creditoris; imperfecta verò sit, quæ eget acceptatione creditoris, qui ea sit contentus, licèt inæquali.

FALSVM est autem boc asseri à D. Bonauentura, nam ibi quærens: An pura creatura possit satisfacere pro peccatis: respondet, non posse satisfactione plena, quia peccatum est offensa infinita, cui non potest humana satisfactio esse adæquata, cùm sit finita; non tamen dicit ad satisfactionem, ex iustitia exactam, hanc solam requiri conditionem; neque hinc satisfactiones Christi ad regulas iustitiæ latas astrui.

375 PRIMÒ quidem S. Doctor *in* 4. *dist*. 46. *art*. 2. *quæst*. 1. aliam rationem habet, ob quam non possit esse hominis iustitia ad Deum, nempe quia non est debitum vllum, nec esse potest ex parte Dei ad nos, & idem censet Alensis *p*. 1. *quæst*. 39. *memb*. 1. D. Thom. *p*. *p*. *quæst*. 21. *art*. 1. Et *in* 2. *contra Gent*. *cap*. 93. quos ad boc refert Suarez hîc *disput*. 4. *sect*. 5.

IN hac autem ratione videntur aliæ inclusæ, nempe, quia non possunt satisfactiones nostræ fieri ex nostris bonis, neqoe ex aliàs non debitis, neque absque fundamento gratiæ Dei creditoris; ideò enim Deus nil debet nobis, quia omnia nostra sunt eius; omnia sont ei debita; omnia innixa gratiâ eius, quâ nostra opera reddantur meritoria, vel satisfactoria. Illas conditiones expresè requirit S. Doctor *locis adductis prima prima*, *tract*. 1. *disp*. 19. *quæst*. 1. *&* 2. Qoare Vasq. malè asserit, à solis posterioribus Theologis has conditiones ad veram iustitiam requiri. 376

SVPPONO autem ex dictis *quæstionibus præcedentibus*, Christum eo sensu ex iustitia satisfecisse, quia pretium pro nobis exhibuit adæquatum, ac superabundans. Quo sensu saltem verum est, quod ait Apostolos Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*. Vbi mirabile illod exprimit, etiam sæculis anteactis patrata delicta, soluta esse à Christo. Addere etiam potes, adeò raptum Apostolum excessu charitatis Christi, pro nobis emortui, vt impossibile existimaret, post exhibita charitatis in Cruce viscera, futurum ampliùs adeò ingratum, qui manus, pedesve, aut mentem, ad Deum hunc amantissimum offendendom haberet; vnde forent imposterum peccata delenda; Ideò solam præteritorum remissionem adducere. 377

IGITVR hoc sensu saltem, Christus ex iustitia soluit, ad hoc constitotus à Patre. Quo fit, vt saltem hoc sensu, ex iustitia satisfactionis Christi remittantur nobis peccata. Est etenim vnum consequens alterum. Quare non erat, cur duas hac de re quæstiones Mastrius proponeret. 378

QVÆSTIO est igitur: An Christi satisfactiones fuerint ad Iustitiæ Commutatiuæ præscriptum; nam si ad iustitiam spectat; ad commutatiuam reducitur redemptio. Ideò, 1. Corinth. 6. *Empti enim estis magno pretio*. Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio*. Psal. 88 *Quod exprobrauerunt commutationem Christi tui*. Vbi vult S. August. loqui de Iudæis, passionem Christi exprobrantibus. Et Iacobus de Valentia explicat commutationem Christi tui, idest mortem, & passionem, quæ fuit commutatio, quâ Christus nos redemit. 379

VARIÆ sunt in hac re sententiæ, provt variæ etiam conditiones Iustitiæ afferuntur, easque in Christi satisfactionibus asserunt Doctores. 380

PRIMA sententia astruit, satisfactiones Christi fuisse ex vera, & propria Iustitia Commutatiua. Ità D. Thom. 3. *part*. *quæst*. 1. *art*. 2. quem secuti sunt omnes Thomistæ, & alij *hîc*, inter quos præcipuus Suarez *disp*. 4. *sect*. 5. *&* 6. Aluarez *disp*. 4. Tanner. *quæst*. 2. *d*. 7. *num*. 276. Caspens. *disp*. 6. *sect*. 8. Pasqualigo *disp* 100. *sect*. 8. Albertinus, *tom*. 1. *princ*. 1. *corol*. 18. *num*. 35. Valentia *disp*. 1. *punct*. 5. Morand. *tract*. 21. *quæst*. 46. Medina 3. *part*. *quæst*. 1. *art*. 2. Ferrar. 4. *contra Gentes*, *cap*. 55. Sotus, Cabrera, Hurtad. *disp*. 12. Curiel, Herizé, Arriaga *disp*. 12. *sect*. 1. Granado, Cornexo, Ragusa *disp*. 20. Baldius, & Orlandus *disp*. 2. *quæst*. 10.

SECVNDA sententia, è diametro opposita, est, satisfactiones Christi non fuisse ad lineas Iustitiæ. Videtur D. Bonau. 4. *dist*. 46. *art*. 2. *quæst*. 1. *ad* 1. Alens. *p*. *p*. *quæst*. 39. *memb*. 1. quos refert Suarez *sect*. 5. Est verò Scoti 3. *dist*. 19. *&* 20. & *in* 4. *dist*. 15. 381

*dist.*15. *quæst.*1. quem sequuntur Scotistæ omnes apud Mastrium 3.*disp.*4.*quæst.*4.*art.*1. Consentiunt Vasq. 3.*part.disp.*7.*&* 8. plurimos referens, Mærac. *disp.* 7. *sect.* 1. Lugo *disp.* 3. Torres, Bernal, Molina, Lorca, Auersa, Becanus, Bonacina, Amicus *disp.*5.*sect.*5.apud Mastrium, & alij.

PRIMA igitur conditio ad veram, & exactam iustitiæ satisfactionem requisita, est, vt fiat ex bonis propriis soluentis. Hanc Vasquez *disp.*8. *cap.*1. adscribit Capreolu *in* 4.*dist.*15.*quæst.*1.*art.*3.*ad* 1. Aureoli, Caietano *in articulum cit. D. Thomæ, ad* 3. *dub.* Soto 3. *de natura, & gratia, cap.*6. & *in* 4. *dist.*1.*quæst.*5.*art.*4. & *dist.*19.*quæst.*1.*art.*2. Ferrar. 4. *contra Gentes, cap.*54. Addit verò Vasq. *disp.*7. *num.*34. terminum *ex rigore iustitia*, solùm ab Aureolo incepisse. Hæc tamen conditio habetur expressa in D.Bonauent.*ad* 17.*Lucæ*, vt vidimus *prima prima, loco citato.*

382 RATIO huius conditionis est; nam iustitiæ obiectum est æqualitas, quæ in satisfactione fit; quod si restitutio fiat ex bonis creditoris, nulla certè inæqualitas tollitur, vel æqualitas constituitur; quia per hæc nil amplius incipit habere, quàm antea habebat.

Ex hac igitur prima conditione colligit Medina, satisfactionem Christi non fuisse ad lineas iustitiæ, quia Christus satisfecit, vt homo, atque è bonis Humanitatis non satisfecit, sed è donis, gratis à Diuinitate acceptis, cui tanquam creditori exhibebat pro nobis satisfactiones. Ità sentit etiam Ioan. de Lugo *disp.*3.*sect.*1.*&* 2.

383 AB hac difficultate se extricant Capreolus, Caietanus, Soto *loco cit.* Ferrar. *cap.*55. illo principio. Actiones sunt Suppositorum, quod est Damasceni *lib.*3.*de fide, cap.*15. & Aristoteles *in Proœmio Met.* vbi ait: *Actiones omnes circa singulare sunt.* Ex quo Aristotelis effato id eliciunt.

EADEM est ratio, quæ fluit ab agente, & recipitur in passo: at actio est circa singularia, tanquam terminum: Ergo est etiam à singulari supposito agente.

384 CONFIRMATVR: nam omnes circumstantiæ actionis singularis, sunt singulares: Ergo etiam agens. Est autem idem apud Aristotelem singulare, ac substantiæ suppositum; aut saltem per rem singularem, intelligit rem cum omnibus conditionibus existentiæ. Vna autem est subsistentia, vt notat Suarez *disp.* 4. *sect.* 5. Confirmatur vlterius: Ei conuenit actio, cui primò conuenit esse; nam operari sequitur adesse: At esse primò conuenit supposito, in quo & natura stat: Ergo.

385 CLARIVS verò deducitur dogma, ex Aristotele 1.*de Anima*, *text.*64. vbi ait: *Dicere autem, animam irasci, vel timere, simile est, atque si quispiam animam texere dicat, vel ædificare: Nam melius est fortasse dicere, non animam, sed hominem animâ misereri, vel discere, vel ratiocinari.* Idem axioma habet Ioan. ille magnus Theologus *in Concilio Florentino*, *sess.*18. eoque vtitur, tanquam principio, ab omnibus Theologis approbato. Loquitur autem ibi Ioannes, nomine totius Ecclesiæ Latinæ, Græcis assentientibus.

IAM verò hinc colligunt, Christi satisfactionem fuisse ex propriis, quia satisfaciens erat Deus, seu suppositum Verbi in humana natura, & ideò ex hoc capite satisfecit ex rigore satisfactionibus infinitis. Hanc solutionem adhibet Vega *lib.*7. *in Concil. Tridem. cap.*9.

386 ALIAM verò solutionem sibi magis probatam, ibidem retulerat Vega, Posse scilicet satisfieri rigori iustitiæ, etiam ex bonis à creditore acceptis. Sic Petrus, si à Rege dono accepisset thesaurum; & postea in delictum aliquod mulctâ luendum incideret, posset de thesauro donato sibi haurire ad satisfaciendum Regi. Ità ergo & Christus potuit è gratis acceptis à Deo vti ad satisfaciendum Maiestati Donatoris.

CONTRA tamen arguit Vasq. *disp.*8. *numero* 9. quia si thesaurus eo fine acceptus sit, vt eo solutio fiat, adhuc habet rationem gratiæ, neque ad satisfactionem ex iustitia facit. Cùm igitur humanitas Christi eo fine vnita sit Verbo, & tot aucta gratiis, vt soluat debitum nostrum; (nam alioqui non esset facta Incarnatio, vt ostendam *disp. seq. q.*1.) sequitur, dona accepta non conferre ad satisfactionem iustitiæ.

SCOTISTÆ persistunt; principium satisfaciendi formale esse naturam; suppositum verò solùm denominatiuè; Ideoque non rectè differere Thomistas.

VASQVEZ autem *loco cit. num.* 11. in hoc stat cum 387
Vega, asserendo, humanitatem Christi satisfecisse *vt Quod*, At suppositum Diuinum solùm remotè dici satisfecisse per communicationem idiomatum.

DEINDE *num.*32. cum eodem Vega ait, satisfactionem Christi, etiamsi non ex propriis, posse dici ex rigore etiam iustitiæ, quatenus satisfactio Christi non fuit iustitiæ specialis, sed generalis, ideò non debemus in ea postulare conditiones peculiaris iustitiæ, in restitutione requisitas, sed eas, quæ faciunt ad satisfactionem per modum meriti, cui nil obstat fieri ex donatis. Suarez dicit non repugnare in satisfactione exhiberi id, quod est ex bonis creditoris, quia consistit in rependendo tantum honoris, quantum ablatum est.

VERVM modus dicendi Vegæ, & Vasquez in 388
eo corripiendus, dum asserit, Humanitati adscribendum satisfacere etiam vt *Quod*, nedum vt *Quo*; Supposito autem solùm remotè, & per communicationem idiomatum. Eò autem correptione est dignior, quò viderat Vasquez hanc sententiam à PP. reprobatam. Et in fine *cap.* 2. audet, Vasq. indicere oppositum sentientibus.

HVNC modum dicendi falsum, & communi 389
SS. Patrum, & Theologorum sententiæ aduersum conclamant Suarez *disp.*4. *sect.*5. Asturicensis *in sua relectione, de Christi gratia, quæst.*5. *dub.*3. *pag.*379. Aluarez *disp.*5. Nazarius *quæst.*1. *art* 2. *controu.*3. qui eam erroris insimulat, & hæresim graueolentem proclamat.

PRIMÒ quidem Scripturis repugnat, quæ Verbo adscribunt Redemptionem, vt substat in natura humana, Ioan.6. *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.*
Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: vt 390
omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Vbi dicit Glossa Interlinearis: *Per me mediatorem vult Pater dare credentibus vitam æternam*, Id innuit S. Bonau. *ad eum locum.* Clarius *Ioan.*1. descripto Filio Dei, subdit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis.* Et subdit testimonium Ioannis 1 *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Qui post me venit, ante me factus est: quia prior me erat.* Innuens, missum Redemptorem esse Filium, vt aduertit S. Bonauent. ibi addens illud Galat.4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.*

CAP. 3. Ioan. *Sic Deus dilexit mundum, vt* 391
filium

filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam; non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Vbi D. Bonau. exponit *Per ipsum*, qui est *Saluator, & Redemptor.* Et apponit id Matth. 1. *Vocabis nomen eius* IESVM; *ipse enim saluum faciet populum, &c.*

IEEM obseruat S. Doctor *ad cap.5. Ioan* ad ea verba; *Omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium*, vbi apponit id Philip. 2. *Cum in forma Dei esset, humiliauit semet ipsum.*

IDEM aduertit ad ea verba Ioan. 11. *Propterea me Pater diligit, quia Ego pono animam meam*, & apponit idem *Philip.2.* suprà allegatum.

392 IDEM notat ad id Ioan. 12. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum: hoc autem dixit, significans qua morte esset clarificaturus Deum;* vbi notat oppositiones Iudæorum. *Respondebit ei turba. Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum*, vt dicitur Michææ 5. *Egressus eius ab æternitate.* Idem perspexit S. Doctor *in toto illo cœna sermone*, vbi se Dei Filium Redemptorem mundi refricat.

393 PROBATVR etiam à D. Bonauent. *in 3. dist. 19. art. 2. quæst. 1. ex 5. Apoc.* vbi Filius Dei in cœlis acclamatur Redemptor: *Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo.*

PRÆCLARE autem *in Proœmio 3. sent.* probat
ex illo Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium*
suum vnigenitum daret, &c. suprà. Et Coloss. 1. *In*
ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: &
per eum reconcilia e omnia per ipsum, pacificans per
sanguinem crucis eius. Hunc autem dicit: *Filium di-*
lectionis Patris, in quo habemus redemptionem per
sanguinem eius. Tit. 3. vbi idem asseritur; cum
enim dixisset, cap. 2. *Expectantes beatam spem, &*
394 *aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu*
Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos re-
dimeret ab omni iniquitate; subdit, connectens cap. 3.
Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, quem
effudit in nos abundè per Iesum Christum. Rom. 5.
Commendat autem charitatem suam Deus in nobis:
quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro
nobis mortuus est: Reconciliati Deo per mortem filij
eius. Vbi obseruat S. Bonauentura exprimi perso-
nam reparantis.

395 IOAM ostendit ex 1. Ioan. 1. *Quod fuit ab initio, quod vidimus, & manus nostra contrectauerunt de Verbo vitæ: & vita manifestata est, & vidimus, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Et sanguis Iesu Christi Filij eius, emundat nos ab omni peccato.*

E prima Petri 3. *Christus semel pro peccatis mortuus est.*

Ex 2. Philip. *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Humiliauit semetipsum vsque ad mortem.*

396 TANOEM in multis opusculis id probat, vel dixerim, sopponit S. Bonau. ex epist. Pauli ad Heb. *In Medit. vitæ Christi, cap. 7.* adducit id: *Et cùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei;* nempe, *Cùm apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei*, vt habetur *3. ad Titum.*

SERMONE vltimo, de decem præceptis circa finem affert illud, cap. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati, infirmitatibus nostris.* Hunc autem dixerat: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos Iesum Filium Dei.*

IDEM obseruat *parte 2. Stimuli Diuini amoris, cap. 6.* vbi apponit id Isaiæ: *Languores nostros ipse tulit, &c.* Sexcenta alia loca opponerem Vasquio, quibus luce clarius adscribitur Filio Dei Redemptio, vt *Qui*, non autem per solam communicationem idiomatum. Ex quibus hæc, quæ suprà relata sunt, referuntur à Nazario post D. Bonauenturam.

IDEM omninò vnanimi sensu astruunt SS. PP. 397
Irenæus *lib. 3. cap. 22.* Iustinus *in expositione fidei.* Athanas. *lib. de Incarnatione Verbi.* Cyrillus Alex. sæpè contra Nestorium, & Eutichetem, & ad Reginas, *cap. Quod redempti;* Cyrillus Hierosol. *cathec. 13.* Theodotus Ancyræ Episcop. *orat. de Natiuitate Saluatoris*, quæ inter *Append.* habetur *tom. 6. Concil. Ephes.* Leo Papa *serm. 1. de Natiuit.* Damasc. *lib. 3. de fide, cap. 5.* Augustinus *in Enchir. cap. 108.* & alij PP. relati *quæst. 7.* qui ideò operationes Christi Theandricas acclamant, seu *Dei virilis.* Idem habent alij Patres, relati *quæst. 3. & 4.* qui ideò necessariam fuisse personam Diuinam conclamant, vt redimerentur homines à peccatis, quæ sunt offensæ Dei infinitæ.

NEQVE responsio Vasquez est alicuius ponde- 398
ris, non ideò Scripturam & PP. dicere, satisfactiones Christi fuisse copiosas, quia sunt à Filio Dei; sed quia ex vnione cum Verbo humanitas deificata redditur digna.

SANE Scripturæ, & PP. in oppositum enitent.

CONFIRMATVR ex Conciliis Ephes. *in can. 4.* Chalced. *act. 5.* & ex Quinta Synodo generali *can. 2. & seq.* Et Sexta Synodo *per multas actiones.* Et Florentino, initio, vbi trahuntur regulæ prædicationom circa Mysterium Incarnationis, quæ vide in Medina *quæst. 16. art. 5.*

PROBATVR deinde à Nazario *loco cit. argum.* 399
S. Bonauentura, in 3. dist. 19. art. 2. quæst. 1. Terminus concretus, positus à parte subiecti, supponit pro supposito; at diuinæ Scripturæ, Sancti Patres, & Catholica fides in Symbolis Apostolorum, Concilij Nicæni, & Athanasij, Christum Dei Filium Incarnatum, passum, & mortuum, nos à peccatis, & diaboli seruitute astruunt liberasse, nobis à Deo veniam emeritum, & gloriam, pro nobis satisfaciendo: Ergo isti effectus, Supposito, vt principio, *Quod*, non autem Humanitati sunt adscribendi.

RESPONDET Vasquez, Christum rectè satisfecisse asseri, secundùm naturam humanam, non autem secundùm humanitatem, & deitatem; imò rectè dici: Humanitas satisfecit pro nobis, sicut nos dicimus: Homo secundùm animam meretur à Deo gloriam, & ideò rectè humanitati adscribitur satisfactio.

AT debuit aduertere è D. Bonauentura *loco cit.* 400
in fundamentis, ea locutione, qua dicitur: Christus satisfecit secundùm naturam humanam, oon secundùm Diuinam, solùm segregari principium *Quo*; attamen in Supposito manere operationem, & ideò in Symbolis dicitur: *Passus, &c.* ac proinde satisfaciens; non autem de Humanitate dicitur, vt ait etiam Nazarius.

Oa candem rationem D. Athanasius ad Epicte-
tum, & Elias Cretensis *in orat. 10. Nazianzeni*, di-
cunt, Humanitatem factam esse nobis satisfactio-
nem, & redemptionem, & Christum vicisse mun-
dum, vt homo, qoia humanitate, vt principio
Quo, redemptionem perfecit; nusquam autem
inueniet Vasq. id negari supposito vt principio 401
Quod, & humanitati adscribi. Quamvis enim hu-
manitati adscribatur, vt deificatæ, vnitæ deitati,

quia

quia hinc verè humanitas fuit reddita pretiosa, quod non negatur ab aliquo ipsi Vasq. attamen nullus Patrum hoc idioma inuenit: *Humanitas, non Filius Dei, satisfecit*, quia actiones sunt suppositorum, vt dixi. Sic Carolus Magnus *epist. ad Epilandum*, quæ habetur in Concilio Francofordi. ait: *In forma Dei Creator; in forma serui Redemptor*, vt notat Nazarius.

402 His ruit tota moles Vasquez, qua ostendere nitebatur, defuisse satisfactionibus Christi hanc conditionem: *vt fiant ex propriis*, quia humanitas satisfaciens omnia à Deo gratis habuit.

Instat *cap.3.* saltem de Christo dici, ipsum satisfecisse in quantum hominem; In quantum verò homo, accepit gratis ea, quibus satisfaceret, vnde non videtur ex rigore iustitiæ satisfecisse. Mox verò opponit sibi aliquos Recentiores dicentes, non posse dici. Christus, vt homo, gratias accepit, quia Christus sic Suppositum dicit, non naturam.

403 Contra arguit: Quia concretum positum ex parte prædicati, supponit pro natura, & hoc pacto hic debet accipi, sicuti cùm dicitur: Christus, in quantum homo, est creatura. Christus, in quantum homo, est Deus: Terminus *Homo* magis propriè ponitur pro natura, quam pro supposito, quia videtur esse ex parte prædicati, perinde enim est, ac si dicamus: Christus, in quantum est homo, est creatura. Christus, in quantum est homo, est Deus. Concedit verò absolutè: Christus, in quantum est homo, est creatura; & negatur: Christus, in quantum est homo, est Deus. Itaque hæc assertio Christus, in quantum homo, satisfecit; terminus, *Homo*, supponi debet pro natura, & ita Christus non satisfecit ex propriis. Hoc autem probat hoc argumento. Omnis creatura eget gratiâ Dei, vt mereatur: Christus, in quantum homo, est creatura: Ergo Christus, in quantum homo eget gratiâ Dei, vt mereatur. Confirmatur, nam Christus, vt homo, prædestinatus est ad gratiam.

404 Hæc tamen facilè refelluntur, quia, in quantum homo, dicit suppositum, vt in natura humana; cùm autem operatio sit suppositi, etiamsi natura humana sit principium *Quo*, non ideò dicitur gratias accepisse, ac proinde non satisfecisse ex propriis, quia non fuit natura satisfaciens, vt *Quo*.

Argumentum autem Vasq. nihil mihi obest, imò fallaciam detegit. Igitur Christus, in quantum homo, accepit gratias, prout homo dicit propriè naturam, vt ait Vasquez; at verò operatio satisfactionis fuit à Verbo Humanato. Itaque non benè infert intentum, satisfacientem accepisse ex alienis ad satisfaciendum. Quod alio argumento sic retorqueo. Qui satisfacit, debet scrutinio inquiri: An ex propriis dederit, non autem debet fieri inquisitio in eo, *Quo*: at qui satisfecit, est Verbum, vt suprà ex Scriptura, Conciliis, & Patribus ostendi.

405 Cùm ergo ex propriis, non ex alienis satisfecerit, debet eius satisfactio ex hoc capite censeri ex iustitia. Erat enim satisfaciens ipse Filius Dei naturalis, non adoptiuus, qui est Fons gratiæ, vt dicitur *Ioan.1.* & ibi aduertit S. Bonau. & gratia vnionis, communicata humanitati, facta est ab ipso Verbo propria virtute.

406 Secunda conditio exactæ iustitiæ est, vt satisfactio sit ex bonis propriis, quæ præcedenti adeò est similis, vt Caietanus *quæst.1. art.2. D. Thom.* Soto *lib. 3. de natura, & gratia, cap.6.* & *in 4. dist.19.quæst.1.art.2.* Medina *quæst.1.art.2.D.Thom.* Asturicensis, & Vasq. *loco cit.* vnicam ex ambabus constituant: at verò hæc latius patere videtur, & ideò eam à prima distinguunt, Capreol. *in 4.dist.15. quæst.1.ad 1. Aureoli.* Ferrar. *4.contra Gentes,cap.54.* Suarez, & Aluarez suprà *citatis locis*, has duas constituunt, & iure; nam hæc exigit, vt res, exhibita in satisfactionem, non sit actu creditoris; præcedens verò requirebat, vt non esset ex gratis acceptis, etiamsi in potestate iam satisfacientis existat.

Hanc requirit S. Bonauent. *locis adductis prima prima*, vbi suprà, præcipuè *ad 17.Lucæ*, vbi hinc ostendit, non esse hominis ad Deum satisfactionem, quia omnia opera nostra sunt Dei, vt dicitur Isa.26. *Omnia opera nostra operatus es Domine.* Et primo Paral.29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et Philip. 2. *Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* 407

Hanc conditionem requirunt cum D.Bonauentura, Capreolus, & Ferrar. *locis adductis.* Ioan. Medina *Cod. de Pœnit.tract.3. quæst.1.* eamque supponit S.Thom. *in 4.dist.15.quæst.1.art.1.ad 2.* Cæteri verò suprà allegati eam includunt in præcedenti, ideò eius non meminere, vt notat Nazarius *loco cit.* Quare non omittunt illam, vt putat Vasquez *cap.4.* 408

Capreolus asserit, hanc conditionem in Christi satisfactione fuisse, quia actio ipsius, ità erit ipsius Christi, sicut Patris, & Spiritus sancti. Sicut autem, si tres personæ sint dominæ in solidum alicuius thesauri, possunt singulæ alteri de his satisfacere; ità & in hoc casu.

At non potest dominium in solidum duobus totaliter contingere, vt habetur *l. si vt certò, §.si duobus, ff. commodati*, & ostendi *prima prima, loco cit.* Ratio est, quia dominium humanum, cùm sit vtilitatis, requirit, vt tota res in propriam vtilitatem conuerti possit. Quare non potest alius eiusdem rei habere vtilitatem totam: dominium verò Dei non est in solidum cum natura humana, sed altrius: personarum verò Sanctissimæ Trinitatis est dominium vnicum indiuisibile, sicut vnica est potentia, vna Deitas, &c. 409

Suarez *disput. 4. sect. 6.* respondet, actiones Christi esse proprias sub eius dominio, non quatenus effectiuè ab ipso prodeunt; sic enim à tota Trinitate indiuisim sunt; sed quatenus actiones habent valorem ratione suppositi Diuini, sustentantis naturam humanam. Itaque persona satisfaciens est Verbum in natura humana, creditor verò est Verbum in Diuina. Igitur illa opera sunt sub dominio illius personæ hominis, vt homo est, & non minus sunt honorifica Verbo, & Deo, quàm si essent à supposito distincto. Itaque possunt esse opera satisfactoria ipsi Verbo, licèt ab eo habeant valorem, quia sunt satisfactoria, in quantum Verbi, in natura humana operantis; habent verò valorem vt à Verbo, vt Verbum est, sustentans naturam humanam. Idem desumpsisse videtur ex eo Asturicensis *relect. cit. pag.385.* & alij, qui dicunt, opera Christi, vt producta, esse à tota Trinitate; at verò, vt habent valorem, esse à solo Verbo sustentante. 410

Hunc modum præcipuè impugnat Vasq. *num.57.* 411
quia est eadem persona, à qua est valor satisfactionis, & quæ satisfacit, ac proinde non potest ab ea esse satisfactio, quia non esset ad alterum contra regulas iustitiæ; sed esset ad seipsum.

Respondet tamen Suarez *sect.5.* regulam iustitiæ traditam ab Aristotele, vt sit ad alterum distinctum suppositum, tradi, quia non dantur natu-

raliter

taliter plures naturæ, habentes distinctas voluntates liberas in vno supposito; hoc enim Aristoteles ignorauit faciendum in Incarnatione: sufficit verò hæc distinctio in eodem supposito, vt satisfactio sit ad alterum.

412 RVRSVS ostendit Suarez *sect*, 6. non esse necesse, vt actiones satisfactoriæ sint in absoluta potestate satisfacientis; nam in hoc differt à restitutione, quia hæc reparatur per res datas, quæ debent esse in potestate restituentis: satisfactio autem fit per actiones, quas sufficit esse in potestate libera eas eliciendi, non enim requiritur dominij translatio actionis reuerentis exhibitæ ad satisfactionem. Actiones ergo illæ possent esse etiam in Dei dominio, & tamen liberè exhiberi ab homine in satisfactionem.

413 INSTAT Mastrius *num*. 158. cum Vasq. *num*. 47. satisfactionem, ob iustitiam violatam, includere etiam restitutionem. Satisfit enim restituendo obsequiis ablatum honorem, qui proinde conuincitur esse in dominio creditoris, vt docet D. Bonauent. *dist*. 1. *art*. 2. *quæst*. 2. *ad* 4.

HÆC tamen subtilitas expirat; nam exhibitio illa reuerentiæ, & restitutio honoris nil aliud est, quàm actio illa, quæ est in potestate agentis, quæ, esto, non sit formaliter in ipsa actione, est tamen efficienter ab ea; nam reproducit in mente aliorum conceptum, famamque proximi deturpatam, vt docet Vasquez. Sicut autem actio conceditur esse in potestate satisfacientis; ità debet asseri, omnem eius virtutem, & effectum in ipsius esse potestate.

DEINDE, vt quid Vasquez inducit restitutionem honoris in casu nostro, cum in eius sententia nil Deo à peccante surripiatur? Ideò mirum, hunc datum Suario dexteram, si non ageretur de satisfactione iustitiæ violatæ exigentis restitutionem: Sed neque ob id contendat, cùm iam Deo nil restituendum, cui nihil honoris, vel quidpiam aliud ablatum sit in domo Vasquij; quod tamen est falsum, vt monet S. Bonao. *art*. 2. *quæst*. 2. *ad* 4. & ostendi suprà *quæst*. 3. & 4.

414 CÆTERVM quoad actionem illam, quæ in Diuinæ Maiestatis exhibetur obsequia.

CASPENSIS eam expedit, admonens, illam esse in potestate Dei, non tamen Christum satisfecisse illis actionibus reduplicatiuè, vt erant sub Dei dominio, sed vt erant propriæ; erat enim Dominus suorum actuum. Quare sicut ad meritum sufficit operari, actibus propriis liberis honorando Deum, tametsi actus nostri sint in Dei potestate, ita & in satisfactione.

415 In tamen impugnat Caspensis, quia actiones nostræ, & Christi sunt sub dominio Dei perfecto; sub nostro autem imperfecto; atque adeò non potest illarum exhibitione Deo ad lineam perfectæ iustitiæ satisfieri, quia dominium Dei altum non est sicuti Principum, in casu solo vrgentis necessitatis; sed imbibitum in omni dominio creato, illudque absorbens, etsi relinquat liberè operari, vt notat Amicus. Hinc Arriaga sic respondet, quod etsi totus valor operum Christi esset ipsius Dei; natura tamen, cui valor inerat, erat Christi, quatenus sub sua potestate inerat facere, vel non facere talia opera, & hoc pacto ex propriis satisfecit.

416 Hoc tamen non impedit, quin & actus illi liberi, sint sub alto Dei dominio, vt dixit Amicus, Albertinus, Ragusa, Morandus, &c. sic differunt, opera Christi secundùm omnem physicam bonitatem fuisse quidem sub Dei dominio, & ideò non sub dominio ipsius Christi; considerata tamen, vt erant dignificata a Verbo, non à Diuinitate, cùm solum Verbum suppositaret naturam humanam, ideò hac ratione fuisse propria Christi, non Patris, aut Spiritus sancti, & ratione huius dominij poterat satisfacere ad lineas iustitiæ.

AT regnum, atque dominium Patris, Filij, & Spiritus sancti, diuidere, non est securum, quia, sicut opera ad extra à tota Trinitate indiuisa sunt, ità etiam sub indiuiso dominio iacent.

TERTIA conditio, à sapientibus requisita ad iustitiæ satisfactionem, est, vt fiat ex bonis non debitis alio titulo ipsi creditori. Hanc requirunt D. Anselmus *lib*. 2. *Cur Deus homo*, *cap*. 2. 19. & 20. Guilliclm. Paris. *lib*. *Cur Deus Homo*, *cap*. 7. Richard. 3. *dist*. 20. *quæst*. 4. Durand. *in* 4. *dist*. 15. *quæst*. 1. Scotus *ibidem*, *quæst*. 1. §. *De secundo*. Mastrius cum Scotistis *num*. 163. & infra, Sotus *lib*. 3. *de natura*, & *gratia*, *cap*. 5. Ioan. Medina *Cod*. *de pœnit*. *tract*. 3. *quæst*. 1. Ferrar. 4. *contra Gent*. *cap*. 54. D. Thom. 4. *dist*. 15. *quæst*. 1. *art*. 2. *ad* 3. apud Vasquez. 417

HANC conditionem requirit D. Bonau. *ad cap*. 17. *Lucæ*, & probat ex illo Iob 35. *Porrò si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Ratio D. Bonauenturæ est, quia cùm datur id, quod est alterius debitum, non potest nouum debitum soluere. Cum ergo omnia nostra Deo, vt principi datori, ex titulo creationis, & iustificationis debeamus; non possumus eisdem vti ad iustitiæ satisfactionem. 418

HINC Durandus, & Ioannes Medina inferunt; Christus, quidquid faceret, vt mereretur, & satisfaceret pro nobis, totum Deo debebat: Ergo nullo opere potuit Deo satisfacere.

D. ANSELMVS *lib*. *Cur Deus Homo*, *cap*. 20. hanc conditionem in Christi satisfactione inuenit, quia nullo titulo tenebatur mortem oppetere, quam lubens subiit pro nobis. 419

SVAREZ limitat hanc conditionem, dummodò non sit illa satisfactio debita ex alio capite iustitiæ; nam si ea actio debeatur titulo disparato, puta misericordiæ, obedientiæ, &c. potest inseruire ad satisfaciendum ex iustitia.

HANC tamen distinctionem refellit Vasquez *cap*. 6. & Albertinus *allegato corollario*, *fol*. 317. & Mastrius *num*. 166. nam titulus religionis est arctior, quàm iustitiæ. Quia cùm hoc titulo omnia Deo essent debita, non poterant satisfacere.

ENIM verò Nazarius aduertit, etiamsi id Vasquez probaret de re finita; attamen satisfactionem infinitam, qualis est Christi, posse pro omnibus titulis adæquare; Christus enim est dignitatis simpliciter infinitæ, ac proinde singulæ operationes eius habebant infinitates satisfactionis, gratiarum actionis, obedientiæ, atque adeò pro singulis titulis, & omnibus simul erant singulæ sufficientes. 420

HÆC tamen ratio non omninò probatur; nam sicut finitum adæquatur finito; ita infinitum infinito; at debitor finiti *v. g.* vt quatuor, non potest illis quatuor aliud debitum, vt quatuor, soluere: Ergo neque debitor infiniti potest illo eodem infinito, quod totum est debitum, alia debita eluere.

HVRTADVS, Orlandus, & Lugo distinguunt obligationem nostrorum operum in remotam, qua omnia debemus; & proximam, qua opera, expressa à Deo, tenemur offerre: Dicunt ergo, posse Deo satisfieri ex operibus debitis remotè, non autem petitis proximè.

CONTRA tamen primò, quia adhuc ea, cùm fiunt, sunt Dei. Secundò Christus satisfecit etiam 421

operibus

operibus præceptis, factus obediens vsque ad mortem, quibus tamen ideò potuit satisfacere de condigno, sicuti & nos possumus operibus præceptis. Ille tamen perfectissimè, etsi non ad regulam commutatiuæ Iustitiæ satisfecit.

QVARTA conditio satisfactionis ex iustitia, est, vt sit ad alterum ex Aristotele 5. *Eth. cap.* 1. *&* 2. Hanc conditionem ait Vasquez *cap.*7. nullum ex memoratis in ea disputatione Scholasticis recensêre.
422 Inter hos autem est etiam D. Bonauent. quem, *cap.*7. asserit, eam solam conditionem assignare satisfactioni, vt sit æqualis, non egens acceptatione; hanc autem, quam vocant *iurium alteritatem*, non esse nominatam.

ENIM verò S. Doctor hanc conditionem vrget necessariam *in* 3. *dist.*19. *circa litt. num.*4. & Scotus 4.*dist.*46. *quæst.*1.

ALIQVI dicunt, Christum Patri satisfecisse, non sibi; nam Scriptura sæpe clamat, Christum ad Patrem preces fudisse, *Eph.*2. 1.*Ioan.Hebr.*5.

423 TAMEN non potest negari, etiam filium, offensum à peccatis, æque ac Patrem, exegisse satisfactionem. Ideò dicitur Coloss. 2. *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi*, vt notat Lugo.

424 ALII respondent, satis esse distinctionem naturarum in vna persona, vt eademmet persona sibi ipsi provt subsistenti in vna natura valeat satisfacere. Hanc verò non cognouit Aristoteles, quia Mysterium Incarnationis non credidit, vt dixi suprà.

VASQVEZ *num.*82. obiicit primò, quia Actiones sunt suppositorum, ita vt humanitas per vos non possit dici satisfecisse, vt *Quod*. Ex quo sequitur, idemmet Suppositum satisfecisse sibi.

MIROR, Nazarium *art.cit.contron.*2.*p.*3. hoc argumentum dissimulasse.

425 RESPONDETVR ergo, Suppositum operans variis voluntatibus, varium quoque principium constituere, quia non est nudum suppositum operans, & recipiens satisfactionem; sed satisfacit suppositum Diuinum è bona creatis, & recipit satisfactionem secundùm Deitatem. Posset etiam addi, Verbum, vt suppositans naturam humanam, satisfacere Trinitati Sanctissimæ, non in quantum Trinitas, sed secundùm essentiam, & Maiestatem læsam, quæ vna est. Peccatum enim non est contra personas, vt ad intra constituunt totam Trinitatem, sed quatenus sunt summum bonum vnum; & ideò sub hac ratione posse distinctionem assignari, non quia inter Deitatem, & relationem Verbi sit distinctio aliqua, etiam formalis; sed quia Verbum, vt suppositans, & terminans humanitatem, agensque voluntate creata, quo pacto satisfaciens est, rectè potest distingui à seipso, & à voluntate illâ communi cum Patre, & Spiritu sancto, recipiente satisfactiones creatas. Quod verò immutetur definitio Iustitiæ, lata ab Aristotele, non refert.

426 INSTAT secundò, Humanitatem comparari cum Verbo, sicut Filium cum Patre: bonaque humanitatis esse Verbi per vnionem; & ab eo deriuare valorem eorum necessarium ad satisfactionem, ac proinde non esse satisfactionem ad alterum sui iuris, eo modo, quo exigit Aristoteles 5.*Eth.cap.*6. vbi ait: *Non est enim iusticia ad sua simpliciter. Id autem, quod possidetur & Filius, quamdiu sit paruus, & non separatus, vt pars ipsius est patris. Se verò nemo vult lædere: Quapropter non est ad ipsum in iustitia.* Filius igitur, quia eatenus pars est patris, quatenus bona eius sunt Patris; & humanitas filia est Verbi, sequitur non esse ad ipsum iustitiam, etiamsi distinguerentur; nam magis omnia sunt Dei, quàm filius Patris.

RESPONDETVR tamen, filiationem non esse naturæ, sed suppositi; & ideò non dicitur humanitas filia per naturam; sed Christus homo. Quare non benè Vasquez comparat Verbum vt Patrem, humanitati vt filiæ. Deinde (esto) adhuc tamen satisfacere posset, vt fatetur Vasquez *disp.*2. *num.*36. cum Paludano *in* 3.*dist.*20.*quæst.*2. quia pro honore læso potest filius etiam non emancipatus, satis reddere, & facere Patri. 427

ABSVRDA est sanè Vasquez solutio *hic*, *n.*86. assignans distinctionem inter satisfacientem, & personam, cui facta est satisfactio; quia humanitas satisfecit, vt *Quod*, ipsi Verbo; hoc enim explosum est. Concludit tamen, conditionem hanc, vt sit ad alterum; ideò non extitisse in satisfactione etiam humanitatis, quia se habuit vt filius, quod suprà repuli. 428

VLTIMA conditio est, vt satisfactio non possit recusari à creditore. Hanc assignat Ioan. Medina *Cod. de Pœnit. tract.* 3.*quæst.*1. & Recentiores Thomistæ, Lorca *disp.*8. Suarez *disp.*4.*sect.*5 Mastrius *n.*181.

CVM autem satisfactio Christi non fuerit huiusmodi, sed eguerit pacto Dei, sequitur, eam non esse ex iustitia. Omitto autem opinionum colluuiem, & modos.

PLVRIMI dicunt cum D. Anselmo *lib.* 2. *Cur Deus homo, cap.*19. non potuisse Deum recusare satisfactionem Christi. Vasquez *disp.*9. *num.*2. ait, Anselmum loqui absolutè. 429

AT D. Anselmus non loquitur absolutè; sed supposita Incarnatione, ad id destinata; ait enim: *Eum autem, qui tantum donum dat Deo sponte, sine retributione debere esse non iudicabis; imò necesse esse video, vt Pater Filio retribuat: alioqui aut iniustus esse videretur, si nollet, aut impotens, si non posset, quæ aliena sunt à Deo.* Vbi nota verba illa: *Pater Filio, &c.* quæ supponunt iam incarnationem. Sic exponit & Lugo *disp.*4. *num.*18.

ET sanè, si absolutè intelligatur, præciso pacto Incarnationis, nullus dicere potest, Deum coactum illam satisfactionem sibi statuere, & determinare pro nobis; cùm sit opus ad extra, atque adeo Ipsi liberum. Quare hoc verum est, supposita prædestinatione Incarnationis, vt dixi *quæst.*7. hanc autem liberè esse decretam, certum est. Ita communiter Theologi apud Lugum *disp.*4. *sect.*2. 430

PRO quo obserua primò, satisfactionem ex iustitiæ rigore quoad honorem, & famam; esse exhibendam à reo absolutè; ea verò non poterit ab homine læso recusari, si æqualis sit iniuriæ. Et quoad res, necesse est vt fiat restitutio, vel eiusdem rei, vel certè æqualis, quæ ita conducat ad vtilitatem, &
vsum creditoris, sicut res ablata. Neque video in- 431
ter nos, qua ratione tunc in libera creditoris voluntate stet eam recusare. Quod si alius satisfacere velit pro iniuria, etiamsi reddat æquale, potest læsus, maximè Deus, refutare alienam satisfactionem; non quia ea satisfactio non reddat reum formaliter dignum, eò quòd non sit forma inhærens, vt putat Vasquez *disp.*9. *num.*41. sed quia inferens iniuriam ex vi iustitiæ debet ipsemet contrapassum reddere; & eo magis homo Deo.

OBSERVA secundò, satisfactionem adæquatam ad Deum, quæ, præciso pacto, non esset ad iustitiam Diuinam sarciendam ex rigore sufficiens, quia posset recusari, pacto iam inito sufficere apud Deum ad perfectam satisfactionem; Et quidem etiam inter nos sic proceditur in contractibus. Si enim ego vendiderim Petro captiuum; & postea velim eodem pretio redimere, etiamsi seruus sit 432

factus deterior ; potest emptor negare mihi redemptionem , quod si sponte pactum ineat ; iam tenebitur acceptare pretium , & meam redemptionem : Sic igitur etiam res videtur se habere in re nostra. Cùm homo venditus esset , vt faceret malum , & Deum grauiter offendisset, poterat Deus redemptionem Christo denegare ; at pacto inito, iam tenetur ex iustitia redemptionem eius copiosam non recusare.

QVARE Vasquez solidè non probat , omnem satisfactionem perfectam ex iustitia obligare, etiam præciso pacto ; licet enim inter nos ita esset , attamen coram Deo offenso , etiamsi possemus , atque vellemus æqualem reddere satisfactionem , posset Deus eam recusare , vt supremus Dominus , qui nulli iuri sit obstrictus.

433 AFFERT autem Vasquez diuersitatem inter contractus,& satisfactiones ; nam in contractibus vterque contrahens voluntariè aliquid patitur , puta venditor, priuans se re vendita,& emens,pretio : Et ideò debet vterque voluntariè etiam conuenire ; at verò in iniuriarum casu , læsus contra voluntatem priuatus est suis bonis , & ideò etiam contra voluntatem potest ei exhiberi satisfactio , dummodo sit adæquata.

EQVIDEM non video huius rationis vim ; nam læsus, imò potiùs , quia iniustè contra voluntatem priuatus est bonis suis ; potest etiam eò magis pro voluntate satisfactionem non recipere. Quod si inter homines aliter res se haberet ; attamen Deus, offensus infinitè ab homine , posset Christi satisfactionem, pro illo exhibitam, refutare,ac peccatoribus velle debitas pœnas infligere.

434 ENIM verò , supposito decreto Incarnationis , ac dono illo Mediatoris , & Redemptoris , non potuit Deus satisfactiones Christi recusare, cùm essent infinitæ.

Ex hoc capite potest dici satisfactio Christi ex iustitia, quia, supposito pacto, facta est iusta redemptio, quæ tamen respectu nostri non est iustitia , sed magis veritas. Quamvis, vt verum fatear, possit dici, non esse in toto rigore secundùm regulas, sed in eo solo , quod habet condignitatem , cui pactum non obest ; non enim ideò eguit acceptatione, quia esset inferius ; sed quia Deus, vt supremus Dominus, non potuit compelli ad eas satisfactiones paciscendas. Et quamvis inter homines exhibito pretio emptionis, vel satisfactione , & pacto inito, sequatur contractus ex iustitia, vt possit iudex, titulo iustitiæ, cogere ad effectum ; attamen cùm voluntas Dei solo suo velle se sibi obliget, nullo debito simpliciter iustitiæ constringitur, vt dixi *prima secunda, tract. 5. disp. 4. quæst. 4.*

435 QVOAD alias verò conditiones suprà relatas, potest probabiliter sustineri , eas interuenisse , supposito axiomate : *Actiones sunt suppositorum*, iuxta probabilem expositionem.

SIC enim prima conditio Iustitiæ , quòd fiat ex propriis bonis , interuenit, quia bona Christi erant Verbi satisfacientis.

SECVNDA verò, quod fiat solutio ex bonis, quæ sint sub dominio satisfacientis, eadem ratione astruitur.

TERTIA conditio , vt fiat ex aliàs non debitis, cùm illæ operationes essent Filij Dei, nulli debentis, potest adesse. Adde alias conditiones in hac, ab aliis requisitas.

QVARTA verò, vt sit ad alterum , potest astrui ; 436
quia Verbum satisfaciebat in humana voluntate.

ADDVNT etiam multi , vt satisfactio fiat immediatè ab offendente ; alioqui non redditur æquale in toto rigore ab alio fideiussore , vt notat Mastrius *art. 3.* Hæc tamen non fuit in Christi satisfactione, quia innocens satisfecit pro reis. Ita videtur magis consentaneum nostræ doctrinæ, traditæ *prima prima, tract. 1. disp. 19. quæst. 1. & 2.* Enim verò cum in casu hoc satisfaciens sit Filius Dei , non videtur sequi idem inconueniens , quod ibi induxi asserentibus, Deum nobis debitorem, ad quod vitandum negaui Dei ad nos iustitiam. Quid enim absurdi, si Diuina iustitia Christo debeat ? Quare non video , me ex illa negatiua coactum idem de Filio Dei defendere, eum cæteris parem asserendo.

MEMINI tamen me *prima secunda, loco cit. ad ar-* 437
gumenta , asserere , merita Christi , eiusque satisfactiones fuisse ex rigore iustitiæ solùm quatenus erant satis , superque condignæ, imò in infinitum excedentes debita ; neque pactum necessarium ea merita denigrat ; non enim pono requisitum pactum Dei, vt contentus esset satisfactione inferiori debitis, quod sanè eam satisfactionem labefactaret ; & ideò malè conceditur sic à Scoto, & asseclis , relatis *quæst. 7.* sed quia Dei summa libertas in operibus ad extra id requirit, vt suprà dixi.

HIC sisto in probabilitate, cùm nil videam Seraphico, aut veritati repugnans, & prolixæ de hoc altercationes Scholasticorum mihi tædium ingerant.

SIC igitur saluantur loca Scripturarum, in quibus 438
Christi cum Patre iustitia asseritur , Rom. 3. *Quem proposuit Deus ad ostensionem iustitiæ suæ.* Rom. 5. *Sicut per vnius delictum ; ita & per vnius iustitiam.* 1. Cor. 1. *Factus est nobis sapientia à Deo , & iustitia.* Coloss. 2. *Delens , quod erat aduersus nos , chirographum.* Idem habent PP. Augustinus *in Enchir. c. 49.* Proclus Cizicenus *homil. de Natiuitate* , quæ est *in Concil. Ephesino, Tom. 6. cap. 7.* D. Gregorius 17. *moral. cap. 18.* & alij apud Suarez, Vasquez, & Nazarium, *locis adductis.*

RESPONDETVR ergo primò, ea loca probabiliter de vera iustitia inter Christum , & Patrem accipi.

RESPONDETVR secundò cum Vasquez *disp. 7.* 439
cap. 7. accipi posse de iustitia, non metaphoricè quidem , sed communiter sumptâ. Quæ responsio hauritur ex D. Bonau. *in 3 dist. 20.* præcipuè *quæst. 5.* & *in 4. dist. 46. art. 3. quæst. 2.* Christus igitur dicitur satisfecisse ex iustitia , quia satisfactiones eius non modò æquales erant debito , sed superabundantes ; & persona satisfaciens non poterat recusari, supposita Incarnatione.

DISPVTATIO QVARTA.

DE FINE INCARNATIONIS.

MODICA hæc olim quæſtio in magnam nunc molem excreuit, & Thomiſtarum ſimul & Scotiſtarum ſcholis fuſiſſimè ventilatur; & licèt expreſſiſſima Patrum teſtimonia, tot ſacræ Scripturæ nixa ſententiis, pro vna parte militent; aduerſæ tamen opinioni plurimi propter coniecturas è diuina complacentia non abſque violentia aliqua tractas, ſe mancipare non dubitarunt: Vtrique ſententiæ D. Thomas, & Scotus, Anteſignani præponuntur, non quod alij, haud ignobiles, ante illos hanc materiam doctè non diſcuſſerint, vt Alenſis, & Albertus, ſub quibus præclari SS. Doctores, Bonauentura, & Thomas, prima Theologiæ elementa arripuêre; verùm non æquè illi, ac hi, aduerſarios ſunt nacti, qui contradicerent, licèt hi diſcipuli ab illis Magiſtris diſſentirent, vt infrà videbimus. Cur autem ſententia (mox vt vtriuſque tradenda) D. Thomæ, non D. Bonauenturæ, (licèt ſub huius nomine nonnulli eam tradant) præcipuè donetur, quamvis vterque eodem tempore illam clariſſimè docuiſſent, cùm fuiſſent ambo eodem die in publicos ſacræ Theologiæ profeſſores aſſumpti, vt legitur in vita Seraphici, §.8. hinc cauſam ſuſpice; quòd Scotus, qui contrariam opinionem primus in aciem diſpoſuit, prope Angelicum Doctorem ſolitò caſtrameratus ſit, vt ipſum, quantùm liceret, iugiter impugnaret: quare illum ſolum noſtræ ſententiæ fecit Authorem; Adde, quòd D. Bonauentura priorem docendi locum Pariſiis adeptus, cum D. Thomæ ex humilitate ceſſerit, vt vbi ſupra in eius vita. Quàm verò præclarè, & plenè hanc quæſtionem definierit Seraphicus, ex iam dicendis facilè coniicies.

QVÆSTIO I.

An Adamo non peccante futura fuiſſet INCARNATIO.

D. Bonau. in 3. diſt. 1. art. 2 q. 2.
D. Thom. q 1. art. 3.

1 QVÆTIO noſtra non curioſè præſomit diuinorum arcanorum penetralia perſcrutari, eaque temerè iodicare, vt quidam dixêre; ſed piè perſcrutans diuinorum beneficiorum amplitudinem, ad gratias rependendas, ſolerti eſt digna indagine, vt fatetor S. Bonauentura.

EA autem eſt: An permanente Adamo in iuſtitia originali, decreuerat adhuc Deus VERBVM incarnatum iri.

2 PRIMA opinio eſt affirmatiua. Ita cenſent Alenſis 3. *part. quæſt.* 2. *memb.* 13. Albertos *in* 3. *diſt.* 20. *art.* 4. Scotus *in* 3. *diſt.* 7. *quæſt.* 3. & *diſt.* 19. *quæſt. vn.* quem ſequuntur diſcipuli, Faber *in* 3. *diſp.* 20. Rada 3 *part. contron.* 5. *art.* 3. Maſtrius *diſp.* 4. *quæſt.* 1. alios adducens.

Ex Recentioribus verò exteris id ſentit Iacobos de Valentia *in Pſal.* 81. & 102 Albert. Pighius *lib.* 8. *de libertate arbitry, cap.* 1. *art.* 2. & 3. & *lib.* 10. *cap.* 1. Catharinus *lib. de eximia prædeſtinatione Chriſti.* Claudius Turinenſis *lib. de prouidentia, quæſt.* 1. *art.* 2. Viguerius *cap.* 20. Morandus *tract.* 1. *quæſt.* 4. Areſius *in Apocalypſim, excurſu* 4. Referuntur etiam Rupertus *lib. de gloria Trinitatis, & proceſſione Spiritus ſancti, cap.* 19. 20. & 21. & *lib.* 3. *in Matthæum.* Galatinos *lib.* 7. *de arcanis, cap.* 2. qoia aſſerunt, non Chriſtom propter hominem, ſed hominem propter Chriſtum conditum, & addit Rupertus, non indiguiſſe Chriſtom peccato primi hominis, vt homo fieret, delicias ſoæ charitatis cum hominibus habiturus. Adducitur etiam D. Bonauent. *hic*, ſed immeritò; nam aſſerit quidem hanc ſubtiliorem, & magis rationibus conſonam videre, non tamen eſſe, vt refert Vaſquez *diſp.* 10. *num* 8. Oppoſitam verò

reipsa veritati fidei esse magis consentaneam; docet & ideò illi adhæret.

3 Secunda igitur opinio D. Bonauent. è diametro negat, futuram Incarnationem Adamo non lapso. Ita sentit etiam D. Thom. *hic*, quem omnes Thomistæ *eodem articulo 3. quæst. 1.* consequuntur, vbi cæteris vberior Nazarius *controu. vnica*, & Ferrariensis 4. *contra Gentes*, *cap.* 55. Capreolus *in 3. dist. 1. quæst. vnic. art.* 1. Carthusianus *quæst.* 2. referens etiam Tarantasium; Abulensis *in 4. Matth. quæst.* 44. Ioannes Arboreus *lib. 3. Theosophia, cap.* 8. Marsilius *in 3. quæst. 1. art 3* qui tandem profitetur sequi Seraphicum, quem ad vnguem sectantur Richardus *in 3. dist. 1. art. 1. quæst.* 2. Gabriel *dist. 2. quæst. vnica*, *art. 3. dub.* 3. Asturicensis *in sua relectione de Christi gratia*, *quæst.* 6. Valentia *Tom. 4. punct.* 7. Vasquez *3. part. disp.* 10. Hieronymus Rua *controu.* 8. Molina, & Zumellus *prima parte*, *q. 23. art.* 4. Albertinus *corollario 1. ex 6. quæst.* 1. Pesantius *disp.* 1. & alij plurimi, Tanner. *disp. 1. quæst. 1. dub. 4. num.* 151. Orlandus *Tom. 1. disp. 3. quæst.* 2. Amicus *hic*, Ragusa *disp.* 28. Mærae. *disp.* 9. Caspens. *disp. 1. sect.* 9. Lugo *disp.* 7. Pasqualigo *disp.* 76. Fuliens. *lib. 2. cap.* 14. Marchantius *lib. 1. tract. 3. lect.* 3. Ferrarius *in cap. 3. Apoc. epist. 6 quæst.* 14.

4 Svarez verò *3. parte*, *disp.* 5. mediam quandam opinionem excogitauit, qua duas extremas ad concordiam redigeret, ea tamen ad alterutram declinare cogitur, vt *cap.* 2. notat Vasquez.

Primò igitur asserit, Christum ante omnem creaturam prædestinatum ad esse, atque in primo signo prædestinatam esse vnionem Verbi, non cum natura humana in genere, sed cum hac indiuidua natura; quia indignum videtur asserere, prædestinationem fieri rei in genere, & posteà in alio sequenti signo cum hac natura. Deus enim non intelligit, aut vult res in vniuersum, sed indiuiduè. In eo verò primo signo rationis dicit, prædestinatas ad esse naturale etiam creaturas cum Christo, tanquam primogenito omnium creaturarum: In eo instanti, ait eum non fuisse destinatum passibilem, sed hominem tantùm; at verò post præuisum peccatum, docet destinatum fuisse ad passibilem carnem assumendam.

5 Qvare, si homo in innocentia perstitisset, adhuc fuisset Incarnatio, quippè decretum Incarnationis præcessit præuisionem peccati, & fuit firmatum ad Diuinam communicandam bonitatem.

6 Addit verò; si Adam non peccaret, Christum non venturum ex vi decreti, quo de facto præfinitus fuit, positâ scientiâ, qua Deus reuera sub conditione nouit, hominem peccaturum in illa occasione, qua peccauit, aut in alia, si permitteretur peccare, posito etiam quod Deus nollet permittere peccatum, sed maiori auxilio Adamum præueniret, aut allo modo peccatum impediret. Cùm autem ait, nullo modo Christum venturum; intelligit, nequidem etiam impassibilem, in quo videtur secum pugnare, sed respondet, Incarnationis fuisse plures fines totales, quorum quilibet ablatus impediret, si deesset. Arrident huic ex parte Hurtadus *disp.* 13. Granado, & Aversa. Vide Vasquez *cap.* 6. eam latiùs explicantem, & insectantem *sequentibus capitibus*, cum Cardinali de Lugo.

Asserendum, Adamo non peccante, Filium Dei non fuisse venturum in carne.

7 Probatvr primò à D. Bonau. *in fundamentis*, *& corpore*. Ea, quæ sunt in libera Dei voluntate posita, non sunt nobis determinatè asserenda, hoc, vel eo fine constituta, nisi ex Diuina reuelatione nobis id innotescat: Sed Incarnatio est beneficium Dei liberum: Ergo non debet astrui decretum, nisi prout nobis est reuelatum. Nobis autem est reuelatum, illud decretum factum esse principaliter, & ferè solùm ob nostram redemptionem: Ergo eâ ablatâ, non est asserendum. Maior probatur ex illo 1. Cor. 2. *Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* Minor patet ex dictis *disp. 3. quæst.* 1. Subsumptum probatur à D. Bonau. primò è Scriptura veteri, & noua, quæ Incarnationis causam assignat redemptionem, Isaiæ 52. *Dixit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, Ecce adsum*, (idest propter peccata.) Hoc vnum refert Valentia: Plurima tamen à D. Bonauent. *hic* indicata, & alibi exposita Testamenti antiqui loca, libet ad trutinam reuocare.

Genesis 3. Deus serpenti indicit aduentum 8
filij sui: *Quia fecisti hoc, inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum.* Hebræa: *Ipsum conteret tibi caput*, ex lapsu igitur Adæ prædestinatum esse aduentum filij testatur, ad serpentem tyrannum hominum conterendum, vt aduertit D. Bonau. *serm. 2. de B. Virgine.*

Genesis 49. promittitur Messias, & dicitur Siloh pacem adducens, vt dixi *quæst.* 1. at non haberet insitum hoc nomen, nisi eius aduentus ad violatam hominum pacem cum Deo redintegrandam esset destinatus. Sic enim dicitur etiam Iesvs, quia Saluator, vt nomen fini Incarnationis respondeat. Huic arridet Aggæus, cap. 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus, & dabo pacem, &c.* ideò in Salomone sæpe figuratur.

Exodi 4. clamat Moyses: *Mitte Domine, quem* 9
missurus es, idest ad liberandum populum.

Genesis item 49. ait Iacob: *Salutare tuum expectabo Domine*, vbi nomen Christi est salutare, quia ad salutem nobis dandam destinatus. Vnde versio Chaldæa sic habet: *Salutare tuum expecto Domine, redemptionem Christi expecto, qui venturus est ad accersiendum sibi filios Israel.* Sic & primo Lucæ dicitur: *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.* Et Lucæ 2. ait Simeon: *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Et Isaiæ 52. *Videbunt omnes fines terræ salutare*
Dei nostri, & Psal. 97. *Notum fecit Dominus salu-* 10
tare suum, quia ad salutem prædestinatus, vt obseruat S. Bonau. *ad 2. Lucæ*, vbi etiam aduertit, vocatum esse Iesvm in circumcisione, quod etiam Matth. 1. indicitur: *Vocabis nomen eius IESVM: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ecce nomen Christi exprimit finem eius aduentus; & sanè vel vnicum, vel principalem, vt obseruant post D. Bonau. Valentia, Nazarius, & alij multi.

In Testamento autem nouo *Lucæ* 15. & *hic*, 11
in corpore, obseruat S. Bonauentura, Christum se comparare pastori descendenti ad quærendam ouem perditam, quia finis Incarnationis fuit salus hominum. Confirmat illo Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Et prima Timothæi 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Ideò addit Sanctus Bonauentura, Christum se pastori comparare *Isa.* 40. *Ezech.* 34. & *Ioan.* 10. quia super humeros portare venerat oues. Vnde *Isa.* 40. cit. *Fœtas ipse portabit.* Quare Isaiæ 9. & 22.

dicitur

dicitur Christus habere imperium, & claues super humeros.

12 Ad idem citatum Lucæ obseruat, Christum, Sapientiam Patris, se comparare mulieri, quæ habens drachmas decem, vnâ perditâ, accendit lucernam, & graditur ad scrutandum, & scopendam domum, ea ut inuenta, conuocat amicas. Hic aduertit, Sapientiam æternam dici *mulierem*, quam Sap. 8. *Sponsam*, & Ecclesiastici 24. *Matrem pulchra dilectionis*, vocat Sapiens: hæc decem drachmas habens, nempe nouem choros Angelorum, & hominem vltimò creatum, vt Glossa exponit; hoc perdito, accendit lucernam Incarnatione, vt exponit D. Gregorius homil. 34. in Euangelia: *Lucerna est Lux in testa, idest, Verbum in carne*, vt ait Glossa. Vnde Ioan. 1. dicitur: *Erat Lux vera*; & subdit: *Verbum caro factum est*. Vnde simpliciter VERBVM est incarnatum ad hominem redimendum. Idem obseruat in tertia parabola prodigi adolescentis.

13 IDEM vrget S. Bonauent. *ad 3. Ioannis*, illud trutinans: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quanquam autem in mundo erat, vt dixit *cap.* 1. tamen in mundum misit propitiationem pro peccatis nostris, vt dicitur 1. *Ioan.* 2. & subdit: *Non misit Deus Filium, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus.* Ideò refricat *Matth.* 1. vocatum IESVM, vt aduertit etiam D. Chrysostomus *homil. 26. in Ioan.* & *Matth.* 1. Multa ad id Velasq. *in epist. Pauli ad Philip. cap.* 2. profert.

14 IDEM latius prosequitur *ad 10. Ioannis*, vbi Christus iterum se pastori comparat, qui ad vitæ discrimina pro ouibus venit subeunda: *Ego veni, vt vitam habeant.*

AFFERT *in corpore* etiam id *Coloss.* 1. vbi dicitur Christus prædestinatus, vt omnia instauraret. Innumera sunt loca Scripturæ hoc testantia, quæ S. Bonauent. passim adducit *in opusculis suis, & aliis locis.*

IN fundamentis duo affert insignia. Primum est Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Arguté autem hunc locum adducit, quo etiam responsiones aduersariorum ruunt, vt mox ostendam.

15 ALTER locus est *Hebr.* 2. qui efficacissimus est. Cùm enim Apostolus *in primo cap.* Diuinitatem, & humanitatem absolutè Filij Dei probasset; pergit in secundo ostendere causas humanæ naturæ suscipiendæ absolutas; ideò tandem dicit: *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Ecce ego,*
16 *& pueri mei, &c. Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

HIC Apostolus adducit causam simpliciter Incarnationis, quæ est salus hominum. Ideò pro eis similis factus est, carnem, & sanguinem assumens; non naturam Angelicam.

17 CVR autem dixit, *non Angelos, sed semen Abrahæ*, & non dixit semen Adæ adhuc innocentis apprehendit, nisi quia hoc erat absolutum decretum nobiscum communicandi in carne, & sanguine mortali, non autem in immortali; & hoc, quia nullum aliud extitit decretum, quam veniendi in carne mortali.

SIC igitur arguit Apostolus, vt notat D. Bonau. ex Glossa. Christus venit, vt homines saluaret: Ergo semen Abrahæ assumpsit. Probatur, quia non apprehendit Angelos, quippe non erat eos liberaturus. Itaque effugia sunt mera, vt ait S. Bonau. ea, quæ Scotus, & asseclæ assumunt, eaque à Seraphico ponderata sunt, atque reiecta.

FREQVENTISSIMVS est hic dicendi modus 18
Scripturæ, assignans namque causam Incarnationis, nostram salutem profectò demonstrat, hunc vel vnicum finem fuisse, vel principalem, quo deficiente, non esset futura Incarnatio. Quod si aliquis alius additus sit, puta adoptio nostra, gloria, & similia; ea procul dubio apponuntur, vt effectus redemptionis, vt luce clarius meridiana constat ex allegato loco Apostoli *ad Galatas.*

CONFIRMATVR ex Conciliis, Nyceno, Ephesino, Chalcedunensi, & Toletano 6. & 11. quæ definiunt: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

DEINDE confirmatur secundò à D. Bonau. *in 1. dist. 46. quæst. vlt. in corpore*, ex Benedictione Cerei, instituta à D. Gregorio: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem! ô certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est!*

RESPONDENT sanè Scotus, Rada, Mastrius, 19
Faslentinus *locis adductis*, Scripturas, & Ecclesiam assignare causam Incarnationis Filij Dei in carne passibili; non autem incarnationis quoad substantiam, & in hoc insistendum, ac pedem figendum clamat Faber *num.* 34. Aucupari etiam laborat huic responsioni fundamentum ex Nicæno Symbolo, quod ait: *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*: Non enim solùm propter nostram salutem, ait, incarnatum, sed primò propter nos homines, idest, vt esset noster glorificator, & Primogenitus Prædestinatorum.

IGITVR amplectendo omnia signa prædestina- 20
tionis Christi (ait Faber) includitur etiam modus Incarnationis in carne passibili, & de hoc loquuntur Scripturæ adductæ: aliæ tamen assignant alios fines prædestinationis Christi, nempe, vt sit primogenitus prædestinatorum. Sæpe autem Scriptura non distinxit substantiam Incarnationis à modo, quia hæc speculatio non erat necessaria, & quia modus fuit, vt Redemptor; Ideò semper dixit, venisse vt redimeret, & quòd, nisi venisset ad redimendum, non venisset; quia non venisset vt Re-
demptor, & hoc sensu vocatus est IESVS, quia de 21
facto venit, vt SALVATOR.

AT hæc responsionum congeries seipsam confundit. Primò enim Scripturæ absolutè asserunt, Incarnationem factam ob nostram redemptionem; vt suprà ostendi, & semper id astruunt, vt Faber vltimò concedit: quorsum ergo temerè asserimus eam factam iri, etiamsi finis semper à Scriptura assignatus non extitisset? Aut quo pacto Incarnatio, vbique asserta absolutè ob nostram redemptionem, quoad modum tantum asseritur? vel hoc etiam fine deficiente esset adimplenda?

ALIOS sanè etiam fines, redemptionem sequen- 22
tes, assignant Scripturæ, vt notat S. Bonauent. & habetur loco adducto ab illo *Galat.* 4. puta adoptionem nostram, glorificationem, & similes; attamen omnes tanquam affectus redemptionis consequuntur, vt patet eo loco. Et Ephes. 1. *Qui prædestinauit*

nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in di-
23 *lecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis.* Quod verò somniat de distinctione illa: *Propter nos homines, & propter nostram salutem*, nil iuuat; Id enim *Propter nos*, emphasim resonat, idest, Propter nos viles, impios, perditos, incarnatus est, *& propter nostram salutem*, seipsum tradidit in mortem acerbam: Sic gentes, quæ sunt, quasi non sint, coram Deo; tanquam momentum in statera Dei, vitam valuerunt, vt clamat Isaias, & Cyrillus Alex. Sic finem *Cui* directè est salus, nempe hominem luteum tanto pretio redemptum exhibet Ecclesia.

24 MVLTAS aggerat Faber Scripturas, 1. Corinth. 3. *Omnes vos Christi: Christus autem Dei.* Coloss. 1. *Qui est Imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, &c. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.*

25 VASQVEZ monet, hæc intelligi de diuinitate Christi, quia omnia per ipsam condita sunt, non de humanitate, & sic ab omnibus intelligi, solum excipe Rupertum.

RESPONDENT multi, assignari causam, ob quam CHRISTVS, vt homo, sit creaturarum primogenitus, *quia in ipso complacuit reconciliare omnia, pacificans, &c.* Ex electione enim Christi ad redemptionem, secutus est principatus illius super omnes creaturas, vt exponit D. Hieronymus: Vnde non sequitur, esse primogenitum antecessione, siue in executione, vt indicat S. Bonauentura *in corpore*, siue in honore, secundùm intentionem, quia omnia ad Christi gloriam ordinantur.

AD id 1. *Corinth.* 3. respondet S. Doctor in illud Lucæ 15. *Omnia mea tua sunt*, nos esse Christi titulo redemptionis, ex eo, quod Pater Filium dederit, & omnia cum eo nobis donauit, vt dicitur *Rom.* 8. quæ est communis expositio, vt refert Vasquez: illa verò Fabri est nullius. Sic defluunt etiam expositiones Vulpis *disp.* 5. *art* 3.

26 INSTAT Faber *num.* 21. sic enim esset vltimus in honore, quia bonum occasione peccatorum volitum est, & ideò imperfectum. Hoc argumentum timet Bellarminus *Tom.* 4. *lib.* 2. *de gratia, & libero arbitrio, cap.* 9. *in fine.*

SANE' verò, neque cæteri se valent expedire, nisi ad Seraphicum confugiant. Tametsi responsa coaggerent dicentes, ipsam Incarnationem fuisse desiderabilem per se, vt ait Fuliensis, Diuinam bonitatem maius è peccato bonum magis intendisse, quæ omnia, hisque similia, supposita nostra assertione, petunt deuotè principium.

27 OPTIME' omnia soluit S. Doctor *ad* 5. quem sequitur Molina *prima prima, quæst.* 23. *art.* 4. *disp.* 1. *membro* 7. adducens D. Thomam, Deum, ante prædestinationem Christi, & Sanctorum, per scientiam mediam, seu condionatam, cognouisse omnia conditionatè contingentia, etiam ea, quæ originem erant habitura ex ordine prædestinationis, & gratiæ, & vnionis hypostaticæ; non tamen cognouisse, quid esset futurum absolutè. Deinde vnico simplicissimo actu suæ voluntatis ità elegisse simul totum eum ordinem, qui specialis naturæ, & gratiæ, & vnionis hypostaticæ ordinem complectitur, & à constitutione mundi vsque ad finem sæculi futurus est. Ità beneficio scientiæ mediæ vtuntur Amicus *disput.* 7. *sect.* 2. & alij è Societate IESV. Quod verò opponit Mastrius *num.* 10. ruit ex modo, quo procedit S. Doctor.

AIT autem S. Bonau. Quòd Deus, quia præsciuit lapsum humani generis, ideò fecit, quia se recuperaturum cognouit; & ideò principaliùs in intentione fuit reparatio lapsi, quàm conditio eius possibilis lapsus. 28

HINC verò educuntur signa Diuinæ cognitionis. Igitur volens communicare seipsum extra creaturis, sibi similibus, liberè, sicuti magis videbat suam decere bonitatem diuinam; primo signo cognouit, Adamum, & totum genus humanum, si crearetur, lapsurum: Deinde in secundo, *si laberetur*, reparabilem, & optimè per Incarnationem. Vltimò igitur decretum firmatum est: *Creemus*, vt lapsis Redemptionis beneficium in Vnigeniti mei Incarnatione effundam. Quo satis elucet hoc ordine signorum primò in genere causæ finalis Christum esse intentum, vt finem, *cuius gratia*, cui non ampliùs obmurmuret Mastrius *num.* 10. Neque *num.* 50. interpellet, vt argumentum resoluamus; quo pacto gloria Christi sit finis principalis Incarnationis? Hæc est fatalis responsio ad acutissimum inter cætera Scoti argumentum, sumptum cum responsione è D. Bonau. *hic*, & *in* 3. *distinctione* 32. *quæst.* 5.

PORRÒ hic ordo signorum videtur mihi à S. Doctore desumptus è D. Cyrillo *lib.* 5. *thesauri, cap.* 8. vbi circa medium ait: *Sciebat Deus, mortales nos futuros propter peccatum; ideò constituit, vt Verbum homo fieret.* Et infrà: *Prauidit Deus, peccaturum hominem, & in mortem casurum; prauidit etiam conferentia generi eius, & quomodo reuocaretur; ideò quasi radices huius spei in filio suo nobis deposuit. Præfundatur igitur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur, idque ante initium mundi in præscientia Dei, vt cùm ordine diuino benedictio maledictionem præcesserit.* Igitur benedi- 29
ctionem, & Christum fuisse prænolita, ait, ante permissionem maledictionis. Vnde in prioribus verbis: *Sciebat Deus, mortales nos futuros*, quibus videtur Cyrillus præmittere præscientiam nostri lapsus ante decretum incarnationis; non potest enim esse sermo de præscientia absoluta; alioqui sibi contradiceret in subsequentibus verbis, atque ideò intelligi possunt de scientia conditionata media, quod clarissimè ostendit D. Cyrillus *ibi*, similitudine Architecti, firmissima fundamenta iacientis, vt si domus aliquando rueret, posset faciliter reparari; nam sicut Architectus non ex absoluta, sed ex conditionata tantùm scientia futuræ ruinæ firma iacit fundamenta: Sic & Deus ex conditionata ruinæ mundi scientia firmissimum posuit lapidem Christum, cum prædestinando Redemptorem. 30

IDEM sensit Chrysost. homil. de Adam, & Eua: *Prauidit per omnia Deus quanta habuit facere bona de transgressione hominis; & ideò illam permisit*, non quia Deus elegerit permissionem peccati directè ad promouendam incarnationem; sed quia videns Adam, si in tali ordine libertatis, quem decebat, elapsurum, decreuit hinc magnum bonum eruere, consequenterque permittere lapsum: Sic scientiæ mediæ vsu, resoluitur Scoti è quinto Seraphici excerptum argumentum. 31

Sic

Sic etiam resoluit Lugo *num.* 13. inferens, ex affectu erga Christum indirectè permisisse, malè tamen concedit, Christum esse bonum, occasione lapsus volitum. Sic enim Scotus cedit.

32 Accepit D. Bonauent. responsum è D. Bernardo *serm.* 5. *in Salue regina*, vbi ait: *Et vt breuiter concludam, de hac, & ob hanc, & propter hanc, omnis Scriptura facta est: propter hanc totus mundus factus est.* Plura congerit Salazar Scripturæ, & Patrum effata, *de conceptione B. V. cap.* 3. testantia Deum condidisse mundum, quia illum se recuperaturum agnouit per Christum, è Virgine.

Hæc oculatus Mastrius vidit *num.* 18. Ideóque *num.* 10. scientiam mediam, vt potè sui nodi gladium, refugit.

33 Porrò è D. Cyrillo idem respondent Orland. *tract.* 1. *de Incarnat. disp.* 4. *quæst.* 2. & ferè Auersa.

Hinc S. Doctor infert *dist.* 32. *quæst.* 5. cum D. Ansel. *lib.* 2. *Cur Deus homo, cap.* 14. potius volitum Christum, quàm omnes homines, vt ostendi *primæ prima, tract.* 1. *disp.* 17. *quæst.* 8. salus enim nostra non fuit Finis Christi (esto motiuum,) & si datus sit in pretium nostri, redundans tamen reflectitur in Christi gloriam.

34 Similiter quod volita sit principaliùs reparatio lapsi, quàm creatio hominis possibilis labi, vt ait S. Doctor, astruitur à D. Irenæo *lib.* 3. *cap.* 3. his verbis. *Cum præexisteret saluans, oportebat, quod & saluaretur fieri, vt non vacuum sit saluans.* Ait ergo priùs volitum Saluatorem, quam saluandos præuisos scientiâ conditionatâ.

35 Hinc soluuntur etiam oppositiones Scotistarum ex aliis Scripturæ locis, quæ alios fines Incarnationi videntur apponere, puta gloriam Christi, & nostram. Ea refert Suarez *ad art. D. Thomæ.*

Primus est ad *Ephes. primo*, supra allatus. Secundus 1. Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Intelligo enim ordinatum ad gloriam nostram per redemptionem, ideò dixerat, se prædicare Christum, qui factus est redemptio. Tertius Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem, &c.* Loquitur enim supposita culpa. Ideò dixerat: *Eramus natura filij iræ: Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem, &c.* Ideò subdit: *gratiâ saluati estis, non ex operibus.*

36 Tandem nil officit, nam si Incarnatus est ob redemptionem, sequitur ex sua bonitate id præstitisse, & ob nimiam charitatem, & ad nostram gloriam, adoptionem, &c. vt fatetur ibi Suarez.

Equidem ingenuè fateor cum Valentia, responsum Scoti, & asseclarum esse ridiculum, nempe Scripturam assignare redemptionem, causam aduentus in carne passibili. Quorsum enim Scripturæ millies superfluè repetant, Redemptorem venisse ad moriendum, non impassibilem, non immortalem? Quis vnquam dicturus sit, venturum immortalem, ad mortem pro culpis subeundam.

37 Probatur secundò à D. Bonau. ex PP. qui non modo asserunt, finem incarnationis fuisse nostram salutem, sed etiam omnem alium eo præcisu, penitus excludunt; eamque inter illos vnanimem sententiam prædicant.

S. Dionysius Areopagita *cap.* 3. *de Ecclesiast. hierarchia*, vbi exponens causam aduentus Christi, nullam aliam assignat, nisi quia Humana natura initio stolidè à diuinis beneficiis sit prolapsa. Vnde incarnationis opus in solam Dei misericordiam erga nos refert, vt notat Valentia.

38 Tertullianus *lib. de Incarnatione Christi, cap.* 4. S. Athanasius *serm.* 3. *cont. Arrianos, pag.* 212. nec non Damascenus *lib.* 3. *de fide cap.* 1. & *lib.* 4. *cap.* 4. Chrysostomus *homil.* 2. & 3. *in Matth.* & *serm.* 3. *in Lucam*, & *homil.* 1. *in psal.* 9. Theodoretus *in epitome diuinorum decretorum, cap. de Incarnatione.* Cyrillus Hierosol. *catech.* 6. Epiphanius *lib.* 1. *contra hæreses*, Nyssenus *lib. de Sancto Baptismo, initio*, & *sermone de Christi Natiuitate.* Theophylac. *in* 3. *Ioan.* planè asserunt, salutem nostram esse finem incarnationis. Vide Valentiam, Vasquez, & alios, hos latè referentes.

Referam cum D. Bonauent. eos, qui omninò negant, venturum filium Dei, si Adam non peccasset. 39

D. Augustinus *libro primo, de peccatorum meritis, & remiss. cap.* 26. disertè id affirmat è scripturis, quas subinde affert, sufficienter apparere, Dominum Iesum Christum non aliam ob causam in carne venisse, nisi vt saluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, & *serm.* 8. *de verbis Apostoli*, ad illud Lucæ 19. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat*, ait: *Si homo non perisset, filius hominis non venisset: Ergo perierat homo, venit Deus homo, & inuentus est homo*, & in psal. 36. conc. 2. ait: *Quis iste Deus homo? Si tu ò homo non dimitteres Deum, non fieret propter te Deus homo*, & in psal. 68. *Vtinam maneret homo in eo, quod Deus fecit. Si enim maneret in eo, quod Deus fecit, non in limo infixus esset, quem Deus genuit*, & in Ioan. 11. ad ea verba: *Ecce quem amas, infirmatur. Si peccatores Deus non amaret, ad terram de cœlo non descenderet*, quem refert etiam *in Commentario illius loci S. Ioannis*, & *serm.* 9. *de verbis Apostoli*, tractans illud 1. Tim. 1. *Venit in hunc mundum peccatores saluos facere* ait: *Nulla causa fuit Christo veniendi, nisi peccatores saluos facere.* Idem habet in illa oratione, quæ incipit: *A cella aromatica*, quæ adscribitur S. Augustino.

D. Gregorius Nazianzenus *oratione* 4. *de Theologia*, quæ est 36. ait: *Quæ autem humanitatis à Deo propter nos suscepto causa extitit? profectò vt nobis salus pararetur; quid enim aliud causa afferri potest?* Idem docet *oratione* 35. quæ est tertia *de Theologia, num.* 85. 40

D. Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 6. ait: *Quæ erat causa Incarnationis, nisi, vt caro, quæ peccauerat, redimeretur?*

His interrogationibus, hi duo Sancti Doctores apertè profitentur, huiusce Mysterij nullam aliam causam extare. 41

S. Irenæus *lib.* 5. *cap.* 14. ait: *Si enim non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.* Quid clarius? Alludit autem ad illud testimonium, suprà allatum à D. Bonau. *secundo ad Hebræos.*

Origenes homil. 24. in Numer. *Pone* (inquit) *non fuisse peccatum: si non fuisset peccatum, non necesse fuerat filium Dei Agnum fieri; sed mansisset hoc, quod in principio Deus erat Verbum.*

D. Athanasius *serm.* 3. *contra Arrianos*, ait: *Cum homo efficitur* (Verbum) *tum causa substituitur, cur eum oporteat carnem gestare. Necessitas quippe, indigentiaque hominum anterior est, quàm illius natiuitas, quâ sublatâ, carnem non induisset.* Eam autem necessitatem ait indicari, tum aliis Scripturæ locis; tum illa prima Ioan. 3. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.* 42

D. Gregorius Nyss. *homil. de Natiuitate Christi*, planè supponit, non aliam ob causam, nisi

ob peccatum venisse Christum; ac proinde minimè alioqui fuisse venturum.

43 S. Leo ferm. 3. de Pentecoste. *Si homo* (inquit) *ad imaginem. & similitudinem Dei factus in sua honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, Creator mundi, Creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri filius Deus formam serui, & similitudinem carnis peccati assumeret.* Hanc mutilat Vulpes *num.* 22. auferens negatiuam; solùm referens Deum ordinasse Christum mortalem in remedium. Sic alij PP.

D. Bern. *serm.* 1. *Vig. Natiuit.* apud D. Bonau. *Hæc tria sapiunt mihi, quod audio Iesum, Christum, Filium Dei. Quare enim vocamus nomen eius* Iesvm *nisi quia saluum faciet populum à peccatis eorum? Aut quare Christus nominari voluit? nisi quia computrescere faciet iugum à facie olei? Quare filius Dei factus est homo; nisi vt homines faceret filios Dei?* vtique è peccatoribus, vt suprà dixit. Ideò *serm.* 1. *Aduen. ait*: Filium potius aduenisse, vt quia est Patris imago, hominem reformaret, qui similis esse Deo voluit sciendo.

Hæc testimonia nequeunt de aduentu in carne passibili explicari, negant enim penitus Christum incarnandum, siue passibilem, siue impassibilem.

Respondet Fauentinus *num.* 39. Patres si di-
44 ligenter perlegantur, loqui de Incarnatione in natura passibili, iuxta D. Augustini effatum *lib.* 1. *de peccatorum meritis*, cap. 316. *Non fuisset caro Christi in similitudinem carnis peccati, nisi caro fuisset ista peccati.* Subdit Vulpes, SS. Patres excessiuè è charitate.

46 At hoc responsum est risu dignum; nam verba SS. PP. fideliter relata sunt, absolute negantia, filium Dei vlla ratione incarnandum; neque postea palinodiam recantant, nec anteà sibi contradicunt. D. autem August. *loco adducto* loquitur solum de Incarnatione *in facto esse*, reddens rationem, ob quam caro eius haberet similitudinem peccatoris, quia ex hominibus in statu lapsus deriuata est, licet sanctissima eius mater, & ipse, essent innocentissimi. Si enim Rex Americæ, qui nudus incedit, ob mortem subditorum funebri velo serico inuoluatur, intexto è sordidis bombycum venis; & D. August. asserat, Velum illud non habiturum apparentiam sordium bombycinarum, nisi bombyces sordidi essent, alibi verò dicat non induendum fuisse vestimentum vllum, nisi ex funeribus: Ecquis dicet, eum tantùm asserere hic, illud specie velum Regem induisse ob funera?

Respondet secundò Faber, (videns se inania attulisse) sumpta tota serie signorum prædestinationis huius Mysterij, non futuram Incarnationem, nisi esset peccatum, quia præuisio peccati in illa clauditur: sed si præcisè primum signum decreti sumatur, in quo determinata est Incarnatio, eam ait futuram, etiam non succedente peccato. Sancti autem PP. loquuntur in sensu composito, non diuiso.

47 Hæc tamen responsio inanior est; nam Sancti PP. absolutè negant, Christum venturum vllo modo, vt patet legenti, neque vllus illorum Scotica signa immiscuit, ideò responsum Fabri petit principium, assumens suum ordinem signorum, & Patribus adscribens: Et sanè mirum est, nullum Patrum in re tam graui asseruisse, venturum in carne impassibili, si id facturus fuisset, non eueniente peccato.

48 Probatvr etiam rationibus D. Bonauenturæ,

Prima est deducta à Glossa *ex cap.* 2. *ad Hebræos*, vbi Apostolus declarat, cur Deus Angelos non assumpserit ad liberandum genus hominum; sed semen Abrahæ apprehenderit, nempe, vt similis hominibus fieret. Ex quo sequitur eo ipso, quo statuit naturam aliquam assumere, decreuisse naturam ex germine mortali sibi adaptare.

Respondet Fauentinus *num.* 40. rationem esse aliam, cur Apostolus dixerit assumpsisse naturam humanam, non Angelicam, quia scilicet Angeli quoque peccauerunt, neque tamen assumpsit eorum naturam.

At ratio hæc Apostoli esset inanis; Verbum ideò assumpsit naturam humanam, non Angelicam, quia licèt Angeli cum hominibus peccauerint, tamen non assumpsit naturam angelicam, sed humanam; quæ autem est hæc consequentia?

Si autem diceret, Apostolum hinc amplificare 49
Diuinam bonitatem, & misericordiam erga nos, quippè cùm homines, & Angeli peccauerint, tamen homines voluit redimere, non Angelos, rectè diceret: At restat adhuc assignare causam, cur ad redimendos homines, de quo ibi agit, assumpserit naturam humanam, cùm posset etiam Angelicam; ratio verò Apostoli est, vt fieret similis in natura, & ideò dicit: *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse participauit eisdem.* Ex quo sequitur, in decreti signis solam factam electionem carnis mortalis præ Angelica natura, non autem immortalis, ideò enim dicit Apostolus: *Nusquam Angelos apprehendit*, sed hominum stirpem (includens etiam innocentem.) Ideò Tertullianus *lib. de carne Christi* quærens, cur Deus nostram, non autem Angelorum naturam sumpserit, hanc vnicam rationem assignat, *quia nostra natura erat redimenda; non autem Angelica*, sentiens, hanc solam esse rationem huius Mysterij, & non aliam.

Hinc S. Doctor vrget. Verbum assumpsit na- 50
turam humanam præ Angelica; hoc autem non præstitit, quia humana esset nobilior, vt patet. Fuit ergo ob necessitatem salutis ex parte hominis; adde cum Apostolo, vt nobis esset similis, & viscera charitatis patefaceret.

Secvnda ratio est quia vtitur etiam Valentia, & Nazarius: Incarnatio est maximum opus misericordiæ, & excessus, vt sæpe Apostolus innuit, qui ideò Patrem misericordiarum vocat Patrem Domini Iesu; at Diuina misericordia magis enitet in Incarnatione, statutâ pro peccatoribus indignis redimendis, quam si pro innocentibus: Ergo.

Ex quo patet, frustra Fauentinum *num.* 40. ne- 51
gare nostrum assumptum; hoc enim probatur à D. Bonauent. efficaciter, quia beneficium inferre indigno maius est, quàm non indigno, & quò magis indigno, eò maior est misericordia, & gratia; at peccatores sunt indignissimi: Ergo. Itaque S. Doctor, infert *in corpore*, hunc misericordiæ excessum (Sic enim vocatur Matth. 17.) non faciendum, nisi excessus peccatorum opponeretur.

Tertia ratio arguit ex fundamentis aduersa- 52
riorum, qui Incarnationem, & Christum ponunt vt primam perfectionem, ac summum complementum vniuersi, primò intentum, quod probat Fauentinus *num.* 20. ex *Coloss.* 1. vbi dicitur: *Christus primogenitus creaturarum*, & *in ipso condita sunt omnia*, & in ordine gratiæ adeò necessarius, vt absque eo Ecclesia in statu innocentiæ esset acephala, idest, sine capite. Et argumenta Scoti id redolent: arguit enim, Deum ordinatè volentem suam gloriam in creaturis, debuisse velle prius humani-

tatem

tatem Christi, eiusque prædestinationem, tanquam propinquiorem fini.

53 ALII id probant ex 8. *Prou.* vbi dicitur: *Dominus possedit me*, vbi L X X. legont: *creauit me initio viarum suarum.* Quem locum antiqui PP. exponunt de sapientia incarnata, quæ dicitur prædestinata ab æterno, initium creaturarum, & complementum.

IDEM probant aliis scripturis apud Vasquex, & Fabrum. Idem colligitur è signis ordinatis à Scoto *in 3. dist. 19. quæst. vnica, §. in ista quæstione.* In primo instanti intellexit se Deus, vt summom bonum, & ita se voluit, & adamauit. In secundo intellexit creaturas, & voluit in esse naturale eas producere, & ante omnes prædestinauit Christum, quippe fini à se intento propinquiorem.

54 TVNC sic arguunt: Si Christus prædestinatus esset, vt complementum vniuersi, & primogenitus creaturæ; sequeretur primò, Deum poni in constitutione, & ordine vniuersi: Sed hoc est contra Aristotelem *lib. 2. Metaph.* & probatur, quia sicut Imperator non dicitur de exercitu, sed suprà exercitum; ita multò magis Deos. Probatur sequela, quia Christus, vt dicit Verbum vnitum naturæ humanæ, & constituens hoc Suppositum in duabus naturis, est Deus, & hic ponitur primò volitus ad perfectionem omnium creaturarum in ordinè naturæ & gratiæ.

ENIM verò Scotistæ huic facilè responderent, hæc adscribi Christo, vt homo est, seu ratione vnionis.

55 SECVNDÒ sequeretur, Deo volenti mundum creare, necessarium fuisse incarnari, quod est absonum; sicut enim ex creatione huius mundi in hac numero perfectione, Deus hanc numero gloriam voluit; ita etiam ex vi huius volitionis solùm id voluit, quod cum hoc numero mundo conueniat, proportionatam scilicet gloriam; quod si Deus voluisset suam gloriam in tali grado, vt necessaria fuisset persona Diuina incarnata, iam mundum infinitè perfectiorem condidisset.

56 ALIAM, rationem tanquam arietem, admouet Vasquez, eaque deducitur ex D. Bonauentura *ad quintum, & in corpore.* Decretum prædestinationis Christi, quippè de re super omnes insigni, debuit esse exquisitum, indiuiduatumque omnibus necessariis circumstantiis. Est enim prædestinatio pars eximia Diuinæ prouidentiæ; & prædestinatio Christi pars eximia prædestinationis. Debuit & decretum illud esse firmom, omnibus præuisis stabilitum: Nunc ergo, si non peccante Adam, Christus venturus erat, vel erat venturus mortalis, vel immortalis: Si primum: Ergo moriturus erat etiam non propter peccatum, quod est falsissimum; si immortalis, cùm nunc venerit mortalis, mutatum fuit decretom.

RESPONDENT Scotistæ communiter, decretum Incarnationis in primo signo fuisse de Incarnatione quoad substantiam; postea verò prænisâ culpâ, determinatam passibilitatem carnis.

CONTRA quia prædestinatio respicit rem exquisitè constitutam, quo ad omnia, quæ futura sunt. Confirmatur, quia non erat venturus Christus, nisi ex vi decreti; sed decretum non fuit, nisi in carne passibili, vt constat, quia sic est adimpletom: Ergo ex vi huius decreti non venisset impassibilis.

57 RESPONDENT Centinus, Poncius, Faber, & alij Scotistæ, Christum venturum ex vi primi decreti passibilem ab intrinseco, hoc est, potentem ab interno mori; si autem Adam non peccasset, dicunt, futurom aliud decretum de impassibilitate externa, quam si perstitisset status innocentiæ, singuli homines adepti fuissent, & passibilitas ad actum non foisset reducta.

HVNC modum inanem fatetur Mastrius, quia contra chorum canunt. Est enim quæstio nostra: An venturus esset in carne mortali in actu secundo; nam quòd assomenda esset caro ex natura, intrinsecè è qualitatibus composita contrariis, non est dubiom. Deinde cùm ipsi dicant, venturum Christum etiam non peccante Adam, supponitur venturus ex decreto iam condito, non ex alio. 58

ALII hoc argumentum retorquent; nam & de Adam cogimor nos respondere: An decreuerit creare mortalem, vel immortalem. Sed respondetur, non esse simile. Primò; nam quo ad Adam agitur tantùm de modo ante peccatum præuisum. Secundò, decretum fuit condendi eum immortalem, at quo ad incarnationem, nullum fuit ante decretum, quò ad substantiam; non enim fuit condendi Christum mortalem, vt patet, neque immortalem, quia non venit ad executionem. Quare Vulpes, & Gallus non recta ineunt fœdera contra nos.

ALII respondent, decretum fuisse Christum venturum impassibilem, quia fuit decretum veniendi meliori modo ioxta occasiones. Ita Suarez, Morandus, & Arretinus. 59

CONTRA tamen, quia non cogitur Deus semper ad meliora facienda. Tum quia melius est Incarnatio dependenter à peccato, vt ait Tannerus cum D. Bonaoent. sic enim viscera charitatis, & misericordiæ Dei effunduntur, & bonitas altius communicatur indignis.

RESPONDENT Mastrius *num. 71.* Volpes, Bellutus, Rada, & Baldius, venturum impassibilem extrinsecè, quatenus, non occurrente alio in contrarium, redundaret beatitudo animæ in corpus, & redderet ipsum impassibile, & ita illa impassibilitas fuit tantùm decreta virtualis, & in causa, quæ non repugnat formaliter passibilitati; sicuti non repugnat, vinum formaliter frigidum, esse virtualiter calidum.

CONTRA, quia formaliter contrarium fuit secundum decretum primo; nam decretum primum est diffundendi beatitudinem in corpos, & in ordine gloriæ constituendi; Secundum autem decretum fuit formaliter contrarium. Itaque non solùm virtute, vt replicat Centinus, sed formaliter repugnat. Alia etiam pro nobis vrget Ragusa, cui non satisfacit Hurtadus *disp. 23. sect. 2.* 60

ALIQVAS etiam admiscet S. Bonau. congruentias; nostros scilicet affectus magis Deo obstringere; atque amore inflammare, Deum ob nostram salutem hoc opus Incarnationis suscepisse. Deum magis honorificare, eiusque ostendere bonitatem; quod absque fundamento negat Faber *num. 4.* Vide Andream Cretensem *in Bibliot. homil. in festo exaltationis Sanctæ Crucis*, nobiscum sentientem, & alios Patres apud Velasquez *in 2. cap. epist. Philip. vers. 7. adnot. 2.*

FRANCISCVS Suarez, vir eruditus, Conciliator accedens, vtramque opinionem ad concordiam trahere conatur. Videns igitur Scripturas, & Patres pro nobis, concessit *sect. 2.* Incarnationem ordine executionis factam in remediom peccati; negat tamen ordine intentionis hanc fuisse rationem, quæ Deum mouit ad prædestinandum Incarnationis 61

Mysterium,

Mysterium, sed hanc fuisse nobilitatem operis, & dignitatem Christi, qui prædestinatus est primogenitus creaturarum, vt dicitur *Prou.* 8. *Coloss.* 1. & aliis suprà adductis locis.

62 PRÆTEREA id probat. Deus sanè ante Incarnationis decretum cognouit scientiâ mediâ, si mundum creasset, si Angelos, & homines conditos tali naturâ, & gratiâ institueret, secuturum peccatum, & totum genus labefactandum, quod si permitteretur, offerendam sibi optimam occasionem, suam bonitatem, sapientiam, & misericordiam ostendendi.

63 IAM ergo Constitutâ in Deo tali scientiâ, optimè intelligitur, eum potuisse primum omnium intendere, non solùm vniuersi creationem secundùm esse naturæ, gratiæ, & gloriæ in hominibus, & Angelis; verum etiam secundùm esse vnionis hypostaticæ in Christi humanitate, quanquam in re ipsa esset executurus hoc Mysterium post oblatam occasionem peccati, quia ordo intensionis contrarius est ordini executionis. Et hoc modo ait, conciliari Scripturas, quæ dicunt, Christum primò dilectum esse & amatum, tanquam finem operum Dei, cum illis, quæ dicunt, Verbum sumpsisse carnem, oblatâ occasione peccati.

64 SECTIONE verò sequenti sustinet consequenter, Christum in primo illo signo esse prædestinatum redemptorem in remedium peccati præuisi.

IN quarta verò sectione sustinet, primam rationem motricem Diuinæ voluntatis ad decernendam Incarnationem fuisse excellentiam Mysterij, & alia bona, absque necessitate peccati; eam tamen volitam esse, quo ad substantiam in remedium peccati, alia distincta volitione in posteriori signo rationis; non enim implicat, etiam duabus rationibus totalibus rem aliquam esse volitam. Sic qui habet voluntatem firmam eundi Romam, ad loca sacra colenda, superueniente necessitate amici, quæ ex se satis, superque eum ad illud iter impelleret, iam ob duas rationes totales peregrinationem arripiet. Sic *primo Reg.* 16. cùm Dominus præciperet Samueli ire Bethleem ad vngendum Dauid in Regem; & ipse responderet: *Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me:* Respondit Dominus: *Accipe vitulum, & dic: ad sacrificandum Domino veni.* Vbi sanè, propositum, primaque voluntas eundi non fuit orta ex voluntate sacrificandi; sed alia prior ratio præcessit, scilicet vnctio Dauid; & tum etiam ad sacrificandum perrexit.

65 SIC dicitur Christus resurrexisse propter iustificationem nostram *Rom.* 4. cùm tamen prima ratio volendi eam resurrectionem, fuerit sine dubio exaltatio, & gloria ipsius Christi.

IAM igitur ad Scripturas, & PP. pro nobis allatos respondet, explicare rationem Incarnationis, pro vt facta est in executione, nempe, in remedium peccati; at verò altissimas, ac reconditas causas prædestinationis huius Mysterij silentio esse obuolutas.

ET quidem Patres, quorum erat institutum instruere in concionibus Populum, non autem Diuina arcana perscrutari, hanc vnicam sæpe rationem assignasse.

66 HINC *sectione quinta* concludit, etiamsi homo non esset peccaturus, nihilominus propositum Dei de Incarnatione consistere posset, & suum haberet effectum. At verò supposita scientia conditionali de lapsu hominis, non potuit Deus habere illud decretum Incarnationis, pro vt nunc illud habuit, quin consequenter habuerit voluntatem permittendi peccatum, vt illa via exequeretur Mysterium, perfectissimo quodam modo accommodato.

HÆC tamen doctrina multis scatet vitiis. Primò quidem, licèt sit alius ordo intensionis, alius executionis; tamen non benè infert Suarez, alio modo Deum decernere; alio exequi; nam eo modo executioni decreta demandat, quo statuta sunt, vt vidimus *prima primæ, Tract.* 22. *disputat.* 21. *quæstione* 7.

ESTO igitur, supposita scientia media, quam ex D. Bonauent. *hìc ad* 5. hausit Molina, & Suarez, decreuerit creare hominem; & permittere peccatum, non quidem ex voluntate Incarnationis, quia vt ait D. Augustinus, ad misericordiam Dei non spectat miseriam permittere, vt misereatur; sed vt seruaretur ordo generalis Diuinæ prouidentiæ, sinentis res omnes actus suos agere. Hinc verò cùm Diuina sapientia, & prouidentia constituerit creare hominem, & lapsum reparare, atque adeò Incarnationem, ac Christum prædestinarit in salutem hominis lapsi, vt astruunt Scripturæ, & PP. qui negant, alioqui filium Dei venturum; non sequitur, adhuc venturum ex alio fine. Primò quidem quia PP. asserunt, non venturum: Ergo non erat aliquod decretum veniendi exequendum. Neque ex concione Patres falsum dixerunt. 67

DEINDE quia non dantur plures fines totales, non subordinati eidem fini. Exempla verò Suarez id non ostendunt. Ille enim, qui decreuit ire Romam ex fine motiuo deuotionis, mouetur sanè fine impulsiuo ad subleuandum amicum, si in priori deliberatione perseuerat; non tamen alio totali motiuo, quia naturaliter non potest idem effectus à duabus causis totalibus non subordinatis produci, vt omnes fatentur. 68

EXEMPLVM verò Samuelis non est ad rem; nam finis eundi Bethleem fuit ad vngendum Dauidem; sacrificium verò fuit tantùm prætextus ad periculum euadendum; licèt autem dixerit verum, se ad sacrificandum venisse, illud fuit tantùm materiale intentum, ad finem verum consequendum, non autem finis verus fuit sacrificium; & vnctio tantùm impellens, vt putat Vasquez *num.* 80. sic & finis, qui additur eunti Romam, est impulsiuus, non motiuus, vt nunc. 69

EXEMPLVM autem de prædestinatione Christi solùm probat, fuisse plures fines subordinatos. Ex his autem principalis gloria Christi est in redemptione hominum; illi vnum finem totalem constituunt, vt colligitur ex D. Bonauent. *ad* 5. *& in corpore*, ex quo deducitur, eum fuisse finem motiuum, atque adeò illo ablato, non fuisse futuram Incarnationem. Sic etiam opera Dei plures habent fines, nempe, gloriam Diuinam, & nostram vtilitatem, qui tamen fines sunt subordinati, vt probat Seraphicus Doctor *in* 2. *distinct.* 1. *parte* 2. *artic.* 2. *quæst.* 1. 70

OBIICIES primò. Id, quod est volitum ante omnes creaturas, non dependet ab earum lapsu; at prædestinatio Christi est volita ante omnia: Ergo. Maior patet. Minor probatur ex Prou. 8. *Dominus possedit.* Septuaginta legunt: *creauit me initio viarum suarum*, quod de sapientia incarnata exponunt Clemens Rom. *lib.* 3. *constit. Apostolicarum, cap.* 19. Concilium Hispal. 2. *cap.* 13. Iustinianus Imperator *in edicto fidei ad Ioannem II.* vbi refert Basilium sic exponentem *lib.* 4. *contra Arrianos*, & *in epist. ad Epictetum.* Nazianzenus *oratione* 36. quæ est 4. *de Theologia circa principium.* Cæsarius *dialogo* 1. 71

Nyssenus

Nyſſenus *lib. de fide ad Simplicium.* Chryſoſtomus *ſerm. de Sancta Trinitate, 3. Tomo.* Cyril. *lib. 5. Theſauri, cap. 4. 7. & 8.* & colligitur ex Damaſceno *lib. 4. de fide, cap. 19.* Hieronymus *lib. 2. in Michaam initio.* Hilarius 22. *de Trinitate*, non longè à fine, Ambroſius *lib. 1. de fide, cap. 7. initio.* Auguſtinus *ſerm. 58. de verbis Domini, & lib. 1. de Trinitate, cap. 13.* Fulgentius *lib. cont. obiectiones Arrianorum in 3. reſponſione.* Idatius Clarus *lib. cont. Varimandum Arrianum in 6. Tom. Biblioth.*

72 DEMVM hanc eſſe Patrum expoſitionem non contemnendam docuit Epiphanius *contra hæreſes, hæreſi 69. & in Ancherato.* Nam cùm hoc loco vterentur Arriani, vt probarent, Verbum Dei, quod eſt ſapientia, eſſe creatum; Patres intelligendum reſpondebant de Chriſto ſecundùm humanitatem. Neque obſtat vulgatum legere: *Poſſedit*, non: *Creauit*, & ita melius ex Hebræo traduci, vt ait D. Hieronymus *in epiſtola ad Cyprianum*, quæ eſt 136. nam etiam, quæ creantur, poſſideri dicuntur. Hunc ſenſum confirmat illud: *Dominus*, vt ponderat Ambroſius: *Non dixit: Pater creauit me; ſed Dominus. Caro Dominum agnoſcit; neque enim Verbum, vt Deus, & Patrem vocaret Dominum.* Hinc arguit Suarez cum Scoto, in hoc conſentiens. Chriſtus creatus eſt initio viarum Domini, non executione, ſed ordinatione; nam quo ad executionem plurima ante Chriſtum creata ſunt: Ergo ante lapſum ipſius hominis, qui creationem ſupponit, prædeſtinatus eſt. Licèt autem aliqui ex allegatis PP. exponant, Chriſtum creatum initium viarum ſalutis; melius tamen Athanaſius intellexit opera omnia, iuxta id Iob 40. *Ipſe eſt initium viarum Domini.*

73 RESPONDETVR primò ex D. Bonauent. *in opuſc. de Reductione artium ad Theologiam, poſt medium*, ibi ſecundùm Vulgatam, quæ canonica eſt, loqui de Verbo æterno, ſeu ſapientia increata, vbi non habetur *creauit*; ſed, *poſſedit*, neque verò vocat eum *Dominum ſuum*, ſed *Dominum omnium.*

Hæc eſt multorum Patrum expoſitio, vt refert Valentia. Hinc dicitur vna cum Patre mundum creaſſe: Sancti verò Patres reſpondebant Arrianis, allegantibus verſionem Septuaginta Seniorum, qui magnæ quidem ſunt authoritatis; attamen obſeruatum eſt à peritis Sacræ Scripturæ, eos illa omnia ſuppreſiſſe, quæ Trinitatem redolerent, aut Deum Patrem, & filium exprimerent Deum. Forſitan ne Ptolemæo pagano viderentur plurium cultores Numinum.

74 RESPONDETVR ſecundò è D. Bonauent. *parte 4. de Eccleſiaſt. Hierarchia, cap. 2.* exponi de ſapientia incarnata, ſed eam dici creatam initium viarum ſalutis, vt exponunt D. Auguſtinus, Cyrillus, & Hilarius, iuxta id Ioan. 14. *Ego ſum via, &c.* Igitur iuxta verſionem LXX. Dicitur *creauit me ad opera*, ideſt vt opera Dei perficeret in ordine gratiæ ad ſalutem, & ad hoc cœlos myſticos, Apoſtolos eligeret, &c.

VEL dic cum D. Athanaſio *ſerm. 3. contra Arrianos*, col. 207. *Dominus creauit me initium viarum ſuarum*, quod idem dictum eſt, ac ſi ita loqueretur. Pater mihi corpus perfecit, & inter homines me creando conſtituit pro hominum ſalute. Eum ſequitur D. Bonauent. *ad 15. Lucæ*, vbi ideò ait, ſubdit: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*, nempe quia ex maxima charitate ad ouem perditam reducendam deſcendit, & nobiſcum conuerſatus eſt. Itaque creari ad opera, fuit hominem fieri ad hominum inſtaurationem, & poni initium, ideſt, Principem, iuxta id pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex*, & pſal. 8. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.*

HÆC verò nil redolent prædeſtinationis Chriſti ante præuiſum peccatum, ſed ſolùm Chriſtum ad ſalutem hominum prædeſtinatum. 75

AT nè ſequelam admittamus, Chriſtum bonum eſſe occaſionatum, quæ eſt ratio potiſſima Scoti è S. Bonauent. *argumento quinto* eruta, & quam non concedendam monet Nazarius, & alij; ſed tamen eam non ſoluunt. Reſpondetur ex dictis cum S. Bonauent. in noſtra ſententia, & noſtro ordine ſignorum, id non ſequi, vt ſuprà dixi, vbi etiam loca Apoſtoli explicui; Chriſtum, nempe, prædeſtinatum eſſe finem omnium hominum; & tamen prædeſtinatum ob noſtram ſalutem.

EST enim duplex finis ex Ariſtotele 2. *de anima, cap. 4. & text. 35. & 37.* alter dicitur *cuius gratia* omnia ordinantur, alter eſt finis, *cui*, & eſt is, cui bonum deſideratur: Igitur Chriſtus eſt finis *cuius gratia*, & homo finis, *cui* redundat bonum, neque verò abſonum cuique videatur, aliquod maius bonum in vtilitatem alicuius minoris boni redundare, dummodò in eo non ſiſtat, ſed ad perfectius bonum ordinetur. 76

QVARE non ſunt pro Scoto Scripturæ expreſſæ, vt iactat Faber *num. 34.* neque Patres, ex quorum numero ſolum affert Rupertum *lib. 3. de gloria, & honore filij hominis*, nec alium poteſt adducere, vt vidit Vaſquez *num. 111.* 77

RVPERTVS verò ante 700. tantùm annos florens, non eſt tot Patribus antiquis nobiſcum ſentientibus comparandus, qui tamen iuxta ordinem ſignorum D. Bonau. explicari poteſt; ait enim: *Sicut peccatum non fuit neceſſarium, vt A. a generatio ſuccederet, ita neque vt Chriſtus homo prodiret*, Poteſt igitur reſponderi, ante præuiſum abſolutè peccatum, decretum eſſe, vt diximus, Incarnationem.

OBIICIVNT tamen aliqui D. Auguſtinum *lib. de ſpiritu, & anima, cap. 8.* & *in Manuali*, cap. 16. *Totum hominem aſſumpſit, vt totum beatificaret*: Ergo finis incarnationis fuit noſtrorum corporum beatificatio. Idem habet D. Anſelmus *in epiſtolam ad Heb. cap. 2.* Bernardus *ſerm. primo Aduentus*, & *ſerm. 17. in Cant.* & D. Cyrillus *lib. 5. Theſauri, cap. 18.* ait: *Verbum carnem factum, vt nos ſanctificaret, & ſi forte peccaremus, rurſus in illo renouaremur*: Ergo Incarnatio fuit ob noſtram ſanctificationem, etiam ante peccatum. 78

RESPONDET D. Bonauent. hunc eſſe finem acceſſorium, imò etiamſi non eſſet Incarnatio, adhuc homo in corpore beatificaretur; nam viſio corporis Chriſti ad gaudium ſpectat accidentale, & hoc etiam in viſione aliorum corporum glorioſorum ſuppleretur; vel abſque proprio obiecto, ſicut etiam alij ſenſus guſtus, & tactus abſque propriis obiectis beantur per redundantiam delectationis à parte ſuperiori ex viſione Dei; & ſanè Diuinæ bonitati detrahit, qui ad beandum, ei bonum aliquod creatum neceſſarium aſſerit. Cæteri vero Patres loquuntur de ſanctificatione poſt peccatum. D. verò Cyrillus de renouatione poſt lapſus actuales. Ideò ait: *Rurſus, &c.* 79

EST etiam alius locus D. Auguſtini *lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentiis, cap. 21.* vbi docet, bona matrimonij futura fuiſſe, inter quæ eſt illud, vt eſſet ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, etiamſi peccatum non irrepſiſſet. 80

RESPONDET Vaſquez *num. 111.* ſolùm aſſeri, Sacramentum futurum aptum repræſentare hanc

coniunctio

coniunctionem Christi cum Ecclesia, etiam non succedente peccaro, non tamen sequitur, peccato non succedente, futuram coniunctionem hanc, seu Responsionem Filij Dei Incarnati cum Ecclesia.

81 GERMANA tamen expofirio est S. Bonauent. *ad* 7. bonum hoc matrimonij ante peccatum potuisse enunciari, qnia re vera exprimebatur in coniunctione Adæ, & Euæ innocentis, coniunctio Dei cum Ecclesia in charitate. Addo etiam; præsignrabator vnio Chtisti cum Ecclesia, quæ non fuisset, si Deus scientiâ conditionali videns Adamum, si in tali ordine poneretur, lapsurum; si laberetur redimendum, assumpta humana natura ad vnionem hypostaticam; at verò si decreuisset Adamum à lapsu præseruare, nec Verbum vniri humanæ natoræ; matrimoniom tunc expressisset vnionem Christi cum Ecclesia, qualis erat in Idea Diuina; (non in exemplari, cùm oon fuisset decreta.) Imò neque nunc ex peccati euentu causata est hæc figutatio, sed ex bonitaris Dei antiperistasi. Ideò S. Aogust. ait, labem originariam non propagari ex aliquo bono coniugij.

82 OPPONVNT etiam D. Anselmum *lib.* 1. *Cur Deus homo*, *cap.* 18. vbi ait, Homines non beatificari solom ad Angelorum ruinas resarciendas, & sedes rebellium implendas; alioqui homines deberent gaudere de Angelorum roina, euius occasione ipsi bearentur. Hinc igitur idem absurdum infertur in nostra sententia. Si Christos prædestinatus est solùm es præoisione peccati, debet lætari, hominem à Deo defecisse, ex qua occasione ipse prædestinatus est.

83 RESPONDETVR, D. Anselmum disputate contra eos, qui numerum hominum prædestinatorum ita præfigebant, vt decretum esset, non saluare hominem aliquem, nisi Angelos cadens loco cederet; eo verò labente, succedere hominem absque nouo Dei beneficio, at in casu nostro non ita res se habet; nam Christus non est prædestinatus ex vi peccatl, sed ex Dei nouo beneficio; hinc ansam miserendi arripiente; cùm eum potiùs peccatum irritaret ad puniendum reos. Itaque Christus non de Adæ peccato, sed de misericotdia Dei gaudere debet.

OBIICIVNT etiam D. Bernardum *serm.* 1. *Ad. a:ntus*, vbi ait: *Diabolum, præscium incarnationis, incitasse hominem ad peccandum, vt Deum ab hoc consi'io remoueret*, hoc verò erat ei notum, vt legitur primo Hebræot. *Cùm iterum introducit, &c.*

84 RESPONDETVR, dæmonem id tentasse, ignorantem finem Mysterij, licèt adorare iam fuerit coactus.

ADDVNT illationem D. Cyrilli *lib.* 5. *Thesauri*, *cap.* 5. vbi contra hæreticos dicentes, Verbum ab æterno productum, vt ipsum producert creaturas, infert, sequi, Verbum teneri creaturis, propter quas productum est: Ergo Christus debet gratias agere peccatoribus, pro quibus saluandis est prædestinatus.

RESPONDETVR, D. Cyrillum id inferre contra hæreticos dicentes, Verbum esse prodoctum præcisè vt esset instrumentũ ad creaturas condendas, & ideò currit illatio: At nos dicimns, Christum occasione quidem præuisi peccati, sed ex Dioinæ bonitatis excessu prædestinatum, atque adeo Bonitati Diuinæ reuetur, non peccatoribus, qui potius merebantur deseri in miseriis; adde cum D. Bonauent. *ad* 5. volitum primò Christum, vt finem absolotè.

INSTAT Faber. Nam etiam peccatum fuit causa prædestinationis Christi; neque enim misericordia prædestinasset, si peccatum non fuisset.

85 RESPONDETVR, peccatum esse causam ex se potius prouocantem ad iram; at diuina misericordia ex hoc occasionem desumpsit ostendendi suam bonitatem per quandam antiperistasim. Vnde negatur illatio. Vide & responsum *ad* 8.

OBIICIVNT etiam multas rationes. Prima, quæ est Scoti, principalis, vt clamat Faber. Prædestinatio cuiuscunqoe ad gloriam præcedit naturaliter ex parte obiecti prædestinati præscientiam peccati: Ergo hoc multò magis verum est de prædestinatione animæ Christi, quæ ad summam gloriam prælecta est per vnionem hypostaticam: Ergo idem de vnione hypostatica dicendum, nempe ante præuisionem peccati Adæ eam esse statutam.

HOC argumentum adeò est imbelle, vt nullibi subsistat.

86 RESPONDETVR ergo primò iuxta D. Bonaoent. principia, confirmata *prima prima, Tract.* 1. *disp.* 21. *quæst.* 12. prædestinationem, ex parte prædestinati, aliqoam habere causam, vel boonm, vel peccatum minos, vt de se ait Apostolos: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*, ideo sequitur, præuisionem peccati esse ante prædestinationem.

RESPONDETVR secundò, prædestinationem ex D. Augustino esse propositum miserendi, vel electionem ex massa perdendorum, vt ostendi *citata disputatione*, *quæst.* 10. & ideò post præuisum Adæ peccatum celebratam.

RESPONDETVR tertiò, prædestinationem Christi esse post præuisionem peccatorum, ex reuelationibus supra allatis, ac proinde singularem esse, propter quod, etiam in sententia D. Thomæ, non est aliis prædestinationibus comparanda.

87 OBIICIES secundò cum Scoto. Ordinatè volens, priùs vult id, quod est fini propinquius: sed inter prædestinatos Christus est fini propinquior: Ergo inter prædestinatos primò fuit volitus: Ergo foit prædestinatus antequàm Adam: Ergo non fuit prædestinatus in remedium peccati Adæ: Hoc etiam est principale Scoti propugnaculum.

RESPONDETVR primò, negando Maiorem; nam vt ait Caietanos, quem sequuntur Medina *eodem art. D. Thomæ*, & Suarez *sect.* 1. Agens liberum non vult necessariò priùs media propinquiora fini, qoàm remotiora, quia potest alia eligere.

88 INSTAT Faber, argumentum secum ferre probationem, nam vrget: Ordinatè volens (non ait solùm volens,) igitur agens liberum, volens ordinatè, prius eligit media fini propinquiora. Voluntas autem Dei est ordinata: Ergo.

PRÆTEREA ordo executionis est contrarius ordini intensionis; at ordine executionis priùs creatus est Adam, & permissum est peccatum; deinde facta est incarnatio Verbi. Ergo ordine intentionis prius Deus voluit Incarnationem; deinde alias creaturas.

89 RESPONDETVR, ordinatè volentem finem, modo naturali necessariò ita velle; at volens ordinatè secundùm liberam sapientiam, potest alium ordinem prætendere. Itaque si Deus vult gloriam suam eo ordine: Ergo in mundi, & tot hominum, & Angelorum creatione, debuisset velle vniones hypostaticas singulis naturis; hæc enim media erant fini propinquiora: debuisset mundum alium longè perfectiorem condere, imò innumeros in infinitum perfectiores: Sic & innumeros primæ classis Sanctos habere, & alia media suæ gloriæ propinquiora eligere, quæ est finis operum, quem tamen siler Faber, timens illationes, hinc sibi satis infensas sequuturas,

ADDO,

90 Addo, ordine alio potuisse Deum velle redemptionem magis, quàm incarnationem simpliciter. Si enim hæc est vicinior fini ostendendæ bonitatis; etiam redemptio est vicinior ordini ostendendæ misericordiæ, & bonitatis ipsius, quæ effunditur in indignos, vt ait D.Bonau. *in corpore, & ad tertium*, vbi aduertit in statu innocentiæ satis manifestanda Diuina attributa in rerum, maximè hominis, bonitate, cùm omnia essent valdè bona, vnde non oportebat nouum modum addere; sic enim etiam miracula fiunt nunc ad fidem infirmam iuuandam. Vide D. Bonauent. Sic & Incarnatio facta est: *vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur*, à quibus auersi sumus. Vide adhuc eundem Seraphicum.

91 Qvod verò comminiscitur de ordine intentionis, & executionis, suprà confutatum est. Debuit autem Faber recordari, se aliam doctrinam sæpe tradere contra hanc Suarij propositionem, nempe, Deum eo modo res executioni demandare, quo etiam decreuit, & è contra: quam doctrinam, ait, se postea in Vasquea inuenisse, atque ob id lætatum. Itaque sicut ex præuisione peccati Adæ statuit Incarnationem, ita etiam confecit. Id vide *p.p.tract.1.disp.21.quæst.7.* Quod si eius ratio valeret, ordo executionis est contrarius ordini intentionis, & è contra possem inferre; at ordine intentionis per te prædestinata est Incarnatio ante omnem creaturam: ergo ordine contrario est executioni demandanda, atque adeò in fine mundi, post ortum etiam vltimæ creaturæ, siue hominis, siue bruti.

92 Respondetur secundò, iuxta S. Bonauenturæ signorum ordinem: Primò in ratione finis volitum esse Christum, dependenter tamen à remedio peccati, vt suprà vidimus. Licet autem in genere causæ finalis primus fuerit Christus, quia Deus ideò fecit homines, quia se recuperaturum cognouit, tamen in genere alio causæ materialis fuit priùs volita creatio hominum, ex quibus carnem Christus assumeret; simpliciter tamen potest cum Molina asseri, in eodem signo omnia hæc à Deo esse volita.

93 Obiicit tertiò Faber. Si Adam non peccasset; vel Ecclesia habuisset caput, vel non. Si primum, ergo non fuisset Christus; & tunc habuisset caput secundum vos: ergo mutatio esset in Deo, quia Adam non peccante habuisset vnum Caput; eo verò peccante aliud habuisset. Si dicas secundum: ergo fuisset Ecclesia Acephala, idest, sine capite.

Respondet D.Bonau. Ecclesiam habituram Caput, idest Deum, qui est etiam Caput Angelorum; neque enim necesse erat caput homogeneum, sicuti neque iam conceditur Angelis: proprietas enim capitis est, influere vitam; hanc autem influxisset, etiamsi non esset incarnatus.

94 An illationem subrideo; Tunc enim sic arguo: Ad mutationem capitis Ecclesiæ per te sequitur mutatio in Deo; sed in vestra opinione sequitur mutatio in capite Ecclesiæ: Ergo in Deo. Minor probatur; nam succedente peccato habet Caput passibile, quod effusione eam sibi acquisiuit sanguinis pretiosi; at non succedente peccato habuisset Caput impassibile, non redimens.

Neqve dicas, futurum tamen idem substantialiter caput, idest, Christum; nam etiam mutatio accidentalis capitis ex vi sui argumenti, infert in Deo aliquam mutationem, vt patet.

Deinde infero. Non succedente peccato, non fuissent tot Antipapæ, & Ecclesiæ persecutores; neque futurus esset Antichristus; succedente autem peccato, Ecclesia aliquo tempore ob Antipapas, & Tyrannos occisores caruit Capite in terris: Ergone mutatus est Deus? Habuisset ergo eundem filium Dei caput influens, licèt non homogeneum: Principalior autem conditio capitis est influere, vt ait D. Bonauentura.

Obiicit quartò Faber. Sequeretur, priùs prædestinatum esse Adamum, quàm Christum, & prius voluisse Deum permittere peccatum, quam Christum prædestinare; quod est falsum; nam Christus est finis nostræ gratiæ, ex Conc. Trident. *sess. 6. can. 7.*

95 Respondetur facilè, negando sequelam, iuxta ordinem signorum D.Bonauenturæ suprà allatum; quod verò dicitur Christus finis nostræ gratiæ, sensus est, nostram gratiam directam ad Christum, tanquam ad finem; & ita etiam nostra prædestinatio, ad prædestinationem Christi ordinatur.

Obiicit quintò. Si Christus est prædestinatus, vt medium prædestinationis hominum: Ergo prædestinati iam fuerant homines; & postea præparata sunt ipsis media, inter quæ primum est redemptio. Neque aptè respondet Becanus, negando sequelam, quia priùs volita est redemptio totius humani generis, in qua prædestinatus est Christus; deinde verò efficaciter applicata est quibusdam in eorum prædestinatione.

96 Facilius soluitur in via D.Bonauenturæ, primò volitum Christum ordine intentionis, quàm genus humanum. Ideò enim mundum creauit, quia se recuperaturum cognouit, vt suprà, in ordinandis signis decreti, dictum est.

Contra argues: Quod est priùs priori, est prius etiam eo, quod est illo posterius: sed prædestinatio Christi per te est prior creationis decreto, quod sanè est ante præuisionem peccati; non enim potuit præuidere peccatum eius, qui non erat futurus: ergo prædestinatio Christi est prior etiam præuisione peccati.

97 Respondetur, ordinando signa: In primo vidit hominem, si crearetur talis, ad diuinam bonitatem extra communicandam, sicuti opportunum medium offerebatur; lapsurum. In secundo vidit, si laberetur, reparari posse, adhuc perfectius communicando diuinam bonitatem in vnione Verbi hypostatica, quæ optimum medium inter cætera offerebatur. In tertio decreuit creare hominem tali ratione, in qua permissio peccati includitur, & decretum Incarnationis ad reparationem, atque prædestinationis Christi, absoluto decreto principalius intenti, sub ratione tamen Redemptoris, supponentis in genere causæ materialis humanæ naturæ creationem, quæ vnico signo peracta sunt supposità scientià omnium medià in diuersis signis, vt ait etiam Molina, & ex parte Suarez, suprà adducti, Amicus, & alij.

98 Cvm igitur decretum habeat pro fine gloriam Christi principalius, & pro minus principali nostram salutem, ita verò, vt vno actu sic vtrumque statuatur: Creemus hominem, quem præuidi casurum, si crearetur, & optimè filij incarnatione redimendum, si caderet. Creemus, vt permissus, vti expedit, labi, inde veniat Christus ad redimendum, quem non prædestinatem, nisi futurum esset peccatum, sed tamen prædestino, vt finem *ad quem*, vt creatio hominum qui subministrabunt materiam Incarnationi, & eorum redemptio, & salus vltimò ordinetur.

99 Hoc pacto declinantur argumenta, quæ molestus Meldula *art.* 2 zelo amaro iacit: Quasi vellemus, præparatum esse remedium certum Redemptionis, casui, & morbo, adhuc pendentibus sub conditione, & nondum futuris absolutè sed sub conditione, si crearetur Adam, in talique ordine constitueretur, vt communiter Societatis Iesv Theologi, pro nobis

ſtantes, dicunt, prædeſtinaſſe Chriſtum non adhuc facto decreto creationis hominum, qui ſunt finis prædeſtinationis Chriſti.

NEQVE tamen vererer ad mentem D. Bonauent. *ad* 5. cum Theologis præfatis incedere, Deum videntem ſcientiâ conditionatâ, Adam ruiturum, ſi conderetur, præparaſſe remedium abſolutè ad eum ferè modum, quo Rex, mittens exercitum, & videns certò, multos vulnerandos, ſi ex tali parte vrbem, vel hoſtem inuadant, mittit Medicum, & Chirurgum, ſed tamen Deus non ita incertus eſt in ſua præuiſione.

100 NEQVE rectè infert Maſtrius. Eodem modo, quo præfixiſſet mortem Chriſti, cognita conditionaliter tantùm cauſa, id eſt peccato, prædecreuiſſet etiam mortem Adæ abſolutè, præuiſo eius peccato ſolùm conditionaliter, quæ ſunt abſona.

RESPONDETVR enim, negando paritatem, quia mors Adæ ſtatuta eſt in pœnam delinquentis, atque adeo debuit præcedere delicti præuiſio; ſic enim indixerat: *In qua hora comederis, morte morieris.* Mors autem Chriſti fuit quidem in pœnam noſtri peccati, ſed ab innocentiſſimo aſſumenda Chriſto, quocum poterat agi ſub conditione, cadente homine, vt videret, ſi crearetur in tali ordine, tanquam de conditione ſine qua non, eſto & cauſa demeritoria; ita verò, vt non maneat idem ordo rerum, vt putat Maſtrius, ſed ita mutetur, vt tranſeat in præuiſionem hoc pacto: Video hominem peccaturum, ſi creetur; optimè ſaluandum, ſi labatur. Iam igitur prædeſtinemus Chriſtum Redemptorem, condendo, ſinendoque abſolutè Adamum cadere, vt inde redemptus gloriam Chriſto, vt fini vltimo, redundantem referat.

101 MASTRIVS autem ita arguit, ac ſi decretum Redemptoris reſpiciat adhuc peccatum in incertum, cùm includatur tanquam materia redemptionis, ſubiectumque ſuppoſitum, ſic & Adam, vt materiam ſubminiſtrans Redemptori; & Redemptor ordinatus ad Redemptionem, vt finem, ſine quo non, ipſa redemptio vltimò ad Chriſti gloriam terminetur. Hunc reor eſſe ſenſum Amici, & Orlandi, Vaſquez, & aliorum Recentiorum dicentium, Adam, & exaltationem Chriſti fuiſſe finem noſtræ redemptionis: Redemptionem verò noſtram eſſe finem Incarnationis: Incarnationem verò medium ad vtramque; proximè quidem ad redemptionem, & ſalutem noſtram; remotè verò, & vltimò ad Chriſti gloriam, volitam dependenter à peccato præuiſo.

102 OBIICIES ſextò. Homini data eſt hæc potentia ad vnionem hypoſtaticam: Ergo & præciſo peccato, decreuit fieri incarnationem, ne potentia illa eſſet fruſtra.

RESPONDET D. Bonau. illam potentiam datam magis, vt per illam præuiſum malum repararetur. Neque verò fuiſſet fruſtra, non ſuccedente peccato, quia non omnis potentia eſt fruſtra, quæ non reducitur ad actum, ſed ſolùm quando poſtulat reduci. Etiam Angeli, ne dum aliæ omnes hominum naturæ, habent eandem potentiam, imò omnes ſubſtantiæ, vt dixi *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *& ſequentibus*; nec tamen in eis facta eſt vnio hypoſtatica.

103 OBIICIES ſeptimò. Non minus inhabilis eſt homo ad merendum vitam æternam, quam ad ſatisfaciendum pro peccatis; ſed vt fieret pro eo ſatisfactio, neceſſe fuit, venire Filium Dei per Incarnationem: Ergo etiamſi non peccaſſet homo, debuit Verbum incarnari, vt nobis mereretur vitam æternam.

RESPONDET S. Bonau. negando maiorem; nam ad merendum ſufficit gratia, qua operans gratus fit Deo; at verò ad ſatisfactionem requiritur æqualis compenſatio honoris ablati, vel illati damnati; ideò hoc difficilius eſt; poterat enim habere gratiam per miſſionem inuiſibilem Spiritus Sancti, vel filij in mentem; ſic enim etiam Angelis data eſt gratia abſque filij vnione hypoſtatica, illis facta. Imò videtur hinc in ſententia D. Bonau. inferri datam eis eſſe gratiam, non ex Incarnatione: At ad ſatisfaciendum condignè pro infinitis offenſis requirebatur perſona Diuina.

OBIICIES octauò. Si Deus non veniſſet, per- 104
manente homine in ſtatu innocentiæ, ſequitur, ex peccato reportare commodum, quia tantum bonum ex peccato obtinuit.

RESPONDET D. Bonauent. negando ſequelam; 105
non enim peccatum influxit ad hoc nobis afferendum beneficium, ſed Diuina miſericordia, cum imò peccato prouocatus eſſet Deus contra nos, tamen quia *diues in miſericordia, propter nimiam ſuam charitatem miſit filium ſuum.* Ideò ſæpè Apoſtolus *ad Rom.* id recenſet: *Non ſicut delictum, ita & donum, &c.* Cætera vide in D. Bonau. à quo ediſces tantum Amatorem redamare; maximè *in ſtimulo diuini amoris,* vbi diuini ardoris ſcintillas hoc miſterium meditando eiaculatur.

QVÆSTIO II.

An venerit CHRISTVS *principaliùs ob peccatum originale.*

D. Bonauent. *diſt.* 19. quæſt. 1.
D. Thom. q. 1. art. 4.

CERTISSIMVM de fide eſt, Chriſtum pro om- 106
nibus peccatis noſtris mortuum, vt latè probat D. Bonau. *in* 3. *diſt.* 19. *quæſt.* 1. è Scripturis, Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Heb. 2. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*, id eſt, peccatorum; Lucæ 22. *Hic eſt calix noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Rom. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra.* Rom. 3. *Quem propoſuit Dominus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.* & Conc. Trident. *ſeſſ.* 5. *&* 6. *cap.* 2. idem ex ſcripturis definit.

CIRCA quæſtionem verò propoſitam difficile eſt aliquid definire.

MEDINA *in hoc articulo*, & Aluarez *hîc*, Valentia 107
puncto 6. dicunt, ſi fuiſſet tantum originale, venturum Chriſtum; ſimiliter, ſi tantum eſſent actualia in filiis Adæ. Si tamen pauci peccaſſent, vel ſi venialia tantùm eſſent, non veniſſet.

SVAREZ *diſp.* 5. *ſect.* 6. aſſerit, pro ſolis venialibus tollendis non venturum Chriſtum; ad originale verò ſolùm eluendum, ex vi decreti redemptionis, venturum; quod ſi ſola forent actualia, non autem originale, non eſſe venturum ex vi præſentis decreti; an verò aliud extaret decretum, neſcitur. Itidem ſi tota natura non eſſet lapſa, veriſimile eſſe, Chriſtum non venturum paſſibilem: Si verò maior pars hominum cecidiſſet, forſan veniſſet.

ASTVRICENSIS *relect.* 6. ait, Chriſtum venturum ob originale ſolum, non ob ſola actualia. Sic & Fol. *lib.* 2. *cap.* 14.

VASQVEZ *d.* 13. vult, Chriſtum ob ſolum origi- 108
nale venturum ex vi decreti prædeſtinationis Chriſti; at ſi ſola forent actualia, ſiue in multis, ſiue in omnibus, non venturum. Id ſenſit & Lugo *diſput.* 7. *ſect.* 5. aſſerens D. Gregorium *in cap.* 1. *Reg.* addens,

addens, esse Patrum sensum. Ità etiam Pesantius, qui tamen addit, si omnes fuissent à peccato originali præseruati, adhuc tamen Christum venturum.

109 PAVLVS Nazar. *quæst.* 1. *art.* 3. *controu. vnica* cæteris relatis, asserit, Christum ob solum originale non venturum, neque ob sola actualia, ex vi decreti iam existentis. An verò ex vi alterius decreti esset venturus, ait incertum esse. Tandem approbat dicta Medinæ.

MORANDVS *Tract.*1. *quæst.*5. ait, venisse principaliter ad tollendum originale, & venturum ex vi præsentis decreti, etiamsi solum originale fuisset, imò sola etiam actualia.

ALII apud Vasquez dicunt, Christum ob solum originale venturum, non verò ob actualia venalia. Pro mortalibus autem actualibus solis; si in reprobis solis essent, non venturum; ne frustra veniret; si in prædestinatis, iam venturum.

110 ALII verò asserunt, non existente originali, neque actualia futura, quia tunc tantùm electi nascerentur de facto. De possibili verò, si actualia peccata extenderentur per totum genus humanum, adhuc Christum venturum; si verò non omnes homines peccarent; neque Christus veniret.

MVLTA sanè diuinantes asseuerant prædicti Theologi. Vide etiam Tannerum *num.* 96. Lugum *sectione* 5. & Morandum *loco citato*.

111 QVID senserit D. Bonauent. ex illius dictis, veluti racemis, colligam. Primò quidem tenet, peccatum originale esse maius, ac magis satisfactione Christi indigens, propter quod nemo posset satisfacere, licèt pro suo actuali semipleuè posset, atque adeo originale esse principale, propter quod filius Dei venit. Ità *in* 3. *dist.*20. *quæst.*4. Ideò *dist.* 19. *quæst.*2. notat, dici *Coloss.*2. deletum à Christo chirographum in singulari, nempè decretum reatus originarij, licèt multa fuerint chirographa

112 actualium deleta, vt ait D.Bonauent. ibi adductus, & *dist.* 20. *quæst.* 1. *in corpore* assignat, peccatum originale principalius dilutum à Christo, & *in* 2. *dist.* 21. *quæst. vlt.* ait, peccatum Adæ extensiuè esse grauissimum. Confirmatur ex D. Bonauent. *in* 2. *distinct.* 32. vbi cum Apostolo passim Redemptorem cum Adam opponit. Deinde quia originale est radix omnium. Vnde *psal.* 50. dicitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, vt notat D. Bonau. *in* 2. *dist.* 33. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 1. & post eum Suarez *loco cit.* & id habet Caius Papa *epistola ad fœlicem*, & Leo Papa *epistola* 82. & 97.

RATIONE probatur à D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 20. *quæst.*4. & *aliis locis adductis*. Quia originale inficit totam naturam, non sic actuale, & est radix omnium. Itaque non in sola extensione superat actualia, sed in eò, quod est eorum radix, vt notat etiam D.Thomas, *in corpore*. Quare non erat necesse, vt Suarez id addendum assereret ad rationem D. Th. solidandam, quæ est etiam D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 21. *quæst. vlt. corpore*. 113

IN quæstione verò superiori vidimus, in sententia D. Bonauent. Christum non venturum, si peccatum non fuisset, quia hic est finis principalis. Cùm ergo originale sit principaliter intentum redemptionis, sequitur, eo solo succedente, futuram redemptionem; & eo non succedente, non futuram.

ASSERO primò. Solo peccato originali existente Christum venturum. 114

PROBATVR primò, quia *ex dictis præcedenti quæstione*, & ex notatis *hic*, occasio prædestinandi Christum, fuit Adæ peccatum: Ergo eo existente, factum fuisset decretum Incarnationis.

ASSERO secundò, Si non fuisset originale transfundendum in posteros, neque venturum Christum.

PROBATVR, quia Christus venit ex decreto ob originale, & actualia, à radice originaria exorta; at non existente originario, neque fuissent actualia ex eo deriuata: Ergo alia peccata fuissent, de quibus non fuit decretum. Ideò originale necessarium canit Ecclesia.

ASSERO tertiò, esto absque originali eadem actualia forent, non venturum ob illa Christum.

PROBATVR à Vasquez, quia decretum aduentus Christi. Firmatum est principaliter primò ob originale; & prædestinatio Christi stabilita est antequam esset decretum permittendi actualia. Et hinc deducit multò minus venturum propter actualia sola venialia. 115

OBIICIES. Christus ità dilexit singulos homines, vt pro singulis paratus esset mori. Hunc affectum expressit Christus in parabola illa de centesima oue perdita, & Apostolus Galat. 2. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, & idem videtur reuelatum S. Carpo apud S. Dionysium *epistola* 8.

RESPONDETVR, in parabola, ouem centesimam, & decimam drachmam, significare totam naturam humanam, vt latè probat S.Bonauent. in Commentario. Paulus verò exprimit affectum Christi, & charitatem, subordinatam tamen Diuinæ voluntati. Idem exprimit reuelatio S. Carpi. Vide Suarez. 116

DISPVTATIO QVINTA.

DE VNIONIS FACTÆ IN INCARNATIONE PHYSICA RATIONE FORMALI.

EXplicatis his, quæ ad existentiam, conuenientiam, & necessitatem Incarnationis conducere solent, reliquum est, vt demisso mentis obtuitu, tanti Mysterij quidditatem indagandam aggrediamur. Duo præ cæteris olim hæreticorum Sectæ huic arcano, lucidis fidei tenebris inuoluto, atras errorum fuligines offundere tentarunt, vnus vnitatem naturæ, alter dualitatem personæ CHRISTO affingebat: Hi sunt Eutiches, & Nestorius; sibi ambo hostes infensissimi, factioso ambitu Ecclesiam, mediam veritatis viam tenentem, infestarunt: Verùm licèt dudum suis armis ceciderint, eorumque argumenta, quibus & ipsi sunt iugulati, Patres inter orthodoxæ veritatis dogmata suspenderint, vti mos est, hostium reportata spolia templis appendere; ea tamen nonnunquam resumere necesse est, vti Goliæ Gladium, quem prius in victoriæ monumentum in Sanctuario deposuit Dauid, resumpserat; vt renascentium Hydrarum capita, assuetis armis aptiùs amputemus; neque enim defuêre hoc nostro sæculo, sectarum feracissimo, qui, vt infra indicabo, horrenda errorum sceleta, à tot annorum centuriis sepulta, speciosis quasi rationum fucis compingerent, & sic ea rudi populo, nouitatis auido, obtenderent: Eos velut à longè præsensisse diceres Doctorem Seraphicum; ea nimirum solertia solidissimas rationes, Patrumque authoritates exacuit, vt quisque illas ad manum contra emergentes hostes obiectandas haberet, quas vt debito Ego ordine deducam, Primam quæstionem instituam, num in Natura facta sit Verbi vnio; Secundam, num in Persona; Tertiam, num talis vnio compositionem extremorum propriè conciliauerit; Quartam, fueritnè vnio substantialis; Quintam, an fuerit aliquid productum; Sextam, vtrum fuerit vnionum maxima; Septimo denique loco, si sit singularis, subinquiram.

QVÆSTIO I.

Vtrum vnio VERBI *incarnati sit facta in natura.*

D. Bonauent. dist. 6. art. 2. quæst 1.
D. Thom. 3 p. q. 2. art. 1.

1 FVIT error Eutychetis, duas naturas, Humanam, & Diuinam, in Incarnatione, in vnam conflatas, atque adeo vnionem esse factam in natura. Enim verò non satis apud omnes exploratum est, quo pacto vnica natura resultarit apud hæreticum istum.

OBSERVAT autem D. Bonau. pluribus modis, vnicam naturam ex multis confici. Primò per transmutationem debilioris in prædominantem, sicuti cùm gutta aquæ vnitur dolio vini. Hoc pacto nonnullis Theologis visus est Eutyches aberrasse. At non fuisse hanc transmutationem ab Eutychete assertam, notat Castro *verb. Christus, hæresi* 4. & Vasquez *disp.* 14. *num.* 4. & colligitur ex Gelasio *in lib. de duabus naturis contra Eutychen, & Nestorium* circa medium. Extat autem hic Liber *Tomo* 5. *Bibliotheca sacra.* Idem colligitur ex Vigilio Papa *lib.* 3. *contra Eutychen,* qui est *in eodem Tomo,* & Nicephoro *lib.* 18. *historia, cap.* 45.

2 PRÆTEREA hæreticus iste concessit, Verbum incarnatum esse, atque adeo debuit etiam confiteri carnem mansisse vnitam; neque animatum remansisse negauit; hic enim fuit error antiquior Eunomij, vt refert D. Bonau. 3. *dist.* 2. *art.* 2 *quæst.* 2. & Apollinaris, qui dicebat, Deitatem, loco animæ, fuisse Christo. Fateor, Vigilium *lib.* 2. & Gelasium *loco cit.* & D. Augustinum, *lib. de hæresibus, cap.* 90. videri id adscribere Eutycheti.

3 SECVNDÒ potest fieri vnio in natura per plurium vnibilium alteratorum vnionem, & tertiæ naturæ productionem, vt Elementorum ad mixtum.

TERTIO modo vniuntur aliqua non permixta, nec mutata, ex quibus coniunctis vna natura coalescit, eò quòd sint entia imperfecta, & tanquam partes ad vnam naturam constituendam aptæ, & hoc modo vniuntur anima, & corpus ad vnam animalis naturam constituendam.

4 ET sanè altero ex his modis asseruit, factam vnionem in Incarnatione, & quidem hoc posteriori modo asseruisse, ait Gelasius, & accinit Vigilius, suprà relati: Nicephorus verò mixtionem nominat. Hunc hæresiarchã secuti sunt Dioscorus, vt testatur Liberatus Archidiaconus Carthaginensis *in suo Breuiario, cap.* 12. quod est *in secundo Tomo Conciliorum,* post Concilium Aurelianense. Is Ephesinam secundam Synodum congregauit, & in ea hæresim Eutychetis approbauit, & Flauianum Martyrio torsit, eò quòd authoritate S. Leonis Papæ Eutychetem condemnasset. Lege Nicephorum *l.* 15. *historiæ, c.* 8. *&* 30. & Gabriel. Prateolum *in Elencho hæresum, verbo Dioscorus.*

EVNDEM errorem secuti sunt Acephali, circa annum 494. vt testantur Prateolus, *verbo Acephali.* Postea in eodem errore fuit Petrus Gnapæus Episc. Antiochenus, vt scribit Nicephorus *lib.* 18. *historiæ, cap.* 45. vbi refert etiam Iacobum Syrum, quem imitati sunt asseclæ, dicti Iacobitæ, & *c.* 46. refert Ioannem Philoponum, qui dictus est Grammaticus.

5 HOC quoque miserrimo sæculo, quo Diræ omnes ab inferis sunt excitatæ, secuti sunt Mennon, Adam Pastoris, & Gaspar Suuenefeldius, vt testatur Lindanus *in dialogo secundo sui dubitantij.*

SCRIBIT & eruditissimus Echius, Zuinglianos *in Bernensi disputatione* mixtionem duarum naturarum in Christo admisisse. Tandem non pauci in Ægypto hæretici hoc tempore sunt, qui duas naturas in Christo concedere timent, ne duas, etiam personas cogantur admittere. Vide Tannerum *quæst.* 3. *ad.* 2. Lugum *d.* 9. Mærac. *d.* 10. Morand. *q.* 7. Suarez *disp.* 7.

ASSERO cum Ecclesia Catholica, in Christo esse 6
duas naturas distinctas, Humanam, & Diuinam.

PROBATVR à Concilio Hispalensi II. *cap.* 13. multis Scripturis id comprobante.

PLVRIMIS in locis Seraphicus id probat. Primò ad illud Ioan. 11. *Iesus infremuit spiritu, & turbauit semetipsum,* ex hac humana turbatione, & ex omnibus Scripturis, in quibus passiones humanæ naturæ asseruntur, efficacissimè ostendit in Christo humanam naturam, vt cùm esuriit *Matth.* 4. Quando dormiebat, *c.* 8. Quando contristatus est *cap.* 26. mortuus est *cap.* 27. Hoc argumentum D. Chrysost. *homil.* 62. *in Ioannem* acceptum refert. Cum autem Eutyches, & asseclæ fateantur ingenuè in Christo Diuinam naturam; sequitur, non esse factam vnionem in natura.

IDEM è Scripturis ostendit S. Bonau. *in* 3. *dist* 2. 7
art. 2. *q.* 1. ex illo Lucæ 24. *Palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet,* & *q.* 2. *ex Matth.* 26, *allato,* & ex Symbolo Athanasij. *Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne subsistens,* & Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis,* & aliis locis plurimis, vbi humanæ, & diuinæ actiones distinctæ asseruntur.

QVÆSTIONE etiam 3. idem probat ex Philip. 2. 8
Habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. Hæc sufficiant; aliis enim etiam locis S. Bonau. id egregiè ostendit.

IN definitum est etiam in Concilio Chalcedonensi, quod fuit Generale, & inter Concilia Græca insigne, vt notat D. Bonau. *in* 1. *dist.* 11. *dub.* 1. *l. cit.* cui tanquam Euangelio D. Gregorius credendum, ait.

PROBATVR deinde à Suarez *disp.* 7. *sect.* 2. Vasq. *num.* 26. ratione D. Bonau. *in corpore & l.* 4. *Compend. Theol. cap.* 8. Vel facta est hæc vnitas naturæ per alterius consumptionem, & transmutationem in alteram, & hoc fieret per transmutationem humanitatis in Deitatem; neque enim deitas consumi, aut in aliam naturam potest transmutari. Tunc consumpta humanitate, sequeretur, nec Diuinam naturam esse incarnatam, nec Christum in carne passum, nec peccata nostra in corpore suo tulisse super lignum, quæ omnia contra Scripturam sunt, neque Eutyches videtur ea concedere.

ADDE, cùm natura humana non extiterit priùs tempore, quàm vniretur Verbo, vt ostendam *disp.* 10. *quæst.* 1. iam non fuisset per assumptionem consumpta, sed potius nunquam fuisset in rerum natura, si in ipsa vnione esset facienda consumptio.

VEL hæc vnio naturarum facta est per mixtionem, 9
& hoc est falsum; nam neque natura Diuina corrumpi, aut alteratione in tertiam pertransire naturam valet; neque id in natura humana Christi fieri potuit; alioqui non esset secundùm eam nobis consubstantialis, sicuti non esset consubstantialis Patri, si id in natura Diuina esset factum, vt transiret in tertiam naturam, vt optimè infert Damascenus *lib. contra Acephalos.*

VEL facta est hæc vnio per compositionem, sicuti ex anima, & corpore fit vna natura animalis; & hoc neque potest fieri, quia ex natura, quæ est actus perfectissimus, non potest cum alia fieri vnum actu, vt docent Aristoteles, & philosophi; sed ex duabus imperfectis debet fieri,

10 MERITÒ igitur error Eutychetis damnatus est in Concilio Chalcedonensi *act.* 5. & statutum remansisse duas naturas integras inconfusas Christi. Idem definitum est in Concilio Ephesino 1. *act.* 1. & *collatione* 8. *can.* 8. & in sexta Synodo *actione* 11. 13. & 18. & in Conciliis, Lateranensi sub Martino I. *consult.* 5. *à can.* 4. vsque *ad* 9. Lateranensi sub Innocentio III. & habetur *extra de summa Trinitate, & fide Catholica.* Florentino *in litteris vnionis.* Toletano IV. VI. VIII. & XI. vt notat D. Bonauentura *dist.* 5. *quæst.* 1. Hispalensi II. *cap.* 13. vbi plura Scripturæ testimonia congeruntur ex D. Leone *epistola* 10. *ad Flauianum*, in qua videtur Eutycheti adscribere primum modum vnionis per transmutationem naturæ humanæ in diuinam.

11 CONTRA hunc errorem scripsêre etiam Gelasius Papa, Damascenus *lib. de natura composita*, & 3. *de fide, cap.* 3. & 5. Vigilius Martyr, Theodoretus *in Dialogo*, cui titulus *Inconfusus*, Boëtius *lib. de duabus naturis in Christo.* Fulgentius *lib.* 1. *ad Trasimundum.* Quin Euthymius 2. *part. Panoplia, tit.* 15. refert fragmentum Athanasij contra eos, qui dicebant, in Christo non esse duas naturas; quamvis enim post Athanasij tempora hic error ab Eutychete fuerit disseminatus; tamen aliqua semina ab Apollinari fuerant iacta, & aliqui potuerunt proclamari *Theopaschita*, idest ponentes vnam in Christo naturam, scilicet Diuinam passam pro nobis, & *Monophysita*, vnam Christo solam tribuentes naturam, quales postea appellati sunt aliqui Eutychetis sectatores.

12 HÆRESIS ista quibusdam authoritatibus contortis tantùm innitebatur.

OBIICIVNT primò è Symbolo Athanasij: *Sicut anima rationalis, & caro, vnus est homo, ita Deus & homo, vnus est Christus.* Hoc eodem exemplo vsi sunt Leo Papa *epistola* 11. Iustinianus *in confess. fidei, col.* 8. Augustinus *epist.* 3. *longè à medio*, & *Tract.* 78. *in Ioan.* & *serm.* 8. *de verbis Apostoli parum ab initio*, & Cyrillus *in Scholiis de Incarnatione, c.* 7. subsumunt hæretici: At anima rationalis, & caro vnam naturam constituunt: Ergo etiam Deus, & homo.

13 RESPONDET D. Bonauentura *in* 3. *dist.* 6. *quæst.* 2. *ad* 3. & *lib.* 4. *compend. Theologicæ veritatis, cap.* 8. Patres non comparare compositionem naturæ ex corpore, & anima, cum compositione suppositi ex Deitate, & Humanitate; sed compositionem suppositi ex anima, & corpore, cum compositione suppositi ex Deitate, & humanitate: Ita, sicut anima rationalis, & caro vnus sunt homo subsistens; ita & humanitas, & Deitas sunt vnum subsistens in Verbo. Hæc est expositio D. Leonis *loco cit.* & D. Augustini *epistola illa tertia suprà citata.* Huius verba referam, ex quibus aliud colligam: *Nam sicut in vnitate personæ anima vnitur corpori, vt homo sit: ita in vnitate personæ Deus vnitur homini, vt Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ, & corporis; In hac persona mixtura est Dei, & hominis.*

14 HINC habes quo sensu nomine mixturæ vtatur D. Augustinus, nempe, vt dicit plurium conuenientiam in vnum suppositum, & ideò admonet ante: *Si tamen recedas auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, vt neuter seruet integritatem suam, quanquam & in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur*: & post suprà relata verba subdit: *Si tamen non indignè ad ista mixtionis, vel mixturæ nomen admittitur propter consuetudinem corporalium rerum, longè aliter se habentium, aliterque notarum.*

15 EODEM sensu locutus est D. Cyrillus *lib. aduersus Anthropomorphitas*, vt explicat *cap.* 15. & 21. vbi eorum, qui mixtionem admittunt, opinionem vocat inscitiam nimiam, eodem sensu loquitur D. Gregorius Nazianzenus *oratione* 24. & 42.

OBIICIEBANT etiam verba quædam ex D. Cyrilli epistolis, recitatis in Concilio Chalcedonensi: *Non oportet igitur duas naturas, sed vnam naturam Verbi dicere incarnatam.* Quibus Eustatius Episcopus Beryti in Concilio Chalcedonensi *act.* 1. exclamauit pro Eutychete; sed PP. conclamarunt contra illum, & conuicerunt, hæc non asserere S. Cyrillum.

IMÒ ipse D. Cyrillus *epistola* 28. ab hac calumnia se expurgat, & ait: *Ego autem in tantum ab eis longè absum, vt insanire putem, qui hoc de me suspicati sunt.*

16 PRIMVS Eutyches id D. Cyrillo adscripsit. Refertur enim in Concilio Chalcedonensi, *actione prima*, fragmentum quoddam gestorum in Concilio Constantinopolitano primo; vbi habetur: *Presbyter Eutyches dixit: Ego legi scripta D. Cyrilli, & Sanctorum PP. & S. Athanasij, quoniam, ex duabus naturis, dixerunt ante adunationem; post adunationem verò, & incarnationem, iam non dixerunt duas naturas; sed vnam.* Contradixerunt autem illi Patres omnes, atque damnarunt.

VIDEAMVS igitur, quæ sint verba istorum PP. quibus Eutyches, & asseclæ errorem suum fouerunt.

17 CYRILLVS igitur *in priori libro de recta fide ad Reginas*, non longè ab initio, refert hæc verba ex Athanasio lib. de Incarnatione: *Confitemur etiam ipsum* (nempe Christum) *esse filium Dei, & Deum secundum spiritum; & filium hominis secundum carnem, non duas naturas vnum filium, vnam, quæ adoratur & vnam, quæ non adoratur; sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorabilem cum carne sua vna adoratione.* Ex his errorem suum eruere conati sunt.

18 D. THOMAS *ad* 1. respondet, exposita fuisse hæc verba à quinta Synodo Constantinopolitana, *collatione* 8. *can.* 8. his verbis: *Si quis vnam naturam Verbi incarnatam, non sic accipiat, sicut PP. docuerunt, quia ex Diuina natura, & humana vnione secundum subsistentiam facta; sed ex talibus vocibus naturam vnam, siue substantiam diuinitatis, & carnis Christi introducere conetur, anathema sit.*

OBIICIT Vasquez *num.* 41. Concilium non explicare *hîc* quo sensu à Patribus accipiatur.

19 IVSTINIANVS Imperator *in edicto fidei ad Ioannem II.* exponit, naturam Verbi significare personam. Eum verò alij sequuntur.

ENIM verò nullibi inuenitur nomen φύσις quod ibi est in Græco, aliud in Latino significare, quàm *naturam*; aut id *subsistentiam* exprimere, quod Græcè est ὑπόστασις.

OBSERVANDVM autem, non inueniri apud istos Patres negatū in Christo duas esse naturas absoluè, sicut hæretici assumunt; licèt *in Apologetico pro duodecim Anathematismis, in defensione octaua*, & *lib.* 1. *ad Reginas ad finem*, sit hæc propositio: *Non duas naturas, & vnum filium, vnam quæ adoratur, & vnam, quæ non adoratur*, vbi solùm infert, naturas in Christo ambas adorari Latriâ, quia non seorsim iacent, sed ambæ in vno supposito. Quod asserit etiam D. Athanas. *lib. de Incarnatione*, non longè à principio.

20 SOLA igitur affirmatiua in D. Cyrillo inuenitur; in Christo esse vnam Verbi naturam incarnatam, hæc legitur *epistola* 29. & 30. Similis reperitur in D. Athanasio *sermone super Euangelium de Virgine Deipara.*

Ex

Ex hac verò propositione potiùs colligitur, duas naturas esse in Christo, nempe Diuinam incarnatam, seu carni, seu humanitati vnitam, & ipsam humanitatem, vt ipse D. Cyrillus aduertit *epistola* 2.

21 Ioam hinc colligit Gelasius *lib. contra Eutychetem*, qui habetur *Tomo* 5. *Sacra Bibliotheca*; & Damascenus *contra Acephalos*, & *lib*.3. *de fide*, *cap*.11. Hoc verò ex ipsius Cyrilli verbis efficaciter infert, nam ipse se iustificat à calumnia hæreticorum, quia dixit, vnam naturam Verbi, non simpliciter, sed incarnatam. Quod si per naturam vnam, Verbi personam intellexisset, non opus erat eam iustificationem adducere, quia persona Verbi vnica est. Dum igitur addit *incarnatam*, exprimit naturam Diuinam Verbi, & carnem assumptam; & ideo declarat, se non vnicam naturam propriè asseruisse in Christo, dum naturam alteram incarnatam, seu vnitam carni; & carnem vnitam, illis verbis distinxit, vt exponit etiam Damascenus, qui *in dialect.cap*.65. vnam esse hypostasim ait.

22 Hoc mihi scrupulum ingerit. Quorsum enim vnam naturam Verbi incarnatam testari conatur? Nunquid suspicio irrepere poterat, plures naturas diuinas reperiri?

Respondet Vasquez *num*.58. rectè dici vnam naturam incarnatam, quia vna fuit sola carni vnita, nempe Diuina.

Hæc tamen responsio nullo pacto meam elucidat difficultatem, vt luce clarius patet. Mihi alia melior est responsio, nempe, naturam Diuinam dici vnam incarnatam, seu vnitam carni, quia substantialiter in persona, non autem multiplici effectu gratiarum, quasi vinculis accidentalibus, vt latrabat Nestorius, erat vnita, contra quem sanè disputauerat sæpiùs; & ideò cautiones vbique apponebat.

23 Vel dic, vnam assertam naturam Verbi, quasi diceret, naturam Diuinam incarnatam, non prout est in omnibus personis, sed vt in solo Verbo, vt eos redargueret, qui commixtionem naturæ Diuinæ in tota sancta Trinitate cum natura humana asserebant, quos ipse D. Cyrillus *cap*.21. *aduersus Antropormophitas* redarguit.

QVÆSTIO II.

Vtrum vnio duarum in CHRISTO *naturarum sit facta in persona.*

D.Bonau.loco cit.
D.Tom. art.2.

24 Secvndvs error in hoc fuit oblatrantium, non esse vnam personam, Christum Deum, & hominem. Ita docuerunt antiquitus Cherintus, Ebion, & alij, quos referunt Vasquez *disp*.15.*cap*.1. Suarez *disp*.2. *sect*.3. Hunc verò inter alios disseminauit Nestorius, tempore Theodosij iunioris, vt constat ex Concilio Ephesino I. & Sanctis PP. ac Theologis, præcipuè allegatis, qui alios referunt.

25 D.Philastrivs Episcopus Brixiensis refert Carpocratem, Cherintum, & Ebionem, tempore Apostolorum, huius esse pestis hæresiarchas. Eodem ordine eos refert Tertullianus *lib. de præscriptionibus*, vt primò Carpocrates, cui successit Cherintus, & huic Ebion, qui fuere de schola Simonis Magi, vt scribunt Eusebius *lib*.2. *hist. cap*.27. & 28. & Theodoretus *lib*. 2. *hæreticarum fabularum*, *initio*. Nicephorus verò *lib*.3. *hist. cap*.14. refert, Cherintum fuisse tempore Euangelistæ Ioannis, qui cum obuium in balneo eum habuisset: *Recedamus*, exclamauit, *ne moles corruat, & nos cum Cherinto opprimat*. Refertur in vita D. Ioan. à Rebadin.

26 Qvare non erat, cur Alphonsus Castro miraretur, D.Ambrosium *in lib.de Incarnationis Dominicæ Sacramento*, *cap*.6. parum à principio, antequam Nestorius hæresim istam disseminaret, de ea mentionem habuisse. Nestorius enim non fuit primus hæresiarcha, sed tamen celebertimus e plagis Ecclesiæ Inflictis; fuit enim, vt D. Cyrillus clamat, serpentis Tartarei lingua: *Linguam enim adeptus Nestorius temerariam, seditionibus Ecclesias impleuit*, ait D.Cyrillus.

27 Iacobvs Schmidelinus Vbiquista Lutheranus contra tertium librum Valentiæ de Vbiquitaria controuersia *pag*.38.& 39. attrita fronte audet negare, hunc fuisse Nestorij errorem, qui ex eius scriptis non habeatur.

Respondetvr tamen, scripta Nestorij esse flammis iure, ac meritò tradita ab Imperatoribus, Valentiniano, & Theodosio, postulante Synodo prima Ephesina *in Epistola de Nestorij depositione*. Enim verò Canones Synodi illius, & quintæ Synodi Generalis *can*.4. id testantur, & inter Patres, D. Cyrillus Alexand. qui Nestorij scripta coram confutauit. Id verò testatur *epistola* 29. & 30. & *tom*.2. *operum in Nestorij quaternionibus*, præcipuè in 2. vt refert Valentia *disput*.1. *quæst*.2. *puncto* 2. Huic errori arridet Lutherus *concione Natalis Domini*. Calvinus *lib*.1. *Instit.cap*.13. *sect*.9.23. & 24. Brentius *lib. de maiestate hominis Christi*. Seruetus *in suis libris de Trinitate*, ac Beza *cont. Brentium*.

28 Alii verò hæretici concesserunt vnam in Christo personam, sed duo supposita apponebant; hos relatos à D.Thoma *hic*, & 4. *cont. Gent. cap*.38. & ab aliis Scholasticis *in* 3. *dist*. 6. *quæst*.1. recenset Vasquez *disp*.15. *cap*.2. & Suarez *disp*.7. *sect*.3. Id aliqui existimant dixisse Nestorium, qui, vt errorem suum palliaret, vnam personam Christi asseruit, quatenus nomen personæ est dignitatis, & Christum dignitate quadam donorum, & gratiæ vnitum personæ Verbi dicebat; sed substantialiter duo supposita, humanum, & diuinum, diuidebat. Alij etiam huius erroris accusantur à Suarez, & Vasquez *loco cit*. & Bellarmino *de Christo*, *lib*.3. *cap*.5. & Bonerio *exam*.1. *Ath*.13.

29 Adverte, Seraphicum *dist*.6. *quæst*.1. referre aliquos dixisse, in Christo esse duo supposita, & vnam personam, eos tamen hæreticos ait non fuisse; at quidem aberrasse.

Et quidem si duo supposita intellexissent duas perfectas subsistentias, sanè etiam duas personas cogerentur asserere; nam Persona est indiuiduæ naturæ subsistentia; & ita Nestorianæ labis non fugerent sordes; at verò isti acceperunt Supposita pro diuersis rebus naturæ, quatenus generibus subiiciuntur, vt sunt *v.g.* color, qui est accidens, & corpus, quod est substantia. Cùm igitur in Christo sit Deitas, & humanitas, sunt duæ res, & diuersæ naturæ, ratione quarum Christus, dicitur duo Supposita.

30 Enim verò aberrant; non enim res numerantur ad numerum diuersorum entium, subiectorum diuersis generibus, sed secundùm numerum suppositorum in sustentando. Sic Petrus cùm sua musica non sunt duo, ita vt musicus aliud suppositum sit,

& alind Petrus; licèt Petrus, & musica sint duo genere distincta realiter; quia illa, quorum vnum de altero prædicatur, non numerantur inuicem, quamvis formaliter distinguantur. Sic dicitur: Petrus est musicus.

Ita igitur in Christo, licèt sint plures naturæ, & res naturæ, idest, plures entitates, habentes naturam etiam diuersorum generum; imò in ipso est natura humana sub genere, & Diuina extra genera; attamen non potest dici Christus esse duo, quia vna est persona, & vnum verum suppositum, à quo numerantur substantiæ perfectæ; etenim impropriè dicuntur supposita diuersæ naturæ, eò quòd diuersis supponantur generibus, & apud
31 Philosophos, aut Theologos nouum esset dicere, duo accidentia genere distincta, puta relationem, & qualitatem, esse duo supposita.

Ex quo patet, Vasquez, & Suarez malè hæresis accusare eos, quos S. Bonau. *hic* excusat. Sunt enim tantum falsitatis redarguti, nescientes, quæ sit vera ratio Suppositi; neque vllo modo sunt cum Nestorianis recensendi.

Assero, Christum esse vnicam personam, ad quam terminata est vnio Incarnationis.

32 Probatur à S. Bonau. primò Scripturis, quibus Christus de se loquens, tanquam de homine, asseruit, se esse Deum, vt *Ioan.*8. interrogatus: *Tu quis es.* Respondit: *Principium, qui & loquor vobis*; est autem pronomen *Ego* demonstratiuum personæ: Ergo vna est persona Diuina, quæ dicitur *Principium*, & humana, quæ loquitur ibi: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Cap.10. *Ego, & Pater vnum sumus.* Cap.14. *Creditis in Deum, & in me credite.*

Similes Scripturas passim vrget, quibus vtitur Valentia *disput.*1. *quæst.*2. *puncto* 1. Vasquez *disp.*15.*cap.*4. Bouer. *loco cit.* *Matth.*3. vox è cœlo intonuit: *Hic est filius meus dilectus, &c.* qua Pater hominem illum filium suum testatur, vt notat D. Bonau. *in expositione Missæ.*

33 Illustris est locus Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui*, ex quo testimonio elicitur argumentum, non dialecticum tantùm, seu probabile, sed apodicticum, idest, faciens scire, ad ostendendum, personam vnam ex tribus Diuinis esse Christum, vt notat D. Bonau. *in Diata, tit.*8. *cap.*5.

Præclarum est illud etiam *Ioan.*1. vbi dicitur: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*, & subditur: *Et Verbum caro factum est*; hoc enim non potest dici factum per solam gratiam habitualem; non enim diceretur, Verbum per eam factum caro, aut homo: Sicut non dicitur Spiritus sanctus fieri homo, licèt per gratiam inhabitet in nobis. Id expressit consultò Euangelista, nomine Verbi illius, quod prius dicitur Deus, & per ipsum omnia facta, vt eandem personam astrueret, vt latè prosequitur S.Bonau. *in Commentario D.Ioannis.*

Ioannis 8. conclamantibus Iudæis: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*
34 Respondit: *Antequam Abraham fieret, Ego sum.* Vbi ait: *Ego sum*, non autem: *Ego fui*, vt ostenderet, se hominem loquentem esse filium Abrahæ secundùm carnem in tempore, vt dicitur *Matth.*1. esse Deum immutabilem, qui tempore non mensuratur, qui *Exodi* 3. dixerat: *Ego sum qui sum*, vt notat ibi D. Bonau. *in Commentario*, vbi obseruat, sæpè hominem illum, se acclamare Deum. Propterea Iudæi voluerunt eum lapidare, quod etiam *cap.*10. magis explicatur, vbi dicentem Iesum, *Ego & Pater vnum sumus*, voluerunt lapidibus opprimere, vt ritè aduertit S.Bonau. ad ea loca.

Insigne est illud etiam Apostoli, Rom.9. 35
Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Ibi Apostolus asserit, eundem Christum secundùm carnem, fuisse Deum in sæculá benedictum, atque ita fuisse necessarium ad redemptionem perfectissimam, vt probat S. Bonau. *quarta parte Breuiloquij, cap.*5. Phil.2. *Qui cum in forma Dei, &c.*

Idem ostendi *prima parte, tract.*2.*disp.*1. contra Iudæos, nempe, Iesum esse Filium Dei ex veteri Testamento. De his vide etiam Galatinum *de arcanis fidei, lib.*3. Burgensem *in scrutinio Scripturæ.* Lyram *contra Iudæos.* Et ea, quæ dixi *hic, d.*1.*q.*1. & *prima parte, tract.* 1.*disput.hic cit.*

Præclarè hoc astruunt præcipuè Gregorius 36
Neocæsar. apud Euthym. *in Panoplia p.*2. *tit.*5. *orat. de fide.* Athanas. *in Symb.* Nazianz. *orat.*31. Chrysost. *in Marcum, homil.*1. Procelles Episcopus *ad Armenos.* Cyril. Alex. *epist. ad Nestorium*, recepta in Synodo generali Ephesina: His adde Concilium Chalcedonense.

E Latinis D. Hieronym. *ad Hedib. epist.* 150. *quæst.*9. August. *in Enchir. cap.*33. Leo Magnus *serm.*1. *de Natiuit.* Fulgentius *ad Trasim. lib.* 1. *cap.* 7. Boëtius *de vna in Christo persona*, Concil. Tolet. I. *in assert. fidei.* Hispalense II. *cap.* 13. Tolet. IV. *cap.*1. Tolet. VI. *cap.*1. Arelat. IV. *in confess.* Vuormat. *in confess.* Lateranense *cap.*1. Imò Symb. Apost. *Credo in Iesum Christum, filium eius vnicum, Dominum nostrum.* Ad quod accinunt Symbola, Nicenum, & Constantinopol. & Athanasij, confitentia vnum Filium Dei Dominum Iesum, non plures.

Hæreticorum iamdiu argumenta sub ruinis 37
iacent attrita.

QVÆSTIO III.

An Christus sit compositus.

D.Bonau.dist.6.a.2.
D.Thom. q.2 art.4.

Antiqviores Theologi cautè gradientes, 38
nè ex dogmaticis verbis hæretici insimulandæ fidei ansam arriperent; perspicientes, compositionis nomen imperfectum resonare, non sunt ausi compositionem in Christi Persona concedere. Ideò latiori tantum sensu id admisere. Ita D. Bonau. refert, idemque cum illis asserit, quem sequuntur Richardus *eadem dist.*6. *art* 1.*quæst.*3. Scotus *quæst. vltima*, Durandus *quæst.*3. Gabriel *quæst.*1. *art.*3. Almainus *quæst.*1. D.Thom. *quæst.*1.*art.*3. *eiusdem dist.* Marsil. *in* 3. *quæst.*6. *art.*3. *dub.* 3. Caietanus 3. *parte, quæst.* 1. *art.*4. *ad tertium dubium.* Fauentinus *in* 3. *disput.*16. qui ex aduersariis obseruat, hanc esse communem antiquorum sententiam cum Alberto 3. *dist.* 6. *art.* 6. Alensi 3. *parte, quæst.*6. *membro* 2. *art.*5. & D. Bonauentura; quod ingenuè fatetur Vasquez *num.*5. *d.*16. Eandem sequuntur (vt ipse fatetur) plurimi recentiores, Petrus Bergomas in sua tabula aurea *dub. vltim.* Rada *controu.*3. *art.*3. Valentia *disp.*1.*quæst.*2. *puncto* 4. vbi addit, quæstionem esse de nomine.

Idem ait Mastrius *disp.*1. *quæst.*2. *num.*45. cum 39
Belluto *disp.*2. *quæst.* 1. Vulpes autem erroris incusat

cusat compositionis assertores *disp.11. art.2.* Bouetius autem *demonstr.1. in Ind. art.5.* solidam acclamat D. Bonauenturæ sententiam; idem asserit *exam.1. Ath.13.*

At moderni permulti absolutè affirmandum clamant, personam Christi esse compositam. Ita Suarez *disp.7. sect.4.* & *disp.8. sect.1.* Vasquez *loco cit. cap.2.* vbi oppositam sententiam summopere sibi displicere fatetur; hancquippe ab Ecclesia, ait iam esse definitam.

Eandem astruunt Medina *ad hunc art. D. Thomæ*, Nazarius *controu. vnica*, Asturicensis *in relect. de Christi gratia, quæst.7.* qui tamen ad eminentem modum compositionis extra regulas, hanc cum Caietano reducit. Idem habent Aluarez *disp.12.* Nazarius *art. cit.* Morandus *quæst.8.* Lugo *disp.10. sect.3.* Caspensis, Mæracensis, & Tannerus *disp.3. dub.3.* Fuliens. *lib.2. cap.11. resol.5.*

40 Fundamentum est D. Bonauent. *in corpore.* Ea, quæ intrinsecè dicunt imperfectionem, nullo modo sunt Deo concedenda. Quod si imperfectio non sit naturæ illi intrinseca, sed separabilis, iam poterit ea res Deo attribui, seclusa imperfectione, quia adhuc natura illa manet. Iam verò compositio pensitanda est, an includat intrinsecam imperfectionem. Et quidem omissis aliis compositionibus, ea, quæ est ex natura, & subsistentia, talis est intrinsecè, vt subsistentia adueniat naturæ, tanquam actus potentiæ, eam perficiens; vt notat D. Bonau. *fundamento 3.* quod de omni compositione verum est; nam in compositione ex partibus integralibus
41 altera alteram perficit: In compositione Physica ex materia, & forma idem luce clarius est manifestum, sic etiam euenit in Metaphysica ex genere, & differentia. Idem in compositione ex esse, & essentia, si daretur. Et sanè hanc compositionem ex natura, & subsistentia imperfectione aliqua scatere, latiùs probat Suarez *disp.34. sect.4. num.18. & 24.* vult enim, subsistentiam aduenire naturæ, tanquam actum potentiæ; & ita personam creatam componi ex natura, tanquam è potentiali parte; & personali, tanquam è perficiente actu.

42 Hanc verò conditionem gratis negat requiri in compositione Vasquez *num.29.* dicens, satis esse ad compositionem, plura concurrere ad vnius constitutionem, quod pariter falsò docet Lugo *num.3.* Et de natura, & subsistentia Nazarius §. *Nunc de secunda, littera B.* Esto enim subsistentia sit aliquid naturæ, seu complementum illius, & terminus (quod Nazario non negauerim;) attamen non est terminus naturæ in ratione naturæ, neque intrinsecum eius complementum; alioqui Verbum imperfectam naturam humanam assumpsisset, quia non assumpsit suppositum humanum; neque posset suppositum à natura separari, quod esse falsum patet in Christo. Est ergo terminus, & complementum eius, sicut actus distinctus adueniens potentiæ; atque adeò compositionem faciens scatentem imperfectione.

43 Quæ cùm ita sint; illud alta mente reponendum, quod vbique clamat Vasquez, præcipuè *prima primæ, disp.87. & 88.* naturas rerum non esse nostro marte componendas, vt eas nobis liceat ad Deum transferre; sed iuxta philosophantium, atque earum rerum peritiam callentium definitiones astruendas; alioqui nihil inde nobis integrum remanebit definiendum, sed omnia ad libitum poterit quisque asserere, & negare. Cùm igitur compositio ex natura sua includat intrinsecè imperfectionem, non est, absque aliqua limitatione, personæ Filij Dei adscribenda.

Quoniam verò id definitum fuisse ab Ecclesia 44
clamat, quod penitùs negant Asturicensis, Nazarius, & reliqui ferè omnes. Oportet sanè virum Theologum non modò res, vt se habent, asserere; sed etiam modum loquendi Patrum, & Conciliorum retinere, vt ait Vasquez post D. Bonau. *dist.6. ad vltimum quæst.3.*

Vt autem modus Conciliorum, & Patrum percipiatur, necesse est scrutari, quid negotij tunc agerent, quidvè intenderent: Modò Concilia, quæ congerit, & Patrum acies, quam instruit Vasquez, agebant contra hæreticos, qui vel duas in Christo personas distinguebant, vel naturas confundebant; propriam verò in persona Christi compositionem definire nunquam eorum irrepsit mentibus. Profectò Theologi antiqui id vidissent.

Hanc autem extitisse mentem Conciliorum, 45
satis apertè ostenditur verbis Concilij Lateranensis I. *consultatione 4. can.4.* vbi sententiam sic refert hæreticorum: *Sed non confitentur, sicut S. Patres docuerunt, vnitatem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali, & intellectuali secundùm compositionem, idest secundùm subsistentiam factam.*

Quibus verbis declarat Concilium, se nomine compositionis vnitatem intelligere subsistentiæ, quia nimirum duæ naturæ in vna duntaxat persona subsistunt. Hanc enim explicationem significat illa particula, *idest*, vt pondetat Nazarius §. *Tres verò, littera A.* Hinc verò sequitur, non 46
esse hanc asserendam ad apices compositionem sed explicatione præuia, idest, modo suprà dicto. Hi sunt apices, quos omnium confessione proponit Concilium Lateranense, quod vrgetur à Vasquez *num.13.* nempè, vt vnum Christum confiteamur eatenus compositum, quatenus in duabus naturis vnum, non autem plures Christos; apices enim confiteri, est verba ad mentem Conciliorum proferre, non autem extra chorum. Idem enim volunt Concilia fieri in Christo compositionem, & fieri vnionem in hypostasi, vt de quinta Synodo, quæ est Constantinopolitana II. fateri cogitur Vasquez *num.7.* Et idem asseritur eodem sensu in Synodo sexta Constantinopolitana. Eadem assertio approbatur etiam in epistola Sophronij, quæ habetur *actione 11.* & approbatur *actione 13. cap.6.*

Addo ex Vasquez *disp.36. cap.3.* apices indici 47
quoad ea, quæ contra hæreticos definita sunt, non quoad omnia, vt ipse Vasquez praxi edocet, vt videbimus *disp.9. quæst.2. ad primum.*

Id verò, quod acrius vrget Vasquez ex Petro Diacono *lib. de Incarnatione, & gratia Christi, cap.3.* adeò nobis fauet, vt summopere mirer. Refert ille, Paulum Samosatenum damnatum fuisse in Concilio Antiocheno à Malchione, Presbytero illius Ecclesiæ eruditissimo, & à reliquis, qui contra illum conuenerant, quod nollet in Christo compositionem concedere. Refert autem ex Malchione, hæc verba: *Ex simplicibus fit certè compositum, sicut in Christo Iesu, qui ex Deo Verbo, & humano corpore, quod est ex semine David, vnus factus est.* Et infrà: *Tu verò videris mihi, secundùm hoc, nolle compositionem fateri, vt non substantia sit in eo Filius Dei, sed sapientia secundum participationem.*

Primo oportet inspicere, qui fuerit error 48
Samosateni, vt videamus, cur damnatus fuerit.

Fuit

Fvit autem illius error asserere, vnionem humanitatis, & diuinitatis in Christo, non in vnitate personæ substantialiter factam, sed secundùm habitudinem, & affectum dumtaxat, ita vt in eo essent duæ personæ; Altera hominis; Altera Dei. Ità referunt Castro *libro aduersus hæreses*, *verbo Christus*, *hæresi* 1. Prateolus, *verbo Paulus Samosatenus*. Nicephorus *lib.6.hist. cap.*17. Augustinus *lib. de hæresibus*, *hæresi* 44. Epiphanius *hæresi* 65. & fatetur Vasquez 3. *parte*, *disput.* 15. *num.*10. & profectò ipsa huius hæretici damnatio luce clarius id demonstrat.

49 Igitvr Malchio vtitur compositionis nomine sub hac sola ratione, quatenus statuit vnam personam, ex duabus naturis subsistentem; de reliquo vtitur nomine isto per similitudinem, vt patet in prioribus verbis ex particula *sicut*, vbi aduerto, non dixisse, *Fieri Christum vnum compositum*, sed *fieri Christum vnum ad analogiam quandam compositorum substantialium*, in quo stat similitudo, quod in vtrisque fit vnum substantiale. Et hoc est, quod negat Samosatenus.

Deinde obsecro audiat Vasquez posteriora verba, vbi compositionem in hoc malè negari definitur, *quod Christus non sit vnus substantialiter, sed sola accidentali participatione.*

50 Eodem pacto loquuntur Sancti PP. è quibus nullus cum Vasquez, ait, Christi personam esse compositam, sed ineffabiliter, vt S.Dionys. *cap.*1. *de diu. nom.* & *de Eccl. Hier. cap.*3. *p.*3. Gregor. *homilia* 38. *in Euang.* Damasc. 3. *de fid.cap.*11.& 17. Petr. Diac. *de Incarnat. cap.*1. inferentes, hanc esse compositionem extra regulas compositionis domesticæ, vt monent Bouer. & cæteri cum PP.

Ht contra errorem perantiquum, quem renouauit Nestorius, id vnum vrgebant, Deum esse vnam personam, ex duabus naturis consistentem, quæ particula hoc modo explicita, non indicat propriam compositionem. Ideò Suarex *sect.*4. cum D. Thom. ait, asserendam compositionem addito, quatenus plures in vno stant.

Simili ratione D. Thomas loquitur, vt benè aduertunt Nazarius, & cæteri fideliores eius interpretes; imò etiam Fauentinus *num.*7. qui coactus est, seipso euidens, idem admittere; & meritò sane, quia cum explosæ sint iam illæ hæreses, timendum est, ne compositio physica Christo adscribatur.

51 Assero primò, non esse absolutè dicendum, personam Christi esse compositam, sed addendam explicationem.

Probatvr à D. Bonauent. primò. Omne compositum compositione temporali, est temporale; sed persona Christi est æterna, non temporalis: Ergo.

Respondent, personam Christi esse æternam in se; sed compositam in tempore, quia in tempore fuit vnita.

Hæc tamen responsio non penetrat vim argumenti, quia de ratione compositi est, vt eius esse causetur à componentibus, vt fatetur Nazarius *in Resolutione*, post Caietanum, & alios. Si igitur persona Christi est physicè composita in tempore: Ergo eius Esse physicum est causatum in tempore. Maior probatur in omni compositione, siue in partibus quantitatiuis, siue ex materia & forma, siue ex natura, & supposito, siue ex genere, & differentia, siue ex essentia, & existentia, siue ex subiecto, & accidente.

Neqve dicas, compositionem ex natura, & supposito, non requirere talem imperfectionem, quia suppositum æternum potest incipere esse sub natura creata, sicuti erat sub increata, absque acquisitione noui esse. 52

Hoc sanè est petere principium, recurrendo ad id, de quo est quæstio, pro responsione.

Probatvr secundò à D.Bonau. Omne compositum fit per mutationem eius; sed per te hoc compositum factum est: Ergo per mutationem ipsius compositi, quod est suppositum; non enim erat priùs compositum, & postea factum est. Maior patet in omni genere compositionis naturaliter notæ. Hoc argumento nititur Faber infrà *citando loco*.

Responsvm Suarez eludit Lugo: Concedit ille, mutatam esse personam, sed secundùm quid.

Probatvr tertiò à D. Bonau. ratione efficacissima, quam Scoto adsenbit Faber *cap.*2. De ratione vnionis, quæ dicitur compositio, est, quod vnum sit actus; alterum potentia. Vnum perficiens, & alterum perfectibile, siue inter se, siue respectu tertij. Exemplum primi, est materia, & forma respectu compositi. Exemplum secundi, sunt elementa in compositione mixti, & vniuersaliter partes, aliquod totum integrantes; Sed sic est, quod in persona Christi nihil est, quod habeat rationem potentiæ, & actus, vel perfectibilis, & perfectiui: Ergo persona Christi non est composita; neque, vt est terminus vnionis illius, est quid compositum. Minor probatur, quia in persona Christi est suppositum Diuinum, & natura humana; sed persona Diuina non potest esse actus, & perfectiuum naturæ humanæ, quia hoc dicit imperfectionem in persona Diuina; nam sic, persona Diuina esset quid incompletum, quia deficeret ei potentiale, quocum esset habitura perfectius esse; actus enim perfectiuus habet perfectius esse, quando actu perficit, quàm quando est in potentia ad perficiendum, quia quando actu perficit, appetitus eius satiatus est; non sic quando est in potentia ad perficiendum. 53

Deniqve magna imperfectio est, esse actum ordinatum, vt formam perfectiuam, ad faciendum vnum per se completum cum alio, vt fatentur omnes: Talis autem est compositio ex natura, & supposito, vt probat ipsemet Suarez suprà allegatus *fundamento primo*. Quamvis autem alias differentias assignet inter compositionem huiusmodi naturalem, & hanc supernaturalem; attamen in hoc constituit eas símiles, quod sicut suppositum creatum perficit naturaliter naturam; ita & suppositum Diuinum perficit naturam humanam. 54

Esse autem magnam imperfectionem in Deo gerere vicem actus formalis, nullus negat; quia ens infinitum, cùm sit summè perfectum independens, fieret dependens; & ens abstractum; & quod est purus actus, fieret actus secundùm quid naturæ finitæ. 55

Neqve satisfit inconuenienti à quibusdam, dicentibus, personam Diuinam habere quidem rationem actus; sed non inhærete, vt notat Vasquez *num.* 29. adhuc enim multis scateret imperfectionibus, vt suprà ostendi.

Itaqve Vasquez videns, se vndique vallatum, negat hanc conditionem in compositione hac interuenire.

Enim verò illam in fundamentis comprobaui.

Adoit Valentia idem, negans, hanc compositionem esse ad instar numerorum, quæ imperfectionem 56

nem non affert, vt patet in Trinitate. Sic & Lugo *num.* 3. cum D.Thom. *ad* 2.

CONTRA, quia cum hic interueniat coniunctio substantialis non est numerorum, quod tandem concedit Valentia, appellans eam ineffabilem. At vero Lugo *num.* 7. ait, totum dubium esse de modo dicendi.

PROBATVR quartò à D.Bonau. nullum compositum prædicatur de aliquo extremorum, vel extremum vnum de altero: Sed Christus prædicatur de extremis, & vnum etiam extremum de altero. Maior probatur exemplis: non enim dicitur: homo est anima, aut caro; vel è contra, aut caro est anima. Minor patet, rectè enim dicitur: Christus homo, & è contra, siue sumas Christum, vt personam compositam, siue vt præcisum suppositum, seu extremum. Imò conceditur etiam hæc propositio: Christus est Diuinitas, & Humanitas, circa quem modum loquendi multa disserunt Medina *ad* 2. Valentia *puncto* 4. Vasquez *cap.* 5. Nazarius *in calce controuersia.*

57 FVIT autem in Concilio Constantiensi *sess.* 12. & post *sess.* 35. damnata hæc Ioannis Huss. Bohemi propositio in ordinatione quarta inter damnatas: *Duæ naturæ, diuinitas, & humanitas, sunt vnus Christus.* Fuit autem hæreticus hic assecla Vuiclephi, qui sic loquebatur, vt refert Thomas Vualdensis, Tom. 1. lib. 1. art. 3. cap. 39. *In ordine Christus est tres naturæ incommunicantes, scilicet* Deitas, Corpus, *&* Anima, *& earum qualibet.* Hæc propositio habetur in Vuiclepho *lib. de Incarnatione, cap.* 10. Quare inferebat, Christum esse suam humanitatem, & diuinitatem coniunctim, & diuisim.

58 PROBAT autem suum errorem, testimonio D. Augustini *tract.* 47. *in Ioannem*, *tom* 9. vbi ait: *Si caro animam posuit, quomodo Christus posuit? numquid caro Christus? Ita planè, & caro Christus, & anima Christus, & Verbum Christus.* Sic autem intelligebat Augustinum, vt neque per Synecdochem esset intelligendus, qua pars pro toto poneretur.

59 HOC igitur sensu, diuisim sumpta prædicatione, falsa est, & damnata, quia asserit, Christum tripartitum; alioqui verò illa propositio, sumpta coniunctim, est ab antiquis Sanctis PP. vsitata, vt notat Vualdensis *Tom.* 1. *doctrinalis fidei antiquæ, lib.* 1. *art* 3. *cap.* 42. & sanè multi Patres eam vsurpant, Christum scilicet esse hæc omnia, sumpto Christo, non materialiter pro supposito Verbi diuini in se, sed formaliter, vt est Deus, & homo (hac enim solâ ratione Christus est quid compositum.) Neque enim posset subsistere propositio, etiam copulatim sumpta: *Verbum Diuinum in se, est humana, & Diuina natura*; nam ratione humanæ naturæ distinguitur à Verbo realiter.

60 TESTIMONIVM autem D. Augustini, à Vuiclepho adductum, si integrum afferatur, nil hæretico fauet, vt ponderat D. Bonauent. *ad* 10. *cap. Ioannis*, ait enim S. August. quærens, qua ratione verum sit, quod ait Christus: *Ego pono animam meam. Quis ponit animam, & quam ponit? Et si caro ponit animam, quomodo Christus ponit animam?* Respondet: *& caro Christus, & anima Christus, & Verbum Christus: Nec tamen tria hæc tres Christi, sed vnus est Christus. Animam enim ponit caro, sed ex potestate Verbi: & sumit eam caro, sed ex potestate Verbi.*

61 HINC patet luce clarius, S. Augustinum non admittere hanc propositionem diuisim, sed coniunctim; dicere verò distinctè: *Caro, Christus &c.* hoc sensu potest sumi Christus, & ratione naturæ humanæ; quam carnem vocat, sicut Ioan. prima, dicitur *Verbum caro factum est.* Addit *& anima Christus*, pars licet sit Christi, quæ ponenda est in separatione à carne, & Verbum, & Christus, quia est suppositum, nec tamen tres Christi, sed vnus, qui secundùm suppositum, indicatum particulâ *Ego*, ponit animam, dans carnem laniené; animam separationi. Hæretici verò ex more detruncata sanctorum afferunt testimonia.

62 IGITVR concedi potest absque scrupulo hæc propositio coniunctim, quam admittunt SS. Leo *epistola* 11. Hilarius *lib.* 9. *de Trinitate*, Augustinus *lib.* 1. *de Trinitate, cap.* 7. & *tract.* 78. *in Ioannem*, relatus à D. Bonauent. *ad cap.* 14. *Ioan.* vbi sic ait: *Agnoscamus geminam substantiam Christi: diuinam scilicet, quâ æqualis est Patri: humanam, quâ maior est Pater. Vtrumque autem simul, non duo, sed vnus est Christus.* Est autem bona prædicatio compositi de omnibus partibus simul, a quibus non distinguitur; nam scire vellem seiunctis partibus omnibus simul, quid aliud habetur de composito? At verò à partibus seorsim distinguitur.

QVARE infirmum est Scoti, & Fabri argumentum pro nostra assertione: Omne compositum est tertium quid à partibus componentibus; sed ex personalitate, & natura humana non fit vnum tertium: Ergo non fit compositum.

63 RESPONDEBITVR enim, negando Minorem; nam Christus est quid distinctum a natura humana, & simplici persona Verbi; est enim compositus ex vtraque; at verò ab vtraque simul non distinguitur; sic neque alia composita distinguuntur vt ostendi *prima prima, tract.* 5. *disputat.* 5. *quæstione* 5.

VERA igitur est propositio S. Bonauenturæ, allata in argumento, nullum compositum prædicari de aliquo extremorum seorsim; *v.g.* non dicitur: caro est homo; vel è contra, licèt dicatur de omnibus simul. Sic dicitur: Homo est corpus, & anima simul. Ratio est, quia compositum non est alia entitas à partibus simul sumptis, licèt sit entitas distincta à partibus seorsim.

64 ASSERO secundò, personam Christi posse dici verè compositam, idest ex pluribus constitutam, nempe, ex natura humana, & diuina, in vna subsistentia. Ita D. Thomas, D. Bonauent. & Concilia, vt dixi *in fundamentis*; non autem quia aliquam propriam ex nobis notis compositionem imitetur. Propterea authores aduersarij confugiunt ad eam acclamandam mirabilem, ineffabilem, &c.

PROBATVR primò *ex quinta Synodo*, quæ est Constantinopolitana II. *can.* 4. vbi ait: *Sancta Dei Ecclesia vnitionem secundùm compositionem confitetur, idest secundùm subsistentiam*, & Concilium Later. sub Martino I. *can.* 8. definit: *Si quis non confitetur propriè, & verè secundùm compositionem, id est secundùm subsistentiam, naturarum vnitionem, ex quibus vnus, & solus extitit Christus; sit condemnatus.* Sic etiam definitur à sexta Synodo *act.* 13. *cap.* 6.

65 PROBATVR secundò à D.Bonau. ex Symbolo S. Athanasij: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*: vbi particula, *ex*, denotat veram compositionem: Tunc sic: Sicut anima rationalis, & caro, vnus est homo; ita Deus, & homo, vnus est Christus; Sed homo est verè compositus ex anima rationali, & corpore: Ergo & Christus ex persona Diuina, & humanitate; nam eadem particula *ex* asseritur à Concilio subsistens in duabus naturis.

ADVERTIT

66 ADVERTIT tamen D. Bonauent. hoc argumentum non inferre compositionem absolutè similem, alioqui inferret naturam Diuinam, & humanam componere vnam naturam, sicuti caro, & anima; quod est hæreticum. Stat ergo similitudo in hoc, vt Christus sit vnum quid constitutum ex persona Diuina, & humana natura, veluti homo ex anima, & corpore vnum constituit, non plura.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. è Sanctis PP. Damasceno *3. de fide, cap.* 14. & aliis, sic loquentibus. Verba Damasceni sunt: *In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnam hypostasim ex vtrisque compositam.* Aduertit S. Bonauent. *ad* 2. verbum componendi significare, aliquid ex aliis constitui, quod rectè approbant Valentia *in fine puncti* 3. Vasquez *num.* 13. est enim componere, aliquid simul ex pluribus ponere. Iam verò hypostasis, seu persona Christi simplicissima in se non componitur; neque absolutè loquendo, constituitur etiam ex natura humana, quæ est ei penitus extranea, sed eatenus constitui dicitur, quatenus subsistit duabus naturis, cùm antea soli diuinæ naturæ subsisteret: quare dicitur potius constituta in duabus naturis simul positis, quàm ex duabus naturis.

67 QVOD sanè Concilia non reprobant (vt putant Vasquez, Valentia, & alij) definientia, Christum *in* & *ex* duabus naturis vnum, eundemque esse Christum indiuisum, & inconfusum; sed solùm id vrgent, vt remoueant Eutychetis confusionem in naturis, sicut & Nestorij, Samosateni, & aliorum, qui distinctionem personarum in Christo confingebant; ita in Pontificali Romano, consecrandus Episcopus interrogatur: *Credis, Christum in duabus, & ex duabus naturis subsistere?* Respondet: *Credo.*

OBIICIES primò. Quodcunque supponit aliud in sui cognitione, iudicandum est secundùm rationem rei suppositæ à se: Sed persona supponit naturam, & ab ea iudicatur: Ergo si natura est composita, etiam persona erit talis iudicanda. Natura autem humana Christi est composita: Ergo & persona.

68 RESPONDET D. Bonauent. personam iudicandam ex natura sua propria, non ex aliena assumpta. Itaque potest persona esse simplex, etiamsi natura assumpta sit composita. Ratio est, quia persona non sequitur naturam sibi extraneam, cùm non sit eius innata perfectio.

OBIICIES secundò. Si Christus esset solùm ex anima rationali, & carne; esset persona composita propriè: Ergo multò magis est talis cùm habeat etiam Deitatem.

69 RESPONDET S. Bonauent. negando consequentiam, quia tunc hypostasis haberet primum esse à natura composita; nunc autem habet primum esse à natura Diuina simplicissima; & ideò humana natura superueniens, sicut non dat personæ esse personale, sic non facit eam esse compositam.

OBIICIES tertiò. Christus est homo compositus ex anima & corpore; sed homo non prædicatur de Christo, nisi ratione suppositi: Ergo videtur suppositum esse compositum.

70 RESPONDET S. Bonau. terminum *Homo* non prædicari, sed subiici ratione personæ; prædicari verè ratione naturæ. Itaque prædicatum *compositus*, non dicitur ratione suppositi, sed ratione formæ, seu naturæ, quæ licèt composita sit, non reddit personam Diuinam compositam.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Incarnationis VNIO *dicenda sit omninò substantialis.*

D. Bonau. dist. 6. art. 1. quæst 3.
D. Thom. q. 2. art. 6.

FVIT Nestorij insania, negantis vnionem personæ Christi, diuidentisque Christi personam, & asserentis vnionem in Incarnatione factam esse secundùm aliquos habitus gratuitos. Eum verò confutaui *quæstione secunda.* 71

IAM reliqui sunt Catholici aliqui concedentes, vnionem istam factam in persona; sed alio ex capite dicendam accidentalem. Ita Durandus *in 3. dist. 6. quæst.* 4. quem refert, neque refellit Paludanus *quæst.* 1. *art.* 3.

HIC tamen modus loquendi Catholicis fœtet, & ita eum respuunt Sancti DD. Thomas, & Bonauentura, Richardus *in 3. distinct. 6. art. 3. quæst.* 2. Suarez *disput. 7. sect.* 1. & *disput. 8. sect.* 1. Vasquez *disput.* 17. Nazarius *quæst. 2. art. 6. circa textum*, refereos Meditam *in Commentario huius articuli*, & Aluarez *ibidem*, Lugo *disput.* 11. Morandus *quæst.* 10. Pasqualig. *disp. 77. sect.* 3.

ASSERO, non licere dicere, Vnionem Incarnationis vlla ratione esse accidentalem. 72

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex Decretali Alexandri III. *cap.* Cùm Christus, *de hæreticis.* Hæc autem definitio sumpta est ex Concilio Magno Lateranensi, sub eodem Alexandro *parte* 49. *cap.* 20. vbi est ferè integra epistola Alexandri ad Episcopum Rhemensem, in qua refert Pontifex quosdam Doctores eo tempore asseruisse, Christum, secundùm quod est homo, non esse aliquid: Ipse autem Pontifex hoc vetat sub anathemate, & reddit suæ definitionis rationem; quia sicut Christus est verus Deus, ita verus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. Vasquez *cap.* 5. refert Franciscum Peonam *in adnot. ad secundam partem Directorij, lib. 2. Schol.* 3. existimantem, Doctores illos, damnatos ab Alexandro, asseruisse cum Manichæis, Christum non esse verum hominem, sed phantasticum.

HANC expositionem summopere laudat Vasquez, tum quia Pontifex reddit rationem, cur Christus homo sit aliquid, quia est verus homo: ergo damnat dicentes, esse hominem apparentem. Deinde, quia definit, Christum hominem esse aliquid, idest non esse nihil, quod si voluisset definire, pro vt exponunt D. Bonauent. D. Thomas, Scotus, Caietanus, & alij pro nostra assertione, dixisset, esse Quid. Confirmat, quia eo tempore insurrexerant in Gallia Albigenses, noui Manichæi. Confirmatur ampliùs ex Hugone de S. Victore *Tomo 3. in Apologia de Verbo Incarnato.* 73

SVAREZ *disput. 7. sect.* 1. eidem Pennæ adscribit hanc expositionem; sed addit, difficile creditu esse illos Doctores Parisienses, & Rhemenses negasse, Christum esse aliquid; sed voluisse tantùm asserere, vt S. Bonauent. S. Thomas, & expositores omnes intelligunt, Christum non esse aliquid absolutum, sed qualificatum; vnitum humanitati, veluti assumpto indumento.

VERVM si attentè perlegatur Penna *loco cit.* vbi refert 74

refert aliquos citatos à Ioanne Andræa *in Glossa illius decretalis*, dicentes, Christum assumpsisse humanam naturam, velut habitum, & contineri potiùs sub prædicamento, *Habere*, quàm substantiæ; perspiciemus, illum non exposuisse eo modo, qui ei adscribitur. Sic enim loquitur ipse Penna: *Sed malè dicebat, quod hic reprobatur: nec obstat illa authoritas Apostoli*, Philip 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo; quia & humana essentia, & forma habet habitum hominis; quare habitus non negat essentiam, nisi poneretur negatiuè: vt si diceretur habitu solùm, vel, tantùm, quod negatiuum sapit.* Ex quibus liquet, Decretalem scriptam esse contra errorem à nobis recitatum: vt monet Lugo *disp.* 11. *sect.* 4.

75 Hvgo autem de S. Victore *citato opusculo, q.* 19. refert, eos Doctores asseruisse, Verbum non assumpsisse humanitatem in vnitate suppositi, sed veluti vestem, eam induisse. Quare fatetur ingenuè Vasquez *numero* 36. hunc errorem à Pontifice damnari.

Addit verò, alia ratione ab ea, quam putant Scholastici adducti, iactam esse damnationem, nempe, dum definit Papa, Christum esse aliquid; damnare nouos Manichæos: cùm autem addit, Christum esse verum hominem, sicuti est verus Deus; damnasse hunc errorem, quem dicimus; statuendo, esse substantialiter hominem, sicuti est substantialiter Deus.

76 Enim verò secum pugnat Vasquez: nam verba hæc non sunt alia definitio, sed ratio tantùm prioris definitionis, vt ait ipse *numero* 31. Quare ad hominem deduco, etiam in prioribus verbis voluisse definire, Christum substantialiter hominem, non accidentaliter, si ratio Pontificis est ad rem, quæ talis est: *Christus est aliquid; nam Christus est verus homo, idest, substantialiter homo, sicuti est substantialiter Deus*, vt ipse Vasquez *numero* 36. exponit.

Qvare Alexander definiens, Christum hominem esse aliquid; sumit *aliquid* pro *quid*, idest substantiale: Hoc verò gratis negat Vasquez *num.* 37. vbi concludit, nullam memoriam erroris, quem confutamus, existere in authoribus illius temporis; & tamen paulò ante concessit; eum ab Hugone memorari, atque à Pontifice reprobari. Nobiscum est Lugo *disp.* 11. *num.* 41.

77 Probatvr secundò à D. Bonauent. testimoniis fidei.

Primò quidem patet è scripturis asserentibus, Verbum factum esse carnem, aut Deum factum esse hominem: his enim astruitur, terminum huius vnionis esse substantiam, vt obseruat S. Bonau. *ad* 1. *Ioannis.*

Secvndò ex Conciliis definientibus, vnionem incarnationis factam esse in supposito: nam suppositum est substantia. Id videre est in epistola Concilij Alex. quæ est decima inter epistolas Cyrilli *secundo anathematismo*, recepta in Concilio Ephesino *Tom.* 1. *cap.* 12. & 14. vbi habetur: *Si quis non confitetur carni secundum substantiam vnitum Dei Patris Verbum, &c. anathema sit.*

78 Deinde *epistola* 8. *Cyrilli*, approbatâ in Concilio Chalced. *act.* 1. vbi habet: *Sed quod ex ea natum sit sacrum illud corpus, animatum animâ rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum esse dicitur.* Sic habet translatio huius epistolæ in Concilio Ephesino, compilato per Sutium, vbi fuit approbata.

In operibus verò D. Cyrilli pro *substantialiter adunatum*, habetur *secundùm substantiam adunatum.* In Græco autem pro substantia, est ὑποστάσει. In noua autem editione huius Concilij facta à Theodoro Peltano *Tom.* 1. *cap.* 12. non dicitur substantialiter, sed secundùm hypostasim: & pro eo quod est in secundo anathematismo: *Secundùm substantiam*, dicitur *secundùm hypostasim*, in operibus Cyrilli. Idem habetur in Concilio Constantinopolitano V. *act.* 8. *can.* 4. & 8. qui canones sunt in edicto fidei; à Iustiniano Imperatore edito, quod habetur *Tom.* 2. *Conciliorum.* Vide Vasquez *cap.* 2.

Vervm ne Durandus hæc testimonia eludat 79 dicens, se etiam fateri vnionem secundùm hypostasim, sed eam vocare accidentalem, quia natura aduenit Verbo in actu perfectissimo posito; scire oportet, vnionem secundùm hypostasim, esse hypostaticam, atque adeò substantialem: sic definitur à Concilio Lateran. sub Martino I. *consultatione* 5. *can.* 6. & 8. vbi dicitur: *Substantialis vnio*; & duæ naturæ astruuntur: *Substantialiter vnitæ.*

Fateor, in antiqua compilatione Conciliorum haberi vnionem *secundùm hypostasim*, eò quòd Martinus ea verba à Græcis Patribus, & Conciliis acceperit; attamen Pontifex voluit in Latino asserere *substantialem*, quæ dicitur à Græcis *secundùm hypostasim.* Ideò & D. Thom. *hic* probat ex duobus locis Concilij Constantinopolitani, vnionem esse substantialem, licèt ibi solùm dicatur, secundùm hypostasim. Eodem modo loquuntur PP. Itaque Ioannes Maxentius *Tom.* 5. *Biblioth. in confess. fidei*, ait: *Secundùm traditionem Patrum; duas naturas confitemur, substantialiter vnitas*, & ibi refert Athanasium, Nazianzenum, Cyrillum, & alios. Idem sentiunt alij PP. infra referendi, qui dicunt, hanc vnionem essentialem esse, & naturalem, vt dicam.

Mvltas etiam rationes congerit S. Bonau. *in* 80 *fundamentis*, quibus assertio nostra demonstretur.

Prima est. Quod vni est substantia, nulli est accidens, vt ait Aristoteles 1. *Physic. text.* 27. Sed humana natura in Christo est substantia: Ergo nulli, etiam Verbo, accidit. Minor probatur; nam Christus est eiusdem naturæ nobiscum homo, de fide. Roboratur, quia vnio substantialis nil aliud est, quàm coniunctio duarum rerum substantialium, per quam resultat vna substantia: Tali autem modo facta est vnio ista, neque per aliquod accidens medium, aut vinculum; nam terminus, in quo vniuntur naturæ, est persona Verbi. Verbum autem ipsum non vnitur naturæ medio accidente, vt Concilia statuunt contra Nestorium, & alios: Nulla enim talis vnio sufficeret, vt Christus esset homo; & vt homo diceretur Deus, & Deus homo. Hinc, cùm humanitas adueniat Verbo, mediâ solâ substantiali vnione, non debet dici aduenire accidentaliter. Vide etiam D. Bonau. *dist.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2.

Secvnda ratio est. Si natura humana accidentalis est Christo; vel est accidentalis Christo homini; vel Christo Deo: Non Christo homini, quia nullus homo est accidentaliter homo: Neque Christo Deo, quia nullum accidens potest inesse Christo, ratione Diuinæ naturæ: Ergo. 81

Tertia ratio. Nihil est vniuocum substantiæ, & accidenti: si ergo de Christo dicitur secundùm accidens, & de aliis hominibus secundùm substantiam: Ergo non dicitur vniuocè: Ergo Christus non est de nostro genere; & mors eius non est adeo nobis proficua, vt per eam solutum infinitum debitum, quia persona operans in natura est accidenta-

liter operans; & natura inepta ad meritum moriendi, effundendi pretiosissimum sanguinem, &c.

82 QVARTA ratio. Substantia est nobilior accidente: Ergo si homo de aliis dicitur substantialiter, & de Christo accidentaliter, sequitur, eum esse naturâ longius cæteris hominibus ignobiliorem.

QVINTA ratio est. Quod prædicatur per modum accidentis, prædicatur tantùm denominatiuè, & accidentaliter: At humanitas non solùm prædicatur de Verbo denominatiuè, sed substantialiter, quia Verbum non tantùm dicitur humanatum, sed etiam homo substantialiter: Ergo. Has rationes arripiunt moderni, e quibus est Vasquez, qui vix admittit, Seraphicum hanc quæstionem a longè salutasse.

OBIICIES primò. *Philip.* 2. dicitur Christus, *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*; vbi Apostolus, nomine *habitus*, vestem intelligit ex D. August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 73.

83 SVPPONIT D. Bonau. ad illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, & *in* 3. *dist.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3. initio, Apostolum reliquis verbis satis exprimere veram Christi substantialem naturam humanam, at enim, cùm in forma Dei esset, cum formam serui accepisse; In similitudinem hominum factum, vt hominem; ergo sicut substantialiter formam Dei asserit in Christo, quæ ei substantialiter competit; ita etiam formam hominis.

VTITVR autem similitudine habitus, vt ait S. Bonau. *ad* 1. & *in corpore*; quia natura humana substantificatur in alieno supposito ad quandam similitudinem, qua habitus substantia in alieno corpore stat, cum hoc discrimine, quòd natura humana hypostaticè vnitur personæ Diuinæ.

POTEST etiam dici, loco habitus haberi in Græco vocem, quæ formam significat, vel speciem, vt sensus sit, Christum inuentum esse in forma, in specie, & figura hominis; reddit enim rationem, cur in similitudinem hominum factus sit, & similis nobis; nempe, quia habuit veram formam hominis.

84 OBIICIES secundò. Sancti Patres non rarò explicant hanc vnionem per accidentales vniones. Sic Damascenus *lib.* 3. *c.* 11. Basilius *homil* 25. *ex variis*, Origenes 2. *Periarchon, cap.* 6. & D. Bonau. passim, præcipuè *hic ad* 4.

ALII comparant arbori, alteri insitæ, quæ comparatio adscribitur Basilio suprà, & Leoni *serm.* 2. *de Natiuitate*: sed non inuenitur in eis; ea tamen vtitur D. Bonau. *in* 3. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. vbi accommodat etiam illud Iacobi 1. *Suscipite insitum Verbum*, & Alensis 3. *part. quæst.* 7 *memb.* 1. *art.* 1.

COMPARATVR etiam coniunctioni maritali *Ephes.* 5. vt exponunt multi Scholastici cum D. Bonau. *in* 3. *dist.* 6. *art.* 2 *quæst.* 2.

PRÆTEREA Ioan. 2. dicitur: *Soluite templum hoc*, intelligens, *templi* nomine, corpus suum, quasi verò accidentaliter in eo habitaret, sicut homo adest in templo.

85 RESPONDET D. Bonau. *locis adductis*, præcipuè *dist.* 6. *art.* 2. *q.* 1. vnionem hanc esse singularem, nec aliquam inuenire sibi consimilem. Ideò Hierem. 31. dicitur: *Nouum faciet Dominus*, similitudines verò allatas, aliasque plurimas, quibus vtuntur Patres, & Theologi, vt hoc Mysterium sacratissimum explicent, vix aliquam conditionem illius attingere. Sic per ferrũ candens, in quo substantia ipsa ignis reperitur, secundùm aliquos, indicatur arcta coniunctio naturæ humanæ cum persona Verbi, illustratio, & pulchritudo, visque operandi actiuissima, quam ex ista coniunctione nanciscitur. Arbor insita exprimit, qua ratione, subsistentiâ alienâ fulcitur natura humana.

CONIVNCTIO maritalis exprimit vnionem affectiuam, & quomodo humanitas assumpta est à Verbo, vt ab illo regatur, vigoretur, & in deliciis diuinis perpetuò fœlicitetur. 86

TEMPLI inhabitatio indicat, Verbum speciali
ratione in humanitate habitare. Sed quia hæ simili-
tudines accidentariæ sunt; additur à D. Bonau. *loco*
adducto, & aliis, similitudo vnionis animæ cum cor-
pore, quæ est substantialis, quod exemplum omnium
aptissimum acclamatur à Caietano *hic, art* 6. *& ora-*
tione ad Alexandrum VI. & ab aliis discipulis D.
Thomæ, quos laudat Suarez *disp.* 8. *sect.* 1. eam ex
D. Athanasio in Symbolo confirmat S. Bonau. vt vi- 87
dimus *quæst.* 2. *ad* 1. cum moderamine, vt non simili-
tudo stet in vnitate naturæ, vt ibi diximus; neque
in imperfectione partium vnitarum, vel in eo quod
neutrum trahit alterum ad suam subsistentiam; sed
vtrumque in vnâ subsistentia completâ & compo-
sitâ stat, vt notat Bellarminus *lib.* 3. *de Incarnat. c.* 8.
De cætero, hac similitudine vtuntur etiam D. Aug.
epist. 3. *ad Volusianum*, & Iustinus *lib. de recta fidei*
confessione apud Nazarium, ad hunc articulum.

OBIICIES tertiò. Quod aduenit enti in actu, vnitur ei accidentaliter; at humanitas aduenit Verbo in actu: Ergo. Hic est Achilles Durandi, iam à Seraphico iugulatus.

RESPONDET S. Doct. & cum eo Vasq. *num.* 29. 88 Suar. *loco cit.* & alij, quibus subscribit Morandus, Verbum potius perfectissimum aduenire naturæ humanæ, priùs natura conditæ; imperfectæ, non in ratione naturæ, sed in ratione subsistendi; & hoc non emanatione propriæ hypostasis deficiente, sed impeditâ, & subintrante Personâ Verbi, quæ est perfectissima: & si vis eam aduenire humanitati; non aduenit enti, in actu subsistenti; si autem mauis dicere, eam aduenire enti actu, nimirum Verbo; adhuc aduenit perficienda substantialiter. Maior autem apud Philosophum est vera, quando ens actu completum additur alteri etiam actui completo.

OBIICIES quartò. Quod prædicatur denominatiuè est accidens. Humanitas prædicatur Verbo, seu Filio Dei, qui dicitur humanatus: Ergo est accidens.

RESPONDET D. Bonau. prædicationem denomi- 89 natiuam esse quadruplicem. Prima est per modum inhærentiæ; vt cùm dicitur: Petrus est albus. Secunda per modum transmutationis, vt: paries est dealbatus. Tertia per modum possessionis, vt: Asinus Socratis. Quarta per modum vnionis, vt: ferrum ignitum, idest igni vnitum; corpus animatum, idest animæ vnitum. Hoc vltimo modo, denominatio est substantialis, atque huiusmodi est prædicatio in casu nostro: Verbum est humanatum, idest hypostaticè humanitati vnitum.

OBIICIES quintò. Non possunt diuersa genera 90 de eodem prædicari essentialiter; sed Deus, & homo diuersas habent definitiones: Ergo cùm Deus dicatur de Christo essentialiter, homo non dicetur de eo substantialiter, sed solùm accidentaliter.

RESPONDET S. Bonau. Maiorem esse veram de generibus, per oppositas differentias sub prædicamento limitatis, quæ nequeunt oppositam etiam differentiam participare; vt Animal rationale non potest simul esse irrationale, quia differentia rationalitatis non modò non includit; sed excludit irrationalitatem, vt notat cum D. Bonau. Fauent. *in* 1. *d.* 9. *n.* 47.

DEINDE prædicata contradictoria nulli conue- 92 nire simul, & semel valent: prædicata autem formalia finita differentiarum oppositarum sunt con-

tradictoria:

tradictoria: At humana natura, quæ in perfecta ad Deum obedientia est, licèt habeat oppositionem cum Diuina natura, ita vt nequeat cum illa vnam naturam constituere; attamen potest à Verbo hypostaticè sustentari, ita vt vna persona eadem prædicetur Deus essentialiter per naturam; & Homo essentialiter etiam per gratiam vnionis substantialis.

92 HÆC responsio eam soluit quæstionem: An hæc vnio, sicut dicitur substantialis, possit etiam dici naturalis, & essentialis, quam latè prosequuntur Vasquez *cap.3.* Suarez *in fine, sect.1. disput.8.* Nazarius *ad art. hunc D. Thomæ*, Asturicensis *quæst.7. pag.864.*

MVLTI tamè eruditi Theologi timent concedere hanc vnionem essentialem, vel naturalem, quia videtur sapere vnionem esse factam in natura, cum Eutychete.

VERVMTAMEN, quia apud Concilia, & Patres voluitur hic modus dicendi, profectò Catholicus censendus est, si rectè intelligatur.

93 PETRVS Diaconus *de Incarnatione, & gratia, cap.3.* dicit, Verbum essentialiter carni vnitum. Confirmat hoc effatum ex Nazianzeno, *epist.1. ad Cledonium*, quæ est *orat.51.* vbi eam vocauit vnionem secundùm essentiam, & Damascenus *lib.3. de fide, cap.3.* sæpe vocat hanc vnionem essentialem, vt tradit Billius; Idem habet & Ildephonsus *de perpetua Virginitate Mariæ, col.3.* idem habet.

DICITVR etiam naturalis hæc vnio à D. Cyrillo *epist.10.* Eodem modo loquitur Sophronius *sexta Synodo, act.11. & 13.* Fulgentius *lib.3. ad Trasimundum, cap.15.*

94 ADVERTE autem, non vocari Vnionem hanc naturalem, vel essentialem, quia sit compositio, & vnio in natura; nam ipsi, in hoc, hæreticos improbant. Nec dicitur naturalis, quia non sit supernaturalis; imò hoc sensu negant, esse naturalem, vt videre est apud Nicetam *lib.3. thesauri, cap.3. in medio*, vbi de naturis in Christo, ait: *Nec verò naturaliter connexæ, sed admirabili quadam, & ineffabili ratione.* Neque dicuntur naturales, idest, necessariò vnitæ, vt malè olim Theodoretus aiebat: Sed quia verè, & secundùm rationem sunt vnitæ. Ità explicat Cyrillus *in defensione tertij anathematismi.* Sic enim solemus dicere, esse rem physicam realem; sic igitur quia physicè, seu naturaliter habent veram rationem vnionis, dicitur naturalis; alioqui verò libera, & gratuita asseritur à D.Bonauentura cùm D. Cyrillo.

95 EODEM sensu dicitur essentialis, vt exposuêre Damascenus, & Nicetas *locis adductis.* Similiter Nazianzenus, dum hanc vnionem vocat secundùm essentiam, intendit, eam esse talem, vt ratione eius Deus non denominatione accidentali, sed verè, & secundùm essentiam dicatur de homine, quod ipse explicat dicens, esse vnionem secundùm essentiam, quia diuinitas; non secundùm authoritatem, dignitatem, aut affectum, sed secundùm essentiam est vnita Diuinitati. Idem habet D. Cyrillus *loco citato.*

DENIQVE potest dici Vnio essentialis, quia substantialis est, faciens per se vnum, vt notant Suarez, Nazarius, & Vasquez post D.Bonau. hic.

96 Ex his resoluitur vltimum argumentum à S.Doctore: Quæ habent diuersas definitiones, non possunt prædicari de eodem essentialiter: Sed Deus, & homo habent diuersas definitiones: Ergo cùm Deus dicatur de Christo essentialiter, dicetur de homine accidentaliter.

RESPONDET S. Bonauentura, habere diuersas definitiones, atque essentias, & ideò non posse essentialiter prædicari, quod homo sit Deus; at quia substantialiter vniuntur in vnam hypostasim, potest fieri prædicatio personalis.

OPORTET verò hic aduertere, hanc ex persona Diuina, & natura humana vnitis, dicendam potius vnionem, quam vnitatem, vt indicat S. Bonauent. *in fine corporis*, quando dicitur vnio secundùm substantiam, seu essentiam, ne ex his vnitis vna natura resultasse asseri videatur; hoc autem dixerim, quia in Concilio Ephesino *anathematismo tertio*, dicitur vnitas naturalis, & essentialis secundùm communem translationem. Verè tamen nomen Græcum in Concilio adhibitum *ἕνωσις*, multò melius transfertur per nomen *Vnionis*, quàm per nomen *Vnitatis*. Sic transfertur à Peltano: & hoc modo nomen illud transferunt Interpretes Damasceni. 97

VERVM in illo anathematismo tertio, non malè traducitur nomine vnitatis, quia ibi astruitur hæc vnitas fieri ex conuentu, seu concursu naturarum plurium in vnam personam; quare non est periculum prauæ intellectionis legentibus.

IGITVR hunc modum dicendi: *Vnionis secundùm essentiam*, vel *naturalis*, sobriè adhibendum dico, vbi etiam explicatur modus, sicuti fit à D. Bonauentura *in hac quæstione.* 98

QVÆSTIO V.

An aliquid producatur in extremis huius Vnionis Hypostaticæ, vt inter se vniantur, & fiat vna persona, aliquo modo composita.

QVÆSTIO est: Quinam sit terminus formalis illius actionis Sanctissimæ Trinitatis, quâ natura humana vnita est Verbo; atque adeò, quid sit vnio hæc hypostatica. 99

PRIMA opinio est, hunc terminum esse ipsam humanitatem, quæ habuit esse præcisè, quatenùs vnita est Verbo, nec in se vllam habet existentiam. Id asserent illi, qui volunt, humanitatem solâ existentiâ Verbi existere. Hi sunt multi Thomistarum.

SECVNDA opinio est, per actionem istam nihil fieri in humanitate, & multò minus in Verbo, sed solùm fieri hoc compositum CHRISTVM. Ità Ariminensis *in 1.dist.28.quæst.2.ad 17. & 18.* Baccunius *in 3.dist.1.quæst.1.art.1.* Est etiam Caietani, & Medinæ ad eum articulum D. Thomæ, Aluarez *disp.13.* qui ait esse communem, Valentiæ *disp.1. quæst.2.punct.5.* quos sequitur Nazarius *ad eundem articulum, controu.3.* (& insistit, esse sententiam D.Thomæ) Pasqualigo *disp.77. sect.5.* Morandus *tract.1. quæst.11.* 100

TERTIA sententia docet dari terminum, non modò adæquatum huius vnionis, sed etiam formalem. Hi verò diuidunt.

ALIQVI enim volunt, esse qualitatem absolutam, reipsa distinctam ab humanitate, quam vocant gratiam vnionis. Hanc opinionem refert S. Bonau. *dist.2.art.3.quæst.2.& dist.6.art.2.q.1.* Eam verò sequitur Gabriel *in 3.dist.30.q.4.art.2. & in 3.dist.1.* 101

q.1. art.1. qui adducit Alensem *3. parte, quæst.7. memb. 2. artic. 1.* vbi ait: *Dicendum, quod in Christo sit gratia vnionis ad vniendum humanitatem cum diuinitate; hoc est, quia non est possibile creaturam humanam, quod ipsa per donum conditionis naturæ eleuetur, & disponatur ad diuinam vnionem.* Verum Alexander solùm vult requiri aliquam gratiam, vt congruam dispositionem ad vnionem, qua tamen posita potest humanitas adhuc non vniri Verbo, quod docuit etiam eius discipulus D. Bonauentura; at Gabriel asserit, data illa qualitate necessariò sequi vnionem, aut hoc ipso vnitam. Eam optimè refellit S. Doctor, vt notat Morandus *quæst.* 11. & Suarez Nestorianam esse ait; Sed Vasquez negat, cum Lugo infra citandum.

102 ALII voluut, terminum formalem vnionis esse relationem quandam, citatur communiter Scotus *in 3. dist. 1 quæst. 1. §. Sed circa istum articulum.* Adducitur etiam Ocham *in 1. dist. 30. quæst. 4.* & *in 3 q. 1.* imò etiam D Thomas hoc articulo, vbi ait, Nihil aliud creatum fieri in humanitate, præter relationem, & sæpe ait, hanc vnionem factam esse sine mutatione Verbi, quia tantùm facta est secundùm vnionem, quæ relationem importat, vt videre est infrà *quæst. 16. art. 1 ad 4.* & *art. 6 ad 2.*

103 SCOTVS verò *allegatis locis*, tradit aliquas relationes, quas vocat extrinsecus aduenientes, quæ non consurgunt necessariò, etiam posito termino cum fundamento, sicut consurgunt relationes quarti prædicamenti; sed contingenter adueniunt, etiam extremis positis in esse, & ita non est necesse ponere aliquod fundamentum earum absolutum, dato quod consurgat relatio noua, & hoc modo ait se habere relationes vnionis absoluti ad absolutum, vt formæ, & materiæ subiecti, & accidentis; has autem relationes asserit posse esse terminum motus. Talem asserit esse vnionem hanc Incarnationis, relationem scilicet extrinsecùs aduenientem, quia non consurgit positis extremis in esse, sed contingenter illis positis aduenit. Propterea ait, posse hanc relationem esse terminum actionis Trinitatis se solâ, & produci in esse absque nouo absoluto in natura humana. Igitur Deus in hac vnione nil aliud facit, quàm illam relationem dependentiæ humanitatis à Verbo, quæ dependentia explicatur per sustentificationem a persona Verbi, quia Deus facit, personam Diuinam supplere personam creatam. Sic exponitur à Fabro *in 3. disp. 3. cap. 3.* & Rada *3. part. controuersia 3. art. 4.*

104 SVAREZ *disp. 8. sect. 2.* ait, fieri modum quendam substantialem ipsius humanitatis, quo intelligitur inexistere in Verbo, qui modus incompossibilis est humanæ subsistentiæ, qua stet in se, isque non vltimò terminat naturam in se, sed constituit illam in Verbo, vt in eo terminetur: & hic modus dicit intrinsecam habitudinem transcendentalem ad Verbum, & est fundamentum proximum relationis prædicamentalis vnionis. Hanc sententiam multi eruditissimi Thomistæ sequuntur in eo modo substantiali admittendo: & Tanner. *quæst. 3. num. 96.* Ragus. *disp. 39.* Caspens. *disp. 2. sect. 5. & 6.* Mætac. *disp. 13.* Lugo *disp. 12. sect. 2.*

105 VASQVEZ *disp. 18. cap. 3.* asserit, esse modum nouum substantialem, non omnino absolutum, nec omnino relatum, sed simul substantialem, & relatiuum; hunc autem esse ipsum actum personæ terminantis naturam humanam, non autem aliquid præuium, quo natura præparetur, vt sustentetur à Verbo, in quo à Suarez dissentit. Vult igitur, esse quasi ad modum causæ materialis, & formalis, sicut subiectum potest dici actus formalis, & materialis accidentis, quia illud sustentat. Sic igitur & Verbum habet veluti rationem materiæ; & personalitas Verbi habet rationem formæ respectu naturæ humanæ, hunc autem actum esse in genere causæ efficientis à tota Trinitate; at verò in genere actus terminandi propriè solum Verbum respicit, & illi tribuitur ad modum causæ materialis, vel formalis, licèt re vera nullum genus causæ illi conueniat, & commodè potest appellari modus inexistentiæ; quia natura, quæ in se existere poterat, in alio existit, tanquam in supposito, licèt non tanquam in subiecto. Quoniam verò hoc ipso, quòd Verbum Diuinum hoc modo terminet naturam, natura ipsa vnitur Verbo, ideo hic modus dicitur Vnio, sumpta pro actu vniendi, non modo in fieri, qua ratione est à tota Trinitate, sed etiam in facto esse, prout est terminatio soli Verbo adscripta. Sic Fulliens. *lib. 2. cap. 11. resol. 6.*

QVOAD D. Bonau. *3. dist. 2. art. 3. quæst. 2. ad vltimum*, asserit, vnionem ex parte naturæ humanæ dicere quid creatum, non absolutum, sed relatum; ex quo posset aliquis existimare, Seraphicum esse cum secundo modo tertiæ sententiæ, qui est Scoti. Enim verò, si attentè perlegatur Seraphicus, intuebimur, illum esse ab eo sensu alienum. In priori enim argumento, cùm sibi obiecisset ad probandum, vnionem esse factam per aliquem habitum gratuitum, ait: Vnio est relatio; sed nulla relatio introducitur, nisi per introductionem, vel mediationem alicuius absoluti, quia ad aliquid non est motus per se. Si ergo Deus assumit naturam, quam prius non assumpserat, cùm hoc non sit secundùm vnionem sui, quia est inunibilis (supple verò per sui mutationem,) nec secundùm mutationem animæ de non esse in esse, quia hæc mutatio est creatio, restat vt hoc sit mediâ aliqua gratiæ infusione. 106

RESPONDET S. Doctor, non induci relationem, nisi per aliquam mutationem factam in aliquo absoluto; hanc autem mutationem in natura humana esse factam per terminationem personalem in Verbo, supplentem personalitatem creatam; Dat autem egregiam similitudinem: Sicuti enim linea aliqua vnitur alteri in puncto, vt mutet modum suum discretionis, adeò vt, quæ priùs erat disiuncta, acquirat esse coniuncta; quod si linea formaretur, vt simul tempore vniretur alteri, non amitteret discretionem, sed continuaretur in altera impediente discretionem, quam haberet, si non fuisset alteri coniuncta, & vnita; sic in re nostra humanitas Christi, si prius tempore fuisset creata, stetisset propria subsistentia, atque adeò Persona Verbi volens sibi eam hypostaticè vnire, debuisset eam personalitatem destruere, seu eum modum substantialem discretionis consumere, & propriam substantiam communicare, vt quæ stabat in seipsa; iam subsisteret in Verbo: at verò quia humanitas illa simul tempore creata, & assumpta est à Verbo; ea nunquam habuit suam propriam discretionem personalem, sed Verbum ea vnione id præstat, vt suppleat modum substantialem, quem deberet natura illa habere, si in seipsa relinqueretur, & ita si in se relinqueretur, alium modum substantialem discretionis personalis obtineret. Itaque facta est mutatio in aliquo absoluto modo substantiali, vt inde resultaret vnionis relatio. Quare videtur cum Suarez asserere, eum modum 107 108

substantia

substantialem esse prævium, quo vnio relatiua constituitur. Quare infert, non fuisse necessarium aliquem habitum, vt relatio hæc noua consurgeret? Quid clarius? Hoc sanè responsum in corpore solidatum est quo oppositæ sententiæ conuellitur, & nostra firma radicatur.

109 Assero primò contra primam sententiam. Humanitas Christi non est præcisus terminus formalis vnionis cum Verbo.

Probatvr à D.Bonau. *quæstione citata, fundamento vltimo, & in responsione adducta.* Humanitas præcisa est terminus creationis, ita vt adhuc existeret, imò subsisteret, etiamsi non esset vnita Verbo. Ita tenent omnes Theologi *in 3.dist.* 15 Existentia enim est terminus productionis, non autem vnionis. Hoc infra latè ostendam *disp.* 19. *quæst.* 4. cum D.Thom. *quæst.* 4. *art.* 2. & *quæst.* 6. *art.* 4. Alensi 3. *part. quæst.* 8. *memb.* 2. Hæc ratio, quæ tetricatur à D. Bonau. etiam *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. omnibus arridet. Aliam etiam rationem mox subiiciam pro hac assertione validissimam.

110 Assero secundò contra secundam sententiam, falsum esse, nil esse productum formale per actionem Incarnationis, præter hoc adæquatum Christvm.

Probatvr à D. Bonauent. loco suprà allegato, ratione, qua conuicti Ocham, & Gabriel suprà, à sententia Ariminensis recesserunt; eamque vrgent Suarez *loco citato*, Vasquez *num. 10 quinto*, & alij, qui eam efficacissimam acclamant. Ea verò confutatur etiam prima sententia. Est autem hæc. Non possunt contradictoria de eodem verè enunciari, nisi propter mutationem aliquam siue intrinsecam, siue extrinsecam. Sed de humanitate Christi possunt enunciari contradictoria, nempe, non vnitam esse, & vnitam Verbo; ergo facta est aliqua mutatio in ea; at non sufficit extrinseca, *v. g.* loci, quia per hanc, nullam affinitatem acquirit cum Verbo, vt ab eo sustentari dicatur, quia vbique locorum potest sustentari. Neque sufficit mutatio temporis; nam eadem humanitas in se omnino immota comparatur ad Verbum, hodie, & cras, & quovis tempore.

111 Quis enim non videat, humanitatem potuisse omni tempore esse vnitam, & non vnitam; neque vnionem pendere ab hoc potius tempore quam alio? Neque sufficit ad enunciandum contradictoria de humanâ naturâ destructio alicuius rei, vel modi, maximè enim hic esset modus propriæ subsistentiæ, quia huius destructio, vel impedimentum oritur ex eo, quod in aliena persona subsistat. Ergo debet prius facta esse mutatio in vnione ad alienam personam. Neque potest aliquid, extrà productum.

Respondet primò Gregorius *ad* 18. negando Maiorem, dicens, oppositum exemplis demonstrari, sed nullum affert.

Contra, nam id, quod verè affirmamus, reuera est. Itaque rè inuariatâ, non poterimus de eadem re idem affirmatum negare.

Respondet secundò, negando Minorem, quia Christus compositus nunc iam est, qui ante non erat ex duabus naturis in vna persona, nec alia mutatio requiritur, sicuti Forma, & Materia mutantur, dum ex eis fit compositum.

112 Verum mutatio debet præsupponi ipsi composito, quod est terminus adæquatus; oportet enim assignare terminum formalem, quo fiat hoc compositum; non enim possunt aliqua duo vniri de nouo ad aliquod compositum constituendum, nisi fiat mutatio, saltem in aliquo extremorum. Confirmatur, nam contradictoria verificantur de humanitate Christi, priusquam intelligatur factum compositum; dicitur enim assumpta, quæ non erat assumpta; vnita non modò in facto esse, sed vniri in fieri, quæ antea non vniebatur, nec erat vnita ad hoc compositum constituendum: Ergo mutatio debet antecedenter assignari; sic etiam debet esse vnio actu iam, quod ante non erat, vt resultet relatio vnionis: & ideò facta esse mutatio in aliquo absoluto, non sanè Verbi, quod est immutabile: Ergo humanitatis; hæc autem mutatio nulla alia esse potest, quam modus ille substantialis humanitatis, quo subsistit in Verbo, quæ in se subsisteret, si non assumpta esset, quique destrueretur, si à Verbo relinqueretur.

Respondet Morandus *num.* 335. primò, non transiisse naturam humanam de non subsistente ad subsistere, quia simul fuit creata, & vnita. 113

Respondet secundò, eam esse mutatam, quia prius non terminabatur Verbo; postea verò est terminata per illud, & hoc sufficit, sicut proportionaliter dicitur de materia, & forma. Tametsi Verbum non inexistat, vt forma in materia, attamen communicat ei suum effectum formalem; sed eadem difficultas est etiam in vestra sententia.

Hæc tamen friuola sunt; & primò natura humana, prius naturâ, debet existere vt vniatur, vt constat; extrema enim vnionis sunt ante vnionem, quod enim non est, non potest vniri. Iam verò Verbum communicat humanitati effectum formalem sustentandi, & terminandi; per te autem hic est realis: Ergo transiit à negatione huius subsistentiæ ad habitum subsistentiæ; & prius non erat subsistens in Verbo, & postea subsistit: Ergo id factum est per aliquid nouum, constituens extrema vnita; hoc autem non est Christus, qui imò est terminus, sed per vnionem. Hic sanè à Morando agnoscitur nodus Gordiæ insolubilis.

Valentia respondet, mutationem hanc existere ex mutatione temporis, quæ redundat in mutationem humanitatis, non materialiter, sed formaliter, vt existens, qua ratione terminatur à Verbo, nam de quavis re verificatur existentia, quatenus verificatur verbum *Est*. 114

At veritas huius propositionis: *Humana natura est, & suppositatur à Verbo, nec fuit suppositata initio*, eatenus vera est pro hoc tempore, quatenus substantialiter vnita est, cum ante non esset vnita: Itaque tempus est extrinsecum huic substantiali mutationi: Oportet ergo aliquam mutationem substantialem inuenire in humanitate, qua nunc sit substantialiter vnita, & initio non esset; nam tempus indifferens est ad mutationes, & accidentia.

Assero tertiò. Vnio non est aliqua qualitas absoluta, quæ dicatur gratia vnionis.

Probatvr primò. Accidens non potest esse de ratione substantiæ: Sed vnio est constitutiua compositi substantialis Christi: Ergo non per accidens; alioquin duæ naturæ essent vnitæ accidentaliter, quod est Nestorianum. 115

Secvndò quia: si vnio est qualitas, erit separabilis, at vnio non potest à Verbo, & natura humana vnitis separari: Ergo.

Tertiò. Qualitas realiter distincta, & ipsa debet vniri: Ergo vel per seipsam; & tunc etiam Verbum deberet posse vniri absque vnione, quia continet totum posse creaturæ; vel vnietur aliâ vnione; & tunc etiam illa vnietur per aliam in infinitum.

QVARTÒ, quia vnio non reddit quale, sed tantùm vnit, & si vnit substantialiter, reddit substantialiter vnita extrema. Hæc Motandus.

116 ASSERO quartò, terminum formalem huius actionis non esse relationem contra Scotum, vel aliud accidens contra Biel.

PROBATVR à D Bonau. primò *loco citato*. Non potest actio realis terminari ad relationem; sed actio, qua facta est Incarnatio, est realis: Ergo. Maior est Aristotelis 5. *Physic. text.* 10. vbi ostendit, ad relationem non esse motum, nec mutationem. Minor est de fide.

RESPONDET Faber *num.* 54. Aristotelem loqui de relationibus intrinsecis, non de extrinsecis aduenientibus.

117 CONTRA ego probo de omnibus relationibus, quas refert Faber *num.* 20. Si forma per se esset, & seorsum materia, vt corpus organicum, & anima rationalis: vel subiectum, & accidens, vt panis, & qualitas, oporteret ea mutari, nempe vnione noua substantiali, & accidentali, vt inde resultaret inter ea relatio illa dicta, *extrinsecus adueniens*, esto non fieret acquisitio nouæ entitatis absolutæ distinctæ ab ipsis, (tametsi perperam à Scoto, & Fabio negatum) nam debet fieri compositum, quod est entitas distincta realiter à partibus componentibus, vt arguit Scotus *dist. 6. quæst. 3.* & Faber *disp. 16. num. 5.* & *Theorem. 21.* at saltem debet fieri compositum, quod non erat. Hinc resultat necessaria relatio; nam quæ pro- esse libertas resultantiæ, vel indifferentia in re naturali, vt posi-

118 tis suis causis non sequatur effectus? Quod si dicas, sequi ex fundamento contingenter; oportet ergo aliam causam necessariam assignare; vnde resultet. Scotus apud Fabrum *Theor. 55. cap. vit.* & *tr. formalit. cap. 6.* & *in 4. disp. 25.* docet, esse causam extrinsecam, puta, vt resultet relatio præsentiæ Petri in platea, erit causa is, qui eum ducit illuc, etiam vi; At quæ obsecro ratione vocat fundamentum proximum, & extrema formaliter duo corpora, vt sic? Hæc sanè materialiter tantùm extrema dici possunt huius relationis. Quare relationes illæ Scoticæ, sunt figmenta. Sicut igitur non potest aliqua relatio noua insurgere inter duo extrema, inter quæ non erat, nisi aliquid additum, vel mutatum sit in altero extremorum; sic ea posita, necessariò sequitur relatio; alioqui huius effectus naturalis

119 assignanda est alia causa naturalis. Sit exemplum: Corpus existens Romæ cum corpore existente Brixiæ non potest acquirere nouam relationem propinquitatis, nisi alterum illorum loco mutetur, v.g. vt corpus Brixiâ Bononiam permeet; hæc autem acquisitio noui loci non est merus respectus approximationis, vt fingit Faber *numero* 35. quod euidenter probo. Certum est, corpus motum Brixia Bononiam non modo mutari, sed etiam in termino acquirere aliud in se, etiam præciso respectu propinquitatis, vel distantiæ ab alio corpore, vt patet; nam, etiamsi nullum aliud corpus daretur, respectu cuius acquireret propinquitatem, adhuc tamen acquisiuisset aliquid, sed non respectu approximationis: Ergo fundamentum absolutum in se. Quare inconcussum remanet argumentum S. Bonauenturæ, quo nititur Suarez.

120 RESPONDET Faber *numero* 34. quod relatio extrinsecus adueniens non sequitur compositum, sed præcedit, & est medium ad totum faciendum, vnde facto toto destruitur; quod patet in toto essentiali, quia illud non est vnio, sed tertia entitas. Similiter & ad totum accidentale vnio est medium ad ponendum illud in esse, & manet etiam posito in esse toto; quia illud non est verum vnum per se, sed per accidens. Scotus autem non dicit, quod hæc vnio subsequatur ad esse totius, & illo tanquam fundamento innitatur; sed solùm dicit, quòd hæc relatio vnionis aduenit contingenter illis extremis, non autem necessariò præcedendo, non subsequendo compositum.

VERVM responsio est omninò inanis. Si relatio extrinsecus adueniens est ea, qua fit compositum: Ergo est ipsa actio: Ergo non est id, quod fit; & ideò malè asserunt Scotus, & Faber, ad has relationes esse actionem, & mutationem; alioqui ad actionem semper esset actio. Vnde sequeretur progressus in infinitum, quia hæc actio fieret per aliam actionem, & sic infinitum. 121

DEINDE vnio ipsa nonne est coniunctio realis materiæ, & formæ, subiecti, & accidentis, qua substantiæ, & accidentia ex disiunctis coniunguntur? Do exemplum D. Bonauenturæ: Quando vna linea discreta alteri coniungitur, nonne debet fieri coniunctio ambarum, vt altera ab altera sustentificari dicatur, vel altera ab altera pendere? Igitur relatio non est via, sed effectus vnionis. Sic igitur etiam in Incarnatione philosophandum est.

VEL assignetur causa extrinseca huius relationis. 122 Et sanè non possunt esse extrema præcisè, nempe Verbum, & Humanitas, vt concedunt Scotistæ in relationibus extrinsecis: Ergo aliquid extrinsecum adueniens producens aliquid, ex quo resultet hæc relatio, sicut Fauentinus *loco citato*, ait, relationem propinquitatis in platea produci per translationem corporis, & positionem in platea. Igitur supponitur actio Trinitatis vniens extrema, vnde resultat relatio extrinsecus adueniens, atque adeò relatio non præcedit vnionem, nec est vnio, sed subsequens eam. Quomodo enim potest humanitas dependere hypostaticè à Verbo, nisi sit illi vnita? Aut quomodo vocat hanc relationem sustentificationem Verbi, qua sustentat humanitatem; cum relatio ex causa iam opus patrante producatur, quod opus est ipsa vnio? Equidem video, Verbum sustentificare naturam humanam per communicationem suæ suppositationis, quæ si est illa relatio extrinsecus adueniens, iam etiam in Verbo ponenda est, & consequenter constituit tantum relatiue, non absolutè, Christum in esse hominis, quod gratis negat Faber *numero* 36. Cùm igitur id, quod refertur, sit Humanitas, vt vnita; sequitur, relationem subsequi vnionem, vt notat Morandus *num.* 334. 123

PROBATVR etiam validissimè illud constituit hominem Christum, quo posito formaliter ponitur homo, & quo ablato, desinit esse homo: Sed per hanc consequentem relationem personæ Diuina sustentificat naturam creatam, & natura humana communicatur Verbo, vt natura supposito; sic substantialiter est homo, vt sine hac relatione non esset, vt concedit Fauentinus *loco cit.* Ergo.

PRÆTEREA quomodo hæc relatio habet fundamentum in sola humanitate, cum qua tamen non est necessariò connexa? Nam si ea relatio non consequitur necessariò ex natura humana, non videtur assignari posse sufficiens ratio; cur, quando est in humana natura, sit tota eius ratio respectiua, quandoquidem potest humana natura esse; & modo non sequi talis respectus. Vnde meritò exploditur opinio de relatione extrinsecus adueniente, vt ait Valentia.

DEINDE arguo adhuc validiùs. Nihil iam de- 124 structum

structum potest constituere substantiam: Sed relatio extrinsecus adueniens in hoc composito Christo, est iam destructa per te: Ergo non potest illud constituere. Maior est luce clarior meridiana; qua enim ratione quod non est, iam potest esse intrinsecum constitutiuum, & dare formaliter, quod non habet: Minor probatur ex Fabro hic *num.* 34. vbi dicit, relationem extrinsecam suam vnionis substantialis præcedere vnionem, & esse medium ad totum faciendum: vnde facto toto destruitur, quod patet in toto essentiali, quia illud non est vnio, sed tertia entitas.

OPPOSITVM asserit de toto accidentali nempe quod manet posito toto in esse, quia illud non est verum vnum per se, sed per accidens.

125 Ex hoc sequitur, aut relationem illam esse destructam, atque adeò Christum amplius non esse, cum per eam constituatur, vt ait Scotus, & Faber *loco cit.* Si Christus est vnum compositum per substantiale, vel si illa relatio durat, debet Christus esse aggregatum per accidens, quod est Nestorianum.

PROBATVR tertiò ratione D. Bonauent. *loco cit.* & *dist.* 6. *artic.* 2. *quæst.* 1. Illud, quod formaliter vnitur vinculo accidentali, est compositum accidentale: At Christus per te vnitur vinculo accidentali: Ergo est compositum accidentale. Hoc verò est hæreticum ex V Synodo *collat.* 8. *can.* 4. vbi definitur; vnionem hanc non esse factam secundum gratiam, vel relationem. Hoc argumentum vrget etiam Gabrielem, eoque ferè omnes vtuntur.

126 RESPONDET Faber, se cum Scoto concedere, vnionem factam in substantia, idest, hypostasi Verbi, & hoc fidem docere; non autem dicitur substantialis, quia fiat in aliquo modo substantiali creato, vel producto, imò hoc non conuenit cum doctrina fidei. Igitur præter vinculum increatum substantialiter coniungens sibi humanitatem, non est addendum vinculum increatum substantiale, quia ipsa Diuina persona est vinculum sufficiens. Et ex hoc dicitur vnio substantialis, vt docet D. Thoma, *quæst.* 2. *art.* 6. Igitur volentes, eam esse substantialem, quia fit in modo illo substantiali producto dissentiunt à fide. Ex quo deducit, Scotum cæteris melius hoc mysterium declarasse. Hanc responsionem è Suarez didicit.

AD Synodum respondet, damnari dicentes, fieri vnionem hanc secundùm relationem personæ creatæ ad personam Diuinam, sicut Nestorius dicebat, ponens duas personas; non autem dicentes, fieri secundum relationem naturæ creatæ, tanquam sustentatæ ad Verbum sustentans.

127 ENIM verò non est cur D. Thomam afferat ad Scotum defendendum, quia etiam ipse nostræ fauet sententiæ. Referat igitur Scotum *in* 3. *adducto articulo*, vbi opponit sibi argumentum D. Bonauent. *loco cit.* quo probat, relationem non esse terminum formalem Incarnationis, quia non inducitur relatio noua absque mutatione alicuius absoluti: Sed per te inuehitur noua relatio humanitatis ad Verbum: Ergo per mutationem in aliquo absoluto. Maior probatur, quia quando aliquid in se eodem modo se habet; eodem etiam modo se habet ad alterum à se. Ex quo ait videri, aliquam entitatem absolutam esse fundamentum huius relationis nouæ, scilicet dependentiæ, & vnionis ad Verbum.

128 RESPONDET, Maiorem veram esse de duobus generibus relationum, nempe de primo, de quo consurgit relatio, posito vno extremo in esse, vt sunt relationes creaturæ ad Deum, & de secundo genere relationum intrinsecarum de prædicamento relationis, quæ necessariò consurgunt, positis etiam extremis in esse, sed contingenter adueniunt: & talem astruit relationem humanitatis ad Verbum, quam asserit fundamentum huius Mysterij, & vinculum, vt notat Valentia initio.

HOC autem idem fatetur in *hac citata disputatione* Faber, præcipue *num.* 25. vbi ait, hac posita resultare vnitatem hypostaticam: Sustentari enim hypostaticè nil aliud in natura humana dicit, vel ponit, nisi relationem illam dependentiæ specialis. Terminus ergo actionis Trinitatis, quæ est passio illi respondens, per quam natura humana est mutata, & passa, est forma illa accidentalis. Terminus igitur formalis actionis Trinitatis est; naturam humanam sustentificari hypostaticè à Verbo, ideo speciali dependentia recipere subsistentiam personæ Verbi, quæ receptio subsistentiæ Verbi, vt est in natura humana, nihil aliud est, quam relatio. Idem fatetur Rada, vt notat Nazarius *conclusione secunda*. 129

VIDETE quàm euidenter vnionem hanc solâ voce substantialem; re verò accidentariam ponant.

SANE & Nestorius fatebatur Humanitatem vnitam Personæ Verbi, sed vinculo accidentis.

Ex quo sequitur etiam duplex persona in Christo. Quamquam verò Scotus almè Catholicus id neget loquitur; attamen cauere oportet. Si enim Humanitas eatenus est Verbo vnita, & sustentata, quatenus relatione extra euolante refertur; eodem pacto vnietur substantialiter, mediante habitu. Hæc tamen non concedit Scotus, in eo fixus, vnionem esse in hypostasi. 130

NEQVE credam, tantum Virum Nestorio fauere, vt aliqui mussitant. Scotus enim Angelicæ fuit in hoc doctrinæ. Eodem medio S. Bonauent. euertit Gabrielem, quem Vasquez tueri conatur à labe; quæ enim substantialiter in hypostasi vniuntur, non possunt vinculo accidentis esse alligata; alioqui non poterit denominari vnio substantialis, sed erit accidentalis, vt fatetur Faber cum D. Bonauent. *distinct.* 6. *artic.* 2. *quæst.* 1. quo atteritur & Rada, effugiens, ne hoc laqueo capiatur.

CONFVTAT illum Vasquez, quia terminare, siue sustentare naturam, est actus substantialis personæ: Ergo oportet, naturam sustentatam nouo modo substantiali, se habere respectu personæ, quo non se haberet, si à tali persona non sustentaretur, nec solo accidente potest esse sub actu substantiali personæ. Et id ferè concedit Faber *num.* 27. quamuis trepidus; vbi tandem repetit, hunc modum esse suam illam relationem accidentalem, quæ sola accipitur in natura humana. 131

Ex quo arguo cum D. Bonauent. *dist.* 6. *quæst. vltima.* Prædicatio humanitatis in concreto de Verbo, vt vera sit, debet omnino desumi ab eo præcisè quod humanitas a Verbo habet, per quod fit vnum; seu desumenda est ab vnitate cum Verbo, quæcunque illa sit, at humanitas per te hic tantùm habet a Verbo relationem extrinsecus aduenientem, quæ est accidens: Ergo prædicari debet etiam per solam denominationem, etiam accidentaliter. 132

VIDI, Fabrum asserere vnionem hypostaticam esse increatæ subsistentiæ, vt iuxta regulam à Suarez *hic* apprehensam, Nestorium vitet; at sæpe iniungit hanc hypostaticam communicationem esse relationem extrinsecùs irrepentem.

PROBATVR quartò à Valentia, argumento Seraphici *dist.* 2. *artic.* 3. *quæst.* 2. *fundamento vltimo*, & magis *in corpore.* Quouis accidente in natura humana producto, intelligitur humanitas non subsistere, 133

ſiſtere in Verbo.: Ergo nullum accidens eſt, quo conſtituatur illa vnio. Probatur antecedens nam vnio hypoſtatica ſtat, vt humanitas terminetur à Verbo ad eſſe Diuinum, non quidem efficienter; alioqui à tota Trinitate terminari deberet, quia actiones ad extra ſunt indiuiſæ; ſed perſonaliter motata ad id humanitate per nouum modum proportionatum, qui eſt ſubſtantialis: Ergo omni alio producto præciſo, eſt vnio. Quæ profusè reſpondet Faber, ex iam dictis placidè deſluunt.

Assero quintò, terminum formalem Incarnationis eſſe modum ſubſtantialem.

134 Probatvr primò à D. Bonauent. *diſtinct.* 6. *artic.* 2. *quæſt.* 1. *fundamento tertio.* Terminus formalis eſſe debet proportionatus, vt adæquatus ponatur in eſſe: at hic terminus adæquatus eſt Chriſtus ſubſtantialiter homo, qui ponitur in eſſe. Ergo terminus formalis debet eſſe aliquid ſubſtantiale; non eſt autem alia ſubſtantia, re diſtincta ab humanitate; alioqui deberet vniri Verbo, vt arguebat Scotus: Ergo eſt modus.

Aliis terminis proponitur à D. Bonau. Vnio, niſi ſit fruſtra, terminatur per mutationem ad aliquam vnitatem. Ille ergo erit terminus formalis, qui additur alteri extremo, vt fiat vnum illâ vnione: Sed id, quod additur humanitati, eſt aliquid conſtituens eam de nouo ſubſtantialiter vnum cum Verbo in hypoſtaſi, quæ eſt ſubſtantialis: Ergo debet eſſe ei additus nouus modus ſubſtantialis.

Respondet Morandus, terminum formalem eſſe, quòd pars illa ſit vnita, quæ habet rationem formæ, ſed res illa ſupponitur ex creatione, vt dixi, & debet aſſignari ratio, quâ vnitur, vt ſit vnita.

135 Probatvr tertiò à D. Bonauent. *diſtinct.* 2. *artic.* 2. *quæſt.* 1. *ad penultimum* ſuprà *citatum.* Sicut ſe habet proportionaliter linea indiuidua, ſimul tempore producta; & vnita, priùs tamen producta, quàm vnita ad lineam, cui vnitur: ita & humanitas Chriſti de nouo ad Verbum vnita ſubſtantialiter; at linea illa per modum, ſuæ entitati proportionatum, accidentalem de nouo refertur ad lineam ſibi continuatam: Ergo & humanitas per modum, ſuæ entitati proportionatum, ideſt, ſubſtantialem de nouo acquiſitum ad Verbum. Maior probatur, quia vtrinque eſt mutatio, & acquiſitio noui modi eſſendi: modus autem debet rei proportionari, & debet eſſe de nouo acquiſitus, vt Faber etiam concedit *num.* 27. debet igitur eſſe ſubſtantialis, cùm ſit proportionatus nouo eſſe ſubſtantiali, non autem poteſt eſſe materia, vel forma, vel compoſitum humanitatis, vt conceditur a Scoto: Ergo eſt modus.

136 Assero ſextò, iſtum modum ſubſtantialem includere relationem tranſcendentalem ad Verbum. Ità D. Bonauent. *diſtinct.* 6. *artic.* 2. *quæſt.* 1. *ad tertium*, vbi aduerte, Seraphicum aſſignare diuerſitatem, ob quam ſimplicitati Diuinæ non derogat vnio in perſona; ſicut derogaret vnio in natura cum humanitate. Ratio ſecunda eius eſt, quia perſona Diuina poteſt fieri ſuppoſitum humanæ naturæ, ſola relatione humanæ naturæ ad ipſum, quæ quidem relatio nihil ponit noui circa perſonam Verbi, ſed ſolùm in natura aſſumpta, & ideò vnio naturarum in perſona non repugnat; non ſic autem eſt quando vnio terminetur ad vnitatem naturæ, vbi non ſolùm notatur reſpectus, ſed etiam notatur conuenientia fieri in forma. Et hoc non poteſt fieri ſine
137 compoſitione, & ſine tranſmutatione aliqua. Ex quibus verbis apparet, Seraphicum nolle in hac vnione perſonali aſſerere factam in humanitate ſolam relationem; ſed in ſola humanitate relationem ex mutatione; at in vnione ſecundùm naturam deberet fieri mutatio realis etiam in Verbo, & relatio realis ad humanam eſſentiam. Hoc idem vult S. Doct. dum ait, in vnione ſecundùm naturam non ſolùm notari reſpectum, ſed etiam tranſmutationem, vbi notat, eſt parte Verbi, tunc non ſolùm futurum reſpectum rationis ad naturam humanam, ſed realem conuenientiam per tranſmutationem.

138 Distinctione verò *ſecunda*, *loco cit. ad vltimum* ait: Vnio ex parte Diuinæ naturæ dicit quid increatum: ex parte humanæ naturæ dicit quid creatum, non abſolutum, ſed relatum; vbi vult, eſſe modum quidem ſubſtantialem includentem intrinſecam relationem. Inſuper videtur cum Vaſquez aſſerere, hunc modum non eſſe aliquid præcedens vnionem, ſed ipſummet actum Diuini ſuppoſiti, vt deriuatum in naturam humanam.

Probatvr ergo, quia cùm conſtituat in nouo eſſe ſubſtantiali ad Verbum, oportet ad illud referri: ſiue enim præcedat vnionem, ſiue dicatur ipſemet actus vnionis, determinat in ordine ad Verbum ipſam naturam in nouo eſſe ſubſtantiali: Ergo ad illud debet habere relationem.

Hæc tamen relatio mihi videtur non differre à modo, ſed eſſe illi intrinſeca, ſicut relatio creaturæ ad Deum non eſt res diſtincta à creatura.

Non eſt tamen totus relatus, cùm conſtituat ſubſtantialiter in eſſe; ſi enim eſſet totus ad aliud conſtitueret in eſſe accidentali, quia relatio propria eſt accidens.

139 Arbitror etiam, hunc modum non eſſe præuium vnioni, alioqui oportebit aliud aſſignare tanquam terminum formalem, quo humanitas formaliter reddatur vnita, & non ſolùm præuiè diſpoſita.

Obiicies primò cum prima ſententia: D. Leo Papa *epiſtola* 11. ait, Naturam noſtram in Chriſto, ipsâ aſſumptione creatam eſſe.

Respondet Faber *num.* 2. ex D. Bonauent. *diſtinct.* 5. *artic.* 2. *quæſt.* 1. ſenſum eſſe, naturam humanam, ipsâ aſſumptione, ideſt, ſimul tempore creatam, & aſſumptam, non autem aſſumptionem fuiſſe ipſam creationem.

140 Fvndamentvm verò Gregorij inane eſt negat enim relationes reales inhærentes rebus creatis, ideò negat in humanitate relationem realem ad Verbum, atque infert, per actionem vniendi nil noui fieri in natura humana, ſed hoc tantùm, quod natura humana, & Verbum ſint vna perſona. Hæc autem falſa ſunt, & confutata *prima prima*, *Tract.* 3. *diſput.* 1.

Fvndamentvm Gabrielis pariter eſt, quia in humanitate debet eſſe aliquid noui, vt oſtendimus; hoc autem non poteſt eſſe relatio, quia nulla eſt relatio realis in creaturis: Ergo eſt abſolutum; ſed aduenit ſubſtantiæ: Ergo eſt accidens, & qualitas. Hoc autem ſeipſo ruit, & dirutum eſt.

Obiicies primò cum Fabro ex Scoto. Nihil poteſt eſſe duorum ſimul prædicamentorum, ideſt abſolutum, & relatum: hæc enim ſunt contradictoria, & ponere ens vnum, ſeu modum iſtum, eſt contra omnem Philoſophiam, nec licet eâ abuti ad Theologiam comprobandam, niſi cogamur.

141 Miror, Fabrum hæc confingere, vt ſimulet relationes tranſcendentales, quas neque intrinſecus, neque extrinſecus aduenientes eſſe concedit *in* 4. *diſtinct.* 25. *num.* 21. atque adeò neque ad quartum Prædicamentum, neque ad vltima ſex pertinere, ſed in aliis abſolutis conſequenter ſpatiari, hanc autem ponit Scotus *loco cit.* In primo ge-

nere

nere talis relatio est creaturæ ad creatorem, quæ realiter cum creatura est; & solùm formaliter à Scotistis distinguitur. Hic igitur modus substantialis est; includens tamen relationem, non eiusdem prædicamenti, sed transcendentalem, quod non repugnat.

142 RATIONABILIVS diceret, Scotum confundere prædicamenta, dum non modo quartum, sed etiam alia sex asserit esse relationes, ac proinde entia tota ad aliud, sic enim non bene solùm quartum prædicamentum ab Aristotele titulum habet *Ad aliquid*. Illæ verò differentiæ Scoticæ, quòd illæ relationes discrepent in eo, quod positis extremis, & fundamento, non necessariò consurgunt, inanes sunt. Quis enim dicat, Petrum, vt in rerum natura est substantialiter, & Paulum, eadem ratione, esse fundamentum appropinquitatis, nisi materialissimè; & hanc relationem posito fundamento non necessariò resultare? Ponatur fundamentum: sanè neque posito Petro, & Paulo in rerum natura resultat relatio seruitutis, & dominij, quæ est intrinsecus aduenlens, & ideò ridicule ponitur talis differentia inter relationes intrinsecas, & extrinsecas.

143 OBIICIT secundò. Modus substantialis est inseparabilis à substantia, cuius est modus, sine substantiæ corruptione; at hic modus, quem habet natura humana, est separabilis ab ea absque naturæ corruptione, quia potest Verbum dimittere naturam humanam: Ergo hic modus non est substantialis. Maior probatur, quia modus essendi substantiæ est illi intrinsecus, & si adest, & abest præter subiecti corruptionem, non est substantia, sed accidens.

RESPONDETVR, modum substantialem consequentem naturam ipsam esse inseparabilem naturaliter: at verò à Deo potest separari absque naturæ corruptione, vt si Deus destrueret personalitatem Petri, adhuc maneret natura Petri. Deinde modus iste substantialis non est naturæ, vt naturæ, & ità de eo non est vera maior.

144 OBIICIT tertiò cum Scoto. Modus iste est entitas absoluta: Ergo est vnitus Verbo. Consequens est falsum: Ergo. Probatur sequela, quia non potest aliqua entitas humanitatis Christi non esse Verbo vnita. Falsitas consequentis probatur, quia humanitas Christi non est magis, vel minus perfecta humanitate nostra, ex Concilio Calced. *act*. 5.

RESPONDETVR, istam entitatem esse id, quo vnitur humanitas Verbo, non autem aliquam rem vnitam, & hic modus necessarius est modo singulari personalitatis alienæ sustentantis humanitatem, nempe vt sit in alio, sicut per propriam personalitatem esset in se.

INSTAT Faber. Hæc entitas est fundamentum vnionis naturæ humanæ ad Verbum, quæ vnio est relatio: Ergo non est ipsa vnio formalis.

RESPONDETVR, hunc modum esse, non vnionem formaliter, sed id, quo est vnio; neque necessariò esse vnitum Verbo, sicut nec ipsa vnio est res vnita; alioqui abeundum esset in infinitum; In quo Faber toto cœlo errat.

145 OBIICIT quartò. Iste modus est substantia, per vos, creata: Ergo est de illa substantia, quæ est in natura creata; alioqui humanitas Christi esset existentiæ singularis: Ergo iste modus est humanitas Christi: Ergo est idem cum materia, forma, vel composito; sed hoc est falsum; alioqui humanitas Christi non posset dimitti à Verbo, vel si dimitteretur, aliqua tunc pars corrumperetur. Hoc argumentum efficacissimum conuincens acclamatur à Fabro.

AT sanè friuolum est. Respondetur enim, modum illum substantialem esse modaliter distinctum ab humanitate, quæ singularis est propter modum subsistendi singularem, qui in ea est singularis inter homines, hic autem modus distinguitur realiter modaliter, vt dixi, & ideò separabilis est absque humanitatis corruptione.

INSTAT. Ergo si potest ita adesse, & abesse, est accidens. 146

RESPONDET D. Bonauent. *dist*.6. *quæst*.3. esse substantiam, quia est modus hypostaticus, tamen hypostaticus modus potest, non quidem naturaliter, sed à Deo immutari, neque ob id est accidens, sicuti etiam partes integrales corporis, *v.g.* pes, vel manus, licet sint homini substantiales, possunt abesse præter essentiæ corruptionem, sic & sonipes, pede trunco, vel mancus, est homo. Miror, cum adeò laborasse in foliis protrahendis, cum typographorum sudoribus, ad tam friuolas ratiunculas excudendas.

OBIICIT quintò. Hic modus est res creata, & humanitate imperfectior: Ergo non habet hanc vim vniendi humanitatem Verbo. Probatur consequentia, quia debet inhærere in sola humanitate, non in Verbo: Ergo non vnit illud. 147

RESPONDETVR, actionem generatiuam Leonis producere Leonem, se ipsâ perfectiorem. Sic & in aliis actionibus, quæ accidentia sint, producunt substantias. Quid igitur mirum, modum hunc substantialem esse tantæ virtutis? Licèt autem insit humanitati hæc noua entitas, tamen terminat intrinsecè hypostaticè ad Verbum, quod medio hoc vnitur.

INSTAT Faber. In vnione substantiali materiæ cum forma, vel supposito, non datur modus ab eis distinctus vniens: Ergo neque hic. Sic vigent etiam Nazarius, & Morandus.

RESPONDETVR primò, materiam, & formam, quippè essentialiter vnitas, non vniri, nisi per suam essentiam, & modum non distinctum ab ea; at humanitas cum vniatur personaliter Verbo, qui modus vnionis est extra essentiam, nil mirum, si modo ab ea distincto vnitur. Eadem ratione non est necesse, per aliquem modum distinctum vniri suppositum propriæ naturæ; at Verbum est extraneum: Ergo, &c. Ita aduertit Tannerus *disp*. 4. *num*. 138. 148

ADDO etiam, modum, quo materia actu vnitur formæ huic, esse extra essentiam secundum opinionem probabilem, quia materiæ essentia indifferens est ad alias etiam formas.

OBIICIT sextò. Natura humana per vnionem acquirit esse Diuinum: Ergo non fit vnio per aliquod creatum, sed per ipsum Verbum, vt fides docet. Deinde hic modus assignatur ad ostendendum, factam esse vnionem substantialem; sic enim alio modo se habet humanitas, quam prius substantialiter; at hoc non declarat vnionem hypostaticam, sed oportet ostendere, naturam humanam cum Verbo vniri in vna substantia, & tunc conuincetur esse vnio substantialis. Hanc rationem validissimam acclamat *num*. 14. 149

RESPONDETVR, per vnionem acquirere Humanitatem Esse Diuinum, quatenus vnitur Verbo. Iam verò, bone Deus! nonne debet fieri hæc vnio? nonne actione vniendi debet fieri aliquid nouum in humanitate, vt vniatur? Si solùm Esse Diuinum sufficit, quorsum relationem illam chymæricam excogitauit? cur hoc solum communicatum à Verbo humanitati astruit? Dicimus, modum nouum 150

substantialem

substantialem aduenire, quo aliter se habeat, quàm prius; debet enim mutata esse humanitas, & quidem substantialiter, si substantialis est vnio, vt patet in omnibus productionibus substantialibus. Dicimus igitur, humanitatem aliter se habere, & modum apponimus, vt quæ antea prius naturâ non supponebatur in Verbo; nunc iam modo substantiali ponatur.

Qvòd verò exaggerat, Concilia constituere vnitatem hanc in substantia increata.

Respondetvr, etiam à nobis constitui, vt sustentetur à Verbo; at oportet, hanc actionem supponendi humanitatem Verbo, fieri aliquo modo in ea acquisito, qui si semel asseratur accidentale vinculum, iam vnionem accidentalem, Nestorianum quid fœtentem, inuehemus.

151 Obiicit septimò. Omnis relatio rei transcendens, est ipsa rei natura, vt in aliud essentialiter ordinata: at nulla est relatio naturalis humanitati ad Verbum: Ergo talis relatio non reperitur in ea. Minor probatur, quia implicat, perfectionem esse rei supernaturalem, & ad eam naturaliter ordinari, quia vniuersalis ordo est tantùm ad id, quod est suæ naturæ commensuratum, & debitum.

Respondetvr, relationem humanitatis ad Verbum esse illi connaturalem, quatenus Verbum supplet perfectionem debitam illius naturæ sustentando. Igitur refertur ad Verbum, non præcisè, vt supernaturaliter sustentans, sed quatenus in suam vltimam perfectionem subsistendi inclinat, quæ à Verbo suppletur, cuius sustentationis perfectio hoc sensu est connaturalis, & appetita.

152 Obiicit octauò. Implicat, dari aliquam substantiam supernaturalem: at modus iste est supernaturalis per se, & idem realiter cum ipsa substantia: Ergo fictus.

Respondetvr, non implicare, substantiam naturalem habere modum essendi supernaturalem, licèt verè non possit dari substantia supernaturalis, quia debet specificari ab intrinseco; omne verò supernaturale specificatur ab extrinseco, nempe Deo, vt excedente totum ordinem vniuersi.

Instat. Modus hic idem est realiter cum humanitate, cùm sit relatio transcendens: Ergo si est supernaturalis, etiam humanitas erit supernaturalis.

Respondetvr, posse rem naturalem eleuari ad modum supernaturalem. Sic corpus Christi in Eucharistia habet modum supernaturalem propriè, licet ipsum naturale sit.

153 At dicit Nazarius, illum modum distingui à Christo; non sic istum, quia est relatio transcendentalis.

Respondetvr, hunc modum esse substantialem, includentem relationem transcendentalem quæ est solùm formaliter distincta ab ipsa entitate substantiali; ab humanitate verò distinguitur modaliter, vt dixi; separabilis enim est ab illa.

Dubuit autem hic Caietanista considerare doctrinam Caietani *quæst*. 2. *artic*. 10. & D. Thomæ, quod quamvis hæc vnio sit miraculosa, tamen eius ratio non est absimilis vnioni, qua coniunguntur in creaturis personalitas, & propria natura, cum verissimè quoque ex personalitate diuini Verbi, & natura assumpta constet vnica prima substantia, siue hypostasis, vt notat ex eis Valentia.

154 Ex dictis colligitur primò, quam verè D. Bonauent. suprà citatus dicat, Vnionem ex parte Diuinæ naturæ dicere quid increatum; ex parte humanæ naturæ dicere quid creatum. Hoc exponit Valentia sic: Sicut enim Christus, vt est simul Deus, & homo, est quoddam singulare ens constans ex re increata, & re creata, ita etiam illa Vnio, pro vt est coniunctio substantialis naturæ humanæ creatæ, & Verbi, est quid creatum, & increatum. Disputant verò prolixè Doctores de hoc.

Profectò hæc disputatio videtur potius de verbis, nam si rectè consideretur vnio formaliter est effectus Trinitatis sanctissimæ, & actus Verbi in tempore incipientis sustentare naturam humanam. Quare debet asseri quid creatum, seu productum; Vnio enim dicit conuentum veluti partium in vnum, & licèt res vnitæ omnes non sint productæ, attamen quia coniunctio facta est in tempore, ideò dicitur quid creatum, vt notat Vasquez *cap*. 5. Suarez *disput*. 7. *sect*. 5. 155

Si verò consideretur vnio in facto esse, vt dicit vnitatem, quæ est terminus actionis vniendi, ait Vasquez, esse quid factum, quia vnitas est duarum naturarum conuentus, qui factus est; non autem dicit solum vinculum vnitionis, quod est Verbum, vt putat Caietanus, qui ideò vocat vnitatem illam quid increatum, quod defendunt Medina, & alij Thomistæ, præcipuè Asturicensis *quæst*. 7. *de gratia Christi, pagina* 869. Aluarez *disput*. 13. *conclusione* 2. & 3. Nazarius *quæst*. 2. *artic*. 8. *controuer*. 4.

Hi omnes decepti sunt, quia vnitas non dicit solam personam Verbi, sed conuenientiam duarum naturarum in vnam personam, quæ sanè conuenientia per vnionem facta est; non enim terminus formalis assumptionis est persona Verbi, etiam vt connotans respectum rationis ad humanitatem assumptam, sed est immutatio humanitatis, & coniunctio eius ad Verbum, quam nemo negabit esse quid creatum, includens naturam Diuinam idem cum Verbo, vnitam humanitati. 156

S. Bonaventvra vtrinque fundamenta arripiens considerat, vnionem dicere plurium conuenientiam in vnum, nempe, naturæ Diuinæ, & humanæ in vnam personam Verbi, & quia vnio cum Verbo fit tantùm ex parte naturæ humanæ; (natura enim Diuina est idem formaliter cum Verbo, ex alia verò parte natura Diuina cum humana coniungitur in vnum suppositum, iam vnum in se perfectissimum; ideò S. Doctor considerat vnionem, & vnitatem, tum ex parte Diuinæ naturæ; tum ex parte naturæ humanæ, & ait vnionem, pro vt tendit ad vnitatem ex parte naturæ Diuinæ, dicere quid increatum, quia Diuina natura ad hanc vnitatem consideranda est, quatenus vnum quid cum persona Verbi vnitur cum natura humana, manens ab ea distincta, ad vnum cum ea Christum constituendum: ex parte verò formalis rationis vnionis, vt dicit conuentum plurium naturarum in vnam personam, & ratione vnitatis, vt dicit vnum Christum constitutum de nouo ex duabus naturis, esse quid creatum. 157

Qvæsitvm enim illud habet analogam significationem: An vnio duarum naturarum in Christo sit quid creatum, vt notat Nazarius. Ideò vox illa: *Vnio*, debet distingui, vt benè quæsito satisfiat. Potest enim quæri de vnione, idest, vnitate, quæ terminus est totalis. Rursus terminus formalis cùm sit immutatio naturæ humanæ, & coniunctio cum Verbo, debet distingui secundùm id, quod Verbo conuenit, idest, connectere naturam Diuinam humanæ, & cum nihil addat sibi, vel acquirat, vel immutet in se, debet seorsim dici quid distinctum, & increatum, quia non vnitur natura Diuina humanæ 158

ad

ad morem vnibilium naturalium. Ex parte verò naturæ humanæ debet distingui, esse quid nouum productum, includens relationem ad Verbum; vnde sequitur relatio rationis Verbi ad naturam assumptam.

159 IDEM distinguendum in termino adæquato, qui est Christus, qui quatenus dicit totum hoc, quod est Christus in duabus naturis, dicitur syncategorematicè factus, quia, licèt quoad præcipuum, quod est persona Verbi, & Deitatem, sit increatum quid; tamen ratione totius huius, quod ante non erat, iam factus est. Ideò ait Ioannes, cap. 1. *Verbum caro factum est*, vt notat S. Bonauentura *ad eum locum*, & *in Symbolo*, dicitur: *Conceptus de Spiritu Sancto; natus ex Maria Virgine, & homo factus.* Probatur à multis etiam ex illo Actorum 2. *Christum fecit Deus, hunc IESVM, &c.* Sed à Beda ibi, & Athanasio, *libro de natura humana suscepta*, exponitur: *Factus in natura humana*, Theophylactus verò, & Oecumenius exponunt, *Iesum factum esse Christum, idest, vnctum Sacerdotem.* Vide Vasquez.

160 COLLIGITVR secundò, quam falsò Nazarius *contron.* 5. concedens necessarium fundamentum relationis naturæ humanæ ad Verbum, iuxta regulas Aristotelis 5. *Metaph. cap. Ad aliquid*, vbi propria singulis relatiuorum modis assignantur fundamenta; attamen negat, hoc fundamentum esse modum illum substantialem, quem nos ponimus cum Suarez *disp.* 8. *sect.* 2. §. *Dicendum*; velitque esse vnitatem personalem Christi in duabus naturis: Debet enim relatio humanitatis ad Verbum fundari in eo præcisè, quod est humanitatis, nam idem est subiectum fundamenti, & relationis; non enim inuenitur fundamentum, v. g. similitudinis albedinis, vel aliarum relationum in vno, puta lacte; & relatio albedinis in sanguine, mixto lactè, vel (vt demus similius exemplum) ramulus Pyri insitus pruno, refertur ad prunum arborem, vt sustentantem hypostaticè; fundamentum verò non est vnitas arboris, seu totum compositum, sed sola passiua statio pyri in pruno, alioqui deberent etiam rami superiores pruni, qui nec sustentantur, nec sustentant, referri realiter ad ramum pyri.

161 RESPONDET Nazarius, relationem hanc recipi in humanitate medio illo esse substantiali, quod est, Deum esse hominem, quod huius relationis est fundamentum.

IAM igitur oportet accipias fundamentum ex parte solius humanitatis, prout accipit illud esse, non autem ex eo, quòd Deus est homo; alioqui relatio erit ex parte etiam Verbi.

162 COLLIGITVR tertiò, malè Vasque *disput.* 19. negare terminum formalem vnionis; & assumptionis Verbi esse modum illum substantialem, atque asserere esse ipsam humanitatem.

NAM humanitas non producitur formaliter per vnionem, sed supponitur existens, neque in ipsa assumptione producitur aliud in humanitate, quàm modus ille nouus substantialis. Hanc autem rationem refutat Vasquez *num.* 16. quia de ratione termini formalis productionis non est, vt per illam productionem fiat, neque vllum vnquam id dixisse, ait, excepto vno, aut altero è modernis, qui nouant omnia.

163 ATTAMEN Ego arguo: Ideò per te *num.* 19. anima non potest esse terminus formalis huius vnionis, quamvis sit ratio formalis humanitatis, quia humanitas præintelligitur producta per aliam actionem, nempe per generationem, antequam assumatur, & per ipsam assumptionem non producitur: Ergo eadem ratione humanitas tota non est ratio formalis huius vnionis, quia iam ante producta est per generationem. Si dicat, hoc esse, quia Diuina Persona comparatur vt subiectum, quod per alterius naturæ assumptionem debet fieri homo; etiam humanitas comparatur vt subiectum, quod debet fieri per vnionem hypostaticam vnum in persona cum Diuina. Igitur sicut in resurrectione terminus formalis non est anima, sed modus nouus; ità etiam hic.

TERMINVM verò formalem debere esse productum censent Aureolus apud Capreolum 1. *dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 2.

PROBATVR secundò. Ille est terminus formalis, quo formaliter constituitur totum, quod est Christus: Sed humanitas præcisa non est huiusmodi; nam data humanitate non adhuc intelligitur, vnam personam cum Verbo facere; dato verò hoc modo, intelligitur, Verbum esse vnitum humanitati: Ergo. 164

COLLIGE etiam, qui sit terminus *à quo* huius vnionis. De hoc multi disputant, si Lugo, *n.* 24. credis, sed tamen solùm de nomine: Rada *disp.* 1. ait esse negationem relationis dependentiæ, seu personalitatis increatæ, vt palliat eum Fabro *num.* 43. seu carentia vnionis; dicant melius, relationis, extra aduenientis, quam ponitis terminum *ad quem* oppositum.

CAIETANVS *art.* 8. *quæst.* 2. è regione ait, esse humanitatem: Medina vult esse propriam naturæ humanæ personalitatem, quæ ei inesse deberet: eum sequuntur alij Thomistæ, Suarez, *disput.* 8. *sect.* 2. §. 2. *ex dictis*, ait Terminum *à quo* formalem esse carentiam subsistentiæ Verbi: Totalem verò esse, Verbum non esse hominem. Vasquez *disputat.* 19. *cap.* 3. ait Terminum hunc esse, non esse hominem: Nazarius *quæst.* 2. *art.* 8. *controu.* 6. ait, esse negationem personalitatis Verbi in humana natura, quæ negatio dici potest priuatio adnexa potentiæ obedientiali ab actu separatæ, quam habet humanitas quæcunque ad Diuinam personalitatem. 165

PRIMÒ quidem opinio Radæ falsa est. Probatur à Nazario ratione D. Bonauenturæ *infrà citando lo. c.* Terminus *à quo*, ex Aristotele *primo Physic.* opponitur termino *ad Quem*, vt incompossibilis, & contrarius secundùm omnes Philosophos; at terminus *ad Quem* non est relatio, vt suprà ostendi; ergo terminus *à Quo* non est priuatio eius. 166

NEQVE humanitas est terminus *à Quo* eadem ratione, quia terminus *ad Quem*, suprà allatus, non opponitur humanitati.

NEQVE est personalitas propria, tùm quia est quid positiuum, quod nunquam fuit. Deinde probatur à Nazario, quia personalitas propria non est contraria personalitati Diuinæ, sed eius participatio; attamen hæc ratio non probatur; nam licèt sic participatio eius, tamen dat esse oppositum, idest, esse in se; at personalitas Diuina ponit esse in alio.

NEQVE terminus *à Quo* est, non esse hominem. Ratio est, quia terminus *ad Quem* non est simpliciter homo, sed esse Deum, & hominem Christum.

MIHI videtur probabile, terminum *à Quo* (quod à D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 6. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. vocatur extremum, esse, Verbum non esse hominem, atque adeò personam Diuinam, non esse hominem, 167

PROBATVR à Suarez argumento S. Bonauenturæ, quia terminus *à Quo* est ille, qui opponitur termino

termino *ad Quem*; at terminus *ad Quem* est, vt persona Verbi esset homo: Ergo alterum extremum est, vt Verbum non esset homo. Idem ferè ait Lugo, etsi multis id protrahat distinctionibus.

Terminvs verò *à Quo* formalis est in huma-
168 nitate carentia modi substantialis, quo vnitur Verbo. Patet eadem ratione quia opponitur termino *ad Quem*; is enim est modus in vnione, quæ dicit dependentiam humanitatis à Verbo, nec ab ea differt, vt monet Suarez, *disp*.8. *sect*.3. Vasq. *disp*.18. *num*.26. neque ritè Lugo *disp*.11. *sect*.3. distinguit in actu secundo, quatenus includit actionem productiuam subsistentiæ: Ea sanè est ante actum primum; est enim prima causa pendentiæ.

ꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏꝏ*†*ꝏꝏꝏꝏꝏꝏ

QVÆSTIO VI.

An Vnio Incarnationis sit omnium maxima.

D. Bonau. dist. 6. quæst. vltim.
D. Thom. q. 2. art. 9.

169 Varias hac de re sententias referunt Vasquez *disp*. 20. Ragusa *disp*. 41. Pasqualigo *disp*. 77. *sect*. 4.

Prima opinio est Durandi *dist*. 5. *quæst*. 3. *numero* 7. vnionem duarum naturarum in Christo non esse omnium vnionum maximam, si sumatur secundùm rationem formalem vnionis; at verò posse dici maximam, extrinsecè consideratam, secundùm dignitatem personæ, in qua fit vnio, idest dignissimam.

Secvnda opinio est, hanc vnionem esse omnium maximam, tum ratione eius, in quo facta est vnio; tum ratione extremorum. Ità Paludanus *quæst*. 3. *art*. 3. *distinctionis quintæ*. Tribuitur etiam Caietano, & aliis Thomistis. Sed perperam, innuit Fuliensis, *lib*. 2. *cap*. 11. *resol*. 7.

170 Tertia opinio est, vnionem hanc solùm comparandam cum aliis vnionibus, quæ ex pluribus distinctis solent resultare; non cum vnitate rerum simplicium plurium formalitatum; eo sensu esse maximam: Ità Suarez *disp*. 9. *sect*. 1. Vasquez *disput*. 20. Valentia *disp*. 1. *quæst*. 2. *puncto* 6. Becan. *cap*. 2. *quæst*. 4. Hæc est sententia D. Thomæ *hîc*, & *in* 3. *dist*. 5. *q*. 3. *art*. 3. *quæstiunc*. 2. Capreoli *quæst*. 1. Scoti *dist*. 6. *quæst*. 1. Alensis 3. *part*. *quæst*. 8. *memb*. 2. *artic*. 3. Marsil. *in* 3. *quæst*. 2. *artic*. 1. *conclus*. 4. & *quæst*. 3. *art*. 2. *puncto* 4. Radæ *contrrou*. 3. *art*. 5. Bellut. *disput*. 2. *quæst*. 6. Mastr. *disp*. 1. *quæst*. 2. *artic*. 1. Lug. *disp*. 11. *num*. 47. qui alios aduocant, dicentes, esse maximam ratione Personæ simplicissimæ, in qua fit vnio.

Pavlvs Nazarius *quæst*. 2. *art*. 9. *contrrou*. *vnica*, asserit, hanc esse vnionem, imo & vnitatum etiam simplicissimarum maximam, & videtur D. Thom. *ad* 1. vbi asserit, esse maiorem etiam vnitate numerali. Secundò dicit, compositum illud substantiale, resultans ex duabus naturis, in vna Christi persona coniunctis, non videri maximè vnum; probabilius tamen maximè esse vnum.

171 Seraphicvs verò, si credideris Suarezio, confusè loquitur; si Vasquesio, balbus, & mancus est, nec difficultatem explicat. Has solent gratias nostro Sapientissimo Doctori referre, à quo illustriora suorum operum monumenta tacito nomine rapuerunt.

Ostendam igitur, Seraphicum, cæteris præclatiùs, quæstionem hanc explanasse. In argumentis itaque prælibat, omnia genera vnionum, & vnitatum, & præ illis hanc vnitatem exaltat.

Vnitas enim est, quæ ex pluribus vnitis constituitur, quæ magis vnitati Christi assimilatur, & hanc primo loco ostendit cedere vnitati Christi. Alia, quæ propriè dicitur vnitas, quia simplex in in se est, non ex pluribus vnitis constituta, qualis est puncti, & hanc *in vltimo argumento*, proponit
vnitati personæ Christi, quia cùm sit in se simpli- 172
cissima, & maximè per se vna, & sub natura sua Diuina, nulla naturæ extraneæ assumptione potest temerari. Ideò remanet adhuc vnitas Christi simplicissima; remanet in se subsistens, non recepta in aliquo per participationem, nec est pars; at vnitas numerica est pars numeri participata, in rebus numeratis composita, inhærens, multumquè habés potentialitatis, & minimum actua, quo res simplicior constituatur. Hanc verò postremis in lineis dereliquit, quia secundum gradationem in hoc, apex vnitatis in Christo ostendebatur. Cùm enim ostendisset, Vnitatem Christi maiorem esse vnitatibus constitutis ex vnione multorum; remanebat comparatio cum vnitatibus simplicium, quæ sunt exquisitiores.

Enim verò, quoad ea, quæ sunt vnum è multis, 173
omittit cautè ea, quæ sunt vnum per accidens, de quibus non est dubitandum, quin sint vnitates inferiores Christo, qui est vnum per se substantiale. Ponit igitur in campo ea, quæ sunt vnum ex vnione multorum substantialium; Hæc verò alia sunt vnum naturâ; alia vnum personâ. Vnum natura constituitur ex per se partibus substantialibus, materia, & forma; genere, & differentia: Vnum hypostasi constituitur ex natura, & subsistentia, quæ in natura rationali est persona, & his omnibus præfert vnitatem personæ Christi.

Qvoniam verò in Christo est maior diuersitas 174
naturarum, quàm in cæteris subsistentibus: Ideò ad trutinam vocat omnes, etiã singulas naturas, quæ sunt in Christo; In eo enim sunt natura Diuina, & humana, & hæ simul comparatæ nullam vnitatem naturæ constituere valent, quia nec humana potest fieri Diuina; nec Diuina fieri humana. Natura quidem Diuina seorsim, & cum Relatione sua Verbi est simplicissima; at natura humana è pluribus naturis componitur, nempè anima, quæ est simplex, non quia ex partibus non constet, vt exponit Vasquez; nam à D. Bonauentura censetur composita ex materia & forma, sed quia non componitur ex partibus, tam variis, & crassis, sicut corpus, quod sanè paruam vnitatem Christo affert.

Igitvr ex parte extremarum naturarum negat, 175
vnitatem Christi esse maximam. Ex parte verò personæ dicit, vnitatem esse maximam propter simplicitatem vinculi, quod nequaquam potest è naturis assumptis, anima, & corpore, Diuinam simplicitatem amittere. Ideò vnitas Christi ratione Personæ est maxima, ea enim est vinculum, in quo fit, vt legenti patet, quidquid dicat Vasquez. Eam verò vnionem simpliciter maximam infert, etiam absolutè, vt patet *in responsione ad argumenta*, maximè *ad vltimum*, vbi etiam vnitati ipsi eam præfert.

Addit verò, hanc vnionem esse maximam, non modò propter simplicitatem personæ, in qua fit vnio, quia simplicissima; sed etiam propter inseparabilitatem eorum, quæ vniuntur propter diuinitatem vnionis, & dignitatem vnitorum in ea perso-

na,

na, & propter miram, & nullibi similem habentem vnionem.

176 DICANT mihi Suarez, & Vasquez; quisnam alius tam exactè quæstionem tradiderit, explicuerit, comminuerit, digesserit? aut quid amplius exoptandum?

IAM verò ostendam, hos Doctores argumenta, nedum conclusiones è Seraphico hausisse, quod gratis plerumque assolent.

ASSERO primò, vnitatem Christi esse maximam resolutè:

177 PROBATVR à D. Bonauent. primò authoritate D. Bernardi *lib. 5. de consideratione*, post medium, vbi ait: *Inter omnia, quæ verè dicuntur vnum, arcem tenet vnitas Trinitatis. Secundò, illa præcellit, quâ tres substantiæ in Christo sunt vna persona.* Vbi Suarez aduertit, D. Bernardum non loqui de vnitatis præstantia solùm ratione dignitatis, vt putat, & respondet Durandus, sed de excellentia coniunctionis naturarum in Diuina persona. Ideò enim dicit, vnitatem Trinitatis esse maiorem, non quia natura Diuina dignior est, sed quia personæ sunt ipsa natura: sic & hanc vnionem probat maiorem cæteris, non quia persona Verbi dignior est, sed quia est maximè vna, & simplex. Igitur ratione simplicitatis eius, in quo fit vnio, assignat præcellentiam huius vnionis; hoc autem est persona Verbi vt sic. Idem vrget etiam

178 Vasquez *num.* 18. & mox ostendam.

RESPONDET Scotus *dist.* 2. *quæst.* 1. & Faber *disp.* 8. *num.* 19. dici à D. Bernardo maximam perfectione; nam Verbum est infinitæ perfectionis, & humanitas est perfectissima; neque ex vnitate maxima ipsius personæ Verbi præcisa satis colligi, esse maximam vnionem, quia debet considerari, vt facit compositum cum natura humana, quod constat ex natura creata, & persona increata.

At verò satis ostendi, Bernardum non loqui de vnitate quoad perfectionem: Quod verò subdit, infra satis refelletur. Quamvis pugnet Faber, nec sciat vbi Scotus sit.

179 PROBATVR secundò à S. Bonauentura ex validitate nexus, quo extrema iunguntur ratione sumpta ex SS. PP. Quantò aliqua arctius, & inseparabilius iunguntur, tantò vnio est maior in extremis ratione vinculi: At natura Diuina, & humana arctius cæteris vnitis, & inseparabilius iunguntur in Christi persona: Ergo. Est autem argumentum D. Bernardi *loc. cit.* vbi, cum ostendisset hanc vnionem maximam post vnionē Trinitatis, & hoc quidem ratione simplicitatis nexus, ratione cuius eam præfert omnibus creatis vnionibus, D. Bonau. retulit ex D. Bernardo, *quæst præcedenti*, nempe vnitati per accidens agregatæ, *verbi gratia*, multorum granorum in aceruo; vnitati constitutiuæ, vt multorum membrorum in vno corpore; & aliis etiam vnitatibus ex partibus integralibus, & essentialibus in toto, & vnitati coniugum in carne vna, & vnitati animæ cùm corpore, quam vocat natiuam; & vnitati cuicunque è materia, & forma; & vnitati potestatiuæ, qua idemmet homo ratione eiusdem virtutis stabilis, & permanens sibi, dicitur vnus, & vnitati votiuæ, qua homo Deo adheret per charitatem. Subdit, ex hoc capite esse maiorem: *Nec*

180 *mirum* (ait) *si non æquè potens anima sit suâ illâ vitali, etiamsi non parum validâ intentione, connectere, atque suis affectibus adstringere sibi carnem; vt sibi diuinitas hominem illum, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute astringat. Longa catena, & fortis ad stringendum diuina prædestinatio ab æterno est.* Et post pauca: *Inde est, quod nec morte incidente vllatenus intercîdi hæc vnitas eximia potuit, etsi carne, & anima ab inuicem separatis.* Idem argumentum construit S. Leo, *serm.* 17. *de Passione Domini*, vbi arguit arctiorem esse vnionem hanc vnione animæ cum corpore, quia hæc solutæ in morte sunt: at natura Diuina, & humana nequaquam, quia: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* ait autem: *In tantam vnitatem Dei, & hominis naturam conuenire, vt nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disiungi.* Ex quo capite magnitudinem huius vnionis cæteris præfert D. Bernardus, quia & anima à corpore, & forma à materia, & partes à composito separantur.

IDEM accinit D. Cyrillus, *in Scholiis de Incarnatione, cap.* 7. vbi præfert vnionem duarum naturarum in Christo vnioni animæ, & corporis.

181 Ex quo habetur, sanctos PP. præferre hanc vnionem cæteris ex inseparabilitate, qua fit, vt etiam extrema habeant intimam ex hoc capite inter se vnitatem; quoniam hæc vnio exponit infinitam virtutem, vt dissoluatur.

RESPONDET Vasquez, *num.* 30. id è sola Dei prædestinatione prouenire ex D. Bernardo. Cæterum dari causas etiam naturales huius dissolutionis, quod *disputatione* 93. *cap.* 3. se probaturum spondet; at ibi nil tale inuenio; ait etiam. In morte Christi non mansit prima vnio; Sed hoc repugnat verbis diui Bernardi adductis, quibus ait: *Nec morte vllatenus intercîdi hæc vnitas potuit.* Quòd verò D. Bernardus prædestinationi ad- 182 scribat; est, quia Incarnatio hæc fuit libera, & dependens a peccato Adæ. Cæterùm, sicuti natura animæ rationalis, & Angeli talis est, vt à solo Deo destrui valeat dissolutione materiæ a forma, in opinione S. Bonauenturæ, ità & hæc vnio suaptè natura est maxima, eóque cæteris maior, quo accedente prædestinatione, qua Deus statuit nunquam nec ipse dissoluere, sicuti posset, quippè sibi intimè vnitam humanitatem, est vnitatibus Angelorum, & animæ præferenda, de quibus singulis non apparet decretum non dissoluendi. Quare Diuina prædestinatio nobis potius fauet, & hoc modo confirmatur testimonium etiam D. Leonis, quem de sola prædestinatione locutum, ait Vasquez, quod tamen non probat. Imò ex verbis D. Leonis colligitur, falsum esse, quod ait Vasquez; nam Sanctus Pontifex sic loquitur: *In tantam vnitatem Dei, & hominis naturam conuenire, vt non potuerit morte disiungi:* Ergo seruata est eademmet vnio, cùm seruata sit etiam ea in eo gradu intensè vnitas, quod Vasquez non aduertit: Ergo morte non est soluta.

183 AD Diuum Cyrillum respondet Vasquez, eum præferre vnionem Christi vnioni animæ, & corporis, non in maiori vnitate, sed in dignitate. Hoc probat, quia Diuus Cyrillus paulò antea mirabilem dixerat hanc vnionem, deinde verò hanc precellentiam ex eo colligit, quia anima patiente, compatitur corpus, & è contra; è regione verò humanitate patiente non patiebatur Deitas. Vnde concludit Vasquez: Ex hoc autem sequitur, vnionem duarum naturarum in Christo esse magis mirabilem, non tamen magis intimam; nam magis intima videtur vnio animæ, & corporis, quæ efficit, vt anima compatiatur corpori, & eius dolores percipiat.

184 HIC pulchram in Vasqu. contradictionem ostendo. Per ipsum, D. Cyrill. extollit vnionē Naturarum in Christo super vnionem animæ cum corpore in so-

lo esse mirabili. In hoc autem acclamatur mirabilior, & à S.Patre præfertur, quia Deitas non compatiebatur patienti humanitati; at anima compatiebatur corpori. Ex hoc igitur sequitur, vt maiorem arctitudinem simul haberent humanitas, & diuinitas, ex qua deberet oriri mutua compassio, si de cætero fuisset capacitas, potiùs quàm in anima cum corpore. Causa enim esse debet compatiendi maior in Christo, vt si non sequeretur, mirarentur omnes. Igitur è suo fundamento Vasquez oppositum deducit.

585 Nos igitur ex eius dictis ritè deducimus maiorem arctitudinem naturæ humanæ cum Diuina, quàm animæ cum corpore, ex qua actione mirum est, & Deitatis priuilegium, si non compatiebatur humanitati patienti, quandoquidem anima compatiebatur corpori.

Vrgeo: Demus hinc animal brutum; sanè color naturalis conseruat animam corpori vnitam, & ipsa calorem conseruat, eoque pereunte corpus resoluitur: Ergone accidens hoc arctius vnitur corpori,& animæ, quàm Verbum naturæ humanæ, cui non contulit corporis, & animæ inseparabilitatem?

Vrgeo: Si per impossibile Verbum, loco animæ, corpus actuaret, adhuc ei non compateretur, quia impassibile. Igitur nil facit ad maiorem vnitatem arguendam mutua compassio.

Addo SS. Patres è peregrinis mediis recitatis à Vasquez non deduxisse intentum ab eo.

586 Probatvr tertiò à D. Bonauentura. Tanto magis aliqua vniuntur, quantò magis communicant sibi mutuò,& prædicantur proprietates: at Diuina natura, & humana ita vniuntur in Verbo, vt fiat exquisita idiomatum communicatio: Ergo. Hoc argumentum, teste Vasquez *num.* 27. est D. Bernardi *loco citato*. Vbi tamen insipidè Vasquez addit, obseruandum esse, Bernardum non dixisse, hanc esse maximam omnium vnitatum, seu vnionum, etiamsi includas etiam vnionem animæ, & corporis, eò quòd magis intimè coniungantur; sed quia in hac vnione vna natura de alia prædicatur; non tamen corpus de anima.

587 Hoc sane repugnat, nam prædicatio vnius de alio oritur ex vnione, vel vnitate maiori,& ità quantò aliquid est vnum cum alio, tantò de eo prædicatur, & ideò ea, quæ sunt formaliter vnum naturâ, inuicem prædicantur in abstracto, vt patet in diuina Essentia, & attributis: Iam verò, cùm natura humana in concreto de Diuina prædicetur, quod non potest anima de corpore, sequitur, maiorem esse vnionem, & vnitatem.

Respondet Vasquez *num.* 33. mutuam prædicationem non prouenire ex maiori vnione ex parte vnitorum, sed ex eo solùm,quòd sunt integræ naturæ in supposito; hinc, licèt sanguis vniatur hypostaticè Verbo,non prædicatus de eo etiam in concreto. At contra dic mihi, cur duæ naturæ completæ, v. g. ignis, & aqua, in composito substantiali non prædicantur? Signum ergo est, arctiorem nexum esse in supposito. Quòd verò in eodem supposito Naturæ integræ prædicentur,hoc est quia natura integra est per se primò hypostaticè inexistens; partes verò ratione naturæ: Ideò ipse Vasq. *n.*20. reddit rationem, cur vnio accidentium in Christo non sit maxima, quia hæc vniuntur naturæ humanæ, & ratione eius Verbo, non autem per se primò.

588 Probatvr quartò à D.Bonauent argumentu, quo nititur Vasquez,*n.* 18. Quantò fuerit simplicior nexus, quo aliqua conuincuntur, tantò maior est vnio ex parte eius,quod vnit; sed nexus vniens naturam Diuinam, & humanam,est persona Diuina, quæ est simplicissima præ cæteris nexibus: Ergo vnio duarum naturarum in Christo est maxima præ cæteris ex parte eius, in quo fit vnio. Miror tamen, Suarez,& Vasquez hoc vti argumento;nam instant, simplicitatem personæ Diuinæ fieri compositam propriè, vt dixi *q.* 5. & notat Faber *disp.*8. *num.*19.

In eo argumento includit etiam aliud S. Bonau. 589
breuitati studens: Propter quod à Suarez carpitur, vt confusus. Enim verò oportet recordari id, quod alias admonui, Theologum quendam opera hæc Seraphici ad breuiora stringendo eneruasse, ac tenebras ei offudisse, vt leges in Chron. Minor. *parte* 3.

Qvanto nobilior est nexus, in quo fit vnio, tantò præstantior est vnio; at nexus in Christo est persona Diuina nobilissima: Ergo vnio præclarissima. Quid verò confusionis affert vtrumque eodem argumento probare, Vnionem esse maximam, & vnitate, & nobilitate? Sanè ipse Suarez æquo prolixior sectiones integras in hoc argumento coaceruasset.

Assero secundò, vnionem Christi in ratione vnitatis naturæ nullam esse, ità vt non sit comparanda.

Probatvr à D. Bonauentura primò. Quo 590
magis distant inter se ea, quæ vniuntur, eo minor est eorum vnio: At duæ naturæ in Christo infinitè distant inter se: Ergo earum vnio nulla est.

Hoc argumento vtitur Vasquez, *numero* 22. ad probandum, vnionem Christi ex parte extremorum non esse maximam omnium, eamque esse minimam, inde infert.

Enim verò argumentum probat, nullam esse; 591
nulla enim de fide facta est vnio in natura. Vnde non erat aliqua comparatio cum vnitatibus in natura, & ideò abutitur Vasquez argumentis, & impropriè definit; & S.Bonauentura propriè locutus est.

In responsione verò aduertit, Deum etiamsi, nulla ratione in natura vniri possit cum creatura, attamen cùm sit maximus actus subsistens & creatura in potentia, vt ab eo sustentetur, posse intimè in hoc modo coniungi, & vniri hypostaticè; vnde perfectius actuetur, quàm materia à forma in alio genere actuatur.

Qvamvis enim materia cum forma vniantur 592
ad vnam essentiam constituendam, & id, quod videtur in eis distare, nempe actus,& potentia arctiorem constituat vnionem, quam inter duos actus; sicuti arctius vnitur corpus conuexum concauo, quàm concauum alij concauo; vel conuexum alij conuexo; attamen plus habet potentiæ creatura, vt sustentus à Creatore, quàm forma à materia; vel materia à forma: Et ideò, licèt minus aptari valeat ad compositionem naturæ, imo nullo modo, tamen plus vniri potest alia vnione substantiali hypostatica, & sic patet primum argumentum D.Bonauenturæ.

Obiicit secundò. Quanto magis aliquid ex paucioribus constat, tantò magis est vnum: sed in Christo reperitur maxima naturarum diuersitas,quæ sit sub cœlo: Ergo.

Respondet S.Doctor,verum esse, eo minorem 593
naturarum vnitatem fieri, quò naturæ magis diuersæ sunt; & in Christo euenire, vt nulla fiat naturarum vnitas; sed alia maxima personæ.

Obiicit tertiò. Id magis est vnum, quod est vnum, non solùm personâ, sed etiam naturâ;sed talis est omnis homo, & Angelus, qui vnus est naturâ, & personâ: Ergo.

Respon

Respondet S. Bonau. tunc diuersitatem naturarũ præiudicare vnitati, quando vnitas personæ oritur ex naturis: Sic enim ex compositione naturarum sequitur compositio personæ; at vnitas personæ Christi non oritur ex natura assumpta, & ideò ex diuersitate naturarum non infertur præiudicium vnitati Christi, quæ est in persona simplicissima, in qua est intensior vnitas, quam sit in materia, & forma, licèt extensiuè, idest, pluribus modis materia, & forma vniatur in corpore, vt notat etiam Valentia. Quæ autem compositio admittenda sit, dixi *quæst. 3.*

194 Obiicit quartò. Id magis est vnum, quod non est multiplicatum, imò nec multiplicabile; Sed in puncto, & vnitate est talis vnitas, quæ non est in Christo, cuius sunt multiplices naturæ, & entitates: Ergo.

Respondet S. Doctor, vnitatem, quæ dicit multiplicitatem facientem in se compositionem, esse inferiorem vnitate indiuisibili; at multiplicitas naturarum in Christo non componit personam Christi, nec eius simplicitatem valet temerare, vel diminuere. Vnde non benè Nazarius asserit, vnitatem in persona Christi ex duabus naturis non esse probabiliter magis vnam composito substantiali materiæ, & formæ, ex eo quia multas includit naturas; & inter has humanam, quæ est composita. Respondetur enim, nullum è naturis vnitati personæ Christi prouenire præiudicium.

195 Obiicit quintò. Non magis simplex est natura Diuina, in qua tres personæ Diuinæ vniuntur, quàm sit persona Verbi, in qua vniuntur Naturæ Christi: Ergo æqualis est amborum vnitas.

Respondetur; Naturam Diuinam magis intimè esse vnam cum personis, quam sit persona Verbi cum natura assumpta, ideò minor est vnitas, vt ait D. Bernardus.

QVÆSTIO VII.

An vnio Incarnationis ita singularis sit, vt sui non habeat similitudinem.

D. Bonau. dist. 6. art. 2. quæst. 2.

196 Assero, hanc vnionem esse singularem, nec sui habere similitudinem, si adæquatè cõsideretur.

Probatur à D. Bonauentura primò ex variis vnionibus naturalibus, quæ in Metaphysicis traduntur, quibus hæc est dissimilis. Vide S. Doctorem latè, de his disserentem.

Quamvis enim in eo sit similis, quod vnam personam habeat; tamen nusquam duæ naturæ substantiales completæ in vna stant subsistentia.

Præterea multas hæc vnio inuoluit proprietates singulares; vt Distantiam vnibilium, terminos vnionis, vinculum vnionis, &c.

197 Nullibi enim inuenitur vnio substantialis Dei, & carnis; naturam quoque Diuinam, & Humanam in vna Persona colligatas nullibi reperies.

Imprimis enim, aut fit vnio per accidens, vnius accidentis, vel etiam plurium in eodem subiecto; aut fit per se, & hoc nouem modis: vel enim duo vniuntur in eodem genere, vt Plato, & Asinus in animali; vel in eadem specie, vt Petrus, & Paulus in homine; vel vniuntur in numero, ita vt singulare solùm resultet; vel in continuatione, vt idem sit duorum terminus; vel in definitione, ita vt vnum sit definitio alterius; vel in indiuisibilitate, vt punctus; in simplicitate, vt essentia; in totalitate, vt circulus; in proportione, vt currus, & nauis; vel denique in materia, vti omnia materialia: Sed vnio, qua duæ naturæ totales, & diuersæ in eodem supposito vniuntur, non est vlla ex præcedentibus, vt per se patet: Ergo. Licet enim aliquam cum aliquibus præcedentium vnionum habeat similitudinem; eò quòd vna sit persona; in eo tamen omninò dissimilis est, quod vtraque natura completa sit. 198

Præterea licèt hæc sacratissima Vnio cum multis vnitatibus in nonnullis conueniisset, nulla tamen vnio excogitabilis est, quæ habeat collectionem tot proprietatum, & similitudinum, quas possidet Incarnatio, in qua est distantia maxima vnibilium, vinculum vnitorum arctissimum, Principium vnionis potentissimum, & terminus denique vnionis propriissimus: Quamvis autem in aliquo concurs sit cum vnione votiua, per quam creatura vnitur creatori; cum vnitate potestatiua, qua idem semper stabile, sibi dissimile non sit; cum vnitate natiua, per quam è duabus quoquomodo naturis vna resultet persona; & tandem cum vnitate coniugatiua, per quam fit inter duo perpetua, & indissolubilis vnio; hæc tamen in vnione Incarnationis simul collecta, eam omninò omnibus, & singulis dissimilem reddent. 199

Ipsum dic de quinque aliis vnitatis speciebus, quas è D. Bernardo refert S. Doctor *fundam. 3.* Est enim vnitas Collectiua, multa in vnum congerens; est vnitas Constitutiua, è partibus aliquod totum constans; est vnitas Consentanea, plurium cor vnum & animam vnam concilians; est Vnitas Trinitatis, vnam naturam in tribus personis admittens; Est postremò vnitas Dignatiua, qua corruptibilis creatura assumpta est à Verbo in vnitatem personæ; ad quam (quærit D. Bernardus) quid sunt cæteræ vnitates? nimirum quia hæc singularis differentiæ prærogatiua inter cæteras emicat; vnde etiam speciale ei nomen affixit, dum *Dignatiua* nuncupatur. 200

Confirmat hæc S. Doctor illo Ierem. 31. *Nouum faciet Dominus super terram, Mulier circumdabit virum*, sed non esset nouum, si sui simile priùs extaret: Ergo.

Obiicies cum Seraphico *arg. 1. è contra.* Comparat Apostolus cum vnione Incarnationis vnitatem coniugum; Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, &c.* ergo est ei similis. 201

Responsio habetur ex dictis; esse similitudinem quoad vinculi perpetuitatem, in cæteris verò esse dissimilitudinem; Alia quæcumque obiici possint, soluuntur applicatione multiplicis vnionum distinctionis, supra adductæ.



DISPVTATIO SEXTA.

DE RATIONE FORMALI MORALI INCARNATIONIS.



OSTQVAM egimus de natura, seu entitate formali, & essentia Physica Incarnationis, iam agendum est de eius entitate morali, prout est Gratia, vbi oportebit discutere an fuerit sub merito alicuius, an verò simplex Gratia, & sic aliquas etiam causas Incarnationis morales examinabimus, vt postea alias efficaces discutiamus. Finalis verò, & formalis iam disputata est. Materialis verò infrà discutietur. Sic enim subiectum exigit præsens, vt materia postponatur, vt dicam *disputatione 9.* Porrò illi, sub quorum meritis cadere potuerit Incarnatio, in triplici sunt differentia. Primus, & præcipuus est ipse Christus, de quo disputari porest vel ratione operum sequentium Incarnationem, vel ratione Humanitatis, quam aliquo instanti hoc mysterium præcessisse concipimus: Secundo loco sunt SS. Patres, qui pro promisso Messia iugiter suspirarunt, quorum gemitus propter causæ excellentiam multo merito vacare nequiuerant: Tertio tandem loco est Sacratissima Deipara, quam ob specialis puritatis prærogatiua, speciali etiam merito Vnigenitum Patris in intemeratum gremium attraxisse fas est. Hæc Tria sequentibus quæstionibus discutiemus; priùs tamen præsenti quæstione ponderanda est exuberans huius Doni magnitudo; deinde num pura fuerit Gratia, vel an ex illa ortum habuerit; his enim primo loco discussis, procliuior ad priores difficultates aditus patebit.

QVÆSTIO I.

An INCARNATIO *sit maxima communicatio, & donum Dei.*

D Bonau. dist. 2. q. 1. & art. 2. q. 1 ad 2. & tertium.
D Thom. art. 10. ad 1. & 11. & infrà q. 4. art. 1. ad 2.

1. CONNECTITVR hæc quæstio cum superiori, quâ vidimus, Incarnationem esse maximam vnionem inter Physicas. Considero autem hic Donum in genere, siue aliquo merito alicuius nobis impetratum sit, siue non.

PRIMA opinio est negatiua. Ita Marsil. *in 3. quæst. 3. art. 2. in corol. post tertiam conclusionem,* Richard. *in 3. dist. 2. art. 1. quæst. 4.* Durand. *in 3. dist. 2. quæst. 1. num. 10.*

SECVNDA sententia est affirmatiua. Ità Sancti Doctores, Bonauent. & Thom. quos sequuntur omnes Thomistæ. Idem sentiunt Suarez *disp. 9. sect. 1.* Vasquez *disp. 20. cap. 4.* & ante omnes Alensis *3. p. quæst. 11. & 12. art. 1. mem. 1.* Albertus *3. dist. 2.* quos subsecuti sunt Henric *quodlib. 6. q. 6. & quodlib. 3. quæst. 5.* Scotus *4. distinct. 49. quæst. 2. §. Ad istam secundam quæstionem,* Bellutus *disp. 2. quæst. 6.* Mastrius *disp. 1. quæst. 2. art. 1.* Fulienl. *lib. 2. cap. 11. resol. 7.* Becanus *cap. 2. quæst. 4.*

ASSERO cum hac sententia.

PROBATVR à D. Bonauent. primò ad ea verba Ioan. 1. VERBVM CARO FACTVM EST, vbi D. Augustinus *tract. 2. in Ioannem,* & *3. de Trinitate, cap. 9. & 13.* ponderat, priùs Euangelistam dixisse: *Dedit potestatem Filios Dei fieri,* quòd quia donum incredibile videbatur; ideò alio maiori dono confirmat, quia *Verbum caro factum est.* Etenim 2.

maius

maius est, Deum [illegible] nobis hypostatice communicare, quam [illegible] gratiam adoptionis. Hoc testimonio nituntur Suarez, & alij.

RESPONDET Vasquez num. 38. parum ind[illegible] probari: [illegible] D. Augustinus non contendit probare [illegible] qu[illegible] [illegible] donum naturæ humanæ, sed quod [illegible] maius opus Dei.

5 AT verba S. Augustini luce clarius demonstrant, quod [illegible] credimus, ait enim: *Prius [illegible] Verbum voluit [illegible] hominis, ut tu nasceris ex Deo, & diceres [illegible] Non sine causa Deus [illegible] ex homine [illegible], nisi quia aliquius [illegible] [illegible] [illegible] immortalem me faceret, & pro me mortaliter nasceretur. [illegible] dixisset: ex Deo nati sunt qui [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] [illegible], ut [illegible] incredibile [illegible] crederetur, qui [illegible] ex Deo nati sunt [illegible] [illegible] [illegible], ait: Et Verbum caro factum est. Quid [illegible] miraris quia homines ex Deo [illegible] attende ipsum Deum natum ex homine [illegible].*

[illegible] habes D. Augustinum [illegible] [illegible], maiorem [illegible] esse in Incarnatione, [illegible] addit est, ne [illegible] [illegible] bilis videretur gratia adoptionis [illegible] enim ma[illegible] gratia minorem arguit.

4 PROBATVR secundò. D. Bonauent. & D. Chrysostomo in Ioannem homilia 1[illegible], [illegible] [illegible], vt notat etiam Suarez.

PROBATVR tertiò à S. Doctore [illegible] parte Breuil. cap. 9. ex Rom. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis [illegible] tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.*

PROBATVR quartò ratione D. Bonau. loc. adducto d. 4. quæst. 1. ad 2. Id quo emuntur [illegible] re[illegible] [illegible] cætera dona est maius [illegible] [illegible]. T[illegible] [illegible] Incarnatio, qua emitur gratia redemptionis, & gloriæ [illegible]ibus. Ergo.

5 PROBATVR quintò a S. Doctore ad tertium. Sumatur seorsim gratificatio, & glorificatio, & seorsim Incarnatio. Certum est, Incarnationem valere toti generi humano ad meritum ad gratiam ipsam, & ad gloriam, & esse causam omnium donorum. Deinde ponamus hæc dona in duobus distinctis, tunc licet maius donum sit gratificatio ille, quam quod natura humana sit in Iesu Christo attamen, si consideretur donum Incarnationis absolutè, maior est communicatio Incarnationis, qua non solùm accidentaliter obiectiuè, aut per adoptionem, sed substantialiter fit homo DEVS: quia hic per ipsam Deitatem Deificatur; ibi verò per participationem Deitatis accidentalem Deificatur creatura rationalis, & fit [illegible] sancta efficitur, vt dixit [illegible] D. Bonauentura, de [illegible]. 3. quæstione 8. & ideò maius donum est Incarnatio, vt arguit S. Doctor, ad 1. Ioannis, ex Augustino, & Chrysostomo. Hac ratione ait Vasquez, demonstrari conclusionem, eaquè vtuntur etiam Suarez, & Mastrius. Estque S. Bonauenturæ etiam dist. 2. art. 3. quæst. [illegible] in corpore.

6 OBIICIES primò D. Augustinum tractat. 10. in Ioannem, & epist. 38. vbi asserit, maius esse, Deum corde [illegible] mente quàm ventre. Idem dicunt alij PP. ad id Lucæ 11. vbi cùm mulier clamasset: Beatus venter, qui te portauit. Subdit Christus: *Quinimo beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* & Lucæ 8. vbi matrem, & fratres, quasi eos renuens, eis postponit, qui Verbum Dei audiunt.

RESPONDETVR ex S. Doctore ad ea loca, fieri comparationem præcipuam inter concipientem corpus Christi, si esset absque Spiritu gratiæ; & extraneum adoptatum amantem, & hunc illi præponi;

matrem verò superaddendo laudat, dicens: *Quinimò, &c.* idest, non modò beata, quæ concepit Verbum carnem factum, sed etiam spiritu souens; non tamen comparat iustum cum humanitate vnita sibi hypostatice, quæ in ipsa vnione sanctificatur: non enim ponit vniri humanitati existenti, & permanenti in peccato, è lege saltem ordinaria.

OBIICIES secundò. Vnio hypostatica potest communicari bruto, vt diximus disp. 3. quæst. 3. non autem gratia, vel gloria potest bruto communicari; Ergo hæc sunt maiora dona, nam requirunt nobilius subiectum. 7

RESPONDETVR ex S. Doctore dist. 1. loc. cit. in [illegible] vnionem hypostaticam secum trahere sanctificationem, & glorificationem, & ideò in Bruto non habituram suum effectum completum, si dolam [illegible] rationem impedit [illegible] productione donorum, ex ea necessariò consequentium. Hinc S. Doctor [illegible] 3. deducit, soli creaturæ rationali conuenire vnionem hypostaticam, quia [illegible] conuenit gratia, & gloria. Quamuis igitur posset Deus ex potentia absoluta sibi vnire brutum, non tamen haberet effectus omnes vnionis hypostaticæ.

ADDO, non sequi, hoc esse maius donum, quia potest pluribus communicari, sic enim natura [illegible] per generationem potest pluribus communicari, quam natura [illegible], & tamen illa perfectior est. Neque [illegible] ratione subiecti potest conuinci nobilior forma, nam barba requirit hominem, nec potest esse in Aquila, & tamen non est nobilior pennis Aquilæ, vel pauonis. 8

Ex his habes, Eucharistiam esse maius donum extensiuè, quia pluribus datur; non intrinsecè, quia accidenter vnitur.

QVÆSTIO II.

Vtrum Vnio duarum naturarum sit facta per gratiam.

D. Bonau. d. 2. art. [illegible] q. 1. 2.
D. Thom. quæst. 2. art. 10.

NON quæritur hic adhuc, an fuerit mera gratia formaliter, an potius ex merito: sed, an requisierit aliquam gratiam necessariò, vt fieret Vnio hypostatica.

9 GABRIEL in 3. dist. 2. Alensis 3. part. quæst. 7. memb. 2. art. [illegible] & quæst. 1[illegible] mem. vltimo, & quæst. 12. memb. 1. dicunt, fuisse necessariam gratiam, vt fieret vnio hypostatica. Hanc opinionem Vasquez disp. 40. num. 2. adscribit Seraphico: quod dixerit, gratiam habitualem fuisse medium per modum causæ, hoc est, per modum vinculi, sicut iusti vniuntur Deo per illam, asseretque, esse medium congruentiæ, non di[illegible] à necessario; Sed quàm falsò id dicat Vasquez, ostendam in fine, è verbis Seraphici Doctoris.

SECVNDA sententia docet, congruè aliquam gratiam in anima Christi præcessisse, vt dispositionem ad nobilissimum esse substantiale hypostaticum in Verbo. Ità D. Bonauent. quæst. citata, vbi D. Thom. quæst. 2. art. 2. Paludan. quæst. 2. art. 3. Gabriel, quæst. vnica, art. 2. Carthus. quæst. 5. Mastrius quæst. 1. art. 1. ad 1. dub. Eandem indicat Alensis 3. part. quæst. 4. memb. [illegible].

TERTIA sententia est, hanc vnionem non esse factam media aliquâ gratiæ dispositione. Ità D. Th. 10

hîc & quæst.6. artic. 6. & quæst.7. art.13. Scotus *in 3. dist.2. quæst. 2. art. 2.* Soto *3. dist.2. quæst.1.* Richard. *art.2. quæst.3.* Durandus *quæst. 3.* & omnes Thomistæ, Suarez *disp.10.sect.2.* Vasquez *disp.4 ..* Mastrius *disput.1 quæst.2. art.2.* B.can. *cap.2. q.6.* Motandus *quæst.15.* Granado *de Grat. tract. 4. d.8. sect.5.* Lugo *disp.16.sect.5.* dicentes esse effectum Physicum personæ vnitæ.

ASSERO primò, nullam gratiam necessariam fuisse, vt fieret vnio hypostatica.

11 PROBATVR à D.Bonauent. *in corpore*, quia gratia, quæ sit causa, vel dispositio necessaria proxima gratiæ vnionis, debet esse in eodem ordine entis,& excellentiæ, ne dicatur dare, quod non habet, & disponere vltimò ad eam sibi improportionatam in ordine entium; at gratia habitualis est [illegible] totis ordinis entis; est enim accidens adoptionis [illegible] naturam; at vnio facit esse Filium Dei naturalem. Ergo illa non potest huius esse causa. Hac ratione vtitur Suarez.

DICES, etiam accidens disponit ad substantiam. Respondetur, esse eiusdem ordinis entis.

PROBATVR secundò à S.Bonauentura, *in argumentu*. Si necessaria est aliqua gratia causa vnionem, sequitur, corpus, quod est incapax gratiæ, esse incapax vnionis hypostaticæ, vt arguit etiam Suarez.

12 PROBATVR tertiò à S.Doctore. Ponamus animam gloriosam assumi à Verbo, & statim dimitti; vel dum est vnita priuari gloriâ, certum est, mansuram vnitam, etiam priuatam gratiâ & gloriâ, & eandem futuram gloriam in vnione, & sine vnione: Ergo nec gratia, nec gloria efficit vnionem hypostaticam, cùm neque eius priuatio ea priuet. Per easdem autem causas res destruuntur, per quas etiam producuntur. Confirmatur à D.Bonauentura, quia gratia sanctificans non minùs disponit ad vnionem cum Verbo, quam cum Patre & Spiritu Sancto, cùm sit Deiformitas cum tota Trinitate.

13 ASSERO secundò, gratiam aliquam congruè concedi, tanquam dispositionem, & ornamentum in Anima Christi.

PROBATVR à S.Bonauentura quia humanitas prius natura extitit, quam assumeretur: Ergo potuit aliquo ornamento disponi: hoc autem est gratum fuit vt præpararetur tam nobili dono, sicut ex parte corporis intelligimus pulchritudinem, Psal.44. *Speciosus forma præ Filiis hominum, &c.*

RESPONDET Suarez, quòd, quia natura humana, nodè sumpta, non est per se sufficienter ornata, ideò decuit vt haberet dispositiones consequentes; neque decuit, illas præire, quia potiùs vnio hypostatica debuit, vtpote substantialis, præcedere omnem accidentalem, & vix potuit, quia requirebatur substantia. Corporis verò pulchritudo est potiùs consequens.

14 At non percipit argumentum S.Doctoris. Ex eo enim, quòd natura humana noda iacet, cur non est aliquo modo exornando? neque præcedere debuit vnio hypostatica,eò quòd substantia [illegible] fit,nam etiam in inductione formæ substantialis præmittuntur dispositiones accidentales, v. g. caloris ad [illegible] m, cum supra allato discrimine; hæ enim dispositiones in humanitate sunt tantùm congruæ, non autem causæ necessariæ disponentes, vel efficientes vnionem, quæ est altioris ordinis. P[illegible] christudo vero nonne in organizatione facta est à [illegible] itu Sancto præparante humanitatem, sicuti & [illegible] perfectissima [illegible] complexio nobilissima, vt [illegible] esset [illegible] personæ? Quod verò ait, præcipuisita fuisse substantiam,vt capetet accidentia, dico, non necessaria [illegible] in anima Christi, & in corpore præcessisse [illegible] ptionem Verbi, & tamen nunquam habuerant aliam subsistentiam. Ità refellitur etiam Becanus, & alij.

OBIICIT Becanus cum Suarez. Esse accidentale supponit esse simpliciter: Ergo & esse gratum per habitum supponit esse substantialiter vnitum. Eodem argumento vtitur Mastrius, & alij. 15

RESPONDETVR primò, esse accidentale præcedere esse simpliciter in supponendo, licet in constituendo [illegible] esse substantiale, & cum anima habuerit prius [illegible] potuit [illegible] capax huius dispositionis, quod Suarez [illegible] fundamentis non potest negare.

OBIICIT secundò. Gratia habitualis data est ratione vnionis [illegible] *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre, plenum gratiæ*, Ioan. 1. Ideo enim [illegible] gratia, quia assumpta, & data est [illegible] ad [illegible].

RESPONDETVR, non repugnare, eandem qualitatem, [illegible] ex [illegible], & ad eam disponere, atque adeò posteriorem [illegible] in genere [illegible] efficientis, & priorem in genere causæ materialis. [illegible] hoc casu. 16

OBIICIT [illegible] cum D. [illegible] *quæst* [illegible] Scoto, Durando, & Caietano. [illegible] operandi [illegible] supponit [illegible] in se, quia prius est esse, quam operari: Ergo.

RESPONDET D.Bonauentura, dari [illegible] nam [illegible], & hac de [illegible] datam a [illegible].

IAM tempus est vt ostendam, quam [illegible] adducatur S.Bonauentura à Vasquez. Ait [illegible] S. Doctor in corpore: *Cum quæritur, vtrum anima vniatur Verbo, mediante aliquo habitu gratuito, dupliciter potest intelligi: aut quod ille habitus in [illegible] teneat rationem congruentiæ, vel rationem causæ [illegible], vt [illegible] rationem conuenientiæ, concedi potest quia non decet [illegible] ipsam Verbo vniri nisi [illegible] tus habitu deiformitatis. Si autem intelligatur, vt ille habitus teneat rationem causæ, veritatem non habet.* Et affert rationes in prima assertione recitatas & concludit, concedendas rationes quæ ostendunt, quod non fiat vnio mediante habitu [illegible], quia probant, non fieri per modum causæ, ad modum, quo homo iustificatur per gratiam, & meretur per [illegible] atem mouentem: Vasquez autem sensum [illegible] percipit nempe gratiam in anima Christi esse causam, & vinculum necessarium, quo vniretur Deo, sicut iustificatio fit necessariò per gratiam habitualem. 17

VASQVEZ [illegible] ingenue confessus aliorum rationes [illegible] infirmas, sicut [illegible] prima [illegible] placet) [illegible]: Si gratia data esset ante vnionem hypostaticam, [illegible] data [illegible] affectu adoptionis, sed hoc est falsum, quia [illegible] non fuit Filius Dei adoptiuus. Sicut autem, quia tempore non præcessit humanitas vnionem, non potuit eam promereri ex D. Augustino: ita quòd tempore præcessisset, inere [illegible] non [illegible] dicendum est, fore vt gratia habitualis posset esse dispositio, si tempore præcederet Incarnationem. 18

RESPONDETVR negari [illegible] humanitatem illam ob eam gratiam filium adoptiuum; nam vt *cap.3. quæst.* [illegible] dixi, filiatio respicit personam; illa autem humanitas in illo priori non erat persona, vt de fide constat. Ex quo etiam sequitur, non potuisse operari ad merendam Incarnationē,quia operatio est subsistentium, nec [illegible] præcessisset in tempore aliquo sufficiens foret, nisi simul [illegible] subsistens.

DEINDE

19 DEINDE negatur [illegible] ritas, [illegible] præcedens requi[illegible] Inte[illegible] it, & [illegible] em præcedentem v[illegible] on [illegible] fusi gratiæ [illegible] informationem, quæ p[illegible] ut esse simul cum creatione, sicuti in Angelis, & Adamo alleg[illegible]

QVÆSTIO III.

An Humanitas C[illegible]ISTI *sanctissima emeruerit vnionem cum Verbo.*

{D. [illegible]

20 FABER *disput.44.num.34.* & Suarez *disput.* [illegible] 7. [illegible] ferunt D. Bonauenturam, & alios, [illegible] *quæstione præcedenti* pro secunda sententia, confse[illegible] qu[illegible] olercre vi[illegible] ri, Humanit[illegible] Christi [illegible] t[illegible] tam ante [illegible] me[illegible] operat[illegible] gra[illegible] on[illegible] ad V[illegible] num [illegible] co[illegible] tum [illegible] uit, vt notat Vasquez *disput.* [illegible] *numero* [illegible] Hæc [illegible] verò S. Bonauentur[illegible] dit, V[illegible] h[illegible] postaticam sub [illegible] merito esse p[illegible] [illegible] 1. [illegible] 4. *art.2.* passi[illegible], & alibi, vt in[illegible] [illegible] n; [illegible] Thom. *quæst.2. art.11.* vbi omnes T[illegible] ltæ, & Theologi ibidem, Ale[illegible] 3.*part.* *qu*[illegible] *8. memb.4. art.2.* & [illegible] quos refert, & se[illegible] [illegible] za[illegible] us *ad hunc art. D. Thomæ*, vbi cum [illegible] c[illegible] e dogma fid[illegible], [illegible] de merito propriè [illegible] it [illegible] rmo; & o[illegible] tum d[illegible] nte [illegible] Photi[illegible] m concedere. Id verò non [illegible] D.Bonau. o[illegible] *uæst.*

21 [illegible] RO primò, Humanitatem Christi non em[illegible], nec mereri potuisse Vnionem sui ad V[illegible].

PROBATVR primò à D. Bonauent. *dist.4. art.2.* fundamento vltimo, quod fundamentum vniuersale est. Quod intrinsecè habet rationem gratiæ, non cadit sub merito: Incarnatio habet rationem gratiæ: Ergo non cadit sub merito. Maior probatur primò ex Apostolo, Rom.11. [illegible] *gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non esset gratia.*

PROBATVR secundò. Quod principium est meriti, non cadit sub merito; quod habet esse causam gratiæ, est principium meriti. Ergo. Quod habet esse causam gratiæ, non cadit sub merito. Maior hæc probatur ex communi Theologorum consensu, & [illegible] titur eo principio Philosophiæ, quod [illegible] non [illegible] idem esse causam, & effectum.

22 S[illegible]SVMO: Sed Incarnatio est summa, & prima gratia, vnde aliæ in Christo gratiæ causantur, & [illegible], vt omnes fatentur cum D. Bonauent. *dist.4. art.2. quæst.*[illegible] *ad 2.* & alibi passim. Subsumptum probatur adhuc è Scriptura, quæ asserit, Humanitatem Christi illa vnione hypostatica sublimatam. Psal 8. *Quid est homo quod memor es eius.* Quod Apostolus *1. ad Hebræos*, exponit de Christo homine.

23 CÆTERA verò loca, quæ recitat Vasquez [illegible] *p.1.* Morand. *tract.1. quæst.17.* & affert Nazarius *controuersia citata, quæst.2.* solum probant esse gratiam quoad n[illegible]. Talis est ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei* &c. Et cap. 3. *Apparuit benignitas* [illegible] *humanitas Saluatoris,* &c. *non ex operibus,* [illegible] *fecimus nos*, vt notat Suarez *loco citato*, & Vasquez *num.*[illegible] 2. post [illegible] Bonau. *dist.4. art.2. quæst.1.* [illegible] *mento primo* ex [illegible] loss[illegible], quæ Apparitionem vocat Incarnationem. Simile sunt Lucæ 1 *Per viscera misericordiæ visitauit nos,* &c. Ioan.3 *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Hæc non rectè Mastriu *disp.3. quæst.12.* assumit ad alia [illegible] tionem comprobandam, vt notant alij; nam Scripturæ [illegible] tæ vocant Incarnationem gratiam solùm respectu nostri, vt supponit S. Doctor *dist.4. art.2 quæst.1.* Suarez primò ostendit, non potuisse humanitatem mereri prædestinationem ad hypostaticam vnionem, quia hæc in diuina dispositione præiuit voluntatem conferendi ei gratiam habitualem, qua mereretur. Idem vult D.Bonau. qui etsi concedat, datam gratiam ei præuiam ad ornatum; attamen vult, impertitam ex intentione vnionis hypostaticæ; sicut Præfectus aulæ Principis præparat ut ad ornandum hospitium pro Rege venturo.

24 In quo valde hallucinantur Faber, & Suarez *loco cit.* putantes, Seraphicum, & asseclas teneri concedere meritum humanitatis ad vnionem, ex eo, quod prius natura habuerit gratiam ad ornatum. De inde subdit Suarez, humanitatem Christi facilius potuisse mereri executionem Incarnationis; quam prædestinationem; tametsi neutram meruerit.

HOC sane falsum esse conuicimus *prima primæ, tract.1. disput.16. de Voluntate Dei, & disp.21. de Prædestinatione, quæst.7.* eodem enim ordine Deus exequitur opera, quo statuit ab æterno, neque vno modo decernit, & alio exequitur, vt notat ibi al[illegible] gatus D. Bonau. Quam rationem sibi adscribunt Vasquez, & Faber. Ideò enim D. Augustinus quoties concedit, dari nobis aliquid in tempore ex meritis, asserit etiam, ita electa esse merita in Diuina præscientia, & prædestinatione, vt, notat Vasquez *disp.22. num.23.*

25 QVAMVIS enim in physicis sit prior finis in intentione, quàm electio mediorum, & tamen postea media ipsa conducant ad finem consequendum; eo quòd media physica operantur ad finem; attamen media moralia, qualia sunt merita, non sunt media physica, quæ actione aliqua reali ad consecutionem finis operentur, sicut medicina operatur ad sanitatem, sed solùm sunt causa consequendi finem per modum impetrationis, relata ad voluntatem eius, qui confert alteri finem. Quare meritum in tempore non potest esse medium, nisi moueat voluntatem alicuius ad conferendum finem; ex quo sequitur, eadem merita debere præcedere in intentione, quia est eadem voluntas dandi in consultatione, & in executione, & ita ab eodem moueri debet. Sic igitur Deus ita confert in tempore ex meritis aliquid, sicut ab æterno præfinivit dare.

Ex quo sequitur, Axioma illud: *Principium meriti non cadit sub merito*, verum esse, non solum quoad executionem, sed etiam quoad intentionem Dei prædestinantis.

26 PROBATVR secundò ratione validissima D. Bonauent. *in 3. dist.18. quæst.1. argumento primo, ad oppositum*, addita solutione. Hac vero nituntur Suarez *hic*, Faber *3.disp.44.cap.5.* Mastrius *num.437.* & alij.

SVPPONIT autem hæc ratio afferenda, primò humanitatem Christi nunquam habuisse suum suppositum, nec aliquod suppositum præter Verbum contra Photinum, qui dixerat, fuisse prius Christum hominem merum, & meruisse vnionem hypostaticam ad Verbum. De cuius censura dicam in fine. Itaque humanitas Christi simul tempore est assumpta, licet prius naturâ fuerit creata, quàm assumpta, vt fatentur Theologi cum D. Bonau. *dist.*[illegible]

SVPPONIT secundò, humanitatem sumendam pro statu suo. Quare non est quæstio, an per merita subsequentia meruerit vnionem; nam, esto concederem, id fieri (quod sequenti quæstione discutiam) attamen, cùm post vnionem hypostaticam non fuerit simplex homo; iam, non humanitas, sed Christus meruisset.

27 SVPPONIT verò præcipuè ratio asserenda axioma illud: *Actiones sunt suppositorum.* Hanc Philosophi acclamant esse Aristotelis 1. *Metaph, cap.* 1. vbi asserit quidem, actiones esse singularium, at cùm Aristoteles non cognouerit distinctionem suppositi à natura, quæ nobis solum ex Mysterio Incarnationis innotuit, iam pro eodem accipit singulare, & suppositum.

Hoc dogma sic intellexit D. Damascenus *lib.* 3. *de fide, cap.* 1[illegible]. Vbi enumerat: Virtute operatiua, & virtute operandi prædito, seu Operante & opere, subdit: *Operans demque is, qui actione fungitur, hoc est, persona.* Vbi habes, Damascenum concedere quidem naturæ virtutem operatiuam, qua operans quod est suppositum, operatur vt *Quo*: Est autem grauiter notandum Damascenum hic distinguere propria cum que nomina, & personæ prout distinguitur a natura, concedere, & assignare operari; naturæ vero virtutem operatiuam. Quod si per hanc intellexisset virtutem operandi, vt *Quod*, eam confunderet cum
28 persona. Id si attendisset Vasquez, non concederet naturæ operari, vt *Quod*, in sententia Damasceni. Quod si operatio esset naturæ propria, insulse Damascenus id adscriberet, tanquam proprium, personæ; proüt à natura differt, sed ei conueniret solâ extrinseca denominatione. Hinc Faber *Theor.*87. in fine hac ratione conuictus concedit, saltem vt conditionem, necessarium esse suppositum ad operandum.

QVÒD verò adducit Vasquez ex Aristotele 3. *de anima, cap.*4. vbi ait, se tractare de ea animæ parte, qua anima intelligit, & sapit, vbi videtur concedere aliqua opera animæ, vt *Quod* & sua virtute, vt *Quo*, friuolum est: nam ibi Philosophus tractans rem, admonet, impropriè anima concenire ratiocinari, seu intelligere, sed id homini, qui est persona, adscribendum, tanquam operanti vt *Quod*, vt infra referam.

29 Hoc axioma nobis cum intellexit Magnus ille Theologus, Ioannes,in Concilio Florentino, personas omnium PP. Theologorum sustinens *sess.*18. post medium, vbi pro sua sententia assumit tanquam expositionem omnium Theologorum calculis confirmatam: *Actiones sunt suppositorum*, tanquam vt *Quod*; naturæ verò,tanquam vt *Quo*.

FATETVR hoc Vasquez ingenuè; ait tamen, non esse à Concilio definitum, nec confirmatum à Patribus: At licèt non sit definitum, tamen eius disputatio fuit à Patribus acclamata solidissima in fine.

30 NEC afferat mihi Vasquez; in septima Synodo Patrem quendam asseruisse, Angelos pingendus, quia corporei, & quod propositio sit à Concilio acceptata, non ratio; non enim est simile: primò quia ille Pater non disputabat omnium nomine, sicut noster Ioannes; nec eius disputatio, vel rationes sunt acclamatæ, sicut nostri Ioannis. Neque tunc discutiebatur pro definitione rei in ratione, sicuti in disputatione illa Ioannis. Tandem plurimi Patres tunc accipiebant corporeum pro materiali, & ideò rationem in eo sensu acceptarunt, vt notaui *prima prima, tract. de Angelis, disp.* [illegible] *quæst.*1. eodem sensu locutus est etiam Aristoteles.

RESPONDET Vasquez *num.* 18. Aristotelem asserere tantum; actiones esse circa singulare, prout ab vniuersali distinguitur, & afferre exemplum curationis quæ à medico potest fieri circa naturam humanam, & præcisam à persona.

AT Aristoteles debet accipi vniformis sibi. Cùm 31 igitur non agnouerit distinctionem inter naturam, & suppositum, vt ipse Vasquez fatetur, sequitur, dum naturam vniuersalem excludit, includere suppositum, ex ipso Vasquez.

PRÆTEREA, cùm Aristoteles neget [illegible] vniuersale, [illegible] in anima *primo de anima* [illegible] *xtu* 8. vbi ait: *Vniuersale aut nihil* [illegible], *aut posterius intellectio* [illegible] non est credendum [illegible] in hac comparatione hoc sensu, vt [illegible] curetur a medico natura abstracta per [illegible], & [illegible] curari per accidens vniuersale [illegible] *Actiones* [illegible] *omnes circa* [illegible] *sunt, non* [illegible], *nisi* [illegible] *sanat* [illegible] *detur.* Oportet igitur [illegible] naturam [illegible], [illegible] naturam [illegible] quæ curatur, [illegible] homo habens naturam humanam. Idem autem [illegible] Aristoteles de actionibus [illegible] de [illegible] circa supposita, & ita ipsum operantem ait [illegible] vt Damascenus [illegible] *citato.*

RATIO verò, cur actio sit suppositorum [illegible] 32 quia [illegible] res prius debet [illegible] per [illegible] esse suo, quam [illegible] esse tanquam accidens substantiam & [illegible] adeo præcedit [illegible] substantia [illegible] nequeat stare, nedum operari, vt notat Suarez [illegible] *fine sectionis*, & Mastrius supra.

ROBORATVR ergo assertio à D. Bonau[illegible]. Actiones sunt suppositorum, vel formaliter, vel saltem tanquam à conditione necessaria ad operandum. At humanitas ante vnionem cum Verbo nullum habuit suppositum. Ergo non potuit agere, ergo neque mereri. Minor [illegible] de fide. Maior probatur à D. Bonau. Vnaquæque res debet habere suum esse completum, atque perfectum in se, prius quam [illegible] operari. Quia prius est id, quod per [illegible] quam quod per accidens [illegible] ex dictis. Hanc rationem vtitur Morandus, & [illegible] Scoto 3. *distinct.* 2. *quæstione* 2. apud M[illegible]um *num.*442.

RESPONDET Vasquez, [illegible] sistentiam conco- 33 mitanter, atque per accidens se habere [illegible] ad operationem ex parte principii, quod inde deducit quia mutata personalitate non mutatur operatio, vt patet in anima separata, quæ potest habere eandem actionem quam in corpore habebat.

Hæc tamen futilis est, nam licèt eius [illegible] peciei producat effectum anima, eò quod [illegible] a forma veniat, vt quo, est tamen alia [illegible] ratione indiuidua agendi, vt constat, [illegible] in corpore & extra corpus. Idem ait Aristoteles *lib.*1 *de anima, cap.*4. *text.*64. loquens de anima coniuncta: *Dicere autem animam irasci, vel timere, simile est, ac si quispiam animam texere dicit, vel ædificare nam melius est fortasse dicere non animam, sed hominem misereri, vel discere vel ratiocinari.* Vbi operationes [illegible] non dum coniuncti, puta 34 organicas; sed intellectiuas adscribit toti supposito. Ex quo ruit responsio Vasquez, Aristotelem loqui

loqui de operibus totius coniuncti, quæ non supposito, sed toti adscribit composito. Ratiocinari enim est actus potentiæ intellectiuæ, quæ secundum Aristotelem est separata; non autem est cogitatiua coniuncti, vt replicat Vasquez. Adde, animam extra corpus retinere suam subsistentiam, eâque operari.

35 Cardinalis Lugo *disp.* 8. *sect.* 1. vt nostram sustineat rationem, eam demoliri conatur. Admittit, suppositum prærequiri ad operandum, quia operari sequitur modum essendi; negat tamen axioma nostrum: *Actiones sunt suppositorum*, ad hoc valere, quippe nullus hoc sensu accipit ex allegatis, suppositum in ratione suppositi præsupponi operationi; Sic enim posset dici, passiones sunt suppositorum, v. g. humanitas non generatur, sed homo, sicque suppositum supponi generationi: & in diuinis, vbi generatur filius non naturâ, requiretur subsistentia Filij. Item licèt B. Virgo dicatur genuisse Deum, quia passiones sunt suppositorum; prius tamen actio Virginis terminatur ad humanitatem, quia hæc priùs naturâ est, quàm vniatur Deo.

36 Io verò solùm verum est, & assertum à Ioanne Theologo, actiones attribui supposito; at non requiri suppositum præexistere actioni. Sic filio tribuitur spirare, neque tamen prærequiritur personalitas filij actioni spirandi, nam prius ratione est spiratio in Patre, quam in Filio; vel saltem non prærequiritur, filium esse, antequàm Pater spiret.

37 Hæc nequidem momentum est in statera. Primò quidem ideò Aristoteles Damascenus, atque Ioannes dicunt actiones sunt suppositorum, quia suppositum requiritur saltem sustentans, & terminans naturam, vt actu completè stans, exire ad opus queat, neque frustra ei attribuitur operari. Quod si iure, oportet sanè præexistere, vt ei iure attribui queat, quod enim non est actu, falsò dicetur operari: est autem communis sententia, suppositum saltem, vt conditionem, exigi, vt notat Suarez *dispu.* 34. *Metaph. sect.* 7. & sequitur Lugo *disp.* 12. *num.* 100. vnde sequitur, ei attribui, ac proinde debere præexistere, quam illationem Vasquez *disp.* 21. *cap.* 3. videns vrgentem, ait, actiones attribui naturæ, vt *Quod*; At Lugo *num.* 102. concedit attribui supposito; addit tamen non exigi, vt præexistat operationi; quia nec ad passiones, vt
38 supra, prærequiritur: At toto cœlo aberrat, nam cum suppositum in passiua productione sit vltimus terminus, debet etiam vltimum esse; è regione ad agendum est principium, ideò præexistit. Quoad spirationem actiuam, debet filius existere, vt spiret; alioqui Spiritus sanctus emanabit à non existente. Pater verò prior origine non spirat, nisi sit Persona: & hoc est quod dico; Cætera Lugi aliena sunt, & ideò solutione non egent.

39 Probatvr secundò à D. Bonauent. *dist.* 4. *art.* 2. *quæst.* 2. *argumento primo, sed contra, addito responso*, ex D. Augustino *in Enchir. cap.* 36. vbi ait: *Quidnam natura humana in Christo meruit, vt in vnitatem personæ Filij Dei esset assumpta? Qua bona voluntas? Quæ bona opera præcesserunt? quibus mereretur iste homo, vt fieret vna persona cum Deo?* Ratio verò D. Augustini est, quia natura illa simul creata est, & assumpta: Ergo non potuit mereri antecedenter. His eliditur Vasquez à D. Bonau. vt vidit etiam Suarez *sect.* 3. exponens D. Augustinum.

Deinde gratia debuisset esse data, non ex meritis vnionis hypostaticæ cum Verbo, propter commune dogma: *Principium meriti non cadit sub merito.* An verò ex absoluta Dei potentia valuisset hoc fieri, vt Christi humanitas mereretur hanc vnionem.

Prima opinio est, Humanitatem potuisse id præstare per opera antecedentia. Ita Caietanus *quæst.* 4. *art.* 2. Hurtadus *disp.* 27. *sect.* 3. Becanus *cap.* 14. *quæst.* 6. Rada *tom.* 3. *controu.* 12. *art.* 3. *dub.* 1. & alij, vt Arriaga, Orlandus, Amicus, &c.

Secvnda sententia, id negat fieri potuisse 40
vllo modo. Ita Tannerus *quæst.* 3. *dub.* 2. Vasquez *loco citato.* Lugo *disp.* 8. Caspensis, Auersa, Pasqualigo, Aluarez, Bernal. Morandus *quæst.* 17. Mærac. *disput.* 14. Granadus, Faber, Centinus, Poncius, & Gallus apud Mastrium, infrà citandum. Loquuntur autem de præcedentibus naturâ; at nonnulli concedunt de operibus, tempore præcedentibus: Ita Caspensis, Gallus, & alij. Rursus quando negant, id potuisse fieri per opera subsequentia loquuntur de operibus ab vnione hypostatica essentialiter pendentibus, id concedendo de operibus ab ea independentibus. Ita Poncius *disp.* 38. *q.* 5. Gallus *disp.* 18. *controu.* 1. *sect.* 3. *cap.* 3. Mæracius *disp.* 14. *sect.* 3. & alij.

Tertia sententia est, potuisse Humanitatem habere illud meritum per opera antecedentia, & subsequentia. Ita Bellutus *disp.* 6. *quæst.* 3. *art.* 1.

Qvarta sententia concedit, potuisse Chri- 41
stum per opera sequentia mereri vnionem suam. Ita Suarez *disp.* 10. *sect.* 3. & 4. Sed de hoc erit sermo *quæstione sequenti.*

Mvltos autem modos excogitarunt asserentes, posse id fieri. Primus est, suspendendo omnem subsistentiam ab illa humanitate, vt tamen operaretur. Secundus est, concedendo ei naturalem subsistentiam emanare. Tertius est, assumentibus eam Patre, vel Spiritu sancto.

Enim verò aliqui arbitrantur primò, non posse naturam absque subsistentia aliqua esse, atque adeò nec operari.

Probatvr à Mastrio *quæst.* 12. *art.* 1. è Scoto, Omne agens agit, in quantum est actu, operari enim sequitur ad esse, neque potest operari, quod non est: At natura sine subsistentia non potest esse: Ergo nec operari. Minor probatur, nam subsistentia est complementum esse substantialis, atque adeò est conditio substantiæ necessaria ad operandum, & hoc probabile putat Mastrius in sententia dicentium, subsistentiam esse modum positiuum, naturæ additum. In sententia verò Scoti, & suâ, defendit *disp.* 11. *Metaph. sect.* 5. non posse absolutè existere naturam sine subsistentia.

Eqvidem non video, quo pacto subsistentia, 42
quæ est modus substantialis, realiter distinctus à natura, nequeat à Deo suspendi, ita vt absolutâ Dei potentiâ non agat, vt docet Arriaga *disp.* 17. *sect.* 1. Vasquez *disp.* 21. *cap.* 5. Quòd si in via Scoti, id sit impossibile, quomodo actio est subsistentium merè extrinsecè per denominationem?

Dato verò alio modo, quem admittit Caspens. vt natura effunderet propriam subsistentiam; tunc fateor, operaturum illum hominem, sed non posset dici aut humanitas meruisse, vt sic, aut Christus; quia ille esset purus homo. Itaque non rectè Rada *concl.* 3. admittit, humanitatem sic emerituram Incarnationem.

Præterea non fuisset meritum condignum 43
humanitatis finitæ ad vnionem Verbi: Vide Nazarium *quæst.* 4. *art* 11. *controu.* 1.

Hoc

Hoc certum stat, non esse id factum. Sic docet D. Augustinus *de prædestinatione Sanctorum, c. 15. & de corrept. & gratia, cap. 11.* & *serm. 9. in Euang. Matthæi, & sermone 8. de verbis Apostoli,* & *cap. 36. Enchir.* Vide Vasquez *num. 6.* vbi gratiam vnionis respectu humanitatis comparat cum prima gratia respectu nostri, quod idem præstat Mastrius, & eò magis quò vnio hypostatica est principium etiam ipsius gratiæ. Vnde persistit negare, quia principium meriti non cadit sub merito. Itaque sicuti non possumus nos primam gratiam mereri, ita neque humanitas gratiam vnionis.

44 Si quis autem hoc meritum assereret, etiam actu in humanitate; non incideret in errorem Photini, qui volebat, eam meruisse solùm gratiam adoptionis, non autem vnionis hypostaticæ, vt notat Vasquez *num. 6.*

At Nazarius oppositum censet *quæst. 2.* quia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum, relata à Porrecta, ideò Photinum damnarunt, quia dixerat, Christum purum hominem primò fuisse, & per merita consecutum, vt esset Filius Dei. Quod sanè indicat, priùs asseri filium adoptiuum. Deinde qualiscumque filiatio Christi asseratur à Photino, damnatur esse emerita.

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧*|*❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧

QVÆSTIO IV.

Vtrum CHRISTVS *per opera sequentia potuerit mereri Incarnationem.*

45 TITVLVM hunc appono, quia per opera præcedentia non potest intelligi Christus meruisse Incarnationem; ante enim non erat Christus, & solùm erat Deus, meriti incapax; Christus autem resultat ex Incarnatione, & ita operatio Christi sequitur saltem naturâ Incarnationem, & Christum ipsum, quia operari sequitur ad esse.

SVAREZ *disput. 10. sect. 4.* & aliqui alij apud Vasquez *disput. 21. cap. 4.* prædestinationem Incarnationis non potuisse cadere sub merito Christi operantis sequentibus actibus, docent; attamen potuisse ipsam executionem incarnationis cadere sub merito Christi procedente ex ipsa vnione, quia non putant, sic repugnare principium meriti cadere sub merito. Vtuntur autem illo exemplo Regis, qui confert alicui militi arma, & equum in stipendium futuri laboris, eò quod egregiè pugnaturus sit, & quasi in præmium meritorum, quæ ab eo sperantur. Eum sequuntur Vadingus, & Mærac. apud Morandum *tract. 1. de Incarnatione, quæst. 17.*

46 COMMVNIS tamen sententia est, non potuisse Christum per opera sequentia vnionem, procedentia ex virtute, & merito ipsius Incarnationis, mereri ipsam vnionem hypostaticam. Ita D. Bonau. *locis adductis, quæstione præcedenti.* Hanc tuetur acriter Vasquez *disput. 21. à cap. 1.* Nazarius *citata controuersia prima, quæst. 3. ad art. 11. quæstionis secunda D. Thom.* & alij relati *quæst. 3.* vbi quatuor opiniones recensui. Sic & Aluarez *disp. 16.* Lugo *disput. 8.* Caspens. *cit. sect. 2.* Pasqualig. *disp. 80.* & alij apud istos, ac Morandus *loco citato.*

ASSERO cum hac sententia, non potuisse Christum per opera incarnationem sequentia, illius executionem antecedentem mereri.

PROBATVR à D. Bonauent. *argumento allato, quæstione præcedenti.* Principium meriti non cadit sub meritum; sed vnio hypostatica est principium omnis meriti Christi: Ergo non potest cadere sub merito Christi.

PRIMÒ sanè non video, qua ratione potuisset mereri executionem Incarnationis, non verò prædestinationem. Idem enim modus est Dei in prædestinando, & exequendo, vt probaui *quæstione præcedenti, & prima primæ, tract. 1. disp. 21. quæst. 7.* Quare si quid in tempore datur ex meritis; id ex meritis prædestinatum est, ne vnum statuere dicatur, & oppositum facere: Cùm enim prædestinatio sit decretum rei faciendæ, seu exequendæ, si illa ex meritis exequenda est; ex meritis etiam exequenda prædestinari debuit; non enim merita sunt finis præmij, sed causa efficiens, & ideò etiam in prædestinatione debent præcedere effectum, vt arguit Vasquez *cap. 5.* Lugo *num. 13.* 47

DEINDE in hoc nostro casu nulla ratione potest etiam in executione Incarnatio cadere sub meritum, quia Incarnatio in executione, meritorum est principium, & causa eorum, vt patet: omnia enim merita Christi ab vnione hypostatica producuntur ad actum per gratiam datam ex meritis Christi. Quare sicuti repugnat, gratiam cadere sub meritum, non modò quia gratia, vt ait Apostolus, Rom. 11. *Si gratia, non ex meritis,* sed etiam quia, cùm sit principium, & causa meriti, non potest esse simul eius effectus; ita multò minus Incarnatio, quæ est principium primum non modò meritorum, sed etiam gratiæ, potest cadere sub merito. Quæ cum ita sint, aut Suarez è medio penitus tollat dogma illud: *Principium meriti non cadit sub merito,* aut opinionem nostram eligat, si illud seriò putat inconueniens. 48

EXEMPLVM verò Suarez de Rege dante arma, & equum, vt ea bello acquirat, & mereatur, atque adeo in præmium futuri meriti; nil prodest, nam, vt obseruat S. Bonau. *in 2. dist. 27. art. 2. quæst. 1. ad primum;* equus, quâ parte merito acquiritur, non habet rationem gratuiti; quâ parte verò habet rationem gratiæ, non est merito acquisitus. Itaque, licet equus possit labore in bello in ratione stipendij acquiri, tamen donatio illa, seu datio non potest merito acquiri, & hæc est, quæ est principium meriti, gratia verò prima, eo ipso quod talis est, dicit quid simpliciter gratuitum, non solùm in ratione donationis, sed etiam in ratione suæ entitatis, & ideò nulla ratione potest sub merito cadere, & multò minus vnio hypostatica, quæ est princeps gratia. Vnde in vno est similis exemplo allato; in altero dissimilis, & in eo, quo est similis, soluit etiam argumentum. 49

ADDE etiam, equum, & arma, vt notat D. Bonau. non habere rationem, & essentiam gratuiti principij, quia non dant pretium merito, licèt enim aliqualiter adiuuent militem ad pugnandum; tamen meritum victoriæ magis venit à prudentia, à fortitudine, & ab industria; sæpe etiam stratagemate militis absque vsu equi, vel armorum; & ideò non est principalis ratio, & principium meriti; sicuti est gratia respectu meriti, & Incarnatio respectu gratiæ, & meritorum: licèt enim concurrat etiam liberum arbitrium; attamen pretium meriti est à gratia, & in Christo ab vnione hypostatica, ex qua merita pretiosissima infiniti valoris euadunt. Hanc responsionem sequuntur ex parte Vasquez hîc, & *prima primæ, disput. 89. cap. 7.* D. Thom. *1. 2. quæstione 114. artic. 5. ad 3.* 50

Aluarez

Aluarez *disp.* 15. Nazarius *loco cit. quæst.* 3. Lugo *num.* 17.

RELIQVVM est, vt duas authoritates explicemus, quæ huic, & quæstionis præcedentis assertioni repugnare videbantur.

51 PRIOR est Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hunc locum de Christo exponit Apostolus *Hebr.* 1. qui ratione humanitatis dicitur vnctus; eam verò esse perunctam balsamo Deitatis in vnione, explicant Nazianzenus *oratione* 4. *de Theologia*, quæ est *n.* 36. Augustinus *in psalmum istum*, Anselmus, & Beda *in cap.* 1. *ad Hebr.* quos sequitur Titelmanus *in eundem psalmum*, sic igitur arguitur: Propterea vncta est humanitas vnione cum Deitate, quia dilexit iustitiam: Ergo operibus Sanctis meruit vnionem, qua humanitas illa delibuta, sanctificata est, vt explicat Hieronymus *in illum psalmum*, quem imitatur Concilium Francuford. *ad Episcopos Hispaniæ, col.* 7. Ildephonsus *sermone priori de Purificatione*
52 *B. Virg.* Augustinus *lib.* 3. *contra Maximinum, cap.* 15. & *lib.* 16. *de Trinitate, cap.* 26. post Hilarium 7. *de Trinitate.* His adde Fulgentium *lib.* 3. *ad Trasimundum*, Cyrillum *lib. ad Theodosium de recta fide*, & *in scholiis de Incarnatione, cap.* 10. & *in explicatione septimi anathematismi*, Damascenum *lib.* 4. *cap.* 6. Gregorium Magnum *lib.* 9. *epistolarum, epistola* 61. qui omnes discrimen constituunt inter Christum, & alios, quod alij participatione per gratiam adoptionis; Christus verò per vnionem, quasi naturaliter Christus, idest, vnctus, & sanctus dicatur.

QVA expositione apparet, malè vsos esse Arrianos hoc testimonio ad probandum, Verbum non esse Filium Dei naturalem, quòd meritis suis, & labore consequi debuerit à Patre vnctionem; quibus respondet Athanasius *oratione* 2. *contra Arrianos*, longè post medium, non benè eos id deducere, quia ipse à seipso vnctus est, vt habetur Ioan. 17. *Ego sanctifico me ipsum*, & explicat particulam *Propterea*, per particulam *Quia*: Propterea scilicet, quia Deus, & Rex es, ideò inunctus es.

53 HANC expositionem impugnat Vasquez *n.* 58. nam particula *Propterea*, non refertur ad hoc, quod Christus esset Deus, sed ad id, quod dilexerit iustitiam. Præterea testimonium illud Ioan. non denotat vllam sanctificationem humanitatis, factam à persona ipsa Verbi in Incarnatione, sed quia factus est *Hostia* pro nobis; solebat enim hostia sanctificari: Christus igitur ideò factus est sanctificatio, & redemptio, vt exponunt Chrysostomus *homil.* 51. *in Ioan.* Euthymius, & Theophylact. *in eundem locum*, Cyril. *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 12. tametsi *lib.* 2. *cap.* 3. de sanctificatione humanitatis eum locum intelligat.

54 ENIM verò, sanctificationem illam intelligi de Incarnatione ostendit D. Bonau. *ad eum locum*, ex D. Augustino *tract* 108. *in Ioannem*, vbi ait: *Quid quid est aliud, quàm in me secundum id quod veritas est, Verbum illud in principio Deus, in quo & ipse Filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro, quia vna persona facta est Verbum, & homo; tunc ergo sanctificauit se in se, hoc est, se hominem in se Verbo.* Subdit verò S. Bonau. etiam expositionem, è Chrysostomo allatam.

D. HILARIVS *lib.* 11. *de Trinitate*, exponit, propterea Christum obtinuisse vnctionem, quia iustitiam dilexerit; hanc verò vnctionem dicit esse cannonizationem in Iordane, quando eius 55
sanctitas, & Deitas declarata est, & publicè Messias, & Christus nominatus. Hanc expositionem innuit D. Bonau. *ad* 4. *Lucæ*, vbi notat, Christum post Baptismum se declarasse vnctum, ex Isaiæ 61. *Et vt reuoluit librum, inuenit locum, in quo scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me.* Sic vnctum Messiam, iuxta Prophetiam *Danielis* 9. testatur *hic*, S. Doctor, & nos ostendimus *disput.* 1. *quæst.* 1. hoc enim anno computauimus hebdomadas Danielis fuisse completas, vt *Vngatur Sanctus Sanctorum.*

D. HIERONYMVS *epist.* 140. exponit, Christum ex meritis esse vnctum vnctione regali super omnia, vt inde illatum, in psal. 44. *Virga æquitatis, virga regni tui*, & in eundem psalmum dicit: *Oleum lætitiæ*, fuisse gaudia resurrectionis, gloriam Ascensionis, & Maiestatem Regni. Idem intellexit Concilium Francoford. *loco cit.* Attamen & Concilium, & D. Hieronymus exprimit etiam vnctionem vnionis: Christus enim omnes has vnctiones complectitur, vt notat D. Bonau. *ad* 9. *Lucæ*, ad ea verba: *Respondens Petrus dixit, Christus Dei*, vbi S. Doctor. Christus enim exprimit personam vnam in duabus naturis, & dignitatem regiam, & sacerdotalem, & gratiæ plenitudinem propter vnctionis prærogatiuam, de quo in psalmo 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, & rursus affert illud *Isaiæ* 61. Igitur vnctum Christum in Sacerdotem, Prophetam, & Regem ex meritis videtur concedere etiam D. Bonauentura (hæ enim tres personæ in lege veteri inungebatur;) at vnctione hypostatica nequaquam, vt mox dicam. 56

PATRES ergo, qui per vnctionem intelligunt vnionem hypostaticam, exponunt particulam *Propterea*, vt non denotet eam meritoriam; sed finalem, hoc modo: *Propterea vnxit te Deus*, nempe vnione illa ineffabili, vt diligeres iustitiam. 57

HVNC sensum secutus est D. Bonau. *in Diata, tit.* 7. *cap.* 5. *in fine*, vbi ait, vnionem illam oleo assimilari, quia oleum significat misericordiam, qua tractus est de cœlo in mundum, *vt misericors fieret*, & operibus sanctis nobis commiserans mederetur, iuxta illud Psal. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Huic videtur alludere Apostolus ad Hebr. *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret*, quod S. Bonau. a posteriori deducit, quia (ait) tam pronus erat ad lacrymandum. Quapropter nil contra nos colligi potest ex eo psalmi versu.

QVARE in turpem est lapsus errorem Origenes *lib.* 2. *Periarch. cap.* 6. vbi deducit ex hoc loco animam Christi fuisse ante vnionem, eamque meritis obtinuisse, cuius error damnatur in Quinta Synodo.

ALTERVM testimonium, quod opponitur, est 58
Apoc. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem*: At diuinitatem accepit per vnioem: Ergo dignè illam meruit.

RESPONDETVR, Agnum moriendo meruisse diuinitatem, idest adorationem Latriæ, sui nominis exaltationem, & laudes in cœlo. Ita exponit D. Bonau. *in Diata, tit.* 10. *cap. vltimo.* Eodem modo exponunt Rupertus, S. Thom. Dionysius Carthusianus, Lyra ad eum locum, Vasquez *num.* 68. & alij.

Ex his habes primò, Christum non potuisse mereri continuationem vnionis hypostaticæ. Probatur, quia principium meriti non cadit sub merito;

rito; at continuatio vnionis fuit principium meritorum Christi, vt patet: Ergo.

59 DEINDE quia continuatio vnionis physicè vnum facit cum vnione, sicut conseruatio est vnum cum creatione, & inseparabilis est conditione suâ humanitas ab ipso Verbo.

PRÆTEREA etiam continuatio vnionis moraliter sumpta est ab ipsa vnione, quia ex decreto rationabiliter facto, non debuit natura assumpta dimitti: Si ergo non potuit mereri vnionem, & virtutem eius: Ergo nec continuationem.

QVOAD circumstantias verò, & cætera spectantia ad vnionem, erit dicendum *disp*.21.

HABES secundò, per nullam potentiam valuisse Christum mereri suam Incarnationem. Ratio est, quia implicat, idem esse causam, & effectum respectu eiusdem in eodem genere causæ:
60 At vnio hypostatica fuit principium etiam morale meritorum Christi; ex ea enim dignitas moralis infinita meritis Christi proueniebat: Ergo non potuit esse effectus meritorum, qui est effectus moralis.

QVÆSTIO V.

An Sancti Patres emeriti sint, vel potuerint Incarnationem emereri.

D.Bonau. dist.4.art.2. quæst.1.
D.Thom. q.2. art.11.

61 OMNIVM Scholasticorum calculis statutum est, nullum emeritum condignè Incarnationem, vt notant Vasquez *disput*.22. *num*.1. Lugo *disp*.8. *sect*.3.

NONNVLLI tamen, absoluta Dei potentia fieri potuisse, concedunt; vt sancti mererentur eam condignè, si eorum operibus prædestinata ea ad hunc finem relata fuissent, nam per ordinationem Dei, & promissionem illa opera forent tanto præmio condigna.

ALII verò moderni censent, opera quidem Sanctorum non potuisse Diuina promissione digna reddi tanto præmio; sed tantùm aliquo modo, quatenus sponsione adderetur Deo debitum ad tale præmium.

62 COMMVNIS tamen sententia Theologorum est, nullum purum hominem, etiam ex pacto Dei, potuisse mereri Incarnationem. Id vero asseruut ferè omnes infra allegandi, qui & de cæteris spectantibus ad Incarnationem asserunt, vt notant Pasqualigo *disp*. 80. *sect*. 3. Morandus *quæst*.17. Lugo, & alij.

QVÆSTIO igitur est; an saltem merito congrui meruerint Sancti Incarnationem Filij Dei, aut saltim circumstantiam, vel aliquem illius effectum.

63 PRIMA opinio est D. Thomæ hîc, & omnium fidelium Thomistarum assertiua. Eos imitantur Valentia *disput*.1. *quæst*.2. *puncto* 8. Tannet. *disp*.7. *num*.252. Suarez *disp*.10. *sect*.5. Asturicensis *relect*. *de gratia Christi*, *quæst*.5. *pag*.478. hi duo tamen asserunt, Patres meruisse tantùm executionem Incarnationis, non autem illius prædestinationem, quam distinctionem Valentia refellit nostro argumento, quia eo modo res prædestinat Deus, & exequitur. Eandem sententiam sequitur Rada 3. *p*. *controu*.2. *art*.3. *in secundo dubio*, Medina ad hunc articulum, vbi etiam Aluarez, qui duo solùm discrepant in eo, quod Medina concedit de absoluta Dei potentia, potuisse Sanctos mereri condignè Incarnationem; hoc verò Aluarez explodit, sicut & cæteri.

QVOAD circumstantias; Valentia, & Suarez aliquas admittunt emeritas; Asturicensis verò omnes, quod negant Rada, & alij.

SECVNDA sententia negat, Patres emeritos 64
congruè Incarnationem; sed solas aliquas circumstantias. Ità D. Bonauent. hic, quem sequuntur Marsil. *eadem dist*.4. *quæst*.5. Gabriel Biel *quæst*.1. Vasquez *disp*.22. *cap*.4. & *disp*.23. *cap*.5. Lugo *sect*.4. Pasqualig. Morand. *locis citatis*, Pesantius *disp*.3. Scotus 4. *dist*.2. *quæst*.1. §. *ad primum argumentum*, Antonius Pantussa *lib. de prædestinatione, & gratia*, *cap*.10. Franciscus Feuardentius *in cap*.2. *lib*.5. *Irenæi*, *aduersus hæreses*: Hurtadus, Mæracius apud Morandum: Caspensi. *disp*.2. *sect*.8. Fuliens. *lib*.2. *cap*.14. *resol*.5.

ADDVCITVR à Vasquez etiam D. Thomas *ad* 3. sed malè, nam D. Thomas obiecit ibi: B. Virgo meruit portare Christum, vt canit Ecclesia in Antiphona:

Regina cœli lætare,
Quia quem meruisti portare, &c.

Sed hoc est factum per Incarnationem: Ergo meruit illam.

RESPONDET, asseri ab Ecclesia, meruisse 65
portare Dominum, quia meruerit non ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse Mater Dei. Quibus verbis non negat, Mariam Virginem meruisse de congruo Incarnationem; sed dicit, verba Ecclesiæ non loqui de merito Incarnationis, sed de merito ornamenti gratiarum, vt esset Dei congruum habitaculum; non negat tamen meruisse Incarnationem de congruo; imò id *in corpore* concedit, quod luce clarius est. Nihil sanè mihi magis est in optatis, quàm Angelicum Seraphico socium habere perpetuum; attamen nolo alteri vim inferre. Alio modo respondet Nazarius cum Medina, Angelicum Doctorem adscribere merito condigni augmentum illud sanctitatis, & hoc negare de Incarnatione.

RATIO verò secunda D. Thomæ, quam affert 66
Vasquez: *Principium meriti non cadit sub merito*, in sententia D. Thomæ currit ad excludendum non minùs meritum congruum, quàm condignum: Vasquez dicit, citari solere pro hac sententia etiam D. Bonauenturam *loco citato*, Richardum *art*.3. *quæst*.1. Gabrielem *quæstione vnica*, *art*.3. *dub*.3. Almainum *quæst*.1. *dub*.3. sed addit, istos DD. videri tantùm excludere meritum condignum, non autem congruum, cùm illud negant de Incarnatione, & concedunt de circumstantiis; tametsi Richardus *ad primum*, videtur totum explicare de merito congruo.

ENIM verò luce clarius meridiana se ipsum explicuit S. Doctor.

PRIMÒ quidem ex ipso Vasquez habetur hu- 67
iusce rei confessio. Is enim ea ratione D. Thomæ: *Principium meriti non cadit sub merito*, concludit, Angelicum negasse etiam meritum congruum Sanctorum Patrum; etiamsi S. Thomas ore rotundo concludat sic articulum: *Ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres Incarnationem*; quantò magis id tenebatur de Seraphico asserere, qui eodem argumento nititur, *fundamento vltimo*, & *in corpore*? eò verò solidiùs, quo S. Bonauent. non asseri

idem

idem quod D.Thomas, imò potiùs oppositum, vt mox ostendam.

Deinde S. Doctor *in corpore*, negat penitus meritum respectu Incarnationis, quia est dignationis altissimæ; concedit verò meritum respectu efficaciæ Incarnationis quoad aliquem effectum, puta condignum ad gloriam; ad iustificationem verò, supposità primà gratià, congruum concedit. Quare & hoc excludit ad Incarnationem: Et *in resp. ad tertium*, comparat Incarnationem cum gratia simpliciter prima, quæ nullum, etiam vel congruum admittit meritum. Itaque pro hac sententiam meritò S. Doctoris affertur à Nazario *art. 11. contron. 2.* Suarez *sect. 5.* & aliis.

68 Assero primò, Sanctos Patres, non esse emeritos de condigno, neque de congruo Incarnationem.

Probatvr à D. Bonauent. primò è Scripturis, quæ conclamant, Incarnationem fuisse summam gratiam. Ad Titum 2. *Apparuit gratia Saluatoris nostri.* Et cap. 3. *Apparuit humanitas, & benignitas, &c.* Lucæ 1. *Recordatus misericordia sua.*

Rursus: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, visitauit nos, Oriens ex alto.* Vbi obseruat S.Doctor, astrui summam, & meram è corde misericordiam, sicut dicitur, Ephes. 2. *Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ad quem locum obseruat S. Doctor, Incarnationem vocari dilectionem merè gratuitam.

69 Hac sanè testimonia probant de fide, nullum Sanctorum Patrum meritum condignum fuisse ad Incarnationem. Imò nec esse potuisse efficaciter probant; nam acclamatur excedens misericordia, & nimia gratia. Hanc verò, quæ beneficium, & donum infinitum includit, nempè Christum, nulla finita merita exæquare valebant. Probabiliter verò conuincunt etiam de merito congrui, quia dicitur summa, & excedens gratia.

Hinc probatur secundò à S. Doctore *fundamento vltimo, & in corpore.* Principium meriti non cadit sub aliquo merito: Incarnatio est principium omnis meriti, etiam congrui: Ergo non po-
70 test cadere sub aliquo merito. Maior probatur, quia meritum est effectus sui principij: Ergo illud supponit, tanquam producens; ergo non potest ab eo esse productum; alioqui idem esset causa, & effectus. Minor probatur supponendo primò, meritum Incarnationis, quæ est donum maximum, debuisse à gratia procedere, non a nudo libero arbitrio. Si enim meritum ad gloriam esse debet opus ex gratia, multò magis ad vnionem hypostaticam, quæ est donum deitatis substantialiter, atque adeò magis eleuatur supra ordinem gratiæ habitualis, quàm eleuetur hæc supra naturam; non modò entitate, sed etiam proportione, vt arguit S. Doctor *dist. 4. artic. 2. quæst. 3. fundamento vltimo.*

71 Esto enim ordo gratiæ accidentalis, & vnionis hypostaticæ conueniant in esse supernaturales; attamen non rectè infert Lugo *disput. 8. num. 28.* maiorem proportionem inter eas, quàm naturæ ad gratiam habitualem; nam & in ordine supernaturali sunt habitus gratiæ virtutum, & luminis gloriæ; at ibi est etiam Deus transcendens omne creabile infinitè, qui improportionabiliter magis se communicat vnione hypostatica substantialiter, quam qualibet accidentali vnione, quod ex idiomatum communicatione patet.

Svpponit deinde, gratiam omnem esse datam 72
Sanctis Patribus post peccatum ex meritis Christi, quod abique temeritate negari non potest, vt notat Vasquez *num. 41.* Ideò absolutè dicitur Ioannis 1. *Gratia per Iesum Christum facta est*, vt ponderat ibi S. Bonau. Quibus suppositis, ratio est validissima, vt notat Vasquez, qui eà nititur cum cæteris.

Qvapropter Seraphicus hoc sistit fundamento, recedens a suo Magistro Alexandro Alensi, qui *parte prima, quæstione 28. membr. 3. artic. 3.* asseruit, posse principium meriti cadere sub merito.

Respondent aliqui potuisse Sanctos in gratia solo libero arbitrio, non operante gratià, deprecari Incarnationem; & ita non sequeretur, aliquod principium meriti cadere sub merito. Ita Valentia.

At quis ignorat, eos iustos ex dignitate habita per gratiam saltem debuisse disponi? Deinde error est semipelagianorum, gratiam dari ex meritis nudi arbitrij, vt ostendi *prima secunda, tract. de Gratia, disput. 1. quæst. 14.* Meminisse autem debemus, quod dixi *quæst. 3.* Incarnationem non cedere primæ gratiæ ex D. Augustino. Sicut igitur minimum ad primam gratiam meritum ex libero arbitrio tollit rationem gratiæ, & ad semipelagianos accedit; ita & qui poneret tale meritum ad Incarnationem in alio quocumque, imò eum magis S. Augustinus execraretur, tanquam è medio tollentem summum donum.

Sicvt igitur in Concilio Arausicano II. *can. 3.* 73
damnantur, qui dicunt, gratiam Dei humana innocatione conferri, non autem gratiam facere, vt inuocetur, quippe contradicentes Isaiæ Prophetæ, & Apostolo dicenti: *Inuentus sum à non quærentibus me;* multò magis, qui diceret, Homines innocatione humana, seu nudi arbitrij, meruisse Incarnationem, quæ est prima, & principium omnis gratiæ.

Confirmatvr à Vasquez *num. 55.* ex D. Bonauent. *in corpore*, quia si Patres aliquibus operibus meruerunt Incarnationem, hæc sanè fuère desideria, & deprecationes; at hæ omnes processerunt ex fide communicata huius Mysterij, vel explicita, vel implicita: Ergo illa merita non fuere ex nudo arbitrio, sed ex gratia fidei per Christum donata, vt definit Concilium Arausicanum *can. 3. & 4.* atque adeò Incarnatio, quæ est principium illius gratiæ, & consequenter meriti, caderet sub merito, tanquam effectus sui effectus.

Respondet Suarez, argumentum conuincere, Sanctos non potuisse mereri prædestinationem Incarnationis, non tamen executionem, potest enim aliquid prædestinatum gratis, executioni mandari per merita, vt patet in gloria electorum.

Dicit ergo, gratiam datam esse Patribus pro- 74
pter merita Christi præuisa in diuina prædestinatione; nondum autem re ipsa exhibita: Patres verò per hanc gratiam non potuisse mereri Incarnationis prædestinationem ipsam, ex qua destinata sunt eis merita; sed eius executionem, & ideò hæc inter se non pugnare; quia, licèt merita Christi præuisa antecesserunt, tamen executio Incarnationis subsecuta est gratiam, & opera anti-

quorum Patrum, & ideò sub diuersis rationibus esse principium, & premium illorum meritorum: Consensus v. g. Virginis fuit medium ad executionem Incarnationis; & tamen illemet consensus datus est Virgini ex meritis Christi præuisis.

75 Hæc tamen friuola sunt: Meritum enim operatur non ad modum efficientis Physici, sed impetrando, prout in decreto est remunerantis statutum, rem habe exhibere hoc, vel illud operanti: parum ergo refert, an merita præcedant, vel subsequantur, dummodò immobile perseueret decretum: & sane in Deo non potest mutari, nisi ex connotato, idest, ex mutatione rerum præfinitarum. Igitur Deus & decreuit Incarnationem principium meriti, & in tempore dedit eodem modo, quo decreuerat, ex meritis Christi; alioqui rebus immutatis aliud de nouo Deus in tempore voluisset, sicuti executus fuisset; res enim exequitur, prout vult.

76 Licet igitur merita Christi in præscientia antecesserint, & in executione subsecuta sint orationes Sanctorum Patrum; attamen hæ procedebant ex gratia iam actu exhibita ex præfinitione Dei propter merita Christi. Do exemplum: Decernit Rex mittere filium ad redimendos à Turcis subditos suos, hoc autem statuit ex mera bonitate, non ex merito captiuorum; hunc filium ita honorat, vt statuat, nullam gratiam dare, nisi habentibus ab eo sigilli impressionem, quod Priuilegium dare filio decernit in premium itineris. Mox vero postea aliqui è captiuis impetrato à filio signaculo, iam obtento pro futuro labore, exhibent illud Regi, vt mittat filium. Certum est, signaculum illud, etiamsi præcedat laborem itineris filij exhibitum, esse tanquam effectum moralem itineris in mente Regis existentis, non vt finis, sed vt efficientis moralis gratiarum omnium, quæ per illa signacula obtinentur, atque adeò non posse non modò obtineri per illa Sigilla (quæ gratiæ comparo) prædestinationem itineris filij ad captiuorum liberationem, sed neque ipsum iter, quia postulatio illa vim habet ab illo sigillo ad impetrandum, & illud sigillum à labore futuro Principis, qui tamen in prouidentia Regis operatur, & moraliter efficit orationes efficaces eo modo, quo decreuit: & sanè aliter non potest, quia sicut Rex statuit dare gratis filium, & ob meritum filij iturt gratias ex illis sigillis; ita etiam in tempore exequitur, nisi mutetur; nam executio etiam à voluntate procedit.

77 Itaque labor Principis futurus mouit efficienter antea ipsum Regem ad gratias ex meritis filij dispertiendas, Quomodo igitur poterunt illi oratores captiui obtinere ex meritis a Rege, quod statutum est dare gratis, & efficienter moraliter producit effectum? aut qua ratione illa signacula, quæ virtutem impetrandi habebunt ex itinere filij, poterunt impetrare ipsum filij iter iam constitutum, & causam illorum? sanè labor itineris dans orationibus virtutem ex mente Regis præuidentis, non poterit dare virtutem ipsis sigillis, seu precibus signatis, vt Rex mittat filium illuc ad merenda signacula illa; alioqui idem labor, qui est causa moralis signaculorum dantium virtutem precibus, erit etiam effectus moralis eius in eodem genere causæ impetrationis, etiamsi dentur signacula de condigno, & labor Principis postuletur, & prætendatur solùm de congruo; nam quæcumque sit illa virtus in signaculis cum pre-
78 cibus, virtutem habet à labore Principis, actu impetrante signacula in Regis dispositione. Scio quidem, impetrationem, prout est à libero arbitrio captiuorum, non esse à merito Principis; attamen efficacia precum à necessario signacolo desumitur; hoc autem est effectus meriti Principis. Scio etiam, meritum illud esse diuersæ rationis, vt suppono; attamen qualecumque sit, est effectus laboris Principis secundùm suam rationem formalem meriti: vnde eamet entitas non potest influere, vt causa ad meritum Principis producendum, vel obtinendum.

Ex quo patet id, quod de consensu B. Virginis dicebatur; non enim fuit causa Incarnationis, vt dixi.

Quòd verò dicebatur de gloria, quæ est priùs 79
volita in intentione, quàm merita, & ideò prædestinata absque meritis, sed ex meritis in tempore data, non est solidum; nam merita non sunt media physica, quæ actione aliqua reali ad finem consequendum operentur ad modum, quo medicina operatur sanitatem, sed solùm sunt causa consequendi finem per modum impetrationis relata ad voluntatem eius, qui confert alteri finem; quo circa meritum nunquam potest in tempore esse medium, nisi moueat voluntatem alicuius ad conferendum finem: Ex quo sequitur, eadem merita debere præcedere in intentione, quia est eadem voluntas dandi in executione, & in consultatione, & ita ab eodem moueri debet. Itaque & Deus sic confert finem in tempore propter merita, sicuti ab æterno præfiniuit ex meritis dare; alioqui variata esset voluntas Dei circa eandem rem, & duæ essent voluntates. Id latiùs ostendi *prima prima, tract. 1. disp. 21. quæst. 7.*

Hoc ex ratione Suarez conuincu; nam in *se-* 80
cundo Dicendo probat, prædestinationem circumstantiarum Incarnationis non esse factam ex meritis Sanctorum Patrum: quia Abraham, Dauid, & Ioannes Baptista fuerunt gratiâ, seu vocatione specialissima præuenti, quæ sine dubio è speciali eorum electione procedebat, quâ illis primis data est Incarnatio ex eorum sanguine, & Ioanni, vt esset Præcursor, & B. Virgini, vt esset Mater Dei: Ergo illa electio antecessit omnia merita, & fuit causa omnium meritorum. Ita Suarez ex effectu deducit, & ex ipsa executione arguit eundem ordinem in diuina electione seruari in meritis, & præmio. Nos igitur, qui in tempore concedimus datum Abrahæ, & Dauidi, vt essent Christi progenitores, & Ioanni, vt esset Præcursor, & B. Virgini, vt esset Mater Dei ex aliquo merito, idem ingenuè fatemur in diuina prædestinatione, & sanè nulla est firma ratio fingendi, Deum aliter res prædefinisse, quàm eas exequatur; nam de æternis Dei actibus circa ea, quæ in tempore exequitur, nihil aliud possumus statuere, quàm id, quod ex ipsis effectibus, & ordine illorum in executione ipsa colligimus, vt sapienter notat ex more Valentia.

Nazarius conatur argumentum soluere fun- 81
damento Suarez, paucis mutatis: Dicit igitur, Principium meriti ea ratione, quâ principium est, non cadere sub merito; Mysterium autem Incarnationis est principium meriti Sanctorum Patrum, secundùm ordinem intentionis ad modum finis, prout scilicet fuit in intentione, & prædestinatione Dei; & hoc modo consideratum non potuit cadere sub merito Sanctorum Patrum: at secundùm ordinem executionis ab æterno à Deo conceptum,

ac volitum, & in tempore factum potuit, vt præmium merita Patrum congrua terminare; & ratio præcipua est, quia meritum congrui non innititur iustitiæ, sed gratiæ, & amicitiæ; neque necesse est habere proportionem ad præmium, & ideò non tollit, aut minuit rationem gratiæ, quæ illi datur vt præmium.

82 At contra, quia merita Sanctorum Patrom, etiam in executione habent esse ab Incarnationis virtute; nam gratia, quæ data est ei in tempore, exhibita est ex meritis Christi. Vnde Sancti PP. non modò meruerunt, quia Christus prædestinatus est, sed etiam quia Christus venturus erat, & venit, in quo denotatur ex parte Christi causa non finalis, sed meritoria.

E contra verò non licet dicere: Ideò antiqui Patres meruerunt, vt prædestinaretur Christus, aut vt re ipsa veniret, quo denotatur causa meritoria ex parte Sanctorum Patrum.

83 Ratio verò illa appositiria est sine fundamento, quid enim impedit, rem de congruo disponentem, eodem modo se habere, quoad executionem, & in consultatione? Respondetur verò, vt dixi supra, quamvis meritum congrui non sit proportionatum, sed addenda sit liberalitas præmianti; attamen, si semel concedatur secundùm suam [illegible], quali cumque ea sit imperfecta, totam esse ab aliqua causa; non potest consequenter concedi, esse causam suæ causæ; & ita sicut in ratione [illegible] congrui est effectus gratiæ per Incarnationem datæ, non potest congrue eandem incarnationem causare. Omitto ea, quæ prolixius subtexit Nazarius, ea enim nostro fundamento sistunt, [illegible] iam refutauimus *loco citato*. Addam solum exemplum quoddam illius, quo videtur nostrum destruere. Rex (ait) vult vrbem ab hostibus captam recuperare; ad hunc finem, bonum esse iudicat vti opera cuiusdam strenui Ducis: & vt suauius, ac meliùs agat negotium, vult, preces sibi à populo captiuo porrigi, vt eum ducem mittat: & ita demum statuit, ac decreuit exequen-

84 dum. Iam preces à populo captiuo porrectæ non mouent finaliter animum Principis, nec habent rationem principij secundùm ordinem Intentionis, nec sunt causa mouens effectiuè animum Regis ad eum Ducem eligendum, sed sunt causa tantum moralis ad exhibendum illum Ducem electum, quia preces illæ apprehensæ, etiam antea volitæ, mouent vt media, ad hunc finem electa, Regis animum ad exhibendum actu, quod mediis populi precibus exhibere decreuerat; atque ita preces media Regis voluntate per eas mota causant effectiuè exhibitionem Ducis, & sunt illa priores secundùm ordinem executionis; posteriores autem secundùm ordinem intentionis: Sic & in proposito euenit.

85 Exemplvm hoc fallaciis scatet. Primò quidem è latebris, quibus reconditur, modus dicendi prodeat. Vel enim decernit Rex sine precibus missionem Ducis ad liberandum populum; vel decretum protrahit vsque ad præscientiam precum, vt videntur verba innuere, & preces sunt tantum impulsiuæ ad libentiùs mittendum. Si ante præscientiam precum decreuit, iam accedentibus in præscientia precibus, non modò decreti non erunt causa motiua, sed neque executionis. Causa enim motiua est apud philosophos, qua posita ponitur res, & qua remota remouetur; sicut impulsiua non causat simpliciter, si apponatur; sed solum facilius, sicuti remotâ non impedit; & sanè videtur in verbis preces apponere, vt impulsiuas tantùm; ait enim: Vt suauius, ac melius agat negotium, vult sibi à populo captiuo preces porrigi.
Eodem modo in tempore exequetur, (nisi mutet 86
voluntatem) nempe ex sua liberalitate, licet libentius additis precibus. Si verò preces decernit, vt causam missionis, ita vt simpliciter eligat Ducem ex precibus populi; iam etiam ex eisdem precibus mittet simpliciter; nisi mutet voluntatem, & cùm decreuisset ex precibus Ducem, quem aliter non elegisset, nunc velit hanc missionem alia de causa. Voluntas enim debet vna esse vsque ad factum esse. Ita profectò euenit in decreto, & executione Dei, idcirco D. Thom. *3. parte, quæstione 1. articulo 3. ad 2.* ait, prædestinationem Dei inniti præscientia futurorum, & eam supponere, & ita Deum prædestinare salutem aliquorum per orationes aliorum implendam, v. g. salutem Pauli
per orationes Stephani. Quare inane est, quod 87
aliqui afferunt ex hoc casu, dicentes, mysterium Incarnationis prius fuisse in intentione, & ideo non potuisse cadere sub merito Sanctorum Patrum; tamen in executione fuisse posterius, & proinde cadere potuisse sub illis meritis, sicut gratia Pauli in intentione, & prædestinatione prior fuit, quàm oratio Stephani; in executione verò posterior, & oratio Stephani fuit meritoria illius.

Hoc inquam exemplum non est ad rem; nam 88
preces Stephani non solùm in tempore salutis Pauli causa fuere, sed in Diuina præscientia prædestinationis salutis ipsius Pauli. Nil autem prorsus refert, etiamsi electio Sauli fuerit ante preces Stephani emissas, nam eodem ordine, quo fuerunt, habuerunt etiam esse causa, quia operari sequitur ad esse, & quale est esse, tale est causare. Cum igitur preces Stephani iam essent in præscientia Dei potuerunt habere, & habuerunt causalitatem proportionatam suo esse, nempè causare electionem, seu volitionem salutis: in tempore verò realiter exhibitæ poterant causare executionem salutis Pauli.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. ex PP. 89
Psal. 73. Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum. Ibi Glossa, quæ est Cassiodori: *Imple, quæ promisisti, vt Testamentum nouum, quod est de æternis, constituas. Meminit promissionis, quia merita deficiunt. Item, ideò, quia repleti sunt iniquitatibus.* Vbi excludit omne meritum, etiam congruum, quia considerat homines vt sunt ante omnem influxum gratiæ, quæ est ab Incarnatione, repletos iniquitatibus, & ideò neque congruè habentes aliquod meritum ad Christi aduentum salutiferum obtinendum.

Probatvr quartò à S. Doctore *quæstione se-* 90
quenti, argumento vltimo, ex D. Augustino, serm. 9. in Matthæum: *Quidquid putaueris boni habere abs te, deriuatur à laude Dei. Quid enim miraris si te seducit inimicus, quando & tui ipsius seductor es?* Audi Apostolum: *Qui enim putat se aliquid esse, cùm nihil sit, se ipsum seducit: Dominum ergo attende confitentem: Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, confiteor tibi, laudo te non accuso me. Quantum autem pertinet ad ipsius hominis susceptionem, tota gratia, singularis gratia, perfecta gratia. Quid meruit homo ille, qui Christus est, si tollas gratiam, & tantum gratiam, quâ*

vnum oportebat esse Christum, & ipsum esse, quem nouimus? Tolle gratiam istam, quid est Christus, nisi homo?

91 IBI D. Augustinus omnes nos alloquitur, vt patet, & dicit, Incarnationem esse *totam gratiam, singularem gratiam, perfectam gratiam.* Quòd verò afferat exemplum de Christo, est argumentum à maiori, idest; si Christo ipsi fuit gratia, multò magis nobis; non autem quod soli Christo sit gratia, vt putat Nazarius, respondens Pesantio, qui vtitur authoritatibus D. Augustini ad nostram assertionem firmandam: Cùm igitur gratia prima excludat omne meritum ex Apostolo *Rom.* 4. sequitur, Incarnationem sub nullius fuisse merito. Idem habet D. Augustinus *in Enchir. cap.* 36.

ASSERO secundò, Sanctos Patres meruisse aliquas circumstantias Incarnationis de congruo. Ita Suarez, & Vasquez suprà, Tanner. *num.* 246. Pasqualig. *num.* 21. Morandus, Lugo, & alij.

92 PROBATVR à D. Bonau. ex Psal. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Vbi Glossa exponit: *Exurgam, idest, apparebo in filio.* Ergo acceleratio, & tempus Incarnationis fuit ex merito congruo deprecantium.

RESPONDET Nazarius, accelerationem Incarnationis propriè significare aduentum Christi concessum ante præfinitum tempus, quod implicat fieri, quia res à Deo fiunt, sicuti sunt decretæ.

HOC in corde sibi fixum seruet Nazarius, & inferet, eo modo ex meritis Deum executum Incarnationem, quo in æternitate decreuit. Quoad accelerationem itaque dico, quod sicut ab æterno decreuit priùs absolutè Incarnationem independenter à meritis alicuius, absque temporis determinatione; tempus verò determinauit ex præscientia precum Sanctorum Patrum; ita in tempore executus est, vt notat D. Bonauent. *ad primum*, quem sequitur Suarez *dicto* 4. Asturicensis *loco citato*, apud Nazarium, qui in his potuit suæ difficultatis solutionem videre; Sic sentiunt contra Lugum *numero* 34. Lorcam *disp.* 22. Salmeronem *tract.* 14. *d.* 19. Pasqualigum, aliosque apud Morandum, negantes accelerationem Messiæ à Patribus emeritam; & respondent *psal. cit.* solùm innuere Christum opportunè fuisse datum.

93 ENIM verò particula *nunc*, indicat tempus acceleratum ob gemitus Patrum.

PROBATVR secundò a D. Bonau. *quæst. seq.* & *lib.* 1. *Phar. cap.* 5. è Sanctorum Patrum dicentibus, B. Virginem meruisse fieri Matrem Dei, ac proinde sua ætate Incarnationem fieri.

SIMILITER Simeon meruit circumstantiam temporis, vt videret Christum, vt dicitur Lucæ 2. *Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Vbi responsum petitionem supponit, & clamorem eius; iuxta id Isaiæ 30. *Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit*, vt notat D. Bonauent. *ad eum locum*; nam expectabat redemptionem, iuxta id Genes. 49. *Salutare tuum expectabo Domine*, & Iudith 8. *Expectemus humiles consolationem eius*, & Habacuc 2. *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Lugo respondet eum potiùs emeritum vitam ad id tempus protrahi; At dixit: *Quod parasti, &c.* innuens tempus decretum precibus.

94 TALIS fuit Anna, quæ non discedebat de templo, vt mereretur Deum natum videre, & sanctitate sua id meruit, vt habet D. Ambrosius *lib.* 2. *in Lucam*, & D. Bonau. *ad* 2. *Lucæ.*

SIC Dauid, & Abraham meruêre Messiam de sua stirpe oriundum; alij verò alias circumstantias, vt notat D. Bonau. passim in Genealogia Christi *ad* 3. *Lucæ*, *ad* 8. *Ioan.* ad ea verba: *Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Ad 10. Lucæ, ad ea verba: *Multi prophetæ, & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, &c.* & alibi: Illis locis ostendit S. Bonauent. eos meruisse accelerationem, dum clamabant: *Vtinam dirumperes cælos, &c.* Isa. 4. Habac. 2. Danielis 9. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt, &c. Quod verò respondet Lugo *numero* 35. explicitum est *disp.* 1. *quæst.* 2. in huius vaticinij expositione.

QVOAD apertionem cœli, Nazarius initio controuersiæ refert, D. Bonauenturam asserere, Patres meruisse apertionem ianuæ cœli. Sed S. Doctor solùm vult, catenus meruisse efficaciam virtutis Incarnationis, vt operibus ex gratia per Christum mererentur gloriam Paradisi, quod non indicat simpliciter apertionem Paradisi: eum enim Christus omnibus vt Princeps, & mediator aperuit, vt dicam *disp.* 21. *quæst.* 13. 95

OBIICIES primò cum Suarez, & Rada. Si Patres meruissent Incarnationis circumstantias quoad prædestinationem; sequeretur etiam Iudæos meruisse suam electionem in populum peculiarem, contra id Deut. 9. *Non propter iustitias tuas &c.* & Abraham, & Dauid meruisse prædestinari progenitores Christi, quod est absurdum: nam hæc è speciali vocatione primæ gratiæ orta sunt. 96

RESPONDETVR ex dictis, concedendo sequelam; nam gratia illa data est ex vi incarnationis, non ex vi circumstantiarum, partim enim referebat ad principium meriti, quod esset de stirpe Dauid in tali tempore ex tali matre; ea verò potuere mereri de congruo, sicut peccator accepto auxilio, se congruè ad iustificationem pedetentim disponit.

OBIICIES secundò cum omnibus authoribus primæ sententiæ. Sancti Patres postulabant non solùm circumstantias, sed Incarnationem ipsam, Exodi 4. *Mitte, quem missurus es.* Isaiæ 45. *Rorate cæli desuper, &c.* Et cap. 64. *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes.* Psal. 115. *Visita nos in salutari tuo.* Psal. 84. *Salutare tuum da nobis.* Hæ autem preces non sunt dicendæ vacuæ; congruum est enim, vt Sancti exaudiantur. 97

RESPONDENT Vasquez, & Fulgens. ex D. Bonauent. *in corpore*, & *ad primum*, Sanctos Patres non postulasse Incarnationem simpliciter, quòd ex eo patet, quia eorum orationes procedebant ex fide, quam habebant diuinitus de Incarnatione futura. Igitur supponebant, eam futuram, eorum verò desideria vehebantur ad hoc vt Deus iamiam mundo in tanta necessitate constituto mitteret Saluatorem; de tempore verò non erant instructi licet in genere aliquod futurum indicium haberent vt cessationem regni Iuda in Israëlitis & complementum septuaginta hebdomadarum Danielis, qui vixit post illos Patres, qui allegati sunt in argumento. Ità colligitur etiam ex alijs suprà *allegatis locis* D. Bonauenturæ.

HINC habes quàm fragilis sit ratio Nazarij, quæ est talis: Meritum congrui duabus constituitur conditionibus: Altera est, vt operans habeat gratiam Dei, & amicitiam; altera, vt operetur 98

ſaltem virtualiter propter Deum ſummè dilectum: ſed vtramque conditionem habebant Sancti Patres: Ergo.

Respondetur ex S. Bonau. *ad* 2. requiri præcipuè vt res ſit merito impetrabilis; at Incarnatio non erat huiuſmodi, vt oſtenſum eſt. Requiritur etiam ad id, vt dirigantur preces, & merita; at Patres non precabantur Incarnationem ſimpliciter, vt dixi.

99 Obiicies tertiò. Qui meretur principale, meretur etiam acceſſorium; ſed Sancti Patres meruerunt glorificationem, quæ fuit finis, ad quem ordinata eſt Incarnatio, atque adeo nobilior Incarnatione: Ergo.

Respondet S. Doctor, falſam eſſe Maiorem, quando acceſſorium non eſſet obnoxium merito, ſed eſſet præparans non modò ad præmium, ſed etiam cauſa meriti. Quia ergo Incarnatio erat cauſa præmij, imò & meriti, non potuit cadere ſub merito.

Deinde reſpondet, falſam eſſe Minorem; non enim Incarnatio eſt ſimplex medium dependens à fine, & propter illum ſolùm aſſumptum, nam propter glorificandum potuit ſufficere alia minor cauſa, quàm Incarnatio, quæ eſt maius bonum in ſe, quam omnium glorificatio. Hoc argumentum ferè cum ſequenti confunditur.

100 Obiicies quartò. Qui meretur quod maius eſt, meretur etiam quod minus eſt; at Sancti Patres meruerunt gloriam, quæ maior eſt, quàm Vnio hypoſtatica, tum quia eſt finis iſtius, tum quia hæc poteſt communicari Brutis; at gloria nequaquam: Ergo.

Respondet S. Bonauent. primò, Maiorem vniuerſaliter eſſe falſam, nam gloria eſt perfectior participatio Dei, quàm gratia, & eſt gratia conſummata, & tamen poſſumus mereri gloriam, non gratiam, quia incapax eſt, vt merito ematur, quippe gratiæ meritum repugnat. Talis eſt multò magis Incarnatio, quæ eſt ſumma, & primò prima gratia. Similiter maius eſt intelligere, quàm volare, & tamen homo non poteſt hoc velle, cùm tamen illud valeat. Maior ergo vix eſt vera de rebus eiuſdem rationis, vt notat Durandus, & Marſil. quos ſequitur Vaſquez *diſp.* 214. *cap.* 3. & *hic, diſp.* 23. *cap.* 3.

101 Respondet ſecundò, negando Minorem. Etenim Incarnatio præciſa eſt perfectior communicatio Dei: nam in gloria Deus vnitur, vt obiectum accidentaliter per lumen gloriæ; at in Incarnatione ſubſtantialiter hypoſtaticè. Niſi comparetur gloria habentis illam, v. g. Petri cum Vnione hypoſtatica, quæ eſt in alio conſiderata reſpectu Petri; maius enim eſt Petro gloriæ donum, quàm vnio hypoſtatica, quæ eſt in alio. Quis ignorat? Vel dic cum D. Bonauentura, verum eſſe de beatifica viſione, includente vnionem hypoſtaticam, aliter maior eſt vnio hypoſtatica, vt ait D. Bonau. etiam *diſt.* 4. *art.* 2. *quæſt.* 3. *argumento vltimo.*

102 Hic recole quæſtionem illam: An Vnio hypoſtatica ſit maius donum, quàm beatitudo, in qua Scotus *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. tenet, eſſe maiorem in actu primo; non in actu ſecundo. Vbi Faber *diſputatione* 8. notat, D. Bonauenturam aſſerere, non poſſe naturam irrationalem aſſumi hypoſtaticè à Verbo, quia eſt incapax gratiæ, & gloriæ; ad vnionem autem neceſſaria eſt gratia habitualis, tanquam medium ad vnionem hypoſtaticam. Sed hoc falſiſſimum eſt, vt vidimus *diſputatione hac, quæſt.* 2. Illud verò *diſput.* 1. *quæſt.* 3.

103 Posse verò vnitum hypoſtaticè non eſſe beatum, Probatur à Scoto *loco cit. to*, & Fabro *num.* 6. Quod eſt prius poteſt eſſe ſine poſteriori; talis eſt vnio: Ergo. Minor probatur: Eſſe perſonale præcedit operari; ſed beatitudo conſiſtit in operatione: Ergo poſterior eſt vnione hypoſtatica. Maior probata eſt *quæſtione* 3. Minor eſt certa, vt dixi *primæ ſecundæ, tract.* 1. *diſput.* 2. *quæſt.* 5. Confirmatur: nam ſi vnio hypoſtatica eſſet inſeparabilis à beatitudine, iam corpus non eſſet hypoſtaticè vnitum Verbo, quia non eſt capax operationis beatificæ. Totum argumentum ſumptum eſt ex D. Bonauent. *in* 3. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 1. *in corpore.* Sed de his agemus, cùm de Beatitudine Chriſti.

104 Vltimum argumentum D. Bonauent. huc retuli, quamvis primo loco etiam ſoluerim authoritates pro eo allatas. Qui petit aliquid in oratione perſeueranter, piè, & ad ſalutem, meretur exaudiri: ſed antiqui Patres magno deſiderio petebant Incarnationem perſeueranter ad ſalutem, & Deo placebant: Ergo.

Respondet S. Doctor, non potuiſſe Patres condignè mereri Incarnationem, quia meritum condignum eſt ex gratia, quæ quaſi ſemen eſt meriti ſolùm ipſi operanti, eſto poſſit dignè pro alio mereri. Sibi autem eos meruiſſe aliquid ad vitam æternam, dum ex charitate orabant pro mundi ſalute acceleranda, vel etiamſi oraſſent neſcientes, Incarnationem eſſe principium meriti, nam cùm hæc eſſet Fons omnis meriti, non erat precibus Patrum impetrabilis. Sanè mereri iuſtos ait, vt exaudiantur, ſi res poſtulata meritis, vel impetrationibus valeat obtineri.

105 Obiicies contra vltimum aſſertum. Si Patres meruiſſent Incarnationis accelerationem, Principium meriti caderet ſub merito.

Respondetur negando ſequelam, nam poſt decretum Incarnationis, factum eſt decretum accelerationis, vt ait Morandus *loco cit.* & Maerac. *diſp.* 15. *ſect.* 5.

QVÆSTIO VI.

An Beatissima Virgo *emerita ſit, vt eſſet Mater* Dei.

{ D. Bonau. diſt. 4. art. 2. quæſt. 2. D. Thom. art 11.

106 Fvervnt aliqui dicentes, B. Virginem condignè emeruiſſe Dei maternitatem. Ità Gabriel 3. *diſtinct.* 4. *quæſtione vnica, art.* 3. *dub.* 3. Almain: *quæſt.* 1. *dub.* 3. Maior *quæſt.* 4. Abulenſis *paradoxo primo, cap.* 34. Lorca *diſp.* 22, Caſpenſ. *diſp.* 2. *ſect.* 9. & aliqui Thomiſtæ.

Secvnda opinio eſt, B. Virginem meruiſſe tantùm congruè Diuinam maternitatem. Ita Lugo *diſp.* 8. *num.* 105. Medina *ad hunc articulum D. Thom.* Valentia *puncto vltimo*, Vaſquez *diſp.* 23. Morand. *quæſt.* 17. Paſqualig. *diſp.* 80. *ſect.* 4. Fulienſ. *lib.* 2. *cap.* 15. *reſol.* 6. Nazarius *art.* 11. *controu.* 3. Suarez *diſput.* 10. *ſect.* 7. Hi duo perſiſtunt in illo ſuo fundamento, Beatam Virginem emeruiſſe executionem, non autem prædeſtinationem maternitatis.

107 Tertia sententia est D. Bonauent. Sanctissimam Virginem dignè emeritam Maternitatem Dei, post consensum Angelo præstitum ; cùm antea congruè tantùm esset disposita. Eum sequitur Richardus *art.3. quæst.* 1. Marsil. *quæstione 5. artic.3. dubio* 1.

Qvoniam verò Gabriel Vasquez *hîc*, *num.5.* & alibi hanc distinctionem meriti allatam à D. Bonauent. spernit, eamque à Seraphico non explicitam carpit, videamus quàm solidè, & eleganter hæc distinctio tradatur ; & quàm immeritò a Vasquez exprobretur.

108 Triplex igitur meritum Seraphicus distinguit, nempe congruum, quod non habet proportionem ad præmium, sed solùm aliqualem conuenientiam, seu condecentiam, & dicitur amicabile debitum, quia nullum inde resultat debitum. Talis est dispositio per auxilium primæ gratiæ ad iustificationem : & hoc meritum, licet fundetur in gratia, sine qua ad Deum nullum est meritum congrui ; non habet tamen è sua dignitate effectum infallibilem. Meritum condignum est, quod ex gratia procedens, ex rigore æquatur præmio, illudque meretur. Tale est meritum iusti in operibus ex gratia ad præmium gloriæ.

109 Meritvm verò digni est, quod dignitatem quandam habet ex altero capite ; licèt ex altero deficiat à pretio remunerationis. Affert exemplum S.Bonau. iusti orantis pro peccatore, qui, vt Dei amicus, meretur exaudiri ; attamen deficit condignitas, quia pro indigno exorat. Hanc verò speciem meriti aliqui trahunt ad meritum condignum; aliqui ad congruum, vt ait Nazarius *hîc in resolutione*. Alij verò ad quandam speciem condigni imperfectam, quale ponitur à D. Bonau. *hîc*, *in corpore*, augmentum gratiæ.

110 Cætarvm latiùs patet hoc meritum dignum, quàm illud, quo ex condigno emit, ac meretur. Etenim vt aliqua persona sit digna, sufficit, vt deceat, & omnino conueniat, eam tali præmio munerari : Vt autem ex condigno, exigitur, vt de rigore debeatur. Hæc est dignitas, quæ in personis nominatur, de qua Iudæi dixerunt : *Dignum est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.* Quare meritum dignitatis aliquale est etiam cùm peccator orat pro iusto ; quia licèt peccator non mereatur exaudiri, tamen iustum decet exaudiri, vt ait D.Bonau. *ad 7. Luca.* Ex his habes, meritum digni medium esse inter congruum, & condignum, vt notat etiam Valentia *loco citato*.

111 Hac dignitate prædita acclamatur B. Virgo, vt esset Mater Dei, quæ non condignè, vt infra ostendam, neque solùm congruè dicitur idonea, vt esset Mater Dei, sed digna, vt canit Ecclesia : *Deus qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti.* Sic Epiphanius *heresi* 78. ait : *Digna facta est, habitaculum fieri Filij Dei.* Chrysostomus homil. 49. in Genesim : *Si cognosceres virum, non fuisses habita digna, vt huic mysterio seruires.* Et D. Ambros. lib. 2. de Virginibus : *Maria digna extitit, ex qua Dei Filius nasceretur.* Adde Euthymium ad Magnificat : *Digna æstimata est, quæ fieret Domini Mater.* Eodem modo loquuntur Petrus Damianus *serm. 2. de Assumptione*, Damascenus *lib. 4. de fide, cap.* 15. Bernardus *sermone 1. de Assumptione.* Et *serm. de Natiuitate B. Virginis.* Et *secundo de Aduentu, & Epiphania.* S.Titus Bostrensis in Glossa *ad 1. Lucæ, Cantico Magnificat.* Venantius Fortunatus *lib. de æternis gaudiis.* Satis ergo solidè, & clarè explicitum est a D. Bonau. meritum dignum etiam Beatissimæ Virgini esse adscriptum. Ideò Fuliensis hic cedit.

112 At verò comminiscitur Vasquez *num.* 17. modum vocandi dignum, non determinare dignitatem, sed solùm consequentem à Deo illud beneficium, vocari dignum. Sic Feria tertia post Dominicam Passionis orat Ecclesia : *Nostra tibi, Domine, sint accepta ieiunia : quæ nos expiando, gratiâ tuâ dignos efficiant.* At quis asserat, per ieiunia nos dignè mereri gratiam Dei ? Sic D. Ambrosius lib. 2. in Lucam dicit : *Simeonem, & Annam dignos planè fuisse, vt Redemptorem natum viderent, atque nunciarent.* Quis autem dicat, eos condignè id meruisse ? Quocirca hoc idiomate dicimus, Augustinum dignum fuisse Episcopatu : & Petrum Apostolatu.

113 At ex hoc modo loquendi apertè deducitur dignitas : Sic enim digni eligendi asseruntur. Et in Concilio Tridentino *sessione* 24. digniores sub contestatione mortali ad dignitates Ecclesiasticas præcipiuntur eligendi. Quod si dignus censendus aliquis eatenus esset, quatenus consequitur beneficium. Bone Deus ! nonne etiam indigni essent digni ? Hoc dixerim etiam in dignitatibus à Deo collatis. Sic Iudas dignus fuisset Apostolatu, & gratia, sicuti & alij peccatores, qui vocantur, & iustificantur. Quod verò ieiuniis persona iusta digna fiat gratiâ, imò dixerim condigna ; fit non quidem ratione optimæ gratiæ, sed augmenti gratiæ. Quod verò Anna fuerit digna nominis Christi Apostola, Quid indè ? Quod si dignitas D. Augustini ad Episcopatum præ cæteris ; & Petri ad Papatum ab ipsa nuda consecutione beneficiorum, & dignitatum sumitur; proh inopes sanctos ! Quæ dignitates ?

114 Assero primò, B. Virginem non emeruisse condignè Diuinam maternitatem.

Probatvr à D. Bonauent. *in corpore*, primò ratione, qua nititur Vasquez *numero* 13. Opus condignè meritorium debet esse proportionatum ordini, statui, & conditioni ipsius præmij, nec sufficit Diuina acceptatio, vel ordinatio præcisa à condignitate, & æqualitate ; at opera B. Virginis fuerunt ordinis inferioris Diuinæ maternitati : Ergo. Maior est euidens ex natura meriti condigni. Minor probatur, quia merita B. Virginis fuerunt eiusdem ordinis cum meritis aliarum sanctarum creaturarum, nempe ex gratia adoptionis profecta, & in ordine adoptionis. Quæ merita condignè remunerantur beatitudine; at maternitas est superioris ordinis ordini creaturarum ordinario, & supernaturali, nam reducitur ad ordinem Diuinum hypostaticum, vt indicat S. Doctor *loco citato*, & arguit Morandus. Quod si B. Virgo condignè meruit maternitatem, potuerunt eam mereri etiam alij sancti, qui opera eiusdem ordinis fecerunt (esto non adeò perfecta.) Et sic Abraham *Genes.* 18. condignè meruit paternitatem, quia habuit & merita, & promissionem, *Genes.* 18. *&* 22. At hoc est absurdum. Addit autem Vasquez, hanc illationem concedi à D. Bonauentura, & aliis relatis à se *disp.* 22. *cap.* 4. sed *quæstione præcedenti*, vidimus oppositum.

115 Probatvr à D. Bonauentura *ibi* secundò. Eiusdem ordinis est maternitas Dei, & Incarnatio ; & propter hanc causam B. Virgo non potuit mereri Incarnationem, quia transcendit naturam meriti adoptionis

adoptionis: Ergo neque maternitatem propter eandem causam. Maior est ipsius Vasquez, qui ponit *num.* 13. gratiam maternitatis in ordine superiori ordini gratiæ adoptionis, & gloriæ; nullus autem alius est ordo superior, quam vnionis hypostaticæ, vt omnes fatentur: Minor est ipsius Vasquez simul cum consequentia, *num.* 14. Quare etiam, atque etiam miror, Vasquezium *num* 9. vocare hanc rationem futilem, & inanem. Quamvis enim Vnio hypostatica aliis ex capitibus sit nobilior, tamen est eiusdem ordinis: Posset respondere huic argumento, Incarnationem ex aliis capitibus esse minus subiectum merito, quia est principium meriti.

116 AT arguit S. Bonauentura *loco citato.* Sicut Incarnatio est principium meritorum B. Virginis; ità & proportionaliter maternitas; nam omnes gratiæ, maximè verò sanctificans adeo copiosè data est Virgini, vt esset digna Mater Dei, sicut dicit Ecclesia: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosa Virginis Matris Mariæ Corpus, & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti.* Illa verò gratia data ob maternitatis dignitatem seruandam, tanquam finem efficienter in genere meriti operabatur heroïcos actus virtutum, quibus Virgo dignè consequeretur maternitatem. Igitur non poterat eadem gratiâ mereri condignè maternitatem, quia meruisset etiam eandem gratiam, quæ cum dignitate matris coniuncta est, & ità eadem gratia esset simul principium meriti B. V. & caderet sub merito

117 B. Virg. quod in domo Vasquez absonum omnino est. Quare ratio illa non est futilis, vel inanis.

GRAVIS tamen occurrit obiectio. Omnia merita B. Virginis nituntur gratiâ per merita Christi: Ergo supponunt hæc, tanquam meritorum principium, atque adeò nequeunt aut conceptio Christi, aut gratia ad dignè concipiendum, cadere sub aliquo merito, etiam congruo B. Virginis. Insuper, si Christus meruit suæ matri gratiam dignæ maternitatis, atque talem habere Matrem: Ergo meruit suum principium, vnde priùs extitit, ac meruit.

118 PLVRIMVM in hoc soluendo temporis insumit Lugo à *num.* 40. *ad* 103. *d.* 8. multaque aliorum spernit responsa, præcipuè Suarij *disp.* 10. *sect.* 7. *&* 8. Vasquij *disputat.* 23. *cap.* 4. Herixe *p. p. disput* 29. *cap.* 4.

IPSE à *num.* 83. sic disserit: Christus in cruce præuisus est acquisiturus B. Virgini gratiam, esto & existentiam; eo autem tempore non pendebat vita Christi à matre, quia in horto ex agonia mortuus esset, & vita in conceptione à Matre accepta consumpta fuisset, nisi Deus miraculo præseruasset; Itaque conseruatio Christi pro tempore sequenti erat à Virgine omnino independens, ac proinde potuit Deus primo decernere Christum ad eum statum; posteriori autem signo ex meritis in cruce præuisis præparare Virgini gratiam, vt mereretur conceptionem Filij, ac consequenter, qui iam fuerat præuisus vir, esset priùs infans, & adolesceret, & acquireret materiam, cum qua futurus erat tempore passione.

119 HOC pluribus insectatur Lorca *loco citato.*

RESPONDEO è D. Bonauentura *hic*, primam gratiam sanè copiosissimam profusam in conceptione immaculata Regiæ Infantis, vt fundamentum, super quo intensis actibus virtutum acquireret sibi condignè magnum gratiæ augmentum, & eminentem gloriæ lauream; & congruè se disponeret, vt tandem apta ornatibus sanctis inueniretur, vt Filium Dei in vtero recipiens conciperet; ea verò Angelo nunciante actibus Deo heroïcis operata est in plenitudine gratiæ, & charitatis Æternæ, vt digna facta sit mater Dei fieri, ad quem finem data est à Deo illi prima illa gratia, quæ cùm esset basis, & principium meriti condignum, augmenti gratiæ, & gloriæ, non cecidit sub merito. Tota verò plenitudo acquisita præter condignitatem ad gloriam sublimem, & præmium ordinatum in aliis habuit etiam 120 meritum, vt de digno fieret mater Dei, & quamvis totam gratiam, ac ipsam maternitatem meritis Christi obtinuerit, id solùm assequi non poterant, vt Incarnationem mererentur; at non denegatur, ea Virginis thalamum adornare, vt veluti in Sole Æternus Patris splendor reclinaret suam Maiestatem. Ipse verò Christus, quippè vt finis primò volitus ante omnem creaturam, potuit merita præparare ei Virgini, quæ sibi esse physicum materialiter, & efficienter; atque adeò in genere diuerso contulit, & recepit; potuitque principium B. Virginis, & eius partus esse. Hæc doctrina est S. Bonauenturæ, vt dixi *disp.* 4 *quæst.* 1.

PROBATVR tertiò à S. Doctore *ad* 2. *Luca*, vbi 121 B. Virgo in Cantico suo *Magnificat*, Diuinam laudat clementiam, ob gratiam sibi concessam maternitatis: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Et misericordia eius à progenie, &c. Suscepit Isr. et puerum suum; recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad Abraham, &c.* Ex quo deducit S. Doctor, hanc fuisse misericordiam magnam B. Virgini, & Abrahæ, quem hic recenset, quod de semine eius promiserit carnem sumere: Vult enim misericordiam factam hoc dono Abrahæ recenseri. Ex quo obiter colligitur, Seraphicum non admittere in Abrahamo meritum condigni in sua electione ad Christi progenitorem, vt dicebat Vasquez, qui non inuenit, vbinam S. Bonauentura id dixerit.

VASQVEZ *num.* 11. conatur hunc locum eneruare, quinimò indignatur, viros Theologos tam 122 facile abuti Scripturæ testimoniis in sensu, a nullo hactenus excogitato, & solo verborum sono contentos, inde argumentum deducere: Dicit ergo, eatenus B. Virginem misericordiæ adscribere dignitatem sibi collatam, quatenus non per opera, ex nudo libero arbitrio profecta, meruit illam; cui nil obstat, quin operibus ex gratia Dei factis meruerit de condigno Mater Dei fieri; Sic enim nihilominus esset beneficium gratiæ Diuinæ, licèt non primæ, siquidem prima radix esset ex gratia absque vllis meritis liberi arbitrij collata, vt per illam mereri posset tantam dignitatem.

EQVIDEM libenter peterem, ex quonam Patre, 123 vel Expositore hanc glossulam hauserit; Profectò nullum inueniret, & sanè inanis est expositio: Sic enim, & augmentum gratiæ, & gloria, & cætera, quæ merito comparantur, vocanda erunt gratiæ, & misericordia, quippè, non nudo libero arbitrio, sed ex gratia comparata: Sic & merita Christi non merito; sed gratiæ dicenda, quia ex gratia vnionis, & etiam gratia habituali proficiscuntur.

DEINDE quorsum Beatissima Virgo vilitatem suam à Deo respectam, & gratia ista dotatam diceret: neque enim hanc misericordiam ratione solius primi auxilij, vel primæ gratiæ nominat, sed ratione doni maternitatis; ideò ait: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ecce quàm inanis expositio illa omnium calculis firmata, cui nullus ausus est contradicere. Videamus igitur, an aliquis Commentator nobis faueat.

PRIMÒ quidem S. Bonauentura sic exponit, & 124

L 4 allegat

allegat Glossam Ordinariam, quæ est Bedæ: *Dona sibi concessa* (ait) *profitetur: Ecce quàm vilia de se sentit, & totam gratia attribuit: Nihil meis meritis* (ait) *tribuo, sed magnitudinem ad illum refero, quia fecit mihi magna, qui in me carnem sumpsit.*

Glossa Interlinearis: *Non ampliùs facere potest dona, quæ perceperit, audita responsione Elizabeth, quæ beatam prædicauit Matrem Domini.* Eodem modo exponit Lyranus, qui etiam obseruat, B. Virginem gratias agere Deo ob gratiam maternitatis,

125 Præterea donum vocat id maternitatis priuilegium, tametsi virtute profundissimæ, & meritoriæ humilitatis se disposuit, vt exponunt Origenes, *homil.* 8. *in Lucam*, Augustinus in expositione huius Cantici *tomo* 10. *& sermone* 2. *de Assumptione B. Virginis*, Beda *in hunc locum*, Bernardus *serm.* 42. *&* 45. *in Cant.* Profitetur itaque, se paruulam ad dignitatem hanc euectam, vt exponunt Theophylactus, & Euthymius, & nomen humilitatis *hic* in Græco *pusillitatem* significat, vt notat Toletus *hic*.

Ideò igitur, quia respexit humilitatem; *ex hoc*, idest, posthac: *Beatam me dicent omnes generationes*, creatam quippe Dei parentem, vt exponunt Aug. *locis citatis*, & Beda *hic*.

Toletus refert tres expositiones D. Bonauenturæ ad ea verba: *Dispersit superbos mente cordis sui*, & omnes carpit. Prima est: Dispersit superbos mente per præsumptionem, quæ est in intellectu, corde, & affectu per ambitionem. At potiùs (ait Toletus) dicendum, hoc non fuisset
126 *mente, & corde suo.*

At arguté S. Doctor *mentem cordis* vocat, quia etiam præsumptio in intellectu est à voluntate, quæ cordis nomine vocatur, idest, taxatur voluntaria, & vitiosa.

Vtrumque componit cum illo *Iob* 40. vbi de Diabolo: *Omne sublime videt*: Ecce præsumptio: *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*: Ecce cordis ambitio.

Secunda expositio: *Dispersit superbos mente cordis sui*; idest, Deus, mente, & consilio suo dispersit.

Contra arguit, non posse ad Deum referri, quia in Græco non est reciprocum *sui*, sed cordis eorum. Fateor, Græcum dicere: *Dissipauit superbos cogitatione cordis eorum*: at Vulgata, cui nos debemus stare, ponit reciprocum, qui propriè Deo conuenit secundùm regulas Grammaticæ, & dicit, Deum disperdere superbos, confundendo eorum machinamenta, vt habetur Iob 40. *Disperge super-*
127 *bos in furore tuo. Respice cunctos superbos, & confunde eos.*

Tertia expositio est: *Dispersit superbos*, quia superbi iusto Dei iudicio disperduntur corde, & obdurantur, ac decepti iacent, dum putant, se in peccatorum obscuritatibus latere, ibi sub tenebroso obliuionis velamento iacent dispersi. Eam verò gratis carpit Toletus, nesciens quare.

Legitimam autem expositionem ait Toletus, eam esse, superbos mente dispergi, cùm Deus consilia eorum, quæ ex prauitate moliti sunt, dissipat, atque confundit, ne effectum consequantur.

128 At si Vulgatam Canonicam sequamur, reciprocum *sui* ad Deum refertur: De cætero hæc est expositio suprà allata à D. Bonauentura, *secundo loco*, quam nullo fundamento ex aliena versione refellit, cùm potius ipse reprehensibilis sit, dum sensum Vulgatæ, cui ex Concilio Tridentino stare tenemur, deserit, vt deserat Seraphicum; & Græcos consulit.

Sed, vt vnde digressi sumus, eò nostra reuertatur disputatio, Vasquez *numero* 8. dicit, aliquos PP. asserere dignitatem matris fuisse gratiam B. Virgini, quia non prometuit iam solis arbitrij viribus. Ità refert Hieronymum, *Dialogo primo contra Pelagianos, circa medium*, Bernardum *sermone de Natiuitate B. Virginis, column.* 2. Fulgentium, *libro de Incarnatione, & gratia, cap.* 7. qui expressiùs loquitur dicens: *Sed ipsum Deum hominem factum, & concipere, & parere, non humanis meritis, sed concepti, nascentisque ex ea summi Dei dignatione promeruit.*

Obsecro pensitemus verba huius Patris, qui 129
cæteris præclariùs expositionem Vasquez apponit. Is igitur negat id humanis meritis, & concedit dignationi Dei. Hæc antithesis non apponit merita liberi arbitrij nudi, gratiæ Christi cooperanti, sed humana merita, idest, quæ in ordine meritorum ex gratia adoptionis proficiscuntur cum dignatione, idest, inclinatione Dei, & demissione ad concedendum aliquid altius humanis meritis: Satius dixisset Vasquez, Fulgentium confirmasse primam illam rationem suam, ex D. Bonauentura decerptam, quà ostendimus, maternitatem non potuisse condigno merito comparari à B. Virgine, quia omnia merita hominum sunt inferioris ordinis. Hoc indicant D. Bernardus, & alij PP. expositores *Cantici Magnificat*, dum asserunt, maternitatis dignitatem acclamari à Maria Sanctissima gratiam, pro qua reddit gratias altissimas, etiamsi confiteatur se gratiis ornatam, & virtutibus: *Respexit humilitatem, &c. Fecit mihi magna, &c. Et misericordia eius, &c.*

D. Hieronymus *loco citato*, sic ait: *Aduerte,* 130
quòd beatam se sic dicat, non proprio merito, sed Dei habitantis clementiâ.

Hoc verò solùm meritum condignum excludit, vt notat Valentia: Hoc patet, nam ait: *Beatam* (sic) *me dicent*, non dicit simpliciter beatam ex virtutibus: Sic enim de merito propriis viribus acquisito loqui possit: at dicit (sic) beatam, idest in eo gradu, vt non sancta solùm, sed Mater Dei esset, quia est gradus superior statui ordinario meritorum.

D. Bernardvs, *loco allegato* diligenter per- 131
lectus, ne iota quidem huius rei mussitat; ait vero: *Et quis iustus, nisi Maria iusta, de qua Sol iustitia ortus est nobis? Quomodo ergo illam inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique & quod quærebas inuenit cui dictum est: Inuenisti gratiam apud Deum. Quid? Plena est gratia, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorsus inuenire, quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono. Sed sicut scriptum est, qui bibit me, adhuc sitiet, petit superfluentiam ad salutem vniuersitatis. Spiritus Sanctus, ait, superueniet in te, &c. Redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam*: sanè D. Bernardus solùm ostendit, non fuisse adhuc condignum meritum supernum B. Virginis tanto pretio; sed adhuc Spiritum Sanctum debuisse plenius eam gratia replere, vt pretium reciperet redemptionis in se.

Præterea D. Bernardus, *sermone* 57. in Cant. 132
ait: *Respexit Mariam & infudit gratiam: Respexit* (ait) *humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c.* Vbi humilitatem, ex gratia vtique

que meritoriam, respexit, & infudit gratiam, vtique eam, ex qua beata est dicta, nempe Filium, qui est gratia, & gratiæ Author eum plenitudine gratiarum.

ASSERO secundò, Beatissimam Virginem congruè meruisse ante Angeli Annunciationem, vt esset Mater Dei; in Annunciatione verò dignam fuisse.

133 PROBATVR primò ex Patribus suprà relatis, qui eam vocant dignam Matrem Dei, & ex aliis, quos refert S. Bonauentura *hic* & *in Pharetra, loco citato*, & Valentia *hic*, qui dicunt, B. Virginem promeritam, vt esset Mater Dei: Ità Chrysostomus, *sermone in Domini Hypapante*, Ambrosius *epistola* 82. Hieronymus, *epistola ad Eustochium*, Augustinus, *libro de Natura, & Gratia, cap.* 36. Gregorius, *lib.* 1. *Reg. cap.* 1. Prudentius *in Cathemerino*. Tandem Ecclesia canit:

Regina cæli lætare,
Quia quem meruisti portare, &c.

NEQVE solam executionem, sed etiam electionem meritis B. Virginis adscribunt. Ità Basilius, *de Christi Natiuitate*, Ambrosius, *epistola* 82. Chrysostomus, *homilia* 49. *in Genes.* Euthymius *in Magnificat*, vt notat Valentia in calce. Tametsi Vasquez *num.* 12. hæc de electione in tempore exponat. At D. Ambrosius clarè loquitur: *Quid loquar, quanta sit Virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, vt esset etiam corporale Dei templum.*

134 Ibi ponit Deum considerantem totam seriem virtutum, & eligentem virginitatem in templum, hoc autem quis neget ab æterno factum iudicari? Ex quo patet, non rectè Suarez respondere, *disputatione* 1. *sectione* 8. vel loqui de electione latè, vel de dignitate ornamenti. Itaque eligit, non quia Virgo, sed vt esset Virgo. Verba clara sunt, at expositio extorta.

QVONIAM verò aduersarij nostras impugnant assertiones huius, & præcedentis quæstionis, ex eo, quod res à Deo alio modo præfiniri, alio modo effectui mandari præsumuntur: Ex qua doctrina inferunt, absonum esse dicere, B. Virginem prædestinatam ad maternitatem ex meritis, licèt in tempore ex illis concedatur electa, sicuti de gloria aiunt prædestinari gratis, & eam dari ex meritis. Vide *p.p. tom.* 1. *disp.* 21. *q.* 7. vbi eorum doctrinam refelli.

135 QVOAD B. Virginem dico eodem modo prædestinatam, & in tempore electam, atque assumptam in Matrem Dei. Constat ex dictis ibi; alioqui decernens vno modo, & alio exequens, mutaretur.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Gratia Vnionis fuerit Homini Christo naturalis.

D. Bonau. d. 4, art. 2. quæst. 3.
D. Thom. quæst. 2. art. 12.

136 QVÆSTIO hæc oritur è quibusdam verbis D. Augustini *in Enchirid. cap.* 40. vbi ait: *At si in natura humana susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.* Non dixit absolutè, sed: *quodammodo naturalem*, vt notat Vasquez *disp.* 24. post D. Bonau. *in corpore.*

D. THOMAS asserit. Si naturale sumatur pro eo, quod procedit à principiis ipsius naturæ, neutra gratia, nempe vnionis, & habitualis, dicenda est naturalis, quasi proueniens ex natura humana; rectè tamen prout proueniens à natura Diuina in humanam: si verò naturale accipiatur pro eo, quod inest à natiuitate, vtraque gratia homini Christo est naturalis.

DVRANDVS neutram gratiam ait propriè dicendam naturalem, sed tantum similitudine quadam; 137
connaturalem autem vocandam. Probat primum, quia naturale est, quod consequitur naturam eius, sicut grauitas naturam terræ; neutra autem gratia sequitur naturaliter aliquam naturam Christi. Dicitur verò similitudine quadam naturalis, quia ad modum naturalium inest ab ortu.

AD hanc sententiam, ait Lugo *disputatione* 11. *sectione* 5. cum Vasquez non distare Bonauenturam *hic*, vbi tres gratias distinguit. Gratiam disponentem ad vnionem, Gratiam Vnionem, & Gratiam facientem vnionem, idest, actionem, quæ Spiritui sancto adscribitur. Has gratias partim naturales, partim non, asserit: Sic enim & D. Augustinus non absolutè naturalem vocat, sed quodammodo.

PRIMÒ gratia habitualis comparari potest ad subiectum, in quo est, idest, ad humanam natu- 138
ram. Secundò ad causam, à quo est: hic enim est duplex respectus, secundùm quem proprietates naturales considerantur, nam aliqua proprietas dicitur naturalis, primò ratione subiecti, in quo est, quia inest ei à natiualibus, & est inseparabilis. Secundò dicitur naturalis è causa producente, quia à principiis naturæ subiecti orta est, & ad operationes subiecto connaturales ordinatur. Quoniam igitur gratia habitualis Christi hominis in ordine ad subiectum habet esse naturale, quia inest humanitati Christi ab initio conceptionis, & inseparabiliter; ideò ex hoc capite est Christo hominis naturalis. Quoniam verò caret altera conditione in ordine ad causam, quia non oritur ex principiis naturæ humanæ, nec ad operationes naturales homini patrandas ordinatur, sed ad supernaturales; ideò ex hoc capite non est connaturalis. Itaque non dixit S. Bonauentura, gratiam habitualem comparatam cum causa nullo modo esse naturalem; comparatam verò cum subiecto esse quodammodo naturalem, vt ei adscribit Vasquez, *numero* 2. vt in sententiam Durandi eum trahat, sed ait, ex hoc capite esse naturalem.

SECVNDA gratia, quæ est Vnio in facto esse 139
gratis facta, est naturalis, quia intima est, & insolubilis: sunt enim vniones naturales, quò perfectiores, eò magis insolubiles, vt patet in vnionibus substantialibus, quæ sunt accidentalibus ex se firmiores: Ex altero verò capite non fuit naturalis, quia suprà naturam gratis à Deo humanitati concessa, non è principiis naturæ promanans.

TERTIA gratia vnionis sumpta pro virtute faciente vnionem, quæ fuit virtus diuina Spiritui sancto adscripta, fuit quodammodo naturalis Christo per communicationem idiomatum ratione Verbi, cui Spiritus Sanctus connaturalis est, cùm sit eiusdem cum eo naturæ, & virtutis: non enim Verbum habuit Spiritum sanctum per influentiam; imò ipse à Patre habuit in generatione vim producendi Spiritum sanctum. Ideò *Ioan.* 3. dicitur: Non ad mensuram datus est Spiritus: Comparata verò ad humanam naturam, virtus hæc non erat ei naturalis, quia

Spiritus

Spiritus sanctus non erat in eo per principia naturæ creatæ, sed per gratiam. Hæc S.Doctor ab Alensi *3.part.quæst.8.mem.3. art.4.* & ab vtroque Richar. *dist.4. art.3. quæst.2.*

140 CAIETANVS, secutus D. Thomam, negat, gratiam vnionis, vel habitualem posse dici naturalem simpliciter, sed eatenus dici naturalem, quatenus conuenit a natiuitate; imò ex vi suæ natiuitatis. Homo enim ille ex vi vnionis hypostaticæ debuit esse omni gratia præditus ad differentiam Angelorum, & Adæ, qui licet à creatione habuerint gratiam, non tamen eam habuère ex vi creationis, sed ex Diuina liberalitate; & quia natura illa humana generata est in Verbo, ideò naturalis fuit ei vnio ex vi natiuitatis. Præterea dicit, vtramque gratiam esse naturalem Christo, quia ortum habet à natura Diuina, quæ est natura ipsius Christi. Non dicitur autem alterutra naturalis relata ad principia naturæ, quia, licet procedat, à natura Diuina, non tamen procedit naturaliter, sed liberè. Parum igitur differt à D.Bonauentura, quem ferè etiam Suarez sequitur in articuli Commentario, cum Rada *controu.4. art.5.* & Lugo *num.53.*

141 NAZARIVS verò prælibatis per multas conclusiones distinctionibus Caietani, & D.Thomæ, concludit *decima assertione*, vtramque gratiam posse dici simpliciter naturalem, quia respicit Christum compositum hominem, & Deum, cui est substantialis vnio hypostatica; gratia verò habitualis causatur ad modum naturæ ab altera eius natura, id est, Diuina.

Hoc dictum sequuntur Medina, Porrecta, & Aluarez ad *hunc articulum*, vbi vtramque gratiam vocant simpliciter naturalem. Inclinat Valentia *disp.1. quæst.2. punct.7.*

VASQVEZ cæteris corrosis dicit, D. Augustinum *loco citato*, vnde Scholastici ansam arripuere disputandi, non rectè ab eis percipi, quippe in alio sensu loquatur, & accipiat nomen [illegible] scilicet prout dicit vnionem realem substantialem, non secundùm affectum, vt dic[illegible] Nestorius.

142 VT autem nostrum disputationis fundamentum sartum tectum seruet, aduerto cum Nazario *assertion:* 1. deceptum esse Vasquez, quia [illegible]nctus v[illegible]que Doctor, cæterique Theologi [illegible] sensum D. Augustini melius per[illegible]runt. Primò quidem in eo sensu non esse locut[illegible] D. Augu[illegible]num conuincit modus loquendi, nempe vnionem [illegible] factam esse quodammodo naturalem, nam si naturale accipitur pro vnione substantia[illegible] [illegible]sonæ, abstinere debuit ab vnione naturali, seu per naturam nominanda, ne ad Euthychetem accederet, dum à Nestorio recedit, incideret enim in Scyllam, dum vult vitare Charibdim.

DEINDE si intellexit substantialem, prout recedit à modo Nestoriano secundùm affectum, tenebatur laxis resonare fibris absolutè, eam vnionem substantialem esse, & naturalem, vt confiteretur factam secundùm esse reale, & naturale suum, vt vult Vasquez, non addere *quodammodo*, vt notauit etiam Lugo *à num.60.*

143 PRÆTEREA obsecro subtilem hunc virum, vt periodum constituat. Quæstionem tractabat Sanctus Augustinus duplicem, quam paulò ante definierat *à cap.36.* Altera erat: *An humanitas meruisset vnionem hypostaticam*, & definit negatiuè, & concluserat: *Magna, & sola Dei gratia euidenter ostenditur per quam factum est, vt homo Christus nullum possit habere peccatum?*

ALTERA quæstio erat: *Quomodo Christus diceretur de Spiritu Sancto conceptus*. Ex quo infert: *Ex eo, quod de Spiritu Sancto, quid aliud, quam ipsa gratia demonstrat?* E suprà allegata ratione, qua Vnionem hypostaticam esse gratiam probauerat, quia est de Spiritu Sancto Christus conceptus, arripit ansam discutiendi, quomodo Christus sit de Spiritu Sancto conceptus, nec tamen sit eius Filius, & concludit, ideò non filium, quia non est à Spiritu Sancto de propria substantia similis homo ille productus. Et concludit capite 40. *Modus iste, quo natus est Christus de Spiritu Sancto, non sicut Filius: & de Maria Virgine sicut Filius, insinuat nobis gratiam Dei: qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset Filius Dei, qui Filius hominis, & filius hominis qui Filius Dei: ac sic in natura humana susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum Sanctum fuerat significanda, quia ipse propriè sic est Deus, vt dicatur etiam Dei donum.* 144

HIC siste, & vide telam Sancti Augustini. 145
Igitur ex vnione personali, quam propriam esse hypostaticam arctissimam præmiserat, infert aliud è supradictis, quod per modum subiunctiuum præmissis coniunctionibus, *Vt* & *Ac*, exponit, nempe: sic gratia illa vnionis, quam suprà ostenderat, & probauerat, maximè ex operatione adscripta Spiritui Sancto, quamvis à tota esset Trinitate, fieret quodammodo naturalis, vt redderetur natura sua, nempè quia substantialiter Deus impeccabilis, ne dum per abundantissimam gratiam coniunctam, & summam protectionem Dei F[illegible] substantialiter vniti, & Spiritus sancti assistentis, seu Diuinæ gratiæ, quæ Spiritui sancto adscribitur vt Dono.

Ex quo elicitur, D.Bonauenturam omnibus diligentius inspexisse scopum D.Augustini, nam considerat, non modò gratiam habitualem Christi, & gratiam vnionis, sed etiam efficientiam ipsam, & operationem, qua facta est vnio a tota quidem Trinitate, sed Spiritui sancto adscriptam. Ea verò, quæ Vasquez affert, nihil illi fauent. Subdit verò conclusionem, capite 41. *Nulla igitur voluptate carnalis concupiscentia seminatus, siue conceptus est, & ideo nullum peccatum originaliter trahens. Dei quoque gratia Verbo Patris Vnigenito, non gratiâ Filio, sed natura, in vnitate personæ modo mirabili & ineffabili adiunctus, atque concretus & ideo nullum peccatum committens.* 146

HÆC est illatio ex antecedentibus, imò antecedentia magis confirmans. Igitur ex eo quod de Spiritu sancto conceptus, non humano modo, & vnitate personæ naturalis Filius Dei, non ex meritis coniunctus humanitati sed ex gratia, quæ non est gratia Filio, sed natura. Rationem autem suprà reddiderat, cap. 36. & supposuerat: *Veritas quippè ipsa, vnigenitus Dei Filius, non gratiâ, sed naturâ, gratia suscepit hominem tanta vnitate personæ, vt idem ipse etiam esset hominis Filius.* Sic exponit etiam Nazarius, licèt probationem hanc non viderit in D.Augustino. 147

Ex quo sequitur nil voluisse D. Augustinum de eo puncto disserere Christum esse Filium realem per naturam, non per affectum, vt volebat Nestorius, sed solùm voluisse, gratiam humanitati factam, 148

ctam, non fuisse gratiam Filio, qui est ipsa natura Diuina.

PROPTEREA (vt notat S. Bonauent.) dictum est Ioan. 3. *Non ad mensuram dat Deus Spiritum Filio suo*, quia non per influentiam eum recepit à Patre, sed quia à Patre habet vim spiratiuam; & profectò hæc est gratia, & donum, de quo locutus est D. Augustinus, vt sæpiùs repetit.

ASSERO primò, gratiam vnionis, & alias fuisse ex parte subiecti naturales Christo homini.

149 PROBATVR à D. Bonauentura primo ex D. Augustino *loco cit.* Secundò, quia insunt ei à prima origine inseparabiliter. Probatur à quibusdam tertiò. Id, quod ordinatur ad actum naturalem, est naturale; sed per gratiam vnionis ille homo ordinatur, vt sit naturalis Filius Dei: Ergo.

RESPONDET tamen S. Doctor, negando Minorem; licèt enim sit Filius naturalis ille homo per communicationem idiomatum, non tamen per naturam; non enim ille homo est ab æterno, neque genitus consubstantialis Patri; sola enim persona genita, est ab æterno, non homo.

ASSERO secundò. Sumpto Christo toto, Gratia hæc est simpliciter naturalis.

150 PROBATVR à S. Doctore; quod inest ei à principio intrinseco, est naturale; sed gratia Christi ortum habebat à persona Verbi, quæ non est alia à persona Christi: Ergo. Hoc argumento nituntur omnes allegati, qui dicunt, posse simpliciter illam gratiam dici naturalem. Sic enim est naturalis, tum ex parte subiecti; tum ex parte principij, vt ostendam: Ergo omnibus modis est naturalis, excipe, quòd liberè sit facta.

NOTAT verò S. Bonauentura, personam illam non esse intrinsecam homini illi, nisi de constitutione naturæ illius hominis naturaliter; & ita argumentum de solo homine non valet, sumpto pro natura humana.

ASSERO tertiò, gratiam vnionis, & alias ex parte principij non esse homini illi naturales. 151

PROBATVR à D. Bonauentura primò *in corpore*, quia non est à principio ipsius subiecti.

PROBATVR secundò: Quæ sunt diuisa per oppositas differentias, non possunt concurrere, nec alterum de altero prædicari: Sed gratia, & natura tales sunt: Ergo. Sed Vnio est gratia, similiter & habitus sanctificans: Ergo.

PROBATVR tertiò. Plus naturale distat à gratuito, quàm meritorio; Sed vnio non potest cadere sub merito: Ergo multò minus esse naturalis.

PROBATVR quartò. Naturalibus nemo laudatur: at Christus his gratiis laudatur: Ergo. Maior est Aristotelis trita. Minor explicatur. Quamvis enim laus ex actibus liberis afferatur; tamen his celebratur, vt debitis dignitati morali Christi ipsius; ideò hinc infert S. Doctor, eas esse quodammodo non naturales, sicut quodammodo & naturales.

PROBATVR quintò. Plus eleuatur hæc vnio supra naturam, quàm eleuetur per gloriam: at natura non est capax gloriæ, nisi eleuetur per gratiam: Ergo. 152



DISPVTA

DISPVTATIO SEPTIMA.

DE

CAVSA EFFICIENTE INCARNATIONIS.



OTA est illa distinctio proprij, & appropriati, in Diuinis; ita vt in Deo nonnulla sint, quæ alicui personæ sunt propria; alia verò, quæ licèt omnibus Sacrosanctæ Trinitatis personis sint communia, vni tamen approprianturs; Vtrumque videre licet in mysterio Incarnationis; Nam si personales proprietates diuinorum suppositorum spectentur; Patris propria est Missio, Filij Terminatio, & Spiritus Sancti obumbratio; Nam ab æterno à solo Patre procedit Filius, in qua emanatione connotatur eius ad visibiles effectus Missio; Solus item Filius naturam humanam terminauit, iuxta illud. VERBVM CARO FACTVM EST, de solo; etiam Spiritu Sancto dicitur: *Superueniet in te*, &c. Verùm si Patris potentia, Filij Sapientia, aut Spiritus Sancti Bonitas ponderetur; quæque persona aliquid sibi appropriatum vindicabit; quippè cuius speciale aliquod attributum in hoc mysterio eluxerit, licèt tota Sanctissima Trinitas indiuisâ bonitate, sapientiâ, & potentiâ ad illud concurrerit, vt infrà in assertione probabitur, & in hoc indiuisæ virtutis concursu consistit vera, & Physica Incarnationis efficientia: Quoad moralem autem efficientiam, eam suprà discussimus, hîc igitur solam Physicam cursim absoluemus.

QVÆSTIO I.

An vnica Persona, an potiùs tota Trinitas Sanctissima fuerit causa efficiens INCARNATIONIS.

D. Bonau. distinct. 4. quæst. 1.

1 ASSERO, totam Trinitatem esse causam efficientem Incarnationis.

DEFINITVM est in Consilio Later. sub Martino I. *can.* 2. & in Concilio Lateran. sub Innocentio III. & habetur *cap.* Firmiter *de summa Trinitate*, & in Concilio Toletano VI. & XI.

PROBATVR à D Bonauent. *dist.* 4. *quæst.* 1. *corpore.* Omnia opera Trinitatis extrà sunt indiuisa, procedunt enim à tribus personis, vt sunt vnum in volnntate, potentia, sapientia, & bonitate, atque adeò operatione. Hoc autem Mysterium est opus ad extra, in quo potentia, sapientia, & bonitas impensa est. Maior innititur illo Ioan. 5. *Pater meus operatur, & ego operor. Quæcunque fecerit Pater, hæc similiter & Filius.* Vnde omnipotentiæ, & voluntati adscribenda esse opera ad extrà, deducit S. Bonauentura ad eum locum cum Damasceno *3. de fide, cap.* 14. & 15. quos sequuntur Theologi, vt videre est in Suarez *disp.* 10. *sect.* 1. Idem habet S. Doctor, *dist.* 1. *quæst.* 2.

ADDIT D. Bonauentura *ad* 1. *Lucæ*, hoc opus exprimi, non fuisse à causa efficiente creata, cùm dicitur: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Superuenit enim, idest desursum, vel desuper venit, vt dicitur 1. Iacobi: *Desursum est, descendens à Patre luminum.* 2

Ex his habes, Vnionem hanc adeò excelsam non potuisse à creatura, tanquam causa, principaliter fieri, quia deberet illa creatura habere actionem super Diuinam personam.

IMÒ non posse creaturam assumere, idest, efficienter ad se sumere naturam alienam in hypostasim, eam sibi vniendo, communis sententia est, quia omnis persona creata adæquatur propriæ naturæ, nec potest extendi extra illam, neque vnquam id factum est,

est, vt notat Vasquez *disput*. 13. *num*. 2. cum Scoto, Ocham, Gabriele, & Almaino.

3 AN verò possit hæc virtus à Deo communicari creaturæ, tanquam instrumento, vt assumat alienam naturam, pendet è quæstione: An valeat persona creata alienam naturam terminare; de qua *disp*. 8. *quæst*. 1. disseram, Deo fauente.

AN verò possit creatura à Deo assumi, vt instrumentum ad vniendam naturam humanam cum Verbo; Quidam Recentiores concedunt, sicut concedunt, Sacramenta esse instrumenta Physica ad gratiam creandam, & ad transubstantiationem in Eucharistia.

4 TALE autem instrumentum fuisse B. Virginem, quæ non solùm concepit humanitatem, sed concurre censenda est vnioni ipsius humanitatis cum Verbo, & Propterà aiunt vocari ab Hesychio, *serm*. 2. Instrumentum Incarnationis.

AT D. Bonauent. *dist*. 5. *art*. 3. *quæst*. 1. & *q*. 3. *in corpore*, quam sequitur Vasquez *loco citato*, negat. Nam virtus finita non potest corporari ad opus infinitum; talis fuit incarnatio quoad rem, quia fuit vnio Dei cum humana natura substantialiter. 5

QVÆSTIO II.

An rectè Incarnatio Spiritui Sancto attribuatur.

D. Bonauent. dist. 4. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 32. art. 1.

6 D. THOMAS, ex triplici causa, ait, rectè Incarnationem Spiritui sancto adscribi.

PRIMA est ex parte Dei, Spiritus enim sanctus est amor Patris, & Filij. Hoc autem ex maximo Dei amore prouenit, vt carnem assumeret.

SECVNDA est ex parte naturæ assumptæ, quæ hoc pacto signatur ex mera gratia ad tantam vnionem eleuato.

TERTIA ex fine, quia ordinata est Incarnatio ad hominum sanctificationem, & præcipuè illius humanitatis. Sanctificatio autem Spiritui sancto adscribitur, sicuti & gratia, & alia dona.

Ex his rationibus prima est etiam D. Bonauent. *ad* 3. *cap*. *Ioan*. ad ea verba: *Sic dilexit mundum*, & in Proœmio *tertij sent*. sumpto themate *è secundo* ad Ephes. *Deus, qui diues est in misericordia, propter* 7 *nimiam charitatem*, &c. & in hac quæstione *fundamento* 2. Secundam habet S. Doctor, *dist*. 4. *in hac quæstione, fundamento secundo*, & *in corpore*. Tertiam verò *in corpore*.

D. BONAVENTVRA ostendit, potuisse appropriati singulis personis, quia in hoc Mysterio resplendet Potentia attributa Patri in vnibilium infinitè distantium vnione. Rutilat Sapientia adscripta Filio in vnionis modo, qui fuit vniendi naturam humanam Filio Dei hypostaticè, vt sic fieret pro homine satisfactio ab homine, & hæc infinita ex dignitate personæ satisfacientis, ita tamen, vt diuina misericordia triumpharet, dum tam nobile donum est nobis collatum, & tam grandis infirmitas curata est balsamo sanguinis, tam suauiter, & potenter: sic enim Sapientia fortiter, & suauiter agit: Fulgurat etiam Bonitas, Spiritui sancto adscripta, in fructu, & effectibus, quia tam copiosa in nos misericordia fusa est, tot gratiarum abyssi, tot bonitatis dona profusa sunt, vt aspidis cor valeant accendere, vt ait Cornelius à Lapide *ad* 2. *Isa*.

ATTRIBVITVR tamen Spiritui sancto præcipuè. Primò ob allatas cum D. Thoma rationes; secundò, vt omnis suspicio carnalis actus à Christi sanctissima Conceptione remoueretur, & vt sciretur, hanc fuisse etiam ex parte Virginis Conceptionem ex charitate, & quo ad nos etiam maximi amoris ostentum. Addit S. Doctor *ad argumenta*, dum adscribitur Spiritui sancto, includi etiam alias personas, cùm Spiritus sanctus sit ambarum nexus, & vnitas, & quia concipiebatur Verbum, eratque dandus ad salutem Spiritus sanctus Verbi, vt habetur Galat. *Misit Deus Spiritum Filij sui*. 8

QVÆSTIO III.

Cur non dicatur Spiritus Sanctus Pater Christi

D. Bonau. dist. 4. q. 2. & 3.
D. Thom. quæst. 32. art. 2.

ASSERO, Christum non esse dicendum Filium Spiritus sancti, qui non producitur similis in natura: nam neque Spiritus sanctus producit Filium Dei cum Natura Diuina, neque secundùm naturam humanam, quam producit, est similis Deo, sed B. Virgini, neque est de substantia Spiritus sancti, quæ quidem sunt necessaria ad generationem rationalium, ex qua sequitur Paternitas. Ità D. Thomas, *in corpore*, ibi etiam Diuus Bonauentura *ad* 2. 9

ADDIT S. Bonauentura *in corpore*, non esse id asserendum, ne Spiritus sanctus videatur interuenisse, sicut vir, cum B. Virgine ad Filij Dei Conceptionem, & ità irrepat error circa generationem Christi temporalem. Secundò ne irrepat circa generationem æternam, & censeatur referri ad Spiritum sanctum, tanquam ad Patrem, & relationes confundantur; nam hypostasis Filij Dei, quæ est subiectum Filiationis, ad Patrem realiter refertur, tanquam ad suum principium.

TANDEM est definitum in Concil. Toletano XI. Confirmatur a D. Bonauent. ex D. August. *in Enchir*. *cap*. 38. *citato, disputatione præcedenti, quæst. vltima*, vbi ait: *Quis hoc dicere audebit? Non opus est ostendere disputando quanta alia sequantur absurda, cùm hoc ipsum ità sit absurdum, vt nulla fidelis aures id valeant sustinere*. 10

QVÆSTIO VII.

Cur non dicatur CHRISTVS Sanctissimæ Trinitatis Filius.

D. Bonau. quæst. 3. art. citat.

ASSERO, non posse dici Christum Filium Sanctissimæ Trinitatis. 11

PRIMA ratio D. Bonauent. est: Ea, quæ dicuntur de aliquo secundùm perfectissimam rationem, non sunt dicenda de eo secundùm imperfectam: sed

Christus est Filius Patris secundùm perfectissimam rationem; Ergo. Sic & D.Thomas.


SECUNDA est, quia accedit talis locutio ad errorem Sabellij, qui posuit proprietatem Patris posse attribui etiam Filio, & Spiritui sancto.

TERTIA quia ad Arrium accedit, qui posuit Christum putam creaturam.

QUARTA, quia conuenit prope cum Nestorio, qui geminas in Christo naturas, & totidem posuit personas, Diuinam, & humanam, & secundùm hanc esse Filium Dei per gratiam. Sic autem per gratiam poneretur Filius Trinitatis.

11 ALII arguunt sic: Filiatio est proprietas personalis: Ergo cùm sit Filius Patris secundùm Diuinam Personam; si admitteretur etiam Filius totius simul Trinitatis, vtique deberet asseri noua persona, quæ non esset solius Patris Filia.

RESPONDET D.Bonauent. *in corpore*, non esse solidam, est enim Filius etiam B.Virginis, nec tamen erratur. Quare ex hoc capite non probatur interim. Vide S.Doctorem, alia facilè soluentem.



QVÆSTIO V.

An & quomodo tota Trinitas in CHRISTI *sit Humanitate.*

13 QVÆSTIONEM hanc appono, vt videamus perspicue, quidnam etiam efficientiæ habeat Sanctissima Trinitas, atque potentiæ in augustissima humanitate Christi.

SVPPONO autem, solum Filium esse incarnatum, habetur in symbolis Apostolorum, Nicæno, & Athanasij, & definitum est in Concilio Toletano VI. *cap.*1. & Toletano XI. *in Confessione fidei*, Carthag.IV. *cap.*1. Lateranensi sub Innocentio III. & refertur *in cap. firmiter, de summa Trinitate*. Ratio est, quia vinculum, quo facta est vnio, est personalitas sola Filij, realiter distincta à personalitatibus Patris, & Spiritus Sancti: natura verò communis solùm fuit alterum extremorum. Quamvis autem nequeat vna persona videri sine aliis, eò quòd visio, quæ est perfectissima, & evidentissima cognitio relatiui, exigit vt exeatur ad videndum etiam correlatiuum; Attamen potest vna secundùm esse suum reale proprium sustentare naturam alienam, vt ostendi *p. p. tractat.* 1. *disput.* 11. *quæst.* 19.

14 QVOAD præsentem quæstionem fuit opinio Hugonis de S.Caro, *in speculo Ecclesiæ* §. *Post hac igitur incipit sexta pars*; neque in humanitate Christi, neque in Eucharistiæ Sacramento esse Patrem, & Spiritum Sanctum per concomitantiam ex vi ipsius Mysterij, sed solùm ratione immensitatis. Eum secuti sunt aliqui Theologi nostri temporis, inter quos est Ioannes Rada 3. *parte, controuers.*1. quod deducit è Scoto *in* 3. *distinct.*2. *quæst.*2. *littera A.* Nazarius *quæstione* 3. *art.* 2. *controuers.* 1. in fine.

15 OPPOSITA tamen sententia est, Patrem, & Spiritum sanctum in humanitate assumpta per concomitantiam residere: Ità Suarez *disp.*11 *sect.*1. circa finem, §. *sed occurris*, Naxarius *quæst.* 21. *art.* 3. *controu.vnica*, secum pugnans, Vasquez *disp.*28.*c.*1. adducens Gabriel. *lect.*42. *in Canonem, littera P. propositione* 2. Maiorem 4. *d.*11. *quæst.* 1. *art.*3. Viguerium *in summa Instit. Theol. cap.* 16. §. 3. *vers.*4. eo quod idem asserunt in sanctissima Eucharistia. Directè verò de humanitate Christi id asserentem nullum, ait Vasquez, esse repertum, seque huius sententiæ esse inter scholasticos antesignanum.

VERVM enimverò præclara de hoc argumento innenio apud D.Bonauenturam.

IN *Prologo tertij senent.* incipit: *Deus, qui diues est in misericordia, conuiuificauit nos in Christo.* Ephes. 2. Profectò Deum Patrem intelligit, quem Authorem reparationis appellat, quod probat ex Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Pergit verò hanc concatenationem Dei Patris cum Filio Redemptore describere, & affert illud, Coloss.1, *In ipso explicauit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia*, & vt admisceat etiam Spiritum Sanctum, affert illud Titom 3. *Secundùm misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum.* Confirmat rursus ex 5. ad Roman. *Commendat autem Deus*, idest, tota Trinitas, auctrix reparationis: *Charitatem suam in nobis; cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, & ideò ait dici: *Conuiuificauit nos in Christo.* Ephes.2. *Quia Deus viuificauit nos in Christo*, scilicet cum Christo, & per Christum. Explicat autem quomodo cum Christo nos conuiuificauit, illo 1. Ioan. 1. *Quod fuit ab initio, &c. & vita manifestata est, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et sic dum, *in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est Deus*, vt dicitur *Baruch.* 3. nos conuiuificauit cum Christo. En, Deus Pater dicitur cum Christo ex aliquo tempore incepisse nobiscum in Christo conuersari. 16 17

Et quidem ex hoc loco *ad Coloss.* etiam *secundo*, Ioannes Maxentius *in* 2. *Dialogo*, paulo post medium, qui est *in* 5.*tomo Bibliotheca Sacra*, deducit, in Christo inhabitare Patrem, & Spiritum sanctum, sed aduertit, non benè Nestorianos ità loqui: In Christo inhabitat tota Trinitas, quia sic Christus esset quartus per gratiam, in quo etiam Filius habitaret. 18

Ex eodem loco etiam Vigilius Martyr. *lib.*4.*contra Euthychetem*, non parum à principio, qui est, *in tomo* 3. *Biblioth.* colligit, in bono sensu totam Trinitatem inhabitare, quia Verbum est in humana natura per suam deitatem.

IDEM colligit Beda super hunc locum *Coloss.*2. Quare S. Bonauentura solidè probat hoc assertum.

SECVNDÒ, D.Bonauent. *in* 3. *dist.* 19.*q.vlt.ad*3. ad probandum Christum esse mediatorem secundùm humanam naturam, vtitur eo loco 2. Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians*, idest Trinitas in Christo homine stabat reconcilians sibi mundum. 19

HOC loco vtitur Chrysostomus *homil.*12.*in cap.*5. 2. *ad Corinthios*, explicans eadem verba: *Quoniam Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians. Quis est ille, qui iniuria affectus est? Ipse. Qui ille primus, qui ad conciliandum venit? Ipse. At qui filium dicis, misit; ipse venit. Filium quidem misit, nonille autem exhortabatur solus, sed etiam cum ille, & per illum Pater, ideircò dicebat: quia Deus erat, qui conciliabat sibi mundum in Christo.* Sentit igitur Patrem cum Filio venisse speciali modo ad mundum conciliandum.

IDEM de eodem Patre intelligit Ambrosius: *Deus ergo erat in Christo. Quomodo? Deus Pater in Filio rectè dicitur mundum reconcilians sibi.*

EODEM

Eodem modo intelligunt D. Augustinus in illud
20 psal. 67. *Vt quid suspicamini montes coagulatos.* D. Anselmus in eum locum Apostoli, Beda in illud Coloss. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis*, vbi adducit S. August. loc. cit. Vasquez refert, idem omnino aliis in locis docuisse D. Augustinum sermone Dominicæ tertiæ Aduentus, vbi ait: *Sic etiam Filius suscepit carnem, & non deseruit Patrem, nec se diuisit à Patre. Suscepit, inquam Filius carnem in proprietate: sed tamen & Pater, & Spiritus sanctus non deerat maiestate. In diuinitate æqualitas, in carne sola Filij proprietas: non autem ab eo Patris, & Spiritus sancti recessit aliquando diuinitas. Cùm ergo vna sit deitas, vna sit diuinitas, impleuit quidem carnem Christi & Pater, & Spiritus Sanctus: sed maiestate, non
21 susceptione. Vis scire quia cum eo fuit & Pater? Non sum, inquit, Dominus Iesus Christus, solus: sed Pater mecum est. Audi, & de Spiritu sancto, quia cum eo erat, Euangelista refert: Quia Iesus plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane. Ecce sic solus Iesus Christus suscepit carnem, & tamen, & Pater, & Spiritus sanctus non defuit maiestate. Sic cælum, & terram implet Pater, implet & Spiritus sanctus: Carnem Christi deserere non potuerunt, quando in diuinitatis vnitate manserunt.* Eadem verba habet Antonios Episcopus Constantiensis *epist. ad Arcadium*, quæ est in 3. *tomo Bibliotheca Patrum.*

Probatur etiam à Vasquez cum D. Bonau. *ad 16. Ioan.* ad ea verba: *Et non sum solus, quia Pater mecum est.* Vbi D. Cyrill. *Exegesi ad Valerianum*, sic exponit: *Sed erat Deus Pater, cum Deo Filio, hoc est incarnato: humanatoque Verbo, prout is à Filio separari nequaquam potest.*

22 Ibi Christos loquitur de vnitate in essentia inseparabili, & de hac intelligit D. Cyril. & D. August. *tract. 102. in Ioan.* vt notat S. Doctor ad ea verba.

Refertvr etiam à S. Bonau. illud Ioan. 3. *Non ad mensuram dat Deus Spiritum Filio suo*, nempè, quia non solùm dat Filio virtutem spiratiuam, vt ait *in 3. dist. 4. art. 2. q. 3. corpore*, sed etiam, quia Spiritum sanctum secundùm substantiam, vt exponit Chrysostom. *homil. 29. in Ioan.* vbi ait: *Quod hic (idest Christus) immensurabilem, & integram omnem actionem dicit, & si actio immensurabilis, multò magis substantia*, sic refert D. Bonauentura *ad 3. Ioannis.*

Hvc referri possunt verba S. Basilij lib. 2. in Ioan. c. 3. *Si verò quispiam participatione in Filio Spiritum esse adhuc contendere audet, aut nunc primum in ipso aduenisse, quando à Ioanne fuit baptizatus. Consideret quæso rursus, quàm multa eum sequantur absurda.*

23 Præclare verò probatur à S. Bonauentura ad id Ioan. 14. *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* quod S. Doctor, notat voluisse probare statim; *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor.* Quam ob causam aduertit, dixisse, Ioan. 5. *Pater in me manens, ipse facit opera.* Quasi dicat: *Non creditis quia Pater in me idem in essentia, & inseparabilis? Quod si non creditis, ita esse, sicuti est in re, alioquin propter opera credite.* vt enim ait August. tract. 71. in Ioan. *Si separati essemus, operari inseparabiliter non possemus*, & Chrysostom. homil. 74. in Ioan. *Vides proximitatis superabundantiam, & in eis substantia submonstrationem:* Hic S. Doctor, qui prætendit inde probare non modò existentiam Patris in Filio per essentiam, sed & per superabundantiam peculiarem, quam ex operibus insignibus colligi iubet; sola enim inexistentia per essentiam, sicuti est in aliis rebus, ad ea opera demonstranda non sufficeret; nam posset quis dicere: Deus per essentiam est etiam in aliis hominibus, nec tamen insignia hæc operatur. Itaque in hoc, & per essentiam inest, & per circuminsessionem, atque specialem coexistentiam.

Hinc D. Cyrillus, *lib. aduersus Antropomorphitas, cap. 18.* postquam probauit, Patrem à Filio non 24
posse separari ratione immensitatis, idem probat etiam his verbis: *Quid Philippo de Patre dicenti respondit Christus? Non credis, quod ego in Patre, & Pater in me est? Impossibile igitur est, vt alterum absque altero subsistat, sed vbi Pater esse intelligitur, ibi etiam omnino est Filius; & vbi Filius, ibi & Pater. Si enim est splendor Patris Filius, & Verbum ipsius, & Sapientia, & Potentia; quo pacto absque Verbo, & Sapientia, & potentia fieri potest, vt percipiatur Pater?*

Probatvr à D. Bonauent. etiam, *ad 3. Lucæ*, 25
ex illis verbis: *Iesus autem plenus Spiritu sancto*, non quia (ait S. Doctor) ibi impletus fuerat, sed quia ibi primò plenitudo eius apparère cæpit, in alios redundando, secundùm illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratia, &c. Et de plenitudine eius accepimus omnes.* Vt autem agnoscas, de inhabitatione personæ intelligi, addit, hoc intelligendum, iuxta id Coloss. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Quid clarius?

Ratio verò D. Bonauenturæ è Sanctis PP. ex- 26
cerpta, hæc est, quia, si per impossibile Diuinæ personæ non essent vbique per immensitatem; ratione tamen Mysterij Incarnationis non potest Verbum, non esse in humanitate: porrò autem cum Verbo, non posset non esse diuinitas, quæ à Verbo ipso ex natura rei non distinguitur: Cum Diuinitate autem non possent non esse aliæ personæ, cum hoc tamen discrimine, vt Verbum per se ibi sit, quia terminat naturam; aliæ verò duæ personæ Diuinæ per comitantiam. Eodem modo in Eucharistia per se est tantùm Corpus Christi; at per comitantiam sunt cætera, quæ verbis formæ non significantur, vt Anima, Verbum, similiter & aliæ duæ Personæ. Hæc retuli, vt Seraphicum huius sententiæ inter Scholasticos Docem agnoscant. Subscribit & Vasquez *disp. 28. cap. 5. p. p.*

Rada conatur respondère; Patres solùm in- 27
ferre inseparabilitatem personarum ad inuicem etiam quoad operationem.

At ostendi, Personas in humanitate Christi ratione essentiæ reperiri speciali modo.

Obiicit Rada. Filius est in Humanitate per personalitatem, quæ sibi propria est: ergo ob eam non sunt ibi aliæ personæ.

Respondetvr, solùm sequi, non esse ibi alias personas per vnionem personalem, sed ratione vnitatis essentiæ, quæ ratione personæ vnitur, exigit, vt adsint aliæ personæ Diuinæ, vt elicitur à Nazario
quæst. 3. art. 2. controu. vnica, ex S. Doctor, *dist. 5.* 28
quæst. 1. afferendo, *d. 8. quæst. 3.*

DISPVTATIO OCTAVA.

DE PERSONA ASSVMENTE.



VENTVM est tandem ad extrema Vnionis Hypostaticæ, quorum alterum est Persona sustentans, cuius naturam, vt dilucidè explicemus, necesse erit totum eius posse ad quamlibet naturam assumendam pia curiositate inuestigare, & obiter examinare, quid etiam Diuinitati, præcisè à personalitatibus, in ratione sustenatndi, vel terminandi competere possit; Theologi enim est, non solùm quid factum est, pensitare; sed etiam, vt hoc efficaciùs probet, quid sit factu possibile; quare hanc disputationem ad solam subsistentiam VERBI non restringemus, sed quid Pater, & Spiritus Sanctus in hoc munere possint, rimabimur: Alterum extremum est Natura sustentata; circa quam etiam plura sunt consideranda; quæ in sequenti disputatione locum habent: Hic interim monitum volo lectorem, plures quæstiones, quas alij huic solent materiæ annectere, quasque infrà indicabo, hac disputatione à me non pertractari; cum alibi ex professo sint discussæ; vt autem ad propositas difficultates via nobis applanetur, primam præmittam quæstionem de capacitate personæ creatæ, siue Angelicæ, siue Humanæ ad terminandam alienam naturam; cùm enim Angelo, & Homini, præcipuè post Deum conueniat ratio personæ, quæ est rationalis naturæ indiuidua subsistentia, ex his quæ de vtriusque persona dixerimus, in personas Diuinas facilè manuducemur; sit itaque.

QVÆSTIO I.

An persona creata possit terminare alienam naturam.

QVATVOR sunt præcipuè quæstiones, quas hic indicare suprà sum pollicitus, & quæ ad elucidationem totius huius disputationis non mediocriter conducunt, eas igitur, priusquam ad quæstionem, in titulo notatam, accedam, prænotare libet.

1 PRIMA est, in Deo esse existentiam absolutam: De hac enim dicitur Exodi 3. *EGO SVM QVI SVM*, quod significat proprietatem essentialem vnius Dei: De hac egi *p.p. tract.* 1.*d*.1.*q*.1.& *disp*.2. *quæst*.1. sic dicitur à D.Athanasio: *Non tres æterni, sed vnus æternus*, quod significat vnam existentiam essentialem.

SECVNDA est: An relationes Diuinæ habeant suam existentiam propriam relatiuam, quam discussi *p.p. tract*.2. *disp*.6. *quæst*.6. & sanè cùm relationes habeant proprias entitates, non est cur eis negemus existentias relatiuas. Sic enim explicari debet, vt concedantur tres existentiæ, non simpliciter, sed cum addito, *relatiua*, quia sunt tres entitates incommunicabiles relatiuæ. Neque verò ob id tres essentiæ admittuntur, quia essentia est, quæ constituit in esse Deitatis, quæ vna est.

TERTIA quæstio est: An detur in Deo subsistentia aliqua absoluta, propria vnius Dei. Hoc autem negatum est *p.p. tract*.2. *disp*.6. *quæst*.5. Tametsi oppositum esse ferè omnium Theologorum clamet Suarez 3.*part. disp*.11. *sect*.3. 2

QVARTA est: An dentur tres subsistentiæ relatiuæ, quam definiui *p.p. tractat*.2. *disput*.6. *quæst*.5. cum D. Bonauentura, & certum esse ex fide astrui, quia nil aliud est dicere, quàm tres personas, & repetitur in Conciliis Græcis, Ephesino *cap*. 4. Constatinopolitano V. *consult*.8. *can*. 1. Constantinopolitano VI. *act*.12. & in Patribus cæteris, licèt

græcè

græcè habetur semper nomen *ὑποστάσις*, Latinus Interpres interdum retinet illam vocem, interdum vtitur nomine subsistentiæ, vel personæ.

3 Ex Latinis verò tres subsistentias nominant in vna substantia Concilium Lateranense, sub Martino I. *consult.* 4. *canon.* 1. & Concilium Vvormatiense *cap.* 5. quod ex Græcis Conciliis hanc vocem refert.

Ex hoc sequitur, esse tres personales subsistentias relatiuas, quod asseritur in sexta Synodo *actione.* 11. vbi dicitur: *Sanctissima Trinitas est innumerabilis personalibus subsistentiis.* Vbi subsistentia sumitur pro relatione, qua distinguuntur personæ; & in septima Synodo *act.* 3. *in epistola synodali* approbata dicitur: *Trinitatem diuersam esse numerariis subsistentiis.*

4 Eodem sensu loquuntur Concilia, cùm aiunt, Incarnationem factam esse secundùm subsistentiam propriam Verbi. Pater, quia tres personæ sunt tres subsistentes: Ergo non solùm adiectiuè, sed etiam substantiuè, & ad hoc denotandum dictæ sunt tres subsistentiæ: Ergo habent tres subsistentias distinctas, nam per tres subsistentias constituuntur formaliter in esse subsistentium.

5 Pro hac etiam, & pro sequenti disputatione supponendum est, subsistentiam addere existentiæ modum substantialem positiuum, quod satis probaui *p. p. tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 3. & 4. Ex his manent solutæ multæ quæstiones, vt patebit ea cursu disputationis.

6 Quibus suppositis, resumitur intermissa quæstio de Persona creata, an valeat alienam naturam terminare, ea maximè ratione, quia D. Thomas, *quæstione* 3. *artic.* 1. dicit, proprissimum esse Personæ Diuinæ assumere alienam naturam, & D. Bonauentura, *distinctione* 1. *quæstione* 1. id adscribit Diuinæ omnipotentiæ, respectu cuius est creatura in omnimoda obedientia, & asserit, hoc opus ad Diuinam perfectionem, & nobilitatem pertinere, quod idem astruit *distinctione* 5. *quæstione* 2. videtur id negandum creaturæ: Sic docent Henricus, *quodlibet* 11. *quæstione* 10. Durandus, *distinctione* 1. *quæstione* 5. Paludanus, *quæstione* 1. *articulo* 2. Recentiores Thomistæ, Aluarez, *disput.* 8. Medina, Sotus 4. *distinct.* 9. *quæst.* 2. *art.* 1. Caiet. & Nazar. *ad hunc art.* Suarez *disputat.* 13. *sect. vlt.* & *disp.* 34. *Met. sect.* 4. Vasquez, *disp.* 25. Lugo *disp.* 12. *num.* 88. & ferè omnes apud istos.

7 Verum enim verò hic sistendum, quia multi id personæ creatæ concedunt, vt Tertullianus *libro de carne Christi*, *cap.* 4. & 6. & *libro* 3. *contra Marcionem*, *cap.* 9. vbi vult, Angelos, cùm assumunt corpora, ea sibi hypostaticè vnire, quam opinionem secutus est Origenes credens, Malachiam fuisse Angelum incarnatum, vt refert D. Hieronymus, *præfatione in Malachiam*, & *in commentario in Aggæum*, *cap.* 1. Idem Origenes asseruit, *tomo in Ioannem*, ad ea verba: *Hic venit in testimonium*, multos fuisse angelos incarnatos, ea quorum numero ponit Ioannem Baptistam.

Alii verò asseruère, posse personam creatam per Dei potentiam absolutam assumere naturam alienam ad vnitatem sui personalem. Ità Ocham *in* 3. *distinctione* 5. *quæstione* 1. *dubio vltimo*, *ad* 13.
8 Gabriel. *eadem dist. quæst.* 2. *artic.* 3. *ad dubium* 5. Maior *quæstione* 5. Almainus *quæstione* 2. *dubio vltimo*, Scotus *quæstione* 4. qui tamen oppositam dicit probabilem, & videtur problematicus, eumque sequitur Faber 3. *disp.* 6. At Vulp. *disp.* 14. *art.* 3. & Mastr. *in* 3. *disp.* 1. *quæst.* 3. *art.* 4. negant, sed Ferchius *de Angelis*, *q.* 8. *cap.* 3. ità distinguit, posse naturam magis substantialem sustentare minùs substantialem, vt Angelus naturam humanam, non è contra, & allegat D. Bonau. 3. *d.* 6. *n.* 20. quæ est, *q.* 3. *in corpore*: Sed nil penitus tale ibi dicit. Quam opinionem sequitur Pesantius *quæst.* 3 *art.* 1. *D. Thomæ.*

Valentia verò *d.* 1. *q.* 2. *punct. vlt.* sic distinguit; tametsi creaturæ, quæ nunc sunt, nequeant ad sui vnitatem personalem etiam per Dei potentiam assumere alienam naturam, posse tamen aliquam creari, quæ possit alienam naturam hypostaticè sibi vnire, imò aliquam adeò perfectam, quæ posset terminare infinitas naturas.

Assero primò, non posse personam creatam assumere sibi alienam naturam per aliquam potentiam. 9

Probatur primò à nonnullis Thomistis. Si persona creata posset terminare alienam naturam; sequeretur, posse plurimas, imò infinitas terminare. Probo sequelam, quia terminare alienam naturam non est infinitæ perfectionis, imò nullius, vt patet in Verbo.

Hanc rationem Vasquez *n.* 12. adscribit Caietano, quia ex eo, quod Verbum subsistit in duabus naturis; colligit etiam in infinitis posse subsistere.

Verùm non rectè id colligitur, nam in Verbo id sequitur, quia persona Verbi est infinita, quæ non obstante, quòd habet naturam adæquatam infinitam sustentandam, ad aliam extenditur extra: Id verò non est in creata persona, quæ finita est, inferendum.

Attamen cuiuscunque sit hæc ratio, non concludit, quia, licèt Verbo non sit addita noua perfectio ex assumpta humanitate, tamen sustentare posse naturam alienam magnæ perfectionis est personæ, & ita posse terminare infinitas, erit infinita perfectio, vt notat Vasquez *n.* 13. ex S. Bonauent. & D. Thom. *locis* suprà citatis; actuat enim, & terminat vltimò ad subsistendum, & operandum. 10

Probatur secundò ratione efficacissima S. Doctoris *loc. cit.* Vt aliqua persona se extendat ad alienam naturam, debet ad eam habere aliquam ordinationem, aut naturalem, aut supernaturalem, cui passiua respondeat obedientialis: sed persona creata non habet aliquam talem ordinationem ad alienam naturam terminandam: Ergo. Et quidem quoad naturalem probatur, quia alioqui naturaliter id posset; nam illa potentia esset substãtialis excessus subsistentiæ supra propriam naturam, ita vt non adæquaretur a natura, & ità appeteret naturaliter extendi, & habere suum actum adæquatum, & ad eum tenderet naturaliter: Ergo posset ad actum reduci, & quidem fuisset id aliquando factum, quod est falsum, nam ideò hoc dicitur miraculum nouú, & maximum, quod est factum à Verbo, quod omnipotentiam requirit, vt notat S. Bonauent. *ad* 1. *Lucæ*, vbi dixit Angelus, reddens rationem possibilitatis huius Mysterij: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Deinde daretur in personis creatis aliquid substantiale superfluum, & potentia frustra. Ad quid enim personalitas, quæ est modus naturæ, datur illi excedens? imò in eo, quod excedit, esset accidens superfluum: Deus autem, & natura nihil frustra facit. 11

Neque habet supernaturalem, quia vel hæc est virtus effectiua, vel formalis; non effectiua, nam ad terminandum hypostaticè requiritur, vt persona habeat actum, quasi formalem. 12

Præterea inauditum est, vnam creaturam esse naturaliter in potentia supernaturali, vel obediẽtiali, vt alia creatura de eà faciat quodlibet: Eatenus enim natura creata in Verbo potest aliena Diuina persona-

litate terminari, quatenus est in potentia obedientiali ad Deum, & nulla natura creata est in potentia obedientiali ad personam creatam: ergo non potest effectiuè ab ea vniri sibi, vel alteri; qua ratione S. Doctoris vtitur etiam Scotus, Faber, & Vulpez *num.* 11.

Si dicas, esse virtutem formalem personalem, hæc, cum habeat adæquatam naturam, nequit ad alienam extendi, nisi per supernè additum, & ita non sua personalitate. Confirmat Lugo, *numero* 91. cum Suarez: Omnis creata subsistentia est modus. Hic verò nequit communicare suum effectum formalem, nisi rei, cuius est modus, vt pater inductione omnium modorum: Sic vnio mei corporis cum anima nequit esse vnio alterius hominis.

13 RESPONDET Faber *cap.* 1. naturaliter hoc inesse personalitati creatæ, vt naturam alienam valeat suppositare; neque verò necessarium est, vt detur potentia naturalis correspondens.

ADDIT Ferchius, talem potentiam à solo Deo posse reduci ad actum, sicut potentia visiua cæci. Dari verò hanc habitudinem, seu potentiam terminatiuam in persona creata, respectu naturæ creatæ probatur à Scoto tribus argumentis.

PRIMVM est. Maior est proportio naturæ creatæ ad suppositum creatum, quàm ad suppositum increatum: At persona Diuina potest suppositare plures naturas: Ergo id valet etiam suppositum creatum.
14 Maior probatur, quia natura creata, & suppositum creatum sunt vtraque finita; natura verò creata est finita, & suppositum increatum est infinitum. Præterea persona creata est absoluta, sicuti esset persona propria, quæ illam personare deberet: at persona Diuina est relatiua: Ergo. Minor est nota. Hoc argumentum, quo vtitur etiam Ganatius, suppositio, personam in positiuo consistere, ait Mastr. *n.* 224. vim habere: at si in negatiuo consistit, esse Floccidum, quia ad terminandam alienam naturam requiritur entitas positiua, quæ in sola persona Diuina reperitur.

RESPONDET tamen Scotus, in hoc casu non attendi proportionem conuenientiæ, sed solùm si suppositum sit omnino independens, necne; & an naturæ sint eidem compossibiles, necne: Iam verò, cùm suppositum creatum non sit omninò independens, & naturæ plures sint in eo incompossibiles, quia altera naturarum semper ei inest naturaliter, ideò impedit, ne aliqua alia eidem inesse possit siue per se, siue per accidens: at supposito Diuino nulla natura creata inest naturaliter.

15 HÆC tamen responsio non tangit pulsum: Et quoad primam implicantiam inanis est, nempè ideò non posse personam creatam ad sui vnionem assumere naturam creatam, quia non est prima independens. Quæro enim, quæ dependentia obstat? num à Deo? At hæc per Scotum non obstat. Num dependentia à propria natura? at cum in eo solùm pendeat, vt eam teneatur sustentare; & insuper aliam virtutem etiam ad terminandas naturas alienas habeat, non est cur de impedimento conqueratur. Altera verò implicantia floccida est, quia si natura, naturali inexistens supposito, non absorbet totam virtutem terminatiuam personæ, vt Scotus, & Faber *loco citato*, supponunt; qua ratione impedit naturam aduentitiam? Sicuti hypostasis Petri naturaliter sustentat corpus naturaliter inexistens, & carnem superfluam extra naturam ingrauescentem in tubones, &c.

16 VERA igitur solutio est D. Bonauenturæ *quæst.* 1. licèt entitatiuè creatura magis in genere cum alia creatura conueniat, etiamsi oppositæ sint, *verbi gratia* absolutè, & relatiuè; attamen secundùm ordinationem creatam magis cum Deo conuenire, ad quem, tanquam ad suum principium, habent potentiam plenam obedientialem; non solùm effectiuæ respondentem, sed etiam terminatiuè sustentatiuæ. Sic enim Deus, qui est ens summè per se, potest sustentare ens deficiens creatum; improportio enim entitatiua nil obest; sic enim (ait S. Bonauentura) gutta vini vnitur mari, licèt aquæ congium expellat tantùm ignis, quia non ordinantur inuicem, sicuti Imago Dei ad vnionem cum Deo, tanquam causa, & complemento.

SECVNDA ratio Scoti est: Omnem perfectionem limitatam potest Deus tribuere creaturæ: Talis est virtus requisita supposito, vt sustentet naturam creatam. 17

RESPONDET, quòd licèt sint duo finita, tamen duæ naturæ sunt in eodem supposito incompossibiles. At non reddit aliam rationem, quam superiorem, quæ refutata est, vt inanis.

RESPONDETVR igitur, incompossibilitatem venire ex finitate naturæ creatæ, quæ à sua natura adæquatur, est enim eius modus substantialis adæquatus. Quare non remanet ei virtus substantialis ad alias exteras naturas. Quæ verò efficienter esset à Deo per potentiam absolutam, non esset personalitas illius, sed accidens superfluens illi, quo non posset substantialiter vniri naturæ exteræ, cui si vniretur illa virtute sibi superflua, adhuc propria non sustentaret subsistentia, quæ à natura propria æquatur, ne extra prodeat.

TERTIA ratio est. In natura creata est hic ordo, quòd superius continet inferius: Ergo superius suppositum in natura creata potest continere virtutem suppositi inferioris in natura creata: Ergo potest gerere vices suppositi creati inferioris: Ergo suppositum creatum perfectius potest supponere naturam propriam, & aliam inferiorem. Hoc est etiam Ferchij fundamentum. 18

RESPONDET Faber negando Maiorem vniuersaliter.

MAGIS solidè responderi ex ipso Scoto posset, supposita non se habere, vt superius, & inferius, sed omnia, & singula habere virtutem primam in ordine ad propriam naturam; neque enim se habent sicut naturæ, vt ait Scotus, & Faber supra, vt natura hominis contineat naturam Asini; & ità etiam de suppositis dicendum sit. 19

FVNDAMENTA, ex quibus eliciuntur responsiones, ipse Faber fatetur infirma. Illud quidem primum, quod non possint duæ naturæ in vno supposito creato stare, quia suppositum est dependens, friuolum est; nam substantia, quæ est dependens, sustentat accidentia. 20

ALTERVM verò de incompossibilitate vanum est, quia si plures naturæ repugnarent per se in eodem supposito, repugnarent etiam per accidens, & ità non possunt esset in eodem supposito Diuino.

HINC nullam repugnantiam reperiri ait, & fundamentum solutionis illorum trium argumentorum falsum. Quæ si ità sunt, non video cur Scotus ab eo rectè problematicus defendatur; sed debuit alias solutiones discutere, quæ iure poterant dari, & vidisset, opinionem Scoti, affirmantem, id fieri posse, esse falsam, & ideò à se male acceptatam.

DEINDE

21 Deinde arguo ad hominem: Scotus mox adducendus *quæst. 2. in primo argumento*, assignat pro ratione formali prima, proxima, & adæquata, ob quam Verbum potest terminare naturam alienam, quia scilicet est independens: Ergo fatetur hoc fundamentum solidum. Sed sic est, quod persona omnis creata non est independens: Ergo nulla potest terminare alienam naturam. Maior est Scoti, simul & Minor. Consequentia est legitima in Camestre.

Enim verò fundamentum illud nostrum repugnantiæ conatur Scotus euellere, dicens, non esse absonum, aliquam causam habere simul plures causalitates adæquatas. Sic enim ignis potest quatuor ligna comburere; & ideò non implicat, suppositum posse plures naturas sustentare, è contra sanè verum est, eundem numero effectum non posse esse à pluribus causis totalibus adæquatis, v. g. non potest idem lignum à quatuor ignibus totaliter calefieri: & ita non potest vna numero natura à pluribus suppositis totalibus terminari.

22 Hæc tamen futilia sunt, nam pari passu incedunt, & causa, & effectus totalis, atque adæquatus. Causa enim totalis, & adæquata est, quæ totum adeo complet effectum, & ab ea adæquatur, ita vt extra illum non habeat effectum. Sic totalis, & adæquata causalitas caloris est calefacere, non hoc, vel illud, sed omne calefactibile appositum: quare singula illa ligna calefacta, licet totaliter sint ab illo numero calore, tamen sunt effectus partiales illius virtutis caloris, & ideò similitudo non est ad rem; nam suppositum hoc non habet causalitatem respectu omnium naturarum, alioqui poterit esse modus substantialis omnium, v. g. hypostasis Asini posset sustentare omnes Homines, & Angelos, nedum omnes Asinos. An verò repugnet per Dei potentiam, infra videbimus.

23 Asserò secundò, probabiliter posse sustineri, Deum posse creare personam, cui modus substantialis subsistentiæ tam amplè extendatur, vt aliam naturam valeat sustentare.

Probatvr à Valentia, quia cùm ad hoc finita virtus addita substantialis (esto accidentalis subiecto) latè sufficiat; hæc autem possit addi personis ordinariis creatis, non videtur aliqua repugnantia.

24 Hoc frustra Inficiatur Nazarius hac ratione, quia non potest condi altior ordo creaturæ, quàm sit ordo personæ spiritus; sed non tangit pulsum. Ego enim dico, posse hypostasim, quæ est modus substantialis spiritus, condi perfectiorem. Hoc autem sustinendo, adhuc ratio D. Bonau. & D. Thom. pro primo asserto, est optima, nempe non posse creaturam terminare alienam naturam, quia est finita; at persona Diuina est infinita, nempè creata persona est commensurata suæ naturæ: at Diuina non excedit quidem suam; sed cùm sit infinita, extenditur ad extra ad alienas naturas; sicuti voluntas ad intra habet productionem infinitam Spiritus sancti, & tamen ad extra potest ad producendas creaturas exire, sic & suppositum creatum excedit extensiuè ad extra.

Qvia tamen Ferchius acriter insistit, posse Angelum, Deo agente, suâ hac hypostasi terminare naturam humanam obedientem per potentiam naturalem, quam vocat *obedientia*, examinanda est eius doctrina.

25 Primò asserit, non posse personam creatam coniungere sibi in hypostasi aliam naturam. Probat, quia deberet præuenire hypostasim è natura Angelica emanantem, eique dare esse in alio, quod est contra naturam substantiæ; sicuti esse in se est contra naturam accidentis. Quare miraculo adscribitur, Verbum assumpsisse naturam humanam. Hoc fateor adeò verum, vt idem argumentum ostendat, nullam personam, etiam Angelicam, posse vnire sibi inferiorem humanam.

Asserit secundò, non posse naturam Angelicam in ratione suppositationis dependere à persona humana.

Probat. Quidquid substantificatur in alio, habet minus de substantialitate, quàm sustentans; Sed impossibile est, naturam Angelicam minus habere substantiæ, quàm Humana, vel eius suppositum: Ergo. Deinde, quia tam natura Angelica, quàm persona, est prior non solùm personâ, sed naturâ humanâ. Hucvsque transeat.

Asserit tertiò, Personam Angelicam posse 26
terminare naturam humanam. Hanc assertionem ait sustineri à se pro D. Bonau. Sed non inuenio, vbi id dixerit S. Doctor, cùm eodem modo sentiat ac D. Thomas.

Probat. Nulli communicabili, minus stabili, repugnat substantificari in aliquo communicabili se magis stabili, & ab eo pendêre. Secundò non repugnat posteriori pendêre à priori; sed Angelus est stabilior, & prior naturâ humanâ: Ergo. Confirmat: si repugnat; vel hoc est ratione naturæ, vel ratione personæ Angelicæ, non ratione naturæ, quia non repugnat naturæ perfectiori subsistere in persona cum natura inferiori, sic enim, & natura Diuina subsistit cum humana. Neque repugnat Angelo ratione personæ; cui enim conuenit terminare aliquid intrinsecum, non repugnat terminare aliud extrinsecè in eodem genere terminationis; sic superficies concaua cœli terminat intrinsecè substantiam cœli, & substantiam subcœlestium extrinsecè, tanquam locatam. Sic in ratione sustentationis truncus sustentat intrinsecè naturalem ramum, extrinsecè surculum insitum.

Hæc tamen facilè ruent. Et primo inhæreo 27
nostro fundamento, omnem creatam personalitatem habere perfectionem adæquatam naturæ sustentandi eam, non autem exteram; alioqui esset superflua: est enim subsistentia perfectio quædam positiua, vt ostendi *prima primæ, tract. 2. disp. 5. quæst. 3. & 4.* hanc autem finitam nemo negabit. Quod si non limitata, poterit sustentare infinitas naturas inferiores, si argumentum Ferchij est validum, nam persona Angeli est stabilior, perfectior, & prior omnibus hominibus possibilibus. Quare, etiamsi Angelus sit stabilior, & prior, quia tamen habet substantiam finitam, & personalitatem commensuratam ad vnguem suæ naturæ, non poterit ad alienam extendi. At persona Diuina, quia est infinita, potest ad naturas ad extra extendi, cùm ad intra sint tres infinitæ sustentantes Diuinam naturam. vt ostendi *prima primæ, tract. 2. disp. 6. quæst. 5.*

Nota verò personalitatem, seu subsistentiam 28
nobiliorem è natura manare præstantiori, à qua adæquatur, vnde non benè Ferchius dicit posse aliam naturam inferiorem sustentare; esto validius minus validum alioqui valeat fulcire.

Hic resumit Ferchius Scoti fundamenta, vrgens, personas Diuinas non esse infinitas, neque dicere perfectionem, maximè, quia esset vna perfectio, puta Paternitas in Patre, quæ non in Filio. Filiatio in hoc, non in illo, &c. Sed argumenta eius contrita iacent *prima primæ, tract. 2. disp. 3. quæst. 10.*

29 IGITVR concludit, ad vniendam effectiuè vnam naturam alteri in persona, requiri virtutem infinitam, non autem ad terminandum, ad quod sufficere ait realitatem incommunicabilem naturæ prioris, & maioris substantialitatis.

EGO hîc sisto, & vrgeo: Si non requiritur perfectio ad terminandum; & persona Diuina nullam dicit perfectionem, cur persona inferioris creatæ naturæ nequit sustentare superiorem? aut cur exigis subsistentiam magis stabilem ad sustentandam naturam alienam? Rursus, sustentatio hypostatica dat intrinsecam subsistentiam, cuius vices gerit aliena, qua vniuntur naturæ substantialiter: Ergo est aliqua perfectio: Neque est simile de superficie locante extrinsecè contigua, vt patet; neque valet similitudo surculi insiti, qui per transmutationē nutrimentalem vnitur, cum antea solum extrinsecè adhæreret; neque est simile de accidentibus, quæ naturæ ipsi conueniunt, atque adeò subsistentiæ eius incumbunt; at suppositum non egreditur extra naturam suam, vestitam suis accidentibus, atque adeò nequit alienam naturam terminare, sicuti Diuina ex infinitate, quæ & vnionem efficere, & naturam terminare potest, quæ sunt duo diuersa, vt docet D.Bonau. *dist.* 5. *quæst.* 1. & *dist.* 1. *quæst.* 2. & sequitur Mayro *dist.* 3. *quæst.* 1.

30 MASTRIVS verò *loco citato, disp.* 1. *q* 3. *art.* 4. quia probabilius censet, hypostasim in negatiuo communicabilitatis existere, negat, posse suppositum creatum terminare alienam naturam. Idem sentit *disp.* 11. *Metaph. quæst.* 4. cum Capullio 2. *dist.* 8. *quæst.* 2. *p.* 5. & aliis contra alios Scotistas, Gauatium *Opusc. de subsist. cap.* 5. *diffic.* 3. qui ait, Scotum assertiuè concludere. Certum profectò est, Scotum concedere supposita nostra sententia de suppositi essentia, in positiuo consistente, nullam afferri posse rationem conuincentem, quod suppositum creatum nequeat alienam suppositare naturam, vt notat Mastrius *num.* 123.

MVLTA argumenta Aretini refert Mastrius, probantia (ait) efficaciter sententiam assertiuam, supposita personalitate positiua; & ideò nobis incumbit ea soluere.

31 ARGVIT primò *in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 4. *art.* 2. Maior est proportio naturæ creatæ ad suppositum creatum, quam ad increatum: Sed hoc potest terminare naturam creatam: Ergo multò magis id potest præstare suppositum creatum.

DEINDE vt suppositum creatum terminet naturam creatam, non est necesse, vt sit simpliciter independens; sed sufficit, habeat independentiam oppositam dependentiæ naturæ.

HÆC argumenta Scotica non afferunt veram rationem repugnantiæ, quæ est limitatio suppositi terminis propriæ naturæ, ideò redditur alteri incommunicabilis, vt sæpe dixi.

INSTAT Bassolis: Suppositum creatum suppositat accidentia extranea, puta calorem, aquæ aduenientem: cur ergo non potest suppositare substantiam extrinsecam?

32 RESPONDETVR, disparem esse rationem, nam suppositum sustentat accidentia secundariò, quatenus primò sunt in subiecto; habet autem adæquationem cum tota natura, vestita accidentibus, quæ potest sustentare: At in ordine ad naturam substantialem se habet, vt terminans immediatè extra limites propriæ capacitatis, & sustentantis naturam, quæ naturaliter est substantia nata stare in se, & non nisi miraculo in alio; at ipsum suppositum non ordinatur ad eam.

QVÆSTIO II.

An possit PERSONA DIVINA *exteras naturas assumere.*

{ D. Bonauent. dist. 1. quæst 1.
D. Thom. ibi.

DISPVT. 1. *quæst.* 2. ostendi, Incarnationem, supposita fide, probari posse, nec aliquam rationem in oppositum afferri, inducentem implicantias; attamen aliqua sunt hîc etiam peculiaria examinanda, maximè quoad alias naturas, an sint assumptibiles. 33

ASSERO, non fuisse impossibile, Personam Diuinam sibi vnire naturam humanam hypostaticè. Pro hoc probando, Scotus *in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. præmittit, Vnionem hanc non esse aliquid absolutum, sed relationem disquiparantiæ ordinis, & dependentiæ; non causati à causa, sed sustentificati ad sustentans. Quomodo autem valeat stare hæc dependentia, affert exemplum dependentiæ accidentis à substantia, non quatenus accidens informat subiectum, sed quatenus substentatur in substantia.

HOC sanè exemplum non est aptum ad exprimendam subsistentiam naturæ substantialem in persona, vt dixi *quæst.* 1. *in fine*, & notat Caietanus *quæst.* 2. *art.* 6. & eò minus debuit vsurpari, quò applicitum, olet Nestorianismum, etiam circumscripta informatione, vt ingenuè fatetur Faber *disp.* 1. *num.* 20. Natura enim humana non adiacet accidentaliter sustentata à Persona Diuina, sed adiacet substantialiter, vt arguit D. Bonauent. *dist.* 5. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad secundum*, & *dist.* 6. *art.* 1. *quæst.* 3. *ad argumenta.* 34

NAQVA hoc est simile illi exemplo, quod afferunt Damascenus *lib.* 3. *cap.* 11. Basil. *homil.* 15. Origenes *lib.* 2. *de Principiis*, nempe ferri igniti, quo sæpè vsus est etiam S. Bonauentura; nam ferrum ignitum, secundùm multos, habet substantiam aliquam ignis coniunctam, ex quo potest producere substantiam, non autem solum calorem, maximè in sententia Scoti, qui non admittit, Accidens à substantia produci. Quare non benè hoc exemplo Fauentinus *num.* 22. excusat illud Scoti. Nec aptius Vulpes *disp.* 2. *art.* 2. exemplum hoc rodit cum aliis, vt Scoti exaltet similitudinem; eam verò confirmat, quia Apostolus vtitur simili, Philip. 2. *Habitu inuentus*; sed hoc in nullo aptum, dixerat *num.* 2. quia illo vsus est D.Thom. *quæst.* 2. *artic.* 6. *ad* 1. Fateor eius in Angelicum, Seraphicum, & alios acrimoniam stomachum multis mouere. 35

CARPIT verò exemplum, quia ignis à ferro non sustentatur; locatur enim solùm in poris ferri; & hoc alteratur ab illo; at nil est in hac vnione simile.

FALLITVR sanè, quia duæ naturæ ignis, & ferri distinctæ, vna hypostasi vniuntur, non loco tantùm: sic & in Christo. Quòd ignis sustentetur in ferro, patet: sic humanitas in Verbo. Si ferrum non adæquatum habet ignem, exprimit inadæquatam Personæ infinitæ humanitatem. Quod ignis ferrum alteret: indicat humanitate reddi Verbum non ampliùs solum Deum, sed etiam hominem. Neque similes, sed idem essent, si in 36

omnibus

omnibus conuenirent. Ita ne à exigat etiam, vt Verbum sit elementum ignis.

Alivd affert S. Doctor *dist. 6. art. 2. quaest. 1.* Sicut ramulus pomi insitus pyro, huic iungitur in hypostasi, & seruantur naturæ distinctæ, vt constat è fructibus vtriusque: Ita surculus naturæ nostræ insitus est Verbo, quod ita D. Iacobus *cap. 1.* accinit; & remanent vtriusque naturæ operationes distinctæ.

37 Hinc malè Caietanus *loco cit.* negat, in exemplo, surculum pomi, insitum pyri plantæ, hac hypostasi sustentari. Esto enim sint duæ naturæ diuersæ speciæ, non obstat. Sanè magis distant natura humana, & diuina, vt notat Faber *num. 23.* qui opponit, surculum esse naturam imperfectam, & prius subsistentem. At perfecta est, vt patet, quia fructificat, & si vnà producta esset, & insita, non præsubsisteret.

Instat Vulpes, eam esse compositionem è partibus, vel meram appositionem, & surculum solæ vita arboris fructificare; at in Christo neque est compositio, neque mera iuxtapositio, nec actuum confusio.

At non oportet in omnibus similia esse, nisi & velit, arborem esse spiritum. Aliqua sanè in Christo compositio admittitur, vt dixi *disp. 5. quaest. 3.* quæ non est mixtio; at neque insitum est merè appositum, nam substantialiter vnitur, & tanquam à principio accipit virtutem fructificandi fructus; tamen propriæ naturæ poma edit distincta à pyris, quos producunt rami arboris. En, vt ait S. Doctor, inter cætera imperfectè similia, hoc præcellit, vt constat, illud applicando Incarnationi. Exemplum verò habitus allatum à Paulo apponitur cum declaratione *Formam serui*, vt notat S. Doctor *dist. 6. loco cit.*

38 Probatvr igitur à Scoto, & Fabro *cap. 3.* non implicare hanc vnionem ex parte Diuinæ Personæ, quia non dicit compositionem ex actu, & potentia, sed vt terminus, quod non dicit nexum.

Ratio verò adæquata, propter quam Persona Diuina possit esse terminus huius vnionis, ait Scotus *loco cit.* & Faber *n. 27.* esse independentiam entitatis personalis, quia enim entitas personalis Diuina est independens personaliter; ideò potest terminare dependentiam personalem naturæ creatæ.

Argvit Baceonus *3. dist. 1. quaest. 1. art. 2.* contra hanc expositionem, quia independentia, cùm sit negatio, non potest esse causa entitatis perfectæ positiuæ, sed debet fundari in aliquo positiuo, quod sit ratio huius perfectionis terminandi alienam naturam.

Respondet Faber, Scotum non dicere, quòd radicalis causa, per quam persona Diuina potest terminare, sit, quia est independens, sed dicere; id debere esse independens, quod debet terminare. Igitur independentia non est causa prima determinandi, sed concausa, & ratio formalis proxima. Hæc Faber.

39 Enim verò suprà *num. 26. & 27.* asserit, Independentiam esse causam primam formalem, & adæquatam proximam, & excludit perfectionem entitatis personalis, quam asserebat Varro; & solam assignat independentiam.

Deinde Faber secum pugnat; nam *disput. 6. cap. 1.* circa finem ait, hoc fundamentum Scoti esse falsum, nempe necessarium existere, suppositum esse independens, vt possit alienam naturam suppositare, & ideò personam creatam posse assumere alienam naturam, etiamsi dependens sit.

Probat deinde Scotus, & cum eo Faber *cap. 4.* non implicare hanc terminationem ex parte naturæ humanæ, quia cùm possit separari à singulari natura personalitas, quæ est negatio duplicis dependentiæ, actualis, & aptitudinalis; potuit natura creata vniri Verbo, sic enim ablata est independentia vtraque, & data est naturæ dependentia actualis à Verbo, & aptitudinalis a proprio supposito.

Hæc tamen ratio ruinoso nititur fundamento, confutato *prima parte, tract. 2. disp. 4. q. 3. & 4.* 40
Validè verò id probat Seraphicus; Primò ex parte Dei, quia ea, quæ sunt perfectionis, neque imperfectionem intrinsecè includunt, non sunt Deo neganda: At terminare, & hypostaticè sustentare naturam, dicit perfectionem, nec includit intrinsecè imperfectionem: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur, nam sustentare hypostaticè naturam humanam, nullam dicit compositionem ex actu, & potentia, vt ostensum est *disp. 5. quaest. 5.* terminare enim relationem non includit intrinsecè compositionem, vt patet in scibili, ad quod scientia refertur; neque includit diminutionem potentiæ Dei, quia non est minus potens postea, quàm ante vnionem: Ergo.

Ratio autem est, vt ait S. Bonauent. Perfectio, & excellentia Personæ Diuinæ nobilissimæ, quæ infinita est, continet formaliter quidquid est in creatura perfectionis simpliciter simplicis; at terminare alienam naturam est perfectio ex natura sua simpliciter simplex, non includens intrinsecè imperfectionem, quia non est aliud, quàm sustentare, & terminare: Ergo formaliter continetur in Deo. 41

Ex quo ruit opinio Varronis, qui hanc perfectionem tantùm eminenter Deo concedit. Ruit etiam oppositio Scoti, & Fabri, nempe, non posse Diuinam Personam esse formaliter personam naturæ creatæ, sicut essentia non potest esse formaliter essentia creaturæ.

Respondetvr enim ex D. Bonauent. *dist. 1. quaest. 1.* & *dist. 6 art. 2. quaest. 1.* disparem esse rationem, quia esse eandem essentiam cum creatura dicit verè formam, compositionem, dependentiam, & mutationem; at terminare naturam nil simile dicit, vt ostendi *disp. 1. quaest. 2.* & notat D. Bonau. *dist. 5. art. 2. quaest. 1. ad 3.* non enim est ibi vnio naturæ formalis, sed hypostatica, vt latè probat *loco cit. quaest. 3.* Itaque Deus non potest communicare sapientiam, &c. quia deberet fieri per informationem; potest verò communicare suppositum, quia sit terminando. 42

Qvod verò ex infinita perfectione Diuinæ Personæ oriatur, vt possit suppositare alienas naturas, probatur ex dictis, quia quod est perfectionis in actu, debet originem deducere à perfectione; tale est terminare. Quod verò personalitas Diuina infinitam dicat perfectionem, ostensum est *prima parte, tract. 2. disp. 3. quaest. 10.* 43

Probat deinde S. Bonauenturæ, non inueniri in hoc mysterio implicantiam ex parte naturæ assumptæ, quia est in perfecta obedientiali potentia ad Deum in his, quæ non implicant, hoc autem non implicat, quia personalitas propria naturæ creatæ est modus substantialis distinctus à natura: Ergo separabilis. Itaque sicut propria subsistentia stat in se; ita potest aliena stare in Dei Filio. Ipsum vide. Reliqua patent ex dictis *disput. 1. quaest. 2.*

Qvoad

Qvoad alias naturas vniuersi; mouent quæstionem, an bruta, plantæ, & inanimata potuerint à Deo assumi in hypostasim. Omitto de Angelis, de quibus id videtur supponere Paulus *Hebr. 2.* dicens: *Nusquam Angelos apprehendit, &c.* Deinde, quia & in ipsis suppositum à natura differt, vt constat ex Metaphysica. Id ostendi *disput. 2. quæst. 4.*

44 Qvoad cætera, fuit opinio dicentium, naturas homini inferiores non posse assumi à Verbo. Attribuitur Alensi *3. part. membr. 7.* Sed ibi non loquitur de possibili, sed magis de congruo, hanc sententiam indicat *quæst. 11. membr. 1.* & *quæst. 12. membr. 1. art. 1.* & sequitur ex alia eius doctrina *quæst. 7. memb. 2. art. 1.* nempe, non esse naturam assumptibilem, nisi mediante gratia habitualis, cuius incapax est natura irrationalis. Eam sequitur Henricus *quodl. 13. quæst. 5.* Carthusi. *disp. 2. quæst. 2. art. 3.* Picus *in Apol. conclus. 4.* eamque probabilem censent Richardus *dist. 2. art. 1. quæst. 4.* Gabriel *dist. 2. quæst. 2.* Hurtadus *disp. 43. sect. 2.* Pasqualigo *disp. 78. sect. 9.*

45 Adscribitvr etiam D. Bonauenturæ *3. dist. 2. quæst. 1.* sed immeritò: solùm enim tuetur, id non esse congruum; & licèt ibi idoneitatem non mussitauerit, tamen *in fine corporis*, eam dicit idoneitatem esse, seu congruitatem.

Opposita igitur sententia est, posse naturam irrationalem assumi à Verbo. Ita D. Bonau. *hic*, D. Thom. *in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 1.* vbi communiter Theologi, Scotus *quæst. 1. art. 2.* Paludanus, & Durandus *quæst. 1.* Almainus *quæst. 2.* Marsil. *quæst. 3. art. 1.* Ocham *quæst. 1. art. 3.* Capreolus, Caietanus, & omnes Thomistæ, quibus subscribunt Suarez *disp. 14. sect. 2.* Vasquez *disp. 30.* Bassul. *3. dist. 2. quæst. 1. art. 2.* Rada *controu. 4.* Mastrius *disput. 1. quæst. 7.*

46 Assero cum hac sententia, naturam irrationalem esse à Verbo assumptibilem.

Ratio elicitur ex argumentis ad oppositum D. Bonauent. *additis responsis*, tum ex parte naturæ assumptæ, tum ex parte Verbi.

Ex parte Verbi, quia *in rebus mirabilibus tota ratio facti, est potentia facientis*, vt ait D. August. *3. epist. ad Volusianum.* Verbum enim est infinitæ potentiæ: & sicut naturam vnam finitam assumpsit, potest & aliam eiusdem generis substantiæ, capacis subsistentiæ.

Ex parte naturæ probat, quia omnes naturæ substantiales infinitè distant à Deo, & habent substantiam distinctam à natura, quâ priuari valent, & sustentari in alio.

Aliam rationem addunt Scotistæ, ac Suarez: Verbum enim fuit vnitum corpori, etiam inanimato, in triduo. Sed hanc rationem agitat S. Doct. *dist. 21. quæst. 2. ad 3.* quia in corpore Christi erat ordo ad animam.

47 Dices. Ordinatio ad animam non faciebat, quin esset corpus irrationale, & tamen non fuit separatum à Verbo.

Respondet S. Doctor, non fuisse essentialiter irrationale; non fuisse autem congruum vniri alij corpori, secundùm essentiam irrationali. Hoc non impossibilitatem, sed congruitatem dicit: Addit tamen, Verbum debuisse assumere naturam rationalem, quia assumebatur ad satisfaciendum Deo actibus moralibus voluntatis. Quare irrationalis natura ad hoc erat inepta.

Dispvtant verò: an si brutum fuisset vnitum Verbo, fuisset persona. De hoc egi *disp. 2. quæst. 3.*

Respondetvr negatiuè, quia persona est 48 subsistentia in natura rationali. Ita tenent Scotus, Mastrius, & alij communiter. Sic Becanus *cap. 5. quæst. 3.*

Inane est autem, quod ait Scotista quidam, author controuersiarum, inter Scotistas *controu. 3.* naturam illam assumptam non posse suppositari, quia Verbum non est suppositum formaliter, sed persona. Sanè qui habet personam, habet suppositum, vt constat ex Metaphysica; est enim persona subsistentia in tali natura.

Qvæstio verò est: an potuisset assumere acci- 49 dentalem naturam, seorsim à subiecto.

Prima opinio est, posse Verbum vnire sibi accidens, separatum à subiecto. Ita Marsil. *in 3. quæst. 3. art. 1.* Almain. *disp. 2. quæst. 2.* Gabriel *dist. 1. quæst. 2. art. 2.* Mastrius *disp. 2. Physic. quæst. 9. art. 4.* & *in 3. dist. 1. quæst. 7.* vbi distinguit, & meritò inter *inhærere*, & *sustentari* hypostaticè. Vulpes *disp. 6. quæst. 1.* Bellut. *disp. 4. quæst. one 4.* Aretinus *3. dist. 2. quæst. 1. art. 8.* Gallus *ibi, quæst. 2. art. 2.* Anersa *quæst. 4. sect. 1.* Amiens *disp. 15. sect. 3.* Card. Lugo *disp. 12. sect. 3.* & alij. Et deducitur è Scoto *3. dist. 1. quæst. 1. art. 1.* & *dist. 21. quæst. vnica, in fine*, & *quodl. 19. §. 2.*

Opposita tamen sententia est communis, vt 50 ait Suarez *disp. 14. sect. 4.*

Probatvr, quia implicat accidenti substantialiter subsistere, aut vniri substantialiter: accidens enim inhærere solùm potest, vel inexistere accidentaliter, & vnum per accidens facere.

Respondet Mastrius, accidens non esse capax subsistentiæ in ratione suppositi, sed in ratione sustentati.

Contra sic arguo. Effectus formalis non po- 51 test tolli à re manente; sed effectus formalis suppositi est terminare naturam: Ergo, quæ non est capax huius effectus est incapax suppositi: Sed accidens per se est huiusmodi: Ergo. Hæc tamen non sunt tanto labore digna. Vide dicta *disp. 2. quæst. 3.*

QVÆSTIO III.

An Diuinæ naturæ conueniat assumere.

D. Bonau. dist. 5. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 3. art. 1.

Ponit S. Doctor hic differentias inter verbum 52 *assumere*, & vnire. Prima est, quòd assumere magis exprimit actionem: Est enim dictum ab assumptione, quod significat actionem, quod probatur, quia hinc denominantur alter assumens; alter assumptus ab altero. Vnire autem denominatur ab vnione, quæ potius resonat relationem mutuæ dependentiæ. Quamvis enim etiam ab vnione denominetur, alter vniens; alter vnitus; atque adeò actionem etiam significet, quod non negauerim Caietano, & Suarezio, nec renuit S. Doctor; attamen nomen *Vnio*, à quo sumptum est vnire, definit in significationem potiùs relationis dependentiæ, saltem vnius vniti, ab alio; Assumptio verò adhuc retinet significationem magis actiuam.

Secvnda differentia est, quòd assumere non solùm dicit actionem, sicut etiam vnire sed exprimit etiam extrema, idest vnire aliud ad se, vt notat

notat Suarez poſt D.Bonauenturam. Ex quo fit, vt in hoc Sacroſancto Myſterio, Pater dicatur vnire, non autem aſſumere.

53 Aliqvi tertiam differentiam addunt, quòd vniri ſignificat potius in facto eſſe; at aſſumptio potius exprimit coniunctionem in fieri, cuius ſignum eſt, quod vniens poteſt dici vnitum (ſi vnit ad ſe,) vt ait Caietanus, non tamen aſſumens poteſt dici aſſumptum.

Hæc tamen non probatur, nam ratio, ob quam vniens ad differentiam aſſumentis dici poteſt vnitum paſſiuè, non eſt, quia iam vniens ſit in facto eſſe, imò dum adhuc eſt vniens, vnio non eſt in facto eſſe, ſed in fieri: Sed ratio eſt, quia vnio ſignificat indifferenter ex vtroque extremo coniunctionem, & tractionem mutuam extremi ad ſe; at verò aſſumptio ſignificat tractionem alterius ad ſe; vnde ſolùm agentis, non autem paſſiui poteſt habere expreſſionem.

54 Ex his igitur deducit S. Doctor, naturam Diuinam non aſſumere, quia non poteſt ad ſe, ſeu ad ſui vnitatem ſumere: ſi tamen aſſumere ita accipiatur, ac vnire; ſic Diuina natura vnita eſt humanæ in perſona.

Asssro primò, Diuinam naturam non aſſumpſiſſe humanam, ſumpta aſſumptione, vt dicit ad ſe.

55 Probatvr primò à D. Bonauent. Si natura Diuina aſſumpſiſſet humanam ad ſe, ſeu ad ſui vnitatem, iam omnes perſonæ manerent vnitæ; at ſolus Filius eſt vnitus propria vnitate perſonali: Ergo. Maior probatur à S. Bonauent. ex dogmate fidei: Eſſentia eſt tribus perſonis vna: Si ergo fuiſſet facta vnio naturæ, iam omnes eſſent perſonæ vnitæ, quia natura Diuina communis eſt tribus, & ſimpliciſſima.

Dat exemplum D. Bonauent. Si aliquod vnum, in quo plura vniuntur, vnitur alteri, oportet & illud vniatur, vt ſi punctum, in quo tres lineæ vniuntur, vnitur alteri, oportet & tres lineas manere vnitas: Sed Perſonæ tres Diuinæ magis vniuntur in eſſentia, quàm tres lineæ in puncto: Ergo, &c. Probatur Minor à D. Bonau. ex Conciliis Toletano VI. & XI. Quinta Synodo *collat.8. can.4. & 10.* Concil. Lateran. ſub Martino I. *conſult. 5. can.4. & tu.* Lateran. ſub Innocentio III. & habetur *in cap. firmiter*, & Carthag. IV. *cap.1.* & Vuormat. *in profeſſ. fidei.* Probatur ex omnibus Scripturis, quæ aſſerunt, ſolum Filium incarnatum, vt notat S. Bonauent. *ad 1. Ioan.* Vbi cùm diſtinxiſſet Verbum à Patre, tandem de ſolo Filio ait: *Verbum caro factum eſt*, & Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, &c.* Vide Suarez *diſp.12.ſect.1.*

56 Rationes verò, & congruentias retuli *diſp.2. quæſt.6.* quibus oſtendi conuenientius, Verbum eſſe Incarnatum. Minor igitur ex dictis probatur, quia cùm ſolus Filius aſſeratur incarnatus, non natura; ſignum eſt, naturam non aſſumpſiſſe. Sicuti, quia ſola Patris perſona generat, non dicitur eſſentia generat.

Vbi aduerte, ſuprà allata argumenta ſolùm probare, Deitatem non aſſumpſiſſe humanam naturam ad ſui vnitatem: Ideò Concilium Toletanum ſic loquitur: *Cum tota Trinitas operata ſit ſuſcepti hominis formationem; ſolus tamen Filius ſuſcepit hominem in vnitatem perſonæ, non in vnitatem naturæ*, vt notat D. Bonauent. Itaque ſi vniretur natura in forma, ſeu in vnione naturæ; ſanè omnes perſonæ vnirentur, quia ſimpliciſſimæ.

Sic in hoc ſenſu verum eſt illud: Quando aliqua vniuntur in vno, & illud vnum vnitur, tunc manent vnita & illa, vt quia tres lineæ vniuntur in puncto, ſi punctum vnitur remanent vnitæ & lineæ, quia vnio fit in eo, in quo tres lineæ vniuntur. Itaque in caſu noſtro, ſi vnio fieret in natura Diuina, in qua vniuntur perſonæ, iam omnes remanerent vnitæ. Hoc verò non ſequitur facta vnione in perſona, in qua non vniuntur aliæ perſonæ. Hoc eſt argumentum Concilij Toletani. 57

Asssro ſecundò, poſſe dici Diuinam eſſentiam aſſumpſiſſe humanam, vt dicit actionem vniendi.

Probatvr primò à D. Bonauent. è Sanctis 58
PP. D. Fulgentius *de fide ad Petrum, cap.2.* ait: *Illa natura, quæ ſemper genita manet ex Patre, naturam noſtram ſuſcepit.*

D. Avgvstinvs 1. *de Trinitate, cap.7. & 11.* ait: *Forma Dei aſſumpſit formam ſerui.* Et in Enchir. cap. 36. ait: *Corpus fuiſſe à diuinitate ſuſceptum.*

D. Nazianzenvs oratione prima dicit, *Diuinitatem fuiſſe exinanitam.* Et oratione 51. ait: *Corpus eſſe cum diuinitate, à qua ſuſceptum eſt.* Eodem ferè modo locuti ſunt Leo Papa, *epiſt.10.* & alij apud Suarez *ad hunc artic. D.Thomæ,* & *diſp.7. ſect.2.*

Probatvr ſecundò ratione D. Bonauent. & 59
D. Thom. aſſumere dicit actionem vnientis; at Diuina eſſentia operata eſt vnionem: Ergo.

Probatvr tertiò ab vtroque Sancto Doctore, quia coniunxit ſibi in perſona Verbi naturam humanam.

Vtramqve aſſertionem optimè explicari, ait D. Bonauent. in Concilio Toletano VI. *in confeſſione fidei*, vbi ſic habet ex antiquo codice manuſcripto (nam editiones nouæ plerumque mendoſæ ſunt:) *Solus filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ, id eſt, in eo, quod proprium eſt filij, non quod commune eſt Trinitati; nam ſi naturam hominis, Deique alteram in alteram confudiſſet, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet, quoniam conſtat naturam Trinitatis eſſe vnam, non tamen perſonam.*

Ex his habes, hanc quæſtionem iam deciſam 60
quoad primam aſſertionem *diſp.5. quæſt.1.* Quoad ſecundam verò *diſp.7. quæſt.1.* ſæpè tamen ad aliquorum terminorum explanationem refricantur quæſtiones, ſicuti hîc, ad aſſumptionem exponendam.

QVÆSTIO IV.

An ſecunda Persona Divina *ſola terminauerit naturam humanam.*

{ D. Bonauent. diſt. 1. quæſt. 2.
D. Thom. q. 3. art 4.

Assero ſolam ſecundam Perſonam SS. Trinitatis terminaſſe naturam humanam. Eſt de 61
fide, iam probata incidenter *quæſtione ſuperiori.*

Probatvr præcipuè à D. Bonau. è Scripturis quæ id aſſerunt. Sic *Ioan. 1.* cum expoſuiſſet Verbum à Patre diſtinctum, ſubdit: Verbvm caro factvm est. Et Ioan.3. *Sic Deus dilexit, &c.*

Secvndò

SECVNDÒ probatur à D. Bonauentura, quia persona comparatur ad naturam humanam, & in ratione efficientis, & in ratione terminantis: & quidem in ratione efficientis tota Trinitas operata est, vt dixi *disput*.7. In ratione verò terminantis, sola persona Filij terminauit, sicuti enim ab aliis personis distinguitur relatione, seu subsistentia; ita sola potuit terminare: hoc verò ita factum esse, probatum est ex fide; alioqui enim pendet hoc ex voluntate Dei, quæ ita decreuit ob rationes allatas *disput*. 2. *quæst*.6. Eadem est ratio D. Thomæ.

62 EXPLICAT autem D. Bonau. *ad* 2. qua ratione Incarnatio facta sit à tota Trinitate virtute indiuisa, & tamen solus Filius fuerit incarnatus, quia fuit terminata in hypostasi Verbi distincta; sicuti, si tres puellæ vestiant vnam ex ipsis; tres vestiunt, sed vna sola vestitur. Hac similitudine habitus explicatur à D. Paulo, Philip. 2. *Habitu inuentus, vt homo*, capacitati nostræ adaptato, sed explicito, vt dixi *quæst*. 2.

QVÆSTIO V.

An VERBVM *terminarit humanam naturam ratione alicuius proprietatis absolutæ; an ratione alicuius relationis.*

D. Bonau dist. 5. q. 1. & 4. q. 1. & q. 3. ad vlt.
D. Thom. q. 3. art. 2.

63 QVÆSTIO hæc supponit illam: An Diuina personalitas sit quid merè relatiuum, non verò absolutum; de qua *prima prima*, *tract*. 2. *disp*. 12. *quæst*. 1.

DVRANDVS consequenter ad suam opinionem de ratione personæ, nempe esse aliquid absolutum, asserit, factam in Verbo vnionem secundùm aliquid absolutum. Ita *in* 3. *dist*. 2. Hanc sanè impugnant Thomistæ; sed aliqui præclariores in eandem, mutatis verbis tantùm, videntur incidere. Capreolus *in* 3. *dist*. 1. *quæstione vnica, art*. 1. *concl*. 4. & *art*. 3. *ad argum. Durandi*, si credas Suarezio *disp*. 12. *sect*. 2. Vasquezio *disp*. 26. *cap*. 2. qui ad eandem adducit Sotum, & Victoriam, quos tamen Aluarez *disp*. 21. & Nazarius *quæst*. 3. *art*. 2. *controu*. 1. tuentur.

64 ADDVCIT Vasquez etiam aliam opinionem, quam adscribit Caietano ad hunc articulum, & multis aliis recentibus, dari in Deo quatuor subsistentias, vnam absolutam, & tres relatiuas; Vnionem verò factam in subsistentia relatiua Verbi, non in communi subsistentia, qua constituitur hic Deus, sed in particulari Verbi, vt dicit esse *In* ratione cuius est subsistentia, non autem vt dicit esse *ad* Pro hac allegat Vasquez antiquos, qui dicunt, factam vnionem ratione proprietatis personalis, non autem ratione alicuius communis. Richardum 3. *dist*. 1. *art*. 1. *quæst*. 2. *in corpore*, & *ad primum*. Scotum *dist*. 1. *quæst*. 1. §. *In ista quæstione*, & *ad* 2. & *dist*. 5. *quæst*. 1. Gabrielem *dist*. 1. *quæst*. 1. Paludanum *quæst*. 2. *art*. 3. & 4. Ocham *in* 4. *quæst*. 1. *art*. 3. Almainum *dist*. 1. *quæst*. 1. *art*. 3.

Ex his autem nullum ait concedere quatuor subsistentias illas, præter Caietanum, quinimo Scotum sentire, esse vnam solam absolutam, & communem; alios verò solùm concedere, esse vnam existentiam communem; nihil tamen ponere absolutum, cui tribuant nomen subsistentiæ. His addit Marsilium 1. *quæst*. 2. *art*. 5. At quoad Caietanum notat Nazarius *quæst*. 3. *art*. 2. *controu*. 1. meram esse calumniam, quòd illa sententia sit ipsi adscripta.

VERA igitur sententia est, vnionem personæ humanæ cum persona Verbi nullo modo esse factam ratione alicuius communis, & absoluti, sed ratione proprietatis relatiuæ personalis; ita vt neque primaria vnio, neque secundaria facta fuerit ratione absoluti communis, tametsi vnio facta fuerit cum absoluto ratione proprietatis personalis. Hæc est sententia D. Bonau. *loco cit*. & *dist*. 1. *q*. 2. pro qua adducit omnes, adductos pro præcedenti sententia, quos in eo reprehendit tantùm, quod quatuor subsistentias admittant, vel vnicam tantùm, & tres proprietates, quod nos quoque refellimus. 65

ASSERO, vnionem non esse terminatam ad aliquod absolutum commune.

PROBATVR primò à D. Bonau. *dist*. 5. *quæst*. 1. *argumento primo*, *secundo loco*, ex Concilio Toletano XI. vbi habetur: *Solum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & cùm tota Trinitas operata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius accepit hominem in singularitatem personæ, non in vnitatem diuinæ naturæ, idest, quod est proprium Filij; non quod commune est Trinitati*. Idem ostendit S. Bonau. è Concilio VI. Toletano, in confess. fidei: *Vnius substantiæ credimus Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; non tamen dicimus, vt huius Trinitatis vnitatem Maria Virgo genuerit, sed tantùm Filium, qui solus naturam nostram in vnitatem naturæ suæ assumpsit*. Hæc ex littera Magistri *eadem dist*. adducit S. Bonau. quæ egregia testimonia acclamat Vasquez. 66

PROBATVR secundò à D. Bonau. *dist*. 5. *quæst*. 2. hoc argumento, quod est summum illius fundamentum: Si aliquo modo facta esset vnio in aliquo absoluto; sequeretur, Patrem non sola voluntatis operatione interuenisse, ac cooperatum Incarnationi, sed etiam aliquo modo vnione reali; sed hoc est manifestè absonum: Ergo. Sequela est euidens. Absurditas sequelæ probatur ex D. Dionysio *de Diu. nominibus*, *cap*. 2. *p*. 1. post medium, cuius testimonium recitatum fuit in Sexta Synodo generali *act*. 8. vbi ait: *Discretum est autem in Diuinis operibus, in nos benignè manantibus, quod secundùm nos, & ex nobis integrè, & verè substantiam sumpsit supersubstantiale Verbum, eaque gessit, & pertulit, quæ sunt humanæ ipsius assumptionis electa, atque præcipua, his enim neque Pater, neque Spiritus vlla ratione communicat; nisi fortè quis asserat benignitate, clementiaque, & communicatione voluntatis, atque in omni supereminentissima, & ineffabili operatione diuina*, (quam homo pro nobis factus adimpleuit immutabilis profectò Deus & Dei Verbum) *illos quoque accessisse consortes*. Hæc S. Dionysius, ex quo eandem sententiam desumpsêre Damascenus *lib*. 3. *de fide*, *cap* 6. Nicetas *lib*. 3. *Thesauri*, *cap*. 34. imò est Sextæ Synodi allegatæ, vbi ea verba habet, quæ recitaui; & Elias Cretensis *in orat*. 51. quæ est epistola prima ad Cledonium. Sic arguit Vasquez ex D. Bonauentura. 67

PROBATVR tertiò. Ex hoc sequitur aliud absurdum; fieri communicationem idiomatum Patri, & Spiritui Sancto ratione illius subsistentiæ communis, 68

munis, in qua facta esset vnio. Itaque verum erit: Pater, & Spiritus sanctus est homo. Ita arguit S. Bonauent. *dist.7. quæst.1. in argumentis secundo loco, additis responsis*, præcipuè *n.4.& 5.* quod vrget Vasquez.

Respondet Durandus, solùm concedi: Pater, & Spiritus sanctus, in quantum est Deus; est homo.

Varum primò Durandus concedit, locutionem absonam, quæ neque de filio potest dici: Filius, in quantum Deus, est homo; nam reduplicatio *in quantum*, rationem formalem sonat.

69 Deinde arguo: Quæ de indiuiduo Deitatis dicuntur, de omnibus personis dicuntur, & de singulis.

Probatur quartò à D. Bonau. *dist.1. quæst.2. argumento vltimo, secundo loco*, & *dist.5. quæst.1. in argumentis secundo loco*, & *quæst.3. argumentis secundo loco*, vbi etiam alia præcedentia absurda inducuntur. Sequeretur, humanitatem vnitam esse substantialiter tribus personis: nam sicut ea dicuntur continua, quorum extrema sunt vnum; ea etiam dicuntur substantialiter vnita, quorum est vnum commune vinculum substantiale. Tunc sic arguit S. Bonau. Quandocumque aliquod simplicissimum, in quo plura vniuntur, vnitur alicui, necesse per consequens est, & illa vniri; vt si punctum, cui vniuntur tres lineæ, alicui coniungitur; necesse est, & illas lineas vniri: Sed per te humanitas vnitur Diuinæ essentiæ simplicissimæ, dum vnitur illi absoluto communi, in quo tres personæ vniuntur: 70 Ergo sequitur vniri tribus etiam personis. Hoc argumentum est Concilij Toletani, relati *quæst.3. in fine*, & Nicetæ *lib.3. Thesauri, cap.11.* Hoc nituntur Suarez *disp.12. sect.2.* Vasquez *num.14.* Valentia *disp.1. quæst.3. punct.1.* Faber *3. disp.7.* è Scoto; ita, quod de vnione in essentia hi inferunt, sequitur & de quocumque absoluto communi.

Respondet Durandus *num.14.* non sequi illud absurdum, hoc enim vel prouenit ex habitudine personarum inter se, & hoc non; quia cùm personæ opponantur relatiuè, & distinguantur realiter, potius sequitur, humanam naturam vniri vni personæ, 71 & non aliis. Vel hoc sequitur ex habitudine personarum cum essentia, neque hoc, quia magis vnitur persona Diuina, quàm natura humana essentiæ Diuinæ, vt docet D. Bernardus adductus *disp.5. quæst.6.* Ex hac autem vnione personæ Diuinæ cum essentia Diuina, non sequitur, quamlibet personam esse personaliter in quocumque, in quo est ipsa natura Diuina, quia essentia Diuina est in qualibet persona, & vna persona non est alia personaliter: Ergo ex eo, quòd natura humana non vniatur naturæ Diuinæ ratione communis subsistentiæ; non sequitur, eam esse personaliter in quacumque persona Diuina, in qua est ipsa natura Diuina.

72 At non propter hoc effugit: nam, vt S. Bonau. redarguit *dist.7. quæst.1. ad primum*, quod desumpsit Durandus: Personalitas est efficacior ratio prædicandi de naturis vnitis, quàm sit natura de participantibus eam, seu in ea communicantibus. Ratio est, quia persona vnit secundùm proprium esse; at natura secundùm commune. Itaque quando vna hypostasis supponitur ad duo sustentanda; illa etiam inter se subiiciuntur, quia affirmatiua prædicatio est ab inferiori ad superius, non è contra; at quando vna natura est communis pluribus, non statim illa inuicem prædicantur ob eandem rationem, sic enim dicitur: Omnis Homo est animal, non è contra: Omne animal est Homo. Ideò, quando vna hypostasis subiicitur duabus naturis; necesse est, eas illas sibi inuicem subiici, & consequenter prædicari. Quando autem vna natura dicitur de pluribus, non est necesse, illa de se inuicem prædi- 73 cari, vt si Petrus est homo, & Paulus est homo, non sequitur: Ergo Petrus est Paulus, quia adhuc remanent indiuiduantia principia, quibus discrepent. Si verò Petri supposito sustentetur natura animalis, & rationalis, benè dicitur: Hic animatus est hic rationalis: Hic rationalis est hic animatus. Quæ cùm ita sint secundùm rationem proprietatis, aliquo modo sunt magis vnitæ duæ naturæ in supposito, quàm vna natura communis pluribus suppositis. Vnde non benè Durandus arguit, vt prædixit S. Bonauentura.

An illationem Durandi respondet Vasquez, 74 quod sicuti ad hoc, vt vna persona sit substantialiter vnita cum altera, non opus est, vt vna persona sit personaliter in alia, vbi est essentia Diuina, sed sufficit, habere terminum communem vnionis, nempe, essentiam: Sic etiam, vt dicerentur omnes personæ substantialiter vnitæ naturæ humanæ, satis esset habere vinculum commune substantiale hypostasis. Ratio verò est allata à D. Bonauentura.

Oppones secundò cum Durando contra no- 75. strum argumentum: In Patre tota ratio generandi est essentia, & tamen non sequitur, generare esse commune omnibus personis, quia Paternitas est conditio necessaria ad generandum: Ergo simili modo, quamvis ratio terminandi vnionem in Filio esset essentia, posset vnio non esse communis, quia est necessaria etiam vnio cum relatione. Confirmatur, quia quamvis dicamus, naturam Diuinam esse vnitam humanæ, media relatione, tamen re vera fuit tota vnita; & nihilominus non sequitur, Patrem esse vnitum: Ergo idem intelligi posset, etiamsi ipsa Diuina natura immediatè per totam subsistentiam essentialem esset vnita.

Respondet Suarez ex D. Bonauent. *dist.5.* 76. *quæst.1. ad penultimum*, non esse simile, nam generatio est actus notionalis, connotans relationem necessariam in principio ipso generante; at verò illa vnio, quam ponit Durandus, est quasi essentialis, seu ex vi entitatis essentialis tantùm, nec requirit vnionem cum proprietate, vt conditionem necessariam, sed potius eam ponit in secundario, & quasi per accidens adiunctam. Adde, actum notionalem ideò esse proprium personæ producentis, & non productæ, quia est ab vna persona, vt origine antecedit aliam, & ideò requiritur, vt conditio necessaria in persona producente, relatio, quæ importet hanc prioritatem originis: at verò omnis communicatio diuini esse, quæ est extra Deum, supponit personas constitutas, & per se non requirit ordinem originis, & ideo si talis communicatio fiat per essentiam, & non per relationem, non est cur requirat relationem, vt conditionem necessariam, vel cur non se habeat indifferenter ad omnes, quia alias posset dici vna persona posse efficere incarnationem sine alia, gratis fingendo relationem esse conditionem necessariam ad illam effectionem.

An confirmationem negatur sequela, quia nunc vinculum vnionis est proprium Verbi, & non commune; at si fieret vnio in aliquo essentiali, iam vinculum vnionis esset commune, & in illo vni-

retur humana natura cum omnibus personis, vt suprà ostendi.

77 Asser o secundò. Formalis ratio, per quam Verbum terminat primò, ac per se humanitatem, est proprietas eius relatiua.

Probatvr ex dictis, nam cùm in Diuinis non sint, nisi propria, & communia; & propria sint relationes; si non terminetur ad aliquid commune absolutum, terminabitur ad proprias relationes. Præterea hoc expressè habent Concilia allegata.

78 Probatvr etiam à Suarez ratione D. Bonau. *dist. 1. quæst. 2. fundamento 3.* hæc vnio de fide facta est in persons per modum cuiusdam mirabilis compositionis vnius personæ humanæ ex humana natura, & personalitate increata, vt ostensum est *disp. 5. quæst. 2. & 5.* Ergo quod ex parte Verbi terminauit dependentiam humanæ naturæ, & cum illa coniunctum est, fuit personalitas Verbi, per quam impedita est in humanitate propria personalitas; sed personalitas Filij est propria eius relatio, per quam differt à Patre, & Spiritu sancto: Ergo. Confirmatur, nam in Christo persona Diuina, & humana est vna, & eadem: Ergo eadem proprietate constituitur in ratione personæ sub vtraque natura, sed illa proprietas, per quam constituitur in ratione personæ, est, ad quam terminatur humanitas vnita, quia hæc vnio per se tendit ad constitutionem personæ: Ergo.

79 Obiicies primò. Relatio Diuina non dicit perfectionem: Ergo non potest terminare naturam humanam, quia non continet eminenter perfectionem personalitatis creatæ.

Respondet Scotus, negando esse necessarium, vt vna personalitas suppleat vicem alterius. Hoc impugnat Caietanus *art. 1. quæst. 3.* Sed cùm ipse quoque admittat, Diuinam relationem non dicere perfectionem, cogetur dicere, vel cum Durando, terminari per aliquid absolutum, vel certè nullam perfectionem esse necessariam ad terminandum, & sic cum Scoto sentiet.

Respondetvr ergo, personalitatem Diuinam dicere infinitam perfectionem, vt ostendi *prima primæ, tom. 2. disp. 3. quæst. 10.*

Obiicies secundò. Si Diuina personalitas terminet naturam humanam, sequitur, Christum non esse vniuocè personam cum aliis hominibus.

80 Respondet D. Bonau. *dist. 7. quæst. 1. ad 3.* quem sequitur Suarez, Christum esse hominem nobiscum vniuocum, quia formali, & essentiali ratione nobiscum conuenit; at in ratione personæ conuenit quodammodo analogicè.

Obiicies tertiò. Si humanitas Christi terminetur per relationem Filij: Ergo Christus, vt homo, refertur ad Patrem per illam relationem.

Respondetvr, Christum, vt subsistentem in humanitate, esse personam relatiuam formaliter loquendo de ratione personæ, quamquam vt est indiuiduum quoddam humanæ naturæ, sit aliquid absolutum; & ideò ex hac vnione non sequitur, humanitatem, vel hunc hominem referri ad Patrem, sed solùm sequitur de hac persona; sicut, quamuis relatio terminet deitatem, non tamen refert deitatem ipsam, nec hunc Deum, vt sic, ad Patrem; sed personam illam, vt secundùm se talis est.

Denique illa relatio non vnitur per modum formæ informantis, sed solùm per modum termini, quasi sustentantis naturam, & ideò non oportet, vt referat ipsam naturam ad aliud. Ita Suarez, & colligitur ex D. Bonau. *dist. 6. art. 2. quæst. 1.*

Ex his soluta manet quæstio D. Bonauent. & 81
D. Thom. in propriis terminis: An assumere conueniat personæ ratione naturæ; an verò naturæ ratione personæ.

Respondetvr autem cum D. Bonau. tria consideranda esse in hac vnione: Primum, scilicet actionem assumendi, & hæc conuenit personæ ratione naturæ, quia persona operatur virtute, & voluntate communi tribus personis. Secundum, terminationem, & hæc conuenit personæ; & ratione eius naturæ; nam persona est, quæ dat subsistentiam. Tertium est relatio, & hæc conuenit vtrique, 82
nam Diuina natura, & Diuina persona sunt vnitæ humanæ naturæ: & hæc Diuinæ naturæ, & personæ.

QVÆSTIO VI.

Vtrum abstracta personalitate per intellectum, vniri posset natura creata cum Indiuiduo Deitatis.

D. Bonau. in 3. q. 1. & dist. 5. quæst. 4.
D. Thom. q. 3. art. 3.

Hæc quæstio pendet ex illa, tradita *p. p. tract. 2. disp. 6. quæst. 5.* An, præter tres subsistentias 83
relatiuas personarum Diuinarum, detur subsistentia absoluta communis, qua constituitur hoc indiuiduum Deus, prout à Paganis aliquibus, & Iudæis, ac Turcis colitur. Nos eam negauimus; Alij concedunt. Quæstio igitur est: An posset Deus per aliquod commune tantùm vniri naturæ humanæ.

Prima opinio est, posse fieri vnionem ratione subsistentiæ communis præintellectæ tribus personis. Ita Richardus *in 3. dist. 1. art. 1. quæst. 4.* Durandus *quæst. 4.* Scotus *quæst. 1. §. Ad quæstionem igitur, & dist. 5. quæst. 1.* Almain. *in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. dub. vlt.* Ocham *3. quæst. 1. art. 3.* Caietanus, Bannes, Aluarez, Cabrera, Nazarius *controu. 1.* & alij Thomistæ *ad hunc art.* vbi D. Thom. id videtur sentire.

Consentivnt omnes Scotistæ, concedentes Diuinæ essentiæ subsistentiam absolutam cum 84
Scoto *1. dist. 7. quæst. vnica, & dist. 26. quæst. vnic. ad 4. tertia via, & in 3. dist. 1. quæst. 1. 2. §. Ad quæstionem*, & alibi, quem sequitur Schola, Faber *in 1. disp. 26.* Vulpes *p. p. disput. 14. art. 5.* Smisingh. *tract. 1. disp. 2. quæst. 1.* Poncius *disp. 9. quæst. 8.* Rada *3. part. controu. 2.* Gallus *in 3. disp. 1. quæst. 2. cap. 1.* Mastrius *in 3. disp. 2. quæst. 9. art. 1.* & alij Scotistæ, quibus addit cum allegatis Thomistis, Ragusam, Granadum, Auersam, omnesque Thomistas, & Scotistas, ac Nominales.

Ex his aliqui non concedunt aliquid commune perfectum habens rationem subsistentiæ. Ita Richardus, Ocham, Almainus, & Gabriel, quibus adde Valentiam *quæst. 3. punct. 5.* Asturicensem *relect. de gratia Christi, quæst. 5.* Caietanum, & alios.

His addo nonnullos Scotistas, qui subsistentiam 85
essentiæ Diuinæ astruunt communicabilem, atque adeò non in se stantem fixam, quàm in eo solo ponunt, vt non possit stare in alio supposito, à se realiter distincto, vel in alio, vt in subiecto.

Hæc sanè est mendica subsistentia, nam & existentia mera essentiæ Diuinæ ab omnibus agnoscitur, non posse esse in alieno supposito, realiter distincto, & non esse accidens. Eam præcipuè Mastrius mun-

num. 308. sustinet: Quare frustra se eximere à Vasquez censura satagit *num.* 309. quasi non aduerteret Patribus, ac Conciliis, qui dum subsistentiam personis adscribunt, intelligunt perfectam hypostasim; Theologi autem hi solam non inexistentiam in alieno supposito, vel subiecto relinquunt essentiæ.

Profecto à nobis solo verborum sono abeuntes, censuram merentur, dum subsistentiæ nomen solis hypostasibus, seu personis post litem decisam concessum, vt ab essentia distinguerent, volunt essentiæ adscribere.

86 Secunda sententia negat essentiæ subsistentiam, atque adeò posse Diuinam essentiam per aliquam absolutam subsistentiam assumere humanam naturam. Ita Alens. 3. *part. quæst.* 7. *memb.* 1. *art.* 2. & 3. Capreolus 3. *dist.* 1. *quæst. vnica, art.* 1. vbi impossibile existimat fieri hanc vnionem per aliquid communicabile. Ita adducitur à Vasquez, qui tamen *disp.* 26. *cap.* 2. pro alia repugnante Capreolum adducit. Hanc sequuntur innumeri adducti *prima prima, tract.* 2. *disp.* 1. quibus addo Morandum *Tract. de Incarnatione, quæst.* 18. Valentiam *hic, loco cit.* Sanè adeò vacillant etiam Scotistæ, vt ferè dexteras dare cogantur; docent enim, quod abstrahendo Diuinam naturam à personis, non posset immediatè humanam naturam terminare, vt refert Mastrius *num.* 316. hoc sanè est ad nos propriè festinare, vt notat Morandus *loco cit.* Tanner. *quæst.* 4. *dub.* 1. & Mæstac. *disp.* 16.

Quoad D. Bonau. citatur communiter 3. *dist.* 1. *quæst.* 3. pro hac sententia: sic eum adducunt Vasquez, Nazarius, & Suarez *sect.* 1. qui Seraphicum adducit etiam *dist.* 5. *quæst.* 4. Videtur tamen aliquam habere difficultatem, ideò est examinanda.

87 Seraphicus igitur *dist.* 5. quæstionem quartam instituit: Vtrum assumere, possit conuenire Diuinæ naturæ, abstractis omnibus personis. Respondet, dupliciter posse abstrahi personalitatem per intellectum, aut simpliciter, aut prout fides determinat. Simpliciter abstrahitur personalitas, cùm sola essentia consideratur in se absque aliquo supposito, & hoc modo negat posse intelligi assumere. Primò, quia actio non attribuitur formæ, nisi in supposito; & sic assumptio non potest ei conuenire. Secundò, quia non intelligitur habere aliquid, in quo fiat hæc vnio, non enim potest assumere ad vnitatem naturæ; si verò fiat abstractio personalitatum, quas fides determinat; ita tamen, vt intelligatur remanere suppositum constituens hunc Deum. Hoc modo ait, posse intelligi assumptionem conuenire Deo; licèt non ita congruè, sicut intelligitur supposita personali distinctione.

88 Vbi videtur S. Doctor concedere talem abstractionem personarum fieri posse, & remanere suppositum commune; attamen non concedit, sed solum ait: Si talis subsistentia remaneret, puta prima Persona innascibilis, posset intelligi assumere. Itaque non admittit subsistentiam communem. Probatur verbis, quæ subdit: Intellecto enim, quod sola illa persona, quæ est innascibilis, esset in Diuinis, posset vtique humanitatem assumere. Concedendum ergo, quòd circumscripta personalitate à fide determinata, etsi posset intelligi assumptio innascibilis, non tamen ita congruè.

89 Cum autem sit contra fidem, meram personam innascibilem esse in Diuinis; & hanc solam subsistentiam, non autem communem concedat remansuram, sequitur, hanc suppositionem de subsistentia communi non admitti possibilem, sed solum per intellectum ex quo sequitur, non admittere, possibilem esse physicè Incarnationem in communi subsistentia; & cùm neget etiam, posse fieri in existentia, quæ est idem cum essentia; sequitur, omnino Seraphicum esse contra omnes modos primæ sententiæ.

Quod verò sit huius secundæ, probat Vasquez ex *dist.* 1. *citato loco*, vbi docet, non posse assumi vnam naturam à tribus personis simul, nec ratione proprietatis personalis, nec ratione alicuius communis, quod præintelligatur personis; sentit ergo, posse solùm vniri naturam humanam Diuinæ, ratione personalis proprietatis.

Solius sententiam S. Bonau. colligo ex fundamentis eius, quibus semper arguit, non posse fieri vnionem trium personarum in natura humana vnica, quia non potest fieri, neque in personis Trinitatis, neque in essentia; si autem præter essentiam agnosceret medium aliud, idest, subsistentiam communem, vel talem existentiam, qualem ponunt aliqui authores primæ sententiæ, iam eam profectò numerasset, ne argumentum à partium enumeratione esset mancum. Tandem S. Doctor passim negat subsistentiam illam communem nouiter inductam, vt vidimus *prima prima, loco cit.* 90

Assero, non posse fieri vnionem Dei cum natura humana in alio, quàm in persona aliqua Trinitatis. Patet ex dictis *prima prima, tract.* 2. *citato*, vbi eam communem subsistentiam confutaui, Quare hæc non est ratio friuola, vt clamat Vulpes *num.* 12. 91

Probatur à Vasquez fundamento D. Bonau. *ad argumenta*, vbi agitata re hinc inde, quæstionem definit, nam Patribus, & Conciliis, cum disputarent contra Eutychetem, & Nestorium, nullum aliud genus vnionis in mentem venit, quam in natura, & persona, & quidem vnionem possibilem, & veram asseruerunt in vna ex tribus personis, nullam aliam subsistentiam agnoscentes; eam verò in natura refutarunt. Quinimo ex eo, quod vnio facta non est in natura, deducunt, eam esse factam in vna persona distincta Trinitatis, ratione personalitatis propriæ. Ita argumentatur Concilium Toletanum XI. *in confess. fidei*, cuius verba retuli *quæst.* 3. *in fine*, & *quæst.* 5. vbi idem ex S. Dionysio, & sexta Synodo argumentatus sum.

Respondet Nazarius, nil mirum, Concilia, & Patres de hoc non loqui, nam eo tempore non adhuc orta erat quæstio de vnionis possibilitate cum hoc Deo; sed tota quæstio erat, an facta fuisset in natura, vel in persona. Et ita ex verbis Concilij benè argui, supposita illa quæstione tantùm bimembri relata. 92

Respondeo secundò, ex verbis Concilij id non argui, nam dum negat, factam vnionem in natura, intelligit secum suppositum commune, per hoc enim contra distinguitur à personis relatiuis: Ideo benè sequitur: non est facta vnio in essentia, seu hoc Deo: ergo in aliquo relatiuo.

Enim verò hæc inania sunt, primum sanè; nam, etiamsi non esset orta quæstio aliqua; an facta esset vnio in illo supposito communi; tamen necesse erat, omnia ea enumerari, in quibus poterat fieri vnio, inter quæ est hoc suppositum, aliòqui non benè ex negatione, quòd facta sit in natura, sequeretur illatio: Ergo facta est in persona relatiua. Neque verò, dum essentiam nominant, intelligunt etiam suppositum, quia nusquam de hoc habetur nutus. 93

94 In autem probo euidenter: nam Patres, & Concilia ideò negant, vnionem esse factam in natura, quia sequeretur hæresis Eutychetis, quod scilicet iam ex duabus naturis, diuina, & humana, esset facta vna natura: Ergo supponunt, tanquam euidens, Diuinam naturam non habere suppositum, in quo fiat hæc vnio, ita vt adhuc maneant naturæ distinctæ, ad modum, quo facta vnione in supposito Verbi adhuc manent naturæ inconfusæ, tametsi suppositum cum personalitate Verbi sit idem formaliter. Profectò si hic Deus haberet suppositum, in quo natura Diuina subsistat, posset terminare naturam creatam absque eo, quod fieret vnio in natura, sicuti & nunc facta vnione cum supposito Verbi, adhuc manent naturæ inconfusæ, & tamen semper horrent hunc modum vnionis, tanquam Eutychiensem.

95 Hoc argumento nixus est D. Anselmus *lib. de Incarnatione Verbi, cap. 4.* vbi contra hæreticum quendam, ex eo, quòd non est facta vnio in natura, arguit, factam in personas Eodem modo arguit S. Bonauent. *locis adductis, & dist. 6. art. 2. quæst. 1. fundamento 3, & in corpore*, insistens Sanctorum Patrum vestigiis. Quare sequitur, hanc opinionem esse nouitatem, à quibusdam gratis excogitatam.

Respondent aliqui, inter quos est Suarez, rationem Anselmi esse hanc: Ex vnione in subsistentia non inferri esse communem omnibus personis; quia talis vnio ex genere suo potest fieri in vnitate personali: & ideò non posse inferri ex eo, quòd sit vnitas substantialis, esse communem omnibus personis, nisi supponatur talis vnio essentialis, seu in natura, & hoc sensu rectè Anselmum agere contra hæreticos. Addit verò, non esse necesse, vt ratio Anselmi sit efficax.

96 Hoc secundùm, ait Vasquez zelo percitus, sibi summoperè displicere; at in hoc ipse sæpe illabitur.

Quoad responsum, non benè affertur argumentum D. Anselmi; qui non arguit ex eo, quòd vnio sit substantialis, esse communem tribus personis, nam vnionem substantialem posse fieri etiam in persona nouerat iste Pater; sed ait, non posse colligi, incarnata persona, necesse fuisse omnes incarnari, nisi ex eo, quòd vnio facta esset in natura, qui modus arguendi esset futilis, si vnio posset fieri in illa subsistentia.

Nazarius respondet, sequelam eam esse: Si non est facta vnio in essentia, prout dicit etiam suppositum absolutum commune, sequi, factam in persona relatiua, quæ opponitur omnibus absolutis. At hæc responsio suprà confutata est.

97 Respondet Mastrius *numero 319.* futuram vnionem in natura, & in persona: In persona, seu in vnitatem personæ, non quidem cum essentia Diuina præcisè, neque cum omnibus personis collectiuè, sed cum singulis, quibus natura creata, mediante subsistentiá absolutá, coniungeretur, tum quia natura Diuina est idem cum illis; tum quia subsistentia absoluta non sufficit ad terminandam naturam humanam completè, vt excludatur propria subsistentia. Quo responso sperat omnes difficultates declinare.

98 Sed non video equidem, qua ratione declinet huius absolutæ subsistentiæ imperfectionem, insufficientiam scilicet ad terminandam naturam humanam. Deinde, quæ vnitas in persona cum singulis personis ex earum vnitate cum essentia, non autem cum omnibus collectiuè? Profectò omnes collectiuè sunt idem cum essentia, non minùs, quàm singulæ; etsi aliqua maior foret distinctio, hæc esset ratione eorum, quæ singulis sunt propria. Præterea nec vnio adhuc esset mediata in personis, & immediata in natura, & ita vnum in natura constitueret, cum substantia sola absoluta non sufficiat ad illam terminandam: Adde, nullam esse aliam vnionem, quàm in natura, vel in persona, vt arguit D. Anselmus *lib. de Incarnatione Verbi, cap. 4.* Quidquid mussitet Mastrius *num. 321.* qui fingit vnionem ad naturam, non in natura. Sanè vnio facit vnum. Quod vnum esset illud? Sic arguit S. Bonau. *dist. 21. quæst. 2. ad 4.*

Amicus, & Rada respondent, naturam Diuinam sufficere ad sustinendam, ac terminandam naturam humanam, etiamsi communicabilis sit, quia ad assumendum sufficit existentia perfecta, etiamsi communicabilis.

99 Sed æquiuocis scatent; non enim ad existentiam conseruandam ordinata est subsistentia propria, quàm suppleat aliena, sed ad terminandam, ita vt stet in se subsistens incommunicabilis, hoc enim est subsistentiæ munus. Quare id tenetur supplere suppositum caterum. Quod si ad conseruandam existentiam creatam tantum extendatur essentia Diuina, cum id efficienter præstet; quæ vnio erit eius cum natura humana, nisi sicuti vitis sustentatæ à palo? nisi velis, se formaliter communicare, vt formam, & actum respectu potentiæ, vel vt materiam respectu accidentium, quæ Diuinæ essentiæ repugnant. Debet igitur regere, ac sustentare in ratione termini; at cum nec subsistentia absoluta, & multò minus natura Diuina valeant terminare, cum in se Deum terminare nequeant, sed ad substantias relatiuas ordinentur, vt in eis terminentur, non potest dici altera ex eis, vel vtraque terminare, vt arguit Orlandus *disp. 6. quæst. 3.*

100 Concludit autem Mastrius *num. 324.* hoc argumento rectè conuinci imperfectionem absolutæ subsistentiæ Diuinæ, quæ nequit terminare completè naturam humanam, sed ordinat eam ad personalitates, vt ab eis compleatur, ne suam emittere cogatur personalitatem ad imperfectionem diuinæ supplendam.

Hæc autem quàm insulsè de Diuina subsistentia dicta sint, liquidò constat.

101 Probatur tertiò à D. Bonauentura; quia assumere est ad suam vnitatem sumere; at abstractis personis remanet sola natura, quæ non potest fieri vna cum humanitate: Ergo. Hoc est argumentum Patrum, & Conciliorum.

Probatur ab eo quartò, quia, quod debet agere, priùs debet esse ens perfectum in se, & ideò subsistens: Sed abstractis personalitatibus iam non est subsistens, vt ostendi *primo prima, tract. 2. loco citato*: Ergo.

Dices: Priusquam intelligantur personæ, intelligitur Deus, potens, sapiens ad operandum ad extra: sed opera ad extra sunt indiuisa: Ergo.

102 Respondet D. Bonau. *hic*, negando Maiorem, non enim intelligitur aptus operari ad extra, antequam sit in se perfectè ad intra subsistens, subsistit autem per relatiuas personalitates; neque intelligitur ad extra actu operari, antequam ad intra diuinæ supponantur emanationes.

Quæstio

QVÆSTIO VII.

An possint tres DIVINÆ PERSONÆ *assumere eandem numero Naturam.*

D. Bonau. dist. 1. quæst 3.
D. Thom. quæst. 3. art. 6.

103 NON est dubium, quamcunque Diuinam personam posse assumere naturam creatam; nam eadem est potentia operandi, & æqualis virtus terminandi. Posse etiam quamlibet personam assumere plures naturas certum est. Ita D. Thom. *art.* 7. D.Bonau. *quæst.* 3. *ad tertium*, quamvis enim terminet naturam infinitam sibi adæquatam ad intra; tamen potest ad extra extendi ad terminandum; sicut Voluntas ad intra exhausta, exit ad operandum. Iam quæstio est: An plures Personæ Diuinæ valeant eandem numero naturam assumere ad vnionem hypostaticam.

104 PRIMA opinio est, implicare eandem numero naturam pluribus Diuinis personis proximè vniri. Ita Albertus 3. *dist.* 1. *art.* 10. Richardus 3. *dist.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. Scotus *quæst.* 2 §. *Ad quæstionem igitur.* Bassol. *dist.* 1. *quæst.* 4. Rada 3. *part. controu.* 1. *artic.* 4. Faventinus 3. *disp.* 4. Lugo *disp.* 12. *num.* 80. Mastrius *disp.* 1. *quæst.* 8. Vulpes *disp.* 14. *art.* 8. Pasqualig. *disp.* 79. adducitur etiam D. Bonauent. *loco citato*, qui sanè primo aspectu videtur huius sententiæ, dicens, non posse assumi vnam naturam à pluribus personis Diuinis; attamen se explicat de vnione illa, quæ facta est nunc, nempe ad vnitatem personæ, ex qua resultet Idiomatum communicatio: at verò in fine asserit, posse dubio procul alia ratione Diuinas Personas terminare naturam creatam, imò eò peruenit, vt dicat: Quis audebit, quod tres personæ non possint vnum, & eundem hominem assumere? Itaque concedit, id alio modo fieri posse, puta si ita tres personæ assumerent, vt non terminarent adæquatè, quod idem asserunt Amicus *disput.* 14. *sect.* 6. Poncius *disp* 37. *quæst. vlt.* Neque S. Doctor hoc sensu asserto, ob modestiam alium fortè modum extare ait, vt putat Mastrius *numero* 300. neque Marginista sic explicat S. Doctorem.

105 SECVNDA igitur sententia est D.Bonauenturæ, posse absque dubio tres personas Diuinas terminare eandem numero naturam. Hunc esse S. Doctoris sensum vidit Suarez mox citandus.

CONSENTIVNT Alexander 3. *part. quæst.* 2. *membr.* 4. D. Thom. *hîc*, quos sequuntur Caietanus, Nazarius, Medina, & cæteri Thomistæ *ad hunc articulum.* Durandus *in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 3. Argentina *disp.* 1. *quæst.* 2. *art.* 3. Gabriel *quæst.* 1. *art.* 3. Capreolus *quæst.* 1. *art.* 1. *conclus.* 2. Almainus *quæst.* 1. *art.* 3. Ocham *in* 3. *quæst.* 1. *art.* 3. Marsil. *quæst* 2. *art.* 3. Henricus *quodl.* 6. *quæst.* 7. Morandus *quæst.* 19. Adam Tannetus *quæst.* 4. *d.* 1. Mæracius, Caspensis *disput.* 3. *sect.* 4. Arriaga *disput.* 27. *sect.* 3. Valentia *quæst.* 3. *punct.* 3. Suarez *disput.* 13. *sect.* 2. & Vasquez *disput.* 29. qui id sola argumentorum Scoti solutione probat. Paludanus verò problematicus est *in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 3. *art.* 2. Tuetur idem Fuliensis *lib.* 2. *cap.* 13. titubat verò Lugo.

ASSERO igitur cum D. Bonauentura, id posse fieri, licèt non eo modo, quo nunc factum est.

106 PROBATVR primò à Doctoribus nostræ sententiæ. Omnis potentia est explebilis per actum sibi proportionatum: at natura humana, & Angelica habent potentiam obedientialem ad tres personas Diuinas, vt ab eis terminentur: Ergo est ab eis explebilis; at per vnicam tantùm non expletur, vt non possit etiam ab alia: Ergo. Maior probatur, quia homo, & magis Angelus, secundum se totum est imago trium diuinarum personarum: Ergo ad eas obedientialem habent ordinationem.

CONFIRMATVR à Suarez *sect.* 2. & Orlando *tract. disp.* 6. *quæst.* 6. quæ enim non repugnant inuicem, non repugnant in alio; sed Diuinæ Personæ non repugnant inuicem: Ergo nec in natura humana.

107 NEQVE dicas, ex perfectione infinita non repugnare eas in vna essentia identificatas, quod nequit concedi creaturis. Contra enim, quia natura humana per potentiam obedientiæ infinitæ Deo subest: At hoc soluit D.Bonauent. negando Maiorem. Ad probationem ait, negandam consequentiam, quia dispar est ratio: Natura enim humana, vel angelica est imago singularum personarum non secundum se totam, sed secundùm vnam potentiam, puta secundùm memoriam est imago Patris, secundùm intellectum est imago Filij, secundùm voluntatem, Spiritus sancti, & secundùm essentiam est imago essentiæ; at singulæ hypostases explent terminando totaliter naturam creatam, & ita terminata non relinquit sui aliquid, ab alia persona Diuina terminandum, quia nihil potest dependere à pluribus causis totaliter. Sic assumpta ab vna persona Diuina constituitur incommunicabilis, atque adeo nequit aliis personis terminanda communicari. Sanè ratio imaginis, quæ est finita, non expandit capacitatem in infinitum: sic imago cœli in tela palmari, non faciet, vt à toto cœlo terminari queat. Vide S. Doctorem *in corpore.* Hic est Achilles Scoti è Balneo regio conductus, quo fidit Lugo *num.* 61.

108 VERVM quia S. Doctor cribratis vtrinque rationibus, tandem in secundam sententiam descendit, dicens, diuinæ Omnipotentiæ amplius concedendum, quam à nobis percipiatur, ne si id tantum, quod nostro breui intellectu capitur, concedere velis, finitam eam constituas, & nostro captui limitatam astruas Dei virtutem. Dico cum S. Doctore, potentiam obedientialem humanæ naturæ non necessariò in ratione suppositandi a singulis personis Diuinis compleri. Si enim Verbum infinitum finite terminet naturam hanc Christi humanam, quæ est trium graduum, v. g. cur non poterit terminare solum vnum gradum, & sinere, vt Pater, & Spiritus sanctus alios duos terminent?

109 QVOD si adæquatè à Filio terminata stet adhuc natura humana, cùm secundùm Scotum vnio sit relatio extrinsecus adueniens, poterit extendi ad alias personas; sic enim Album, vt quatuor, terminat plurima alba de nouo producta, quod omnibus sit identidem simile. Quo fit, vt ratio illa Scoti, sumpta ex implicantia, quòd plures causæ totales eiusdem ordinis nequeant producere eundem numero effectum, nihil valeat in domo Scoti; non enim hîc est actio apud Scotum, sed mera relatio extrinsecus adueniens per simplicem determinationem, quæ non est actio, alioqui esset à cæteris etiam personis.

ADDO, posse eundem numero effectum à pluribus causis totalibus perfici, vt constat in cubiculo illumi-

nato à tribus luminibus, æquè intensis, vt octo. Neque exigitur, vt ex illis causis vna excludat aliã, sed satis est, si vna remota, adhuc effectus persoueret, vt singulæ habeant causalitatem, esto naturaliter superfluæ sint. Quod si naturæ repugnet, saltem Dei potentiâ fieri posse ostendi *prima prima, tract. 5. disp. 7. quæst. 3.*

110 SATIS autem probetur assertio, si inueniatur, non adesse contradictionem.

RESPONDET Mastrius *num.* 274. non posse hanc effectum attemperari, vt dimidietur, quia est effectus formalis, seu communicatio naturæ humanæ, *vt quo*, ipsi Verbo; & ideò, si communicatur, tota communicatur.

HOC tamen non est firmum, nam communicatio naturæ, *vt quo*, est sustentatio eius, seu terminatio, quæ potest inadæquatè esse ab vna persona, & ab omnibus simul adæquatè ad eam constituendam incommunicabilem; vnde sicuti concedunt naturam humanam posse sustentari ab hypostasi communi, & à suppositis etiam personarum, vt vidimus *quæstione præcedenti*: Ego non video, cur nequeat id etiam fieri hic, dum non ex insufficientia Diuini suppositi, sed ex voluntaria exhibitione prouenit.

111 PROBATVR secundò à D. Bonau. *argumento 2. & in fine quæstionis.* In materia incarnationis attenditur potentia facientis ad naturam creatam, non secundùm naturalem capacitatem, sed secundùm obedientialem, quæ infinita est, vt docet D. Augustinus *epist. 3.* non multum ante medium, vbi ait: *In Mysterio Incarnationis, tota ratio facti, est potentia facientis*; at natura humana, ex se limitata ad personam finitam; extenditur ad terminari personalitate infinita: Ergo potest terminari etiam ab aliis. Probatur consequentia, quia non sunt plus infinitæ tres simul, quàm singulæ, maximè, vt vrgent Scotus, & associæ apud Fabrum *in 3. disp. 21.* & creatura ad singulas Diuinas Personas Trinitatis est obediens.

112 VVLPES *loco cit.* respondet, extra choram adduci D. August. à D. Thom. quia loquitur ille de facto. At Mastr. *num.* 195. sensit, vegete de possibili, non quidem eo modo, quo nunc factum est in vnitatem personæ, vt notat etiam S. Doctor. Neque satis ille etiam diuinæ omnipotentiæ implicare ostendit, ob naturæ assumptæ breuitatem, vt ostendi. Sanè in eodem vermiculo recipitur tota Trinitas, quia inadæquatè, &c.

RESPONDET Faber, diuinam omnipotentiam non extendi ad implicantia; implicat autem, naturam personatam assumi, vt dicit S. Anselmus *lib. 1. de Incarnatione Verbi, cap. 7.* & *lib. 2. Cur Deus homo, cap. 9.* vbi ait: *Plures personæ vnum, & eundem hominem assumere omnino nequeunt.* Si igitur D. Anselmus non negat omnino, plures personas posse eandem humanitatem assumere, vt videtur negare: Saltem negat, posse assumere hominem personam, vt concedit D. Thom. Iam verò hæc implicantia sequeretur, si plures personæ assumerent eandem humanitatem; vna enim assumeret naturam, ab alia personatam.

113 VRGET Lugo *num.* 82. frustra D. Anselmum à nobis distrahi, qui in terminis nostram repellit sententiam, quia enim suppositum dat subsistere, quod est in se sistere, vt non tendat vlterius; hinc S. Pater ait, implicare naturam, in vno perfectè subsistentem, ordinari quasi non terminatam, vt sic in alio: Ideò si terminatur in Verbo, nequit vlterius ad Spiritum Sanctum progredi, vt ab hoc terminetur; alioqui terminabitur in Verbo, nec terminabitur in eo: non secus, ac si Verbum assumeret hominem, is subsisteret in se terminatus, & non subsisteret terminatus; sed in Verbo, quod D. Anselmus horret.

NEQVE dicatis, etiam diuinam naturam perfectè subsistentem in Patre, subsistere etiam in Filio, & Spiritu Sancto; hæc enim tribus subsistentiis stat in se è sua infinita fœcunditate.

RESPONDET D. Bonauentura, textum integrum D. Anselmi afferendum, ait enim: *Plures enim personæ nequeunt vnum, eundemque hominem assumere in vnitate personæ. Quare hoc in vna tantùm persona fieri necesse est.* Ex hoc autem suam sententiam promit D. Bonau. Non posse id fieri in vnitatem personæ eo modo, quo factum est. Quam obseruationem Vasq. *cap. 1.* adscribit Durando. Neque benè Caietanus hunc sensum adeò planum dicat; vt non egeret tanto Patre: nam cum liber ille *Cur Deus homo*, sit ad deuotionem intextus, vt Incarnationis beneficium panderet; immiscet ea, quæ conferunt ad vnius mediatoris aptam prædestinationem: Implicantiæ verò explicantur, si dicas, naturam creatam, inadæquatè personatam ab vna subsistentia, puta VERBI, posse adhuc non terminatam ordinari, vt subsistat etiam in Patre inadæquatè, quod non repugnat; sicuti non repugnaret subsistere inadæquatè in se, & in alio; implicat autem, quod subsistit adæquatè in se naturali necessitate vltimò, & simul in se non subsistat, idest per se sistat: non implicat verò, aliquem imperfectè subsistere in se vno crure, & altero innixi baculo. Neque Lugo simile euacuat, nam diuina natura perfectè subsistens prius origine in Patre, æquè ac in tribus, subsistit à generatione in Filio, & in Spiritu sancto à spiratione. Et pluries adæquatè stat in se: at in natura assumpta singulæ inadæquatè. 114

PROBATVR ideò tertiò à S. Bonau. Quæ non implicant, possunt à Deo fieri; at non implicat, tres Diuinas Personas sustentare naturam finitam finitè, omnibus simul eam adæquando; quippe singulæ infinitæ adæquent naturam diuinam, neque tamen repugnet subsistere in tribus infinitis, esto in se, quod nil facit, vt contra Lugum ostendi, quia implicantia est in complendo completo. 115

HINC cadit responsum Fabri, & Meldulæ, naturam diuinam, quippe infinitam, posse stare in pluribus personis; non sic creatam. Adhuc tamen vrgeo. Vel infinitas naturæ diuinæ præstat, vt ipsa sit capax trium personalitatum, & propterea natura humana finita non capiat illas: vel facit implicantiam, quod illæ personalitates conueniant in natura creata ad eam sustinendam; neutrum dici potest: Ergo. Non primum, quia cum relationes Diuinæ sint tales, vt tanta sit infinitas vnius, quanta infinitas trium simul, & humanitas terminetur à Verbo infinito, sequitur, posse terminari etiam à tribus simul Personis. 116

MIROR deinde Scotum, & Fabrum negantes omnem infinitatem, omnemque perfectionem relationibus Diuinis, prout ab essentia distinguuntur, vt patet *in 1. dist. 22.* Fabri; nunc autem infinitam perfectionem requirere ad eas capiendas.

SI verò, dicatur repugnantia in humanitate venire ex eo, quòd personæ ipsæ ex natura sua se excludant, falsum est, nam: Quæcumque se intrinsecè excludunt ex propria quidditate; vbicumque sint, se excludent. Si ergo personæ Diuinæ se excludunt, vt incompossibiles à natura humana, & 117

non

non ex incapacitate infinita ? Ergo se excludunt etiam à Diuina essentia.

FATETVR sane S. Doctor euidentem in hoc casu implicantiam ad constituendum vnam in persona; nam plures personæ in vnica indiuidua natura vnitam non possent constituere personam, sed plures, & in hoc est dissimilitudo cum personis Diuinis, quæ vniuntur quidem in natura Diuina, non ad vnam personam constituendam, sed ad vnionem in natura.

VERVM enim verò non implicat; vt tres personæ Diuinæ, quæ in Diuina natura vniuntur ad vnam naturã constituendum in pluribus personis, & in humanitate vniantur ad vnum in natura in pluribus personis, & quoad hoc nulla ab aduersariis probatur contradictio.

118 PROBATVR quartò à S. Doctore. Si hoc implicaret, vel implicat ex parte Diuinarum personarum, vel ex parte naturæ creatæ: Ex neutro capite hoc implicat: Ergo. Non ex parte Diuinarum personarum, quia est in illis par virtus ad operandum, & terminandum, neque se excludunt, sed vna semper stat in alia per summam circumincessionem. Neque repugnat ex parte naturæ humanæ, quia hæc in plenissima est obedientia ad Deum, & sicut est in obedientia, vt terminetur à Verbo, quia hoc solùm facit, vt terminetur intensiuè hypostaticè à maiori virtute, quàm sit necessaria, ita nunc sequeretur tantùm perfici à maiori extensiuè, quod eodem modo non repugnat (nam intensiuè non plus sunt tres personæ, quàm vna) Hoc argomento nititur Valentia. Sanè concedit S. Doctor, fieri vnionem in vnitatem personæ non posse, & quoad hoc repugnare. Ità Mastrij num. cit. effugia præcluduntur.

119 TANDEM probatur à D. Bonau. familiari suo illo axiomate; *Deus potest facere superabundanter, quàm intelligimus*, vt habet Apostol. *Ephes.* 2. & Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum*, quæ axiomata habet statim *quæst.* 1. *tertij*, tanquam fundamentum: Quod si Deus id solùm posset, quod nos possumus capere; iam non esset Deus, quia eius potentia esset tantillæ nostræ intellectioni adæquata, atque adeò finita. Quare non adeò facilè debemus aliquid Dei potentiæ negare, cum præ foribus obijcitur nostro intellectui repugnantia, etiamsi eam adæquatè resoluere non valeamus: Tales sunt implicantiæ, quæ Scotum ad primam sententiam pertraxerunt; non potuerunt tamen Seraphicum, qui intellectu sublimior videtur sanè easdem difficultates (eas enim ex illo decerpsit Scotus) & tamen Diuinæ potentiæ non ob id negauerat, quod nos etiam ambabus vlnis concedimus, & cum S. Doctore soluimus Scoti, & ipsius asseclarum apparentes tantùm contradictiones.

IMPLICANTIAS etiam soluunt argutè Baldus *quæst.* 4. *diffic.* 4. Arriaga, Amicus, & alij nostræ sententiæ Sectatores.

OBIICIVNT primò D. Anselmum *lib.* 2. *cur Deus homo, cap.* 9. vbi ait: *Plures enim personæ nequeunt vnum, & eundem hominem assumere.*

120 RESPONDENT Thomistæ, vt dixi, Anselmum loqui de natura humana personata; sed contra, quia talis personata nedum a tribus assumi potest, sed neque ab vna persona, quia sic subsisteret in se, & in alio. Anselmus autem concedit vni, & tribus negat.

RESPONDENT magis ad rem Bassolius, Suarez, Vasquez, Valentia, & alij Recentiores ex D. Bonauentura, D. Anselmum negare solùm posse tres personas assumere vnam humanitatem in vnitate Personæ. Ità expressè ibi loquitur S. Pater, vt suprà ostendi.

Hoc responsum impugnat Mastrius, *numer.* 262. Aretinus 3. *d.* 1. *quæst.* 2. *art.* 1. Centinus *disput.* 8. *cap.* 5. nam D. Anselmus agit contra hæreticos dicentes, tres Personas Incarnatas fuisse. Ipse autem negat, id potuisse fieri, & concludit: *Quare in vna Persona id tantùm fieri necesse est.* Ratio videtur esse, quia sic vnitæ adhuc essent tres Personæ; repugnat autem, tres personas in vna natura assumpta esse tres; sed deberent conuenire in vnam, vt arguit S. Doctor in fine quæstionis, quod implicat Personis Diuinis distinctis. Quod si tres remanerent, deberet partiri etiam natura; implicat enim, vnam naturam creatam æquari diuinis, vt sit vna natura in tribus personis. Quod si Anselmus solùm inferret id, quod respondet S. Bonauentura, nil concluderet, quia dicerent hæretici, posse tres Personas assumere, non ad vnitatem Personæ, sed modo à nobis asserto: Idem ait *lib. de Incarnatione, cap.* 4. Hunc sensum tímidè concedunt Lugo, & Arriaga fuisse D. Anselmi. 121

At D. Anselmus agit contra hæreticos impugnantes Mysterium Incarnationis secundùm quod nunc est, vt fatentur Scotistæ. Iam verò est quadrans argumentum: Si tres personæ fuissent Incarnatæ, non terminaret vnio ad vnam personam Christi Filij, quia non magis esset vnitus Filius, quam Pater, & Spiritus sanctus, sed hoc est contra fidem, quæ vbique conclamat, solum Filium esse incarnatum: Ergo falsum est, tres personas fuisse incarnatas. Probatur sequela, quia plures personæ nequeunt vnum, eundemque hominem assumere in vnitatem personæ. Quare in vna persona fieri necesse est, vt docet fides. En argumentum solidum D. Anselmi, quod fundamentis fidei ex veritate huius Mysterij, vt nunc est, inducitur: Subtilitates verò Scoticæ, adeò ab allegatis expensæ, non sunt ad rem ad hæreticos illos conuincendos. 122

OBIICIT secundò Faber, ex Scoto: Si tres personæ Diuinæ possent assumere candem naturam humam numero, sequeretur, naturam creatam esse infinitam. Probatur sequela: Etenim ex hoc natura Diuina cognoscitur infinita, quia potest esse in pluribus. Confirmatur primò, quia sicut illa natura potest esse in personis, posset esse in infinitis personis: Ergo esset infinita. Confirmatur secundò, quia si posset habere plures personalitates increatas, pari modo etiam non repugnaret habere creatas, imò posset habere personalitatem creatam, & increatam. 123

HANC rationem fatetur Scotus non concludere, quia ex eo quod aliqua res fundat plures relationes, non sequitur, esse infinitam; idem enim album fundat plures relationes similitudinis ad alba similia.

RESPONDET ergo ex D. Bonauentura, gratiam sanè conformari naturæ, non tamen æqualem esse: Itaque natura Diuina est in tribus personis naturaliter identificatã, & vna perfectio infinita adæquata, non quatenus formaliter in tribus, sed ante intellectionem personarum intelligitur essentia, potentia, & sapientia infinita: Neque formaliter potest esse in tribus, quia infinita, sed quia illis vnum quid reale formale constituit Deum adæquatè, maximè in sententia Scoti dicentis, nullius eas esse perfectionis; at verò natura humana extra solùm acciperet personas finitas aduentitias finitè, suá scilicet potentiã obedientiali; neque ob id infinita iam esse deberet: sicuti enim accipit vnam Verbi personam infinitam, nec tamen fit infinita; ità 124

neque id necessariò deberet fieri, si omnes acciperet, cum non sint magis infinitæ tres personæ simul, quàm vna. Hoc responso nituntur Suarez, Vasquez, imò & Argentina, & colligitur ex tota quæstione D. Bonauenturæ, præcipuè ex argumento 3. & 4. quæ connexa sunt, vt indicat Valentia, ratione supra allata ex D. Thoma. Ad probandum verò, non argui infinitatem in aliqua persona, si plures naturas terminet, vtor argumento Scoti allato *quæst.* 1. Omnis persona est limitatæ entitatis, *v. g.* duorum gradum, adde alias duas personalitates, vt addi possunt; erunt sex: Ergo finita natura eos capiet.

125 INSTAT Scotus: Si aliqua forma substantialis informaret plures naturas, vel perficeret plura supposita actu, esset illimitata, & consequenter etiam accidens naturaliter consequens illam formam, esset illimitatum, etsi forma esset infinita, etiam accidens, tametsi realiter distinctum, esset infinitum. Ergo idem dicendum de natura humana, etiamsi realiter distincta à suppositis diuinis, quæ perficit, est infinita.

RESPONDETVR, quod natura humana non perficit suppositum Diuinum, sed perficitur, & terminatur, & sicut non est infinita ex eo, quòd perficitur ab vno eorum, idest VERBO; ita neque, si ab aliis terminaretur.

126 INSTAT. Si ex eo quòd vna forma substantialis est in pluribus materiis, est illimitata, erit illimitatum & accidens, si sit in pluribus materiis, etiamsi realiter illud accidens non sit idem cum illo subiecto: Ergo si ex eo, quòd natura Diuina est in tribus personis, sequitur, esse infinitam, ita ex eo, quòd natura humana sit in tribus personis, erit infinita, etiamsi realiter ab ea differat. Certum est autem, & concessum ab aduersariis, ideò naturam Diuinam posse esse in tribus, quia etiam infinita.

RESPONDETVR. Si vnum accidens sequeretur substantiam illimitatam adæquatè naturaliter, posse esse illimitatum, quia adæquat naturam, ex qua sequitur; & si accidens extra adueniat ad informandam substantiam illimitatam, non illicò erit illimitatum. Itaque natura humana non debet esse infinita ex eo, quod terminetur à tribus personis Diuinis, quia ab extrà eis aduenit, & potentiæ obedientiali inadæquate adaptatur, non adæquatè ad eum modum, quo natura Diuina adæquatur personis. Deinde humana natura non perficit, nec informat personas Diuinas, sed perficitur, & terminatur; non est autem inconueniens, aliquod finitum ab infinito perfici; nec tamen infinitatem obtinere, vt patet in natura humana Christi, quæ perficitur à Verbo.

127 INSTAT tertiò. Persona Diuina ità vnitur naturæ humanæ, ac si esset idem illi per se, & substantialiter eo modo, quo persona creata est idem illi naturæ substantialiter: Ergo si natura Diuina est infinita, ex eo quòd communicatur tribus, & illis est idem; etiam natura humana debet esse infinita, quia ita se habet, ac si esset idem illi realiter.

RESPONDETVR primò, retorquendo argumentum. Non minus debet esse infinita natura humana terminata à personis Diuinis, etiamsi realiter ab illis differat, quàm Diuina, quæ naturaliter terminatur, quia hæc ità terminatur, ac si persona esset naturaliter, nam fungitur officio propriæ personalitatis: at persona Verbi terminat naturam humanam hoc modo: Ergo est infinita.

RESPONDETVR secundò, negando ità se habere personam Diuinam naturæ humanæ, ac si esset sua, alioqui constitueret humanitatem Deum; differt enim toto cœlo, nam solùm perficit in eo, quod sustentat illam. Deinde naturæ Diuinæ infinitas non oritur ex eo, quòd communicatur tribus, vt arguit Faber; sed præsupponitur; neque etiam ex hoc colligitur infinita, præcisè, vt dixi.

128 OBIICIT tertiò ex sanctis PP. negantibus, Verbum assumpsisse personam; si autem tres personæ vnirentur naturæ humanæ, iam vna persona assumeret personam: Neque verò est maius absurdum assumere personam increatam, quàm creatam.

RESPONDETVR ex dictis, Sanctos Patres locutos de eo, quod actu factum est; quòd verò non possit assumi natura personata, inde nascitur, quia esset in se adæquate, & in alio, quæ sunt opposita, vt fatetur Faber: at verò quòd in aliis sit pluribus modis inadæquatis, non repugnat, vt notant Caietanus, & Vasquez. Neque sequeretur adhuc, naturam personatam assumi, si tres personæ simul vnirentur, & adæquatè in solidum terminarent.

129 OBIICIT quartò: Nil potest essentialiter dependere a pluribus totaliter; sed natura humana dependet ab vnica persona totaliter, & essentialiter ergo non potest ab aliis dependere. Maior probatur, in omni dependentia causati à causa, quia impossibile est habere plures causas totales adæquatas in eodem ordine, alioqui dependeret ab aliquo totaliter, & essentialiter inesse; & tamen eo remoto adhuc esset, & ità non penderet essentialiter ab eo.

Hoc acriter primò vrget Mastrius cum Scoto *num.* 264. & Vulpez *disp.* 6. *artic.* 6. acclamans esse demonstrationem.

RESPONDETVR primò cum aliis, negando Maiorem, & sanè in sententia dicentium, Sacramenta physicè producere gratiam, & alios effectus, res est clara; nam plures Sacerdotes, simul proferentes verba absolutionis, gratiam eandem impendunt, vt causæ totales: Similiter plures Sacerdotes consecrantes simul, vt in ordinatione euenit. Propter quod admonent Cæremoniarij, ne verba ante Episcopum initiati proferant: In sententia verò Scoti, & S. Bonauenturæ sequitur, eundem effectum gratiæ, vel corporis Christi moraliter a pluribus produci.

130 PROBATVR verò à Patre Galitio *p. p. sum. Philosophiæ, lib.* 2. *tract.* 3. *quæst.* 4. quia ex pluribus hostiis, tanquam Physicis materiis, producitur corpus Christi idem numero.

CONFIRMATVR. Causa secunda determinatur à prima ad hunc numero effectum: Iam verò applicentur duo ignes huic ligno, & hic naturaliter producat hunc ignem; alter verò ex diuina determinatione. At verò hanc determinabilitatem negant aduersarij.

131 PROBATVR ergo solidiùs: Creet Deus vnum diaphanum, siue tersum, capax illuminationis vt octo: Creet etiam tria Luminosa corpora, quorum singula effundant lumen vt octo, & hæc applicentur huic diaphano, puta aëri in cubiculo, sanè omnia producent lumen vt octo in cubiculo, nec ampliùs, quia diaphanum illud non est capax intensioris illuminationis. Mox remoueantur duo Luminaria ex illis, quæcunque sint; certè remanebit adhuc cubiculum illuminatum vt octo, similiter, etsi duo Luminaria remaneant: Ergo totaliter lumen est à pluribus illis causis illuminantibus.

Hoc exemplum ità aptani ad effugia præcludenda aduersariis.

132 HIS enim non valent respondere, illa plura luminosa

minosa esse causas partiales illius illuminationis vt octo, quia illa luminosa simul producent intensius lumen; iam enim suppono, à singulis expleri capacitatem aëris.

Respondent alij, illa plura luminosa simul concurrere, vt integram causam, non autem singula totaliter, quia singula conferent tantum, quod sufficit cum alio ad totum effectum producendum; nam superfluum esset totam vim, & efficaciam effundere; natura autem abhorret à superfluo.

Idem existimant, si postquam primum luminosum totaliter illuminauit, addatur secundum, fore, vt deinceps primum illud esset tantùm causa partialis, retraheretque aliquid virtutis suæ.

133 At friuola sanè responsio; nam cùm plura illa luminosa agant toto conatu naturaliter, & producant lumen vt octo, cuius est capax aër, non video qua ratione retinere valeant lumen, ne illuminet totaliter vt octo, & multò magis ridiculum est, primum lumen, adueniente secundo, retrahere partem suæ virtutis, vt cedat aliquem effectum etiam Luminari superuenienti, nisi adueniens secundum, repellat primum, aut hoc, Galateum, vrbanitatis regolas seruans, loco cedat.

Respondet Vasquez numero 4. illa Luminaria, se penetrantia, operatura simul maiorem effectum, quàm seorsim, siue velociùs agendo, siue intensiùs: & licèt non illuminaretur aër ille citiùs, tamen intensius lumen acciperet, eò quòd nullum diaphanum fieri potest, quod non magis, ac magis illuminari possit.

134 Attamen, miror hæc à Vasquez negari; quis enim neget, posse corpus siue diaphanum, siue alterius naturæ, creari à Deo capax tantæ intensionis, quanta ab vno agente potest effundi: Iam igitur (bone Deus!) triplicentur agentia illa, & applicentur simul illi vni passo, iam negare non poterit Vasquez, agentia illa totalem effectum producere in illo subiecto.

Respondet Faber, numero 9. effectum, productum ab vna causa, posse conseruari ab alia eiusdem ordinis succedente, sed non propterea probari simul, & semel à duabus causis totalibus emanare; conseruare autem, & causare sunt idem realiter.

Contra. Per te causare, & conseruare sunt idem realiter: Sed altera ex his causis conseruat totum effectum totaliter per te: Ergo & causat.

135 Naturaliter quidem id fieri posse non admittam, quod probat efficacissimè S. Bonauentura *in 1. dist. 13. quæst. 1. ad* 4. quo argumento vsus est Durandus, quodque efficacius cæteris acclamat Vasquez *num.* 19. Natura nihil admittit superuacaneum, vel frustra, si autem plures causæ operarentur eundem effectum totaliter, iam aliqua conuincitur superflua.

Multi sanè hanc rationem contemnunt, sed ignorantes vim illius. Quod enim aliquis effectus pendeat ab aliqua causa; indigentiæ, & necessitatis naturæ illius est; vt sæpè D. Bonauentura loquitur. Cùm igitur ex necessitate pendeat ab ea causa, non potest ad libitum immutari talis dependentia, atque connexio. Itaque naturaliter fit, vt plures causæ totales eiusdem effectus esse non possint, quia his non eget effectus, & ideò frustra sint: Deus autem, & natura nil frustrà facit.

Hoc fundamento tamen nititur Vasquez moliri argumentum ad probandum, neque supernaturaliter id fieri posse, atque solùm firmum esse, & magni ponderis, cætera verò leuia esse: Est autem hoc: Vt 136
idem effectus procederet à duabus causis totalibus, procedere deberet ab earum virtute natiua, & intrinseca, nullo modo à Deo eleuata, eo quòd procederet ab eis vt secundis causis, non vt instrumentis, at virtute natiua non possunt plures causæ totaliter producere eundem effectum: Ergo neque virtute Dei.

Quod verò natiua virtute plures causæ totales eiusdem rationis, & ordinis nequeant eundem effectum producere, probatur à Vasquez, alioqui adhuc non per potentiam Dei absolutam, sed naturaliter id fieret: at naturaliter id fieri nequit ex dictis.

Si dicas, indigere has causas potentiâ Dei, 137
vt altera earum, quæ est superflua, applicetur contra indigentiam naturæ ad eundem effectum.

Respondet Vasquez, non posse Deum id facere, quia illa causa intrinsecè ad eum effectum se habet vt superflua, nec effectus habet indigentiam, ideò naturaliter intrinsecè illa causa cessat influere.

Respondet Nazarius, duplicem esse effectus indigentiam alteram quoad suam perfectionem, alteram quoad indiuiduationem, & hoc secundo respectu potest à Deo applicari, nempè vt producatur hic effectus; qui si ab vna tantùm procederet, non esset hic, sed alius numero distinctus.

Respondetur secundò, capacitatem subiecti posse à Deo dilatari, vt nouas impressiones re- 138
cipiat, etiamsi ad suum effectum producendum egeat solùm vnicâ virtute adæquatâ: Sic capacitas humanitatis Christi exigit personalitatem humanam adæquantem omnino, non autem perfectiorem, & tamen Deus reddidit capacem perfectioris, idest, Verbi personalitatis, quæ licet non commensuretur, vt pote infinita, tamen perfectiorem reddit naturam in ratione subsistendi, quam si sua personalitate subsisteret, & vnus locus, cuius capacitas est ad vnum corpus bipalmare recipiendum, aptatur à Deo, vt duo bipalmaria penetrata recipiat, esto non amplietur spatium, vt optimè video. Cur ergo id non eueniet in effectibus? nam de vtrisque eodem modo philosophatur Scotus cum asseclis, qui ex causis arguunt impossibilitatem terminationis, vt patet in argumento Scoti. Potest ergo idem effectus à pluribus principiis totalibus prodire, sicque ità erit ab omnibus, vt sit etiam à singulis non essentialiter, vt vna remota corruat, sed substantialiter, ità vt hac remota, maneat effectus, quia est alia causa; neque propterea fit, vt & ille accidentalis sit, imò substantialis, nam si & ipsa, quæ remota est, sola permaneret, adhuc totus effectus per se prodiret. Id defendi *p. p. tract. 5. d. 7. quæst. 3.*

Dat exemplum Pater Galitius *loco citato*, de Spi- 139
ritu sancto, qui ita totus à Patre, & Filio est, vt si à Patre solo (esto) manaret, adhuc esset Spiritus sanctus.

Hoc tamen exemplum non placet Seraphico *loco citato*, nec mihi; nam Spiritus procedit ab vtroque, tanquam vno principio, vnicâ virtute spiratiua, non tanquam pluribus. Deinde si à solo Patre procederet, non esset idem omnino, cuius signum est, quod non distingueretur à Filio, vt dixi *p. p. tractat. 2. disputat. 10. quæst. 3.*

Ait

140 Ait etiam, hanc doctrinam de dependentia effectus à pluribus causis totalibus esse editam à D. Bonau. *in 3. dist.* 8. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad vltimum.* Sed ibi hoc non docet; sed abstracta vna filiatione Christi, puta ex Patre; intelligi filiationem secundùm carnem ex matre, & hoc propter diuersitatem respectuum; sicut si aliquis esset Pater duorum, potest intelligi Pater vnius, & abstrahi, quòd sit Pater alterius: & si quis videatur à duobus, potest ab vno videri; & ab alio non. Ex quibus deducit diuersitatem respectuum vnionis, licèt vnica relatio realis sit. Ex qua doctrina hauritur noua responsio ad argumentum Scoti, nempe dato, & non concesso, vnum effectum non posse à pluribus causis prodire; tamen non inferre dependentiam omnem eodem modo se habere; nam in relatiuis vnum relatiuum pendet totaliter à suo correlatiuo, & tamen non pendet ab vno tantùm, sed à pluribus, v.g. album à pluribus albis, quia similes sunt, quam replicam agnouit, & retulit etiam Scotus. Iam verò hæc dependentia humanitatis (ait Caietanus) non est effectus à causa, sed dependentia à termino. Itaque posset vna natura humana plures personas, tanquam terminos relatiuos respicere per vnam relationem.

141 Enim verò non est adeò certum, vnam relationem pendere à pluribus terminis, vt notat Suarez. Deinde si natura humana à pluribus assumeretur, proximè, & immediatè non referretur per eandem relationem vnionis ad omnes personas, quia vnio cum vna persona, non penderet ab vnione cum alia. Cuius signum est, quod si Pater nunc assumeret humanitatem Christi, profectò ea mutaretur per nouum modum vnionis, & per inde consequentem nouam relationem. Hoc tamen in quæstionem illam redit, de qua differemus *disput.* 30. *quæst.* 3.

142 Vera igitur responsio est D. Bonau. circa finem quæstionis, vbi suam pronuit sententiam, quam sequuntur Suarez *loco cit.* Vasquez *num.* 15. cum Caietano. Esto idem effectus nequeat à pluribus causis totalibus esse; inde non sequi, eandem naturam à pluribus personis non posse terminari, nam effectus habet esse ab vna causa absolutè, & simpliciter; quo fit vt inferatur, non posse idem esse adhuc recipere ab alia, neque simul, neque postea: at natura à termino personalizante recipit modum tantùm essendi per subsistentiam; recepto autem vno modo non repugnat alium recipere diuersum. Itaque natura humana, si sustentata à Filio, incipiat sustentari à Patre, non accipit eandem numero terminationem, sed aliam diuersam, nec eum primum modum existendi, sed alium diuersum, & idem sequitur etiam adueniente Spiritus sancti terminatione, quia personalitates Diuinarum personarum diuersæ sunt, vt patet: Ex quo fit, vt nulla inueniatur repugnantia, quia natura humana est in perfectissima potentia obedientiali ad omnes Diuinos modos subsistendi, & nulli personæ Sanctissimæ Trinitatis est inobediens, cùm non inueniat implicantiam, vt dixi. Quòd verò terminata natura propria personalitate nequeat aliena personari, inuenit aliunde implicantiam, nempe in eo, vt eùm stet omnino in se; non possit esse in alio.

143 Instat Faber *num.* 13. cum Rada: Esto personalitates Diuinæ sint diuersæ, tamen conueniunt in ratione personalitatis, & sic sunt dependentiæ eiusdem ordinis; sunt enim personalitates; at vna natura singularis pendet ab vna persona totaliter; Ergo, quantumvis in reliquis distinctæ sint, satis implicant, si in ratione personalitatis conueniant. Neque fugit Caietanus dicens, naturam iunctam Verbo secundùm propriam personalitatem, non secundùm rationem communem personæ: Cùm enim naturæ creatæ repugnent plures personalitates in genere, repugnabunt etiam secundùm rationes proprias, cui enim repugnat esse generis, puta animalis, repugnat & esse proprium, puta Leonis, Hominis, Petri, &c.

Deinde si plures Diuinæ personalitates non repugnarent, quia diuersæ, neque repugnant plures creatæ, quæ sunt diuersæ. Neque allegent ad eas potentiam obedientialem, nam hæc nititur natura, vnde formica non est in potentia hac ad repugnantia illi, puta vt manens formica differat. Cùm ergo naturæ creatæ repugnent plures personalitates, non erit ad eas obedientia. Sanè cùm id formaliter intrinsecum sit naturæ creatæ vnica personalitate sistere, non potest à Deo suppleri, quod si neges conuenire intrinsecè, admittes quoque conuenire accidenter: & sicut repugnat personæ creatæ ad aliud ordinari, repugnat & naturæ personatæ ab increata, quæ gerit creatæ partes. Ita & alij. 144

Respondetvr, personalitates Diuinas terminare sub propria ratione omnino diuersa ab aliis, quæ si prædicamentalem differentiam admitterent, essent diuersæ genere, vt patent, nam paternitas est aliud genus à filiatione. Quòd verò sub ea ratione diuersa terminent, est certum; alioqui, si sub aliqua ratione communi terminarent iam incarnato Filio, esset incarnatus etiam Pater, & Spiritus sanctus, & licèt omnes terminent, tamen diuersis admodum rationibus terminant, nec implicat Omnipotentiæ Dei, terminatam naturam vno modo, alio etiam diuerso terminare: neque verò est sistendum in sola natura rei, cùm agitur de Diuina potentia. Quare, licèt natura exigat terminari à propria sola personalitate, v. g. humana, tamen extenditur, vt terminetur ab infinite perfectiori, scilicet Verbi, inadæquatè suppositantis: & eodem modo infertur, quod licèt natura contenta sit vnâ personalitate suâ, tamen potest extendi ad alias recipiendas, saltem verò ad inadæquatè terminantes. Neque verò propria personalitas naturæ conuenit intrinsecè vt essentialiter; alioqui esset de ratione essentiæ, & non fuisset à natura humana separabilis, nec à natura Christi separata, quæ est perfectissima. Quod verò infert Faber: Ergo, conuenit ei accidentaliter; subrideo. Conuenit quidem vt modus substantialis extra naturæ formalitatem: ideò separabilis est, vt de fide constat. 145 146

Quare non benè arguit Rada. Non potest eadem natura constitui duabus differentiis singularibus primis: Ergo nec pluribus personalitatibus.

Respondetvr enim, disparem esse rationem: sunt enim differentiæ magis intrinsecæ, quàm sit personalitas, ideò illæ nequeunt separari, vt potest personalitas. Vel dic cum Nazario, non posse naturalibus personalitatibus à natura manentibus, pluribus perfici; posse autem extrinsecis per Dei potentiam, quia naturalis naturaliter complet.

Ad id, quod subdit cum Fabro, dico personam creatam alia ratione esse incommunicabilem, quia, vt dixi, constituit in se stantem naturam, & 14

& ideò inducit implicantiam, vt stet non in se, sed in alio. Itaque ratio ob quam persona creata reddit incommunicabilem, non est quia perfectiùs terminet, quàm Diuina, vt notat Nazarius, sed ob rationem allatam.

Ex dictis corruunt, quæ congerit Mastrius, *numero* 264. *ad* 274. & *disputat.* 8. *Physic. quæst.* 3. *artic.* 2. quæ resolui *p.p. tractat.* 5. *disputatione* 7. *quæst.* 3.

148 Rvit etiam argumentum illud vrgens, præsertim Scoti, è Seraphico erutum: Nequit idem effectus totaliter pendêre à pluribus causis eiusdem rationis; alioqui pendêret essentialiter ab eodem, & non pendêret. At hoc sequitur in vestra sententia: Ergo. Ibi sanè reprobata est Maior: Negatur rectè & Minor, vt ait Suarez, Caspensis, Orlandus, Becanus, & alij, quia dependentia naturæ ad suppositum non est essentialis causati ad causam, sed solùm terminati, quatenus natura petit sustentari, vel in se, vel in alio, ad quod sufficit vnum suppositum, quia ab vno solo totaliter expletur eius indigentia, quam naturaliter habet ad illud; alioqui haberet inclinationem etiam ad alia, vt refert Mastrius, *numero* 264. Igitur, etsi vnum suppositum sufficiat; tamen potest à pluribus, saltem inadæquatè, terminari; sicuti enim, licèt natura illa sit capax intrinsecæ personalitatis finitæ, & non amplioris, tamen à Verbo infinito terminatur inadæquatè ex parte Verbi; cur non poterit eadem natura inadæquatè, ex parte sui finita terminatione, constituente vnam adæquatam, à tribus personis terminari?

149 Neque verò cùm de Diuina Omnipotentia agitur, assignandum est impedimentum è superfluitate; non enim potest tantùm id, quod est necessarium, sed etiam quod superfluum; etsi naturam non deceat: Sic, licèt homo habeat duo crura, & alia sint superflua, tamen non dicetur Deus impeditus, ne quatuor, vel plura valeat homini crura condêre.

Addo, hanc vnionem naturæ ad Verbum, apud Scotum, esse purum respectum, extrinsecus aduenientem, qui potest à pluribus totaliter dependere, vt patet de respectu ad plures filios, albi ad plures similes, &c. Et idem dic in relatiuis Scoticis, si darentur. Est enim eadem omnium ratio. Deinde cur Deus non potest decernere, vt tres personæ diuersæ Sanctissimæ Trinitatis terminent suis diuersis dependentiis eandem naturam, omnes simul, non seorsim singulæ, adæquando capacitatem humanæ naturæ, esto capacis finitæ terminationis, sicuti voluit terminari infinita personalitate Verbi? Hoc sanè voluit S. Bonauentura, dum concessit, aliis modis posse tres personas vniri naturæ humanæ, & sicuti hos inuenimus, profectò alios habebit Diuina Sapientia, & potentia, cui non adeò leuiter est exprobrandum.

150 Ex his ruit etiam secunda oppositio eius è Scoto, quam suprà etiam diluimus; inferens, fore, vt deberet humanitas esse infinitæ virtutis; eò quòd esset in tribus personis, quod soli diuinæ essentiæ, vt infinitæ, conceditur. Sequuturum etiam ait, vt posset infinitas personas habere.

Respondetur ex dictis, infinitatem diuinæ Essentiæ non ex eo colligi, quod sit in tribus personis, sed quod sit in tribus personis infinitis adæquatè; & cum eis simplicissimè sit vnum ex sua propria virtute, vt notant Argentina, Suarez, & Valquez; at in tribus personis Diuinis existeret natura finitè, & distincta realiter. Sicuti ergo ex eo, quòd natura subsistit in persona Verbi infinita, non propterea est infinita, sed adhuc humana, ità etiam, si subsisteret in tribus. Ex quibus etiam sequitur, non posse stare in personis infinitis, quia etiam de persona infinita Verbi finitè participat, & multò magis de tribus simul terminantibus, veluti partialiter participaret.

Refellitur etiam alia ratio, quam affert è Scoto, quod sequeretur vtique, vt posset non minus habere plures personalitates alteram propriam, alteram alienam etiam increatam, vel plures creatas, quæ non magis repugnant, quàm plures increatæ.

Respondetur cum Suarez *disputatione* 14. *sectione* 1. negando sequelam; nam si subsisteret 151
propriâ subsistentiâ, subsisteret in se adæquatè, cui repugnat subsistere in alio, neque hæc repugnantia est moralis ex Dei decreto tantùm, vt fingit Gallus, 3. *disputat.* 1. *quæstione* 2. *artic.* 1. *cap.* 1. sed physicè sunt modi oppositi; Imò singulæ personalitates adæquatè terminantes, quæcunque sint, repugnant cum alia, quia persona adæquatè terminans facit stare per se, vel in alio incommunicabiliter. Quo fit, vt neque duas possit habere subsistentias adæquatas, bene tamen inadæquatas, vt notant Suarez, Arriaga, Amicus, & Lugo: & hoc sensu terminari esse *ibi* sistere, non in alio, si adæquatè terminetur, vt concedo Mastrio, & eius collegæ Belluto, & hac distinctione datâ, corruunt cætera.

Ex quibus ruit etiam argumentum Cardinalis 152
de Lugo: Subsistentia aliena, ità terminat naturam, vt faciat eam sistere in ea, puta in Verbo: Ergo cùm in eo sistat terminata natura humana, non poterit ad aliam tendere, vt terminetur.

Omitto responsa Auersæ, & Orlandi, quæ non probantur, & refellantur à Mastrio: At dico, hypostasim esse modum substantialem, qui licèt adæquet naturam, potest à Deo impediri, ne totaliter terminet, vt constat in terminatione humanæ naturæ Christi, factæ ab infinito Verbo. Quare, esto vno modo terminetur inæquatè, tamen non repugnabit alio modo terminari, & sic perfectè sistet in vtroque, non in alterutro. Quæcunque ità sint, non pellimur in scopulum illius argumenti: Quod non potest idem effectus à duabus causis eiusdem ordinis totaliter produci; nam terminaretur natura humana à singulis personis inadæquatè; totaliter autem ab omnibus.

Ex dictis colligenda est cum D. Bonauentura in 153
fine quæstionis solutio illius difficultatis: An natura, sic assumpta à tribus personis, esset vnus homo.

Aliqui sanè dicunt, nec fore plures homines propter vnitatem humanæ naturæ, neque vnum propter Trinitatem personarum: Ità Richardus, *in* 3. *distinct.* 1. *art.* 1. *quæst.* 4. *ad* 2. Durandus *q.* 3. *ad* 3.

Hoc tamen non placet Suarez, & Scoto, quia vnum, & multa diuidunt adæquatè ens, ideò quodlibet ens sub quacunque ratione vnum, aut multa simpliciter dici; & hoc axioma supponit S. Doctor *ibi*, neque satis refutatur à Valentia: certum enim est, futurum aliquo modo vnum, vel plura.

Alii

Alii dicunt, futuros in eo casu tres homines.
154 Ità Nominales, Marsil. *3. quæst. 2. artic. 2. dub. 2.* Gabriel. *dist. 1. q. 1. art. 3. dub. 3.* quos imitatur Caietanus.

Hoc tamen displicet, alioqui tres personæ Diuinæ non essent vnus Deus, sed tres Dij.

Respondent Nominales, disparem esse rationem; nam Diuinitas ita est vna in tribus personis, vt sit omnino idem in singulis: non sic esset humanitas cum illis.

At licèt hoc conferat ad prædicationes abstractas, vt videlicet tres personæ dici queant vna Deitas, non tamen vna humanitas; ad prædicationem tamen in concreto parum refert, quia vnaquæque persona est Deus, & sic etiam Verbum est homo, quia habet humanitatem, licèt non sit sua humanitas: ille ergo modus prædicationis per se non exigit eam identitatem: Sic ergo tres personæ sunt vnus Deus, quia habent vnam Deitatem: Ergo similiter essent vnus homo, si haberent vnam humanitatem.

155 Respondet Caietanus, tres personas esse vnum Deum propter vnitatem subsistentiæ communis.

At etiam in sententia negantium eam subsistentiam communem, sunt vnus Deus: Neque verum est, D. Thomam asserere, tunc non futurum vnum hominem simpliciter, vt notat Nazarius in fine controuersiæ. Itaque deceptus in hoc etiam est Caietanus.

156 Verum igitur est, quod docet D. Bonauentura *loco citato*, D. Thom. *ad 6.* & alij, quos refert, & sequitur *quæstione 3. punct. 2.* & Suarez *loco citato, in fine sectionis*, tunc futurum vnum hominem; Ratio S. Bonauenturæ est, quia esset ibi vnitas formæ humanæ, quæ sufficit ad vnitatem termini substantiui hominis: terminus enim substantiuus formaliter significat formam, seu naturam, vt in habente illam, & ideò vt dicatur vnus homo, sufficit vnitas naturæ. Confirmatur, nam & Christus est vnus homo specie cum aliis, licèt supposita sint diuersa.

Occvrrit tamen hic difficultas; nam si vnitas naturæ facit vnitatem termini substantiui; Ergo diuersitas naturæ faciet multitudinem termini substantiui, & ita si verbum assumeret plures humanitates, erunt plures homines. 157

Respondet Suarez, *disputatione 13. sectione 3.* vnitatem suppositi, etiam in pluribus naturis, vnum denominare; Sic vnus homo est artifex, & Christus ipse in pluribus naturis est vnus; ex qua inductione colligitur, has voces naturales, quæ significant multitudinem, applicatis terminis concretis semper implicitè dicere multitudinem suppositorum. De termino verò significante vnitatem alio modo fit denominatio; vt, licèt supposita sint plura, dicantur vnum, quatenus in aliqua forma conueniunt; & ità, licèt plures personæ dicantur vnus homo propter conuenientiam in vna humanitate, vna tamen persona non poterit dici plures homines propter plures humanitates.

Probatvr à Suarez, quia vt aliqua dicantur vnum, sufficit, si in vno vniantur: Cum ergo illæ naturæ assumptæ vniantur in supposito, dicentur vnus homo: at verò ad multitudinem requiritur omnimoda diuisio; & quia vna natura remanet, licèt supposita Diuina multiplicentur, ideò adhuc vnus homo dicitur, non plures: Ità communiter moderni. 158

Hæc tamen habent difficultatem; nam cùm plures naturæ humanæ sint in primo casu; & homo à natura humana formaliter nominetur, non à supposito, vt patet in Christo, etsi nominaretur etiam à supposito humano, iam cessat ratio, quia suppositum esset Diuinum; non videtur quâ, ratione plures humanitates, licèt in vno supposito diuino, dicendæ sint vnus homo. Hæc tamen latè discussa sunt *tract. 1. p. p. disp. 12. quæst. 1.*

Lvgo *disputat. 13. num. 20.* sic probat, quia concretum, *Homo*, signat in rectò personam; naturam verò in obliquo; ideò ad vnitatem suppositi manet vnus homo. 159

Contra: Ergo multiplicatis suppositis plurificantur: Ergo in Trinitate tres Dij admittentur, quod tamen falsum est.



DISPV

DISPVTATIO NONA.

DE NATVRA ASSVMPTA.



VISO Incarnationis termino ex parte assumentis, iam videndum est alterum extremum ex parte Naturæ assumptæ; quæ est veluti huius Mysterij materia; Hæc autem sub duplici cadit consideratione; Prima est de possibili; Secunda de facto: Quoad primam, patet ex dictis: *Disputatione* enim *secunda*, *quæstione* 3. probatum est, potuisse VERBVM in vnionem secum assumere alias naturas, etiam irrationales, quod ampliùs confirmatum est, *disputatione* 8. *quæstione* 2. Quæstione item quarta id ipsum assertum est in specie quoad naturam Angelicam; hanc enim assumptibilem esse dexterè probat Apostolus, eò quòd assumpta non fuerit: *Nusquam enim Angelos apprehendit*, (cùm scilicet eos apprehendere potuisset:) *Sed semen Abrahæ*. An verò VERBVM potuisset omnia sibi indiuidua hypostatico vinculo vnire, affirmauimus *disputatione* 2. *quæstione* 5. & *disputatione* 8. *quæstione citat*. Hic igitur de solo facto quæstio versabitur in Natura assumpta; quæ ob multiplicem eius considerationem, non leues pariter difficultates, circa quas variæ emerserunt hæreses, iam ferè sopitæ: Multimodæ etiam opiniones, nixæ Philosophorum placitis, in sacram hanc materiam irrepsere; præcipua est de Hypostatica sanguinis vnione cum Verbo; quam ideò cæteris fusiùs proponemus; Alias autem satis concisè percurremus.

QVÆSTIO I.

An Natura à VERBO *assumpta, potuerit esse Personata.*

D. Bonau. dist. 5. art. 2. quæst 3.
D. Thom. quæst. 4. art. 2.

1 SVPPONO primò ex dictis *p. p. tract.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 3. & 4. subsistentiam, quæ in natura rationali est personalitas, esse modum substantialem naturæ, separabilem ab illa.

SVPPONO secundò, Verbum assumpsisse naturam humanam, vt sæpè ostensum est suprà. De quo habet quæstionem S. Bonauent. *dist.* 5. *artic.* 2. *quæst.* 1. quod probat ibi ex Scripturis, & PP. asserentibus, Christum verum hominem fuisse ex anima, & corpore, verè Filium B. Virginis. Vide D. Bonauenturam.

QVOAD quæstionem hanc, certum est primò ex fide, naturam humanam assumptam à Verbo, non habuisse propriam personalitatem ante assumptionem: & quidem Vasquez, *disp.* 33. ait, nullum fuisse hæreticum præter Eutychetem, qui dixerit naturam assumptam à Verbo prius substitisse propriâ personalitate, quem refutat S. Leo Papa *epistola ad Iulianum*, quæ est vndecima, post medium, vbi tandem ait: *Natura quippe nostra, non sic assumpta est, vt prius creata, post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur*. His tamen verbis non significat Pontifex, naturam eadem actione fuisse creatam, & assumptam; sed eodem momento indiuisibili. 2

ENIM verò ad errorem Nestorij à nonnullis Recentioribus reducitur asserere, naturam assumptam à Verbo fuisse personam. Ideò adnotare oportet, dupliciter posse hoc asseri. 3

PRIMÒ formaliter, vt verè substantialiter Verbum assumpserit substantialem illum modum personalitatis, & resultarit vna cum Verbo persona, & hoc sanè hæreticum est, & repugnantiam dicit;

nam quo pacto, si duæ remanent personæ, facta est vnio in persona? nisi velit quis dicere, destructam illam personalitatem transire in personam Diuinam, & factam esse vnam, sicuti de natura ipsa humana cum Diuina asseruit Eutyches; & hoc pacto ad errorem Eutychetis pertinebit.

4 SECVNDO potest materialiter intelligi, Personam Diuinam assumpsisse hominem, in persona propria constitutum, eique accidentaliter vnitum speciali gratia, assistentia, & affectu, & hoc pacto ad errorem Nestorij pertinebit: Attamen quæstio nostra videtur in primo sensu, an persona Diuina substantialiter assumpserit personam humanam, eam sibi substantialiter conuertendo: Et contra Ecclesiæ negatiuam sententiam sensit Eutyches.

5 ATTAMEN S. Bonauentura ad vtriusque errorem id videtur referre, præcipuè verò Nestorij, qui claré posuit duas in Christo personas, sicuti etiam alij plures antiquiores allati à Vasquez, *disputatione* 15. atque illi omnes sane posuerunt, naturam humanam habuisse à creatione propriam personam, vt ipse refert cum omnibus alijs, qui errorem istum referunt ab eo citati: Imò videtur D. Bonauentura asserere, Nestorium errasse, quia nesciuit distinguere inter personam, & naturam, & quia plures in Christo cogebatur admittere naturas, putauit admittendas plures personas post assumptionem. Hoc autem ait S. Doctor repugnare veritati vnionis hypostaticæ. Si enim assumens differt ab assumpto; & illud, quod assumptum est, persona est; & quæ assumpsit, pariter est persona: Ergo in Christo erunt duæ personæ, sicuti remanent distinctæ naturæ, & consequenter nulla est ibi vnio, nulla incarnatio, nec humani generis reparatio, quod adeò est absurdum, vt totum Christianæ fidei perimat fundamentum.

6 VVLT igitur indicare S. Bonauentura, primum fundamentum erroris Nestorij fuisse, post vnionem concedere duas personas; consequenter verò, quia non poterant duæ personæ substantialiter esse vnitæ, & eò minus, quò etiam naturæ remanebant distinctæ, intulit, vnionem esse factam solùm in affectu, & accidentaliter, & hoc est quod de suo addidit Nestorius, super quo fundamento extruxit suam hæresim, nempe vnionem factam per affectum, & gratiam, vt notat etiam Vasquez *disput.* 15. *num.* 13. alios referens.

EVTYCHES verò posuit, personam humanam
7 præextitisse, & posteà assumptam cum natura vnum omnino cõstituisse, quia non videbat, in Christo non posse esse plusquam vnam personam, & personam non nouerat distinguere à natura, ideò in assumptione ait destructam personalitatem, & naturam humanam transiisse in Diuinam, vel (vt alij referunt) mixtione vnam omninò naturam, vnam personam constituisse.

Ex hoc redarguit S. Doctor hunc errorem; nam asserere, personam humanam præextitisse, derogat veritati conceptionis Filij Dei in vtero B. Virginis: Sic Nestorius concedebat, negans B. Virginem THEOTOCON, idest Matrem Dei; sed asserens CHRISTOTOCON, idest Matrem hominis Christi, & in eundem errorem labitur Eutyches, nisi dicat, in conceptione assumptam naturam à Verbo, & destructa humana personalitate vnitam in conceptione, & tunc cogetur concedere, Mariam Matrem Dei; at verò hoc non esset personam assumere, sed consumere, vt notat D. Bonauentura.

ADVERTE obiter, in quibusdam perantiquis
exemplaribus, editis Venetiis, anno 1562. errorem 8
è typis illapsum, dum Eutychetem pro Nestorio; & Nestorium statim pro Eutychete scribit, quod tamen alij codices non faciunt.

Igitur certum est, vnicam in Christo esse personam. Probatur à S. Doctore ex fide; alioqui nec homo esset Deus, nec Deus homo.

ASSERO verò, non modò non fuisse à Verbo assumptam personam humanam, sed neque potuisse eam assumi.

PROBATVR à Scoto *dist.* 1. *q.* 2. rationibus alla- 9
tis suprà *d.* 8. *q. vlt.* præcipuè quia vnaquæque natura determinatur intrinsece ad vnam personalitatem, quæ ab vnica tantùm pendet essentialiter: Hanc rationem refricat *dist.* 5. *q. vnica*, quem sequitur Faber *disp.* 13. vbi enititur probare, (si iuxta nostram sententiam asseratur, esse modum positiuum substantialem) posse assumi ipsam etiam personalitatem, quia omne ens sit in potentia obedientiali ad Deum, sed hæc refutata sunt *p. p.* initio *quæstionis loc. cit.* nam personalitas, est modus existendi in se incommunicabiliter, vt infrà ostendam; ac proinde implicat cum modo essendi in alio.

MVLTAS rationes multi congerunt, sed parui momenti, quas elidunt Suarez, Vasquez, & alij.

OPTIMA ab eis ratio acclamatur, quæ est S. Bo- 10
nauent. *in corpore*, vbi ex natura assumptionis personæ, quæ præ se fert tractionem ab esse in se, ad esse in alio, probatur implicantia: Esse in se, & esse in alio sunt implicantia: at per assumptionem personæ fieret vt persona, quæ in se stat, assumeretur ad standum in alieno supposito (nisi forte in assumptione destrueretur personalitas innata, quia tunc non esset assumere, sed consumere personam:) Ergo. Eandem rationem tandem Nazarius. *art.* 6. *quæst.* 3. *controu.* 1. præfert rationibus Caietani.

CONFIRMATVR hæc ratio à D. Bonau. *in corpore*, ex Ecclesia, Conciliis, & Patribus definientibus, ex eo quod facta est vnio hypostatica inter humanam naturam, & Diuinam personam, vnicam tantùm esse personam. Idem vrget S. Bonau. *fundam.*
vltimo, & cum eo Suarez, & Lugo *disp* 12. *sect.* 6. 11
quæ Patrum illatio esset leuior, si non argueret etiam de possibili.

FVTILIS est autem moderna solutio, naturam in Verbo adhuc sistere in se, sicut cum propria subsistentia. Sanè in Verbo stat in alio. Quod si essent duæ propriæ à Deo conditæ, posse eis subsistere, ait Lugo, *num.* 78. At ego reor hoc falsum, quia persona dicit terminum vltimum, atque adeò nequit ab alia rursum vltimo terminari. Neque obstrepent, Naturam Diuinam perfectè à Persona Patris terminatam adhuc à Filio, & Spiritu sancto terminari; nam Essentia Diuina eas Personas tres requirit, vt
suæ fœcunditatis infinitæ obiectum actu habens, 12
totam entis perfectionem habeat, & ità Trinitas Personarum requiritur, vt Essentia vltimò terminetur. Quare sine Filio, & Spiritu sancto non esset Deus simpliciter infinitus, nec vnquam fuit, vt dixi *p. p. tract.* 2. *disp.* 14. *quæst.* 4. Non inficior tamen posse à pluribus inadæquatè subsistentiis terminari modo dicto *disp.* 8. *quæst.* 7.

QVÆSTIO II.

An fuerit Homo assumptus.

D. Bonau. dist. 5. art 2. quæst. 4.
D. Thom. quæst. 4. art. 3.

13 LVDOVICVS Viues, humanioris sanè litteraturæ gnarus, fines suos egrediens, ac Theologica scandens, ausus est *in nonum librum de ciuit. Dei, cap.* 17. dicere, non minus propriè posse dici Verbum assumpsisse hominem, quàm humanitatem. Nititur modo dicendi aliquorum Conciliorum, & Patrum.

VERA tamen sententia omnium Theologorum, non adeò proprium esse hoc effatum, tenet: Ità SS. DD. quos sequuntur Vasquez *disp.* 35. Nazar. *ad art. D. Thom.* Suarez *ibidem*, & alij omnes.

PROBATVR à D. Bonauentura primò *in corpore*, & *fundamento primo* è Synodo Chalcedonensi *actione prima*, vbi refertur fides Nicæna, & traduntur regulæ Fidei, & multis testimoniis comprobatur: *cap.* autem 8. confirmatur authoritate Fœlicis Papæ, vbi ait: *Incarnatione verò Verbi, & fide credimus in Dominum Iesum Christum, ex Maria Virgine natum, quoniam ipse est æternus Dei Filius, & Verbum, & non homo à Deo susceptus, vt alter esset præter ipsum; neque enim hominem assumpsit Dei Filius, vt esset alter præter ipsum.*

14 ADVERTE autem, hanc locutionem damnari, non præcisè sub vna tantùm ratione specificatiua, quatenus significat, Christum esse alterum ab assumente, atque concessam absolutè; sed omnino damnatam, quia in sensu proprio indicat, & infert, hunc sensum damnabilem, vt tandem fatetur Suarez *loco citato*, post S. Bonauenturam *fundamento* 1. & *in corpore*, ad finem.

VASQVEZ *cap.* 2. conatur hoc testimonium eneruare dicens, hanc propositionem non esse absolutè damnatam, sed in hoc sensu solo, prout significat, Hominem assumptum, esse alterum distinctum à Filio Dei: Itaque Concilium concedere hanc propositionem; sed illam solùm negare. Hominem ita esse assumptum, vt esset alter, nempè supposito.

15 HÆC tamen futilia sunt vt arguit S. Doctor; nam eo ipso, quo damnatur distinctio Hominis, & Christi, vt alter sit *Filius Dei*, alter verò *Christus homo*, sequitur, damnari omnem locutionem id inferentem. Iam verò, cùm homo significet hominem subsistentem, malè asseritur Verbum, quod est persona Christi, assumpsisse hominem: Sic enim cogimur duo supposita concedere, & geminos distinctos, vt admonet B. Maxentius, mox referendus.

CONFIRMATVR ex *anathematismo* 8. D. Cyrilli, recepto in Concilio Ephesino *can.* 8. vbi anathemate damnantur, qui dicunt, hominem assumptum, vnà cum Dei Verbo adorandum, tanquam alterum in altero existentem, ait enim Concilium Alexandrinum in illo anathemate: *Si quis audet dicere, assumptum hominem vna cum Deo Verbo adorandum, & conglorificandum, & Deum tanquam alterum cum altero appellandum esse* (illud enim particula, *cum*, perpetuò, si adiungatur, intelligere cogit) *& non magis vna adoratione Emmanuelem honorat, & vnam illi glorificationem, sicuti Verbum caro factum est, adaptat; anathema sit.*

16 RESPONDET Vasquez, eum modum loquendi non damnari à Concilio, imò asseri: *Deus assumpsit hominem*, sed solùm damnare illum modum loquendi: Vnà scilicet cum Deo Verbo hominem assumptum adorandum esse, eò quòd particula illa (*cum*) denotare videatur duos esse, quibus duæ adorationes debeantur.

AT hæc inania sunt; nam Concilium damnat totam propositionem, & adorationem illam duplicem, tanquam duobus exhibitam, deductam ex eo, quod dicitur homo assumptus à Verbo; prohibet enim dicere, hominem à Deo assumptum, & ideò subdit damnando eum, qui dicit, Deum tanquam alterum appellandum, quod sequitur ex illo: *Homo assumptus est à Verbo.*

17 CONFIRMATVR, ex definitione illius anathematismi contra Orientales, vbi Cyrillus ait: *Non esse factam connexionem cum Deo:* & in defensione eiusdem contra Theodoretum (qui tunc deceptus erat, licèt resipuerit postea) ait: *Non hominem assumptum à Dei Verbo dicimus, & copulatum illi secundùm habitudinem quandam, quæ extrinsecus intelligatur, sed hominem factum esse dicimus.*

RESPONDET Vasquez, admirans, hæc à nobis afferri, quia hoc solùm vult Cyrillus; non esse intelligendum hominem seorsim connexum Deo secundùm habitudinem.

18 HÆC verò friuola sunt, nam exclusiua: *Non hominem assumptum esse*, explicat per suam inclusiuam assertionem, *sed hominem eum factum definimus*, nempe, non admittimus hominem assumptum, quia sic inferret, vnum esse, hominem assumptum; & alterum, assumentem Filium Dei, atque adeò duas personas, quæ cùm nequeant esse vnus substantialiter, erunt vnus tantùm habitudine accidentaliter per gratiam, & ideò damnat fundamentum, & illationem, & hanc ex damnato fundamento, vt dicebamus cum D. Bonauentura contra Nestorium.

CONFIRMATVR adhuc ex B. Ioanne Maxentio, *Dialogo* 1. *contra Nestorianos*, longè à fine, qui habetur *tom.* 5. *Biblioth. sacra*, vbi Catholicus Interlocutor ait: *Ego à Deo susceptum hominem nullatenus dicere audeo, sed Deum sine diminutione diuinitatis suæ factum hominem fateor, ne si susceptum à Deo hominem dixero, duas videar in Filio Dei prædicare personas, quia susceptor Sanctorum, & fidelium Deus dicitur:* & paulo infrà subdit: *Melius ergo est susceptam à Deo naturam humanam, quàm susceptum hominem dicere.* Quid clarius?

19 RESPONDET Vasquez, eum paulò infrà subdere: *Dei verò, & hominis nomen, naturis, & personis commune est: denique sicut totam diuinitatem Trinitatis significat nomen Dei, & ita vnamquamque personam ex Trinitate*, & mox subdit: *Rursus homo, sicut personam; ità significat naturam, vnde & non multi Patres sancti, non quidem ad personam, sicut vos* (nempè ô Nestoriani,) *sed ad naturam potiùs respicientes, hominem assumptum à Deo dicere comprobantur.* Hinc deducit Vasquez, Maxentium admittere hanc locutionem, si *Homo* accipiatur pro natura, sicuti rectè accipi potest.

20 VERVM enim verò non intelligit Vasquez sensum Maxentij; is enim primò non vult admittere locutionem, quia homo in concreto est nomen, quod etiam personis conuenit, & commune est, licèt significet etiam naturam, & ideò significat etiam sensum hæreticum Nestorij, admittentem personam assumptam, distinctam ab assumente Verbo. Verum, quia nonnullos Patres legerat

sic loquentes, addit, intelligendos, & explicandos, vt hominem acceperint tantum pro natura, & ideò in sensu nominis diminuto, vt notat D. Bonauent. *ad primum*; non tamen ob id concedit, proprium esse hunc sensum, sed communem etiam sensui hæretico, & ideò improprium: Sicut si quis sumeret hoc nomen IESVS commune etiam Iesu filio Iosedec, & filio Naue, & diceret absolutè: Iesus, qui legitur in Scripturis, est Deus, quanquam sit nomen indiuiduum, quod per antonomasiam significat IESVM nostrum Christum, attamen non rectè diceretur absque expressione apud omnes: *Iesus est Deus*; multò minus nomen *homo* specificum, commune etiam personæ, debet dici, &c. eò minus quò nomen *homo* secundum proprietatem sermonis verum esse non potest, vt notat ipse Vasquez.

21 DVAS rationes huius assertionis affert S. Bonauentura. Altera est, quam ex Concilijs & Patribus adduximus, quia sequeretur, duo induci supposita: Alterum Verbi assumentis: Alterum hominis assumpti.

ALTERA ratio, quam habet ex D. Thoma, licèt obscurè, quæ maximè laudatur à Vasquez *num.* 6. & alijs. Homo est nomen naturæ in supposito existentis; at Verbum non assumpsit naturam humanam existentem in supposito: Ergo non assumpsit hominem. Maior patet ex dictis. Minor probatur: Id, quod assumitur, præcedit naturâ assumptionem; natura autem humana, in supposito existens, non præcessit assumptionem, quia non fuit in supposito aliquo antequam assumeretur. Ideò non fuit assumpta existens in aliquo supposito. Maior probatur à S. Doctore *fundament.* 4. assumere rem est ad vsum sumere; vsus autem rei supponit rem.

22 EST etiam alia ratio D. Bonau. *fundamento* 3. Id, quod assumptum est à Verbo, nunquam fuit dimissum, & ex natura rei id, quod assumitur, sicut præintelligitur assumptioni, ità post eam manet, alioqui si assumptione destrueretur, potius esset consumptio, quàm assumptio vt arguebat S. Doctor, *quæst. præcedenti* adductus: Si ergo Verbum assumpsit hominem, idest, naturam existentem in supposito: Ergo duæ personæ. Hoc argumento vtitur etiam D. Thomas, & Vasquez.

23 OBIICIES primò. Multa Concilia, & multi Patres hac phrasi vtuntur: Sic Concilium Alexandrinum *epist. ad Nestorium*, quæ est decima inter epistolas D. Cyrilli approbata in Concilio Ephesino, Concilium etiam Toletanum I. *in confess. fidei*, & VI. *cap.* 1. & XI. *in confess. Fidei* Concil. Francoford. *epistola ad Episcopos Hispaniæ*. Et Adrianus in eodem Concilio *epist. ad eosdem Episcopos*. His adde PP. Ambrosium, & Augustinum in Hymno, *Te Deum laudamus*, quo vtitur Ecclesia, & eundem D. Augustinum *lib. de prædest. Sanctor. cap.* 15. *ep.* 66. *lib.* 9. *de ciuit. cap.* 17. & 20. & *lib.* 10. *cap.* 22. & 29. *lib. de agone Christiano, cap.* 11. Boëtium *lib. de duabus naturis*, Damascenum *lib.* 3. *de fide, cap.* 4. Anselmum *lib. de Incarnatione, cap.* 5.

24 ADDE Concilium Later. sub Martino I. *consult.* 5. *can.* 7. definiens, omnia, quæ tradita sunt à Sanctis Patribus, & quinque Concilijs Generalibus circa hoc mysterium Incarnationis, verè, & propriè vsque ad apicem esse intelligenda. Concilium etiam Ephesinum vtitur prædicto modo loquendi.

RESPONDENT Vasquez *cap.* 3. Suarez, & alij cum D. Thom. & D Bonau. *ad* 1. nomine *Hominis* intellexisse naturam, vt notauit etiam Maxentius suprà, & cùm inter ipsos, & Nestorianos constaret de ista significatione, non multum curasse de ipsa vocis proprietate.

AD Concilium Later. respondet Vasquez, intelligi de his, quæ ex professo definita sunt contra hæreticos.

OBIICIES secundò: pars denominat totum, vt 25
Petrus dicitur albus, licèt solo corpore sit albus: Ergo multò magis omnes partes simul denominant; sed Verbum assumpsit animam, & corpus, quæ sunt partes homines: Ergo & hominem.

RESPONDET S. Bonauentura, negando Maiorem vniuersaliter, nam in relatiuis est falsa, vt si manus Petri est breuior Petro, non sequitur: Petrus totus Minor est seipso. Iam ergo *assumere* dicit ordinem, vel distinctionem inter personam Christi, & partes compositi hominis, quæ sunt corpus, & anima, quamvis ille respectus inter personam Christi, & Christum hominem reperiri non possit.

OBIICIES tertiò: Christus assumpsit animam, & 26
corpus, ex quibus vnitis constituitur essentialiter homo: Ergo assumpsit hominem.

RESPONDET S. Doctor, primò ex anima, & corpore vnitis essentialiter constitui humanam naturam; resultare verò, seu ab ea emanare suppositum: Iam ergo Verbum assumpsit animam, & corpus, vnita prima vnione essentialiter, & hæc supponebatur assumptioni; vnio verò non effudit subsistentiam, sed hæc secuta est assumptionem ex vnione cum Verbo.

RESPONDET secundò, hominem significare, *quem*, seu personam: naturam verò ex anima, & corpore dicere, *quid*, non benè autem inferunt ab
eo quod prædicatur, *vt quid*, ad id, quod prædica- 27
tur *vt quis*: Cætera facilia sunt.

QVÆSTIO III.

An Humanitas fuerit à VERBO assumpta.

D. Bonau. d. 5. quæst. vltima.
D. Thom. q. 4. art. 1. & 4.

ASSERO, Verbum assumpsisse non modò prin- 28
cipia constituentia humanitatem, sed ipsam formam consequentem compositum, & proprietatem.

PROBATVR à D. Bonauentura primò è Scriptura *Philip.* 2. & ex PP. Ratione etiam probatur; quia est homo, & ab æterno fuit.

OBIICIES. Humanitas significat naturam abstractam; at Verbum assumpsit naturam in atomo: Ergo impropriè dicitur assumpsisse humanitatem; propriè autem magis dicetur assumpsisse hominem.

RESPONDET S. Doctor Verbum assumpsisse
naturam in atomo, non tamen hominem, quia licèt 29
dicat concretum naturæ, tamen addit suppositum. Vide S. Bonauenturam.

QVÆSTIO IV.

An corpus assumptum à VERBO *sit eiusdem rationis cum nostro*

D Bonau.dist.2.art.2. quæ l.1.
D.Tho n. quæst. 5. art.1. & 2.

30 ANTIQVA hæresis fuit prope tempora Apostolorum, Filium Dei non in vero corpore, sed putatiuè, quasi in phantasmate apparuisse: Ità docuit Cerdon, vt refert Tertullianus *libro præscript. cap.* 51. Augustinus *lib.de hæresibus, hæresi* 41. Idem docuit Marcionem Ponticus ex vrbe Synope, vt refert D Philastr. *libro de hæresibus.* Deinde hunc errorem docuit Lucanus, & Appelles discipulus Marcionis; hic tamen dicebat, corpus suum apparens sumpsisse Christum ex elementis, non ex B. Virgine, & in passione illud elementis reddidisse. Ità refert S.Philastr. *loco citato*, ex D.August. *lib. de hæresibus, cap.* 28.

31 CVM Marcione tamen conuenêre omnino Manichæi, sic vocati à Manete Persa, vel Manin, vt eum nominat S.Augustinus *lib.de hæres. cap.* 45. vocatus autem fuerat prius Vrbicus, vel Curbicus. Hus secuti sunt Prodianitæ, quorum meminit S.Philastr. *loc. cit.* eosque vocat etiam Hermiatitas, qui dicti sunt etiam Procl ianitæ. Idem docuêre Priscillianus Episcopus Abulæ, & asseclæ.

ALII verò dixerunt, corpus Christi fuisse è cælo sumptum. Ità errauit Valentinus, vt refert D. Philastr. *loco citato*, & alij. Adscribitur etiam Gnosticis, idest, Scientibus, qui a Nicolao Apostolorum discipulo orti sunt, vt refert Epiphan. *hæresi* 26. attamen is potius error Valentinianis est adscribendus, qui etiam ipsi Gnostici dicti sunt, vt memorat Epiphanius *hæresi* 31. Nicolaïtæ enim solum dixêre, Christum non fuisse natum ex Maria Virgine, sed tantum per illam mundo apparuisse, & carnis phantasma sumpsisse. Duplicem hanc hæreticorum classem refert D.Bonauentura.

ASSERO primò, Filium Dei assumpsisse verum
32 corpus, non apparens, neque cœleste.

PRIMVM probatur à S. Doctore primò *ex Luca* 24. vbi Christus iam gloriosus dixit: *Palpate, & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Idem habet S.Doctor, *ad* 24. *Lucæ*, & infrà ostendetur.

PROBATVR secundò à S. Bonauentura: Sicut, quod fuit inassumptibile, fuit incurabile ex Damasceno; ità quod erat curabile, fuit assumptibile,
33 & quod fuit curatum, fuit assumptum: fuit autem curata tota natura hominum. Hoc verò ex omnibus Scripturis constat, quæ testantur, Christum incarnatum, & passum, vt homines sibi similes redimeret. Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, &c.* qui locus vrgetur à S.Doctore *ad* 1. *Ioan.* Et solus est instar omnium ad hoc nostrum assertum fidei confirmandum. Affert ibi S. Doctor & illud Philip. 2. *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, factus obediens, &c.* Idem colligitur ex illo Hebr. 2. *Quid est homo? &c. Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium; & liberaret eos, qui obnoxij erant seruituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret peccata populi.* Roman. 1. *Factus est ei ex semine Dauid secundum carnem; Qui prædestinatus Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore ex omnibus 34
Scripturis asserentibus, Christum conceptum, natumque ex Maria, Lucæ 1. *Concipies, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Matth. 1. *De qua natus est Iesus. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Lucæ 2. *Peperit Filium suum primogenitum:* Cæterùm obseruat D.Bonauentura ad 1. Ioan. id solùm: *VERBVM CARO FACTVM EST*, errorem tum Manichæorum, tum Valentini, satis elidere.

PROBATVR quartò à S.Bonauentura Scripturis 35
omnibus asserentibus, Christum esse hominem, quæ innumeræ sunt, ex quo Seraphicus deducit argumentum, quod inter argumenta D.Thomæ est tertium, & vnicum efficax, vt notat Vasquez *disp.* 36. *cap.* 1. si Corpus Christi fuisset tantùm in apparentia, iam Christus non redemisset, non esset passus, mortuus, &c. & mentitus fuisset, nosque decepisset. Hoc est argumentum D. Augustini *lib.* 83. *qq. quæst.* 14. vbi ait: *Si phantasma fuit corpus, fefellit Christus; & si fallit, Veritas non est; est autem veritas Christus, non igitur phantasma fuit corpus Christi.* Adde & Ambrosium in 23. Lucæ: *Non est tristis Sapientia, non diuina substantia, sed anima; suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum; non me fefellit, vt aliud esset, & aliud videretur.* Hinc arguit D.Bonauentura: Christus est prima veritas: Ergo non potuit in corpore non humano nobis apparere, & nobis velle suadere, se esse hominem; alioqui nos decepisset, dum sæpius se Filium hominis prædicauit.

CHRISTVS autem prædicatur: *Factus ex semi-* 36
ne Dauid secundum carnem. Rom. 1. homo conceptus, natus ex Maria Virgine, eiusque Filius: Maria verò prædicatur ex semine Dauid *Matth.* 1. Similiter & Christus. Vrget autem Beda ibi factum Christum è semine Dauid: Hæc, & similia testimonia vrgent Recentiores omnes, qui contra hæreticos allatos scribunt. Ità Suarez *disput.* 13. *sect.* 3. Vasquez *loco citato*, Aluarez *ad art cit. D.Thom.* Bellarminus *tom.* 1. *lib.* 5. *de Christo*, Valentia *ad ar. cit. D. Thom.* & alij omnes. Et plurima hoc definiere Concilia, quæ vide apud Doctores.

HÆRETICI aduersarij eo nitebantur, quia carnem, quippè spiritui rebellem, vt dicitur *Galat.* 5. 37
concupiscentem contra spiritum, credebant à Deo malo esse productam: Ità Manichæi, sed insaniebant, vt notat D.Bonau. & vidimus *p. p. tract.* 3. *de creatione, disp.* 1. *q.* 5. Caro autem concupiscit ex fomite post Adæ peccatum, non autem sic erat antea; nam à Deo optimo maximo condita est, vt habetur Genes. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo.* Vide, etiam D.Thom. 4. *contra Gentes, c.* 30. At esto inclinet ad bona sensibilia, habet arbitrium, & auxilia à Deo, vt carne ad prælia, & merita vteretur. Quare non adhuc ea à Deo malo est dicenda.

OBIICIVNT secundò id 1. Corinthior. 15. 38 *Primus homo de terra terrenus : Secundus homo de cœlo cœlestis.*

RESPONDET S. Doctor cum D. Thoma, Christum dici hominem cœlestem ratione personæ Verbi, & etiam quia non modò naturali, sed cœlesti virtute Spiritus sancti formatum est eius corpus.

SIC explicat etiam S. Bonauentura illud Ioan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Qui de cœlo venit, &c.* nempe quia missus est a Patre Deus à Deo : Sic exponitur à D. Augustino *tractat.* 12. *in Ioan.* apud D. Bonauenturam, *ad 3. Ioan.* & *lib.* 13. *de ciuit. Dei, cap.* 23. & *epistola* 57. *quæst.* 2. & *lib. contra Faustum, cap.* 3. Nazianzeno *epist. prima ad Cledonium*, ante medium, quæ est oratio 51. Tertulliano *libro de resurrect. cap.* 49. Hilario 10. *de Trinitate*, *fol.* 2. qui prædictum probat ex illo Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi*, eum imitatur S. Doctor ad eum locum *Ioan.* 3. & 6. Venit ergo de cœlo non 39 motu, sed effectu.

ALTERA verò expositio D. Bonauenturæ, nempè, Christum vocari hominem cœlestem ratione mirabilis conceptionis, est Authoris quæstionum, *quæst.* 65. ad Orosium, apud D. Augustin. *quæst.* 4. Ambrosij in eum locum.

OBIICIT etiam sibi S. Doctor ; quod est incapax maioris gratiæ, est incapax etiam minoris : Sed caro est incapax gratiæ, & gloriæ, quæ est minor gratia vnionis hypostaticæ cum Verbo: Ergo.

RESPONDET, gratiam vnionis, comparatam in eodem cum gratia fruitionis secum existente esse maiorem, esseque fundamentum fruitionis, atque adeò in subiecto capaci, qualis est anima, habere totum suum effectum ; at in corpore non esse maiorem, quia non habet totum suum effectum, nempè habitus debitos gratiæ, & gloriæ, sed solùm sustentifica- 40 tionem hypostaticam. Hanc responsionem secutus est alibi Vasquez, dicens, esse omnibus meliorem.

QVÆSTIO V.

An VERBVM *assumpserit animam rationalem.*

D. Bonauent. dist. 2. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. quæst. 4. art. 3 & 4.

41 DVPLEX hæresis circa hoc extitit, vt refert D. Bonauentura : Altera negantium in Christo animam, ac dicentium, diuinitatem illi fuisse loco animæ, Ità Armeni, vt referunt Epiphanius *hæresi* 69. August. 49. Nazianzen. *orat.* 51. Cyrill. Alexandrin. *epist.* 9. & 29. & in septima Synodo *act.* 6. *tomo* 5. Idem sensit Eunomius, vt refert Seraphicus Doctor.

SECVNDA hæresis fuit Apollinaris, qui initio sentiebat cum Arrianis, postea verò quibusdam Scripturæ testimoniis conuictus, concessit in Christo animam sentientem, tamen noluit admittere etiam mentem.

ASSERO tamen primò, fuisse in Christo veram animam rationalem eiusdem speciei cum nostris.

42 PATET ex dictis *qq. præcedentibus*, vbi veram naturam humanam in Christo asserui ; est enim anima pars essentialis.

PROBATVR à S. Bonauentura primò ex Matth. 22. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, cui addit illud Ioannis 12. *Nunc anima mea turbata est.* Hoc enim de Verbo non potest intelligi, quod est impassibile ; neque de anima sentiente, quia loquitur de tristitia rationali, ideò enim dicit : *Non mea voluntas, sed tua fiat*, & ex voluntaria consideratione excitauit in se illam passionem tristitiæ, vt arguit quarta Synodus *act.* 18. in edicto Constantini, in quo antiqui Græci Patres contra hunc errorem referuntur.

PROBATVR secundò à S. Doctore ex Symbolo Athanasij : *Perfectus homo, ex anima rationali, & hu-* 43 *mana carne subsistens.*

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura : Christus de fide mortuus est, non autem moritur ob aliquam separationem Verbi, quod nunquam separatum est ; & si separatum fuisset, non ob id diceretur mortuus, quia mors est separatio animæ. Ideò dixit Ioan. 10. *Ego pono animam meam*, vt notat S. Doctor ad eum locum.

PROBATVR quartò à S. Doctore : Christus de fide ex Symbolo : *Descendit ad inferos*, non ratione 44 carnis, quia tunc iacuit in sepulchro ; nec ratione deitatis, quæ non mutat locum : Ergo ratione animæ vnitæ deitati. Ideò dicitur psalm. 15. *Nec derelinques animam meam in inferno.* Et de corpore : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

PROBATVR quintò *in corpore*, à Seraphico, quia Christus assumpsit naturam humanam, vt esset : *Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus*, vt dicitur 1. Tim. 2. vt autem esset Mediator, debuit habere naturam extremi, idest hominis ; hæc autem essentialiter ex anima rationali, & corpore constituitur, nec sine anima rationali potuisset mereri, aut satisfacere. Quæ est ratio D. Augustini contra Felicianum Arrianum *cap.* 13.

HÆC veritas definita est à Concilio Romano, & 45 Damaso Papa *in profess. fidei*, & in Concilio Ephesino, *epistola Cyrilli ad Nestor.* quæ ibidem *can.* 3. approbatur Concilio Chalced. *act.* 1. Quinta Synodo, *sess.* 8. *can.* 4. & 11. Sexta Synodo, *act.* 11. *in epistola Sophronij*, & *sess.* 18. in citato edicto Constantini, & aliis in Conciliis statuta est, quæ refert Suarez *disput.* 3. *sect.* 2.

OBIICIVNT illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est:* Ergo non animam assumpsit.

RESPONDET D. Bonauentura, denominare hoc Mysterium Incarnationem per Synecdochen à parte notiori, à qua sumendum est initium cognitionis, & quia supposito quòd assumpserit carnem, quæ longius distat à Deo, inferebatur etiam, assumpsisse animam, quæ non est adeò opposita Spiritui Diuino.

IN responsione *ad vltimum*, affert etiam rationem 46 philosophicam, qua nititur Suarez, quia non potest Deus fieri forma corporis, quod importat imperfectionem : Ergo non potuit supplere munus animæ rationalis, quæ non vnitur corpori solùm efficienter, sed vt forma eius essentialis.

QVÆSTIO VI.

An fuerit assumpta Anima cum corpore vnita.

D. Bonau. dist. 2. art. 2. quæst. .
D. Thom. q. 2. art. 5.

47 HÆc quæstio eadem est cum illa, quæ proponitur à D. Bonau. Verum Christus habuerit eum aliis communem speciem. Quidam timebant dicere, Verbum assumpsisse animam cum corpore vnitam, ne concederent assumpsisse personam, quæ ex illa coniunctione resultat, quam tanquam scholasticam opinionem refert Magister *dist.6.* & Hugo *lib.2. de Sacramentis, p.2.* & Scotus *dist.6. quæst.3.* dicit, non fuisse hæreticam, donec ab Alexandro III. damnata est, *cap. Cum Christus.*

Sed quoad consequentiam inanis est, & timuêre, vbi non erat timor, vt vidimus *q.2. ad vltimum*, nam ex vnitate animæ cum corpore essentialiter resultat vna natura; Vnitas verò suppositi potest impediri, vt notat etiam Suarez *disput. 15. sect. 4.*

48 Quoad Alexandrum III. definiuit quidem, vt refert S. Bonau. *dist.6. quæst.3. in fundamentis*, attamen hoc erat etiam ante de fide, nam in sexta Synodo definitum iam erat, Verbum assumpsisse carnem animatam animâ rationali.

Ratio verò est D. Bonauenturæ, qua vnica Suarez nititur. Quia de fide est, Christum fuisse perfectum hominem, Filium Mariæ, & ideò habuisse naturam humanam, vt dicitur in Scripturis sæpe, & Symbolis; at humana natura essentialiter constituitur ex anima, & corpore vnitis. Vnde infertur necessariò. Assumpsit animam, & corpus
49 vnita. Ergo fuit homo: & è contra: Fuit homo: Ergo habuit animam cum corpore vnitam: Hæc verò ante Alexandrum erant de fide, vt patet: De cætero id, quod S. Bonau. directè quærit, iam patet ex dictis.

QVÆSTIO VII.

An Sanguis fuerit Verbo *hypostaticè vnitus.*

50 PRima opinio negat, sanguinem coniunctum Verbo hypostaticè immediatè, sed tantum remotè, quatenus erat coniunctus naturæ assumptæ à Verbo. Ita Durandus *in 4. dist. 10. quæst. 1. n. 19.* Mayronus *disp. 43. & 44. q. 1. circa finem.* Eandem opinionem quoad sanguinem separatum à Christo in triduo mortis tenet Abulensis *parad. 2. cap. 40. & 43.* & Richardus *in 3. dist. 2. art. 2. quæst. 1. ad 2.* & alij Scholastici tempore Pij II. vt refert Syluester *in Rosa aurea*, quem infrà allegabo. Sequuntur Gallus *disp. 2. quæst. 2. controu. 2.* Poncius *disp. 34. quæst. 4.* Vulpes *disp. 7. art. 3.* & Cardin. Franc. de Ruere, qui fuit Sixtus IV. *veritate 6.*

51 Secunda sententia duplicem sanguinem distinguit in hominibus: alterum nutrimentalem imperfectum; alterum perfectè decoctum, & solum hunc esse partem hominis, & ideò vnitum Verbo hypostaticè; non illum. Ita Caietanus *prima primæ, quæst. 54. art. 2.* Syluester in suis quæstionibus post Auream Rosam *quæst. 31.* eamque adscribit D. Thomæ, vt patet ex eius *quæst. 31.* Idem sentit Aluarez *disp. 28.* Nazarius *quæst. 5. art. 2. parte prima controuersiæ.*

Capreolus autem *in 4. dist. 10. quæst. 2. ad 4.* contra primam conclusionem, Sotus *eadem dist. quæst. 1. art. 2.* (& adscribitur etiam Victoriæ) negant omninò, sanguinem esse partem hominis, & tamen volunt eum esse hypostaticè assumptum à Verbo. Idem sentit Vasquez *disp. 36.*

Medina verò *ad art. 2. quæst. 5. D. Thom.* vult, sanguinem quomodocumque se habeat in esse partis, assumptum a Verbo; addit tamen, sibi summopere probari sententiam dicentium, esse partem hominis. Idem ferè habet Valentia *disp. 1. quæst. 5. punct. 2.* at Suarez *disp. 15. sect. 6.* ait, probabilius esse, sanguinem non animari.

Porrò sanguinem Verbo esse vnitum asserunt 52
concorditer, præter allegatos, Cardinalis de Lugo *disp. 14. sect. 7.* Fuliens. *lib. 2. cap. 12.* Amicus *disp. 15.* Auersa, Arriaga *disp. 23.* Caspens. *disp. 4. sect. 4.* Becanus *cap. 5. quæst. 1.* Bellutus *disp. 3. quæst. 5.* Mastrius *disp. 1. quæst. 5.* Mæracius *disp. 21.* Morandus *tract. 1. quæst. 24.* Pasqualigo *disp. 78.* Tanner. *quæst. 4. dub. 3.* Centinus *disp. 9.* Adde Richardum *disp. 2. art. 2. quæst. 1.*, Maiorem *4. dist. 43. quæst. 1.* qui duo tamen dicunt, sanguinem fuisse post separationem dimissum, & post resurrectionem iterum Verbo vnitum.

Quoad D. Bonau. suppono primò, sanguinem 53
in eius sententia esse de constitutione corporis, non quidem primaria, vt membra, sed ad integritatem, & complementum, & hoc validissimo argumento probat *in 4. dist. 44. p. 1. q. 1. fundamento vltimo*, nam in Sanctissimo Sacramento conuertitur vinum in sanguinem Christi, & ideò oportet dicere, in Christo resurrexisse, & nunc reperiri. Vbi, cùm non minus sit per concomitantiam Verbum, quàm sit sub speciebus panis: Ergo non minus est vnitum sanguini, quàm corpori. Alioqui si in triduo consecratus fuisset sanguis, non fuisset ibi Verbum per concomitantiam, quod videtur omninò falsum, nam Christus Ioan. 6. ait: *Caro mea, verè est cibus: & sanguis meus, verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo:* Ergo quandocumque ex vi consecrationis sanguis est sub illis speciebus, ibi est suppositum Diuinum; ibi autem per concomitantiam esse Verbum censet profectò D. Bonau. cum cæteris Theologis *in 4. dist. 11.*

Distinctio autem illa Caietani de duplici 54
sanguine nutrimentali, & substantialiter perfecto, non inuenitur in D. Thoma, imò omnem sanguinem perfectum vocat nutrimentalem *in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 4.* & *quodl. 5. art. 5.* vt fatetur Nazarius *quæst. 5. art. 2. controuersia parte prima*, vbi adducit etiam Medicorum consensum. His adde Theologos, Alensem *2. parte, quæst. 92. membr. 7.* D. Bonauenturam *in 4. dist. 44. quæst. 1. ad 2.* Richardum *art. 1. quæst. 2. ad primum.* Durandum *quæst. 2. ad 2.* Paludanum *quæst. 1. art. 1. numero 18. & 19.* Supplem. Gabrielis *quæst. 1. dub. 6.* Sotum *ibidem, dist. 10. quæst. 1. art. 2. post medium*, Vasquez *num. 20.* qui adducit omnes istos; & ex Medicis Valesium *lib. 2. controu. cap. 4* qui non admittunt eam sanguinis distinctionem.

Adverte deinde ex D. Bonau. *loco addicto*, 55
corpus gloriosum minori copia sanguinis egere, &

ideò non esse necesse, vt corpus resurgat in gloria cum tota illa copia sanguinis, quem habebat in statu nutrimenti. Idem de carne, quæ fluit, & refluit, iudicandum docet.

ADVERTS Seraphicum *loco cit. ad tertium*, asserere, sanguinem viuere, non quia recipiat influentiam vitæ, sed quia disponit ad vitam. Itaque concedit, non informari animâ, & viuere formaliter, quod probabilius esse asserit Vasquez *num.* 20. Idem enim docet D.Thom. *p. p. quæstione vltima, art.* 1. *ad tertium*, & aliis locis adductis à Capreolo *in* 2.*dist.*15.*art.*3. *ad* 3. *cont. tertiam conclusionem*, & *in* 4. *dist.*10.*quæst.*2. *art.*5.*ad* 4. *Scoti*,
56 vbi etiam Scotus *quæst.*1. *art.*2. & *dist.*44. *art.*3. Richard. *art.*1. *quæst.*2. Durand. *quæst.*2. *ad* 2. Paludan. *quæst.*1. *art.*2. Alens. 2.*p. quæst.*29. *num.*7. & Medici cum Galeno *lib.*4. *de vsu partium*, post Aristotelem 3. *de partibus animalium, cap.*3. vbi ait: *Cum omnis alimenti, omnisque excrementi conceptaculum aliquod habere necesse sit, venaque, quasi vasa sint sanguinis, patet, sanguinem esse animalibus sanguineis vltimum alimentum.* Et idem sæpius ibi repetit. Ad rationem autem vltimi alimenti pertinet, vt sit alterius naturæ ab alito, vt docet Aristoteles *lib.*1. *de gener. text.*19. & 38. & *lib.*2. *de anima, text.* 45. & 3. *de partibus animalium, cap.*5.docet, sanguinem esse irriguum in aliquibus, sicut aqua, quæ ducitur per sulcos ad rigandum plantas, & olera. Addit præterea, venas in poros desinere, & quia parui sunt, & admodum constricti, non patere per eos viam sanguini: benè tamen patere humori, qui per illos emittitur, constipatur, & in sudorem resoluitur, atque ob eandem causam contingit, vt aliquando nimium laxatis poris sanguis aliquis crudus effluat, vt videtur contigisse Christo in horto; de quo cum D.Bonau. ad eum locum infrà erit sermo.

57 QVÒD verò Caietanus ait, sanguinem viuere, etiamsi sit materia nutrimenti, falsum est, & contra Philosophiam; nam nutritio est transmutatio substantialis rei, qua corrumpitur forma alimenti, & producitur forma aliti. Hanc rationem indicat S. Bonau. *in corpore*, dum ex eo quod transmutatur, vt alimentum, deducit,non esse de substantia membrorum, & dum ait, per transmutationem, sanguinem in substantiam aliti transmutari: Et *ad* 3. dum ait, esse disponentem ad vitam, idest, per sui transmutationem vitam conseruare. Itaque, si sanguis est pars viuentis substantialis, cùm sit vltimum nutrimentum, aut dicere cogentur aduersarij, nutritionem non esse transmutationem substantialem, sed accidentalem, aut certè esse solùm mutationem cibi in sanguinem, quod nullus adhuc Philosophus dixit. Id tamen veretur asserere Nazarius *ad argumenta.*

58 ALIAM rationem addit Vasquez, quia sanguis è vena insecta continuatus cum eo, qui est in vena ipsa, defluit: Ergo si est continuus, habet eandem vitam cum illo, qui est in vena; at effusus non viuit: Ergo.

HÆC tamen ratio friuola est, quia potest esse continuus, & tamen non viuere eadem vitâ, sicut membrum sæpè ex apoplexia, sphacelo, vel cancro, est mortuum, vel si recisum, pendulum paululùm continuetur.

ALIAM rationem addit, quia in venis non crescit ex omni parte, sed sicut liquor additus augetur, infuso alio simili.

59 HÆC tamen ratio non est solida, nam esto addatur fluens, attamen fit per transmutationem substantialem, & vndique additur ex aliqua parte; licet non vndique: sic enim etiam caro genita non auget singillatim membra vndecumque, sed ex vna parte; & altera ex altera: bene quidem pars ex tot, multisque augetur vndique: Ita & sanguis secundùm suam capacitatem. Quod verò Aristoteles *lib.*2. *de partibus animalium*, vocet sanguinem partem animalis, respondetur, numerare & lac, cùm sit nutrimentum pueris exhibitum; dicitur ergo pars, prout ad integritatem vitæ facit, vt ait S. Doctor, & post eum Vasquez.

60 QVÒD verò *lib.*3. *de hist. animalium, cap.*19. dicat, sanguinem animatum feruête. Respondetur, ita nominari, quia sanguis suo calore fouet vitam. Sic enim 2. *de partibus animalium, cap.*7. dicitur calor anima animalis; tametsi ibi asserat, esse potius instrumentum animæ, sicut Ascia est instrumentum Fabri, & ita *in Problem. sect.* 28. *quæst.*10. vocat calorem quasi animantem. Sic igitur sanguis fouet calore, & substantiâ suâ vitam, & ideò dicitur Deuteron.12. *Sanguis eorum est pro anima*, vbi Glossa, ait: *Aliquid vitale est in sanguine, & per ipsum maximè anima carni vnitur*, vt notat D. Bonau. *loco cit.* Neque vult D. Bonauent. esse formaliter animatum, vt ritè aduertit Vasquez *num.*25. Idem sentit Alensis eius Magister. Addo cum Suarez, ea verba in textu Græco non haberi.

61 OPORTET adhuc adnotare è S. Doctore *loco cit.* & D.Thom. *in* 4. *dist.*44.*quæst.*1.*art.*2.*quæstiunc.*4. Syluestro *citato, quæst.*31. Vasquez *num.*33.Nazario *loco citato*, in hac vita nutrimentali primò in Hepate ex chilo gigni sanguinem; ex sanguine alium humorem, qui dicitur *Ros*; ex rore alium, qui dicitur *Cambium*, & ex cambio *Gluten*, quod à D. Bonau. dicitur *Complexionale*, quia iam actu viuit ex probabili sententia Medicorum; malè autem Suarez *sect.*7. dicit cibum, seu chilum priùs mutari in rorem, & cambium, & postea in sanguinem, quod repugnat non modò Sanctis Doctoribus, sed etiam communi sensui Medicorum. Ne autem cogamur dicere, Verbum dimisisse rorem, aut cambium, oportet fateri, ea fuisse Verbo vnita, quasi pertinentia ad naturam corporis, quod nescio qua ratione timeat Vasquez asserere, cùm maior sit ratio eorum, quàm sanguinis, quippe magis vicina ad esse partium.

62 ASSERO primò, Sanguinem proximè Verbo vnitum esse hypostaticè: Est assertio certissima, adeò vt opposita absque errore defendi non possit, vt admonent Caspensis, Suarez, Vasquez, Lugo, Mastrius, & alij.

PROBATVR primò à D.Bonau. *ad* 22. *Lucæ*, è Scripturis, quæ sanguini Christi adscribunt nostram redemptionem, Hebr.12. *Accessistis ad Testamenti noui Mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem, quàm Abel*, nempe (ait S.Doctor,) quia sanguis Abel clamabat vindictam, secundùm illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*; hic autem clamabat remissionem, Matth. 26. *Hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

63 Ita ergo ait S. Doctor, sanguinem à Christo effusum in horto, Lucæ 22. *Factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*, similiter in flagellatione, coronatione, crucifixione, vt sic appareat verum illud Psal.129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Vnde ait, verificatum illud Isaiæ: *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum? & vestimenta tua sicut calcantium*

in

in torcul ari? Ex quo propheta infert Christi glorificationem.

64 Ostendimus autem *disput.3. quæst.* 8. cum D. Bonauent. ex vnione hypostatica Christi satisfactionem fuisse infinitam. Igitur cùm sanguini non minus, quam corpori Christi adscribatur remissio peccatorum, & redemptio nostra; imò in cœna magis sanguini eam ipse adscripserit, videtur ex hoc colligi argumentum, sanguinem Christi non modò, quia effusus fuerit a persona infiniti valoris, sed etiam quia ipse hypostaticè vnitus, fuisse pretium redemptionis, vt notat Valentia *disp.1.q.5. puncl.1.* Lyranus *in cap.9. ad Hebræos.*

65 Hinc D. Augustinus in Psal.65. *Quæritis quid emerit? Videte, quid dederit, & inuenistis quid emerit. Sanguis Christi pretium est, tanti quid valet? quid, nisi totus orbis, quid, nisi omnes gentes?* Et serm.18. de tempore; *Pretium vitæ nostræ sanguis est Domini, & totius mundi incolumitas sempiterna, pecunia illa totius mundi copiosa possessio est.* Logo num.8. Vasquez *cap.6.* conantur hæc loca infirmare ex D. Augustino ipso *lib.13. de Trinit. cap.15.* quia ait: *Sanguis ille, quoniam eius erat, qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum effusus est peccatorum.* At verò hoc nil obest, nam D. Augustinus hîc vnam tantùm rationem affert, quæ non excludit nostram; imò si addantur alia loca D. Augustini, astruit, sanguinem Christi, quia erat Filij Dei, non quomodocumque, sed per vnionem hypostaticam, fuisse efficacem.

66 Probatur secundò à D. Bonau. *art.3. dist.2. quæst.2. fundamento vltimo, & corpore*, ex discursu Apostoli 2. *ad Hebræos*, vbi ait: *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, &c.* Hinc deducit S. Doctor, communicationem hanc hypostaticam fuisse, vt Deus esset substantialiter homo, & nos redimeret; communicatio autem hæc tam cum sanguine, quàm cum corpore asseritur. Hinc D. Cyrillus *lib. de Incarnatione, circa finem.* Et Leo *de fide ad Reginas*, longè post medium, ait: *Verbum ex Deo particeps factum est carnis, & sanguinis.* Et lib. de fide ad Theodosium circa principium, & epistola 8. ad Nestorium circa finem, ita exponit illud Ioan. 1. Verbum caro factum est. *Nihil aliud est, (inquit,) quàm quod in carne, & sanguine nobiscum communicauerit.*

67 Probatur tertiò à D. Bonau. *ad 22. Lucæ*, ex institutione Sanctissimæ Eucharistiæ, atque sacrificij, memorialis sacrificij crucis; nam instituit hoc sacrificium, præcipuè in sanguine sub specie vini, & ibi dicitur fieri remissio peccatorum: *Hic est calix in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, vbi obseruat, etiam alios Euangelistas, tametsi in aliquibus verbis variè referant, tamen explicitè dicere: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Et Apostolum 1. Corinth. 11. dixisse: *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine.* Ecclesiam verò in consecratione, licèt varies verba, nempe, quia ab eis historicè relata, non autem ad formam præcisè tradendam, tamen apponit: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Eam sanè formam Ecclesia ab Apostolis, & Christo accepit, qui est author Sacramentorum.

68 Hæc autem eò tendere, ait, vt exprimatur nouum Testamentum confirmatum, & stabilitum sanguine Christi, sicuti antiquum in sanguine victimarum figurabatur, vt dicitur Hebr.9. *Nec primum quidem testamentum sine sanguine dedicatum est.* Et Exodi 24. vbi Moyses sanguine respersit populum dicens: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*; at quia sanguis ille non valuit peccata delere, vt dicitur *Hebr.9.* ideò nouum Testamentum sanguine Iesu sacratum est, vt ipse se victimam offerret sanctissimam, sanguine profuso infinitæ placationis, quatenus ipse sanguis principaliter erat pretium nostræ redemptionis cum substantia victimæ, non quia sanguis vniatur formaliter animæ, sed quia vnitur verbo. Sic enim loquitur Apostolus, (vt notat S. Doctor): *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manufactum, idest, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Et ideò noui Testamenti mediator est.* Vult dicere; Quia sanguine factus est mediator, communicans hypostaticè illi, vt esset mediator apud Patrem, ideò sanguine Christi redemptum est, tanquam pretio, genus humanum, vt arguit ibi S. Bonau. Ideò notat subdi Hebr.9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Notat autem S. Doctor, non sanguinem cuiuscumque, sed Dei sponsi Iesu Christi, idest vnitum Deo hypostaticè necessarium fuisse. Vnde dicitur Apoc.5. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*, & Apoc.1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, & Coloss.1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem*, & Apoc.12. *Ipsi vicerunt propter sanguinem Agni.* Hæc sanè testimonia testantur, sanguinem Christi esse pretij infiniti, non modo, quia effusus est à persona infiniti valoris ad eum modum, quo & effudit lacrymas, suspiria, & ora- 69
tiones infiniti valoris, vt putat Vasquez *cap.6.* Sed quatenus erat sanguis Filij Dei specialiter, idest vnitus illi hypostaticè, vt patet legenti. Hæc omnia supra allegata loca Scripturarum attulere tres Theologi, qui rem hanc disputarunt coram Pio II. vt refert Syluester *in Rosa aurea, tract. illo tertio, quæst.30.* & notat Vasquez *cap.6.* Quare non benè is aliqua tantùm refellit, omittens illud *Hebr 2.* quod est validius, quodque postea sibi adscribens, fatetur solidum, vt eo nixus Clemens VI. infinitam sanguini Christi dignitatem propter vnionem ad Verbum, tribueret. 70

Confirmatur ex Conciliis. Primò quidem Concilium Alexandrinum præsidente D. Cyrillo, dicit: *Verum, naturalemque Deum, carnem, & sanguinem assumpsisse.* Quæ sententia approbatur in Concilio Ephesino *tract.1. cap.14.* & in quinta Synodo generali *act.6.* longè à medio, & in Concilio Chalced. *act.1. pag.33.* ad finem refertur, & approbatur illa explicatio Cyrilli: *Verbum caro factum est, idest, carnem, & sanguinem sumpsit.* Et in sexta Synodo damnatur quidam hæreticus, qui dicebat, carnem, & sanguinem in cruce fuisse dimissa. Et *act.* 8. eiusdem Synodi habentur hæc verba in professione fidei Macharij Archiepisc. Antiochiæ: *Factus est in assumptione carnis, & sanguinis; mansit tamen quod erat.* Iste tamen fuit damnatus, sed ob id tantùm, quòd vnam in Christo voluntatem admitteret. 71

De cætero confessio eius non fuit reprobata. Hæc firme nituntur eo ad *Hebr.* 2. allato *probatione* 2. vt monet Lugo *num.* 10.

72 CONFIRMATVR ex dictis *disp.* 3. *quæst.* 8. nam Clemens VI. *in Extrauagants Vnigenitus de pœnitentiis, & remissionibus*, de sanguine Christi pro nobis effuso, ita loquitur: *In ara Crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficeret; sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse.* Vbi sanguinem Christi definit pretiosissimum, propter vnionem ad Verbum, vt notat Lugo *num.* 9. cum Vasquez *cap.* 4. non autem propter solam vnionem humanitatis effundentis illum; nam cùm antea de sanguine loqueretur, non de vnione humanitatis; oportet etiam correlatiuum, *Quæ*, ad guttam sanguinis immediatè ante nominatam referri.

73 RESPONDET Poncius *num.* 26. hic tantùm haberi, sanguinem vnitum, non immediatè, sed mediante humanitate, & ratione eius habente infinitum valorem in effusione voluntaria. Sic enim, & lacrymæ, & sudor sunt infiniti meriti, vt effunduntur. Ità & Gallus respondet.

CONTRA redarguo: Si lacrymæ, & sudor sunt eiusdem valoris, cur non illis, sed sanguini adscribit Pontifex infinitum valorem? fanè dum ei adscribit pretium infinitum ob vnionem ad Verbum, signum est, eum loqui de vnione immediata, vt ait Mastrius *num.* 175.

RESPONDET ergo Vulpes, hæc testimonia intelligi de vnione mediata, & potentiali, quia est proximum nutrimentum carni.

AT nunc sanguis in cœlo, cùm non sit amplius in potentia ad transmutationem, non posset dici vnitus. Deinde posset dici Verbum vnitum etiam sanguini B. Virginis, cum erat mutandus in carnem

74 Christi, vt ait Bellutus.

Ex his ruit etiam eorum responsio circa sanguinem in Eucharistia existentem ex vi verborum, cui respondent, ibi esse concomitanter deitatem ratione corporis, non ratione sanguinis, vt docet Concilium Tridentinum *sess.* 16. *cap.* 3.

ENIM verò Concilium ait, diuinitatem esse ex vi verborum, vtrique vniformiter per concomitantiam, etiam sub speciebus vini, sub quibus est sanguis tantùm ex vi verborum, ita vt in triduo mortis fuisset merus sanguis cum diuinitate, vt docet Scotus 4. *dist.* 8. *quæst.* 1. & *dist.* 10. *quæst.* 4.

CONFIRMATVR hoc ex altera definitione Clementis VI. qui damnauit Theologum quendam Barcinonensem; eò quòd è suggestu docuerat, sanguinem Christi, effusum in passione, fuisse à diuinitate separatum, cùm tamen corpus, & anima mansissent vnita Verbo. Ita refertur *prima parte directorij Inquisitorum, quæst.* 10. Eiusdem damnationis meminit Ioan. Dominicus *in suis quæstionibus Euangelicis in die Paschatis.*

75 NEQVE rectè Dominicus de Dominicis *lib. de sanguine Christi, art.* 3. *in fine ad vlt.* ait, hanc definitionem non esse authenticam: Eam enim authenticam asserit Directorium citatum, & Sylvester *tract. illo tertio, quæst.* 31. qui etiam conuincit falsitatis dicentes, Pium II. præcepisse, ne altera pars assereretur, nam eadem damnatio illius Theologi Barcinonensis ab eo fuit approbata.

HIC verò oportet aduertere Vasquez sagacitatem, qui *cap.* 6. refert, tres Theologos disputasse coram Pio II. hanc causam, & attulisse Scripturas omnes, quæ sanguini Christi attribuunt remissionem peccatorum, & nostram redemptionem: Deinde verò aliqua sola ex his refert testimonia, & conatur ea ostendere infirma; quasi id solùm probent, scilicet sanguinis Christi valorem oriri non ex vnione hypostatica cum Verbo, & consequenter non ex proprio valore; sed ex dignitate solè personæ effundentis, quo pacto etiam lacrymæ Christi sunt pretiosæ.

DEINDE verò refert, se, *anno* 1586. Compluti alia testimonia inuenisse, inter quæ recenset illud secundo ad Hebr. *Quia pueri, &c.* relatum suprà ex D. Bonauentura, & hoc reputat ex D. Cyrilli expositione efficax. Hoc verò testimonium ex ipsius Vasquez confessione, allatum fuit etiam a Theologis illis, nam sanguini Christi adscribit redemptionem, vt patet. 76

DAINDE vrgeo: Ipse Vasquez *num.* 15. ait, hanc sententiam à Pio II. acceptatam, & damnatum illum Barcinonensem Theologum, qui oppositum docuerat. Signum est ergo: existimasse, testimonia Scripturæ allata à Theologis illis efficacia; neque id credidisse efficax. Ex testimoniis, quæ ipse Vasquez *cap.* 5. *num.* 28. à se collecta gloriatur postea, cùm tertiam partem doceret, anno 1586. cum Pius II. anno 1464. vltimum suo Pontificatui colophonem imposuisset. Illi profectò Theologi efficaces è Scriptura, vel Conciliis, & Patribus authoritates adhibuere, quibus motus Papa id definiuit. 77

PRÆTEREA *cap.* 5. initio laborandum ait, vt quæratur fundamentum definitionis Clementis VI. vel ex ratione, vel ex authoritate Scripturæ, vel traditione. Ex Scripturis quidem negat haberi, aut ex ratione: Ex traditione verò allegat Concilia, quæ sanè, si validè id definiunt, oportet ea ex ratione, vel Scriptura, vel traditione id hausisse: non ratione, vel alia anteriori traditione, vt patet apud Vasquez: Ergo ex Scriptura, saltem ea, quam tetulit S. Doctor, cum illis Theologis *secundo ad Hebr.* & ex Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, vt indicat Concilium Chalced. suprà. Non ergo benè discortit Vasquez; vt rem sibi adscribat. 78

ASSERO secundò. Omnis sanguis, qui fuit in corpore Christi, & fuit pro nobis effusus, fuit hypostaticè Verbo vnitus. Hæc assertio non est adeo certa, sicut præcedens. 79

PROBATVR tamen, quia Scriptura Sacra, Concilia, Patres, & Theologi proceriores indefinitè loquuntur de sanguine Christi; & in doctrinalibus locutionibus, indefinita æquiualet vniuersali, vt monet Lugo *num.* 33. Confirmatur à D. Bonau. *loco citato*, quia ex vi verborum consecrationis totus sanguis Christi ponitur sub speciebus vini, nam verba illa: *Hic est sanguis meus*, totum includit; sed vbicumque est sanguis Christi, vel aliqua pars eius, ibi est per concomitantiam totum suppositum Christi, vt probatum est è Concilio Tridentino: Ergo. Id vrget Lugo *num.* 34.

ASSERO tertiò, Verbum assumpsisse sanguinem non solùm ob extrinsecam rationem, vt esset pretium condignum, sed etiam ob intrinsecam, vt perfectam, & integram humanitatem assereret. 80

NON nititur hæc assertio aliquorum fundamento suprà confutato, nempe sanguinem esse partem corporis; hoc enim fundamento adeò debili, non debet niti tam certa veritas. Fundatur ergo in hoc, vt aiunt allegati Doctores, quibus adde Suarez, quia sanguis pertinet ad integritatem humanæ naturæ, vt docet D. Bonauent. suprà, & alij, vbi cum

cum omnibus Theologis astruit, sanguinem futurum in corporibus resurgentium. Ideò Concilium Tridentinum *sess.13. cap.3.* videtur asserere, sanguinem esse partem corporis, dum dicit: *Sanguinem Christi esse sub speciebus panis ex vi illius connexionis, qua partes Christi corporis inter se copulantur*, & hoc sensu Aristoteles *lib.2. de partibus, cap.2.* Sanguinem inter partes animalis enumerat: & Seneca *lib.2. naturalium quæstionum*, vocat illum quasi partem, quia sine sanguine non potest vita consistere: propter quod *Leuit.17.* dicitur: *In sanguine esse animam*, idest, vitam, quæ ab illo pendet, vt D. Augustinus exponit *quæst.17. Leuit.*

81 Ex quo fit, vt sanguis non solùm vt nutrimentum requiratur, sed etiam ad consistentiam corporis, & ad fouenda membra, & conseruandum naturalem calorem; & est veluti organum ad operationes, maximè ad affectus iræ, audaciæ, & similium, & ad conseruationem spirituum vitalium, & animalium, qui ad vitæ conseruationem sunt necessarij, & ad vsum sensuum.

Qvoniam ergo Verbvm factum est homo eiusdem nobiscum integritatis, ideò assumpsit sanguinem ex vi huius integræ susceptionis humanæ naturæ. Et hoc (ait Suarez) significauit Paulus, cùm dixit, ideò Verbum assumpsisse carnem, & sanguinem, quia & nos carne, & sanguine constamus. Id verò significarunt CC. & PP. suprà, vt monet Lugo, addens *num.13.* Damasc. *lib.2. fid. cap.12.* addito *lib.3.cap.6.*

Qvod si tantùm ex priuilegio fuisset sanguis assumptus, sequeretur, duas factas esse vniones hypostaticas, physicè non connexas, sicuti si Verbum lacrymas assumpsisset.

82 Obiicies primò, Verbum non assumpsit corpus, nisi mediante anima: Si igitur sanguis non est animæ vnitus: Ergo nec Verbo.

Respondetvr, Verbum assumpsisse carnem, sub qua continetur etiam sanguis mediante anima, non mediatione vinculi, sed finis, & ideò licèt sanguis non sit vnitus animæ, tamen vnitur Verbo, quia sanguis est propter animam, quæ in corpore non potest conseruari absque sanguine; & sanguis etiam coniungitur corpori.

83 Obiicies secundò. Si sanguinem assumpsit: Ergo & spiritus vitales, & animales, & alios humores, & aerem, & sic multæ assumptiones, & dimissiones erant in consumptione spirituũ vitalium.

Respondet Vasquez *num.33.* non esse adeo certum de spiritibus vitalibus, sicut de sanguine, qui est vniuersale instrumentum, natiuo suo calore elaborans spiritus vitales, & animales: quibus proximè facultates habiles redduntur, ideò de spiritibus non habetur mentio apud Patres, & Concilia. Idem ferè habet Suarez *sect.7.* initio.

At non video, qua soliditate stet hæc responsio, nam spiritus sunt sanguis depurgatus, qui magis spectant ad vitam, quàm ipse sanguis, ideò vitales à corde elaborantur; animales à cerebro, post decoctionem sanguinis in Hepate; sanguis enim est sola materia, ex qua elaborantur, vt dicunt Philosophi, & Medici. Concedo igitur assumptos spiritus eadem certitudine, qua & sanguis, imò maiori, neque est absurdum in eis fieri tot immutationes, sicuti & in sanguine fiunt, ex quo aliquæ partes depereunt, & resoluuntur. Igitur idem de spiritibus asserit S. Bonauent. *in 4. loco citato, ad tertium.*

84 Qvoad alios verò humores, nempe flegma, melancholiam, & bilem, dico, assumptos, vt declarat Innocentius III. *cap.* In quadam, *de celebratione Missarum*, sic enim concludit: *Cùm autem ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet Terra, Aqua, Aer, & Ignis: & ad vegetationem eiusdem corporis quatuor humores consimiles, videlicet sanguis, cholera, phlegma, & melancholia: vt veritatem humani corporis expressius demonstraret, vnum ex illis, & vnum ex istis Ioannes*
expressit, &c. Quo testimonio obiter eliditur etiam 85
opinio Scoti *in 2. dist.15. quæstione vnica*, Fabri *Theor.60.* Vulpis, aliorumque negantium, Elementa, manere formaliter in mixto, nam Pontifex definit, è latere Christi fluxisse sanguinem, qui est præcipuus inter humores; & aquam, vnum ex elementis, vt ostenderet, corpus Christi fuisse verè humanum, quia erat compositum ex quatuor elementis, & quatuor humoribus, quódque Verbum assumpsit verum corpus humanum. Ratio est ex D. Bonau. *in 4. loco citato*, quia humores sunt necessarij ad statum corporis humani, & ideò etiam in corporibus resurgentium permanebunt.

Scio ab Aristotele vocari excrementa. Sic de 86
Bile loquitur *lib.4. de partibus, cap.2.* De Pituita *lib.1. de gener. animalium, cap.18.* Sic enim vocantur, quia non ordinantur ad nutritionem, sicut sanguis, & sunt ex magna parte superflui; per se verò sunt necessarij ad corporis temperamentum, & vt sanguis ipse sit liquidus, fluens, & humidus, ac debitè temperatus. Nobiscum est D. Thom. *in 4. dist. 44. quæst.1. art. 2. quæst. 3.* vt monet Nazar. *p. 2. controu.* Lugo *disp.14. sect.8.* vt ait Mastr. *disp.1.n.184.* & communiter Theologi.

Obiicies tertiò. Si Verbum assumpsisset sanguinem verè, diceretur: Verbum est sanguis, per communicationem idiomatum. Probatur sequela, quia sanguis est substantia completa magis, quàm manus, vel pes. Vnde, esto non dicas: Verbum est manus; potes tamen dicere: Verbum est sanguis.

Respondet Scotus, recurrendum ad vsum; 87
esto enim possent hæc dici, tamen loquentes his non esse vsos. Hoc patet, nam in quibusdam communicatur: sic ablutâ manu dicitur, Petrus est ablutus, & ad Baptismum sufficit; si autem sola manus est nigra, non dicitur, Petrus est niger. Multa de his congerunt Scotistæ, Mastrius *n.190.* Author controu. Scoti *controu.4.n.157.* Lugo *loco cit.* Arriaga *disp.23. sect.1.* Dat regulam Lugo *num.55.* denominationes ritè fieri ratione partis, si sit principalis.

Respondetvr secundò, non fieri communicationem idiomatum, nisi secundùm totam naturam assumptam; & hoc in concreto, vt monet Lugo *num.52.* neque enim dicitur: Verbum est corpus.

Obiicies quartò. Persona Diuina est loco subsistentiæ creatæ; sed hæc immediatè suppositat tantùm partes corporis, è quibus non est sanguis.

Respondetvr, sanguinem esse partem ad constitutionem corporis intrinsecam, non verò extrinsecè tantùm ad respirationem, & ad remotam compositionem spirituum sanguinis, vnde beati aërem non habebunt; cùm sanguinem sint habituri.

Obiicies quintò. Sanguis, si non est cum 88
anima, non debet dici suppositatus: Ergo in triduo est separatus. Confirmatur, quia tunc mutauit formam.

Respondetvr, naturalem cursum ita secum ferre, vnde & corpus exanime debebat non esse vnitum personaliter: at Diuinâ sapientiâ ita factum est,

est, hac ratione, quia resumendum erat corpus, atque adeò & sanguis, vnde propter ordinem ad resumptionem, faciendam ab anima, erat hoc congruens, vt docet S. Doctor, relatus *disput.* 8. *quæst.* 2.

Obiicies sextò. Disputatum est ab Ordine nostro coram Pio II. & Pater Franciscus de Ruere Commissarius Generalis, mox Cardinalis, ac Pontifex, Sixtus IV. dictus, contra alios Theologos sustinuit, sanguinem Christi in triduo non mansisse Verbo vnitum: Id ergo censet Ordo noster.

89 Dico Reuerendissimum illum censuisse id sanè esse probabile, sed oppositum revereri, maximè ob processum Barcinonis, qui refertur *prima parte, direct. Inquisit. quæst.* 10. quo iussu Pontificis Inquisitor Nicolaus Rosellus coëgit quendam Concionatorem retractare eam sententiam. Decretum verò testatur Syluester *in Rosa aurea, tract.* 3. *q.* 31. à se visum Brixiæ inter alia diplomata Inquisitoris Brixiensis; Quamvis autem Pater Franciscus de eo suspicetur, timet tamen, non soluens.

90 Porrò sanguinem in triduo vnitum asserunt communiter Theologi, & deducitur è Patribus apud Suarez *tom.* 2. *disp.* 47. *sect* 3. Vasquez *disp.* 36. *cap.* 4. Lugum *disp.* 14. *sect.* 3. Et colligitur ex illo Ioan. 6. *Qui bibit meum sanguinem, in me manet.* Ideò si relicta esset in calice pars consecrata, vel fuisset in triduo facta, ibi fuisset sanguis separatus à corpore vnitus Verbo. Adde Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 3. declarans in speciebus vini esse sanguinem, & corpus, & animam vi concomitantiæ, qua partes Christi copulantur. Cùm ergo sanguis sit pars, debuit vel subsistere in Verbo; vel propria subsistentia, quod absit. Ita in triduo debuit manere in Verbo, cùm esset pars corporis; partes autem non fuerint dimissæ, vt admonent S. Leo *serm.* 8. & 9. *de Natiuit. & de Passione Domini*, & Damasc. 3. *sent. & lib.* 3. *de fide, cap.* 6. & *cap.* 17. & *cont. Acephalos*, Nyssen. *orat.* 1. *de Resurrect.* Bernard. *lib.* 5. *de consider.* Quare Eminentiss. de Lugo *num.* 105. ait, non posse iam sine nota oppositam defendi sententiam. Idem aiunt Vasq. *cap.* 4. Capreol. 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 3. *cont.* 1. *conc.*. Bartholom. Medina *hic*, *quæst.* 5. *art.* 1. damnantes etiam Durandi sententiam ex Clem. VI. Pio II. Paulo II. Hoc est argumentum S. Bonau. vt initio dixi.

91 Obsistes autem septimò. Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit, vt Theologico fertur axiomate è Patribus allatis, præsertim Damasceno; at partes multæ sanguinis fuere dimissæ, quæ adhuc manent apud nos, quod declarat Pius II. in Bulla ad Abbatem Sanctæ Mariæ Xantonensis Diœcesis, quam refert Syluest. *tract. illo* 3. *quæst.* 32. Ergo.

92 Aliqua sanè hac de re est controuersia: nam Turrecrem. *in cap.* Inuitat 2. *dist.* ait, esse errorem contra fidem, asserere, aliquam partem sanguinis Christi manere in terris. Idem negauit S. Thom. 3. *p. quæst.* 54. *art.* 2. & *quodl* 5. *art.* 5. non tamen aliquam notam oppositæ sententiæ inurit. Idem sentit Athanasius *lib. de Passione Imaginis Christi, cap.* 7. & licèt non fuerit Magnus Athanasius, tamen sub nomine vnius Athanasij historia quædam ibi narrata de Iudæis, qui Christi crucifixerunt statuam, & lancea confoderunt, ex quo vulnere emanauit sanguis. Recitata est in septima Synodo generali Nicæna, *act.* 4. Quare sanguis in terris adoratus, est miraculo haustus ex imaginibus.

Alii verò docent, partem aliquam sanguinis 93 Christi in terris seruari, quem in resurrectione Christus non resumpsit ad suum corpus. Ita supplem. Gabrielis 4. *dist* 44. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 6. Nicephor. *lib.* 1. *cap.* 30. Syluester *loco cit.* Caietanus, & alij. Thomistæ 3. *part. quæst.* 54. *art.* 2. Confirmatur, quia Pius II. id videtur definire *loco cit.* vt refert Syluester.

Suarez 3. *part. tom.* 2. *disput.* 47. *sect.* 3. dicit, probabilius esse, non remansisse in magna quantitate, potuisse tamen aliquam guttam remansisse, vt apparet in clauis, spinis, & lancea ex colore rubro, quam tamen coloratam, substantiam ait esse, forsan non substantiam sanguinis, sed colorem è sanguine relictum. Hoc verò interim mihi videtur ridiculum. 94 Sic enim data esset transmigratio coloris de subiecto suo sanguine in linteum, clauos, & spinas; sanguis enim non tingit, nisi infusus suâ substantiâ. Addit verò, si aliquis sanguis remanet in terris, illum non esse vnitum Verbo hypostaticè, quia nullam habet ordinationem ad corpus Christi actu, vel potentia. Non longè abit Lugo *disp.* 14. *num.* 91.

Vasquez primò asserit, non esse à Pio II. definitum, sed solùm declaratum fidei non repugnare, asserere, aliquam particulam sanguinis Christi in terris reperiri; noluit enim deuotionem populi condemnare.

Quod verò Syluester narrat *tract.* 2. super Euangelia, 95 feria quinta infra octauam Paschæ, se vidisse anno 1497. cum B. Magdalenæ reliquiis ampullam vitream, plenam terra, & sanguine Christi, quem collegit ipsa iuxta crucem, quique in die Parasceues post lectam passionem singulis annis ebulliebat.

Quod etiam Platina refert in vita Leonis III. eum profectum fuisse Mantuam ad visendum Christi sanguinem, qui tunc ob assidua miracula in veneratione erat, quod asserit Baronius anno 804.

Respondet, nullum sanguinem, verâ forma sanguinis præditum, remanere; attamen aliquam partem remansisse, nec totum resumptum à Christo in resurrectione contra Suarez concedit. Totum vero sanguinem fuisse prius hypostatice Verbo vnitum, ait contra Syluestrum, & Caietanum, qui duas illas sanguinis differentias ponebant.

Nunc autem dicit non seruare formam sangui- 96 nis, sed tantum aliqua accidentia, puta colorem, qui non seorsim, sed cum substantia, seu subiecto suo permanere dicendus. Id fortè voluit Suarez. Quod verò ex Damasceno affertur. *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.* Vasquez ait, non inueniri in eo hanc propositionem, sed solum dixisse *tertio de fide, cap.* 17. Per mortem fuisse separatam animam à corpore; vtrunque tamen mansisse vnitum Verbo. Idem notat Mærac. *d.* 21.

Valentia *quæst.* 5. *puncto primo* concedit, ali- 97 quam particulam sanguinis Christi in terris remansisse, & adorandum latria, vt vnitum Verbo. adducit autem ex Damasceno id dictum. *Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit.*

Equidem non video qua ratione dogma illud, quod ex Damasceno omnes fere Theologi allegant, possit intelligi adeo subtiliter de omnibus particulis. Primò enim sanguis continuè in spiritus transmutatur; spiritus autem assiduè consumuntur in operationibus sensuum, & ita in Christo aliqua pars sanguinis assumpti consumebatur. Idem dic multò magis de aliis humoribus. Deinde certum est, particulas carnis continuo fluxu consumptas fuisse ieiuniis, laboribus, &c.

Illa verò propositio: Quod Verbum semel assum- 98 psit

psit nunquam dimisit, asseritur ex D.Damasceno,& S.August.a D.Bonau.*in 3.dist.21.quæst.1.fundam.1.* vbi sic ait Augustinus: & Damascenus habet: *Anathema sit ei, qui dicit, Verbum dimisit, quod semel assumpsit.* Idem dogma refert Suarez *loco cit.* illud tamen de partibus principalibus exponendum notat, non de quavis particula, & eodem sensu arbitror cum S.Bonau. exponendam.

99 Hoc dogma refert S. Thom. *3. part. quæst. 50. art.3.*ex D.Damasc.*lib.3.de fide, cap.27.* vbi sic recitatur: *Etsi Christus mortuus est, vt homo, & sancta eius anima diuisa est ab incontaminato corpore, diuinitas tamen inseparabilis ab vtrisque permansit; ab anima dico, & corpore.* Eisdem verbis refertur à D. Bonau. *in 3.dist.21. quæst.2.ad vlt.*

Dico primò, aliquid sanguinis Christi reperiri in terris.

Probatvr ex pia declaratione Pij II.& ex reliquiis seruatis Mantuæ, Massiliæ, & Venetiis, vbi sanguis pretiosus distinctus asseruatur à miraculoso, vt testantur se vidisse multi. Præterea sanguis rubet in sacra Syndone, spinis, sudario, clauis, &c. qui non miraculosus ex Imaginibus, sed è corpore Christi fluxit. Seruatur etiam Parisiis in templo S.Dionysij ampula sanguinis pretiosi, Regis Christianissimi thesaurus; Vide Marianam. Idem habes *in 6.lib. Reuel. S.Brigitta.*

100 Dico secundò, probabilius esse, cum sanguinem amisisse formam sanguinis, est enim aliquid tantùm siccum ineptum per venas decurrere, vix similem colorem seruans, non eundem, ex quo probabiliter habetur, perisse substantialem formam. Ex quo sequitur, non esse Verbo coniunctum; neque tamen dogma Theologorum temeratur, nam de partibus integralibus intelligitur. Adorandum tamen talem sanguinem latria multò magis, quàm Imagines Christi, ait Morandus.

His habes, etiam alios tres humores esse vnitos Verbo. Videtur Innoc. III. c. In quadam *de celebr.* Damasc. *lib.2. cap.12.* August. *epist.146.* & *lib. de spir. & anima, cap.46.* Vide Suar. *sect.7.* Lugum *n.108.* qui id probat: hi enim sanguini admixti sunt.

Qværes: An vngues, capilli, & dentes fuerint Verbo hypostatice vniti.

Vvlpes *disp.7.art.5.* negat: Vasquez dentibus solis id concedit *disp.36.num.34.*

Asservnt de his Scotus *dist. 6. quæst.1.* & communiter discipuli apud Mastr. *disp.1.num.204.* Suar.*sect.7.*& videtur D.Bonau. *in 4.dist.44.art.1.* Lugo *disp.14 sect.8.* probat, quia sunt in Eucharistia saltem concomitanter: ergo sunt partes ex *cap.3.suprà.*

101 Probatvr primò è D. Bonau. quia hæc ad integritatem corporis pertinent, saltem secundariam, & ad aliqua opera sunt necessaria, nedum ad ornatum.

Deinde & ipsi capilli, tanquam de complemento, nedum ornamento, in resurgentibus erunt, vt ait D. August. *22. de ciuit. cap.19.* & *in Enchir. cap.88.* vt docet S.Doctor, quem imitatur D.Thom. eadem *dist.44.quæst.1. art.2.quæst.3.*& Suarez, omnes Theologos allegans.

102 Probatvr etiam ex PP. Ambr. *lib. de Incarn. cap.6.* Athan. *ad Epictetum*, quem refert Epiphan. *hær.77.* Id non supponat, vt notat Suarez.

Frvstra verò, & extra chorum respondet Vasquez, Patres id referre è sententia hæreticorum. Sanè PP. inducunt sequelam contra eos dicentes, deitatem, & carnem Christi esse eiusdem substantiæ: Ergo Verbum in ossa, & capillos conuersum est. Ita supponunt, Verbum esse vnitum capillis, &c.

Qværes, an Verbum assumpserit accidentia.

103 Respondetvr, assumpsisse accidentia in hypostasi, quatenus assumpsit naturam humanam, in qua sunt accidentia; non tamen secundùm hypostasim, ita vt immediatè hypostasi Verbi sint vnita. Sic D.Bonau.*ad 24.Lucæ,* in ea verba: *Palpate, &c.* Confirmat eo primæ Ioan. *Manus nostræ contrectauerunt de Verbo,* &c.

Prior pars probatur ergo Scripturis, quæ testantur, Christum fuisse hominem, visibilem, manducasse, bibisse, &c. Ex quibus deducunt Concilia, assumpsisse naturam nostram perfectam, & quicquid in ea plantauit, & per omnia fuisse nobis similem, vt loquitur Concilium Chalcedonense *act.5. in secunda definitione fidei.* Et nona Synod. *act.4.& 11.* & PP. quos refert Suarez *disp.15. sect.8.* & Glossæ apud D. Bonau. *loco cit.*

104 Posterior pars probatur, quia accidens non est immediatè assumptibile, præsertim cùm actu inhæreat: nam accidens non est capax modi substantialis, vt probant Suarez *disp.14.sect.4.* Morand. *num.351.* Hoc solùm probant argumenta Vulpis *disp.7.art.7.* Vide D.Bonau. *dist.5.art.2.quæst.5.*

QVÆSTIO VIII.

An humanitas CHRISTI *appetat propriam personalitatem.*

105 Qvi negant, personalitatem esse aliquid positiuum, negabunt etiam humanitatem Christi habere appetitum ad propriam personalitatem; non enim est appetitus ad negationes, vt notat Caietan. *quæst.4. art.2.* cum Medina *ad eundem art. dub.2.* Aluarez *disp 27.* Nazar. *quæst.4.art.2.controu.vnica.*

Hi existimant; tametsi humanitas Christi præcisè habeat inclinationem ad suam personalitatem; eam tamen non appetere actu, quia in Verbo appetitus eius satiatur. Ita etiam Suarez *disp.8. sect.3.*

Vasqvez *disp.34.* summopere hanc sententiam reprehendit, quod loquatur de appetitu naturali, tanquam de elicito à voluntate, qui potest ad libitum sedari; & ideò oppositam tuetur sententiam post Scotum *quodl.19. quæst.3.*

106 Notandvm, appetitum naturalem posse dupliciter considerari. Primò per modum actus primi, & est ipsa natura, seu potentia, vt nondum actualiter tendens in assecutionem rei. Talis est grauitas in terra, dum est in proprio centro. Secundò potest sumi pro actu secundo, seu actuali tendentia. Sic terra, vel lapis extra centrum actu grauitat, & conatur.

Assero primò, Humanitatem Christi per modum actus primi appetere propriam personalitatem.

Probatvr, argumento Vasquez, quia naturalis appetitus est ipsa natura rei immutabilis, spectans ad suum obiectum, ad quod necessariò inclinat.

107 Assero secundò, humanitatem Christi non tendere actu in suam personalitatem.

Probatvr primò à Caietano. Quandocumque aliqua potentia satiatur bono, continente virtualiter proprium obiectum, ita satiatur, vt actu non tendat in proprium obiectum: Talis est humanitas Christi, quæ satiatur personalitate Verbi, continente perfectionem propriæ personalitatis: Ergo.

108 Respondet Vasquez, appetitum sanè elicitum, qui sequitur cognitionem, mutari ex possessione rei perfectioris, non autem appetitum naturalem, qui ad illud vnum bonum determinatus est.

CONTRA, nam appetitus naturalis in potentia oritur ex eo, quòd caret perfectione debita, qua capacitas sua naturalis expleatur, atque satietur. Igitur si perfectio adueniat, continens perfectionem naturalem, iam satiabitur appetitus.

PROBATVR secundò ab aliis. Quandocumque appetitus tendit in suum obiectum, & detinetur extrinsecus, violentiam patitur: sed humanitas Christi per te est talis: Ergo vim æternam patitur. Maior probatur à D. Bonauent. exemplo animæ, quæ ex D. Augustino *super Genes. ad litt. lib.* 12. *cap.* 35. propter appetitum ad corpus retardatur, ne tota intensione feratur in summum bonum, vt refert D. Bonauent. *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 5. *ad* 6. Ita ergo erit de humanitate Christi, quæ appetit propriam personalitatem: Maior est Aristotelis.

109 RESPONDET: Suarez Si sustineatur, naturam non habere vim actiuam ad propriam personalitatem effundendam, sed eam produci ab agente productore ipsius naturæ, non sequi violentiam pati in aliena personalitate, quia ad violentiam non sufficit priuari perfectione, debita capacitati passiuæ, sed necesse est priuari propria perfectione, seu actione contra impetum actiuum, vt indicat Aristoteles 3. *Eth. cap.* 1. & *lib.* 2. *ad Eudemum, post medium.* Hanc responsionem attulit Vasquez *numero* 15.

EAM tamen refellit primò, quia humanitas habet impetum actiuum ad propriam personalitatem. Probatur, quia personalitas est modus, cum natura intrinsecè connexus; multò magis quàm passio cum forma. Et sicut posita rationalitate resultat visibilitas; ita, &c.

110 PROBATVR etiam: Suspendat Verbum concursum suæ hypostasis, iam è natura manabit propria personalitas, alioqui remaneret natura, nec in se, nec in alio, quod implicat, quia hi modi sunt immediati contradictorij: emanaret quidem noua actione hic nouus modus sustantialis; at actio ista esset à natura, cui propria subsistentia connaturalis est. Præterquam quod Aristoteles non prætendit ad violentiam, vt sit contra appetitum agentem, sed contra appetitum, non conferente vim passo, hoc autem erit, etiamsi appetitus sit tantùm passiuus alicuius boni; & eo non conferente vim, recipere cogatur ab extrinseco aliud.

111 RESPONDET secundò, ad violentiam requiri, vt actione contraria, & repugnante ipsi appetitui naturaliter priuetur suâ perfectione: at verò in hoc Mysterio, quamvis humanitas priuetur aliquo modo, seu perfectione naturali, non tamen per formam contrariam ipsi naturæ, sed per supernaturalem modum existendi, quocum natura non habet repugnantiam, sed potentiam obedientialem. Sic materia dum priuatur vnâ formâ, licèt ad eam habeat appetitum, non patitur violentiam, quia priuatur per aliam formam sibi etiam connaturalem, & manus hominis non patitur violentiam, dum sursum monetur ab anima, multò minus creatura Deo obediens, vt ostendi *p. p. tract.* 1. *disp.* 11 *à num.* 117.

Ex dictis habes; si Verbum suspenderet suam subsistentiam à natura humana, necessariam fore nouam actionem ad propriam subsistentiam producendam, quæ esset modus substantialis nouus, qui sine noua actione non potest produci; non tamen hæc conferenda esset per extrinsecam operationem primæ causæ, sed resultaret ab ipsa humanitate, quia natura habet intrinsecam connexionem cum sua subsistentia multò magis, quàm proprietas cum essentia rei: Ergo posita natura, naturaliter ab ea resultat hic modus, multò magis, quam proprietas dimanet ab essentia. 112

QVÆSTIO IX.

Quo pacto Natura humana potuerit vniri Diuina, infinitè distanti.

{ D. Bonauent. dist. 1. quæst. 1.
D. Thom. q 1. art. 1.

RESPONDETVR cum D. Bonau. & D. Thom. ac Suarez *ad art cit. D. Thom.* & *disp.* 8. *sect. vltima,* distantiam extremorum non reddere extrema inunibilia, si aliunde inuicem ordinentur; è contra verò contraria sub eodem genere existentia, vt calor, & frigus sub eodem genere Qualitatis non possent vniri. Cùm igitur Deus sit infinitè quidem distans à natura humana; attamen sit principium, & finis, ad quem creaturæ ordinantur, & quo egent sustentari, non est eis impossibile sustentari hypostaticè, cum ad hoc habeat creatura potentiam perfectam obedientialem, vt sæpe, ac sæpius repetit S. Doctor *hîc, quæst.* 3. *eiusdem distinctionis.* 113

DICES: Quomodo potest vniri hypostaticè, supplente vices persona Diuina, cùm propria hypostasis sit tantùm modus substantialis; hypostasis verò Diuina sit res distincta? non enim potest figura, quæ est modus quantitatis, suppleri per rem distinctam, & figurari quantitas. Idem dic de sessione respectu sedentis. 114

RESPONDET latè Suar. *ad art.* 1. *quæst.* 1. & *disp.* 8. *sect.* 3. *cit. D. Thom.*

EGO facilè cum D. Bonau. Diuinam hypostasim aio continere omnem perfectionem simpliciter simplicem; inter has est dare modum standi perfectum, terminando naturam. Iam verò dat modum naturæ, vt stet in Verbo miraculosè, quem hypostases creatæ non valent exteræ naturæ dare. Eam fateor infinitè diuersam à connata; at proportionatam bonitate ex parte Dei diffusiua, & ex parte creaturæ obedientia, vt sustentandam se exhibeat, non forma, sed termino. Ideò non est simile de figura informante. 115

DISPVTATIO DECIMA.

DE ORDINE VNIONIS NATVRÆ HVMANÆ CVM VERBO.



HIC ordo ſtat in quadam prioritate, vel ſimultate actionum creationis, & aſſumptionis, ita vt pro diuerſitate eorum, quæ in vno homine aſſumuntur, diuerſæ fieri poſſint quæſtiones. Et primò quidem, cùm hoc Myſterium denominationem à carne præcipuè ſumpſerit, vt vidimus initio diſputationis primæ, quæri poteſt, num productæ, & aſſumptæ carnis idem fuerit inſtans: Deinde ſimilis difficultas verſari poteſt circa Chriſti Animam, an ſcilicet prius tempore fuerit creata, quam Hypoſtaſi Verbi vnita; vel, an etiam priùs, quàm ipſi corpori; quam difficultatem primùm ſuſcitauit Origenes, de quo *quæſtione* 2. Item de carne redire poteſt quæſtio quoad ordinem conceptionis, & vnionis; & quoad ordinem, quo vel Animæ eſt vnita, vel à Verbo aſſumpta; vbi etiam vtrum hoc poſterius actum ſit mediante anima, vel immediatè; cui ſimilis eſt quæſtio, an Mens, vel ſpiritus interuenerit, ſeu mediauerit in aſſumptione ipſius animæ; & an partes fuerint mediantes in vnione totius humanitatis; Denique controuerti poteſt, vtrum in aſſumenda Humanitate interceſſerit Gratia habitualis. Iuxta multiplicem hanc conſiderationem, variæ inſtituentur quæſtiones, quas ad antiquarum hæreſum intelligentiam, ſimul & refutationem, proponere eſt huius loci; quas tamen magis ſubtilitate rationis rimari, quàm Patrum ſententiis diſcutere neceſſe eſt; cùm in diuerſorum inſtantium Naturæ, vel rationis recta deſignatione conſiſtant, vt in progreſſu patebit.

QVÆSTIO I.

Vtrum Humanitas CHRISTI *ſimul tempore fuerit producta, & VERBO vnita.*

1 ANTIQVI hæretici, qui poſuerunt vnionem Incarnationis accidentalem, non hypoſtaticam, conſequenter dixêre, prius tempore Chriſtum fuiſſe purum hominem, poſtea ſuis meritis eam vnionem accepiſſe. Ità Cherintus relatus ab Irenæo *lib.* 1. *cap.*25. & Neſtoriani, relati à Vincentio Lirinenſi, & Caſſiano *lib.* 1. *&* 2. *de Incarnat.* quorum errorem fuſiùs tractabimus *diſput. de Chriſti conceptione.*

ASSERO, Humanitatem Chriſti non priùs tempore extitiſſe, quàm fuerit vnita Verbo.

PROBATVR à Suarez, *diſp.*16. *ſect.* 1. Tannero *quæſt.* 4. *n.* 120. Morando *quæſt.* 25. ex illo Hebr. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli eius:* Ergo ex quo deſcendit in vterum Virginis, fuit Deus adoratus, vt exponunt Patres, præſertim Cyrillus *libro de fide ad Theodoſ.* circa finem, & *libro de fide ad Reginas, in probationibus, quòd Chriſtus ſit Deus, ex* 2

epistola ad Hebræos. Verùm quia ab aliis exponitur de Iudicio, vt notat Lyra, vel de Natiuitate, vt notat D. Bonauentura *in Meditationibus vitæ Christi, cap.7.* non adeò inuiolabiliter probat, fuisse in ipsa conceptione Deum.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *ad primum Lucæ*, ex verbis Angeli: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, vbi aduertit S. Doctor, conceptum Mariæ per antonomasiam Sanctum dici, & hunc non hominis Filium, sed Dei; atque adeò in conceptu hominem fuisse Deum. Vnde notat, B. Virginem esse *Theotocon*, idest Matrem Dei: Id vrget & Fuliens. *lib. 2. cap. 12. assert. 1.*

3 Hanc expositionem desumpsit Seraphicus ex Concilio Ephesinn I. *can. 13.* ex epistola Cyrilli ad Nestorium, definiente: *Ideò Deum natum esse è Virgine, & conceptum, quia in vtero Virginis, & in ipsa conceptione hominis, Deus carni est vnitus.* Quæ epistola legitur etiam, & approbatur in Concilio Chalcedon. *act. 1. pag. 31.* vbi multa è PP. referuntur, id confirmantia. Et in sexta Synodo Sophronius in sua epistola, ait: *Incarnatur Verbum Deus, non præfacta carni copulatur, vel animæ præexistente coniunctus, sed tunc his ad subsistendum venientibus, quando eis ipsum Verbum, & Deus naturaliter copulatus est.* Et infrà: *Et non ante verissimum ipsius Verbi conuentum ex seipsis extiterunt.* Et paucis interiectis: *Nec quantum in ictu oculi hanc, quàm illam priorem habentia: simul quippe caro simul Dei Verbi caro: simul caro animata rationalis; simul Dei caro animata rationalis.* Idem habet septima Synodus *act. 3. in epistola Synodica Theodori Hierosolymitani*, quam omnes PP. recipiunt. Et in Concilio Francoford. *in epistola ad Episcopos Hispaniæ*, circa finem, referuntur hæc verba ex Gregorio epistola ad Quirinum: *Non prius in vtero Virginis caro concepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem.* Et Concilium Tolet. XI. *in profess. fidei*, dicit: *Quo mirabili conceptu, ædificante sibi sapientia domum, Verbum caro factum est.*

4 Eadem expositio illius loci allegati à Seraphico habetur in Ignatio, epistola ad Trallianos: *Verè genuit Maria corpus, habens in se Deum habitantem, verè natus est Deus Verbum ex Virgine vestitus corpore, verè natus ex vuluа, qui corpus sibi fabricauit ex sanguinibus Virginis.* Idem sæpe docet Leo Papa *in epistolis*, præsertim 10. 11. & 97. vbi hoc argumento confutat Eutychen dicentem, Christum subsistere ex duabus naturis, non verò in duabus, quia inde fieret, illas duas naturas prius extitisse, quàm facta esset earum vnio. Et D. August. *lib. contra sermonem Arrianorum, cap. 8.* ait: *Vnus Christus est, & Dei Filius semper naturâ, & hominis Filius, qui ex tempore assumpta, non vt prius creatus, postea assumeretur, sed vt in ipsa assumptione crearetur.* Idem habent alij PP. relati à Suarez *loco cit.*

5 Probatvr deinde à posteriori ratione S. Doctoris *in 3. dist. 15. art. 2. quæst. 2. in corpore.* Si humanitas Christi priùs tempore fuit concepta, quàm assumpta: Ergo fuit homo subsistens, & sic B. Virgo concepit hominem solùm, non Filium Dei, atque adeò non est Mater Dei: sed hoc est hæreticum: ergo. Sequela est manifesta. Minor probatur ex 4. cap. ad Galatas: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Et Lucæ 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* vt notat ibi S. Doctor, & Theologi communiter. Quare D. Nazianzenus *oratione 51.* eam sententiam vocat damnatam: *Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est; hoc enim non generatio fuerit, sed generationis fuga.* Hac ratione vtuntur Sancti PP. præsertim Cyrillus sæpe eam inculcat in variis operibus, quæ habentur *Tomo 1. Concilij Ephesini.*

Hoc absurdum inducunt Thomistæ aliqui etiam contra nos, dicentes, Humanitatem non existere existentiâ Verbi, sed priùs naturâ productam, quàm vnitam. Sed frustra, nam satis est fuisse simul tempore creationem, & vnionem cum Verbo, vt notat Mastrius *disp. 1. quæst. 4. num. 166.* & hanc simultatem docent SS. PP. Leo *epist. 11.* Fulgentius *lib. de Incarn. cap. 3.* vt patet legenti. 6

Probatvr secundò à D. Bonauent. *dist. 5. art. 2. quæst. 1. ad primum*, ratione à priori, quia ita expediebat Deo omnipotenti, qui potuit vnico instanti humanitatem illam producere, & eam sibi vnire, & hoc spectat ad dignitatem potentiæ Dei, & humanitatis assumptæ, sicut (ait S. Bonau.) laudaretur, qui posset vestitum sibi pretiosum fabricare in dorso, eodem instanti.

Assero secundò. Vnio animæ, & corporis in Christo non fuit prius tempore facta, quàm vnio totius humanitatis ad Verbum. Est assertio, æque certa, ac precedens, & sequitur ex illa, quia humanitas nil est aliud, quàm totum constans ex anima, & corpore. 7

QVÆSTIO II.

Vtrum Anima Christi *priùs tempore extiterit, quàm fuerit vnita Verbo: vel, an prius tempore, quàm fuerit corpori coniuncta,* Verbo *sit vnita.*

Tvrpi errore scatuit Origenes *lib. 2. Periarchon, cap. 6.* dicens, animam Christi ante vnionem extitisse, eamque emeritam esse, quod probat illo Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, &c. propterea vnxit, &c.* his verbis: *Quod autem dilectionis perfectio, & meriti effectus sinceritas etiam hanc inseparabilem cum Deo fecerit vnitatem, ita vt non fortuita fuerit, aut cum personæ acceptione, animæ eius assumptio, sed virtutum suarum ei merito delata; audi ad eum prophetam dicentem: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, &c.* 8

9 Hic error Origenis nominatim ei adscriptus est in Concilio V. Generali *can. 2.* vbi definitur: *Si quis dicit, aut sentit, animam Domini præextitisse, vnitamque Dei Verbo ante Incarnationem, & Natiuitatem ex Virgine; anathema sit.* Et can. 10. dicitur: *Anathema sit Origeni, qui & Adamantius dictus est, & hæc promulgauit.* Damnatur etiam in sexta Synodo *in epist. Sophronij*, quæ *act. 11.* recitata fuit. Et *act. 13.* approbata, & à D. Leone *epist. 11.* Hæc & alia testimonia referunt Vasquez *disp. 37. cap. 4.* Suarez *disp. 16. sect. 2.* hic tamen non rectè negat, Origenem nullam meriti fecisse mentionem, vt vidimus in textu Origenis.

Assero primò, animam Christi non extitisse ante ipsius corpus.

Probatvr à Vasquez *cap. 4.* & Suarez *loco cit.* ratione generali D. Bonauent *in 2. dist. 17. quæst. 3. in fundamentis, & in corpore*, & *dist. 18. art. 2. quæst. 2.* vbi Origenis errorem refutat, qui *lib. 1. cap. 7. Periarchon*, id docuerat de omnibus animabus. Omnis forma incipit esse in suo subiecto, quod suppo- 10

nis anima est forma corporis : Ergo. Subsumo : at secundùm fidem Christi anima est eiusdem speciei cum nostra, vt supra ex D. Bonau. ostendimus *disp.9. quæst.5.* Neque verò aliquod in hoc particulare habuit anima Christi, vt supra ex Ecclesiæ doctrina vidimus.

Asssero secundò, animam non priùs tempore fuisse vnitam corpori, quàm Verbo. Neque è conuerso. Ita S. Doctor *in 3. dist.5. art.2. quæst.2. ad tertium.*

11 Prior pars probatur ex dictis, quia non priùs fuit humanitas, quàm anima vniretur corpori; sed humanitas non fuit priùs tempore, quàm vniretur Verbo : Ergo neque anima fuit priùs tempore vnita corpori, quàm Verbo.

Altera pars probatur : Non potuit anima esse vnita Verbo antequam esset; sed non fuit antequam vniretur corpori, cuius est forma, vt dixi : Ergo non priùs fuit vnita Verbo, quàm corpori. Vide Lugum *disp.15.* Vasquez *disp.37.cap.7 & 8. & disp.39.cap.2.& 3.*

12 Dices : Magis est animæ intrinseca subsistentia, quàm vnio carni : Ergo prius Verbum impediuit subsistentiam animæ, quàm ipsa corpori vniretur.

Respondetur, esto sit magis intrinseca, tamen simul natura creatur vnita. Vide Tannerum *num.156.*

QVÆSTIO III.

An Caro Christi *prius tempore fuerit concepta, quàm assumpta; vel, an prius assumpta, quàm animæ vnita.*

13 Fuere hæretici dicentes, carnem Christi priùs à Verbo assumptam, quàm animæ vnitam. Refertur Caluinus à Canisio *lib.3.de B.Virg.cap.21.*

Assero primò, corpus Christi humanum non priùs fuisse conceptum, quàm assumptum; nec priùs assumptum, quàm animæ vnitum. Loquor formaliter de corpore organico. Est de fide definita in sexta Synodo, *act.11. in epistola Sophronij*, quæ in *act.13.* approbatur. Et in Concilio Ephes. *can.13.* quibus locis dicitur caro Christi simul fuisse caro, & caro Verbi, & Verbum non assumpsisse carnem, nisi animatam animâ rationali. Et idem habetur in epistola fidei Iustiniani Imperatoris, & in D. Leone Papa *epistola 11.* Optimè Damascenus *lib.3. cap.2.* ait : *Neque enim Deus Verbum præexistenti seorsum carni vnitus est.* Et infrà : *Carnem animâ rationali, atque intellectuali animatam condidit, & eius hypostasis factum est, ac proinde simul vt caro extitit, simul quoque Dei Verbi caro extitit, simul caro animata rationis, atque intelligentiæ particeps.* Idem habet D. Augustinus *epist.3.* Ambrosius *de Incarnat.cap.6. & 7.* Fulgentius *de Incarnat.cap.3.*

14 Ratio est, quia carnis conceptio nihil aliud est, quàm eius formatio, per quam fuit suis organis, & membris conformata, & disposita, vt apta esset ad animam rationalem suscipiendam : hæc autem caro non priùs tempore extitit perfectè, & vltimò disposita, quàm vniatur animæ rationali; hoc enim naturale est tali corpori, & ita fit in conceptione cuiusque hominis : Ergo etiam in Christo. Quoniam verò illa caro Christi hoc habuit singulare, vt vno instanti fuerit organizata; sequitur nullo modo, aut perfectè, aut imperfectè fuisse prius conceptam, quàm vnitam animæ : Ergo nec potuit prius esse assumpta, quàm vnita animæ, cum non potuerit priùs esse assumpta, quàm concepta. Neque è contrario potuit priùs esse concepta, quàm assumpta, cùm non priùs fuerit animata, quàm assumpta, & simul fuerit concepta, & animata.

Assero secundò, Verbum assumendo corpus, simul tempore assumpsisse omnes partes integrales corporis humani. Quæ partium distinctio supponitur ex Aristotele *lib.1.de gener. cap.5.* & ex illa facilè declaratur assertio; nam Verbum simul assumpsit totum corpus perfectum organicum, constans ex omnibus membris, seu partibus : Ergo has simul assumpsit : Intellige de partibus, quæ sunt in infante, nam dentes, & alia, quæ postea acquiruntur, fuere successu temporis acquisita. 15

Extat dubiunculum; nam Verbum assumpsit corpus, vt ordinatum ad animam : Sed per organizationem ordinabatur ad animam : Ergo sicut in triduo mortis ex hac ordinatione non fuit separatum à Verbo; ita, imo multò magis in organizatione erat vnitum, nam magis ordinatur corpus ad animam in organizatione, q. àm post mortem. 16

Respondet Caietanus, ordinem organizationis ad animam esse ordinem in fieri; nos autem loquimur de ordinatione in facto esse, quia non potest corpus operari opera vitæ absque anima, vt ait S. Bonau. *dist.2. art.3. quæst.1.* & ita non debuit suscipere corpus ante animationem. Quòd verò carnem mortuam non dimiserit, etiamsi esset minus disposita ad animam, ratio fuit, quia cùm in ea opus salutis perfecisset, & in ea resurrecturus esset cum anima, iure optimo illam retinuit in triduo vnitam. 17

QVÆSTIO IV.

An Caro fuerit Verbo *vnita, mediâ animâ.*

D.Bonau. dist.2.art.3. quæst 1.
D.Thom. q.6. art.1.

Iam de ordine naturæ, quo partes sanctissimæ humanitatis fuêre vnitæ, agendum est. 18

Fuit opinio Durandi *3.dist.2. quæst.2.* qui negat, omnem realem ordinem naturæ inter assumptionem totius, & partium, vel inter partes inter se. Idem sensere multi ex his, qui dicunt, potuisse Verbum assumere naturam etiam irrationalem, vt notat Gabriel *in 3. dist.2. quæst. vnica, art.2.* & Almain. *eadem dist. quæst.1.*

E Scotistis aliqui dicunt, prius vnitum fuisse corpus. Ita Mayro *d.1.quæst.3.* Lichetus *disp.2.quæst.1.*

Communiter verò asserunt Doctores cum D. Bonauentura, animam fuisse medium, *Quo*, assumendi corpus. Suarez *disput.17.* vndecim Dictis prolixè suam profert sententiam, adducens pro se D. Thomam, & D. Bonauenturam, Scotum, & alios plurimos, non sincerè, vt notat Nazarius *quæst.8. art.1. controu. vnica*, quem vide. Nos breuiter sententiam D. Bonauenturæ astruemus, simul alienas opiniones elidentes.

Notant primò Nazarius *loco cit.* & Vasquez *disp.37.cap.7.* ex D. Bonauent. *3.dist.2.art.3.quæst.1.* eiusque discipulo Richardo *eadem distinct. quæst.2. art.2.* 19

art. 2. *ad* 1. aliud esse medium colligantiæ, quod est vinculum colligans duo; sicuti Gluten est medinm colligans tabulas: aliud medium, quod est ratio vnionis faciendæ: sicuti pulchritudo est medium Adæ ineundi vinculum matrimonij cum Eua.

Rvrsvs hoc secundum medium est duplex: alterum quod ita est ratio vniendi, vt primò vniatur; sic amphora est medium apprehendendi vinum; sic nobilitas est ratio apprehendendi vxorem pulchram, cui tamen magis coniungitur, vt coniugi, & pulchræ, quàm vt nobili. Alterum medium est, quod ita est ratio vniendi, vt tamen non priùs vniatur; sic pulchritudo est ratio apprehendendi eam numero virginem, cui tamen vnitur, & vt virgini, & vt pulchræ simul.

20 Ex his mediis aliud est medium necessitatis, quo sublato, tollitur vnio. Ita corporis temperamentum est medium omnino necessarium, vt anima corpori vniatur; & ideò hoc soluto anima recedit, aliud est medium congruentiæ: sic pulchritudo est ratio assumendi eam puellam; at deflorescente pulchritudine non soluitur coniugium. Has omnes diuisiones medij habes in Seraphico Doctore *hic*.

21 Notat adhuc Valentia *disput.* 1. *quæstione* 6. *puncto* 2. ex D. Bonauent. *ad vltimum*. Prius natura primò latè posse dici id, quod propter aliquam rationem, quæ in re ipsa insit, potest prius intelligi.

Alio modo propriè dici prius naturâ, quod secundùm aliquod causæ genus est prius altero, vel ita se habet ad alterum, vt illi ex natura rei præsupponatur, non è contra. Tertium verò modum apponit S. Bonauentura, quando est ratio, vt aliquid fiat, tamen in eo genere est prius naturâ illo.

22 Assero primò. Anima non fuit medium colligantiæ, seu vinculum vniens carnem personæ Verbi. In hoc conueniunt cum D. Bonau. S. Thom. *quæst.* 2. *art.* 10. & *quæst.* 1. *art.* 6. Richardus *in* 3. *dist.* 2. Suarez *disp.* 17. *sect.* 4 Vasquez *disput.* 37. *cap.* 7. Nazarius *quæstione* 1. *articulo* 1. *Controuers. vnica*.

Probatvr primò à Suarez ratione S. Doctoris *in corpore*, quia sequeretur, Verbum non vniri carni hypostaticè. Hoc autem est hæreticum: Ergo. Probatur sequela. Vnio substantialis est immediata; at vnio hypostatica est substantialis: Ergo immediata: Minor probatur, Ioan. primò. *Verbum caro factum est*.

Probatvr secundò à S. Doctore *argumento*, *secundo loco*. Medium colligantiæ extremis magis vnitur, quàm extrema inter se: sed anima non vnitur arctius deitati, aut carni, quàm ipsa extrema, nempe caro, & deitas inter se: Ergo. Minor probatur; nam caro etiam ipsa vnitur hypostatice deitati. Insuper vnitur ei inseparabiliter; at verò anima vnitur deitati eadem solùm vnione, idest, hypostatica, qua & carn: carni verò separabiliter vnita est, at deitati inseparabiliter.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *argumento* 3. *loco citato*. Soluto vinculo colligante soluuntur res colligatæ; at solutâ animâ, ac separatâ à corpore, non fuit separata caro à Verbo: Ergo.

23 Assero secundò: Anima non fuit tale medium assumendæ carnis, vt sola ipsa vniretur immediatè; caro autem solùm ratione animæ. Est communi opinio.

Probatvr à Nazario ratione tertia D. Bonauenturæ *secundo loco*. Sequeretur, Verbum in triduo non fuisse vnitum carni inanimi, quod est error in fide.

Aliam etiam rationem insinuat initio *corporis*, nempe quia secundum fidem: *Verbum caro factum est*, atque adeò non sola ratione vnionis cum anima debet asseri caro unita Verbo. Hac nititur Vasquez *cap.* 8.

Assero tertiò. Anima non fuit tale medium 24 carnis vniendæ Verbo, vt prius natura fuerit assumpta, quàm caro, vt quod. Ità S. Bonau. quem sequuntur Caietanus, Scotus, Vasquez *loco cit.* Nazarius contra Valentiam *punct.* 2. *in fine*, Suarezium *sect.* 1. & 3.

Probatvr à Nazario ratione vltima D. Bonau. quia anima non est prius formata, & subsistens, quàm corpori vniatur, ità vt caro per animam formata sit, aut substiterit: Ergo caro non subsistit in Verbo ratione animæ; nam Verbum supplet subsistentiam naturalem.

Assero quartò. Anima fuit medium *quo* assumendi corpus.

Probatvr à D. Bonau. è SS. PP. primò ex Da- 25 masceno *lib.* 3. *de fide*, *cap.* 6. vbi ait: *Erga Dei Verbum per mediam mentem carni vnitum est; intersectam videlicet inter Dei puritatem, & carnis crassitiem.* Idem habent S. Gregorius Nazianzenus *oratione* 42. & D. Cyrillus *orat. de natura assumpta*.

Secvndò è D. Greg. in quo id ad litteram non reperi, sed *lib.* 17. *Mor. cap.* 18. asserit, Christum venisse, vt suum corpus holocaustum offerret, quo salutem nobis mereretur (sanè voluntate): Ergo corporis assumptio facta est, vt esset Christus rationalis, aptusque merito. Hac ratione vsus est D. Bonau. vt dicam.

Tertio ex D. Augustino *epist.* 3. ad Volusianum: *Ipsa magnitudo diuinæ virtutis animam sibi rationalem & per eandem corpus humanum, totumque omnino hominem in melius mutandum coaptauit.*

In corpore verò refert D. August. *lib. de Agone* 26 *Christiano*, *cap.* 18. vbi ait: *Incommutabilis veritas per spiritum, animam; & per animam, corpus suscipiens, toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberauit.* Eodem pacto eloquitur D. Nazianzenus *epist.* 51. Hæc verò satis propriè dicta saluantur, etiamsi anima non fuerit priùs assumpta, vt *Quod*, sed quia per eam reddita sit caro idonea assumptioni, vt notat Vasquez *num.* 64. post D. Bonauenturam, *in corpore*.

Deniqve Concilia, quæ contra Apollinarem definiunt, Verbum Dei non solùm veram carnem, sed etiam veram animam assumpsisse, vno ore pronunciant, carnem media anima assumptam fuisse. Hoc modo loquitur sexta Synodus Genera- 27 lis *act.* 18. *in edicto fidei Constantini Pogonati ante medium*. Edictum verò fuit missum ad Leonem II. qui epistolâ suâ illud confirmauit. Et in eadem Synodo approbatum est. Id autem ideò asseri, ait Lugo *disp.* 15. quia incarnatio ordinabatur ad nostram salutem emerendam.

Respondet Durandus, Concilia, & Patres eo sensu intelligere, vt ratione dignitatis anima dicatur prior naturâ in assumptione, quàm corpus, & ratio corpus assumendi: Deinde intelligi ratione fructus, quia magis percipit fructum Incarnationis anima, quàm corpus. Itaque vult, hunc modum loquendi verum esse tantùm secundùm ordinem rationis, non naturæ.

At dignitas maior animæ, licèt aliquam priori- 28

tatem

tatem secundùm naturam præferat, vt docet Aristoteles, *in prædicamentis, cap. de modis prioris*, & 5. *Metaph. cap.* 15. hoc tamen non facit, vt priùs assumpta fuerit anima, vel vt verè dictum sit a Synodo, & Patribus, animam fuisse medium assumendi corpus, vt notat Vasquez, *cap.* 5.

PRÆTEREA ostendam, animam fuisse rationem realem assumendi corpus.

PRIMA ratio S. Doctoris est Sanctorum, Na-
29 zianzeni, Damasceni, atque Cyrilli supra: Extrema multum distantia non vniuntur congruè, nisi per medium aliquod; sed Dei puritas, & carnis crassities multum distant: Ergo debuerunt vniri congruè per medium aliquod, creatum sanè, sed à carnis crassitie accedens ad spiritualitatem Dei: Talis est spiritus rationalis: Ergo. Non vult tamen esse medium colligantiæ; nam & anima ipsa, infinitè distat à Deo, sed vult esse conuenientiæ ad proportionem.

SECVNDA ratio: Maioris dignitatis est vnio hypostatica, quàm beata: sed corpus aptatur gloriæ, mediante anima: Ergo & ad vnionem. Hoc argumentum non intendit similitudinem strictam, quia corpus inanime est ineptum beatitati; at non sic vnioni: Enim verò pensitata vnione ad finem meriti, vt dixi cum D. Gregorio, currit similis necessitas.

30 TERTIA ratio. Id, quod est ignobilius alio, est minus dignum, & congruum, vt dignissimo vniatur: at corpus hominis inanime est ignobilius bruto viuo: Ergo est minus congruum, vt vniatur Verbo; at brutum incongruum est, vt assumatur à Verbo: Ergo multò magis corpus nostrum sine anima: Ergo anima est ratio, *vt Quo*, vnionis Verbi cum corpore.

QVARTA ratio habetur *in corpore*, & innuitur etiam à D. Thom. Quod est ratio, seu medium disponens per aliquid reale sui, ad id ordinatum, est medium reale; sed anima corpori, vt vniatur Verbo, est medium per informationem, & vnificationem, per quam fit aptum, vt Verbo, quod est vita, & immortale vniatur. Hæc est ratio D. Augustini, & D. Nazianzeni suprà. Hinc habes, animam in hoc genere esse priorem natura, quàm corpus; nam dispositio est prior, vt notat Nazarius *conclusione quinta*.

Hoc argumento premuntur aduersarij, qui ali-
31 quas parui momenti afferunt solutiones, vt rectè aduertit, & redarguit Vasquez à *num.* 50.

QVA enim obsecro ratione SS. PP. dicunt, animam fuisse medium corpori ad vnionem, nisi quia illud informando reddebat viuum, ac nobile; vt notat D. Bonauentura, & Vasquez *num* 49. Hinc habes, etiam fuisse medium assumendi corpus non modo in intentione finis salutis nostræ perficiendæ meritis maximè passionum, & mortis, ad quæ corpus materialiter deseruiebat, sed ad formale requisebatur voluntas; verum & ex alio capite fuisse medium quoque in executione, quia decebat corpus vniendum Verbo, in quo omnia sunt vita, vt ait *Ioan. cap.* 1. esse animatum vita nobili. Ità ex hoc motiuo debuit corpus esse actu animatum; sicuti è priori motiuo debuit esse ad animam ordinatum, quacum vnum compositum constitueret, aptum ad meritum.

OBSERVA tamen, D. Bonauenturam *in hac quæ-*
32 *stione*, in qua agebat de vnione carnis cum Verbo in fieri; asseruisse, animam esse medium tantùm congruentiæ, cùm Verbum posset hypostaticè vniri etiam corpori nondum animato: at verò *quæst.* 2. *art.* 2. vbi egit de ordinatione vnionis ad redemptionem, posuisse, animam fuisse medium necessarium, quia scilicet Christus debebat esse mediator inter Deum, & homines, & ideò debuit habere naturam humanam, & quia finis Incarnationis erat redimere nos per meritum, & satisfactiones hominis, quæ exigunt animam, ideò necessaria fuit anima vnita corpori in facto esse vnionis: Hoc aduerti, quia Vasquez *cap.* 9. refert solam decisionem S. Bonauenturæ quoad vnionem in se, & dicit eum absolutè tenere cum Alensi, & Almaino, animam fuisse medium tantùm congruentiæ; ipse verò addit esse ne- 33
cessarium medium ex fine redemptionis, vt maneret vnita toto tempore, quo perficeretur redemptio; perfecto verò opere redemptionis in triduo potuisse manere corpus absque anima cum Verbo vnitum, quia sola congruitas aderat, vt esset vnitum Verbum carni viuenti, & hæc congruitas in eo triduo non deturpabatur, quia caro illa ratione primæ vnionis erat apta, etiamsi amisisset suam pulchritudinem, sicuti sponsa, quæ ob pulchritudinem assumitur; attamen deflorescente illa forma adhuc detinetur coniugio. Præterea cùm anima ad triduum tantùm recessisset, & corpus ex prima vnione dispositionem ad incorruptionem obtinuisset, adhuc erat apta vnioni cum Verbo, vt notat S. Doctor *ad tertium*.

QVOD verò subdit Vasquez, *num.* 57. animam 34
fuisse medium necessarium in facto esse, respectu carnis humanæ viuentis, quia caro humana viuens non potuit manere vnita Verbo sine anima rationali, à qua habet esse carnis humanæ viuentis; adeò est clarum, vt frustra Vasquez tanto apparatu distinctionem Seraphici doctrinæ addendam clamaret. Quis enim sciolus ignorat, non potuisse Verbum vniri, vel vnitum manere carni humanæ viuenti, si caro esset inanimis?

OBIICIES primò cum Durando. Ordo est habitudo plurium ad vnum primum; sed vnica est assumptio totius, & partium: Ergo non potest esse aliquis ordo inter partes inter se; vel inter totum, & partes.

RESPONDET Vasquez *num.* 59. ex D. Bonauentura *in corpore*, licèt vna sit vnio, tamen carnium, & animam esse plura; ex his autem anima est forma, idoneam reddens carnem, vt Verbo vniatur, & ideò rectè dicitur medium assumptionis.

OBIICIES secundò cum eo: Quando aliqua duo 35
vniuntur, vt vnum, non est dare inter ea aliquem ordinem: anima, & corpus vniuntur Verbo, vt vna natura humana: Ergo.

RESPONDETVR ex S. Doctore *in corpore*, ea, quæ vniuntur, vt constituentia vnum tertium, adhuc posse ita se gerere, vt vnum sit ratio vniendi alterum, cum inter se maneant distincta.

OBIICIES tertiò cum Almaino, & Gallo. Quando aliqua vniuntur aliquo medio, soluitur vnio sublato medio: at sublata anima à corpore Christi, non est separatum corpus à Verbo in triduo: Ergo non vniebatur mediâ animâ.

RESPONDET Vasquez *num.* 60. ex D. Bonauent. 36
ad 1. *& tertium*, maiorem esse veram, si sit medium *Quod*; similiter si sit medium *Quo* necessitatis simpliciter; at verò anima fuit medium tantùm congruentiæ in se, & ideò, sicut qui assumit vxorem propter pulchritudinem, tamen forma deflorata non dimittit eam; ita & in casu hoc: In ordine verò ad finem redemptionis fuit pro eo tempore necessarium; at completa redemptione, potuit dissolui ad tempus exiguum.

ADDE, quia corpus ex prima vnione retinebat

idoneitatem ad incorruptionem, ideò quamvis anima separaretur à carne; non tamen debuit Verbum à carne separari. Quod verò addit Vasquez, carnem alia numero distincta vnione mansisse vnitam Verbo in triduo, est contra SS. PP. Leonem *serm. 9. de Natiuitate*, & *serm.* 10. 17. & 19. *de Passione*, & Bernardum *lib. 5. de consideratione*, qui dicunt, vnionem primam carnis cum Verbo fuisse indissolubilem; si enim alia numero vnio distincta facta est: Ergo prima fuit dissoluta, & caro separata: esto fuerit reunita nouâ illâ vnione.

37 Obiicies quartò cum iisdem, Verbum potuit vniri naturæ irrationali, imò inanimatæ: ergo & carni humanæ inanimatæ: Ergo anima non fuit medium vniendi carnem cum Verbo.

Respondet Vasquez *num. 6.* ex D. Bonauent. *argumento vltimo, primo loco, addita resolutione*, hinc tantùm inferri, animam non fuisse medium necessitatis vnioni, vt sic, sed congruitatis, esto in ordine ad finem esset necessitatis, vt dixi.

Obiicies quintò cum Suarez *sect. 1.* Si anima priùs esset vnita carni, quàm Verbo, sequeretur, priùs esse compositam totam humanitatem, quàm fuerit anima assumpta: Ergo priùs assumpta esset humanitas, quàm anima.

38 Respondetur ex S. Bonauentura, negando Consequentiam: Licèt enim humanitas existeret, tamen partes manebant distinctæ, ita vt anima posset esse ratio assumendi corpus: & ità, esto existeret tota humanitas, adhuc tamen corpus assumebatur ratione animæ: Nazarius addit totam humanitatem esse naturâ posteriorem partibus vnitis, & ideò has priùs assumi posse, quàm totam.

Obiicies sextò. Anima Christi priùs naturâ fuit subsistens, quàm vniretur corpori: Ergo priùs fuit assumpta, vt *Quod.* Antecedens probatur, quia anima rationalis creatur, atque adeo in se est subsistens. Consequentia probatur, alioqui priusquam assumeretur, habuisset propriam subsistentiam.

39 Respondetur negando Antecedens, non enim anima in composito subsistit priùs naturâ, quàm vniatur materiæ; sed & in creatione infunditur, & in materia creatur; neque in corpore subsistit perfectè, sed quasi in potentia. Ità Nazarius.

Obiicies septimò cum eodem *sect. 3.* Materia simpliciter ordine naturæ creationi animæ supponitur, quia est fundamentum generationis; supponitur autem subsistens, & in eo instanti non potuit subsistere, nisi subsistentiâ Verbi.

Respondetur, nullo instanti etiam naturæ, materiam subsistere absque forma, & ideò nunquam intelligitur subsistere, nisi subsistentiâ totius.

Esto autem prius naturâ subsisteret, illa tamen esset subsistentia imperfecta, ordinata ad consti-
40 tuendam perfectam subsistentiam totius; & ideò non fuisset necesse, Verbum eam assumere ante animam.

Ex his soluuntur rationes adductæ à Scoto apud Fabrum *disp. 9. num. 14.*

QVÆSTIO V.

An assumpta fuerit anima, medio spiritu, & mente.

D. Bonauentura. loco citato.
D. Thom. quæst. 6. art. 2.

Patres Ecclesiæ, superiori quæstione relati, 41
qui contra Apollinarem dixerunt, carnem, seu corpus assumptum mediâ animâ; dixerunt esse etiam animam assumptam medio spiritu, Hæreticus enim ille, qui priùs dixerat, Verbum assumpsisse carnem sine anima, & pro anima fuisse deitatẽ; mox aliquantulum resipiscens, concessit, animam etiam assumptam; sed sine mente, eiusque loco satis fuisse deitatem, in quo rursus blasphemat.

Quid verò nomine animæ, & nomine spiritus, & mentis intelligant, aliquantula sollicitudine est inquirendum.

Svarez *in Commentario, art. 2.* ait per animam 42
intelligi substantiam animæ, vt dicit gradum communem aliis inferioribus animabus: per spiritum verò intelligi, vt confert gradum rationalem.

Valentia, *punct. 3.* per animam intelligit potentias inferiores: per spiritum verò intellectum, & voluntatem. Idem sentit Porrecta, & Aluarez.

Caietanvs, quem sequitur Medina *art. cit.* & Nazarius *controuers. vnica*, secundùm vtrumque sensum accipiunt, vt gradus substantialis rationalitatis fuerit ratio assumendi inferiores, negatiuum, & sensitiuum; & potentiæ spirituales, idest, Intellectus, & Voluntas, fuerint ratio assumendi potentias inferiores.

Vasqvez, *disp.* 38. nomine animæ intelligen- 43
dam putat substantiam animæ, secundùm omnes gradus; nomine verò spiritus, facultatem intellectus, qui dicitur oculus animæ: Hinc verò vult esse germanum sensum Patrum. Ex quo patet, falli Nazarium, dum ait, Vasquezium per spiritum intelligere etiam voluntatem. Addit Lugo *disp. 15.* ab aliis accipi operationes intellectus, & voluntatis.

D Bonaventvra *in corpore*, ait cum Magi- 44
stro *dist. 2.* per animam intelligi portiones inferiores animæ, nempè vegetatiuum, & sensitiuum; per spiritum verò, & mentem, intelligi superiorem portionem rationalitatis, per quam homo magis Deo accedit, & ad perpetuitatem ordinatur ipsum corpus.

Nobis videndum est, qui fuerit error Apollinaris: Sic enim & genuinum sensum Sanctorum Patrum impugnantium comperiemus; nam, vt sæpè testificar Seraphicus, quando volumus sensum germanum Sanctorum PP. & CC. definientium contra aliquem hæreticum, percipere; oportet hæretici illius errorem scire: Et hoc admonet etiam Vasquez *disp. 38. cap. 2.*

Apollinaris igitur, initio quidem cum Ar- 45
rianis sensit, Verbum non assumpsisse animam, sed ipsum verbum fuisse loco animæ; postea verò quibusdam conuictus Scripturæ testimoniis dixit, in Christo esse animam sentientem; non tamen mentem: Ita refert Epiphanius *hæresi* 73. Augustinus *hæresi* 55. Lyrinensis *in libello contra hæres. cap.* 17.

Nazian

Nazianzenus *oratione* 16. Cyrillus *homil.* 5. *Ephes. dicta*, Rufinus *lib.* 11. *histor. cap.* 20. & Tripartita *lib.* 5. *cap.* 44.

QVOD verò intelligat nomine spiritus ipsam substantiam animæ rationalis, asserit D. Augustinus dicens: *Negant mentem, quæ est rationalis anima hominis.* Idem indicat Ruffinus; Epiphanius verò refert, se interrogasse Apollinaristas, quid nomine mentis intelligerent, quam negabant in Christo, eosque respondisse, esse substantiam, seu spiritum. Vide Suarez *disp.* 15. *sect.* 2.

46 PRÆTEREA spiritus, & mens idem sunt apud PP. vt notat Vasquez *cap.* 2. at verò apud Augustinum, seu Authorem *libri de spiritu, & anima, cap.* 9. *&* 10. eadem res est in homine anima, siue spiritus, seu mens, vocari verò animam prout viuificat corpus, Spiritum autem, vel mentem, quatenus est intelligentiæ capax: At *lib.* 9. *de Trinitate, cap.* 4. ait, Mentem substantiam esse, at verò apud aduersarios, præcipuè Vasquez, intellectus non est substantia animæ.

PRÆTEREA Apollinaris negauit in Christo spiritum, & mentem, & Verbum fuisse illi, ait, loco mentis, vt sic humanitati Christi denegaret cogitationem humanam, & ità tolleret ab eo peccatum, & pugnam peccati, vt notat Vasquez *hic*, & *disp.* 37. *cap.* 2. Ergo funditus euertere volebat facultatem rationalem, prout effundit intellectum, & voluntatem; alioquì sublato solo intellectu adhuc potest esse radix peccati, nempè voluntas, quæ malum per illuminationem Verbi percipiens, adhuc illud eligeret.

VOLVIT igitur vltimò concedere Apollinaris, animam informantem, quæ etiam secundùm gradum sensitiuum obtinet; at rationalem negauit, quæ præcipuè dicitur spiritus apud sanctos Patres, & ratione cuius etiam alij gradus spirituales sunt.

47 SENSVS igitur Sanctorum PP. fuit: Sicut Verbum vnitum est carni media anima, idest, dispositæ per animationem; ita animæ vnitum est medio spiritu, nempè quia portione illa rationalitatis reddebatur Deo similior, & gestat imaginem Dei, & ad immortalitatem aspirat.

QVÆSTIO VI.

An VERBVM *assumpserit totam Humanitatem mediis partibus, vel è contra.*

FERCHIVS *disput.* 2. notat è D. Bonauentura, *in* 3. *dist.* 21. *quæst.* 3. *& distinct.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. aliud esse medium, quod assumitur, & per ipsum assumitur aliud, vt frænum, per quod apprehensum apprehenditur equus; vel ansula, qua apprehenditur hydria: Aliud est medium tantum quo.

48 IN hac quæstione D. Thomas docet, ordine intentionis, priùs assumptam esse humanitatem, quàm partes, quia secundùm intentionem facientis prius est completum, quam incompletum, & per consequens totum, quàm partes; & ideò infert, Verbum assumpsisse partes humanitatis mediante toto. Sicut enim, ait, assumpsit corpus per ordinem, quem habet ad animam: ita assumpsit corpus, & animam per ordinem, quem habent ad naturam humanam.

ORDINE verò executionis, ait, priùs fuisse assumptas partes, quàm totum, quia ordo executionis primò attingit id, quod est primum in transmutatione materiæ.

SCOTVS verò 3. *dist.* 2. *quæst.* 2. quem sequuntur Faber *disp.* 19. *ibi*, Beda, *controu.* 4. *art.* 4. Ferchius 3. *disp.* 2. *quæst.* ait, ordine tum intentionis, tum executionis primò assumptam esse naturam totam humanam: Addit autem Beda *in* 3. *conclusione*, animam esse medium, *quo*, assumendi totam naturam humanam. Hoc tamen videtur superiori repugnare. 49

SVAREZ *disp.* 17. *sect.* 5. ait, Primò ordine intentionis priùs naturà assumptam totam humanitatem; quam partes: Secundò, ordine executionis, prius assumptas partes: Tertiò, per hanc assumptionem non solum assumptas esse partes secundum se, sed etiam vt inter se vnitas: Quartò, partes, vt inter se vnitas, assumptas esse media humanitate. Eandem ferè sententiam habet Pesantius.

VASQVEZ *disp.* 39. *cap.* 3. dicit primò, partes humanitatis non fuisse assumptas propriis vnionibus cum Deo, sed vnica assumptione totius humanitatis, ita, vt tota humanitas primariè fuerit assumpta: partes verò consequenter. Secundò dicit, licet ita res habeat, tamen posse nos dicere, mediis partibus assumptam humanitatem totam, itavt partes sint medium, *quo* assumpta est tota humanitas. Accidet Lugo *disp.* 15. 50

MEDINA ait, partes dici priùs assumptas, quia causant humanitatem prius, quàm ipsa assumatur à Verbo.

ALVAREZ dicit, animàm executiuè priùs assumptam, quàm totum, itavt anima prius naturà subsisteret, *vt Quod*, per subsistentiam Verbi, quàm tota humanitas: Secundò dicit, corpus ordine executionis non fuisse priùs assumptum, *vt Quod*, quam tota humanitas, sed solùm *vt Quo*. 51

CAIETANVS profert sic suam sententiam, partes humanitatis, prius naturà executiuè assumptas, *vt Quod*, quàm humanitatem: Idem tenent Valentia *punct.* 2. Astuiicensis *de Christi gratia, quæst.* 5. & videtur Richardi *in* 3. *dist.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. Tanner. 3. *part. disp.* 1. *cap.* 2.

NAZARIVS, *quæst.* 6. *art.* 5. *controu. vnica*, ait primò, ordine intentionis Verbum assumpsisse partes humanitatis, mediante toto, ex quo sequitur, prius naturà assumptum totum: Secundò dicit ordine executionis non prius assumptam animam, *vt Quod actu*, quàm totum. Tertiò, animam executiuè priùs à Verbo esse assumptam, *vt Quo in actu*; & *vt Quod*, medio modo inter actum, & potentiam, quam humanitas. Quartò ordine executionis, corpus priùs naturà, quàm humanitatem esse assumptam *vt Quo*, non autem *vt Quod* in actu, sed in potentia tantùm. Ideò ordine executionis humanitatem priùs fuisse assumptam *vt Quod* in actu. 52

VIDEAMVS quid senserit S. Bonauentura. Tria ergo habemus in ipso.

PRIMVM est, partes humanitatis vnitas esse inter se ad constituendam vnam naturam, priusquam assumerentur a Verbo. Idem habet *dist.* 5. *art.* 2. *q.* 4. *ad quintum*, & *quæst.* 5. *ad primum.* 53

SECVNDVM est, verè posse dici: *Filius Dei assumpsit naturam humanam.* Idem habet *eadem quæst. in corpore.*

TERTIVM est. Humanitas, prout dicit formam totius, potest dici coassumpta: Ita *quæst. citata ad primum.*

ASSERO primò, ordine intentionis priùs naturà esse volitam ad vnionem totam humanitatem, quàm partes, atque adeò eam fuisse rationē assumēdi partes.

PROBA

Probatur à Scoto ratione D. Bonauenturæ, *quæst. cit. 6. argumento 3. & corpore.* Nam Verbum assumpsit animam, & corpus, vt fieret homo, vt habetur Philip. 2. *Formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Eandem rationem clariùs habet S. Bonauent. *art. 2. quæst. 1. argum. 1. & in corpore*, & expressiùs *dist. 2. art. 2. quæst. 3. in argumentis primo loco, & corpore,* & *dist. 21. quæst. 3.*

54 Assero secundò, ordine executionis, partes, vt sic, priùs naturâ assumptas, quàm totam humanitatem. Ità S. Doctor, dum ait, humanitatem, vt dicit formam totius, potius dicendam coassumptam. Ità & D. Thom. *ad 1.* Caietanus, Valentia, Asturicensis, & ex parte etiam Medina: Imò loquendo de assumptione passiuè *vt Quo*, etiam Vasquez, & Nazarius concedunt, partes priùs naturâ fuisse assumptas, & ita fuisse medium, *Quo*, assumendi humanitatem.

Probatur à Suarez cum D. Bonauentura, *dist. 2. art. 3. quæst. 1. in corpore*, ex D. Augustino, *lib. de agone Christiano, cap. 18.* vbi ait: *Incommutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens; toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberauit.* Idem habet *epist. 3. ad Volusianum.*

55 Quamvis autem quoad animam, in ordine ad corpus, verum sit, eam fuisse medium, *vt Quo*, vt respondet Faber, *num. 13.* attamen de partibus in ordine ad totum intelligitur de medio *Quod*; non autem de medio *Quo*, vt malè putat Suarez; ratio est, quia medium *Quo*, est medium idoneitatis ex nobili dispositione; sic enim anima, quæ est immortalis; & imago Dei, fuit corpori dispositio congrua; at verò partes, cùm sint ignobiliores toto, non possunt esse tale medium, sed potius medium *Quod*, & id videtur innuere D. Augustinus, dum varians pônit in ablatiuo assumptionem totius, quasi coassumptionem indicét, quam infrà exponam.

56 Probatur secundò *argumento penult. S. Doctoris.* Soluto medio *vt quod*, soluuntur extrema; sed in separatione Verbi à toto composito humanitatis in triduo mortis non est soluta vnio cum partibus: Ergo totum non fuit medium *Quod*, aut priùs naturâ vnitum, quàm partes, sic enim partium vnio, vtpote naturâ posterior, penderet ab vnione cum tota humanitate.

Confirmatur ex S. Bonauentura *ad penultimum.* Id est primum in generatione, quod est vltimum in resolutione; sic enim fundamenta domus, quæ sunt prima in ædificatione, sunt vltima in demolitione, & idem vrget in naturalibus: Nam materia, quæ est subiectum primum in generatione, manet in resolutione omnium formarum: at vnio partium cum Verbo fuit in resolutione post dissolutionem Verbi cum humanitate: Ergo.

Respondet Faber *num. 28.* non esse factam primò dissolutionem assumptionis, sed solius humanitatis: Hinc infertur, totam humanitatem fuisse vltimam in generatione, quæ fuit prima in resolutione per mortem.

57 Contra; quia sic conceditur, Verbum dimisisse id, quod principaliter assumpserat, nempè tertiam illam entitatem ex partibus resultantem, imò & partes ipsas seiunctas, esse dimissas, dum in resurrectione Verbum rursum vnitum sit primò toti humanitati, sicut & priùs; deinde verò partibus, in sententia aduersariorum: Itaque nullus momenti est illud dogma, Damasceno adscriptum, & ab omnibus Theologis acceptatum: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Et insuper sequitur in horum sententia fuisse dissolutas à Verbo partes in resurrectione, contra dictum Sanctorum, Leonis, & Bernardi relata *quæst. 3. ad tertium.*

Respondet Vasquez *disp. 37. cap. vltimo*, & Fauentinus *hic, num. 30.* verè in triduo humanitatem totam mansisse solutam à Verbo, & partes mansisse vnitas aliâ numero vnione; neque sancti PP. ideò aiunt, indissolubilem vnionem partium humanitatis cum Verbo, quia etiam post mortem manserit illa numero vnio, qua partes erant vnitæ in toto, sed quia manserunt semper vnitæ, licèt aliâ numero vnione, sic enim dimisit etiam spiritus aliquos. 58

At verò hæc responsio non est ad rem, quamvis enim de particulis quibusdam concedatur eas esse dimissas a Verbo, & de partibus principalibus non admittitur; Attamen aduersarij concedunt in morte solutam primam vnionem, priorem naturâ, à qua pendebat vnio partium, & ità partes dimissæ sunt, & aliâ succedente vnione fuerunt assumptæ.

Rursus in resurrectione primò vnita est tota humanitas, & dimissa illa vnio, quæ in triduo fuerat in partibus, & rursus partes reunitæ fuerunt, quæ omnia sunt repugnantia doctrinæ Patrum, & nouas gratis confingunt vniones: At D. Bonauentura, qui hæc inconuenientia vidit, atque euitare voluit, dixit, primò assumptas esse partes, & totam humanitatem coassumptam, non quia tertia illa entitas non fuerit propriè assumpta immediatè; (absit enim) sed quia humanitas consequenter assumpta est, quatenus intelligitur aliquid consequens partes, quæ priùs intelliguntur vnitæ, quàm assumptæ, & priùs vnitæ, quàm tota humanitas conficeretur ex eis. 59

Dices: hoc tuo argumento probatur, vnitum esse priùs corpus Verbo, quàm animæ; nam in resolutione separatum est ab anima, non à Verbo: Ità Tanner. *in 3. part. disp. 1.* 60

Respondetur, negando sequelam; non enim sunt eiusdem rationis vnio cum anima, & cum Verbo. Ideò non est adhibenda illa regula: *Quod est primum in generatione, est vltimum in resolutione.* Deinde fuit priùs *vt Quo.*

Assero tertiò, partes, etiam vnitas formaliter, non fuisse prius vnitas, *vt Quod*; neque è contra, humanitatem priùs assumptam, quàm partes simul.

Probatur. Inter ea, quæ non differunt à parte rei, sed solùm ratione, non datur ordo realis, & secundùm naturam propriè; at totum non differt à parte rei à partibus, vt simul vnitis formaliter: ergo inter ea non datur ordo. Et hoc sensu fatetur Scotus, nullam esse de hac re quæstionem: Ideò Durandus rectè *3. dist. 2. quæst. 2.* hoc sensu omnem tollit ordinem naturæ inter totum, & partes simul vnitas. Minor est sententia S. Bonauenturæ, apud Galatium *p. p. Phil. lib. 1. tract. 6. quæst. 9. num. 12.* & probatur. Quia aliàs assignetur, quid ampliùs dicat totum, præter partes vnitas? Secundò, tunc posset totum esse sine suis partibus vnitis. Hoc satis elucidaui *p. p. tract. 5. disp. 5. quæst. 5.* 61

Faber in Philosophia *theor. 21.* & *hîc, num. 17.* sic distinguit, partes vnitas, transactas in tertiam entitatem, non differre realiter à toto; at verò partes vnitas, vt nondum transactas in tertiam entitatem, differre realiter. Hæc tamen distinctio ab ipsis etiam Scotistis exploditur, quia non est intelligibile, partes esse vnitas, & tamen non 62

adhuc

adhuc transisse in totum, quia totum nil aliud est, quàm partes vnitæ.

Pro solutione argumentorum Scoti, quæ Vasquez, & Fauentinus exaggerant, oportet adnotare Trombettam, Magistrum formalitatum, & alios, ponere totum distingui à partibus, quatenus ab eis causatur, & constituitur intrinsecè. Sic homo distinguitur realiter ab anima, & corpore, quatenus intrinsecè constituunt hominem ipsum: huc enim feruntur argumenta Scoti, præcipue quartum, quo vrget, partes à toto differre, quia sunt causæ constitutiuæ totius realiter; nil autem causat seipsum.

63 Dvm autem contra Scotum arguitur: Si totum realiter distinguitur à partibus, sequitur, posse esse totum aliquod sine suis partibus, quod est absonum. Probatur sequela, quia ea, quæ differunt realiter, possunt separata iacere.

Respondet, Maiorem esse falsam, quando duo realiter distincta habent intrinsecam dependentiam. Iam verò totum habet essentialem dependentiam à partibus.

Cvm ergo totum essentialiter pendeat à partibus, & partes actu reperiantur in toto, & realiter distinctæ à toto, sequitur, Verbum necessariò prius naturâ assumpsisse partes sic simul vnitas, quàm totum. Itaque omnes rationes Scoti corruent, vt fatetur Faber *num*.22.

64 Obiicies primò cum Scoto & asseclis. Id primò fuit assumptum à persona Diuina, quod prius personatum fuisset, si suæ naturæ esset relictum; at tota natura fuisset tunc primò personata. Hoc argumento nititur vnicè Caspensis *Tract*. 20. *disp*. 4. *sect*.3.

Respondetvr, negando Minorem: nam cùm totum in esse pendeat à partibus essentialiter, è consequenti, pendet etiam in personari, vt fatetur Faber: terminantur ergo partes, & totum eodem ordine, quem inter se habent. Neque enim solùm personatur id, quod potest esse persona, sed quidquid spectat ad esse personæ.

65 Obiicies secundò. Si Verbum prius naturâ assumpsisset partes, idest, animam, & corpus, quam totum; sequeretur, non fuisse primò hominem, sed secundò.

Respondetvr, negando Sequelam; nam assumptio partium est dispositiua, vt assumatur totum, atque adeò primò constituatur homo; non enim per assumptionem partium in fieri, fit homo primò, sed dum terminatur cum partibus tertia entitas resultans, quæ à partibus dependet, vt notant Scotistæ. Quo supposito ruit omnis instantia Fabri, vt ipse fatetur *num*.22.

Obiicies tertiò. Quod inest alicui per aliud, non inest illi per se: sed per vos assumptio conuenit toti per partes eius: Ergo ipsum totum, quod est homo, non est homo per se.

66 Respondetvr, id, quod competit alicui per aliquid, quod cum eo vnum facit, & à quo pendet intrinsecè ipsum quod fit tale, non esse tale per aliud, sed per aliquid sui, quæ enim intrinseca sunt, non sunt extra: tales sunt partes respectu totius. Ideò etiam is, qui probat propositionem ex principiis intrinsecis, non probat ex aliis, atque adeò demonstratio adhuc manet, quæ neque ex aliis, &c.

Dices: vbi est ordo prioris, & posterioris, ibi est distinctio: Sed per te hic est ordo prioris, &c. nam caro assumitur per animam, & totum per partes: Ergo.

Respondet S. Bonau. *dist*.21. *quæst*.3. *ad* 3. quod hic talis est ordo, vt vnum sit propter aliud, atque adeò vna vnio, sicuti cùm teneo æquum per frænum, non teneo eum duabus tentionibus.

Obiicit quartò Faber: Verbum non est homo 67
propter duas vniones cum anima, & cum corpore, sed propter vnionem cum tota humanitate, & propter hanc vnionem Verbum est homo: at hæc vnio sufficit: Ergo illæ duæ superfluæ sunt.

Respondetvr, negari Minorem: nam vnio Verbi cum partibus necessaria est: Sicuti enim totum intrinsecè pendet à partibus, vt docent Scotistæ, ita dependenter ab eis assumitur.

Instat Faber: Ergo admittitis plures vniones. Probatur, quia sunt plures termini.

Respondet S. Doctor *dist*.21. *quæst*.3. *ad primum*, licèt anima, & corpus sint duo in se; sunt tamen partes ad totum constituendum. Vide D. Bonau. *tota quæstione*, vbi astruit, fuisse vnam actu, & plures potentiâ vniones, ad separationem, si fieret, aspiciendo.

Ex his soluta manet etiam quæstio: an Verbum priùs assumpserit naturam humanam, & deinde accidentia: cui respondet S. Doctor *dist*.5. *art*.2. *q*.5. assertiuè cùm Damasc. 3. *de fid*. *c*.7. Probat: Subsistere enim primò debetur substantiæ, sed accidentibus solum ratione substantiæ. Sic probant & Faber *n*.32. Suar. *sect*.6. & dicam *disp*.9. *quæst*.7. *in fine*.

Solvitvr etiam quæstio: An Verbum assum- 68
pserit immediatè ipsam vnionem materiæ cum forma, quod astruunt Suarez *disp*.17. *sect*.5. Lugo *disp*.12. *sect*.5. quia Verbum supplet propriam naturæ hypostasim, quæ totam sustentat naturam. Alioqui non esset assumpta tota humanitas, sed partes solæ.

QVÆSTIO VII.

An Verbvm *assumpserit Humanitatem, mediante Gratia Habituali.*

D. Bonau. dist. 2. art. 3. q. 2.
D. Thom. in 3. d. 2. q. 2. art. 2. & d. 21. q. 1. art. 1. & 3. p. q. 7. art. vltimo.

Qvæstio est, an Gratia habitualis fuerit ani- 69
mæ Christi infusa prius naturâ, quàm assumeretur à Verbo, vt ita esset perpulchra, & ideò magis disposita vnioni cum ipso Verbo.

Prima opinio est negatiua: Ita D. Thom. *q*.7. *art*.13. Scotus 3. *dist*.2. *quæst*. 2. §. *contra hoc*, *argumento primo*. Durandus *quæst*.3. *eiusdem distinctionis*. Caietanus, & Moderni Thomistæ *in quæst*. 6. vnde etiam sententiam D. Thomæ ipsi eliciunt. Suarez *disp*.10. *sect*.2. Vasquez *disp*. 40. Nazarius *quæst*.6. *art*.6. *controu. vnica*. Faber 3. *disp*.9. *cap*.5. Morandus *quæst*. 25.

Secvnda sententia est, Gratiam habitualem 70
fuisse medium, *quo*, seu per modum dispositionis congruæ, vt Verbum assumeret animam. Ita D. Bonau. *loco cit*. & D. Thom. *in tribus locis adductis*. Richardus *dist*.2. *art*.2. *quæst*. 3. Paludanus *quæst*.2. *art*.3. Carthus. *quæst*.5. Gabriel *dist*.2. *quæst*. *vnica*. Marsil. *quæst*.10. *art*.1. *ad* 1. *dub*. His adde Alensem 3. *part*. *quæst*.7. *memb*.2. *art*.1. & *quæst*.11. *memb*. *vlt*. & *quæst*.12. *memb*.1. qui tamen vult, Gratiam fuisse dispositio

dispositionem omninò necessariam, vt vniri posset Verbo personaliter, quocum allegant aliqui, ex quibus Vasquez, etiam D. Bonauenturam, sed malè, vt patet *hîc*, & *dist.13.quæst.2.ad quintum*. Hanc quæstionem discussi *disp.6.quæst.2.*

Assero cum S. Doctore primò, gratiam non fuisse medium necessitatis, vt anima assumeretur à Verbo.

71 Probatvr primò à S. Doctore ratione ferè, quam magni facit Vasquez contra D. Bonau. Si gratia esset necessaria, hoc esset, vt anima illa esset adoptata in filiam; sed hoc non inseruit, tanquam dispositio necessaria ad vnionem cum Verbo: Ergo. Minor probatur, quia adoptio in filium est indiuisa, toti Trinitati conueniens: Ergo illa gratia non tam disponeret ad vnionem cum Verbo, quàm cum tota Trinitate.

Probatvr secundò à S. Doctore. Si gratia esset ita necessaria, vt per eam tanquam per vinculum fieret vnio hypostatica, iam vniretur Verbum animæ per accidens, & ita fieret humanitas Deo conformis, non autem homo Deus.

72 Fateor, tamen, si esset necessaria solùm vt dispositio, adhuc non impedire, quin fieret vnio substantialis Verbo, vt notat Suarez *loco cit.* Vasquez *num.4.* ex D. Bonau. qui ideò argumento secundo ex eo probat non posse gratiam habitualem esse id, quo homo fit Deus, quia est quid creatum. Et *in corpore*, eandem rationem explicat à simili de gratia habituali, quæ facit nos Deiformes accidentaliter.

Probatvr tertiò à S. Doctore, quia si vnio fieret mediante aliquo habitu gratiæ, necessariò disponente; vel hæc dispositio esset necessaria ex parte corporis, vel ex parte animæ; non ex parte corporis, quia corpus est incapax habitus gratiæ; neque ex parte animæ, alioqui corpus ipsum, incapax habitus gratiæ, non posset vniri Verbo.

73 Assero secundò, gratiam habitualem præcessisse in anima vnionem, tanquam congruam dispositionem.

Probatvr à D. Bonau. *in corpore*. Ordo Diuinæ sapientiæ postulat, vt quæ maximè distant, non vniantur, nisi præcedat dispositio aliqua, quæ reddat vnum extremum vicinius alteri: Ergo conueniens fuit, vt humanitas per aliquam dispositionem redderetur Deiformis, & pulchrior, vt sic Verbo magis esset conformis.

Commvniter aduersarij negant, necessariam fuisse aliquam dispositionem. Ita Vasquez *num.9.* Nazarius *ad tertium*, nullus tamen congruitatem redarguit huius dispositionis in ratione ornamenti.

Probatvr secundò à S. Doctore *argumento tertio*. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; sed Deus in nullo homine habitat modo supernaturali ordinario, nisi mediante aliquo habitu gratuito: Ergo nec in magis, imò maximè supernaturali per vnionem hypostaticam congruè habitat, nisi per aliquem habitum disponentem.

74 Obicies contra primum Assertum. Quando aliquid eleuatur contra suam conditionem, requirit dispositionem: at humanitas per vnionem sic eleuatur: Ergo.

Respondet S. Bonau. sufficere gratuitam Dei voluntatem. Ita respondet etiam Vasquez *num.9.* & Nazarius, qui addit Maiorem esse veram de eo, quod non habet ordinem immediatum ad eam formam.

Obicies primò cum Scoto, Durando, & Thomistis: Eo instanti natura humana personatur à Verbo, quo fuisset personata sua personalitate creata; at tunc priùs fuisset personata, quam habitu gratiæ imbuta: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur, quia habitus gratiæ est principium operandi; operari autem est suppositi. Hoc argumentum exaltat Fauentinus *num.34.*

Respondetvr tamen, negando Minorem, nam habitus gratiæ infusus fuit ob alium suum effectum, vt redderet animam illam pulchram; ac ita Deiformem, non enim ad solam operationem gratia ordinatur; sed primò, vt tanquam forma animam Deo assimilet.

Instat Vasquez. Si data est ad ornamentum, 75
data est cum effectu adoptionis, vt esset anima filia; at verò gratia in Christo, neque nunc habet hunc effectum, vt faciat filium adoptiuum: Ergo. Hanc rationem optimam acclamat à se è cathedra mundo exhibitam, atque acclamatam. Hæc tamen ratio est D. Bonauenturæ, qui ante Vasquez multis annorum centuriis eam scriptis obsignauit.

Respondetvr, potuisse eam gratiam dari affectu filiationis naturalis, vt sic humanitas illa Sanctissima esset disposita ad filiationem naturalem.

Respondet secundò S. Doctor *dist.13.quæst.1. ad 2.* negando sequelam, quia adoptio respicit personam, & importat aliquam extraneitatem; at gratia data est, vt esset deiformis perpulchra illa anima, & ideò non habet repugnantiam cum filiatione naturali.

Obicies secundò cum Scoto, & Fabro. Quod 76
inest alicui ex se, priùs inest quàm id, quod inest ei per accidens; sed personati inest naturæ ex se, ex intrinseco; habitus verò gratiæ inest per accidens; Ergo priùs natura humana fuit personata, quàm gratia imbuta, quia personalitas Diuina substituta est loco propriæ personalitatis naturalis.

Respondetvr, hunc ordinem valere in na- 77
turalibus, & in ordine naturæ; at quando natura ordinatur ad aliquid supernaturale, non valet. Quamvis autem personalitas Diuina substituta sit loco humanæ debitæ, tamen quia erat supernaturalis eminentissimi ordinis congruè exigebat dispositionem præuiam gratiæ. Imò etiam in ordine naturali corpus, antequam esset assumptum habuit accidentia: ad hoc etiam ordinata, vt pulchritudinem, &c.

Obicies tertiò. Ratio, propter quam habuit 78
tantam gratiam, fuit, quia erat Filius Dei: Ergo prius facta est vnio, & postea infusa est gratia; quia causa semper præcedit effectum. Antecedens probatur Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre.*

Respondetvr ex D. Bonau. *in corpore*, gratiam quidem habitualem datam ex respectu vnionis, nempe, vt ornamentum præuium eius, sicuti, qui adornat thalamum sponsi nondum ingressi.

Obicies quartò. Existentia accidentis supponit existentiam subiecti; sed anima, quæ est subiectum gratiæ, nunquam fuit, nisi Verbo vnita: Ergo gratia non potuit ante vnionem ei inesse.

Respondetvr, eodem instanti temporis fuisse 79
creatam animam, & ornatam gratiâ, & vnitam Verbo, sed hoc vltimum fuisse posterius naturâ, neque enim humanitas existit existentiâ Verbi, sed propria præcedente secundùm naturam.

Ex dictis patet etiam id, quod quærit S. Doctor *dist.2.quæst.vlt.* An vnio facta sit mediante Spiritu sancto.

Respondet autem, Spiritum sanctum non po- 80
tuisse esse vinculum medium, alioqui magis esset vnitus, & incarnatus, quàm Verbum.

DISPVTA

DISPVTATIO VNDECIMA.

DE GRATIA SINGVLARIS PERSONÆ CHRISTI.



VMANAM Chriſti naturam, vndequaque ſubſtantialiter perfectam, huc vſque perſpeximus; iam paulo altiùs mentis oculi attollendi, vt ſupernaturales perfectiones cumulatim ei conceſſas contemplemur; hoc etenim inter Naturam, & Gratiam initum eſt fœdus, vt illa, ſuis priùs numeris abſoluta, ab hac vltimatè, & ſupernè perficiatur: Perfectiones porrò hæ, aliæ ſunt voluntatis, aliæ ſpectant ad Intellectum; nam hæ duæ potentiæ ſunt velut aquæductus, per quos ſuperna Dona in animam deriuantur: Inter plures autem voluntatis dotes principem tenet locum GRATIA, ideò de ipſa primò diſputabitur. Verùm cùm de eâ hîc ſimus acturi, provt principale ſuum reſpicit ſubiectum, quod eſt CHRISTVS; operæ pretium eſt, vt iuxta diuerſam huius conſiderationem, diuerſimodè etiam ipſius gratiam ſuſpiciamus: Chriſtus autem, cùm nobis meruerit, & ſibi, duplicem requirebat Gratiam, aliam, quàm ſibi retineret propriam; aliam, quam nobis communicaret, communem: hanc habuit, vt Caput Eccleſiæ, cuius erat cuncta ipſius membra mouêre, & ſurſum agere; illam verò poſſedit vt ſingularis Perſona, cuius erat acceptum talentum in ſuam, & Dei gloriam multiplicare: Et cùm vnumquodque priùs ſpectetur in ſe, quàm in ordine ad alterum, ideò hîc de GRATIA CHRISTI vt ſingularis Perſonæ, agemus primò. Altera verò diſputatione, quæ erit decimatertia, quam habuerit Chriſtus gratiam, vt Caput Eccleſiæ, ſedulo indagabimus.

QVÆSTIO I.

An certum omnino de fide ſit, in CHRISTO *Gratiam extitiſſe habitualem.*

D. Bonau. diſt. 13. quæſt 1.
D. Thom. quæſt. 7. art. 1.

1 PRIMÒ quidem Vaſquez, *diſput.* 41. Aſturicenſis *de Gratia Chriſti, quæſt.* 1. Medina *ad hunc art. D.Thom.* aſſerunt, certiſſimum quidem eſſe, in Chriſto fuiſſe Gratiam creatam ſanctificantem; attamen non eſſe de fide definitum. Adhæret his Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 5. allegans Recentiores.

E regione Melchior Cano *lib.* 12. *de locis Theol. cap.* 14. Bellarminus *tom.* 1. *lib.* 4. *de Chriſti anima, cap.* 2. & 3. Suarez *diſp.* 18. *ſect.* 2. Montagnolius, & alij, quos ſequitur Nazarius *ad hunc articulum*, tenent eſſe de fide, & hoc probabilius putat Valentia, *quæſt.* 6. *punct.* 1. Medina *quæſt.* 19. *art* 4. *d.* 4. & *quæſt.* 34. *artic.* 4. huic adhæret opinioni: Sanctus verò Bonauentura non audet aſſerere, eſſe de fide, ſiue *hîc*, ſiue *in Breuiloquio citando*: attamen videtur vbique ponere, tanquam ad finem pertinens.

Assero primò. In Christo ponenda est gratia creata, & hoc certò.

2 Probatvr primò à D. Bonauentura. In quocunque incipit Spiritus sanctus inhabitare, id præstat per gratiam creatam: Sed in Christo incepit habitare Spiritus sanctus: Ergo per gratiam creatam. Minor probatur primò ex D. Cyrillo *tom. 1. Concil. Ephes. cap. 1. epistola ad solitariam vitam agentes*, vbi ait, nomen Christi propriè tribui iustis, quia Spiritus sancti gratia delibuti sunt iuxta illud prima Ioan. 2. *Et vos vnctionem habetis à Spiritu sancto*, quam vnctionem fuisse in Christo probat ex psalm. 44. *Vnxit te Deus oleo, &c.* Et Actorum 10. *Vnxit eum Deus Spiritu sancto.* Ad-
3 dit verò, singulare fuisse in Christo non solùm fuisse Christum, sed etiam Deum, vnde concludit: *Si quis propter hanc solam vnctionem dicat, appellari Christum Deum, & adorari; eadem ratione dicturum esse, nos esse Deos, & adorandos, atque ac Christum.* Vbi supponit, illam gratiam Spiritus sancti esse eiusdem rationis in Christo, & in nobis.

Vbi nota ly *Solam* non indicare eam, quæ est per gratiam; sed dari aliam in Christo vnctionem, quæ est hypostatica vnio; non enim hæc nobis communicatur.

Vasqvez *num.* 8. è Peltano sensum conatur euertere; sed pedem sarculo fodit, sic perlegens: *Et nos quoque illam sacram vnctionem assecutos non neget, quemadmodum iure id negare non valet.* Duas autem vnctiones in Christo posuit, alteram vnionis hypostaticæ ei propriam; alteram gratiæ sanctificantis habitualis, quam nobis ait participatam, vt lectio Peltani exprimit: Ideò *tom. 5. eiusdem Conc. cap. 1.* ait Christum eadem vnctione vnctum, ac nos: (Neque tamen æqualiter nobiscum) nostram verò vnctionem esse per habitum ostendi *prima secunda, tractat. de Gratia, disp. 3. quæst. 2.* contra Vasquez ex parte.

4 Rvrsvs Minor probatur ex illo, Isaïæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Quem locum de gratia etiam habituali exponit D. Cyrillus. Deinde probatur à S. Bonauentura, *distinct. 13. quæst. 3.* ex illo Ioannis: *Vidimus gloriam eius, &c. plenum gratia, &c.*

Hæc loca sic intelligit D. Augustinus 5. *de Trinitate, cap. 26* vbi ait: *Dominus ipse Iesus non solum Spiritum sanctum dedit vt Deus; sed etiam accepit vt homo, propterà dictus est plenus gratiâ. Et manifestiùs de ipso Scriptum est in Actibus Apostolorum: Quia vnxit eum Deus Spiritu sancto. Non vtique oleo visibili, sed dono gratia, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia.* Hanc authoritatem sufficere ait Faber *disputatione* 28.

Sane de ea gratia intelligit Ioannes, de qua di-
5 cit: *De plenitudine eius accepimus*, vt notat eruditè Maldonatus *hic* post S. Doctorem *ibid.* & *in 3. d. 13. dub. 3. litt.* & *4. parte Breuiloq. cap. 5.* At gratia, quam ab eo accepimus, est habitus sanctificans, non gratia vnionis hypostaticæ, quod Valentia non benè aduertit.

Hoc indicare voluit S. Augustinus, *tractat. 3. in*
6 *Ioannem*, dum ait: *Vidimus gloriam eius, &c. plenum gratia, & veritatis*, & postea subdit: *De plenitudine eius nos accepisse gratiam*, nempè ad operandum; deinde: *Et gratiam pro gratia*, ad sanctificationem, quia scilicet similem gratiam ei, quam habebat, accepimus, esto non in omnibus, quia fidem ipse non habuit; neque de sua gratia, quidpiam detruncauit, & transtulit in nos, vt notat S. Doctor, *distinctione 13. dub. 3. litter.* cum Magistro *ibi.* Ex quo patet, deceptum Vasquez, dum ait, ideò solùm Christum plenum gratiæ dici, quia suo merito contulit nobis gratiam ad implendam legem. Quorsum enim primò diceret, eum plenum gratiæ, deinde nos de plenitudine eius accepisse; tertiò ab eo gratiam factam post legem Moysi ad eam seruandam, si hoc tertium solùm vellet dicere.

Hoc enim non dicit solùm Diuus Augustinus, 7
sed etiam, visum esse ipsum plenum gratiæ: *Et quid, ait, viderimus? Et vidimus gloriam, tanquam vnigeniti à patre plenum gratia.* Similiter *13. de Trinitate, cap. 19.* Sic explicat: *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis, si gratiam referamus ad scientiam; veritatem ad sapientiam, puto, nos ab illa duarum istarum rerum dictione, quam commendauimus, non abhorrere. In rebus enim, per tempus ortis, illa summa gratia est, quod homo in vnitate persona coniunctus est Deo.* Vbi aduerte, non solam gratiam vnionis intelligere, sed aliquod donum creatum, quod Vasquez non percipit.

Qvod verò ipse comminiscitur Chrysosto- 8
mum, *homilia 11. in Ioannis*, aliter exponentem; callidè incedit; hic enim Pater exponit id tantùm (*Gloriam eius*) non autem id (*plenum gratia*) vt notat D. Bonauentura, *Ioannis primo*, quasi hoc supponat clarum; hoc enim plano sensu sic exponitur, vt habet Lyranus, & hoc ipsa Sapientia incarnata iactat Ecclesiastici 24. *In me omnis gratia vita, & veritatis.* Omnis gratia etiam habitualis ad opera, vt ait S. Doctor *ibi*; quod vnicum est argumentum, ait Vulpez *disp. 27. art. 2.* è Scoto *dist. 13. quæst. 2.*

Hoc verò è Chrysostomo, *homilia 13. in Ioannem* patet, vbi exponens id: *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, ait: *Non habet donum participabile, sed ipse fons est, ipse lux, ipse vita, non in se ipso bonorum diuitias continens, sed in vniuersos diffundens, quibus diffusis, plenus permanet.* Et affert exemplum de pelago, diffundente aquas, & de igne, multis lucernis splendorem communicante: Ergo de gratia illa, qua erat plenus, communicauit nobis, vt notat D. Bonau. *ad 1. Ioannis*, adducens Chrysostomum.

Ex his habes, falsò Vasquez dicere, nullum Pa- 9
trum in nostro sensu exposuisse. Satis esse illi debuit profectò, quod ita ab omnibus Scholasticis exponitur, vt notat Suarez.

Probatvr à S. Doctore. Minor aliis Scripturis; in Christo fuisse Spiritum sanctum, atque adeò gratiam sanctificantem.

Primò ex Isaïæ 11. *Requiescet super eum Spi-* 10
ritus Domini, Spiritus Sapientia, &c. Neque verò ibi loquitur solùm de requiete Spiritus sancti per septem dona, vt putat Vasquez *n. 4.* nam vt obseruat S. Doctor *5. p. Breuil. c. 5.* primò ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini*, absolutè, idest, per gratiam; deinde ramificationem gratiæ in dona apponit, dicens: *Spiritus Sapientia.* Et D. Cyrillus *loco cit.* exponit de donis gratiæ habitualis cumulationem, & D. Gregor. 20. *Moral. cap. 30.* sic explicat: *Redemptor noster spiritus operationes cunctas, & manentes habuit*, & Tertull. *lib. 3. contra Marcion. c. 17.* ait, hanc esse pulchritudinem gratiæ spiritualis, & interiorem eius qualitatem, ob quam dictus est: *Speciosus forma.*

ma. Similia habet *lib.3. contra Marcionem, cap.* 8. & *lib. contra Iudæos, cap*.9. vbi ait: *Requiescet super eum vniuersitas spiritualium documentorum*. Idem ferè Irenæus docet *lib.3. cap*.19.

11 SECVNDO ex illo Lucæ 2. *Et gratia Dei erat in illo*, quem D. Bonauentura sic exponit, iuxta illud Ecclesiastici 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis*. Et Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, &c, plenum gratiæ, &c*. Ex quo patet, falsum esse, quod ait Vasquez, nullum ex Patribus, vel Interpretibus Scripturæ, sic explicare.

VRGEO, nam Patres expositores Scripturæ, exponentes hæc verba cum illis, quæ subdit: *Proficiebat Sapientiâ, & gratia*, & de eadem te loquentum Euangelistam scientes, quæstionem mouerunt; quomodo crescere posset gratia Christus, qui ab initio plenus fuit gratiâ, vtique illa, quæ ex se augeri potest, non gratia vnionis, vt notat Maldonatus ad hunc locum: Ergo signum est communiter sic intelligi.

TERTIÒ ex illo Ioannis 10. *Quem Pater sancti-*
12 *ficauit, & misit, &c*.

HVNC locum fatetur S. Bonauentura cum Vasquez ibi, à D.Augustino intelligi de sanctificatione in generatione æterna; quia enim *sanctificare* videtur sonare, priùs non fuisse sanctum, ait S Augustinus: *Sanctum genuit*, attamen id Ioan. 17. *Ego sanctifico meipsum*, idest, Hostiam sanctam me offero, vt exponit Chrysostom. *homil*.81. etiam de gratia habituali potest intelligi, cuius proprius effectus est sanctificare.

QVARTÒ ex illo Lucæ primo: *Quod ex te nascetur Sanctum*. Quod D.Bernardus *homil*.4. *in Missus est*, exponit: *Singulariter sanctum fuit, quod Virgo concepit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem*. Eum refert S.Doctor, *ad* 1. *Lucæ*, & post eum Suarez.

HVNC locum proponit Vasquez *num*. 5. diluen-
13 dum; sed calamus attramentum non reddidit.

ADDIT ibi S.Doctor, Euangelistam assignare rationem, cur sanctus sit Filius Virginis dicendus: *Ideò scilicet, quia Spiritus sancti opere fuit conceptus; ait enim: Virtus altissimi obumbrabit tibi, &c*. ideò, *&c. quasi diceret: Quia fœcundaris à Spiritu sancto, generabis Sanctum: Si enim, vt ait Ioannes* cap. 3. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est: Ergo quatenus nascitur ex Spiritu sancto, est Sanctus*, (etiam abstracta vnione hypostatica) & hoc (ait S. Doctor) voluit inferre D. Bernardus *loco citato*. Ad hoc applicat Seraphicos & id, quod *Daniel*. 9. vocat eum: *Sanctum Sanctorum*, idest, ex eodem capite Sanctum: Sic enim fit, vt in sanctitate princeps dicatur, etiam Marci 9. *Hic est Filius meus charissimus*. & Matth.17. *Filius meus dilectus*. Hinc Vulpes omnia spernens, præter suprà allatum eliditur. Hæc longius protraxi, vt Vasquij pruritum scalperem, qui in eneruandis Scripturis sæpè delectatur.

14 PROBATVR secundò à D. Bonauentura. Omnis anima placet Deo supernaturaliter per Deiformitatem gratiæ habitualis sanctificantis: at Christi anima placuit omnino Deo supernaturaliter comparatiuè super omnes: Ergo per gratiam aliis etiam Sanctis datam: Ergo. Maior patet ex dictis *prima secunda loco cit*. Præterea cum saltem in paruulis, & sanctificatis ex opere operato iustificatio fiat per habitum, vt fatetur Vasquez, loco ibi adducto, & hic *num*.11. ergo ex fide videtur concedendus Sanctus Sanctorum, vt sic haberet dona, quæ sancti habent, & hanc rationem D.Thomæ laudat Vasquez *num*.28. Minor est ostensa Scripturis.

PROBATVR tertiò, argumento *in corpore* expli- 15
cato. Vbi est meritum modo connaturali, ibi est gratia, quæ est fundamentum ordinarium meriti, & causa; sed in Christo fuit meritum: Ergo & gratia sanctificans habitualis, quæ est causa meriti connaturalis. Hac ratione vtitur Durandus 3. *dist*. 13. *quæst*.1. Palud. *eadem dist. quæst.2. concl.3. quarta opinionis*, sed absolutè.

HANC rationem modo, quo à Durando fertur, aduersari doctrinæ Patrum, & Conciliorum clamat Vasquez *cap*.3. vbi multos PP. atque Concilia aliqua corradit, asserentia, humanitatem Christi per Deitatem fuisse sanctificatam.

HOC tamen non negat D.Bonauentura, qui pas- 16
sim humanitatem Deitate sanctificatam conclamat, eamque ferro ignito, vel carboni accenso comparat, vt sicut carbo, vel ferrum, igne penetrata, ignita sunt; ità & humanitas Deitate perfusa. Id habet S. Bonauentura passim. Sed de hoc *quæst. sequenti*.

HOC verò exemplum desumpsit ex D. Cyrillo in Isaïam, *lib*. 1. *oratione* 4. & *in scholiis de Incarnatione Vnigeniti, capite* 8. & *lib*. 6. *Dialogorum de Incarnatione*, Damasceno *lib.3. de fide, cap*.15. 17. & 19. & *lib*.4. *cap*.3. Niceta *in orationem* 51. quæ est ad Cledonium.

VNDE S. Doctor *ad* 17. *Ioan*. exponit ea verba: 17
Ego sanctifico meipsum, idest, quando assumpsi humanitatem, sanctificaui me, vt hominem, & id probat ex D.Augustino *tract*.108. *in Ioan*. Hinc consequenter habes etiam, Seraphicum non putasse necessariam ad meritum gratiam habitualem in Christo; nam Deitati vnita meritum Christi reddebatur non modo efficax, sed infinitum, vt vidimus *disp*. 3. *quæst*. 8. & dicemus *quæst*. 2. & cum dicit *in corpore*, quod sine ea non fuisset idonea ad meriti perfectionem, loquitur de perfectione congrua formaliter modo connaturali, non de essentiali meriti, vt dicam *quæst. sequenti*.

QVID ergo sentit? Profectò id, quod Vasquez *cap*.5. sibi acclamat.

NOTANDVM ergo, argumenta S.Doctoris esse 18
collimanda cum his, quæ in resolutione quæstionum concludit, & sæpè etiam vnum fundamentum est aliis fulcimentum, & hoc etiam in aliis scholasticis obseruatur à candidis viris, vt in germano sensu allegentur.

IAM verò post suprà allegatam rationem S. Bonauentura aliam adducit, qua probat necessariam fuisse animæ Christi gratiam habitualem, nempè, quia cùm in Christo fuerint duæ naturæ, ac duæ voluntates, consequenter etiam duo genera operationum arbitrij concedenda sunt de fide, vt ostendemus *disputatione de Voluntatibus Christi*. Debuit autem vtraque voluntas operari modo sibi proprio connaturali per proprium principium sibi inhærens, & ita debuit habere formam sibi inhærentem, qua operaretur per modum causæ principalis. Hæc autem perfectio est gratia. Idem refricat *in corpore*, dicens: Necesse fuit, reperiri in anima Christi donum talis gratiæ.

OBIICIES verò: Gratia creata debet esse in perso- 19
na creata: at persona Christi est Diuina: Ergo.

RESPONDET D. Bonauentura, gratiam esse in substantia creata, idest anima. Et ipsam esse creatam, vt animam posset informare, tanquam perfectiuum suum perfectibile. Vide S.Bonauenturam.

VLTIMA ratio, quam affert S.Doctor ad proban-

dum in Christo gratiam habitualem, est, vt anima redderetur aliquo modo idoneè ornata ad vnionem cum Verbo, vt dixi *quæst. vlt. disp.* 10.

QVÆSTIO II.

Quorsum necessaria fuerit CHRISTO *Gratia Habitualis.*

20 TAMETSI *quæstione præcedenti*, attulerim incidenter aliquam rationem; tamen omnes sunt discutiendæ, cur gratia habitualis Christo sit data.

PRIMA opinio est, gratiam fuisse Christo necessariam, vt anima illa redderetur sancta, & simpliciter idonea ad merendum: Ità Paludanus, *disputatione* 13. *opinione* 4. *conclus.* 1. Ruardus Taper. *art.* 8. §. *occurrit hic*, & videtur Marsilij 3. *quæst.* 10. *art.* 1. eamque sequuntur aliqui Thomistæ recentiores, & nouissimè in sua Theologia Catechistica, *tom.* 2. *part.* 2. Bedianus Morange, in Ecclesia Lugdunensi Vicarius Generalis, vir eruditionis, & pietatis laude præclarus.

21 SECVNDA sententia huic affinis est Scoti *dist.* 13. *quæst.* 5. gratiam vnionis non reddere humanitatem Christi omnino sanctam, & gratam Deo, atque ad opera meritoria aptam, sed necessariam fuisse ex lege Dei ordinatia formam, idest, habitualem gratiam. Eum sequitur Rada 3. *part. controu.* 4. *art.* 3. Fauentinus 3. *disp.* 29. Aretinus *disput.* 13. *quæst.* 1. *art.* 1. Bellutus *disp.* 10. *quæst.* 1. Gallus *ibi præl. vn. disp.* 1. *sect.* 2. Centin. *d.* 11. Mastrius *disp.* 2. Vulpes *disp.* 27. *art.* 3. malè Seraphicum allegans.

22 TERTIA sententia est, per vnionem ad Verbum ita sanctificari, vt ad hoc non egeat gratia habituali. Ità Suarez, Vasquez, Hurtado, Valentia, Ragusa, Lorca, Granado, Caspens. Auersa, Becan. *cap.* 8. *quæst.* 1. Amicus, Bonac. Arriaga, Nazarius, Baldus, Orlandus, & tota Thomistarum, & societatis Schola. Sic eos allegant, & sequuntur Cardinalis Lugo *disp.* 16. Pasqualigo *disp.* 86. Tanner. *quæst.* 5. *dub.* 1. Morandus *quæst.* 26. Mastrius *loco cit.* His iunguntur è Scotistis Poncius *disp.* 37. *quæst.* 2. Adducitur Vulpes *disp.* 27. *art.* 3. qui tamen videtur ad D. Bonauenturam accedere: Sic & ex aliis allegatis multi variè explicant, Suarez *disp.* 18. *sect.* 1. ait, Humanitatem Christi ex vi vnionis fuisse sanctam, & Deo acceptam, & in hoc conuenit Valentia, *puncto* 1. Addit tamen Suarez, vnionem non conferre humanitati Christi omnem iustitiæ, & sanctitatis perfectionem, vt omni ex parte sit benè præparata ad beatitudinem, & omnem rectam operationem. Tandem vult necessariam fuisse Christo homini gratiam creatam ad consummatam sanctitatem; ita tandem paululum recedit.

23 QVARTA sententia est Aluarez, *disput.* 31. licèt Homo ille ratione suppositi esset personaliter gratus Deo ratione vnionis, & ex hac parte non egeret gratiâ habituali, quæ tribuit sanctitatem per participationem: atque ex hoc capite non esset necessaria gratia creata, vt essent personaliter Deo gratæ eius operationes; tamen simpliciter fuisse necessariam ex parte operum, vt essent supernaturales intrinsecè, & meritoriæ supernaturalis præmij.

QVINTA sententia est Asturicensis, *quæst.* 3. *de Christi gratia*, Humanitatem Christi ratione vnionis esse quidem impeccabilem (quam vocat sanctitatem negatiuam,) & personaliter Deo gratam; non esse tamen formaliter gratam, sed tantùm radicaliter.

SEXTA sententia est Vasquez, *disputat.* 41 gra- 24
tiam habitualem non fuisse Christo necessariam, vt homo ille esset sanctus, gratus Deo, & aptus ad merendum; sed solùm, vt modo connaturali intrinseco eliceret actus meritorios. Idem sentire videtur Medina.

SEPTIMA sententia est Nazarij *quæst.* 7. *artic.* 1. *controu.* 2. Humanitatem Christi ex vnione cum Verbo esse gratam gratitudine personali formaliter. Et quidem immediatè formaliter à personalitate Verbi; mediatè vero à Deitate: in quo impugnat Suarium, & Vasquium.

ADDIT verò, necessariam fuisse gratiam creatam, siue motionem supernaturalem, vt eius operationes essent intrinsece supernaturales, & meritoriæ præmij supernaturalis, atque adeò, licèt ex vnione operationes Christi reddantur personaliter gratæ, & possent esse infinitè meritoriæ ex Diuina ordinatione, non tamen essent propriè meritoriæ præmij supernaturalis. Tandem addit, necessariam fuisse gratiam creatam, vt humanitas esset perfectione sanctitatis cumulata, & ad operationes omnes perfectè præparata. 25

SENTENTIA D. Bonauenturæ, *dist.* 13. *quæst.* 1. est, Humanitatem Christi, tametsi ex vnione sanctam, gratam Deo, aptamque ad meritum infinitum formaliter (quod ostendi *quæst. præcedenti*, ex ipso) attamen indiguisse gratia creatâ, vt voluntas illa modo sibi connaturali intrinseco actus meritorios operaretur, quam sententiam secutus est Vasquez *loco cit.* & videtur Vulpis *loco citato*, Fuliens. *cap.* 15. Morand. *lib.* 1. *c.* 354. Caspens. *tract.* 22. *disp.* 5. *sect.* 1. Lugo *sect.* 5. *n.* 93. Itaque non asseruit S. Doctor, simpliciter fuisse gratiam necessariam ad actus meritorios, sed secundùm quid,

HVNC fuisse S. Doctoris sensum, colligo ex cor- 26
pore quæstionis, vnde semper definitio rerum hauritur; ibi enim comparat necessitatem gratiæ ad opera meritoria cum necessitate ad disponendam humanitatem ad vnionem; hanc verò congruitatem vocat, etiamsi dixisset requisitam, vt esset idonea, subdit, idest, congrua, vt ostendi *disput.* 10. *quæst.* 6. & *disp.* 6. *quæst.* 2. Ità simili necessitate infert, requisitam gratiam, vt esset anima idonea ad operandum meritoriè, vt Deiformis: Itaque ait, hanc gratiam debuisse esse habitum creatum, vt posset animam informare, tanquam perfectiuum suum perfectibile, quod informare debet; & vt potentias posset habilitare, sicut qualitas suum subiectum habet qualificare. Hæc S. Bonauentura habet, pro his concludens.

Ex his habes malè à Vulpes, & Vasquez citari 27
S. Doctorem, quasi in vtroque, & ad ornandam animam, & ad sanctificandam, aptamque reddendam ad vnionem hypostaticam, & ad sanctas operationes, ac merita, necessariam simpliciter gratiam asseruerit sanctificanté. Excusabilior est Suarez *disp.* 18. *sect.* 1. dum addit, Seraphicum non tam apertè locutum. Vult enim requiri gratiam habitualem, vt sit idonea humanitas ad operationes meriti, idest, congruè disposita; nam pro eodem hæc duo accipit, vt constat *dist.* 2. *q.* 1. *in fine corporis.* Confirmatur; nam *dist.* 13. *quæst.* 2 *ad* 3. asserit, meritum Christi infinitum non ex gratia habituali haberi in Christo, sed ex vnione hypostatica, & ex dignitate personæ.

ASSERO primò, Christum vt hominem ex vi

vnionis

vnionis hypostaticæ formaliter sanctum esse, & Deo charum.

28 PROBATVR primò à D. Bonau. ad id Lucæ 9. *Petrus dixit: Christum Dei*, & latè ad id Lucæ 4. *Eò quòd vnxerit*, illis Scripturæ locis, vbi dicitur vnctus, vt Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus tuus oleo, &c.* vbi ex hac vnctione dilectionem iustitiæ astruit. Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me Dominus*, & sumitur ex *Isa. 61.* vbi ex vnctione infert Spiritus sancti inhabitationem. Hanc verò vnctionem esse vnionem hypostaticam asserunt Patres, qua sanctus in actu secundo opera sancta exantlarit, vt rursus S. Bonauent. vrget ad id Ioan. 4. *Scio quia Messias venit.* Ità Naazianzenus *orat. 2. Pascha*, & 2. *Theol.* præclarè Nicetas *lib. I. thes. cap. 3.* Cyrill.
29 *lib. 4. in Ioan. cap. 29.* Basil. *ad psal. cit.* & ibi Hieron. Concilium Francoford. ad Episcopos Hisp. eo loco inferens, Col. 7. *Christum fuisse naturâ vnctum: alios verò gratia.* Hilar. 7. *Trin.* August. 3. *contr. Maximin. cap. 15. & 16 de Trin. cap. 26.* Damascen. *lib. 3. de fide, cap. 3* & alij apud Doctores, nobis collegatos. Quo nisi fundamento Patres Græci, & Latini aiunt, IESVM in conceptione fuisse Christum balsamo diuinitatis delibutum: Ità Cyrill. *ad Theodos.* exponens id psal. *& in scholiis de Incarn. cap. 10.* & *lib. declar. pro tredecim anath. ad 7.* Damasc. 4. *de fide, cap. 6.* Fulgent. *lib. de gratia Christi, cap. 16.* Gregor. Magn. *lib. 10. epist. 61.* Omnes verò eo nituntur, sanctitatem rationalibus capacibus aduenire è participatione diuinitatis, quæ est sanctitas per essentiam: at nulla potest esse maior participatio, quàm per vnionem substantialem in Persona Diuina.

30 HINC habes, humanitatem Christi hac vnione, absque dono alio esse sacratam; vnctio enim apud Patres, sanctificationem significat, vt notauit Cyrillus *epistola ad solitarios*, Fulgentius *lib. 3. ad Trasimundum*, & ad hoc affert S. Doctor suprà, illud Daniel. 9. *Vt vngatur Sanctus Sanctorum*, sic enim dicitur vnctus præ consortibus suis sanctis, quia ipsamet Deitate, quæ est sanctitas per essentiam, vnctus est secundùm humanitatem, vt Patres etiam allegati intelligunt id *Psal. 44.* quos refert etiam Vasquez, *disput. 41. cap. 3.* Suarez, *disp. 18. sect. 1.* Lugo *sect. 1.*

RESPONDET Mastrius, Beda, Fauentinus, & alij, illa testimonia solùm concludere hypostaticam vnionem fuisse sanctificationem causaliter, idest, causam radicalem, vt sanctificaretur per gratiam, non autem formaliter, quia Deitas non potest esse forma sanctificationis.

31 CONTRA tamen primò est, quia vnctionem ipsam Deitatis vocant sanctificationem, vt vidimus.

SECVNDÒ, quia ex vnione hypostatica rectè colligemus *disp. 17. quæst. 2.* cum D. Bonauentura *dist. 12.* impeccabilitatem Christi. Hoc autem frustra negabit Scotus, & Faber; nam D. Gregorius Nazianzenus *oratione 4. de Theologia*, quæ est *36 num. 46.* sic loquitur: *Illius enim* (nempè Christi) *voluntas cùm tota diuinitate perfusa sit, Deo proculdubio non aduersatur*, & rursus ait: *Christus diuinitate delibutus est; hæc enim humanitatis vnctio est.* Quid clarius? Et iterum astruit, Christum dici vnctum propter diuinitatem sanctificantem, non operatione, sicut in Christianis iustis, sed totius vnguenti, seu diuinitatis potentia; & D. Bernardus, *serm. 4. in Missus est*: *Singulariter sanctum fuit quidquid Virgo concepit, & per Spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem.* Id verò alioqui aliqui Pa-

tres exemplis carbonis, & ferri igniti explicant, quæ formaliter ab igne igniuntur, quos imitatur S. Bonau. relatus *quæst. cit.* suprà, vt dixi *disput. 8. quæst. 2.*

PRÆTEREA S. Doctor refellit Scoti effugium 32 *ad cap. 17. in Ioan.* ad ea verba: *Ego sanctifico meipsum*, ex D. Augustino, *tract. t. 108. in Ioannem*, vbi habet hæc verba: *Sanctifico eos in me: Quod quid est aliud, quàm in me secundùm id quod veritas est verbum illud in principio Deus? In quo & ipse Filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro: quia vna persona facta est Verbum, & homo. Tunc ergò sanctificauit se in se, hoc est, se hominem in se Verbo.* Ecce rationem formalem sanctificationis vnioni adscribit. Addit S. Augustinus, Christum sanctificare in se fideles, vt sint ipsi sanctificati in veritate, sicut ipse in se sanctificauit se initio per vnionem: Sed in veritate non est solùm radicaliter, sed etiam formaliter sanctificare: Ergo. Vnde concludit: *Quid est, & ipsi nisi, quemadmodum & ego, in veritate, quod ipse sum ego?*

PROBATVR secundò assertio à D. Bonauentura, 33 & effugium Scotistarum præcluditur, ad illud Lucæ 3. *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Vbi aduertit acutè S. Bonauentura, Patrem locutum modo singulari: *Tu es Filius meus. In te*, nempè, ex eo quòd Filius meus es, non ratione gratiæ habitualis, quæ communis est etiam aliis sanctis, *complacui*: ergo ait: *Tu solus.* Sic discretiuè accipitur, quia nullus alius, vt notat S. Doctor. Confirmat, quia ille est dilectus formaliter in se per id, quod est radix, vt grati essemus nos; at hoc est ratione vnionis, vt habetur Coloss. 1. *Gratificauit nos in dilecto Filio suo.* Et iterum: *Transtulit in regnum Filij dilectionis suæ.* Hæc ratio habetur expressa *disput. 13. quæst. 2.* præcipuè *ad 3.*

QVARE valeat Faber, *num. 8.* qui respondet, Deum diligere naturam, quæ vnitur hypostaticè: Attamen hanc dilectionem non haberi ex vi vnionis.

PROBATVR tertiò à S. Doctore *argumento secundo, & tertio ad oppositum, additis responsis.* Id, 34 quod reddit maximè Deo similem, ac perfectissimè Filium per naturam super adoptionem omnem, & Deo coniunctum, atque dilectum, propriè sanctificat: Talis est vnio hypostatica: Ergo. Maior est clara; nam gratia vnionis non solùm facit Deiformem, sed Deum, non Filium per adoptionem externum. (Id declarat Concilium Francoford.) sed Filium per naturam. Ideò Christus non est Filius adoptiuus, quia est per naturam, vt definit idem Concilium Francoford. Tandem participat entitatem diuinitatis physicè, & à personalitate diuinizatur, vt latè ostendit Cardinalis de Lugo, *numero 32.* Ergo. Hoc est præcipuum huius sententiæ fundamentum, è Patribus sumptum.

RESPONDET Mastrius, hoc tantùm probare, 35 humanitatem diuinizari per cõmunicationem idiomatum, ob coniunctionem cum Deitate in persona Verbi, tanquam in tertio, eo modo, quo in lacte dulce dicitur album, & album dulce, ob vnionem earum qualitatum in subiecto communi. Quo quidem sensu etiam natura irrationalis Bouis assumpta à Verbo, esset Deitatis particeps; neque ob id fieret sancta, & Deo accepta eo sanctitatis genere, de quo hic est sermo. Igitur gratia Dei est,

quæ verè Sanctum teddit, adoptans in sortem Dei ad gloriam.

36 CONTRA apertè est id, quod definit Clemens VI. in extrauaganti *Vnigenitus*, de quo satis *disp.* 3. *q.* 8. vbi definit, Christum suis operibus emeritum gloriam omnibus, & infinitum meritorum thesaurum cumulasse propter vnionem ad Verbum. Quid obsecro clarius ad ostendendam veram sanctitatem, quâ summè Deo placens sanctissima Christi Humanitas omnes ad sortem Dei in gloriam extulit?

PRÆCLARA id eruo ex Apostolo, *ad Hebr.* 2. vbi explicata exaltatione Christi per vnionem
37 hypostaticam, quâ super omnia opera Dei est constitutus, ait: *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur eos vocare fratres, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit iisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum, & liberaret eos, qui erant obnoxij seruituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi.* Ità prosequitur ostendere causam sanctificandi, & glorificandi esse vnionem hypostaticam, quâ sanctificatus, meruit infinitè gloriam nobis, imò absolutè impeccabilem reddidit Christum, vt ostendam *disp.* 17. *quæst.* 2. At Bonis exemplum fertur crassius.

38 RESPONDET Mastrius, concedendo, merita Christi habere aliquam infinitatem, nempè eam, quæ potest esse ex vnione ad Verbum. Hoc mihi nunc satis est, vt ostendam, gratiam vnionis esse satis ad transferendum in sortem Dei in gloriam per actus meritorios: Quare non consonè mox *num.* 24. negat, vnionem facere Christum hominem sanctum in actu secundo, sed solùm in actu primo; neque Filium Dei naturalem, sed tantùm proprium, non extraneum, cui proinde non competit hæreditas de iure, sed ex quadam congruitate.

HÆC sanè insulsa sunt; nam Concilium Fran-
39 ford. & Adrianus Papa, vt redderent rationem, cur definiant; Christum non esse Filium Dei adoptiuum, afferunt Scripturas, quibus, supposita vnione, vna persona Diuina necessariò nequeat dici Filius adoptiuus, sed per naturam, vt optimè probat Vasquez, *disp.* 89. *cap.* 8. nempè, quia per vnionem erat Filius naturalis, quod miror à Mastrio negari, qui *disp.* 2. *quæst.* 4. *num.* 90. refert verba ipsa Concilij Francoford. quibus id probat: *Nec Apostoli sic eum nominarunt, nec sancta Dei Catholica Ecclesiæ consuetudinem habuit sic eum appellare adoptiuum, siquidem non habet aliam significationem, nisi, vt Iesus Christus non sit Filius proprius Dei.* Ibi dicitur Filius proprius per vnionem,
40 vt ibi fatetur Mastrius, qui negat insipidè intelligi naturalem. Præmitto, vti Concilium Scripturis, naturalem Christo filiationem astruentibus, Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Perlegat Mastrius homilias SS. Patrum præsertim S. Leonis in Breuiario, Domin. 2. Quadr. *Hic est Filius meus, non adoptiuus, sed proprius: non aliunde creatus, sed ex me genitus: nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis.* Pergit alia edicere luce clariora pro nobis probantia. Ipsum Concilium explicat eum esse Filium proprium: *Filius est, meus est*, inferens eum solius esse Patris proprium, ad intra naturalem. Adhibet & id Lucæ 3. *Tu es Filius*
meus, in te complacui mihi, quod idem signat, vt 41
monet ibi D. Bonauentura. Idem haberi *cap.* 9. obseruat: Alia loca suprà retuli, quibus id probat Concilium quare concludit: *Corde credamus, ore confiteamur Dominum nostrum Iesum Christum verum Dei Filium, non putatiuum: proprium in vtraque natura, non adoptiuum: æqualem, coæternumque patri, Sanctoque Spiritui: qui Ecclesiam suam proprio sanguine adquisitam custodiat*: En filium proprium naturalem astruit.

DEINDE dicat mihi Mastrius, quâ ratione asserit Christum per gratiam adoptionis sanctum, non per vnionem, idque probat, quia non est Filius adoptiuus, vt Concilium definit, sed proprius? Sanctum verò in actu secundo habes eo Ps. 44. *Dilexisti iustitiam, &c.*

ERGO vera esset illa triplex filiatio, adhuc filia- 42
tio propria est perfectior, quàm adoptiua, quæ est extranei, vt ait Concilium Francoford. Ea enim propriè facit summè dilectum in actu secundo, vt probat Mastrius, *disputat.* 2. *quæst.* 5. *num.* 122. ex Concilio Francoford. quod vtitur eo testimonio. *Hic est Filius meus dilectus*: dixit *meus*, addiditque *dilectus*, vt intelligeretur proprius esse Filius, sicut Apostolus dixit: *Proprio Filio suo non pepercit.* Quo testimonio ostendit, Christum hominem ex vnione esse Filium naturalem, cùm pro eodem accipiat ac Filium proprium, in quo sibi æternè complacuit.

QVARE chimera est illa Mastrij *num.* 122. Bel- 43
luti *disp.* 9. *quæst.* 1. Filiationem istam in gratia habituali fundari, non in vnione hypostatica; profectò fundatur in vnione arctiori, quàm sit filiationis adoptiuæ, vt ipsi concedunt: Ergo non est à gratia adoptionis, cùm facit proprium; alioqui effectus erit super causam. Ea igitur asseritur de cœlo Deitas sanctificans ad terminandam Dei dilectionem supernaturalem, quæ expellit peccatum, ius ad æternam fundat beatitudinem, participem facit Dei certò substantialiter, quæ est ratio à priori, vt admonet Cardinalis de Lugo. Vnio enim dicitur summa gratia, eique attribuenda est impeccabilitas, vt docet D. Augustinus *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 18.

Ex his sequitur, neque ad merendum necessa- 44
riam fuisse gratiam habitualem; nam infinitè meruit gloriam ob vnionem, vt ait Clemens VI. Ea quippè sanctissimum, & summè gratum reddidit, vt hactenus præclarè ostendi. Sequitur etiam sanctificatam vnione, *vt Quo*, Deitate ratione personalis vnionis, *vt Quod*, seu personalitate infinita immediatè; sic PP. loquuntur. Vide Lugum *disp.* 16. qui admonet, etiam Deitatem sanctificare immediatè, vt forma; media verò personalitate, vt conditione.

ASSERO secundò, humanitatem Christi, etsi vnione substantialiter sanctissimam; tamen habitu gratiæ esse ornatam.

NOLVIMVS dicere, sanctificationem esse substantiam, vei ex hoc nostro asserto insulsè eruunt Centinus *loco cit.* & Mastrius *num.* 8. sed voluimus dicere, sanctificationem esse substantialem, quia est ab vnione hypostatica, quæ est substantialis: altera verò est à gratia accidentali.

ATQVI vocant eam etiam essentialem: at non 45
est

est intelligendum strictè, sed prout est intrinseca vnioni in persona. Ita loqui Vulpem reor.

PROBATVR igitur assertio, quia gratia habitualis est participatio formalis animam vestiens, *prima Petr.* & è Concil. Trident.

ASSERO igitur tertiò, gratiam habitualem fuisse Christi humanitati necessariam, vt homo ille modo connaturali, & lege ordinaria constituto, esset per formam, & iustitiam inhærentem sanctificatus ad operandum, expeditus ad meritum.

46 PROBATVR, quia forma sanctificans, iuxta Concilium Tridentinum lege ordinariâ est iustitia inhærens, & vnica, quod est argumentum Galli, Fabri, & aliorum Scotistarum. Neque tamen lege ordinariâ excluditur intrinseca, non inhærens, vt notat Caspensis *disp.* 5. *sect.* 1. non enim ad sanctificandum requiritur forma immutans naturam inhærens; sed sufficit intrinseca per hypostasim, quæ constituit filium naturalem consubstantialem dilectissimum, vt suprà ostendi. Mirum autem, quo pacto Mastrius *num.* 11. Christum hominem filium proprium consubstantialem asserat, & ne-
47 get naturalem. Neque ideò est superflua gratia habitualis, licèt intensiuè inferior gratiâ vnionis, quia extensiuè dat aliquos effectus diuersos. Attamen per vnionem sanctificatur intensissimè, siue moraliter tantum, vt volunt Suarez, Amicus, Orlandus, & alij; siue physicè, vt Lorca, Caspensis, & alij. Falsissimum autem est fundamentum Scotistarum præcipuum, vnionem dare tantùm subsistentiam, non autem sanctificare: oppositum enim ostensum est suprà, quod si non daret bruto; hoc est, quia non est capax omnium effectuum vnionis hypostaticæ. Quare pinguiori minerua profertur à Mastrio Bonis parallelus.

OBIICIES cum Scoto *dist.* 2. *quæst.* 1. *artic.* 1. Reprobatur Magister, eo quod visus sit dicere, Spiritum sanctum esse, quo formaliter sanctificamur. Idem autem est de Verbo, non enim potest esse forma sanctificans.

48 RESPONDETVR ex D. Bonauent. *in corpore, quæst.* 1. *dub.* 13. gratiam habitualem in nobis necessariam, vt connaturali nobis modo iustificemur; at hoc in Christo simpliciter non est necessarium, quia per vnionem hypostaticam, singularem sibi, super omnes sanctificatur, vt clamant PP. suprà relati. Carpitur verò Magister, quia visus est dicere, sanctificationem nostram fieri sine infusione gratiæ.

OBIICIES secundò cum Fabro. Potuit Deus assumere lapidem, vel dæmonem, & non essent sancti; Similiter & hominem in puris naturalibus, & neque hic esse gratus.

49 RESPONDETVR, iuxta sententiam Patrum suprà, ex D. Bonauent. *dist.* 12. *quæst.* 1. negari illationem, nam si diabolum assumeret, vel in puris naturalibus quamcunque creaturam rationalem, redderetur sanctus. Si verò lapidem, iam non esset capax gratuitæ sanctitatis. Et ideò nil mirum, si non esset gratus formali accidentali gratitudine, sed tantùm suppositali, tunc enim non potest gratia vnionis omnem suum effectum consequi.

OBIICIES tertiò. Effectus formalis alicuius formæ, nulli alij conuenit; at sanctum facere est effectus formalis gratiæ habitualis: Ergo.

RESPONDETVR ad Minorem, sanctificationem accidentalem adoptionis esse effectum formalem gratiæ habitualis, non autem omnem formalem sanctificationem.

NOTA verò, vnionem hypostaticam, vt dicit 50
nouum modum humanitatis, non sanctificare humanitatem perfectissimè, cùm enim sit quid creatum, non potest dare infinitum pretium operibus, atque adeò nec humanitati. Quando verò Sancti PP. id videntur dicere, solùm volunt, humanitatem, quatenus vnione coniungitur deitati, à Deitate sanctificari. Sanctificatio ergo est à Deitate, vt vidimus ex PP. Insuper oritur etiam à persona Verbi, quatenus differt ratione ratiocinata ab essentia. Probatur à Caspensi ex D. Athanasio *oratione contra Arrianos*, vbi loquens in persona Christi, ait: *Ego chrisma, siue vnctio Christus, siue vnctus est homo, qui à me assumptus est.*

FORTIVS probatur à S. Doctore ad ea verba Ioan. 17. *Ego sanctifico me ipsum*, vbi *Ego* significat personam, & id confirmat ex D. Augustino, suprà relato.

AN verò physicè sanctificetur humanitas à Dei- 51
tate, an verò solùm moraliter. Caspensis contra Suarez asserit, quia Verbum physice vnitur humanitati; licèt enim non informet, tamen substantialiter perficit.

ALIQVA argumenta habet S. Doctor *quæst.* 1. *dub.* 13. quæ probare videntur, superfluam esse gratiam habitualem.

PRÆCIPVVM est, quia Christus erat Filius Dei per naturam, & impeccabilis, Filius naturalis Dei, & ad omne bonum directus à persona Diuina: Ergo superfluus erat habitus faciens deiformem filium adoptiuum, & aptum ad opera sancta.

RESPONDAT S. Doctor, esto per Verbum con- 52
stitueretur in ea perfectione; non tamen fuit superflua gratia habitualis, vt disponeret ad filiationem naturalem, & redderet sua deiformitate dispositam animam ad vnionem cum Verbo, & vt modo debito, siue connaturali liberum arbitrium operaretur opera supernaturalia, nempe principio supernaturali sibi inhærente, vt dixi.

QVÆSTIO III.

An Gratia CHRISTI *fuerit infinita.*

D. Bonau. dist. 13. q. 2. art. 1.
D. Thom. q. 7. art. 11.

ALMAINVS *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 1. refert, com- 53
munem tunc in Schola Parisiensi opinionem fuisse, Gratiam Christi habitualem esse infinitam intensiuè. Ipse autem non omnino ab ea abhorret. Eam verò sequuntur Ioan. Maior 3. *eadem distinct. quæst.* 3. & alij.

SECVNDA opinio est Marsilij *in* 3. *dist.* 10. *art.* 1. Gratiam Christi esse infinitam secundùm extrinsecam Dei acceptationem tantum, quatenus à Deo acceptatur ad meritum infinitum. Hanc opinionem Asturicensis *pag.* 210. tribuit quibusdam Thomistis. Et tribuitur præcipuè Victoriæ, & Soto, vt refert Vasquez *cap.* 1.

TERTIA opinio est Vasquez *disp.* 47. *cap.* 3. In- 54
finitatem gratiæ Christi in eo positam esse, vt esset principium operis infinitè meritorij, cuius infinita dignitas ex vnione, cui gratia habitualis subseruiebat, proueniet. Neque longè abit Suarez *disp.* 22. *sect.* 1. docens, gratiam Christi esse infinitam moraliter, quoniam ex coniunctione ad Ver-

bum æstimationem accipit infinitam. Accedit Asturicensis *relect. de gratia Christi, quæst.* 3. *art.* 2. *conclusionis, pag.* 231. Idem videtur insinuare Capreolus *dist.* 18. *quæst. vnica, ad* 4. *Scoti cont. primam conclusionem.* Hoc inferunt etiam alij dicentes, gratiam Christi essentialiter finitam, fieri infinitam modaliter ratione subiecti, in quo est.

QVARTA sententia est, gratiam Christi eatenus solùm infinitam, quatenus extenditur ad omnes effectus gratiæ possibiles. Hæc adscribitur Alberto *dist.* 13. *art.* 7. Durando *quæst.* 1. Capreolo *quæst. vnica, ad argumenta, contra secundam conclusionem,* Altisiodorensi *lib.* 3. *t.* 1. *cap.* 5.

55 QVINTA sententia est Capreoli *dist.* 13. *quæst. vnica*, Medinæ, & aliorum recentiorum *ad hunc articulum*, Gratiam Christi tam in genere entis, quàm in genere Qualitatis, & gratiæ, esse finitam, & per Dei potentiam augeri posse. Acclamat huic Fulienſ. *cap.* 15. *resol.* 2. Mastr. *disp.* 2. *num.* 69. vbi alij Scotistæ.

SEXTA sententia est, gratiam tam secundùm se, quam in ordine ad subiectum proprium, quod est anima Christi, esse finitam; sed in ratione gratiæ per comparationem ad membra Christi, & vt est gratia capitis, esse infinitam, eò quòd gratia Christi sit incommensurabilis cuique gratiæ puri hominis. Hæc a recentioribus nonnullis adscribitur Scoto, & Almaino *dist.* 13. *quæst.* 1. Paludano *quæst.* 1. *art.* 1. & 4. Richardo *art.* 1. *quæst.* 2. Palatio *disput. vnica.* Eam verò ait Nazarius *quæst.* 7. *art.* 1. *contron.* 1. esse opinionem D. Bonauenturæ hic. Alias rationes ex D. Bonau. corradit Vasquez *cap.* 3. ob quas sit infinita, nempe quoad vsum, quia habuit vsum omnis virtutis, & operationis gratiæ; Et quoad effectum, quia fuit principium operis infinitè digni, & sufficientis ad redimendos infinitos. Idem adscribunt Richardo *loco cit.* reprehendit verò D. Bonauenturam, & Richardum, qui dixerunt, animam Christi ob vnionem fuisse gratiæ capaciorem effectam.

56 NON longè abest D. Thom. gratiam Christi dici quodammodo infinitam, quia habet esse perfectum gratiæ, & hoc vocat illimitatum, quod exemplificat similitudine Solis, cuius Lux quodammodo dici potest infinita. Ita explicant Caietanus, & alij.

NAZARIVS verò docet, Gratiam Christi esse infinitam, non per solam extrinsecam acceptationem, neque etiam per intensionem, seu intrinsecè, neque per modum deriuatum à Verbo, sed esse infinitam negatiuè, quia ad nullum particularem gratiæ gradum, mensuram, aut modum, est determinata. Secundò ex parte causæ, quæ est Verbum. Tertiò quoad effectus.

SCOTI verò germana sententia hæc est, Gratiam Christi esse omnino finitam, esse tamen summam etiam, quæ creari possit. Ita etiam Fauentinus *disput.* 29. *cap.* 2. vbi reprehendit D. Bonau. quia dixerit, gratiam esse intensiorem in natura perfectiori. Cum Fauentino sunt Vulpes *disp.* 28. & alij Scotici apud Mastr. *disp.* 2. *quæst.* 5.

57 SENTENTIA S. Bonauenturæ hæc est, Gratiam Christi, vt est ens, & qualitas, ac gratia, cum sit creata, esse finitam; dici verò infinitam comparatione gratiæ aliorum hominum, quam excedit improportionabiliter. Gratia enim illa propter coniunctionem cum Verbo excedit in infinitum alias.

PRIMÒ in habitibus, quia nulla pura creatura potest tot, tamque perfectos habitus recipere, sicut anima cum Verbo vnita.

SECVNDÒ quantum ad vsum, quia in Christo omnes virtutes habuerunt vsus suos spectantes ad perfectionem. Ideò dicuntur in eo esse omnes sensus, sicuti in capite sunt, cum in reliquo corpore sit solus tactus.

TERTIÒ quoad effectus, quia enim homo ille erat Dei Filius, meritum illius pensatur secundùm dignitatem personæ, à qua exit opus; ita vt meritum esset infinitum, non ratione gratiæ creatæ, sed ratione personæ. Ita *ad tertium.* Idem ferè habet Caspensis *disp.* 5. *sect.* 2. Lugo *disp.* 16. *sect.* 6. & alij cum D. Thoma.

ASSERO primò, gratiam Christi esse simpliciter in se finitam, quoad essentiam gratiæ physicæ. 58

PROBATVR à D. Bonau. primò. Omne creatum habet certam mensuram *Sap.* 11. sed Gratia Christi est creata: Ergo. Maior patet ex dictis *p. p. Tract.* 5. *disp* 6. *quæst.* 2. vbi ostendi, non posse dari infinitum intensiuè. Minor patet: Hac ratione nituntur Caspensis, Suarez, Vulpes, è Scoto *dist.* 13. *quæst.* 2. Fauentinus *disp.* 2. *num.* 25. & hoc sensu concedit Nazarius. Confirmatur à D. Bonau. *argumento secundo.* Gratuita habent aliquam cum naturalibus proportionem; at naturalia Christi hominis sunt finita: Ergo.

PROBATVR secundò à S. Doctore. Subiectum finitæ capacitatis non potest capere infinitum; anima est finitæ capacitatis: Ergo. Hac ratione vtitur etiam D. Thom. Maior est certa: Quia quidquid recipitur, ad modum, & capacitatem recipientis recipitur. Minor probatur à D. Bonauent. quia naturalia Christi non excedunt infinitè naturalia aliorum hominum, alij verò homines sunt in specie finita hominis. Hac ratione vtitur Scotus *dist.* 13. *quæst.* 2. Faber *disput.* 29. *num.* 17. Suarez verò dicit, hanc rationem supponere impossibilitatem in forma; quod si semel concedatur possibilis gratia infinita, iam ex animæ incapacitate non probatur; ideò D. Bonau. præmittit aliam rationem primò. 59

PROBATVR tertiò à S. Doctore ratione generali. Quia quod tollit ordinabilitatem ad bonum in creaturis, repugnat; at infinitas hanc tollit: Ergo. Hæc ratio roborata est *p. p. loco cit.*

PROBATVR quartò. Si daretur gratia infinita in Christo, non esset dare illa maiorem, quia infinito nihil est maius: sed hoc est falsum. Minor probatur, quia sequeretur, neque vnionem hypostaticam, neque Verbum esse maiora. 60

PROBATVR quintò à Vasquez *num.* 7. Nulla creatura potest ita reddi sancta, & iusta coram Deo per gratiam adoptionis, per quam homo vnitur Deo, solo affectu, quin in dies possit ampliùs Deo placere, & coram eo iustificari nostris bonis operibus; alioqui nil proficeret: huic ergo deberetur maior gratia in dies; hoc autem non posset fieri, si gratia esset infinita, quia infinito nihil est maius. Ergo gratia infinita esse non potest. Hanc rationem vnicam acclamat, & potissimam ad hoc confirmandum; cæteris flocci æstimatis.

HÆC tamen ratio penitus à D. Bonau. eneruatur, nam vt notat *quæst. hac ad* 4. Gratia Christi diuersi generis proximè est, quippe quæ non ad augendum sui meritum, vt ait S. Doctor *q.* 3. *ad* 4. neque ad merendum augmentum gratiæ, suamque gloriam ordinata, sed ad vnionem hypostaticam disponebat; vnde esse debuit summa improportionatè aliorum gratias superans ad modum, quo linea puncto præualet indiuisibili. Cumque Christus 61

non

non operaretur, vt cresceret in merito; atque omnes actus eius essent summi pro nobis meriti, quippè esset Christus in se perfectissimus, vt notat D. Bonau. *quæst. 3. ad* 2. malè Vasquez solitum in nobis augmentum affert, vt deducat gratiam in Christo finitam.

62 NEQVE ex augmentabilitate adoptati in gratia, rectè arguit, quia Christus non erat adoptatus; sed naturâ filius infinitæ dignitatis, cui indecora fuisset gratia augmentabilis, sed debebatur summa, & ex hoc capite non conuincitur finita, vt prætendit Vasquez.

PRÆTEREA dico, esto esset gratia infinita in anima; posset ea finitate huius limitari ad actus talis intensionis, atque adeò non ostendit, posse semper crescere, vel non crescere ratione præcisa gratiæ, vt accinit S. Doctor *ad* 2. Meritum sanè non mensurabatur in Christo intensiuè, aut extensiuè è quantitate, vel entitate gratiæ, aut intensione, sed ex dignitate Personæ operantis, vt ait D. Bonau. *loco cit. & in corpore.* Ita infirma est ratio Vasqoij arguens ex modo nostro per gratiam operandi. Ponderet ergo & aliorum rationes. Hæc è mox dicendis clarius elucebunt: Eaque declarabo *quæst. seq.*

63 ASSERO secundò, gratiam Christi non esse infinitam extrinseca Dei acceptatione.

PROBATVR à D. Bonau. *quæst. 2. ad tertium,* quia, vt ait D. Anselmus *lib. 2. Cur Deus homo, cap. 7.* ad satisfactionem infinitam oportuit, hominem esse Deum, & ideò satisfactio acceptata est ex dignitate Personæ, vt ostendi *disp. 3. q. 7. & 8.* Ergo non ea gratia habituali hanc dignitatem habuit Christi satisfactio.

ASSERO tertiò. Gratia Christi neque infinitatem modalem ex vnione ad Verbum habet.

64 PROBATVR à S. Doctore *quæst. 2. ad 5.* quia gratia Christi adhuc manet in esse creato, & sicut humanitas, quæ immediatè vnitur Verbo hypostaticè, adhuc manet finita; certè idem de gratia dicendum, quæ ratione animæ vnitur Verbo.

ASSERO quartò, Gratiam Christi habere quandam infinitatem comparatiuè ad gratiam Sanctorum.

PROBATVR primò à S. Doctore *ad primum,* ex illo Ioan 3. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Circa hunc locum scias primò, hic loqui de Christo, vt benè aduertit D. Bonau. *hic, & in Commentario Ioannis*; in toto enim contextu est sermo de Filio, idest Christo, & omnes PP. antiqui
65 de eo exponunt. Textus id indicat: *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum Filio,* vbi particula *enim* reddit rationem, cur Filius Messias arcana Dei sic loquatur. Prætereà, postquam dixit: *Non enim ad mensuram,* subdit: *Pater enim diligit Filium,* vt rectè arguit D. Augustinus *Tract. 14. in Ioan.* Cyrillus *lib. 2. in Ioan. cap. 72.* qui sanè cum aliis multis PP. exponunt de diuinitate, cui per generationem datum est, vt sit tantus, quantus Pater; addè, ei communicatam esse vim infinitam spirationis.

66 ALII verò PP. intelligunt de diuinitate, sed alio modo, nempè, quia Verbum est Filius naturalis, non autem adoptiuus per gradus determinatos gratiæ habitualis. Ita D. Gregorius Nazianzenus *oratione 36.* & indicat Theophylactus.

ENIM verò D. Chrysostomus in Ioan. *homil. 29. & 30.* quem sequuntur Theophylact. Euthymius, & alij, de homine Christo intelligunt, cui datus est spiritus non ad mensuram, vel per vnionem hypostaticam, vel per gratiarum plenitudinem, quod significat alibi Apostolus, dicens: *Vnicuique datur gratia secundum mensuram donationis Christi: & diuisiones gratiarum sunt*; at verò Christo data est plenitudo gratiarum cum omni perfectione,
quem sensum indicant magis Chrysostomus, & 67
Græci, nec dissentit Augustinus: Quare fallitur Vasquez *num. 10.* dicens, eos loqui de miraculis, non enim Verbum vllum miraculi habent; sed edisserunt Spiritus sancti influentiam in nos. Hæc enim est, quæ diuiditur in sacros riuulos, nempè effectus Spiritus sancti, in quibus est gratia sanctificans; Spiritus enim sanctus est indiuisibilis. Similiter de donis iisdem explicat D. Thom. *ad primum,* cum D. Bonau. suprà dicente: *Pater non ad mensuram,* vno modo exponitur de dono, quod Deus Pater ab æterno dedit Filio, scilicet Diuina natura, quæ est donum infinitum.

ALIO modo potest referri ad donum, quod datum est humanæ naturæ, vt vniatur Diuinæ personæ.

TERTIO modo potest referri ad gratiam habi- 68
tualem, in quantum gratia Christi se extendit ad omnia, quæ sunt gratiæ. Vnde Augustinus hoc exponens, ait: *Mensura Diuina diuisio quadam donorum est, alij enim datur per spiritum sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ, sed Christus, qui dat, non ad mensuram accepit.* Quare summopere miror Vasquez dicentem, se mirari viros Theologos eum locum de gratia habituali exponere absque fundamento; cùm nec Patres, nec D. Thomas eum ita exponant. Vide Aluarez *disp. 33.* Asturicensem *q. 3. art. 1.*

ADDO ego Seraphicum *hic, & in Commentario,* 69
vbi eisdem expositionibus cum D. Thom. vtitur, præcipuè verò de Christi humanitate explicans, ait, gratiam creatam esse absque mensura quoad actus, quia omnium virtutum perfectos actus habet, & ideò illimitatos, cuius exemplum etiam D. Thom. exprimit in sole: qui cùm sit causa vniuersalis, habet omnes effectus, ita & Christus: alio etiam modo exponit cum D. Augustino, & D. Thoma suprà.

QVÒD autem Vasquez mussitat, gratiam habitualem, si non est ad mensuram, fore infinitam simpliciter, inane est: dicitur enim immensurabile, quod magnum est; sic loquimur de cœlo, vel de mari: dicitur autem non ad mensuram simpliciter, sed vt sumitur pro commensuratione gratiæ nostræ, tunc enim Christus loquebatur in hoc subiecto, vt notat S. Bonauent. *ad 1. & in Commentario.*

FATEOR verò, Seraphicum 1. *dist. 17. part. 2. dub. 1.* explicare id interim, vel de gratia vnionis, vel de gratia capitis, sed in alium locum distulit definire.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in corpore, &* 70
ad quartum, & quintum: Tanta debet esse superabundantia gratiæ, & aliorum habituum in Christo super omnes, quanta est dignitas Filij Dei per naturam super adoptiuos, vt habetur Hebr. 1. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit:* at dignitas Filij Dei infinitè excedit filios adoptionis: Ergo. Nota verò, cùm gratia, & alij habitus solùm congruè ornent, non adæquatè, illam humanitatem, vt sit digna Filij Dei vnione, hinc non requiri simpliciter infinitatis proportionem; non enim disponit, sicut meritum ad præmium, vt notat S. Bonau. *ad quintum.*

ASSERO

71 Assaro quintò, Gratiam Christi dici posse quodammodo infinitam quoad vsum omnium actuum pefectorum. Ita Suarez post D. Bonau. *in corpore.*

Probatvr à S. Doctore hîc, & ad locum citatum Ioannis, ex illo Isaiæ 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, &c.* Zachar. 3. *Super lapidem vnum septem oculi.* Zach. 4. *In candelabro septem lucernæ*, quæ in omnes operationes Spiritus sancti, & vsus actuum omnium perfectissimorum extenduntur, seclusis imperfectionibus, quæ sic exponit D. Gregorius 29. *Moral. cap.* 16. post medium de Christo, vbi ad id applicat etiam id Iob. 38. *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas?* vbi S. Gregorius: *Redemptor noster in carne veniens Pleiadas iunxit, quia operationes sancti Spiritus septiformes simul in se, & iunctas, & manentes habuit.* Hæc loca de Christo exponunt Hieronymus *ibi*: Origenes *homil.* 6. *in Numer.* Irenæus *lib.* 3. *contra hæreses, cap.* 10. Basilius *Isaia* 4. *lib. de sua fide*, Rupertus *lib. de operibus Spiritus sancti*, vt notat etiam Nazarius *quæst.* 7. *art.* 5. Infinitas autem his videtur conuenire, quæ est illimitatio ad aliquem actum.

72 Confirmatvr à S. Doctore *in corpore*, ex D. Augustino *epistola* 57. circa finem, vbi ait, in Christo, vtpote capite, fuisse omnes sensus; at in nobis tanquam membris esse solum tactum, sicuti etiam in capite habemus omnes sensus, in cæteris membris corporis solum habemus tactum. Neque solum loquitur ratione deitatis vnitæ, vt putat Vasquez *disp.* 45. *num.* 8. licèt ex deitate ortum ducere fateatur; attamen ex vsu actuum deducitur. Vide D. Bonau. 4. *part. Breuil. cap.* 5.

Assero sextò, Gratiam Christi posse dici quodammodo infinitam quoad effectus.

73 Adverta, Vasquezium *num.* 11. ita explicare gratiæ habitualis infinitatem hanc, ex Seraphico Doctore, quia scilicet fuit verum principium operis infinitè digni, & sufficientis ad redimendos infinitos homines. Hoc verò non dixit Seraphicus; sed quia ille, qui operabatur, ait, cum gratiâ illâ, erat persona infinita, & ideò dignitas personæ augebat infinitè pretium operum, factorum cum gratia. Itaque non gratiæ habituali adscribit infinitatem effectuum immediatè, sed tantùm mediatè, quatenus erat in persona infinita operante, quæ duo admodum sunt diuersa. Imò *ad tertium*, clarius hoc explicat concludens: Propter hoc, meritum illud non est infinitum ratione gratiæ creatæ, sed ratione infinitæ dignitatis personæ. Quo sensu assertio est clara; nam, vt notat Caspensis, Deitas, & Verbum nobilitat ea, quæ sibi vnita sunt secundùm capacitatis modum vnius cuiusque.

Qvòd verò reprehendit Vasquez *num.* 12. in D. Bonauentura *hic*, & Richardo, humanitatem Christi propter vnionem cum Verbo posse effici magis capacem gratiæ; quod reprobat, quia vnio non immutat naturam humanam.

74 Dico, Seraphicum non asserere hoc in ista quæstione, vt benè notauit etiam Fauentinus *disp.* 29. *num.* 26. sed in 1. *dist.* 17. 2. *part. artic.* 1. *quæst.* 4. Idem dic de Richardo, qui id asserit solùm in 1. *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 4. sed de hoc *quæstione sequenti.* Et colligi potest ex dictis *p. p. tract.* 4. id est *de Angelis, disp.* 5. *quæst.* 5.

Argvmenta ex assertionibus ipsis distinctis facilè eliduntur, sic & primum argumentum oppositum solutum est. Similiter & tertium, vt patet ex dictis.

Secvndvm verò est. Cui nil potest addi, est infinitum: talis est gratia Christi: Ergo. Minor probatur ex Magistro: Hoc argumentum exigit solutionem *quæstione sequenti* exhibendam.

Qvartvm est. Finitum excedit aliud finitum finite, & potest adæquari. Si ergo gratia Christi est finita; sequitur eam posse adæquari à gratia aliorum Sanctorum. Hæc verò aliàs discutietur. 75

Qvintvm est. Tanta est gratia, quantum est id, ad quod disponit: sed gratia habitualis Christi disponit ad vnionem cum Verbo infinito: Ergo.

Respondet S. Doctor primò, id esse verum de disponente necessario adæquatè, qualis non est gratia ad vnionem hanc.

Respondeat secundò, esse Deum per essentiam dicere bonum infinitum simpliciter. At dici Deum ratione personæ Diuinæ, sibi vnitæ, dicit quidem personam infinitam; hypostaticè verò vnitam naturam creatam relinquit in sua finitate. Ita homo iste est Deus, quatenus *iste* signat Personam Verbi, vt verò dicit naturam hominis, manet in suo esse creato. Ita verò cùm gratia habitualis humanitatem ad bonum infinitum ratione vnionis cum bono infinito disposuit, non debuit esse infinita physicè, quia non facit vnum naturâ; esto moralem quandam infinitam dignitatem nanciscatur. Hoc stante, posset dici gratia Christi 76 moraliter infinita, si morali modo adæquata dispositio foret; aliam tamen aliunde infinitam moralem obtinet dignitatem, quia, cum humanitas illa sanctissima per gratiam illam operetur, vt Verbo vnita; inde opera illa moralem dignitatem consequuntur infinitam.

QVÆSTIO IV.

An Gratia Christi *valuerit augeri.*

D. Bonauent. dist. 13. quæst. 3.
D. Thom. q. 7. art. 11.

Non ago nunc de sanctitate Christi, an potuerit fieri Christus iustior, sed de gratia habituali, ex cuius incremento, suppono, non fieret Christus iustior, cùm esset Deitate supremè sanctificatus, vt docet Dionysius Alexandrinus *epistola contra Samosatenum*, Nazianzenus *epist.* 1. *ad Cledonium*, quæ est 51. 77

Prima opinio est, gratiam Christi crescere potuisse in infinitum quoad suam physicam entitatem, saltem de potentia Dei absoluta, & idem docet de quacumque gratia Viatoris. Ita D. Thom. *hic*, quem sequuntur Thomistæ communiter, Medina, Valentia *hic*, Suarez *disp.* 22. *sect.* 2. Asturicensis *Relect. de gratia Christi, quæst.* 3. Aluarez *disp.* 36. Vasquez *disp.* 47. Lugo *disp.* 16. *sect.* 6. Pasqualigo *disp.* 86. Morandus *quæst.* 26. Capreolus *disp.* 13. *quæstione vnica, ad tertium Aureoli.* Citantur Gabriel 3. *dist.* 17. *quæst.* 8. *art.* 2. *conclusione* 3. *&* 4. & *in* 3. *dist.* 13. *quæst. vnica, art.* 1. *&* 2. vbi probabiliorem censet. Ariminensis 1. *dist.* 17. *q.* 6. *conclus.* 3. qui putat probabilem. Ocham verò *ibi, quæst.* 8. *conclus.* 1. & *in* 3. *quæst.* 7. absolutè eam tuetur; sequitur Caspensis *disp.* 5. *sect.* 3. 78

E Scotistis, Cauellus *lib.* 1. *Metaph. quæst.* 6. Bellutus *disp.* 10. *quæst.* 1. Bassolis 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 2. & *in* 3. *dist.* 33. *quæstione vnica, art.* 2. Tartaret. 2. *Physic.*

1. *Physic. quæst.* 4. & alij, quos adducit, & sequitur Mastrius *disp.* 2. *quæst.* 3. *art.* 1.

79 SECVNDA sententia est, gratiam Christi non posse augeri, non quia infinita, sed quia est in summo gradu, qui possit esse. Citantur à Vasquez D. Bonauent. 1. *dist.* 17. *part.* 2. *quæst.* 4. Richardus *in* 1. *dist.* 17. *art.* 2. *quæst.* 4. & *in* 2. *dist.* 11. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. Scotus *in* 3. *dist.* 13. §. *Ad primam quæstionem dico*, Marsilius *in* 3. *quæst.* 10. *art.* 1. *p.* 3. *articuli, concl.* 1. Driedo *de captiuitate, & redemptione hominum, Tract.* 2. *cap.* 2. *p.* 3. *art.* 6. *sententia octaua.* Durandus 3. *dist.* 13. *quæst.* 1. *num.* 10. Carthus. idem videtur sentire 3. *dist.* 13. *quæst.* 2. Hanc videtur sententiam amplecti Bedianus Morange *in sua Theolog. Catech. tom.* 2. *p.* 2. vbi tamen male ait, gratiam non creuisse in Christo, quia nil sibi meruit, etenim factus est obediens vsque ad mortem, propter quam Deus exaltauit illum, &c. Sequitur priorem rationem.

NAZARIVS *quæst.* 17. *art.* 12. *controu. vnica*, referens etiam D. Thomam *ibi*, Caietanum *art.* 9. 10. & 12. & infrà *quæst.* 10. *art.* 4. & 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 7. hoc vnum discrimen apponens, quod supra citati Doctores velint, gratiam Christi ex parte essentiæ suæ crescere posse in infinitum, eò quòd sit formalis participatio deitatis, quæ infinitè est participabilis, sed ob incapacitatem subiecti augeri non posse, quia anima Christi finitam habeat capacitatem, quæ tota fuit impleta: at D. Thomas, & Caietanus, ac Scotus velint gratiam Christi, neque ex parte gratiæ, neque ex parte subiecti augeri posse per potentiam Dei absolutam.

80 SENTENTIA igitur D. Bonauent. videtur, gratiam Christi non posse augeri, aut ratione gratiæ ipsius, aut ratione subiecti, nam *quæst.* 2. *ad* 2. dicit, Gratiam Christi non potuisse augeri ratione subiecti, quòd est finitæ capacitatis: In responsione verò *ad vltimum* innuit, quod neque ex parte ipsius gratiæ potuerit augeri, dum dicit, Animam Christi non potuisse maiorem gratiam desiderare, quia illa gratia vnit Deo coniunctione perfecta.

81 HÆC autem videtur asserere de potentiâ etiam Dei absolutâ; nam cùm *in responsione ad* 2. sibi obiecisset; potuisse Deum dare capacitatem maiorem. Respondet, necesse esse, vt creatura eo ipso, quòd creatura, habeat capacitatem finitam; & rursus, quia creatura est in tali specie, vel genere, limitationem habet intra fines illius generis, vel speciei, vltra quam non valet extendi. Ex quibus apertè colligitur, loqui etiam de potentia absoluta, nam etiam de potentia absoluta creatura non potest non esse capacitatis finitæ, & non potest suam speciem excedere, alioqui naturam mutabit. Et idem voluisse D. Thomam, ait Nazarius.

82 NOTA primò, gratiam quatuor modis considerari posse. Primò, vt est Viatoris, & hac ratione augeri potest in tota quantitate possibili viæ, ita tamen, vt cùm ad perfectum gradum peruenerit, iam incipiat esse comprehensor. Itaque hoc augmentum est finitum.

SECVNDÒ potest gratia considerari, vt est Comprehensoris, & hoc modo cùm sit in termino augmenti, & statu, non potest augeri, vt docet S. Doctor *in* 1. *dist.* 17. *citata*, & D. Thom. *ibi, ad Annibaldum, & hic.*

TERTIÒ potest sumi, vt est personæ Verbi vnita, & hoc modo non potest augeri secundùm eam perfectionem, quia non potest perfectiorem dignitatem sortiri ea vnione cum alio, quàm habeat ex vnione ad Verbum.

QVARTO modo potest sumi, vt est participatio Diuinæ naturæ, & hoc modo non est augmentabilis in infinitum, quamvis enim Diuina natura sit infinitè participabilis tali modo per talem habitum, in specie creatum; sicuti ille habitus habet finitum esse, quia creatus; ita habet finitam efficaciam. Idem de charitate sequitur; vnicuique enim formæ creatæ, sicut necessariò limitatum est esse, ita limitata est virtus. Hinc patet finitas gratiæ intrinseca. 83

VT autem capias finitatem gratiæ ex parte finitæ capacitatis subiecti, obserua secundò, capacitatem subiecti aliam esse naturalem ad formas naturales naturali ordine; aliam esse obedientialem: Hæc verò duplex est; alia vniuersalis ad omnia, quæ Deus voluerit, sic homo est in potentia obedientiali, vt fiat Leo, Angelus, Lapis, &c. Alia est potentia obedientialis specialis ad hunc effectum, ad quem natura habeat dispositionem, puta ad gratiam, & hic sanè determinatum habet effectum. Sic obedientia animæ ad participationem Diuinæ naturæ non est infinita, alioqui posset eleuari ad comprehendendum Deum; sed est ordinata terminatè iuxta finem: Cùm igitur gratia perficiat naturam tali modo, competenti illi naturæ, debet etiam habere determinatum effectum in eo subiecto, quantum illud subiectum est capax. Itaque potentia illa particularis per effectum particularem impletur. Sic potentia obedientialis vxoris Lot, vt fieret statua, impleta est, quando versa est in statuam, non autem impleta est potentia obedientialis generalis, quia de illa statua potuit creare Angelum, Leonem, & innumera animalia. Vide etiam D. Thom. *de veritate, quæst.* 24. *art.* 3. 84

NOTA tertiò, quàm immeritò reprehendatur S. Doctor à Suarez *disp.* 22. *sect.* 2. Vasquez *disp. cit. num.* 19. Scoto *loco cit.* Fauentino *num.* 26. qui non intelligentes S. Doctorem, ad inconuenientia eum trahunt. 85

PRIMÒ quidem dicunt, eum asserere *ad* 2. gratiam Christi adeò plenam esse, vt non potuerit amplior conferri, non ex defectu agentis, qui est Deus omnipotens, neque ex parte rei collatæ, quia potuit gratiam altioris speciei intensiorem creare, atque infundere. sed ex parte subiecti, nempè animæ, quæ cùm sit creatura, est finitæ capacitatis, & cùm sit in tali specie, habet limitatam gratiam, tali speciei conuenientem. Hoc reprehendit Scotus, & Faber, quia sic Angelus, cùm sit nobilioris naturæ, Christo etiam præcelleret in gratia.

SVAREZ verò, & Vasquez, qui capacitatem gratiæ è naturæ capacitate mensurari concedunt, carpunt S. Doctorem, quasi implicantiam subdiderit, dicens, naturalem capacitatem animæ Christi à Verbo ampliatam, vt ampliorem gratiam super Angelos acciperet, cùm naturalis capacitas sit passio naturæ immutabilis, & Verbum, nil aliud humanitati præstiterit, quàm eam suppositare. 86

FATEOR, capacitatem naturæ obedientialem, cum coaptare gratiæ, non ad omnem gradum, sed vsque ad non dissolutionem naturæ: potest enim Deus capacitatem alicuius naturæ ad accidentia dilatare, vsque ad aliquem terminum, subiecto non lethiferum. Etsi enim naturæ sit hominis recipere fidem, & alios habitus supernos, vt ait D. August. *de Prædest. Sanctorum, cap.* 5. & sic in humana natura obedientiæ valeant creari, & ad operationes naturæ illi destinatas, non est tamen hæc capacitas passio naturæ, vt putant aduersi, sed remota quæ- 87

dam

dam habilitas, seu potentia receptiua obedientialis, quæ manentibus naturis, non conuenit brutis. Hoc visus est attigisse Caspensis *disp.5.sect.2.*

88 IGITVR sensus D. Bonau. ab eo exprimitur *in corpore, quæst.2.* quod non intelligunt. Docet autem, gratiam illam propter coniunctionem excedere aliorum gratias in infinitum: Primò quantum ad habitum; nunquam enim aliqua creatura potest tantùm proficere, quod tam nobilis, & perfecti habitus sit capax, sicut anima Deo coniuncta in vnitate personæ, ideò in ordine ad vnionem hypostaticam ampliata est à Deo capacitas accidentalis obedientialiter absque essentiæ mutatione, nec vltra gradum, quo natura humana deperderetur; ita verò, vt ex eo gratia superabundaret in omnes.

SECVNDÒ quantum ad vsus virtutum, quia omnes virtutes in Christo habuerunt vsus suos, qui spectant ad perfectionem.

89 TERTIÒ quantum ad effectum, quia meritum eius pensatur secundùm dignitatem illius personæ operantis.

QVOAD tertium, allegati censores concedunt, gratiam Christi fuisse maiorem moraliter ob dignitatem personæ adiunctam.

QVOAD cætera, primò præcellentiam gratiæ Christi ponit S. Bonau. in hoc, quod fuerit ordinata ad plures effectus, quàm nostra, præcipuè ad disponendam humanitatem ad vnionem cum Verbo, vt docet *ad 4.*

Ex eo autem capite, quia disponebat ad vnionem cum Persona Diuina, ait, habuisse quandam infinitatem, etiamsi non simpliciter, quia non erat dispositio naturalis, sed moralis congrua. Ita docet *ad 5.*

90 QVIA etiam gratia illa, etsi finita in se, iungebat dispositiuè bono infinito, sortitur quandam infinitatem supra gratias nostras. Præterea, quia ordinabatur ad constituendum Mediatorem; principaliter tamen ad hoc constitutum vnione hypostatica, & ad merendum pro aliis, & communicandum aliis gratiam, ideò sub his rationibus cæteris transcendit, vt docet *in fundamentis, quæst.2.* & *in quæst.3.*

RVRSVS *fundamento 3.* ponit, naturalia Christi intra limites quidem naturæ humanæ fuisse longe aliorum naturalibus præstantia; tenet enim inter animas inæqualitatem indiuiduam, quod fuit etiam Parisiis definitũ, ne naturalia Iudæ essent naturalibus

91 Christi æqualia. Ideò ex hoc capite intensioris gratiæ, & maioris donorum extensionis capax fuit, & hoc sensu ratione vnionis hypostaticæ naturalia Christi fuere ampliata ad maiorem capacitatem. Ampliata est autem, etiã capacitas proxima ad actus, vt ostendit *quæst.3. ad vltimum*, non ad suscipiendum alios habitus, sd modum, quo locus locata continet; hæc enim est crassior capacitatis species, sed ad virtutem cooperandi, ad modum, quo capacitas materiæ completur actualitate formæ; quantò enim plus additur de forma, tantò additur de actu, & minuitur potentialitas, & iam gratia concessa est animæ Christi, quam diffunderet omnibus.

92 HINC ruit id, quod de Angelis opponunt, qui, esto congruè, quantò nobilioris erant naturæ intensiorem etiam gratiam acceperint, modo dicto *p. p. tract.4. disp.5. quæst.5.* tamen non est data illis tota illa, quæ lata capacitate ex obedientia absque suæ destructione speciei capere poterant; deinde data est eis solùm pro ipsis, & ex meritis augmentata ad tantum gradum vnitum; at Christo dilata est capacitas remota naturalis ex obedientia, vsque ad talem capacitatem amplissimam, quam poterat compati, tanquam accidentalem, absque suæ speciei dissolutione, vt ad vnionem hypostaticam disponeret, & postea naturæ vnitæ ad opera excellentissima deseruiret, quibus infinitum meritorum thesaurum cumulatum flumine aquæ viuæ gratiæ scilicet in omnes redundantibus fluentis effunderet. Quare & gratia Christi dicta est, non plenitudo, sicut gratia Stephani, & B. Virginis, sed superabundantia, & gratiæ profusio ex coniunctione in anima, hypostaticè Dei Filio vnita. Hic mihi videtur sensus D. Bonauenturæ, nec absurdus, nec implicans, vt absque pietate tot resonant, contra ipsum conspirantes.

ASSERO ergo primò, gratiam Christi ex natura ipsius gratiæ non posse augeri. 93

PROBATVR à Nazario ratione D. Bonauent. *dist.13. quæst.2. fundamento 1.* & *ad 2.* Quælibet res creata habet specificam essentiam tali termino speciei limitato per vltimam differentiam, quæ est indiuisibilis, nec recipit magis, vel minus; at gratia Christi est habitus creatus in tali specie: Ergo.

RESPONDET Suarez, non repugnare gratiæ progressum, eò quòd finita sit, vt patet in quantitate; quæ in infinitum augeri potest, neque repugnare, quatenus est talis forma, quæ est participatio Diuinæ naturæ infinitæ, quæ semper est participabilis: sic etiam vnio finita semper augeri potest. Ità respondent etiam multi Scotistæ apud Mastr. *disp.10. Phys. quæst.5. art.2.* & *loco cit.*

ENIM verò nonnulli Scotistarum hoc redarguunt responsum cum Scoto *dist. 13. quæst.4.* è D. Bonau. *in 1. dist.17. quæst. vlt. ad 3.* non enim est par ratio; nam augmentum corporis inanis extrinsecum est per additionem materiæ, puta combustibilis igni; ideò potest semper augeri, vt latè disserui *p. p. tract.5. disp.8. quæst.5.* at qualitas habet suam essentiam, à qua gradus virtutis intrinsecè emanant, limitatam, quæ si amplietur Dei potentia, destruetur: nam species sunt sicut numeri. Potest quidem addere Deus aliqua accidentia, sed non infinita, sed vsque ad certum limitem, vt dixi *quæst. hac*, & si aliud non obstarit, sanè obstabit infinitæ intensioni subiectum, vt latè ostendi *secunda secundæ, tract. de Charitate, disp.8. quæst.12.* nam accidens recipitur in subiecto ad mensuram suscipientis; suscipiens autem, cùm sit creatum, est in aliqua specie indiuiduum finitum: nam infinitum in omni genere, & specie implicat, vt ostendi *prima primæ, tract.1. disp.6. quæst.2.* Potest sanè Deus alios habitus semper syncategorematicè perfectiores creare; at hunc nequit in infinitum perficere relinquendo in hac specie. 94 95

QVOD verò Gallus *in 3. dist.13. quæst.1. cap.3.* & author controuersiarum inter Scotistas *p.2. controuers.10.* quantitatis limitationem apponant augmento, refutatum est *prima primæ, tract.5. loco cit.* eorumque argumenta frigent, vt probat Mastr. *loco cit.* qui tamen hic *num.84.* nostram impugnat de qualitatum limitata intensione doctrinam, quia diuersi gradus intensionis sunt diuersæ perfectiones indiuiduales in eadem specie qualitate; sicut autem capacitas naturæ specificæ non est determinata tot differentiis indiuidualibus, sed potest sub aliis, aliisque in infinitum poni; ita nec potentia essentiæ qualitatis ad tot gradus determinatur; vt à Deo nequeat intendi. 96

HÆC doctrina tot scatet erroribus, quot verbis constat. Primò gradus qualitatis sunt perfectiones determinatæ ex essentia, à qua fluunt, quæ non est capax augmenti infiniti, vt ostendi: quod si est plurimis 97

rimis indiuiduis partibilis ea graduum intensio; nunquid est in vno indiuiduo possibilis syncategorematice infinita, vt semper noui gradus capiantur in hoc numero capaci ad mensuram essentialis capacitatis, quæ est tanta? Potest sanè species indiuiduis aliis in infinitum extendi; at differentiæ indiuiduæ, siue accidentales, siue substantales, erunt iisdem terminis speciei clausæ, non autem gradatim se superantes inuicem in infinitum, vt supponit Mastrius petens principium: multò minus in eodem numero poterit fieri infinita intensio categorematicè infinita, quæ inde sequeretur, vt arguit Scotus *loco cit.* §. *Ad primam quæstionem*.

98 RESPONDET Caspensis *numero* 33. capacitatem creaturæ rationalis ad formas supernaturales esse obedientialem infinitam secundùm quid, atque adeò non repugnare augmentum gratiæ animæ Christi ex finitate subiecti. Addit etiam *num.* 32. formam, quæ non implicat, augeri in infinitum ex natura ipsius formæ, non repugnare ex parte subiecti, vt augeatur, nisi sit in certo gradu dispositio ad conseruationem subiecti, vel sit qualitas orta ex huiusmodi dispositione, veluti est calor in ligno, qui non potest in infinitum augeri, quia est dispositio ad conseruationem ligni in certo gradu, quem si excesserit, destrueretur lignum: at non requirit hoc subiectum gratiæ, cùm natura rationalis valeat semper esse gratior.

99 OPORTEBAT, Caspensem aduertere, potentiam obedientialem esse quidem infinitam ad quodlibet, sed non ad implicans naturæ, manente natura; sic habet homo potentiam obedientialem, vt fiat Angelus, non tamen retinendo corpus organicum; sic & formica habet capacitatem, vt fiat Elephas, non tamen retinendo corpus formicæ. Ita igitur in re nostra, habet quidem anima capacitatem, vt recipiat habitus supernos, sed in tali mensura, quia ad tantam capacitatem potest obedientialiter dilatari, manen-
100 te hac naturâ. Esto igitur valeat semper esse gratior in infinitum, non sequitur, augeri posse & hunc habitum in infinitum, quia gratum esse, cùm sit à voluntate Dei, stat cum quavis gratia remissa, & tunc posset gratiorem in infinitum Deus habere hominem, acceptando eam gratiam ad maiorem gratificationem. Mutato enim vno non mutatur etiam alterum, quia vnum est Physicum; alterum morale pendens ex voluntate. Ita si augetur acceptatio in infinitum, cùm habitus stans in sua specie, & in tali subiecto est capax tanti gradus gratificationis, oportebit acceptari ad ampliorem.

Ex dictis constat, neque Mastrium *disput.* 10. *Physic. quæstione* 4. & in 3. *dist.* 2. *quæst.* 3. *artic.* 5.
101 percepisse, in quo stet hæc repugnantia infiniti augmenti gratiæ, dum ait, posse qualitatem semper intendi, sicuti & quantitatem extendi, nec habere terminum, si comparentur ad Dei potentiam, nec rationem aliquam de qualitate afferri posse, quæ non vrgeat de quantitate.

RESPONDETVR enim, disparem esse rationem, nam intensio auget perfectionem intrinsecè cuique formæ limitatam; at extensio non auget vltra rationem quantitatis, quæ per extensionem non accrescit essentiam, vt dixi suprà.

QVANTITAS enim continua, dummodo habeat partes copulatas vno termino communi; & contraria ratione quantitas discreta, quæ in hoc à continua distinguitur; habent suam essentiam, vt ait
Aristoteles *in prædicamentis*, & monet Faber 102
Theor. 44. hinc autem non repugnat continuæ extendi; nec discretæ multiplicari, ac proinde manens quantitas obediet Deo quoad hoc. At qualitates, cùm datæ sint formæ substantiali ad informationem, conseruationem, & operationem, exigunt limitatos gradus intrinsecè. Itaque, esto possit Deus alium perfectiorem, v. g. calorem producere; non tamen erit eius speciei. Ideò & propria exigunt subiecta, vt notat Faber *Theor.* 35. *cap.* 13. nec subiectum valet excedere, cùm tanquam virtutes, & instrumenta intrinseca sint.

PROBATVR secundò à D. Bonauentura *fundamento primo*, & Fabro *numero* 25. ex illo Sap. 15. 103 *Omnia fecit Deus in numero, pondere, & mensura.* Hoc vrget S. Doctor *ad* 11. *Sap.* notans ex D. Augustino *lib.* 6. *Hypognost.* vbi ait: *Mensura creatura est eius certa quantitas, qua dicitur magna, vel parua, vel mediocris.*

CONFIRMATVR à S. Doctore *in primo loco citato, fundamento secundo.* Ita se habet in creatura rationali quantitas virtutis in anima, sicut quantitas molis in corpore: at corpus animatum ob suas operationes organicas habet determinatam quantitatem ex Aristotele 2. *de Anima*, *textu* 41. Ergo.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *in primo* 104 *loco citato.* Id, quod augetur, ideò augetur, vt ad perfectam quantitatem perueniat, siue molis, siue virtutis. Si ergo gratia omnis, & charitas potest augeri: Ergo nusquam erit perfecta: Ergo neque in Christo est perfecta.

PROBATVR quartò à S. Doctore *loco citato, fundamento vltimo*, ratione, qua nititur Scotus *loco citato*, & Fauentinus *numero* 17. Id, quod crescit in ordine ad aliquem finem, vel eo frustratur, vel eo habito non ampliùs augetur, sed stat, dum perfectè obtinet; sed gratia, & charitas crescit, vt est participatio Diuinæ perfectionis: Ergo partem determinatam potest consequi, seu gradum: ergo non est augmentabilis in infinitum, alioqui etiam aliæ formæ, quæ participant Deum, v. g. calor, & albedo possent crescere in infinitum; & tamen videmus, eas habere determinatos gradus vt octo, vltra quos non consurgit intensio.

PROBATVR quintò ex S. Doctore *in* 3. *dist.* 13. 105 *quæstione secunda, fundamento quarto.* Si habitus gratiæ posset augeri in infinitum, sequeretur, viatorem posse attingere gradum intensionis gratiæ, quem habet Christus; hoc autem videtur falsum: Ergo. Probatur sequela à D. Bonauent. Finitum excedit finitum finitè: sed gratia Christi est finita: Ergo potest à Viatore proficiente adæquari, & Christi perfectio gratuita attingi; at nullus potest id consequi, vt declarat Concilium Viennense, & refertur *cap.* Ad nostram *de hæreticis*: ergo. Hoc argumentum multi vrgere solent.

RESPONDANT aliqui Thomistæ ex D. Thom. 106 *articulo* 11. *ad tertium*, id non sequi, quia gratia Christi, & nostra sunt diuersæ rationis; nam gratia Christi est veluti vniuersalis virtus: at in nobis est particularis. Hoc autem sic accipe ad condictum D. Bonauenturæ *quæstione* 2. *ad* 4. quia, esto gratia Christi, & nostra sint eiusdem gene-

ris physici, & sola differant intensione, ad modum quo calor vt duo, & calor vt octo; tamen in genere proximo morali gratiæ diuersæ sunt, vt notat Suarez *ad artic. cit. D. Thom.* Gratia enim Christi altius ordinatur, sublimiorique acceptatione conditur, nempe ad vniuersalem hominibus gratificationem, glorificationem, aliosque effectus, assertendos *disp.* 21. & quod caput est, ad idoneè disponendam ornatus animam ad vnionem hypostaticam in Verbo, vt ostendi *disp.* 6. *quæst.* 2.

107 HAC tamen distinctione non euitari, quin valeant alij peruenire ad eum gradum physicum gratiæ, esto non ad eas moraliter peruenirent, vt vrget Suarez.

RESPONDET ideò ex D.Bonauent. *in* 1. *dist.* 17. *quæstione vltima*, non posse id sequi ex lege Dei ordinaria, quia vitæ periodos, auxilia, & alia ad augmentum gratiæ conferentia sic in hominibus, & Angelis, ordinauit ad suæ mensuram prædestinationis, vt nullus vnquam ad tam excelsum gradum peruenire queat, vt ostendit D.Thom. *art. sequenti.*

ADDE cum D. Bonauent. *ad* 4. *quæst.* 2. *cit.* rationem formalem vltimam gratiæ in moralitate ordinationis, & acceptationis Dei positam; hæc autem nulli vnquam, etiam Angelo, concedetur, vt vniuersi redemptioni, & saluti inseruiat, sicut Christo datum est.

108 ASSERO secundò, Gratiam Christi ex capacitate subiecti, idest, animæ Christi, non posse augeri.

PROBATVR à D. Bonauent. *in* 1. *distinct.* 17. *loco cit. fundamento primo*, & *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 2. *fundamento* 2. & *ad* 2. Nulla forma, maximè accidentalis, excedit capacitatem subiecti: sed subiectum gratiæ Christi, idest Anima, est plenum gratiâ: Ergo non potest ampliorem recipere. Maior est nota. Minor probatur à D. Bonauentura *quæstione tertia*, ex Ioannis 1. *Vidimus plenum gratia, &c.*

109 DICES, gratia adueniens non restringit, sed auget capacitatem.

RESPONDET S. Doctor *ad* 6. *quæst.* 3. ampliare quoad virtutem in cooperando, non quoad capacitatem amplioris formæ ad suscipiendum. Vide D. Bonauenturam.

OBIICIES primò Lucæ 2. dicitur: *Proficiebat Iesus gratiâ apud Deum, & homines.*

RESPONDET primò S. Doctor *ad eum locum Luca*, ex Damasceno *lib.* 3. *de fide*, *cap.* 22. Christum profecisse scientiâ, & gratiâ; eò quòd crescente ætate per ipsa ætatis incrementa, eam sapientiam, & gratiam, qua præditus erat, proferret in lucem. Eandem expositionem habet D. Bernardus *homil.* 2. *in Missus est*, prope medium, Euthymius *in eum locum*, vbi refert quædam verba D. Gregorij Nazianzeni, oratione 20. num. 55. *Proficiebat vt ætate, ita & sapientiâ, & gratiâ, non hæc accipere oportet per augmentum. Quid enim? num qui ab initio perfectus erat, perfectior fieri potuit? sed quòd hæc paulatim denudaret, ac demonstraret.*

110 HIC est Gregorius ille, qui adducitur etiam à D. Bonauent. *ad eum locum.* Quem locum Nazianzeni citat etiam D. Thomas *in catena ad* 2. *Luca.* Quare malè Cano *lib.* 12. *de locis*, *cap.* 14. dixit, hoc testimonium in Nazianzeno non reperiri, vt rectè notant Billius *in Scholio* 65. *eiusdem orationis.* Suarez *ad artic.* 12. *quæst.* 7. *D.Thom.* Vasquez *hic*, *num.* 4.

EODEM modo exponunt locum illum Lucæ, 111
D. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 10. *Thesauri*, *cap.* 7. & *lib.* 1. *in Ioan. cap.* 17. S. Athanasius *orat.* 4. *contra Arrianos*, D. Hieronymus in id Isaiæ 7. *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Et in id Hieremiæ 31. *Mulier circumdabit virum.* S. Cæsarius *dialogo primo*, qui est post opera Nazianzeni. S. Vigilius *lib.* 3. & 5. contra Eutychetem, qui est *in* 5. *Tomo*, *Biblioth.* D. Gaudentius *in responsione ad Paulum Diaconum*, in id Ioan. 14. *Pater maior me est*, quæ legitur *Tomo* 2. *Biblioth. sacra.* Beda *homil. prima*, *in Euangelium Dominica prima post Epiphaniam*, non longè à fine *in* 7. *Tomo.* Hugo de S.Victore *lib. de Incarnatione Verbi*, *cap.* 6. eandem expositionem S. Bonauenturæ laudat, & sequitur Vasquez *loco citato*, Maldonatus, & alij.

VERVM aliquid relinquitur difficultatis, quia 112
textus habet: *Iesus proficiebat gratiâ apud Deum, & homines*: Ergo non solo externo incremento, sed interno coram Deo.

RESPONDET Vasquez, huic difficultati occurri, si addamus expositionem D. Bonauenturæ in eum locum, *Luca* 2. apud Deum, & homines crescere, idem esse, quod in operibus, quæ sunt ad Deum, & quæ sunt ad proximos, externùs magis, ac magis apparere. Optimum responsum hoc acclamant Caspensis *disputatione quinta*, *sectione tertia*, *num.* 44. & Morandus *quæstione vigesimasexta.*

ALIAM expositionem habet ibi S. Bonauen- 113
tura, & est prima, quæ est etiam Theophylacti; Iesum creuisse ætate, sapientiâ, & gratia, quia sicut in dies ætate crescebat, ita in dies maior in eo sapientia, & gratia apparebat, nempe in operibus gratiosis, non tantùm indicio hominum, sed etiam Dei, & adducit ad id illud 2. Corinth. 8. *Prouidemus bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Itaque nomine gratiæ intelligitur, non habitus, sed opera, quæ à gratia procedunt. In his igitur proficiebat, quia opera semper gratiora patrabat, & verba sapientiora promebat, vt ait S.Bonauent. *ad* 15. *Luca*, ad ea verba: *Omnis populus gaudebat in vniuersis, qua glo-* 114
riosè fiebant ab eo. Et ad 24. Lucæ, ad ea verba: *De Iesu Nazareno.* Et perfectioribus gratiæ operibus insudabat, non enim externa opera æqualem sapientiam, & gratiam habent. In Scriptura verò opera, quæ à sapientia, & gratia procedunt, solent nomine ipso sapientiæ, & gratiæ decorari, vt 2. *Paralip.* 9. 3. *Reg.* 4. *Luca* 11. dicitur Regina Sabba vidisse sapientiam Salomonis. Et Ecclesiastici 10. *Verba oris sapientis gratia*, vt ait S. Bonauent. *ad* 15. *Luca*, ad illud iam cit. *Omnis populus gaudebat in vniuersis, qua gloriosè fiebant ab eo.* Et *ad* 24. *Luca*, ad ea verba: *de Iesu Nazareno.* Hæc expositio adhibetur etiam à Toleto, & Vasquez.

EODEM modo explicari solet illud, eodem 115
capite: *Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientiâ; & gratia Dei erat in illo.* Theophylactus quidem, Euthymius, Dionysius Carthusianus, D. Bonauentura, & alij addunt; *Confortabatur spiritu.* Explicat autem Theophylactus de spiritu gratiæ secundùm manifestationem. At D. Bonauentura explicat: Confortabatur Spiritu sancto, iuxta id Ezech. 3. *Manus Domini erat mecum, confortans me*, & Coloss. 2. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Sic igitur ad alta opera, & ardua confortabatur Irascibilis; & gratia Dei erat

in

in Concupiscibili, & in Ratione sapientia. Vide D. Bonauenturam.

116 FATEOR, multos PP. omittere nomen *Spiritu*. Ita S. Gaudentius Brixiensis *ad Paulum Diaconum*, S. Vigilius *contra Eutychetem*, *lib.4.* & alij cum Cyrillo Alex. *lib.2. ad Reginas*, ante medium.

OBIICERES secundò. Tantùm extenditur augmentum gratiæ, quantum virtus augmentatiua: Sed hæc est infinita: Ergo.

RESPONDET D. Bonauent. Maiorem esse veram de virtute agente necessariò; at Deus in augendo charitatem, auget secundùm sapientiam, & naturam rerum finitam debitam.

OBIICIES tertiò. Sicut se habet aër ad lucem, ita anima ad gratiam; at aër potest in infinitum semper magis illuminari: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, aërem quoad illuminationem habere statum, ita vt, cùm illuminatus fuerit quantum capere possit, nequeat ab aliis magis illuminari. Esto plura lumina in eodem aere aggregati semper valeant; at in anima non est simile. Vide dicta *disp.8. sect.7.*

117 OBIICIES quartò. Gratia, & charitas non minus est in actu, & potentia, quàm forma materialis, puta ignis; at ignis potest crescere in infinitum, si adsint ligna, vt docet Aristoteles 2. *de anima, textu* 41. Ergo.

RESPONDET acutè D. Bonau. dupliciter posse calorem crescere. Primò intensiuè, & sic habet statum, & summum gradum; vel intensiuè, & sic non habet statum ex se, sed à combustibili finito, & hæc augmentatio est extrinseca, & per accidens. Iam verò charitas potest augeri intensiuè, vt magis diligat, & sic haber statum alio modo extensiuè à parte dilectorum obiectorum, & sic non habet statum ex parte sua, quia nunquam tot diligit, quin plura sit nata diligere. Similiter & gratia intensiuè habet summum gradum, quippe est forma talis speciei, quod verò extensiuè ratione subiectorum possit semper in aliis, & aliis esse; extrinsecum est gratiæ, & nil facit ad proprium augmentum gratiæ, quæ cùm sit qualitas, augetur per intensionem graduum. Et in hac distinctione impegit Vasquez, ac deceptus est vnà cum Suarez, Mastrio, & aliis Scotistis.

118 OBIICIES quintò. Obiectum, & effectus indicant virtutem formæ, & causæ; at obiectum gratiæ est bonum infinitum, & effectus formalis eius reddere animam, participantem Diuinum bonum: at bonum Diuinum est infinitè participabile: Ergo & gratia, & charitas in infinitum est augmentabilis.

RESPONDET S. Doctor, Obiectum esse quidem infinitum; sed gratia, & charitas ei non commensuratur, cùm sint formæ finitæ in tali specifica natura, quæ talem terminum participationis constituit.

119 OBIICERES sextò. Iustus semper in dies iustificatur, neque vnquam habet terminum: Ergo potest habitus gratiæ crescere in infinitum.

RESPONDET S. Doctor *in primo loco cit. in corpore*, dari statum viæ secundùm dispositionem prouidam Dei. Similiter ex parte habitus, cùm ad summum suæ speciei gradum peruenit; ex parte suscipientis, cùm est ad talem gradum perfectionis euectus. Ita & Nazarius.

OBIICERAS septimò. Quælibet gratia, quantumvis maxima, est principium, quo meremur maiorem gratiam: Ergo datâ quavis gratiâ intensissimâ, est dare intensiorem; sicut enim non datur terminus peccatorum, ita neque actuum bonorum, qui mereamur.

RESPONDET D. Bonauent. *loco citato*, charitatem viæ esse principium noui meriti, & nouæ gratiæ; at cùm ad summum peruenit, iam habet statum secundùm aptitudinem, idest, non est apta augeri, & est in termino in patria, vt docet etiam D. Thom. *prima secunda, quæstione vltima, art 8.* Igitur si gratia, & charitas sit in statu capaci nouæ intensionis, erit principium noui meriti; at in perfectis habet statum in actu, & hi beatificantur, vt non habeant aptitudinem ad intensiorem gratiam; & multò minus in Christo, in quo est summa gratia, nec ampliorem capere potest, sic etiam in B. Virgine, & forsan in Angelis, cùm sit adimpleta eorum capacitas, & ipsi pleni dicantur, non possunt ampliorem recipere. Non esse 120
autem eorum capacitatem infinitam, vt aduersarij prætendunt, patet; nam cùm pleni sint, vt Scripturæ testantur, quas referam *quæstione sequenti*, sequitur impletam esse eorum capacitatem; & cùm nequeat eorum capacitas dilatari secundùm eos, sequi dari statum.

CÆTERA argumenta ex iactis facilè fundamentis corrunt.

QVÆSTIO V.

Quomodo CHRISTVS *dicatur plenus gratia.*

D. Bonauent. dist. 15. quæst 3.
D. Thom. q.7. art.9.

CERTVM est, in Christo fuisse plenitudinem gratiæ, quod probat S. Doct. ex illo Isaiæ 11. *Replebit eum Dominus Spiritu, &c.* Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia.* Hæc autem referenda sunt ad Verbum, non ad ea, *Ioannes testimonium perhibet*, patet ex sequētibus: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Id sentiunt communiter PP. & notat D. Bonauent. ad eum locum Ioannis, & ad ea verba Lucæ 4. *Iesus autem plenus Spiritu sancto*, quo idem probat, obseruans, non fuisse tunc primò impletum Spiritu sancto, sed tunc apparere cœpisse plenum, in alios redundando. Idipsum probat ibi ex Coloss. 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Et cap. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, quibus testimoniis vtitur Vasquez *disp.45.* Medina *hoc articulo D. Thom.* Suarez *disput.22. sect.2.* Nazarius infrà citandus, &c. Confirmat autem id S. Doctor, quia Christus fuit perfectissimus, & causa vniuersalis gratiæ omnium: Ergo ipse plenus fuit. 122

ENIM verò oportet explicare, quæ fuerit hæc plenitudo. 123

D. ANSELMVS, Carthusianus, Lyra, D. Thom. & Adamus in eum locum *Coloss.1.* dicunt, eam plenitudinem esse virtutum, & donorum.

CHRYSOSTOMVS verò intelligit de plenitudine diuinitatis propter vnionem. Eodem modo intelligit S. Fulgentius *lib.3. ad Trasimundum, cap 5.*

ORIGENES *homil 29. in Lucam*, docet alios etiam Sanctos fuisse plenos gratiâ, sed non sicuti est Christus, ait enim: *Sed Iesum, & Apostolos, & alium quemlibet Sanctorum plenos Spiritu sancto cognosce secundùm mensuram vasculi sui. Et quomodo, v.g. si*

volueris dicere: hæc vasa plena sunt vino, vel oleo, non statim indicas, quod æquali mensura plena sunt, &c.

124 Ex qno patet in sententia Origenis, Christum fuisse capaciorem gratiâ cæteris hominibus, vt dixi *quæstione præcedenti.* Vide alios PP. apud Suarez *disp.* 2. *sect.* 2. exponentes hanc plenitudinem.

CAPREOLVS *dist.* 13. *quæst. vnic.* vult, in eo sitam esse plenitudinem gratiæ Christi, quod summam habuit intensionem possibilem secundùm legem Dei ordinariam, quæ tamen augeri potuit. Eum sequitur Vasquez *disp.* 45. qui notat, plenum dici id, quod abundat; sic Apostoli, *Actorum* 1. dicuntur: *Repleti Spiritu sancto*, & Actorum 4. Petrus: & *Actorum* 6. Stephanus: & *Lucæ* 1. Beata Virgo gratiâ plena ab Angelo salutatur.

125 CHRISTVS igitur repletus fuit super omnes, ideò Fonti comparatur à D. Bernardo *serm. de Natiuitate Virginis*; Beata Maria flumini; cæteri autem sancti riuulis. Itaque plenitudo gratiæ fuit propria Christi ob gratiam vnionis; & dignitatis operum, deriuatæ ab ea. Idem ferè habent Suarez, Medina, & alij Recentiores, vt notat Nazarius *quæst.* 7. *art.* 9. *controuersia vnica.*

ARIMINENSIS verò 3. *dist.* 17. *quæst.* 2. Driedo *lib. de capt. Tract.* 2. *art.* 6. *sententia* 8. docent, gratiam Christi ideò dici plenam, quia capacitas subiecti limitatur ad eum gradum gratiæ, quem habuit Christus, quamvis per Dei potentiam possit habere maiorem, cùm gratia nullum habeat terminum sui augmenti.

AT verò Albertus 3. *dist.* 13. D. Bonau. *hic*, Richardus, Durandus, Gabriel *eadem dist.* 13. Caietanus *ad hunc artic. D. Thom.* & sequentes docent, in hoc positam esse plenitudinem gratiæ Christi, quod fuit in summo gradu possibili secundùm Dei potentiam, computatis iam dictis suprà *quæstionibus præcedentibus.*

126 NOTAT autem S. Bonau. *in corpore*, quem sequuntur Suarez, Vasquez, Nazarius, & alij, Plenitudinem multis modis accipi. Primò pro sufficientia: sic plenus dicitur, qui sufficienter habet de ea re. Itaque gratiâ plenus dicitur, qui ea, qua indiget, dotatur. Sic Apostolus *Ephes.* 3. orabat Christum in corde eorum habitare per fidem: *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*. idest sufficienter. Et Act. 6. *Stephanus*, dicitur *plenus gratiâ.*

SECVNDÒ dicitur plenus aliqua re, qui ea abundat. Sic *Lucæ* 4. dicuntur *repleti ira*. Actor. 5. *Repleti zelo.* Et ad rem nostram dicitur Lucæ 1. *Repleta Spiritu sancto Elisabeth.*

27 TERTIÒ dicuntur repleti gratiâ, qui aliquam præclaram habuere vocationem, & electionem ad statum sublimem, ob quem eximiæ datæ sunt gratiæ. Sic dicitur Beatissimæ Virgini Lucæ 1. *Gratia plena, Dominus tecum; concipies enim, & paries, &c.* Sic etiam solemus dicere plenum gratiâ Priuatum Regis.

QVARTÒ dicitur plenus aliquibus rebus, qui numerum ingentem habet: & ita astruitur gratiarum numero plena S. Ecclesia, de qua dicitur Ephes. 4. *Ascendit in altum, vt impleret omnia.*

128 VLTIMÒ dicitur Gratiâ plenus antonomasticè Christus, quia Humanitas eius dotata est gratia hypostaticæ vnionis cum Verbo, & tanta donorum copia ditatus est homo ille, vt omnes, veluti mare, gratias includat, & diramatas profundat, vnde dicitur Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.*

HINC D. Bonau. 3. *dist.* 13. *quæst.* 2. quem sequuntur Suarez *disp.* 22. *sect.* 2. §. *Sed quæres.* Nazarius *concl.* 4. cum Altisiodor. *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 5. Gratiam Christi cæterorum omnium simul gratias excedere, clamat. 129

PROBATVR à Nazario primò post D. Bonau. ex illo Ioan. 3. *Non ad mensuram dat Deus Spiritum Filio suo*, de quo suprà *quæst.* 3. *assert.* 4.

PROBATVR secundò à Nazario, ratione Seraphici ex dignitate Filij Dei naturalis super adoptiuos, vt vidimus *quæst.* 3. *assert. cit. argumento* 2.

ALIQVA argumenta affert S. Doctor, contra plenitudinem gratiæ Christi, facilèque ea soluit.

PRIMVM est. Plenitudo gratiæ diramatur in omnes virtutes; at Christus non habuit omnes virtutes, puta fidem, spem, &c.

RESPONDET S. Bonau. diramari in omnes virtutes, omnesque fuisse in Christo quoad perfectiones; at vero fides, & spes includunt imperfectionem, quæ ideò euacuantur in patria; Christus autem erat comprehensor. 130

SECVNDVM est. Qui potest in gratia proficere, non est plenus: talis fuit Christus, quia erat Viator: Ergo.

RESPONDET, fuisse etiam comprehensorem secundùm partem superiorem, quam maxime respicit gratia; potuit autem proficere nobis, pro quibus gratiam lucrabatur.

TERTIVM est. Christus erat nobis in exemplum profectûs ad virtutem: Ergo ipse proficiebat. Quod si proficiebat: Ergo non erat perfectus; si verò non proficiebat, & videbatur proficere, mendax erat.

RESPONDET, Christum dedisse nobis exempla continuè perfectarum virtutum, vt ad eas aspiraremus; neque erat mendax, quia veram nobis, perfectamque virtutem in se semper ostendebat. 131

QVARTVM. Si Christus non proficiebat virtutibus: Ergo frustrà operabatur.

RESPONDET, non operatum frustrà, quia ad nostrum profectum, atque salutem sua opera ordinabat.

QVINTVM. Christus verè creuit corpore; ergo & virtute. Probatur consequentia, quia Verbo non minus conuenit perfectio animæ, quàm corporis.

RESPONDET primò, disparem esse rationem, nam incrementum corporis faciebat ad veræ naturæ humanæ ostensionem; non sic profectus animæ. 132

RESPONDET secundò, Verbum vnitum esse corpori ratione animæ, ideò perfectio magis debetur animæ.

SEXTVM est: id, quod suo aduentu ampliat capacitatem, non adimplet; talis est gratia: Ergo.

RESPONDET, gratiam semper ampliare capacitatem quoad operandum, roborando animam, non quoad formam recipiendam; quantò enim magis de actu recipitur, tantò minus restat de potentia; vnde solemus dicere: Ea, quæ multum habent de specie, seu forma, & actu, parum habent de materia, cui competit pati, ac recipere. Igitur quia habilitas Christi ad bonum per gratiam perfectam est reducta ad complementum: hinc est, quòd eius capacitas est impleta, sicut dicimus de forma cœli, quod complet appetitum materiæ, quia materia eius proximè non appetit esse sub vlteriore forma, adeo enim in esse completo statuitur per formam ipsam. Sic in gratia Christi intelligendum: vnde fallit imaginatio, quia non impletur anima dono gratiæ, sicut locus vacuus impletur corpore, sed potius sicut possibilitas materiæ completur actualitate formæ. 133

Hæc

134 Hæc responsio videtur inefficax, & exemplum ad oppositum, nam si opposito modo gratia implet animam, quàm corpus locum; sequitur, quod sicut quantò de corpore ponitur in loco, tantò magis capacitas ad aliorum corpora suscipienda minuitur, & tollitur; ita è regione, quantò de gratia apponitur, tantò de capacitate addatur; atque adeò Christus, quantò ampliorem gratiam habebat, tantò erat capacior aliarum gratiarum.

135 Respondeo primò, dixisse ipsum Seraphicum, opposito modo se habere, quia corpus implens aliquod spatium, seu locum, dilatat aerem illius spatij, siue aquam, ita vt, quantò plura corpora, aut maius corpus immittitur, tantò locus amplior fiat; at verò gratia implet, non ad modum locati, sed ad modum actus, qui complet potentiam, nec eam ampliat, sed restringit; quantò enim additur de actu, tantò adimitur de potentia.

Obiicies: D. Bonau. *in 1. dist. 44. dub. 3.* dicit, capacitatem gratiæ per gratiam non minui, nec augeri.

Respondetur, non minui, sed eandem: manentem in suo statu compleri, vt ait *ibi* S. Doctor.

136 Concludit D. Bonau. neque gratiam vnionis posse augeri, quia non potuit vniri perfectiori vnione, quam hypostatica cum Verbo, neque habitualem gratiam potuisse augeri, quia gratia est creatura limitata: & subiectum est limitatum, licèt Deus sit infinitæ virtutis.

QVÆSTIO VI.

An Gratia CHRISTI *sit eiusdem rationis specificæ cum nostra.*

137 D. Bonaventvra *dist. 13. ad 4.* videtur asserere, gratiam Christi esse diuersam genere proximo à nostra. Idem videtur astruere D. Thom. *quæst. 7. art. 11. ad 3.* nolunt tamen diuersitatem in entitate astruere physica, sed in morali entitate ordinationis, & acceptationis, vt exposui *quæst. 4. ante assert. 2.*

Vasquez *disp. 47.* sic eas discriminat, quia in Christo eliciebat actus virtutum necessarius quippe comprehensore.

Caietanvs, quem sequuntur Medina *quæst. 2. ad hunc artic.* & Valentia *puncto primo*; in eo ponunt diuersitatem, quia in Christo fuit tanquam in subiecto adæquato, idest, secundùm totam latitudinem propriæ speciei, sicut calor est in igne: in hominibus autem reliquis est inadæquatè, quia non est in tota sua intensione; & hoc sensu explicat Valentia id, quod dixit D. Thomas, quod gratia in Christo est tanquam in causa vniuersali, quæ perfectè habet virtutem gratiæ: & hoc modo explicatur à Nazario, quem vide *quæst. 7. artic. 11. controu. 3.* 138

Assero primò, gratiam Christi, & nostram non differre essentialiter physicè.

Probatvr à D. Bonau. *dist. 13. dub. 3.* quia gratia capitis in nos diffusa est, tanquam in membra: Ergo debet esse similis, & eiusdem rationis. Ita arguit etiam Nazarius. 139

Probatvr secundò, argumento D. Bonau. *quæst. 2. ad 4. & 5.* quia gratia Christi, & nostra habent eosdem effectus formales, idest, facere Deiformem, Deo gratum, & dignum præmio, & solùm differt, quia in Christo fuit dispositio ad vnionem hypostaticam, atque adeò nouam cum Deo coniunctionem, & hoc solùm tanquam congruum ornamentum: Ergo est eiusdem rationis entitatiuæ.

Probatvr tertiò à S. Doctore *quæst. 3. fund. 4.* Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*: Ergo de eadem gratia. 140

Assero secundò, diuersas esse morali genere, quod S. Doctor vocat genus proximum, quippe in eo completur natura gratiæ, vt ostendi *prima secunda, tract. 5. disp. 3. quæst. 3.* 141

Probatvr à posteriori, nam gratia nostra ordinatur, & acceptatur ad meritum condignum solius habentis eam: at gratia Christi ordinatur ad vniuersi redemptionem, & ad vnionis hypostaticæ dispositionem. Hæc autem non faciunt differentiam in solis effectibus, vt putant aliqui, sed in morali entitate causæ; alioqui eisdem effectibus dotaretur & nostra, & ita possemus mereri gloriam, imò & gratiam omnibus, modo sanè dicto *disputatione 3. quæst. 4.* 142

DISPVTATIO DVODECIMA.

DE VIRTVTIBVS, ET DONIS CHRISTI.



A GRATIA sanctificante, velut fœcundissima Matre, progignitur copiosa virtutum familia, adoptantur Dona, adsciscuntur Gratiæ gratis datæ; Ideò de quocumque quæritur, num gratiam habuerit habitualem? Quæstio etiam versari poterit circa Virtutes, Dona, & Gratias gratis datas: Considerandum tamen, alia ex his semper Gratiam mutua quadam societate consequi, alia non semper; sed diuina annuente voluntate, vel salutis exigente necessitate: Prioris generis sunt virtutes, & dona, quæ quodammodo se habent ad gratiam, sicut potentiæ ad animam; posterioris verò generis sunt gratiæ illæ, quæ non pro propria, sed pro aliena salute donantur: Et quæ idcircò absque iustificante gratia possideri possunt, vt patet in Saüle, & Caipha, licet reprobis, tamen prophetis: Verum frequentiùs tanquam excellentioris iustitiæ indicia, in præclarioribus Sanctis gratiæ illæ emicant: Quare postquam suprà egimus de Christi gratia, non abs re erit hic indagare, num etiam virtutes, & alia, iam memorata, Christus possederit: & cùm principales virtutes, pariter & dona, numero sint septem, de illis tantùm inquiremus, de quibus suboriri potest difficultas, ob eminentem SALVATORIS sanctitatem, quam quædam virtutes, quippè communibus viatoribus, vel pœnitentibus propriæ, potius obscurarent, quàm ornarent: Idem etiam dic de donis nonnullis, quorum ideò ea ad finem breuiter expediam, quæ imperfectionem aliquam redolere putantur.

QVÆSTIO I.

An in CHRISTO *fuerint Virtutes.*

D Thom. quæst. 7. art. 2.

1 OMNES vnanimiter fatentur, virtutes, quæ imperfectionem non redolent, fuisse in Christo. Ita S.Bonau. *in 3. dist. 13. quæst. 3. ad 1.* D.Thom. *hîc.* Caietanus, Aluarez *in textu*, Valentia *puncto 3.* cum Morange, suprà citato *tom. 2. p. 2. suæ Theolog. Catechist.*

SVAREZ *disp. 19.* dicit, virtutes omnes morales supernaturales fuisse infusas animæ Christi simul cum gratia, in eoque fuisse etiam illum habitum, qui in nobis est Pœnitentia, licèt in eo non habuerit rationem Pœnitentiæ: Præterea habuisse omnes virtutes morales ex genere, acquisitas sine imperfectione repugnante beatitudini, easque ab instanti conceptionis fuisse ei infusas in gradu perfectissimo. Sequitur Lugo *disp. 16. sect. 7.* Idem ferè habet Medina *ad hunc articulum*, & Aluarez ibidem, & *disp. 32.*

VASQVEZ *disput. 42.* dicit, virtutes Theologicas, & morales per se infusas, quæ vnioni hypostaticæ, & statui beatifico non repugnant, fuisse ei infusas; Morales verò acquisitas ex genere fuisse infusas per accidens, non tamen prudentiam, sed eam decursu temporis acquisitam per consolationes: Pœnitentiam verò non fuisse in illo concludit. 2

IDEM

IDEM ferè babet Asturicensis *de gratia Christi, quæst.1. pag.74.* Escipe tamen, quod virtutes morales probabiliter putat studiosis actibus à Christo acquisitas, licèt probabilius putet, esse infusas; similiter & babitum prudentiæ, non tamen speculatrices species, quæ concurrunt ad prudentiæ iudicium, sed eas ait ministerio intellectus agentis comparasse.

3 ALII, quos sequitur Lorca, *disputat. 38.* negant in Christo, quoad babitum, & quoad actum, virtutes acquisitas, quippè cum dedeceret tam humilis operandi modus.

ASSERO primò, Christum à primo instanti conceptionis accepisse omnes virtutes ex genere infusas, quæ statui comprehensoris, & Filij Dei naturalis non repugnant.

PROBATVR à D. Bonauentura, *loco citato.* Ea quæ naturaliter consequuntur plenitudinem gratiæ, tanquam perfectiones, fuerunt in illo, in quo fuit plenitudo gratiæ: Tales sunt virtutes, quæ dicunt perfectionem: Ergo. Ità probatur etiam à Nazario, & aliis.

4 PROBATVR secundò à S. Bonauentura *in 3. dist. 36. quæst. 1. ad 1.* Virtutes non repugnantes subiecto sunt inter se connexæ, ità vt, qui vnam habent, cæteras habeant, vt docet etiam D.Thom. *prima secunda, quæst. 65. art. 1.* At sacræ Litteræ docent, Christum multas habuisse virtutes: Igitur habuit omnes suæ perfectioni non repugnantes. Minor probatur primò à S. Doctore *in meditationibus vitæ Christi, pro 5. feria* ex illo *Ioan. 13.* vbi lauit pedes Discipulorum, & Iudæ, & postea dixit: *Exemplum dedi vobis*; nam fuit exemplum humilitatis, charitatis, patientiæ, &c.

PRÆTEREA *cap. 14.* eundo ad mortem, dum ait: *Surgite eamus hinc*, dedit exemplum charitatis, fortitudinis, patientiæ, &c. sic etiam babet in sermone cœnæ.

5 EIVS verò obedientiam, & humilitatem probat S.Doctor 3. *dist. 20. quæst. 5.* ex illo Philip. 2. *Humilianit semetipsum factus obediens, &c.*

IDEM probat S. Doctor, *in Dieta, tit. 3. cap. 2.* ex eo loco Philip. 2. & Ioan. 6. *Descendi de cælo, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*, & Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

PIETAS in Christo apparuit, dum fleret *Lucæ 19. Ioan. 11.* vt ibi obseruat S.Bonauentura.

6 CHARITAS Christi toto ferè Euangelio à Seraphico comprobatur.

DENIQVE omnes perfectæ virtutes à S.Doctore in Christo obseruantur passim in opusculis aureis. Idem habent sancti Patres, relati a Nazario, & aliis.

PROBATVR tertiò à S.Doctore *parte 4. Breuil. cap. 4.* ratione, qua ex parte D.Thom. *in corpore accinit.* Id, quod se habet vt principium aliquorum effectuum, debet habere virtutes illorum effectuum perfectissimè; at Christus est principium virtutum
7 in nobis per gratiam: Ergo debet babere in se perfectissimas virtutes, quæ ex fonte gratiæ diramantur. Declaratur à Seraphico, quia Christus, vt Saluator, ac Reparator noster habet rationem principij reducentis nos in Deum per Deiformitatem, & hæc Deiformitas fit per gratiam: Ergo est fons gratiæ, & consequenter abundat, quia semper res plenius est in suo fonte, & origine, quàm alibi: Ergo in eo fuit plenitudo gratiæ, vnde virtutes emanant. Et quia sumus membra eius, ipse verò caput, vnde omnis sensus, & motus virtutum deriuatur, vt ait D. Augustinus *epist. 57.* circa finem; & ideò illi tanquam membra vnimur, & ad inuicem vinculo charitatis, quæ est regina virtutum: Ideò excellentissimæ fuêre in eo virtutes.

ADDIT alias rationes, ob quas debuit virtuti- 8
bus abundare, nempè quia non solùm fuit Fons, & Principium, sed etiam Medium, & Extremum. Medium sanè fungendo officio Mediatoris, & ob hanc causam debuit participare de extremis reconciliandis, & esse Deus, & homo. Huic autem sicut debebatur vnio hypostatica cum Verbo; ità nobilissimæ gratiæ, atque virtutes ornantes.

PRÆTEREA Christus erat non modò principium, & medium, sed etiam extremum in satisfaciendo pro nostra salute, & operando opus redemptionis: Ad hoc autem opus exantlandum necessaria erat summa charitas, quia, *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis:* Hinc suspice, quanta erat necessaria, vt pro inimicis iugulum præberet? Vnde D.Bernardus *sermone de Passione Domini*, Fer. 4. hebdum. sanctæ. *Maiorem habuisti, qui dedisti pro inimicis.* Vnde 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Et Paulus Rom 5. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem, &c.* Hæc D.Bonauentura ad eum locum Ioannis deuotè prosequitur.

HVCVSQVE probatum est, virtutes per se infu- 9
sas, quæ ex gratia oriuntur, non modò Theologicas, sed etiam morales, de quibus egi 1. 2. *tract. 2. disp. 1. quæst. 4.* in Christo extitisse.

Ex nostris autem vltimis argumentis deducitur asserendum, etiam morales acquisitas virtutes fuisse in Christi.

PROBATVR suprà à S. Bonauentura ex Christi dignitate; quia enim erat principium, & fons omnium virtutum perfectarum, debuere omnes in ipso, sicut in fonte purissimo absque imperfectionibus ebullire, & quia erat Mediator, Deus, & homo, debuit illis omnibus ornari, quia sunt naturæ humanæ egregia ornamenta.

ET quia erat extremum, idest, satisfaciens pro 10
nobis, debuerunt in ipso resplendere: Christus enim patiens nobis reliquit exemplum virtutum, ex quibus sequitur etiam, vt notat Suarez, *disp. 19. sect. 2.* cum S.Doctore locis suprà *cit.* eas virtutes debuisse in eo reperiri à primo instanti suæ conceptionis: Quia hæc perfectio erat Christo debita ratione vnionis, neque aliquid perfectionis afferebat eâ carere.

NON fuêre tamen necessariæ ad motus inordina- 11
tos compescendos, quia nulli in eo fuere, vt ostendam *disp. 17. quæst. 3.* sed conferebant ad facilè virtutum actus exercendos per corpus maximè infirmum, seu passibile. Ideò eas concedunt cum D.Bonauentura suprà D.Thom. *quæst. 15. art. 2.* vbi Caietanus, & Medina, Vasquez, *disp. 42. cap. 2.* Suarez *disp. 19. sect. 2.* Caspens. *disp. 5. sect. 4.* Lugo *disp. 16. sect. 7. num. 119.* Mœrac. *disput. 24. sect. 1.* Morandus *quæst. 35. in calce.* Neque verò talem pugnam inordinatatam passus est Christus, cùm ait: *Spiritus promptus est, &c. caro autem, &c.* Vide Lugum *disp. 22.*

DICAS cum Nazario. Quod melius est, debet 12
Christo tribui; at melius est virtutes has labore comparare, quàm eas infusas accipere. Ea enim est potior causa, quæ est per se, quàm quæ per aliud, *ex 8. Physic. textu 39.*

RESPONDETVR ex S Bonauentura *locis adductis*, simpliciter perfectius fuisse eas semper habere, quia in genere boni honesti melius est, esse in ter-

mino perfectionis: Hæ autem virtutes faciunt bonum simpliciter, vt notat Asturicensis.

Qvoad Prudentiam; probabilius arbitror, eam habuisse Christum infusam; nam virtutes omnes sunt in prudentia connexæ: Id probat S. Doctor *ad* 1. *Ioan* vbi dicitur plenus veritatis. Sic etiam Scot. *dist.* 13. *quæst.* 2.

13 Neqve verò scientia infusa potuit implere interim officium Prudentiæ, vt putat Vasquez; nam officium prudentiæ est imperare actus virtutibus in ordine ad bonum ad fines earum; at scientia infusa non fertur in obiectum sub ratione boni, nec imperat, nec est virtus moralis, vt notat Nazarius *q.* 7. *artic.* 2. *controuers. vnica.*

QVÆSTIO II.

An in Christo *fuerit Fides.*

D. Thom. quæst. 7. art. 3.

14 Omitto Calvini insaniam *in* 4. 26. & 27. *Matth.* vbi Christum communiter esse viatorem blaterat, quem refellam *disp.* 14. *quæst.* 2.

Qvia diximus, omnes virtutes, quæ non repugnabant statui Christi, fuisse in illo, iam videndum est de quibusdam, quæ videntur ei repugnare. Quæstio est de omnibus Beatis, & consequenter etiam de Christo, quia beatus erat.

Vulpes *disput.* 19. *art.* 2. vult, eum priùs natura fuisse viatorem ex fide operantem.

Dvrandvs *in* 3. *dist.* 31. *quæst.* 3. & 4. tenet, habitus fidei, & luminis gloriæ, atque eorum actus posse simul stare, cui inclinat Franciscus Carthagena *lib. de triplici lumine*, & *libro de prædestin. discursu octauo, ad* 7. Vnde sequitur, potuisse in Christo esse fidem.

15 Svarez ad hunc articulum D. Thomæ docet, ad fidem duos habitus esse necessarios, alterum in intellectu, qui sit principium assensus fidei eliciendi: alterum in voluntate, à quo eliciatur affectio debita ad fidem. Itaque ait non potuisse in Christo priorem habitum reperiri, sed benè secundum.

Hervævs *quodlibet.* 2. *quæst.* 15. Capreolus *in* 3 *distinct.* 31. Conradus, & Medina *prima secundæ, qu st.* 67. *artic.* 3. Asturicensis *pag.* 62. dicunt in Christo cum clara Dei visione posse manere habitum fidei, quia non repugnant in eodem actus, & habitus.

16 Sententia vera est D. Bonauenturæ *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 3. & *dist.* 26. *dub.* 5. & *dist.* 31. *quæst.* 1. & *dist.* 36. *quæst.* 1. *ad* 1. in Christo non fuisse fidem. Idem sentit D. Thom. *art.* 4. & omnes Thomistæ, & communiter Scholastici 3. *dist.* 26: cum D. Augustino 14. *de Trinit ate, cap.* 2. qui generatim de omnibus beatis loquuntur, & de Christo sequitur idem dicendum, vt monent communiter Theologi, apud Becan. *cap.* 8. *quæst.* 7.

Adverte autem, S. Bonauenturam, *dist.* 13. *quæst.* 3. *ad* 1. videri admittere manere fidem, & spem in beatis secundùm id, quod dicunt perfectionis; & euacuari secundùm id, quod habent imperfectionis. Hæc tamen ex professo dissentit *dist.* 13. *quæst.* 1. & negat, manere aliquo modo fidem refutans eam distinctionem; nam suprà *dist.* 13, solùm respondet argumento.

17 Assero, fidem non fuisse in Christo, siue secundùm actum, siue secundùm habitum.

Probatvr à S. Doctore, *locu adductis*, cum D. Thom. quia: *Fides est argumentum rerum non apparentium*, Hebr. 11. Itaque obiectum fidei est res Diuina non visa; at Christus in primo instanti vidit Deum.

Probatvr secundò ab eodem Seraphico Doctore *dist.* 31. *quæst.* 1. quia id, quod ratione status alicuius euacuatur, & desinit illi, desinit secundùm totum id, quod illi statui repugnat; at fides desinit in beatis ratione perfectionis illius status: Ergo desinit secundùm totam imperfectionem, repugnantem illi statui: Talis autem imperfectio est in habitu fidei, nedum in actu; nam habitus inclinat ad actum imperfectum notitiæ, nempè ænigmaticum, & obscurum: Ergo. Prima maior est nota. Minor probatur ex illo prima Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* 18

Ex his habetur contra Suarez, quod, etiamsi necessarius esset alius habitus in voluntate, inclinans affectionem ad credendum, eò quòd fides est habitus virtutis, in quantum intellectus ab affectu inclinatur, vt docet D. Bonauentura *loco cit. corpore*, adhuc tamen non duraret in beato, quia talis habitus ad imperfectum actum inclinat, contrarium statui patriæ, & est frustrà.

Argvmenta in oppositum diluta sunt, *secunda secunda, tract.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 6.

Dices: 11. *Isaiæ* dicitur: *Erit fides cinctorium, renum eius.* Respondet Caspens. *ibi*, fidem significare fidelitatem.

Dices cum Vulpe *Psal.* 44. dicitur: *Dilexisti iustitiam, &c.* & Rom. 8. dicimur conformes, & imitatores: Sed hæc nil vrgent. 19

QVÆSTIO III.

An in Christo *fuerit Spes.*

D. Thom. quæst. 7. artic. 4.

Hæc quæstio etiam communis est omnibus beatis, quam tractat S. Bonauent. *in* 3. *dist.* 31. *art.* 2. *quæst.* 2. & nos 2. 2. *tract. de spe, disp.* 4. *q.* 11. eam satis luculenter discussimus. 20

Vasqves *disp.* 43. dicit, in Christo vsque ad resurrectionem fuisse actum veræ spei Theologicæ, elicitum Dei auxilio, & eundem actum esse in beatis respectu gloriæ corporis: Habitum verò spei non fuisse in Christo, nec in beatis esse ante resurrectionem.

Scotvs *dist.* 18. *quæst. vnica*, Vulp. *disp.* 29. *art.* 3. aiunt, Christum primò habuisse spem. Becan. *c.* 8. *q.* 8. Suarez *in Commentario* dicunt, necessarium fuisse habitum infusum, à quo eliceretur actus expectandi gloriam corporis, & hunc habitum habere diuersos actus erga Deum, vt est obiectum amoris Dei, quatenus est bonum nostrum, nempè actus amoris, desiderij, spei, gaudij. Ex his desiderium, & spes cessant in patria, manet verò amor, & gaudium, seu delectatio; vnde manet & habitus aliquis, quo actus isti superni eliciantur, & quo expectetur gloria corporis. Omnes hos actus ad vnum habitum ait spectare, qui prout est in via, dicitur spes, denomine sumpto ab actu, maximè arduo, viatori necessario: Idem verò habitus est amor 21

amor propriæ beatitatis, qui euacuatur quoad id imperfectionis, quod in spe latet, & hoc non fuit in Christo, sed solùm perfectum habitus: Sic & Fulsens. *cap.* 15. D.Thom. hic, *& prima* 2. *quæst.* 63. *art.* 3. *&* 5. *&* 2.2. *quæst.* 18. *art.* 2. negat spem in beatis, & in Christo: actum verò expectandi resurrectionem esse, ait spem, sed non Theologicam. Ità sentiunt cum eo Durand. 3. *dist.* 26. *quæst.* 3. Caietan. & omnes Thomistæ, quos refert, & sequitur Nazarius *quæst.* 7. *art.* 4. *controu. vnica.*

22 D. BONAVENTVRA cum D.Thoma consentit, & quidem *in* 3. *dist.* 26. *dub.* 5. negat, in Christo, vel in beatis spem; pro glorificatione verò corporis dari asserit in eis aliquam spem largè, provt dicit expectationem. Idem habet *dist.* 31. *art.* 2. *q.* 2. *in corpore.*

NOTANDVM primò ex S. Bonauentura, *ll. cc.* Obiectum spei esse Deum, vt arduum expectatum ad beatitudinem: Itaque principale obiectum spei est Deus, qui est obiectum beatitudinis. Quoniam verò spes est ad modum motus, tendens in terminum, ideò sicuti motus habito termino quiescit, ità spes, Deo habito beatificante, euacuatur; ita aduertit etiam Bedianus, suprà relatus, in sua Theologica Catechistica.

23 NOTAT secundò Nazarius ex S.Doctore 3. *dist.* 26. *art.* 2. *q.* 4. D.Thoma *prima secunda*, *quæst.* 40. *art.* 8. *ad* 1. *& quæst.* 46. *art.* 4. *ad* 2. Albert. 3. *dist.* 26. *quæst.* 4. *art.* 12. spem ferri in bonum, vt arduum, quod excedit communem statum, & non potest obtineri sine impedimento, quia cùm sit in Irascibili, quæ tendit ad superanda contraria, vt superemineat eis, ideò requirit obiectum, quod habeat contrarium, impediens consecutionem eius. Cùm igitur effectus habens in subiecto causam infallibilem, ex qua sequatur non habeat tale impediens contrarium; non erit bonum arduum. Ob hanc causam gloria corporis non cadit sub spe in eo, qui iam habet gloriam animæ, ad quam sequi debet suo tempore, & non habet oppositum sufficienter impediens.

Ex his sequitur, malè Vasquez ponere obiectum spei esse arduum, provt ab alio tantùm pendet; requiritur enim arduitas ex se. Hæc latius elucidaui 2.2. *disp.* 4.

24 ASSERO, in Christo non fuisse spem.

PROBATVR primò à D.Bonauentura 3. *dist.* 26. *dub.* 5. deficiente ratione formali actus, & habitus, deficit etiam actus ipse, & habitus; sed in Christo non erat expectatio beatitudinis, cùm Christus esset beatus: Ergo.

PROBATVR secundò à S. Doctore, quia spes habet adnexam fidem, quæ est cognitio ænigmatica; anima verò Christi non habebat fidem, sed visionem, vt dixi: *quæst. præcedenti*: Ergo. Sic probatur etiam à D.Thoma, & aliis.

25 ASSERO secundò. Desiderium gloriæ corporis in Christo, dum viueret inter nos passibilis, non erat à spe Theologica, neque à solo Diuino auxilio actuali, sed a Charitate, & fruitione.

PROBATVR ex notandis à S.Bonauentura; nam spes Theologica habet pro obiecto bonum arduum, quod habet oppositionem; sed gloria corporis Christi non erat bonum arduum, habens contrarietatem, sed consequebatur ex gloria animæ.

PROBATVR secundò ab eodem S.Doctore, quia spes est virtus Theologica, quæ respicit Deum fruendum; at anima Christi fruebatur iam Deo: Ergo.

26 OBIICIES primò Scripturam, quæ spem Christo attribuit Psal. 7. *Domine Deus meus in te speraui.* Psal. 21. *Spes mea ab vberibus.* Psal. 30. *In te Domine speraui.*

RESPONDET S.Doctor *ad Psal.* 30. spem quandoque sumi pro temeraria confidentia; vnde Hieremiæ 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine,* aliquando sumitur pro certa expectatione futuræ beatitudinis ex meritis. Aliquando pro quodam medio inter desperationem, & spem, vt cum quis peccat sperans veniam. Vnde dicitur: *Maledictus, qui peccat in spe.* Aliquando sumitur pro certa expectatione futuræ gloriæ accidentalis cum certitudine scientiæ, & talis spes fuit in Christo: Ita respondet etiam Nazarius.

OBIICIES secundò. Christus expectabat in triduo vnionem Deitatis cum tota humanitate; & hic erat actus virtutis Theologicæ, & habebat obiectum formale spei. 27

RESPONDETVR ex D Bonauentura, negando Minorem; nam obiectum primum spei est Deus, vt fruendus. Deinde illa vnio non habebat rationem ardui, sed erat debita ex prima vnione.

OBIICIES tertiò. contra secundum assertum: Christus meruit gloriam corporis: Ergo ea non continebatur infallibiliter in gloria animæ.

RESPONDETVR, naturaliter gloriam animæ redundare in corpus; attamen hanc meruisse Christum.

QVÆ Vulpes opponit, defluunt ex dictis. Ad meritum verò non exigebatur spes, de quo agam, *disput.* 21. *quæst.* 2. *& sequent.* 28

QVÆSTIO IV.

An in CHRISTO *fuerit Pœnitentia.*

INTER virtutes Morales infusas est pœnitentia. De hac quæritur, an fuerit in Christo. Ratio dubitandi est, quia videtur supponere suum peccatum, de quo conteratur. 29

SVAREZ *disput.* 19. concedit in Christo illum eundem habitum, qui in nobis est Pœnitentia, quantumvis in illo non habuerit rationem pœnitentiæ. Supponit autem, Pœnitentiam non esse limitatam ad detestandum proprium peccatum patratum, sed ad alios etiam actus extendi, puta ad odio prosequendam offensam, vndecunque Deo illatam, propositum vitandi peccatum, quatenus est Dei iniuria. Vel supponit, Pœnitentiam non esse habitum distinctum a cæteris virtutibus moralibus, sed vel esse Charitatem, vel iustitiam, vel certè religionem, quæ est opinio Caietani. Hoc supposito asserit Suarez, in Christo sicut fuit iustitia, religio, & cæteræ virtutes, ita fuisse Pœnitentiam, quamvis in eo non habuerit imperfectionem, quam pœnitentia denotat. Adducit secum Alensem, 3. *p. quæst.* 12. *memb.* 3. *ad* 1. Marsil. *in* 4. *quæst* 20. Arridet Becan. *cap.* 8. *quæst.* 9. nec multum dissidet Bedianus, suprà relatus.

ATTAMEN communis sententia est, in Christo non fuisse propriè pœnitentiam: Ita Medina, *ad quæst.* 7. *art.* 2. Vasquez *disputat.* 42. Asturicensis *quæst.* 11 *de gratia Christi*, *pag.* 74. Nazarius *q.* 7. *art.* 2. *concl. vltima* post D.Thom. 3. *part. quæst.* 84. *art.* 7. *ad* 4. & *in* 3. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 1. & *in* 4. *d.* 14. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 2. & est communis Doctorum. 30

Hæc

Hæc est sententia D.Bonauenturæ, *in 4. dist. 14. parte 1. quæst. 1. ad 4.* probat verò *quæst. 2.* esse virtutem specialem, quæ respicit, tanquam obiectum, peccatum à se perpetratum detestandum.

Assero cum hac sententia, pœnitentiam propriè sumptam non fuisse in Christo.

31 Probatur à S. Bonauentura *ibi*, quia propria pœnitentia non potest esse, nisi de peccatis propriis; sed Christus peccare non potuit: Ergo. Maior probatur à S.Doctore, *dub 4. litterali*, ex multis Sanctis Patribus, qui definiunt pœnitentiam in ordine ad peccata propria, tanquam obiectum; habitus autem ab actibus dignoscuntur, vt docet Aristoteles *2. Eth. cap. 1.* Hi Patres sunt, Gregorius *homilia 34. in Euangel.* Ambrosius *in sermon. quodam*, Augustinus *libro de vera, & falsa pœnitentia, & ad Seleucianum, epistola 108. & lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 25.* Hilarius *Psalm. 2.* & alij. Hoc argumento nititur Marsilius, Nazarius, & alij communiter.

32 Hinc non rectè Suarez philosophatus est; imò non planè percipio, quo fundamento dicat manere habitum, qui in nobis est pœnitentia; non tamen imperfectionem, quam intrinsecè pœnitentia includit, excludere, nisi velit dicere cum D. Bonauentura, *loco cit. ad 4.* Pœnitentiam dicere quid genericum, nempè velle contra peccatum, à quocunque committatur, & hoc modo esse etiam in Christo.

Quæres primò, an in Christo fuerit iustitia vindicatiua; nam *Matthæi 5.* docet remittere iniurias.

33 Respondetur affirmatiuè; nam iustitiæ vindicatiuæ duo sunt munera, alterum petere, & procurare legitimè pœnam criminum apud legitimum iudicem, & hoc seruauit Christus, quando tentatus à Iudæis de iustitia, vt ait S. Augustinus *tractatu 33. in Ioannem*, petentibus adulteram lapidari, respondit Ioan. 8. *Qui sine peccato est, primus mittat in illam lapidem*, vt benè discurrit ibi D. Bonauentura. Alterum munus est propulsare iniuriam, & hoc exequutus est, dum *cap. 8.* conuitio lacessitus respondit: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum.* Ibi enim iniuriæ vindictam apud Patrem deponit, seipsum iustificans, vt notat S. Doctor ibi ex D. Augustino, & D.Anselmo, & *Ioan. 18.* percussus in maxilla, non præbuit alteram, iuxta consilium suum, sed respondit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?* vt notat S.Doctor *ibi.* Hæc ex Seraphico prosequitur Nazarius *quæst. 7. art. 2. ad argumenta.*

34 Regula igitur vniuersalis est; virtutes, quæ intrinsecè dicunt imperfectionem contrariam statui Christi, non fuisse in eo.

Quoad Magnificentiam, potuit esse affectus magnorum sumptuum in honorem Dei: Similiter Magnanimitas; Sicut & Eutrapelia, vt si opus esset, recreationes eligeret.

QVÆSTIO V.

An infinitæ perfectionis fuerint Christi *Virtutes.*

35 Asturicensis *relect. de gratia Christi, q. 3. art. 2.* negat omnem etiam moralem dignitatem infinitam in Christi virtutibus.

Enim verò aliquam infinitatem moralem virtutibus Christi concedunt S.Thom. *in 3. distinct. 19. quæst. 1. artic. 1.* Capreolus *3. distinct. 18. quæst. vnica ad 4.* Scoti *contra primam concl.* Altisiodor. *lib. 3. tract. 1. cap. 5.* Suarez *disp. 22. sect. 1. in fine*, Alvarez *disp. 34. ad vltimum.*

Suppono autem ex dictis *disp. præcedenti, q. 3.* virtutes Christi fuisse finitas Physicè, quod eisdem rationibus probatur.

Assero, Virtutes Christi habere quandam moralem infinitatem ob vnionem ad Verbum. 36

Probatur à D. Bonauent. *4. part. Breuil. cap. 5.* Quia nempè erant virtutes Christi vnitæ Verbo, & principium operum sanctorum, quæ ex Verbo infinitam hauriunt dignitatem, erant enim infinitè ex Verbo placentes Deo. Ità probatur etiam à Suarez.

Aliam rationem addit Suarez, quia ordinantur ad vnionem, vt sint fundamenta, & bonæ dispositiones Verbi Incarnati.

Sed hæc ratio exponenda est cum S. Bonauentura *3. distinct. 13. quæst. 2. ad 5.* has virtutes esse dispositiones solùm congruas, non adæquatas, & ideò Physicam infinitatem non habere, sed solam moralem ex coniunctione, quæ licèt Physica sit, non tamen physicè infinita, non enim ob id acquirunt esse infinitum; sicuti neque humanitas ipsa, quæ infinita est, quatenus infinito vnita, ipsa tamen manet in suo esse creato, vt notat D. Bonauentura *ibi.* 37

Hinc patet etiam, quid respondeas obiicienti: Si virtutes istæ sunt moraliter infinitæ: Ergo tantùm placent Deo, quantum ipsum Verbum.

Respondet Suarez, *eadem sectione, §. Dices*, ex Seraphico Doctore *loco citato*, urgando sequelam, Verbum est infinitum per essentiam, & simpliciter; at verò Humanitas, & virtutes sunt infinitæ non per essentiam, sed ratione personæ, quæ est infinita, cui vniuntur. Ideò infinitas Verbi personalis est, virtutes verò eatenus possunt dici infinitæ, quatenus possunt dici infinito Verbo vnitæ. 38

Quæ opponuntur, probant infinitatem Physicam Verbi redundare in infinitatem moralem, non Physicam, naturæ humanæ vnitæ.

QVÆSTIO VI.

An in Christo *fuerint Dona Sancti Spiritus.*

Qui dicunt hæc non distingui ab Habitibus Virtutum, sed esse peculiares actus earum, vt Scotus *3. dist. 34. quæst. vnica*, & discipuli apud Vulpem *disp. 29. art. 4.* Gabr. *dist. 34. art. 2.* Almain. *tract. 3.* Mor. *cap. 23.* non requirunt nouam quæstionem ad hanc difficultatem soluendam. 39

At qui Dona à virtutibus distinguunt, vt D.Bonauentura, *distinct. 23. art. 1. quæst. 1.* Richard. *ibi*, D.Thom. *prima 2. quæst. 68. art. 1.* quibus adhæsi *prima 2. tractat. 2. disput. 3. quæst. 1.* tenentur huic resolutioni stare.

Dona Sancti Spiritus describuntur *Isaia 11.* & Christo adscribuntur: *Requiescet super eum Spiritus Domini; Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Consilij, & fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis, & replebit eum Dominus Spiritu Timoris Dei.* 40

Hinc

HINC colligit S. Bonauentura 3. *dist.* 34. *in du-*
41 *biis litter.* & *art.* 2. *quæst.* 1. *& vltima* dona Spiritus sancti esse septem, & hæc Christo adscribenda. Idem habet *quinta parte Breuil. cap.* 5. & *opusculo de septem donis, capite secundo*, Eum sequuntur communiter Theologi cum sanctis PP. Cyrillo, & Hieronymo *ibi*, Origene *homil.* 6. *in Numer.* Irenæo *lib.* 3. *contra hæreses*, Athanasio *lib. de fide sua*, Augustin. *lib.* 12. *contra Faustum, cap.* 15. Basil. *serm.* 5. *contra Eunom. cap.* 14. Hilario *cap.* 13. *in Matth.* Ambrosio *serm. in Psalm.* 118. Est de fide, vt monet Vulp. *num.* 5. addens, acquisita vi Spiritus sancti, vt saluet, esse virtutes etiam Cardinales, sed falsò.

E septem donis, quatuor spectant ad Intellectum, nempè, Sapientia, Scientia, Intellectus, & Consilium: Tria ad Voluntatem, scilicet Fortitudo, Pietas, & Timor: Hæc verò sunt quidam habitus, quibus homo benè disponitur, vt sit facilè mobilis ad operandum ex motione Spiritus sancti, vt ostendi *prima secundæ, tractat.* 2. *disp.* 3.

Et quidem quoad Scientiam, Sapientiam, & Intellectum, nullus vnquam Christo hæc dona nega-
42 uit, quia nullam dicunt imperfectionem, aut cum beatitudine, vel cum visione repugnantiam.

De cæteris ponam speciales dubitationes. Interim omnia probat S. Doctor *ad* 1. *Ioan.* illis verbis: *Plenum gratiæ, & veritatis*, vbi ait, dona, quæ ad intellectum spectant, veritate exprimi; reliqua verò per gratiæ nomen: Sic & Scot. *distinct.* 15. *quæst.* 2. Vulpes *disp.* 21. *art.* 1.

DVBITATIO I.

An in CHRISTO *sit, vel fuerit Donum Consilij.*

43 DVRANDVS 3. *distinct.* 34. *quæst.* 3. negat, donum Consilij manere in beatis, atque adeò in Christo: Ratio eius est, quia obiectum huius doni est consultatio cum dubitatione; at in beatis non est dubitatio.

ASSERO tamen, in Christo fuisse donum Consilij.

PROBATVR ex dictis cum sanctis Patribus ex illo Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Consilij.* Ideò opinionem Durandi prauam esse ait Vulpes *disp.* 29. *art.* 4. *num.* 7.

Ad argumentum Durandi respondet Suarez, *disputatione* 20. *sectione* 1. ex D. Bonauentura, *in*
44 3. *distinctione* 34. *parte* 1. *articul.* 2. *quæstione* 3. *ad* 4. duo in dono Consilij repetiri, alterum est ponderata discussio partium, in quo sæpè interuenit dubitatio, & hæc non est intrinseca dono consilij: alterum est excellens, & firma, ac stabilis melioris electio, seu absolutum iudicium de agendis è speciali instinctu Spiritus sancti; hic autem cum perfectissimus sit, potest Christo conuenire. Ità respondet etiam Caspensis *disputat.* 5. *sect.* 6. Vasquez *disp.* 44. *cap.* 1. Idem ferè habet Scotus 2. *distinct.* 25. Vulpes *loco citato.*

DVBITATIO II.

An in CHRISTO *sit, vel fuerit Donum Pietatis.*

DVRANDVS *loco citato*, licèt non neget actum doni Pietatis fuisse in Christo Viatore; negat 45
tamen eum in ipso nunc esse.

ASSERO, Actum doni Pietatis in Christo nunc esse, nedum, fuisse. Patet ex *Isaia* 11. suprà allato cum S. Bonauentura.

PROBATVR secundò à S. Doctore *loco cit. ad* 7. quia donum Pietatis dicit non solùm compassionem miseris, sed etiam dulcedinem, & benignitatem ad omnem hominem, in quo videt imaginem Dei, atque adeò Deum colere sub hac ratione: Cur autem beati non possent hos actus exercere, remota compassione, quæ non est ei intrinseca? Ità probatur etiam à Suarez, Vasquez, Caspensi, & D. Bonauent. 3. *part. Centil. sect.* 45. & latius *de septem donis: De Dono pietatis, cap.* 3. latè ostendit, donum pietatis circa cultum Dei versari, 46
& quidem perfectissima cum charitate, ideò infert, perfectissimè in patriæ conuiuio illud reperiri in beatis, quo argumento vtuntur supradicti Theologi.

DVBITATIO III.

An in CHRISTO *sit donum Fortitudinis.*

VASQVEZ *disput.* 44. *cap.* 1. dicit, non manere amplius in Christo Fortitudinis actum, quia est 47
circa pericula vitæ superanda, quæ ampliùs non valent Christo ocurrere: attamen manere affectum doni Fortitudinis, quia nunc paratus est subire pericula mortis, si necesse esset.

ADDIT Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. remansisse in eo affectum, vel gaudiũ circa honestatem fortitudinis, seu de honestate factorum fortiter ex instinctu Spiritus sancti, non tamen manere actus, sicuti non manent actus virtutis Fortitudinis, quæ versatur circa discrimina mortis subeunda, ac superanda: Idem est obiectum virtutis, & doni.

D. BONAVENTVRA 3. *dist.* 34. *part.* 1. *quæst. vlt. ad* 5. fatetur fortitudinem non reperiri in beatis, quia nulla sunt ibi pericula vitæ subeunda, & ideò neque virtutem, neque donum fortitudinis ibi ex- 48
cerceri; attamen excellenti, seu eminenti quodam modo videtur actus aliquis ad donum fortitudinis spectans, reperiri in beatis, vt fortiter Deo adhæreant, & inseparabiliter.

DVBITATIO IV.

An in CHRISTO *sit, aut fuerit donum Timoris.*

< D.Th. q.7. art.6.

D. BERNARDVS *epist.* 190. inter errores Abai- 49
lardi ponit, negasse in Christo donum Timoris. Errores autem omnes Abailardi damnat generatim Innocentius III. epistolâ, quæ est 194. inter epistolas D. Bernardi: Hunc errorem inter hæreses numerant Castro *Verbo* Christus, *hæresi* 9. Sanderus

lib.

lib. 7. de visibili Monarchia, heresi 146. & merito, nam *Isa. cap.* 11. præcipuè Timoris donum astruit in Christo: *Replebit eum Spiritus timoris Domini*. Hunc ait Scotus *dist.* 34. ad humilitatem reduci: Sic etiam Vulp. *disp.* 29. *art.* 5. Enim verò non adeò facilè est directè demonstrare in Christo Timorem extare.

50 DVRANDVS 3 *dist.* 34. *quæst.* 3 censet, habitum Timoris manere in patria, ex quo sequitur, illum fuisse etiam in Christo; actum verò nequaquam.

RICHARDVS *eadem dist. art.* 2. *quæst.* 4. dicit, timorem manere in patria secundùm actum fugæ à malo, quatenus gaudet beatus, se malum euasisse culpæ, quatenus Dei offensa malum quoddam arduum est ad superandum.

VALENTIA *punct.* 4. considerato malo, quod potest incurri, non fuisse in Christo timorem vllum mali culpæ, aut pœnæ, docet.

VASQVEZ, *disp.* 44. *cap.* 2. dicit, Christum in
51 hac vita habuisse timorem quidem alicuius mali corporalis; non tamen alicuius mali culpæ, vel pœnæ ex peccato; in eo tamen esse reuerentialem timorem erga Deum, quem reueretur, hunc tamen esse ab habitu humilitatis.

SVAREZ *disp.* 20. *sect.* 2. idem ferè habet dicens, voluntatem subdendi se Deo, vt supremo Domino, etiam spectare ad religionem, vel obedientiam, etsi fiat per modum doni ad pietatem; posse verò nos intelligere voluntatem quandam subdendi se Deo, præferendo in omnibus honorem Diuinum proprio, qui actus videtur ad humilitatem pertinere, atque adeò ad donum Timoris, si fiat è speciali instinctu Spiritus sancti, quia hoc donum humilitati respondet. Addit verò, hunc actum reuerentiæ includere fugam aliquam mali, quatenus repugnans Diuinæ Excellentiæ.

CÆTERVM communis ferè sententia est, Timo-
52 rem fuisse etiam in Christo, qui quidem est affectus reuerentiæ erga Deum habentem supremam potestatem super omnes, à quo, licèt non timeret malum; tamen reueretur: Ità D. Thom. 2. 2. *quæst.* 19. *art.* 11. & *quæst.* 51. *art.* 2. *ad* 1. Alensis 3. *p. quæst.* 118. *memb.* 3. *art.* 6. & *quæst.* 175. *mem.* 1. Gabriel. *in* 3. *d.* 34. *quæst. vn. art.* 3. Iansenius *in cap.* 1. *Prouerb.* Magist. *in* 3. *dist.* 34. *cap. vlt.* Caietanus, & Recentiores *in hoc art. D. Thom.* Lugo *disp.* 16. *num.* 120.

HÆC est sententia D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 34. *p. p. & p.* 2. *quæstionibus vltimis*, vbi eximium officium timoris filialis ponit revereri summam Maiestatem, resilire in propriam vilitatem; esse autem donum à virtutibus distinctum iam ostendi *prima* 2. *tract.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1.

DISPLICET verò mihi admodum id, quod ali-
53 qui Thomistæ adscribunt Francisco Victoriæ, & colligitur ex Caietano: Timorem scilicet esse etiam in beatis, & Christo, quatenus scientes, Deum posse eis malum infligere, puta annihilando, timent. Hoc enim est ridiculum, quia Timor est fuga mali, saltem apprehensi futuri. Ideò enim Arist. 2. *Rhetor. cap.* 7. & 9. *Metaph. t.* 17. ait non esse timendum, ne cœlum stet, quia licèt id factum aliquando sit *Iosue* 10. & 1. *Paral.* 4. non tamen imminet, vt faciendum, vt probat idem Aristotel. *text.* 17. allegato, vt notat S. Doctor *dist.* 34. *part.* 2. *dub.* 3. vbi obseruat, ideò Timorem definiri à D. Damasceno 2. de fide, c. 18. *Timor est expectatio futuri mali.* Idem notant Vasquez, & Suarez tandem id ipsum fatetur.

54 ASSERO, in Christo fuisse donum Timoris.

PROBATVR à D. Bonau. *locis cit.* initio quæst. ex Isa. 11. *Replebit eum spiritu Timoris Domini.*

PROBATVR secundò à S. Doctore, *locis adductis*, Vbi est obiectū alicuius habitus in actu, ibi est actus illius habitus: sed in actu Beatorum est obiectum timoris in actibus: Ergo. Minor probatur ex PP.

D. DIONYSIVS *cap.* 13. *de cælesti Hierarchia*, post medium explicans illam visionem Isaïæ, in qua Seraphim velabant facies suas, ait: *Aperiebatur, nempè illi, per hac altissimorum spirituum vis multa peragrans, multaque prospiciens, sacraque illorum, & plena horroris veneratio, ac religio, qua vltra humanum modum celsiorum, profundiorumque mysteriorum insolertem, & temerariam, neque omnino promouentem indaginem exhorrescunt.*

HIC pauor & horror, est reuerentiæ, vt admo- 55
net D. Greg. 17. Moral. cap. 15. dicens: *Ipse quoque Virtutes cælestium, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua cessione contremiscunt: sed idem tremor, ne illis pœnalis sit, non est timoris, sed admirationis.*

CONFIRMATVR primò ex Præfatione Missæ vbi dicitur: *Tremunt Potestates.*

CONFIRMATVR secundò à S. Bonauent. *locis adductis in fundament.* ex illo psal. 18. *Timor Domini Sanctus permanens in sæculum sæculi.*

CONFIRMATVR tertiò ex aliis PP. Damasceno *lib.* 2. *de fide, cap.* 15. Nisseno *lib.* 4. *cap.* 14. Vide Nazarium.

OBIICIES primò. Timor est Magister incipientium ex D. Nazianz. *Oratione in sancta Lumina*, & Niceta, & Origene, ad id Rom. 8. *Spiritum seruitutis in timore*, & D. August. *tract.* 46. *in Ioannem.*

RESPONDET S. Doctor *dist.* 34. *part.* 2. *quæst.*
vltima, ad 3. Patres loqui de timore initiali, & im- 56
perfectu, qui est viæ; non de perfectissimo filiali: Ita respondet etiam Nazarius, & alij.

OBIICIES secundò: Omnis timor est futuri mali imminentis; at Christus non potuit à Deo timere malum: Ergo.

RESPONDET S. Doctor *loco cit.* negando Maiorem, nam timor, vt donum, in suo statu perfecto per se primò terminatur ad bonum eminentiæ Diuinæ; secundò verò ad malum: Ex quo patet etiam contra Valentiam, obiectum timoris non esse solùm malum, atque adeò in Christo, & Beatis esse verum timoris donum.

OBIICIES tertiò cum Vasquez, & Suarez ex
D. August. 14. de ciuit. cap. 9. *Timoris casti nomine* 57
ea voluntas significata est, qua nos necesse est nolle peccare, non similitudine necessitatis, sed tranquillitate charitatis; sequitur ergo primò, posse etiam beatum in tranquillitate sua ex charitate habere timorem, qui est fuga peccati. Deinde sequitur, amorem illum castum non esse timorem reuerentialem, sed amoris.

RESPONDET D. Bonau. *opusc. de septem donis, de* 58
dono Timoris, cap. 2. ad finem, illum actum timoris non esse à charitate elicitum, sed concomitanter cum charitate, quæ erit veluti primus motor omnium actuum voluntatis in beatis, & ideò est à timore sancto, qui quidem permanet in sæculum sæculi, neque repugnat statui beato tranquille detestari peccatum, sed imò conuenit perfectissimè amantibus Deum, quia, vt aliqui dicunt, inter quos D. Bernard. *lib. de diligendo Deo*, circa finem: Timor filialis augetur, augmentata charitate; & charitate perfecta perficietur, & ideò in patria habebit eundem actum, quem habet modò, & illi addunt authoritatem D. August. 14. *de Ciuit. cap.* 9. post medium, vbi ait: *Timor ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit in futuro sæculo, non erit exterrens à malo, quod accidere potest, sed tenens se in bono, quod adimi non potest, & ità alium actum habebit, quam modò.*

RATIO

RATIO huius est, quia vbi boni adepti amor im-
59 mutabilis est, profectò, si dici potest, mali cauendi timor secutus est: Hæc S. Bonau. *loc. cit.* His vide quàm malè Vulpes Beatis, & Christo attribuat timorem hunc ratione peccabilitatis propriæ, & culpæ possibilis, saltem logicè. Hæc sanè risu sunt digna.

QVÆSTIO VII.

An in CHRISTO *fuerint Gratiæ gratis datæ.*

60 NOVEM enumerantur à Thomistis gratiæ gratis datæ, quas colligunt ex prima Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij quidem per spiritum datur sermo Sapientiæ, alij Scientiæ, alij fides, alij gratia sanitatum, alij discretio operationum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Dicuntur verò gratis datæ, non gratum facientes, quia non iustificant recipientem. Hæ omnes sunt in eo, vt fonte, & capite, in quo sunt omnia bona, & gratiæ: His ostendes, fuisse in eo etiam beatitudines, & fructus Spiritus sancti, & si gaudij, esse suspensos, vt dicam *disp.* 39. Adde, hæc tali Magistro esse digna. Aliqua est quæstio de tribus gratiis datis, quas proponam.

DVBITATIO I.

An in CHRISTO *fuerit gratia Fidei.*

61 ASSERO, gratiam fidei perfectè extitisse in Christo.

PROBATVR, quia fidei gratia est præcellens quædam cognitio Mysteriorum Diuinorum ad alios docendos, quæ non includit intrinsecè obscuritatem: Hæc verò fuit in Christo; cum in fidei Mysteriis elucidandis, & edocendis præcelleret: Siue est quædam existimatio certa in patrandis miraculis; de qua Apostolus: *Etsi habuero omnem fidem, ita vt montes*
62 *transferam, &c.* Licèt etiam de fide informi intelligatur, vt notat D. Bonau. 3. *dist.* 33. *dub.* 5. *litterali.*

DVBITATIO II.

An in CHRISTO *fuerit donum Linguarum.*

63 ASSERO cum Scholasticis, Christum habuisse hoc donum.

PROBATVR, quia plenam cognitionem habuit omnium rerum: Ergo & linguarum. Potuit esse eum vsum hoc dono in Ægypto, vt notat Valentia *disputatione* 1. *quæst.* 7. *punct.* 5. vt conuerteret Ægyptios.

NEC eius tenera ætas in Ægypto poterat huic vsui obstitisse, cùm non acquisitione, sed infusione dona cuncta sit assecutus.

PRÆTEREA cum annum agens duodecimum inuentus sit in medio Doctorum, eos de lege interrogans; non improbabile est, eum litteratiorem linguam, quàm fuerit vulgaris Iudæorum, adhibuisse.

ADDO, quòd sicut nunc Romæ, ità tunc in Ierusalem omnes ferè nationes conuenerant, quibus aliquando erudiendis, vel alloquendis non vna lingua suffecisset: quare Apostoli, iam omni creaturæ Euangelium annuntiaturi, Donum linguarum cælitus acceperant: Certum est autem, quidquid perfectionis his, vel aliis etiam Sanctis temporum cursu infusum sit, Christum ab initio accepisse, cùm nulla in contrarium ratio vrgere possit.

DVBITATIO III.

An in CHRISTO *fuerit Prophetia.*

ASSERO, contra Abulensem *in cap.* 15. *Numer.* 64
quæstione 64. cum omnibus Scholasticis, *distinct.* 14. Christum habuisse donum Prophetiæ.

PROBATVR à D. Bonau. *ad* 4. *Ioan.* ex illo Samaritanæ effato: *Domine, vt video, Propheta es tu.* Tunc sic: Prophetia est occultorum remotorum reuelatio ex D. Gregor. *homilia* 1. *in Ezech.* sed Christus hîc reuelauit talia occulta: Ergo. Hinc Samaritana deduxit, eum esse Prophetam, vt ait D. Chryso- 65
stomus.

PROBATVR secundò à S. Bonau. ad 7. Lucæ ex illo: *Propheta magnus surrexit in nobis,* & addit id Deuter. 8. *Prophetam suscitabit Dominus de fratribus vestris, &c. Sicut me, &c.* Vbi Moyses prædicit Christum. Hinc omnes PP. concedunt, Christum fuisse Prophetam, vt notat Suarez *disp.* 21. *sect.* 1.

PROBATVR tertiò à S. Doctore ex illo Lucæ 13. *Non capit Prophetam perire extra Hierusalem.* Vbi obseruat S. Doctor, Christum per Antonomasiam se- 66
ipsum vocasse Prophetam, iuxta id *Deuter.* 18. & *Luca* 7. suprà. Ex quo soluitur oppositio Tostati, qui inferebat, Ioannem fore supra Christum, quia erat plusquam Propheta.

RESPONDETVR enim, dici plusquam alios veteres; Christum verò antonomasticè dici super omnes.

NEQVE verò ad rationem prophetiæ necessaria 67
est obscuritas in eis; licèt enim obscurè loquerentur, tamen id erat, tum ne altissima panderent, tum propter audientium indignitatem, vt notat S. Doctor *ad Psal.* 98. & post eum Vasquez *ad art.* 8. *quæst.* 7. *D. Thom.* Caspens. *disp.* 5. *sect.* 7. cum D. Thom. *q.* 7. *art.* 8. *ad* 1. Hinc *Numer.* 12. dicitur de Moyse: *Ore enim loquar ei, non per ænigmata, &c.* & tamen *Deuteronom.* 18. seipsum nominat Prophetam, vt vidimus.

QVOD igitur Tostatus ait, dictum esse Prophetam ex opinione sola vulgi, falsum conuincitur, quia ipse IESVS se talem vocat, vt ait S. Doctor, & ex eo Vulpes *disp.* 29. *art.* 7.

DISPVTATIO XIII.

DE GRATIA CHRISTI CAPITIS.



NTER cæteros Christi titulos, in ordine ad hominum salutem deductos, principem obtinet locum, quod sit ECCLESIÆ CAPVT; & hoc dupliciter, vt notat Seraphicus Doctor *Sermon.* 1. *Hexaem.* meritoriè scilicet, & effectiuè; meretur in Christo Gratiam Humanitas; illam efficit Diuinitas; Verùm ex his vnitis resultat supereminens illud Capitis insigne, vnde in nos deriuatur omnis deuotionis sensus, dirigitur omnis sanctæ operationis modus, fluuntque omnia gratiarum charismata, vt ait *loco citato* S. Doctor; in illis enim tribus præcipuè Capitis officium discernitur, vt foris dirigat, intus influat, & spiritus per totum corpus diffundat. Hinc etiam in ipsum Christum plura honorum stemmata, & bonorum tituli congeruntur, vt docet D. Bonauentura, *sermon.* 12. vbi suprà: Est enim Christus propter dignitatem Capitis Gubernator actuum, Doctor intellectuum, Iudex meritorum; Lux manifestissimè declarans, Dux prouidissimè gubernans, Ius rectissimè præmians: Hæc tamen intelliguntur, modo Capiti sint vnita, non enim aliàs inde vita deriuatur; Nam licèt in Christo Capite, etiam à corpore suo Mystico separato, vigeat omnis vita, & gratia (per quod liquidè à Capite Physico distinguitur, in quo iam à membris diuiso deficit omnis sensus) illa tamen vita nobis non vegetat, nisi ei vt conformamur naturâ, ita reformemur gratiâ: Verùm cùm hæc quæstio de CHRISTO CAPITE non solùm controuertibilis est respectu hominum, sed etiam Angelorum, illam ordine solito prosequemur.

QVÆSTIO I.

An Christus sit Caput ECCLESIÆ.

{ D. Bonau. dist. 13. art. 2. quæst. 3.
D. Thom. art. 1.

1 QVÆSTIO est, an Christus homo, seu secundùm humanitatem habeat hoc priuilegium.

METAPHORA sumptâ ex corpore Humano, solet Ecclesia sæpè anotomasticè describi, in quo Christus CAPVT acclamatur, quippè cùm in eo omnes sensus sint, tactus verò ad alia membra deriuetur, & motus, veluti per neruos meritorum.

PLVRIBVS sanè metaphoris influxus iste solet à DD. præcipuè à Seraphico describi, quas septem recenset Nazarius *ad art.* 1. *quæst.* 8. *D. Thomæ.*

2 PRIMA est Radicis, Isaiæ 11. *Radix Iesse, qui stat in signum populorum*: Sicut enim radix est origo vitæ arboris, diffundens humorem vitalem: Ità Christus ad nos, vt ait D. Bonauentura infrà citandus, & sicut inuisibiliter id fit in arbore, ita & hic. Prætereà non ob id tollitur Christi eminentia, eò quòd radici infimæ comparetur; nam quod est radix arbori, hoc est caput capillatum radicibus, veluti quibusdam circumquaque, vnde dicitur arbor inuersa, quamvis radix aliquid sonet magis incompletum, quàm caput, vt docet S. Bonau. 2. *dist.* 42. *dub.* 4.

3 SECVNDA est vitis, Ioan. 15. *Ego sum vitis: vos palmites*, sicut enim vitis habet vitam in se, eamque ad palmites extendit; ita & Christus: Id latè prosequitur S. Doctor *distinct.* 13. *artic.* 2. *quæst.* 5.

corpore,

corpore, & ad eum locum Ioannis cum D. Augustino, & aliis PP. vbi ex D. Chrysostomo *homil.* 15 *in Ioan.* refert: *In radice ergo manere, facit arborem fructificare palmites. In Filio ergo Dei manet per amorem fidelis, sicut palmes in vite, sicut planta in radice, sicut radius in sole, sicut flumen in fonte suo manans.*

4 Tertia est Solis, & Lucis, quam prosequitur S. Bonauentura *ad* 8. *Ioan.* ad ea verba: *Ego sum Lux mundi.* & in collatione, quæ est 41. & luculentius *serm.* 1. *Hexaëmer.* vbi Solem obseruat positum in medio firmamenti, vt lumen, & virtutem nonmodò sublunaribus, sed etiam omnibus cœlis, & astris communicet. Sic autem Zodiacum percurrens, Ver, Ætatem, Autumnum, & Hyemem adducit, generationes causat, &c. Ipsum obsecro vide, quem transcribere nolo, vt eum adeas.

Qvarta Metaphora est cordis, à quo sanguis omnis effluit, & ad eum circulationibus continuis, nouiter ab Anatomicis descriptis, refluit. Inde spiritus, inde vita: Sic & à Christo Sanguis pretiosissimus effundit merita, & gratias, quæ circulatione ad ipsius gloriam referuntur: Stat autem Cor in medio animalis, sicut Sol in medio cœli, vt vndequaque influat. Vide Seraphicum ibi.

5 Qvinta Metaphora est fundamenti domus, & habetur 1. *Corinth.* 3. vt notat D. Bonau. dist. 13. art. 2. q. 1. ad 3. *Fundamentū aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Hanc metaphoram habet S. Doctor *ad Psal.* 117. ad ea verba: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, &c.* Latius verò ad ea verba Lucæ 20. *Lapidem, quem reprobauerunt, &c.* vbi ad id adducit id Iob. 38. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Quis dimisit lapidem angularem?* Et id Isaïæ 28. *Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem probatum, &c.* Id Ephes. 2. *Ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum Sanctum Domino.* Ipsum vide.

6 Sexta Metaphora est Sponsi, & Sponsæ; nam vt ait Apostolus Ephes. 5. *Vir est caput mulieris: sicut Christus caput Ecclesiæ,* ob id air: *Propter hoc relinquet homo Patrem, &c. Sacramentum hoc magnum est, hoc autem dico in Christo, & in Ecclesia;* vt prosequitur S. Bonauentura, *in* 4. *dist.* 16. *art.* 2. *quæst.* 1.

Vltima est Capitis, quæ in Scriptura est frequentior, & est fidei veritas.

Assero, Christum esse Caput Ecclesiæ.

Probatvr à S. Doctore *dist.* 13. *quæst.* 1. ex cap. primo ad Ephes. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.*

Idem probat ex cap. primo ad Coloss. *Ipse est ca-*
7 *put corporis Ecclesiæ.*

Similiter probat ex PP. D. August. Chrysostomo, & aliis *locis citatis.*

Hoc asserunt Scholastici *dist.* 13. *tertij sentent.* & cum D. Thom. 3. *p. quæst.* 8. & S. Doctore suprà.

Probatvr verò à S. Doctore *locis adductis*, & 4. *parte Breuil.* c. 5. quia sicut caput est pars suprema, & eiusdem rationis cum corpore, influens in omnia membra sensum, & motum; ita etiam se habet Christus homo ad nos. Quæ autem influat, & quomodo; videbimus infrà.

8 Advertit autem S. Doctor cum D. Thoma; posse etiam Christum dici Cor, quippè cor est vniuersalior causa influens vitam; attamen rectè potius dici Caput, primò quia influentia capitis est manifestior; & quia à capite sunt sensus, & sensationes per neruos anteriores, quæ cognitionem significant; sunt etiam motus per neruos dorsalis medullæ posteriores, qui affectum exprimunt, qui extra mouentur in obiectum: Ita & Christus influit cogitationes, & affectiones sanctas manifestè. Vnde nomen cordis potius Spiritui sancto adtribitur, qui occultè influit vitam. Metaphora autem ad explicandas res spirituales debet a notioribus sumi, sic igitur sumitur à capite, quod est specula præ toto corpore prominens, influit, &c. Hic verò indicat etiam quæstionem inter Medicos, & Philosophos; vtrum Cor, an Caput sit præcipium principium influxuum in corpus, quæ sanè quæstio parum refert ad nostrum institutum, vt notat Vasquez *disp.* 48. *cap.* 1. & satis acta est *p. p. tract.* 8. *de Anatomia.*

Hinc deducit Suarez, primò cum D. Bonauen- 9
tura *quæst.* 3. *ad* 1. tametsi caput influat solum in membra viua; at Christum posse in mortua, recisa, eaque sibi vnire, viuificare, &c. Ita in impios, & in abortiuos influere, vt dixi *p. p. tract.* 1. *disput.* 22. *quæst.* 5. & 6.

Secvndò elicit cum S. Doct. *ad* 5. eum influxisse etiam in antiquos. Modos afferunt Salaz. *de concept. Virg.* c. 24 §. 12. n. 151. Lugo *disp.* 27. *sect.* 3. Valent. 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 8. Vasq. Suarez, & alij, qui obscuri sunt, & difficiles: Modus S. Doctoris *ad* 5. clarus est, Christum non esse caput Physicum, quod in partes solas existentes agit, sed mysticum, cui membra in fide vniuntur, quæ in Dei præscientia ex decreto, ac promissione per fidem reuelata bona potuere accipere, quæ Christus erat soluturus, & soluit pro omnibus abundanti solutione, quam inito pacto decreuerat ad salutem totius humani generis: Id innuit etiam D. Th. *q.* 8. *art.* 3. & ibi Suarez & *disp.* 10. *sect.* 6. ad finem. Vide D. Bonau. *ad* 6. vbi addit quærens: cur non propterea illud dicatur tempus gratiæ?

Tandem elicit, Christum influere bona gratia- 10
rum, & gloriæ etiam in corpora; Ideò ad *Philip.* 3. ait Apostolus: *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, quam autem gloriam nobis meruit, dicam *disp.* 41. *quæst.* 9.

ꟹꟹꟹꟹꟹꟹꟹꟹ*†*ꟹꟹꟹꟹꟹꟹꟹꟹ

QVÆSTIO II.

An Christvs *sit Caput etiam Angelorum.*

{D.Thom. art. 4.

Altisiodorensis *lib.* 3. *tractat.* 1. *cap.* 4. 11
quæstione 2. Gabriel. *in* 3. *distinct.* 13. *art.* 3. *dub.* 2. Driedo *tractat.* 2. *de captiuitate, capite* 2. *parte* 3. *art.* 4. *fol.* 5. Soto *in* 4. *distinct.* 43. *quæstione* 4. *art.* 2. videntur negare, Christum secundùm naturam humanam esse caput angelorum, sed tantùm hominum: Citatur S. Doctor *q.* 3. allata, *ad* 3. à Vasquez.

Secvnda sententia est D. Thomæ *quæst.* 8. passim, Alensis 3 *parte*, *quæst.* 12. *membr.* 2. *art.* 1. Richardi *d.* 13. *art* 2. *q* 3. Palud. *q.* 1. *art.* 3. Durandi *q.* 2. Turrecrem. *lib.* 1. *summa Eccl. cap* 45. Vasquez *d.* 48. *cap.* 2. hi concedunt esse Caput hominum, & angelorum; negant tamen esse caput aliarum creaturarum. Citatur à Suarez etiam S. Bonauentura.

Tertia sententia astruit Christum esse caput 12
hominum, & Angelorum immediatè; cæterarum verò creaturarum, quatenus sunt propter nos

factæ. Ità Vulp. *diſp.* 30. *art.* 2. adducens Scot. *diſt.* 32. Caiet. *q.* 1. *art.* 1. Galatin. *lib.* 7. *de arcan. cap.* 2. Catharin. *de Chriſti præd.* & quoad homines, & Angelos eſſe dogma fidei, ait Vulpes *art.* 3. *&* 4. quippè influat ſalutem.

SENTENTIAM igitur D. Bonauenturæ ſinceram
13 promo. Is *in corpore* aſſerit apertè, Chriſtum diffundere gratiam capitis ad omnes ciues ſupernæ Hieruſalem, atque adeò communicare motum, & ſenſum, etiam angelis; non quidem primum motum, & ſenſum eſſentialem gratiæ, vt patet legenti.

IN reſponſione verò *ad* 3. ex qua Vaſquez trahit Seraphicum in primam ſententiam, negat tantùm Chriſtum eſſe ita propriè caput Angelorum, ſicuti eſt hominum; eò quòd non eſt eiuſdem naturæ, non id tamen eſſe intrinſecum capiti ponit; nam ſubdit, Chriſtum, quoad diuinitatem, eſſe caput Angelorum, & hominum, cùm tamen Angeli magis diuerſi ſint à Chriſto, vt Deo, quàm vt homine: Negat igitur Angelis influentiam primam gratiæ eſſentialis ad ſalutem, ſecundùm quam magis propriè eſt caput hominum. Quare S. Doctor eſt in ſe-
14 cunda opinione cum Suarez: Imò Valentia *diſp.* 1.
quæſt. 8. *punct.* 3. idem cenſet de Altiſiodor. & cæteris omnibus, pro prima ſentententia allegatis, qui non negant abſolutè, Chriſtum eſſe Angelorum caput ſecundùm analogias quaſdam. Primò quia influit certè in eos aliquam cognitionem myſteriorum, vt ait D. Dionyſius *cap.* 7. *Cæleſtis hierarchiæ*: Secundò quia monet illos imperio ad ſalutem hominum procurandam ſuo miniſterio: Tertiò quia antecellit eos omnes gratiæ perfectione, vt docet etiam D. Bonauentura *loco cit.* ſed dicunt, eum, vt hominem non eſſe Angelorum caput ſecundùm certam quandam analogiam naturalis capitis ad ſua membra, ſcilicet ſecundùm naturæ conformitatem, ſeu conuenientiam, quod verum eſt, & à S. Doctore ſic expoſitum.

15 ASSERO primò, Chriſtum hominem eſſe Caput Angelorum.

PROBATVR primò à S. Bonauentura *diſt.* 13. *quæſt. vlt. in fundamentis.* Ex primo ad Epheſ. vbi ait Apoſtolus: *Propoſuit omnia inſtaurare in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terris.* Vbi Gloſſa: *Quæ in cœlis, ideſt, numerum Angelorum implere: & quæ in terris, ideſt, homines.*

PROBATVR ſecundò à S. Doctore *ex eodem cap.* in fine, vbi ait: *Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, &*
16 *Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non*
ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. Hoc autem exponunt D. Hieron. *ibi,* D. Auguſt. *cap.* 56. *Enchir.* Chriſtum eſſe conſtitutum Caput ſuper vniuerſalem Eccleſiam ex Angelis, & hominibus conſtantem. Hinc colligunt Recentiores, hanc aſſertionem eſſe dogma fidei.

RESPONDET Vaſquez *num.* 13. hinc non habere efficax argumentum; nam per omnem Eccleſiam intelligit omnem Eccleſiam, ideſt, fideles omnes, & adducit Theodoretum, ſibi, vt putat, ſuffragantem.

17 AT is includit ſanè omnes homines fideles; ſed
particulâ *omnem* extendit ad omnes, qui Deum confitentur, etiam Angelos: Nota verò, non poſſe dici *omnis* ad exprimendum vnum è multis, ſic non dicitur omne corpus hoc meum; ſed totum, dicitur verò de multis diſtinctis, vt omne corpus animatum: Iam verò Apoſtolus vrgebat, vnum corpus eſſe Eccleſiam hominum; diſtinxerat autem Eccleſiam Hominum, & Angelorum: Ità explicat nomine *omnem*, militantem, & triumphantem, vt exponit Lyra, & indicat Interlinearis.

ADDO Chryſoſtomum, quo Vaſquez abutitur; nam ex eo quod, ſuper omnia membra eſt caput, infert, Apoſtolum arguere, quòd Chriſtus eſt ſuper Angelos; quod eſſet inane, ſi ſolùm Eccleſiæ hominum eſſet caput, ait verò: *Quid eſt ſuper omnia viſibilia, & intelligibilia; aut ſuper omnia bona hoc ipſum euexit, quod enim filius datur in caput, nec Angelum, nec Archangelum; nec alium quemquam ſuperiorem eſſe relinquit.* Pergit verò oſtendere, ſolùm principatum non facere, vt ſit caput, & ſubdit: *Complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.* Hic habetur aſteriſcus, quia deeſt expoſitio; certò ſupradictorum; Chriſtum ſcilicet eſſe caput omnium, quos perficit, nempè ſupra relatos Angelos.

ADDIT ſecundò Vaſquez ex Chryſoſtomo, & 18
Theophylact. in eum locum, & Elia Cretenſi in Apologeticam primam orationem Nazianzeni, non legi *ſuper omnem Eccleſiam*, ſed, ſuper omnia Eccleſiæ: Enim verò *per omnia* intelligunt etiam Angelos, vt ſuprà vidimus.

PROBATVR ſecundò à D. Bonau. *locis adductis*, quia Chriſtus multa bona influit in angelos, ſpectantia ad gratiam, & gloriam, vt dixit etiam Valentia.

ASSERO ſecundò, probabilius eſſe, Chriſtum hominem non eſſe caput irrationabilium.

PROBATVR, quia licèt hæc ei ſubiecta ſint, non recipiunt eſſe, vel conſeruationem à meritis Chriſti,
non enim Chriſtus mortuus eſt, vt Sol circumeat 19
Zodiacum, vel Leo prædetur, multo minus recipiunt bona gratiæ, quorum non ſunt capacia.

QVÆSTIO III.

Vtra ſit gratia Capitis in CHRISTO; *num Gratia Habitualis, an Vnionis.*

D. Bonauent. diſt. 13. art. 2. qu. 1. & 2.
D. Thom. ali. 3.

PRIMA opinio eſt, hanc eſſe gratiam habitualem ſolam, quæ provt ſanctificat animam Chriſti, & eſt principium operandi, dicitur *gratia perſonalis*; provt verò fuit principium ſanctificandi alios, dicitur *gratia Capitis.* Ita D. Thom. *quæſt.* 8. *art.* 5. Caietanus, Nazarius ibi, & plurimi Theologi *in* 3. *diſt.* 13. inter quos à Suarez *diſp.* 23 *ſect.* 2. Vaſquez *diſp.* 49. *c.* 3. recenſentur etiam D. Bonauent. *art.* 2. *quæſt.* 2. Richard. *art.* 3. *q.* 2. Gabr. *art.* 3. Almain. *q.* 1. Marſil *q.* 10. *art.* 1. *dub.* 3. Palud. eadem *diſt.* 13. *art.* 1. *q.* 4. Durand. *q.* 2. Alenſ. 3. *p. q.* 11. *mem.* 3. ſequitur Maſtr. *diſp.* 2. *n.* 46. Faber *diſp.* 28. ad Scoti mentem.

ADDIT Vaſquez, Alenſem, Bonauenturam, Richardum, & Marſilium eandem gratiam habitualem vocare *Gratiam vnionis*, non quod illa ſit ipſamet vnio, ſed quia fuerit diſpoſitio ad vnionem.

SECVNDA opinio eſt, principalem gratiam capitis 20
eſſe gratiam Vnionis; habitualem verò minus principalem: Ita Suarez *cit.* Lugo *diſp.* 17. Vaſquez *cit.*, vbi miratur, Theologos primos nunquam meminiſſe gratiæ vnionis, cùm de gratia capitis diſputant, ſed mirum eſt, eum id aſſerere de S. Doctore, vt dicam.

TERTIA opinio eſt Scoti *d.* 3. *q.* 4. *d.* 1. Vulp. *d.* 30. *art.* 5. ſolam gratiam vnionis eſſe gratiam capitis.

SENTEN

SENTENTIA D. Bonauenturæ habetur hîc, &
21 quidem *quæst. prima* sustinet, eam esse gratiam creatam: in altera verò persistit, gratiam capitis esse ab vnione hypostatica, & ea eo Christum constitui Caput, quo humanitas est Verbo vnita. Idem habet S.Thom. *art. 6.* Vnde colligit pro se Caspensis *disp. 5. sect. 9.* ex mente D.Thom. Gratiam capitis haberi ab vnione, non à gratia habituali.

DISTINGVIT autem io Christo gratiam singularis personæ à gratia Capitis: Dicit ergo, gratiam singularis personæ propriè esse habitum, secundùm quem anima Christi est grata Deo: Gratiam verò capitis esse gratiam vnionis, quæ tripliciter sumitur: Primò efficienter, & est Deus efficiens vnionem, & appropriatur Spiritui sancto: Secundò dispositiuè, & dicitur gratia habitualis, prout disponit ad vnionem, & consequenter ad influentiam motus, & sensus per modum meriti: Tertiò formaliter, & est ipsa vnio hypostatica, & gratuita præsidentia, quàm Deus gratis fecit, dum Verbum suum dedit, vt caput membris: Omnibus his modis (ait S. Bonauentura) in diuersis Sanctorum authoritatibus, & glossis inuenimus gratiam capitis accipi: Homo enim ille eo ipso est caput aliorum hominum, quo est Verbo Dei vnitus. Hæc S.Doctor.

22 ALIJ verò, etiam gratiam habitualem dici Gratiam Capitis; quæ, vt sanctificat animam Christi, est gratia singularis personæ; prout verò cooperatur ad influentiam in membra, dicitur gratia capitis: En constat, Seraphicum meminisse gratiæ vnionis, eamque gratiam vocasse. Hoc verò magis patebit argumentis illius.

ASSERO primò, Gratiam capitis in Christo esse quid creatum.

PROBATVR à D.Bonauentura primò, quia quod incepit esse, est creatum: Talis est gratia capitis in Christo, vt dicitur Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.*

SECVNDÒ, quia inest Christo homini, vt est conformis membris: Ergo est creata.

23 TERTIÒ, quia gratia capitis est, de cuius plenitudine accepimus: sed hæc est creata: Ergo.

PROBATVR etiam *in corpore*. Illa est gratia capitis, quæ analogicè sumitur ex capite. Ex hoc autem sumitur triplex analogia, vniuocatio cum membris, principium esse membrorum; & influxus motuum, & sensuum: At vniuocatio cum membris est quid creatum. Similiter influere conuenit meritoriè Christo, vt homo est, qui ità est quid creatum. Influere quidem per modum Physici principij, est à Deitate, Vide S. Bonauenturam.

ASSERO secundò. Gratia capitis est principaliter Gratia Vnionis.

24 PROBATVR *fundamento* 3. à S. Doctore. Ea est gratia capitis, quâ datus est nobis Christus caput: sed Christus datus est nobis in caput per vnionem, vt dicitur Ephes. 1. *Ipsum dedit caput, &c.* Vbi Glossa: *Nullum maius donum præstare posset Deus hominibus, quàm vt Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput esse; Filium Dei, & Filium hominis, vnus Deus cum Patre, vnus homo cum hominibus.*

25 VAT aduerte, gratiam capitis non poni formaliter in dono solo, seu in illa relatione ad Verbum, sed in ipsa Deitate, quatenus est principiũ intrinsecum dignitatis moralis in operibus Christi, ratione vnionis.

PROBATVR secundò. Illa est gratia capitis, quæ est excellens; talis est gratia vnionis: Ergo. Maior probatur à S.Doctore ex S.August. 13. *de Trinitate, cap. 19.* vbi ait: *Gratiam capitis esse summam.* Hæc enim est, quæ est origo iustificationis omnium rationem meriti infiniti, vt notat cum D. Bonauentura, Suarez, & quia influit moraliter sensum, & motum, vt ait Caspensis. Hoc autem principaliter est à gratia vnionis, licèt etiam sit à gratia habituali, vt est principium immediatum operandi.

ASSERO tertiò: Gratia capitis à gratia singularis personæ, siue habituali, siue vnionis differt, non diuersitate gratiæ, sed per comparationes diuersas: quatenus enim perficit naturam humanam Christi, siue substantialiter sustentando, siue accidentaliter dotando, est gratia singularis personæ; at verò, vt redundat in alios, est gratia capitis. 26

PROBATVR à S.Bonauentura prior pars, quòd non sint plures habitus, vel plures gratiæ absolutæ.

PRIMÒ quia, sicut vna est vita naturalis; ita vna est vita gratuita, & sicut vna est scientia, quæ perficit animam, & dat docere alios; ita & hîc, vel (vt ait D.Thomas) eadem est forma, quâ aliquis est actu, & quâ agit, v. g. idem calor ignis. 27

SECVNDÒ probatur eisdem argumentis, quibus ostensum est, gratiam capitis esse gratiam vnionis, & habitualem; per has enim diffudit nobis dona, meruit, &c.

ALTERA verò pars, quòd scilicet differant per comparationes, probatur primò ea Doctorum sententia.

SECVNDÒ, quia, vt est gratia capitis, communicatur aliis, & ita posset cessare influxum in alios. 28

QVÆSTIO IV.

Quid CHRISTVS *influat, vel influxerit in Angelos.*

CVM ad rationem naturalis capitis pertineat virtutem aliquam in membra sua deriuare, & ità in mystico corpore nullus possit esse caput, nisi influat: Christus autem cùm sit caput Angelorum, videre oportet, quid influat. 29

THEOLOGI, quos *disp. 4. quæst. 1.* retuli asserentes, Christum venturum etiam Adam non peccante, asserunt facilè consequenter, Christum fuisse principium gratiæ, & gloriæ ipsis Angelis. Sic aliqui Scotistæ consequenter apud Mastrium *disput. 3. quæst. 15.* vbi Scotistis concessam ait libertatem opinandi problematicam, sed tamen ad hanc inclinat cum Bellutto *disp. 13.* Ponc ius *disp. 38.* Vulp. *disp. 30. art. 4.* dicens, esse fidei dogma.

IN hac sententia sunt Catharinus *lib. 1. de eximia prædestinatione Christi, & de gloria Angelorum.* Viguer. *Instit. cap. 20. §. 1.* Iacobus Valentia *in Ps. 102.* Galatinus *lib. 3. de arcanis, cap. 4.* Naclantus *in cap. 1. ad Ephes.* Medulla Scripturæ *Ætate tertia, c. 2.* Melchior flauius *lib. de regno Christi.* Refertur etiam Albertus *3. dist. 13. art. 2.* D.Thom. *in cap. 1. Ioan.* ea verba: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Hieron. Rua *controu. 8.* Caiet. *q. 6. art. 10. & 11.* Morand. *tom. 1. de Incarn. q. 29.* eam sequuntur Suarez *disp. 42. sect. 1.* Valent. *q. 8. p. 3.* Granado, Tannerus, Pasqualigo *disp. 88.* Morand. *quæst. 29.* Amicus, Hurtadus, Lorca, & alij multi. 30

OPPOSITA tamen sententia negat, Angelis gratiam, & gloriam fuisse datam ex Christi meritis: Ità D.Bonau. *3. dist. 13. art. 2. q. 3. corpore, & ad 3. & 4.* D.Th. *ibi, q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. & de veritate, q. 29. art. 4. ad 5. & art. 7. ad 5. & quæst. 59. art. 8.* Alensis *3. part. q. 12. memb. 3. art. 3. §. 5.* Palud. *dist. 13. quæst.* 31

quæst.5.art.5. Durand. ibidem. Tostatus *quæst.*107. *in cap.*17. *Matthæi*, Driedo *lib. de captiu. tractat.*2. *cap.*2. *p.*3. *art.*5. Almainus 3. *dist.*19. *quæst.*7. Maior *ibidem*, *quæst.*1. Medina *ad art.*5. *quæst.*8. *D.Th. dub.*2. Asturicensis *de gratia Christi*, *quæst.*6. *art.*3. Vasquez *disput.*49. Alvatez *disp.*40. Fauet Caietan. *quæst.*1. *art.* 3. quam probabiliorem censet Nazar. *quæst.*8. *art.*5. *contron.* 2. Caspens. *disput.* 5. *sect.* 9. sequuntur Bannes, Soto, Alvarez, Molina, Becanus *cap.*14. *quæst.*5. Logo *disput.*27. *sect.* 3. Bernal, Aueria, & aliqui Scotistæ, præcipuè Smisingh. *d.*6. Fuliens. *cap.*17. & 19.

Assero cum hac sententia, Angelos non habuisse gratiam, & gloriam ex præuisis Christi meritis.

32 Probatvr primò à Vasquez *num.* 25. ex D. Bonau. *loc.cit. ad* 4. & *dist.*1. *art.*2. *quæst.*1. *fundam. primo*, & *corpore*. Ea, quæ sunt prædestinata post decretom dandi gratiam Angelis, non sont causa illius gratiæ; at prædestinatio Christi foit post decretom dandi gratiam Angelis; nam fuit ex præuisione peccati Adæ, vt ostendi *disputat.*4. *quæstione* 1. ex Scriptura, & Patribus. Illud verò supponit casum dæmonum.

33 Probatvr secundò à S Doctore, *in* 3. *dist.*1. *art.*2. *quæst.*2. *fundamento primo*, & *dist.*2. *quæst.*2. ex Apostolo *ad Hebr.*2. Ex quo loco efficacissimum deduci argumentum, ait Vasqoez post numerum 14. Vbi Apostolos assignat caosam, ob quam Christus Incarnatus est: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes. Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem: vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Confirmatur à Smisingh. *num.* 667. & *cap.*9. vbi Apostolus sola morte, ait, merita confirmata, & affert exemplum testamenti, quod non valet, nisi morte testatoris interueoiente.

34 Igitvr ratio, oh quam voluit fieri homo, & non Angelus, est hæc, quia sanctificare volebat tantum homines, eos saluando: hinc omnes sanctificati à Christo vocantur pueri, & fratres Christi in natura; quod si non esset eos sanctificaturos, non eis participaret in natura, quod in Angelis apparet, qoos non apprehendit.

Respondant aduersarij, Apostolom hîc loqui de solis sanctificatis per redemptionem à peccato, non de omnibus, adeò vt alij sint absqoe redemptiooe sanctificati.

35 Ego verò non admitto, eum loqoi hoc modo; nam dicit: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.* Vbi Græcos: *Decebat enim eum, &c. multos filios in gloriam adducentem.* Vbi Apostolus infert, Christum deboisse esse similem in natura eis, quos in gloriam addoxit, & ideò hominem factum. Ibi enim de excellentia vniuersali Christi agebat; & de his, qui ei gloriam conferebant: Quod si etiam Angeli fuissent sanctificati à Christo, eos non tacuisset.

36 Probatvr secundò à D.Bonauent. *in* 3. *dist.*1. *quæst.*1. *et in corpore*, & *ad* 15. *Lucæ* ex parabola pastoris, qni habebat centum ooes, & cùm vna ex eis per deuia aberrasset, Pastor amore perculsus, relictis nonagiota nouem in montibus, abiit ad quærendam ouem errantem. Nam vt explicant Ambrosius *in Lucam lib.* 7. *capite de oue centesima*, Gregor. *homil.* 34. *in Euangel.* Beda *in Luc.* 17. Anselm. *in Matth.* 18. Theophylact. *in vtrumque locum*, *Matth.*18. & *Luc.*15. vbi eandem parabolam refert; per *pastorem* Christus seipsum expressit, *per* 99. *oues*, nouem Angelorum chotos, qui numero nouenario, & nonagenario computantur, vt notat S. Doctor; hos dicitur reliquisse in cœlo, tanquam in deserto, quod nullos poterat ascendere ad iocolendum, & venisse io terras ad hominem saluandum, qui veloti ouis vna perierat, quia per vnum hominem peccatum, vt notat S. Bonauent. Dicitur autem reliquisse angelos, quia si ouis homo non periisset, neqoaquam Christus de cœlo descendisset, vt ait quædam Glossa apud S. Doctorem: si autem meruisset gratiam etiam Angelis, diceretur iure ac merito Redemptor Angelorum, vt infert Faber *disp.*45. *n.*7. vbi nostram rationem laudat; seu dicam potiùs, Præseruator acclamaretur.

37 Respondant aliqui, hinc potiùs deduci, Angelos sanctificatos per Christum; nam vocantur oues illius; ooes autem Christi dicontur *Ioan.* 10. Qui pascua gratiæ à Christo accipiunt.

Hæc tamen responsio non refert; nam Christus indocitur pastor in cœlo, vt Deus; at verò pro Homine descendisse, ac humana natura assumpta, dicitor operatus meritoriè, & hoc sensu fuit Pastor solius hominis.

38 Probatvr tertiò ratione à S.Doctore *loc.cit. in* 3. *dist.*1. *art.*2. *q.*1. *fundam.* 1. & *ad* 4. Si Christus Angelus promeruisset gratiam, & gloriam, id fecisset suo sangoine, suâ morte eos redimendo; nam ex communi Theologorum consensu meritum Christi morte consummatum est, & ex ea efficaciam obtinuit, & vt Redemptor tantùm venit, vt dixi cum Apostolo *Hebr.* 9. at Christus pro Angelis non est mortuus, nec redemit eos; nam de hoc neque Scriptura, neqne PP. aliquid innuunt, & cum pendeat à Dei libera voluntate, temerè gratis asseritur: Imò aliqui PP. negant Christom mortoum pro Angelis, Bernard. *serm. fer.*4. *hebd. Sanctæ*, D.Aug. *in Enchir. cap.*61. Anselm. *in cap.*1. *ad Ephes.* Gregor. *lib.*28. *Moral. cap.*6. sic arguit etiam Vasqoez *num.*31.

Respondant aliqui, Christum aliis bonis operibus meruisse Angelis gratiam, sic Poncios.

39 At gratis cootra commonem PP. & TT. sensum astruitur, qoi morti Christi meritum completum adscribunt: Debuerant enim ea merita esse futura, vt efficaciter operarentur; at omoia fuere sub carne passibili, vt aduertit Mastrius *num.* 490. post Angelorum prædestinatam salutem.

Obiicivnt primò ex 1. ad Ephes. *Proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso*: Ergo etiam Angelis in cœlis data est redemptio.

Respondent D.Bonau. *dist.*13. *art.*2. *q.*3. *fundamento primo*, & *ad* 3. cum D.Augustin. *in Enchir. cap.* 61. & 62. D. Thoma, & Anselmo ibi, omnia fuisse per Christum instaurata siue Angelos, siue Homines; eò quòd per redemptionem, & conuersionem hominum impletur numerus diminutus Angelorum.

40 Addit S.Bonau. cum D.Anselmo, etiam angelos instaoratos, dum ampliora dona receperunt tom reuelationum, tum etiam gaudiorum accidentalium è saluatione hominum.

Obiicivnt secundò. Coloss.1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.*

Respon

RESPONDET S. Doctor *in Prologo tertij sent.* sanguine Christi extinctas esse inimicitias inter Deum, & homines, qui à Diuina iustitia ministerio Angelorum impetebantur. Ita exponunt Chrysostomus *homil. 3. in eam epistolam*, August. *in Enchir. cap. 63. & 64.* Theophylactus, Beda, Theodoretus in eum locum, & Recentiores ibi.

41 OBIICIVNT tertiò Hebr. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.* Qui autem esse possunt adducti iam in gloriam, cum Christus est consummatus, nisi Angeli?

RESPONDETVR primò, ex Græco habere tempus præsens *adducentem*, vt dixi suprà. Deinde significat: *Decebat eum, per quem omnia*, idest, Deum consummare Christum, vt sanctificaret homines, quos adduxerat decreto. Ita Anselmus, D. Thomas, & Adamus.

42 OBIICIVNT quartò ad Hebr. 2. *Vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem*, idest, vt pro omnibus gratia per mortem Christi propinaretur.

RESPONDETVR, per *omnes* intelligi solos homines, quibus vniuocus factus est Christus.

OBIICIVNT quintò *Apoc. 12.* descripto prælio Angelorum Sanctorum cum dæmonibus, subdit: *Et ipsi vicerunt propter sanguinem Agni.* Ergo vicerunt tentationes sanguine Christi.

RESPONDET D. Bonau. *de Eccl. Hierarch. part. 4. cap. 4.* ibi describi prælium iustorum hominum cum dæmonibus, & eorum ministris.

OBIICIVNT sextò Ioan. 14. *Ego sum via; nemo venit ad Patrem, nisi per me:* ergo etiam Angeli per Christum ad Patrem vocati, venerunt.

RESPONDET D. Bonau. ad citatum locum, eum loqui de hominibus, ideò subdit: *Si cognouissetis me, &c.*

43 OBIICIVNT septimò Ioan. 17. *Hæc est vita æterna: vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum.* Eadem autem est vita æterna etiam Angelorum.

RESPONDETVR ex D. Bonau. ibi loqui de hominibus, nam ante dixit: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam*, per omnem carnem intelligit omnes homines, secundùm D. August. *tract. 105. in Ioan.* vt notat D. Bonau. ibi, ad hominum enim tantum beatitudinem Christus venit: Subdit verò quæ sit vita æterna, quam venit Christus comparare hominibus.

44 OBIICIVNT octauò SS. PP. D. Hieronymum *ad Ephes. 1.* vbi habet: *Potest responderi, quod absque peccato nullus sit* (nempe Angelus) *& sydera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paueat Creatoris aduentum; vnde Crux Saluatoris non solùm ea, quæ in terra, sed ea etiam, quæ in cælis erant, purgasse perhibetur.*

VASQVEZ *cap. 5.* respondet, his verbis contineri errorem in fide, nempe Angelos virtute passionis Christi purgatos à peccatis. Hunc errorem ab Origene deriuatum videbis *homil. 1 in Leuit. & homil. 9. in Lucam.* Magis autem *Tom. 1 in Ioan.* ad ea verba: *In principio erat Verbum.*

ENIM verò subdit Vasquez, D. Hieronymum, non proprio sensu, sed ex Origenis, vel Apollinaris, aut Didymi sententiâ id transcribere.

EQVIDEM non video cur Doctor Maximus in Catholicum sensum explicari nequeat. Ibi enim quærit, quomodo omnia cœlestia Christo subdantur. Et respondet allatis verbis; omnia aliqua imperfectione scatere, non quidem culpæ, sed naturæ, vel operationis; nam & sydera non sunt munda in conspectu eius, & omnis creatura pauet coram Creatore infinitè perfecto. Vnde Crux Christi omnia cœlestia purgauerit, merendo illuminationes, cognitiones, purgationes ab ignorantia, etiam in Angelis: imò vox illa *perhibetur*, aliorum potius opiniones etiam fabulosas indicat, nam cùm dicis (vt perhibent) indicas dictum qualecumque. 45

ADDVCVNT etiam D. Gregorium *in primum Reg. cap. 2. & homil. 14. in Ezechielem.* 46

RESPONDETVR, loqui de solis hominibus in priori illo loco, & cum Filium Dei, iustificantem Angelos, refert; loquitur de Filio Dei, vt Deus est. In altero verò loco dicit, Filium Dei, qui sursum, idest, vt Deus, erat firmitas Angelorum, factum esse redemptorem hominum in Incarnatione.

ADDVCVNT etiam Fulgentium *lib. 2. ad Trasimundum, cap. 3.* vbi eandem gratiam hominibus, & Angelis necessariam fuisse ait. 47

RESPONDETVR, hoc ita esse, tametsi ex meritis Christi data sit solis hominibus: erat autem eadem virtute, & genere supernaturali contra id, quod Pelagius dicebat.

ADDVCVNT etiam D. Cyrillum *lib. 5. in Isaiam*, ad ea verba, cap. 54. *Lætare sterilis*, vbi ait: *Per ipsum* (idest Christum) *omnis fructificatio spiritualis, tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis insita est.* Adde aliud effatum *lib. 9. de adoratione*, vbi astruit, etiam Angelos de plenitudine eius accepisse.

RESPONDETVR, asseri, Christum vt Deum respectu Angelorum esse iustificatorem: hominum verò vt hominem. Et eodem modo loquitur D. Bernardus *sermone 22. in Cant.*

HÆ responsiones habentur è D. Bonau. *ad primum Ioan.* ad ea verba: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Deinde *in 3. dist. 13. art. 2. q. 2.* vbi Christum, ait, secundùm diuinitatem effectiuè dedisse gratiam hominibus, & Angelis; meritoriè verò, vt homo est, solis hominibus. Et ob id proprium est Christi esse Caput Ecclesiæ, quia solus potest intrinsecè influere gratiam efficaciter, & meritoriè. 48

OBIICIVNT nonò. Quod est maioris gloriæ Christo, debet ei astrui: Maioris autem gloriæ est communicasse gratiam etiam Angelis, imò id Christo debetur, quatenus est caput Angelorum, vt dixi *quæst. 2.* 49

RESPONDETVR ex D. Bonau. *in 3. dist. 1. art. 2. quæst. 1.* gloriam Christo maximam acclamari, dum propter nostram salutem, non autem ob Angelos venisse asserimus. Et hoc in Scriptura habere fundamentum. Quòd verò ad rationem capitis non sit hoc necessarium, vidimus cum D. Bonauentura *quæst. 2.*

OBIICIVNT decimò. Angeli in via habuerunt fidem Christi venturi: Ergo in ea iustificati sunt. 50

RESPONDET Vasquez, eam habuisse non ex meritis Christi, sicut etiam de Adamo adhuc innocente arbitratur.

DISPVTATIO XIV.

DE SCIENTIA ANIMÆ CHRISTI.

INTELLECTVM creatum in Christo probat humanæ naturæ veritas; hæc enim absque anima rationali nequit consistere; nec anima absque intellectu, vt ex se patet. Intellectus item, cùm sit sedes Scientiæ, eam possidere exigit, & præsertim in Christo, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Verùm cùm ex rerum scibilium multiplicitate, quarum aliæ aliis sunt scitu difficiliores, nascatur ea scientiarum diuersitas, vt nonnullæ humanæ mentis capacitatem transcendere, quædam verò è contra supereminentem Christi intellectum subterfugere videantur; in difficultatem non modicam impingimus, dum quærimus, num omnium omninò scibilium in Christo fuerit scientia? Seraphicus quidem Doctor, multiplicis Christi scientiæ propugnator acerrimus, in ipso *serm.* 3. *Hexaëmer.* triplicem discriminat sapientiam, æternam, innatam, & infusam; & per hanc vltimam, eum gloriosa, & infinita docet comprehendere; per primam verò possibilia cuncta Christo fuisse scitè cognita nullus dubitat, si ipsum, vt Deum, considerare libeat, vt probatum est *prima primæ*, *tract.* 1. *vbi de Scientia Dei.* Quare tota difficultas restat de scientia Christi hominis, quam quo sensu possibilia, vel infinita attigerit obiecta, è mente S. Doctoris, contra non paucos ipsius impugnatores, paulò latiùs infrà propugnabimus.

QVÆSTIO I.

An fuerit in CHRISTO *scientia creata actualis.*

D. Bonau. dist. 14. art. 1. q. 1. & art. 3. q. 1.
D. Thom. q. 9. art. 1.

1 QVÆSTIO potest esse & de actu, & de habitu creato scientifico, vt notant alij cum D. Bonauentura; nunc de actuali agam, postea verò de habitibus distinctis.

ASSERO primò, animam Christi habuisse actualem scientiam creatam, seu actum scientiæ creatæ.

PROBATVR primò à S. Doctore *quæstione* 1. *fundamento primo.* Id, quod est de perfectione animæ Christi, formaliter fuit in eo; at cognitio est huiusmodi: Ergo. Maior probatur ex sexta Synodo Generali: nam Agatho Papa *in epistola Synodali*, quæ est *act.* 5. & approbatur in Octaua, definit, in Christo esse omnia duplicia, quæ ad naturas eius pertinent, & esse vnamquamque naturam cum proprietatibus naturalibus. Idem definitur in Concilio Chalcedonensi *act.* 5. & in Concilio V. Constantinopolitano *collatione octaua*, *can.* 7. & ex epistola Sophronij, quæ est in sexta Synodo *act.* 11.
& approbatur *act.* 13. Minor etiam definita est in 2
sexta Synodo, & aliis Conciliis, quæ statuunt, in Christo esse duas operationes, Diuinam, & humanam, perfectas. Inter has autem est intellectio. Confirmatur ratione D. Thomæ, quia potentia est propter operationem, & hanc rationem innuere voluit S. Bonau. *quæstione prima citata*, *in corpore*, dum ex eo, quod Christus habuit animam perfectam creatam, arguit, eum habuisse etiam actum creatum cognitionis; & in primo fundamento, vbi idem colligit.

ASSERO secundò. Anima Christi nihil sine Deum, siue creaturas intellexit per scientiam increatam. Hæc est sententia communis Theologorum, D. Thom. *hic*, & *in* 3. *dist.* 14. Caietani, aliorumque Thomistarum, cum D. Bonauentura 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. & colligitur ex Agathone Papa dictâ epistolâ. Ideò oppositum est damnatum, vt ait Salas *p.* 2. *tract.* 2. *disput.* 2. *sect.* 1. Lugo *disp.* 18.

Ratio propria à priori huius aſſertionis, vt notat Suarez, *diſput.* 24. *ſect.* 2. eſt ea, quæ habetur à D. Bonauentura *in primo fundamento, & corpore, quæſt.* 1. quia actus intelligendi intellectus creati eſſentialiter dicit duplicem reſpectum ad intellectum, quem conſtituit intelligentem, ratione cuius repugnat actui increato, vt per ſeipſum conſtituat intellectum actu intelligentem.

4 Primus reſpectus eſt actionis, enim verò quia intelligere eſt actus vitæ, oportet vt ſit actio intelligentis; nam actualis vita conſiſtit in actione. Alius reſpectus eſt formæ, eſt enim intellectio actus formalis intelligentis, cùm ſit actus ſecundus, & immanens; & ideò per formalem vnionem ſui ad intellectum conſtituit illum intelligentem, & hoc debet fieri in creatura per informationem propriam; ſicuti è contra, in Deo eſt per identificationem cum Deo. Quia ergo intellectio increata, nec fieri poteſt ipſe intellectus creatus, neque ab illo effici, neque eum informare, ideò per ſe ipſam non poteſt conſtituere illum actu intelligentem. Sequitur Lugo *diſput.* 18.

Hæc tamen aſſertio non eſt de fide, ſi non negentur actus creati, vt notat Suarez.

5 Assero tertiò; omnes actus intellectionis Chriſti fuiſſe veros, & certiſſimos.

De ſupernaturalibus patet, quia erant à Deo è ſpeciali reuelatione.

De naturalibus verò eſt communis ſenſus Theologorum *diſt.* 14. *&* 17. & ex D. Thom. *q.* 15. *art.* 3. contra Gnoſticos, vt colligitur ex Irenæo *lib.* 1. *contra hæreſes, cap.* 17. Ambroſio *lib.* 5. *de fide, cap.* 7. & contra Agnoitos, vt refert Gregorius *lib.* 2. *Reg. cap.* 22. Iſidorus *lib.* 8. *Ethymol. cap.* 5.

Probatvr à D. Bonauentura *locis Conciliorum adductis*, ex perfectione animæ Chriſti. Propius autem id attingit, & probat *diſt.* 15. *art.* 2. *quæſt.* 1. quia Chriſtus venit, vt Magiſter noſter, cui certò credemus: Ergo omne iudicium animæ illius ſanctiſſimæ fuit verum, & certum; alioqui minueretur Chriſti docentis authoritas, quia *ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt.* Hoc argumento nititur Suarez *diſput.* 24. *ſect.* 3. Morandus *quæſt.* 30. Paſqualigo *diſput.* 89. *ſect.* 2. Vaſquez *diſp.* 51. Lugo *diſp.* 18. & alij.

6 Assero quartò, in Chriſto fuiſſe habitus creatos intellectuales ſcientificos.

Probatvr primò à D. Bonauentura *fundamentis, & in corpore, quæſt.* 1. Id, quod in aliis hominibus requiritur ad actus intellectionis connaturales, negare in Chriſto non licet: at in aliis ſapientia, & ſcientia eſt perfectio intellectus, qua connaturali modo elicit actus, vt euidens ferè eſt: Ergo.

Probatvr ſecundò à S. Doctore, quia, vt fiat intellectio, debet fieri aſſimilatio cognoſcentis ad cognitum; ſed hoc fit per ſpecies, & habitus: Ergo.

7 Assero quintò. Anima Chriſti non cognoſcit Verbum cognitione increatâ, ſeu ipſo Verbo, ſed habitu creato. Suppono autem, animam Chriſti eſſe beatam.

Probatvr primò à D. Bonau. *fundamento primo*, quo probauimus ſuperiora aſſerta.

Probatvr à S. Doctore ſecundò, quia vt fiat cognitio, ſeu clara viſio, non ſufficit intima potentia animæ, vel vnio hypoſtica; alioqui omnes animæ, quibus ſanè Deus eſt intimus, etiam caro Chriſti, cui hypoſtaticè vnitur Verbum, viderent Deum; ſed requiritur, vt vniatur per aſſimilationem potentiæ ad obiectum: hæc autem aſſimilatio fit per habitum creatum: Ergo.

Contra hoc aſſertum obiicies primò: Ver- 8
bum increatum *eſt Fons ſapientiæ*, vt dicitur primo Eccleſiaſtici: at ſapientia vnita ſcientiæ non cognoſcitur mediante alia, quia ſic eſſet abire in infinitum: Ergo.

Respondet S. Bonau. Verbum eſſe Sapientiam, qua cauſaliter omnia cognoſcuntur, non autem formaliter, vt dixi, quia non poteſt eſſe forma; ad cognitionem autem requiritur informatio potentiæ, vt dixi: Hinc ſoluitur etiam ſecunda ratio adducta in oppoſitum.

Obiicies ſecundò. Non minus intimum eſt 9
Verbum animæ, quàm anima ſibi, vel alicui habitui: at anima per ſeipſam ſe cognoſcit: Ergo.

Respondet S. Doctor, negando Maiorem loquendo de vnione, quæ facit ad cognitionem; anima enim eſt vnita potentiæ in ratione obiecti informantis, non ſic Verbum animæ.

QVÆSTIO II.

An in Christo *fuerit Scientia Beata.*

D. Bonauent. diſt. 14. quæſt. 3.
D. Thom. quæſt. 10. art. 4.

Scientia, de qua in Chriſto diſputatur, eſt 10
triplex, Beata, Infuſa, & Acquiſita: & de ſingulis erit quæſtio.

Primò quidem hæretici Agnoitæ, & Gnoſtici, qui ignorantiam animæ Chriſti inurebant, conſequenter negabant etiam in eo ſcientiam beatam. Eos ſequuntur Sectarij, Lutherus, Caluinus, &c. apud Bouer. *Exam.* 1. *Ath.* 14.

Assero tamen cum omnibus Theologis, animam Chriſti, etiam degentem inter mortales, fuiſſe beatam.

Probatvr primò à S. Doctore *ad* 1. *Ioan.* ex 11
illis verbis: *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Prius autem dixerat: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti, &c.* Vidimus (ait S. Bonau.) gloriam eius latentem in Transfiguratione, &c. Et adducit etiam D. Auguſtinum *homil.* 33. *in Ioan.* Id probat S. Doct. *ad* 3. *Ioan.* illis verbis: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui & deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.*

Probatvr ſecundò à D. Bonauent. *collat.* 18. *in Ioan. cap.* 12. ad ea verba: *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Item Ioan. 14. *Vado parare vobis locum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Cap. 17. *Pater, quos dediſti mihi volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.* Monet verò S. Doctor ibi loqui de gloria futura iuſtorum ex D. Auguſt. *ibi.* Chryſoſtom. *ibidem*, Gennad. *de Sanctorum fruct. ſect.* 3. Hilar. *in Pſal.* 64. Gregor. *lib.* 4. *Dial. cap.* 25. at Chriſtus eam ſibi aſtruit tunc præſentem.

Hæc tamen non ſunt adeò clara, vt probent de fide, vt notat Suarez *diſput.* 25. *ſect.* 1. Morand. *quæſt.* 30.

Assero ſecundò. Animam Chriſti à primo 12
Conceptionis inſtanti fuiſſe beatam. Sic D. Bonauentura, & alij omnes Scholaſtici *diſt.* 14.

Probatvr à S. Doctore *ad cap.* 1. *Ioan.* illis

effatis;

effatis: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Vbi obseruat, asseri Christo gloriam, qualis conueniebat Vnigenito Filio Dei, & hanc reuelatam in transfiguratione, vt ait etiam D. Petrus *secunda cap.* 1. plenum omnis gratiæ, & sapientiæ, atque adeò ex vi conceptionis id probatur habuisse: Ergo semper. Ita colligitur ex D. Athanasio *oratione 4. contra Arrianos*, & *in lib. de salutari Christi aduentu*, & Damasceno *lib.* 3. *de fide*, *cap.* 22. Ita & enarrasse quæ videtat monent August. *tract.* 3. Cyrill. *lib.* 1. *cap.* 22. Chysostom. *homil.* 14. *in Ioan.* vt supra.

13 Probatvr secundò à D. Bonauent. *loco citato*, *in* 3. rationibus.

Prima sumitur ex 2. Corinth. 3. *Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur*, vbi Glossa arguit: Christus est imago Patris, & per gloriam transformamur in eum, ergo ipse est in gloria. Hoc enim arguit Apostolus, qui ante Christum in gloria asseruerat, & magis, quàm Moysen rutilantem per redundantiam.

Secvnda sumitur ex eo, quod vnitur hypostaticè Verbo, & est Filius Dei: Ergo summâ gratiâ, & gloriâ dotatus Filius hæres, fruens cum Patre bonis gloriæ. His vtitur etiam Suarez *disp.* 24. *sect.* 1.

14 Hinc sequitur, clarè absque medio vidisse Deum, quod probatur à D. Bonauentura, alioqui non quiesceret immediatè in Deo, & illud medium esset immediatius Deo, quàm humanitas Christi. Vide S. Bonauenturam: Argumenta ad oppositum soluta sunt *p. p. tract.* 1. *disp.* 11.

QVÆSTIO III.

Vtrum Anima Christi *comprehendat Deum.*

{ D. Bonau. dist. 14. q. 2. a. D. Thom. q. 10. art. 1.

15 Hæc quæstio omnibus creaturis beatis communis est, & à nobis *p. p.* discussa, *tract.* 1. *disput.* 11. & à D. Thom. *p. p. quæst.* 12. *art.* 7. Enim verò quia videtur aliqua esse ratio specialis de Christo, eam breuiter hic prosequemur.

Assero, Christum non potuisse comprehendere suâ animâ Deum visum. Ità omnes Theologi *in* 3. *distinct.* 14. vbi D. Bonauentura *loco cit.* Richardus *quæst.* 4. Durandus, Scotus, Gabriel, Paludanus, Vulp. *disp.* 41. *art.* 2. Vasq. *p. p. disp.* 53. Valent. *quæst.* 10. *punct.* 2. Suar. *disp.* 26. *sect.* 1. & cæteri apud hos.

16 Probatvr à D. Bonau. primò ex PP. August. *epist.* 112. *cap.* 9. *tract.* 2. Damasceno *lib.* 1. *cap.* 4. Ambrosio *lib.* 1. *in Lucam*, apud D. Augustinum *loco cit.* & aliis apud Suarez *disp.* 26. *cit.* post D. Bonauent. *lib.* 1. *Pharetræ*, *cap.* 1. vbi multos habes. Est definitum in Concilio Lateran. *De summa Trinitate, cap. Firmiter.*

Probatvr secundò à D. Bonauent. Quod comprehenditur, est finitum comprehendenti; nam ab eo vel exceditur, vt vas, vel æquatur vt locus; at nulla creatura potest æquari Creatori: Ergo. Minor probatur, quia Deus est infinitus: Omnis autem creatura, etiam anima Christi, finita est. Hac ratione nituntur Patres omnes relati, ac Theologi. Confirmatur à D. Bonauentura, quia Verbum sic est vnitum humanitati, vt sit extra ipsam, hoc est in loco, vbi non est humanitas.

Probatvr tertiò à D. Bonauent. *in corpore*, vel comprehendere Deum conuenit animæ Christi ex ratione communi beatitudinis, & hoc non, vt dixi, vel ex ratione speciali vnionis; & hoc neque, quia ex vnione non communicatur infinita virtus ad cognoscendum, imò nulla virtus, cuius signum est, quod vnitur etiam corpori, nec tamen accipit cognitionem. Confirmatur, quia comprehendere Diuinam essentiam est attributum proprium Dei; at post vnionem, licèt alterum extremum, idest Verbum, sit infinitum, attamen vnio ex parte naturæ humanæ est finita, & ipsa natura humana remanet finita. His rationibus vtitur præcipuè Suarez *loco citato*. 17

Obiicies primò, Coloss. 2. *In ipso inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Respondet D. Bonauentura, hoc significare, Verbum esse Incarnatum, idest, vnitum animæ, & corpori.

Obiicies secundò ex D. Isidoro lib. 1. de summo bono, cap. 2. §. 1. *Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto*, non loquitur sanè de cognitione visionis simpliciter; sic enim nota est etiam aliis beatis: Ergo de comprehensiua. 18

Respondet S. Bonau. perfectionem notitiæ simpliciter conuenire Trinitati, sed homini assumpto quadam connaturalitate, non per essentiam, sed participatâ ratione vnionis cum Verbo. Id vult etiam D. Thomas, vt constat. Quare audacior Vulpes *disp.* 41. *art.* 2. ait, illum petere principium. Sed nihili pendenda huius inepta in Angelicum perpetua dicteria. Reliquæ oppositiones solutæ sunt *p. p. loco cit.*

QVÆSTIO IV.

An Anima Christi *in Verbo cognoscat omnia possibilia.*

{ D. Bonau. dist. 14. art. 2. q. 2. & 3. D. Thom. quæst. 10. art. 3.

Svppono cum D. Bonau. *art.* 3. *quæst.* 2. *dist.* 14. in Christo fuisse scientiam beatam, quod probat ex perfectione animæ ipsius sanctissimæ. Idem argumentum affert ad probandam scientiam infusam, quam vocat à Verbo; & etiam experimentalem. De his omnibus agendum est. 19

Cvm ostenderim *p. p. tract.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 24. Beatos ex vi visionis videre aliquas creaturas possibiles in Deo, non tamen omnes; iam libet scrutari, an sit concessum animæ Christi omnes videre.

Hvgo de S. Victore *Tomo* 3. *lib. de sapientia animæ Christi* sensit, animam Christi videre omnia, quæ scit, & videt ipse Deus, nihilominus non esse ita sapientem, sicuti est Deus: existimat enim, animam Christi esse sapientem alio modo, quàm cæteri homines, nempe ipsa sapientia increata Dei, ei communicata per vnionem ipsam hypostaticam. Idem sensit Ioannes de Ripis. Hanc refert 20

refert D. Bonauent. *in 3. distinct. 14. art. 2. quæst. 3.* Nos *prima secunda, tract. 1. disput. 2. quæst. 4.* eam confutauimus.

21 Nunc verò prima opinio Scholasticorum sit, Christum videre in Verbo omnia, quæ Verbum ipsum cognoscit. Ita Magister *in 3. distinct. 14. cap. 2.* Alens. *part. 3. quæst. 3. memb. 7.* Hanc sententiam, vt probabilem, defendit Scotus *3. dist. 14. quæst. 2. §. Tertio modo, & §. Potest dici*, & multas affert pro ea rationes, nec soluit, sicut aliorum opinionum soluerat. Itaque, hi volunt cognosci ab anima Christi infinitas creaturas. Multos alios sectatores retuli *p. p. tract. 1. disp. 11. quæst. 24.* Vulpes *disp. 41. art. 4.* huc trahit D. Thomam. Sic & Lugo *disp. 19. sect. 2.*

Alii tamen, vt refert S. Bonauent. *loco citato*, & Marsil. *3. quæst. 10. art. 2. parte 3.* concedunt, omnia ab anima Christi cognosci, quæ nouit Deus; ea tamen esse finita.

Secunda opinio est, animam Christi per lumen gloriæ videre, non omnia, quæ videt Deus; sed omnia, quæ spectant ad gloriam suam. In hanc sententiam inclinat Altisiodor. *in summa, lib. 3. tract. 1. cap. 5* eamque referunt S. Bonauent. & Marsilius *loco citato*.

22 Tertia opinio est Durandi *3. dist. 14. quæst. 2.* omnes beatos, atque adeò etiam animam Christi videre in Verbo omnia possibilia secundùm ipsorum quidditatem, non autem aliquid futurum; putat enim, possibilia necessariò in Diuina essentia repræsentari; futura verò voluntariè.

Quarta sententia est, animam Christi videre omnia in Verbo, quæ Deus ipse nouit, possibilia, non actu, sed solùm secundùm habitum. Ità D. Bonauent. *hic*, Scotus *eadem dist. quæst. 2. §. Sed si ista via.* Gabriel *quæst. vnic. art. 1.* Almain. *quæst. 1.*
23 *art. 1.* Marsil. *in 3. quæst. 10. art. 2. p. 3.* Hi tamen diuerso modo incedunt, nam Scotus ità explicat, Animam Christi videre in Verbo omnia habitu, non actu, quia Verbum in actu primo continet omnia, & ideò ea sibi habitu dicuntur nota. Ab hac explicatione non longè absunt Almainus, & Gabriel; eam verò sequuntur Scotistæ, Fauentinus præcipuè *3. disp. 35. cap. 4.* qui ad tuendam suam sententiam, impugnant sententiam S. Bonauent. quæ est probabilior, vt notat Suarez *disput. 26. sect. 2. & 4.* Mastrius verò *disp. 5. quæst. 1. n. 9.* conatur Scotum ad D. Bonau. trahere, & adducit etiam Morandum *quæst. 31.* Salam *p. 2. tract. 2. disput. 4. sect. 7.*

24 Igitur D. Bonau. existimat cognoscere omnia secundùm habitum, quia habet habitum gloriæ, quo cognoscere potest omnia, quia tantæ perfectionis est, vt sine quouis alio possit cognoscere omnia, non quidem sola habitus virtute, sed prout Verbum reuelare voluerit, quia Deus est speculum voluntarium. Cum Seraphico sunt Marsilius, & alij. Adducitur cum eis etiam Henricus *quodl. 5. quæst. 4.* sed is videtur, soli virtuti habitus hoc adscribere.

Ex quibus habes, non rectè adduci à Mastrio Seraphicum, quasi neget, ex habitu euenire hanc cognitionem, nam S. Bonau. apertè dicit, venire etiam ex habitu, non tamen debere nouum habitum aduenire ad noua discenda, quia ex oblatione Verbi eodem habitu alia in eodem grado intensa possunt videri: Quare non est prorsus cum Scoto, vt vellet Mastrius.

25 Quinta sententia est, Christum in Verbo non cognoscere omnia possibilia; benè tamen omnia futura. Ità D. Thom. *hic*, Caietanus, & recentiores Thomistæ *ibi.* Richardus *3. dist. 14. art. 2. quæst. 3.* Paludanus *quæst. 1. art. 3.* Capreolus *q. 2. art. 1. conclus. 1.* Henricus *quodl. 7. quæst. 5.* eam refert D. Bonauentura, & vocat hunc modum satis facilem, & rationabilem. Eius sectatores cæteros retuli *p. p. disp. 11. quæst. 24. t. 1.* sequitur Caspens. *disp. 6. sect. 2. & 3.* Suarez *disp. 26. sect. 3.* Morandus verò *quæstione 31.* refert recentiores communiter secum sentire, Vasquez *disp. 50. cap. 3.* ait, nihil definitum esse de visione possibilium, tametsi inter errores Arnaldi de Villa noua, qui referuntur *in directorio Inquisitorum, 2. parte, quæst. 11.* secundus refertur; animam Christi scire omnia, quæ scit Deus, id quod necessariò fateri debet, qui dicit, animam Christi videre in Verbo omnia possibilia. Fuere autem Arnaldi errores damnati Tarraconæ per Inquisitores; attamen à nullo Concilio, vel Papa hoc est damnatum. Concludit, nil statui posse de numero possibilium, quæ Christi anima videat in Verbo.

Assero primò: Anima Christi non videt actu omnia in Verbo, quæ in eius omnipotentia continentur. 26

Probatur à D. Bonauent. primò *quæst. 5. fundamento 4. & quæst. 3. argumento primo ad oppositum, addito responso*, & à D. Thom. *loco cit.* & *p. p. quæst. 12. art. 8.* Si anima Christi videret in Verbo omnia possibilia, comprehenderet Deum, sed hoc repugnat creaturæ, vt vidimus *prima prima, Tract. 1. disp. 11. quæst. 26.* Maior probatur ex D. Augustino *epist. 112. cap. 8.* vbi ait: *Tunc aliquid comprehenditur, quando ita videtur, vt nihil omnino eorum, quæ in ipso sunt, videntem lateat.* Et propterea inquit idem S. Augustinus lib. 83. qq. quæst. 14. *Quod comprehenditur, finitur à comprehendente*, vt notat S. Doctor. Confirmatur in materialibus, tunc enim vna quantitas dicitur comprehendi ab alia, quando intra illam tota clauditur, & finitur. Hac ratione nititur etiam Suarez *hic*, & communiter Theologi *p. p. quæst. 12. art. 8.* eamque latè prosequitur Oslandus *Tom. 3. disp. 2. quæst. 4.* & Laconicè Fuliens. *cap. 16.* stans cum quinta sententia.

Probatur sequela *quæst. 2.* à S. Doctore *in responsione.* Comprehensis omnibus effectibus, comprehenditur causa; sed possibilia sunt omnes effectus omnipotentiæ Dei: Ergo illis comprehensis, comprehendetur omnipotentia Dei. 27

Respondent Scotus *loco cit.* Fabes *num. 2.* Caspens. *num. 12.* quod non sequitur, comprehendi Deum ex cognitione possibilium. Id probat, quia sicut cognoscitur infinitas Dei, nec tamen comprehenditur Deus; ita etiamsi cognoscantur creaturæ possibiles, quæ prodeunt à Deo, quatenus est infinitus in se, non comprehenderetur Deus.

Vrget Becanus *cap. 9. quæst. 7.* esto infinitatem rerum possibilium comprehenderet non adhuc comprehendi Deum, quia non videret adhuc liberum decretum circa ea, quæ futura vult. Et hac de causa Apost. *Rom. 11.* clamat: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius! &c.*

Has instantias è S. Doctore ebibunt, sed non enacuant: Nam infinita, vt infinita, cognoscere, exigit lumen infinitum, quod non requiritur ad videndum intellectu, intellectionéque finita, vt à beatis videtur finitè, Deum infinitum, totum sanè, quia simplex; sed non totaliter. Itaque cognitio possibilium, cùm sit infinitorum, vt infinita sunt, & perfectissima, qualis animæ Christi deberet, ac 28

comprehen

comprehensiua extenditur ad internoscendum, quæ ex eis remansura in esse merè possibili; & quæ donanda existentia; ad hoc autem lumen habetur sufficiens, cùm infinitum sit. Ità comprehensis omnibus effectibus comprehensa est causa in ratione causæ, nempe Dei omnipotentia, quæ licèt perfectiori intellectu à Deo videatur, vt concedo Becano; non tamen ex parte obiecti perfectius, quia visis effectibus comprehensiuè, vt suppono, nil remanet videndum; agnito enim vno relatiuo agnitum est pariter eius correlatiuum.

29 RESPONDET Mastr. *disp.6. de anima, quæst.12. à num.340. & in 1. disp.6. quæst.9. art.1.* ea, quæ virtualiter sunt in aliquo, non facere ad eius notitiam comprehensiuam. Probat è D. Augustino *epist.112. cap.8.* vbi ait: *Res comprehenditur, cùm ita videtur, vt nihil eius lateat videntem*; at effectus ad esse causæ non pertinet. Id confirmat sequentibus verbis Augustini: *Aut cuius fines circumspici possent.* Addit in confirmationem aliam comprehensionis descriptionem ex eodem, 12. de ciu. cap.18. *Illud scientiâ comprehenditur, quod scientis cognitione finitur*, idest, cùm actus intellectionis est adæquatus intelligibilitati obiecti, vt exponit Scotus *3. distinctione 14. quæst.2.* Idem habet *quæst.14. ex 83. qq.*

30 OMITTO, hæc à Scotistis respui, Smising. *disp.7. quæst.1.* Gallo *disp.14. præl.5. disp.2. sect.1.*

OSTENDO, esse à D. Augustino aliena. Is *epist. cit.* vbi exempla comprehensiuæ cognitionis affert: *Sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ*; sanè volitionis actualis hoc exemplum est; imò ait: *Virtus mente comprehenditur.* Loquitur verò de his, quæ sunt Dei, spectantia ad visionem, enarrata nobis à Filio Dei. Ità & actus, & alij effectus ad notitiam comprehensiuam conferunt Dei.

CLARIVS *lib. de ciuit.* probat Deum comprehendere numeros omnes, quia exierunt omnia a se numeris signata, vt ait Plato: & in numero, &c. vt ait Sapiens. Ergo notitia causæ facit ad comprehensionem effectuum, & è contra.

31 SIC & *quæst. 14. ex 83.* vbi comprehensionem sui habere Deum infert, qui creaturas nouit. Igitur iustè hoc infert etiam D. Bonau. *ad 1.* respondens *loco cit.* D. August.

RESPONDET secundò Mastrius, esto è notitia effectuum comprehenderetur causa vniuoca; non est tamen verum de æquiuoca, quæ cùm sit nobilior vniuersitate effectuum, non satis ab his exprimitur. Qui sanè omnes Solis actus comprehenderet, non comprehenderet Solem: Talis autem causa est Deus.

32 AT tortuosum è latebris eruamus responsum: meum assumptum est, comprehendi causam comprehensis omnibus effectibus, atque adeo idipsum etiam de æquiuoca ostendo, hæc sanè ab vniuoca differt, quòd plures effectus naturâ à se diuersos potest: vniuoca verò solos eiusdem naturæ, vt Leo Leonem; non autem nobiliores se, quod Scotistæ clamant certum. Sicut igitur agnitis effectibus vniuocis comprehenditur causa, puta Leo, vel homo, quia relatiua sunt simul cognitione; ita comprehensis omnibus effectibus, solis possibilibus nil restat de causa, quæ si nobilior sit singulis effectuum speciebus, quippe ad alios extenditur; tamen ab omnibus simul adæquatur.

33 DICAT Mastrius: quæ sit virtus in Sole superstes extra omnes effectus ei possibiles? Si aliqua ad alios; implicat omnes comprehensos iam esse. Si remanet extrà alia perfectio: Ergo alios valet producere contra hypothesim. Quod verò ait, Deum præcisum ab omni potentia creandi, esse incomprehensibilem, non detrahit, quin in ratione causæ comprehensus esset quoad omnipotentiam, sapientiam, adde bonitatem, &c. Fateor, non mansurum comprehensum ad intra. Quæ aggerat Mastrius, elisa iacent *p.p. tract.1. disp.24. à num.78. & tract.2. disp.9. quæst.10.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *argumento secundo, & in corpore.* Ad videndum actu infinita totaliter, requireretur infinita virtus, infinitumque lumen in anima Christi; sed hoc repugnat finitæ capacitati illius animæ: Ergo. Maior probatur: Cognitio debet æquari rei cognitæ secundùm quod cognita est. Similiter debet adæquari potentiæ, nec eam excedere, sicut potentia non excedit substantiam. Sed cognitio infinitorum est infinita: Ergo. Maior est euidens; nil enim est in effectu, quod non sit in causa; sed substantia est causa potentiæ, & potentia cognitionis: Ergo. Minor probatur: Sicut se habet simpliciter ad simpliciter; ita magis ad magis, sed cognitio alicuius rei est cognitio alicuius perfectionis: Ergo cognitio plurium est perfectior, & sic crescit calculis in infinitum. Hoc argumento vtuntur Scotus, Faber, & præcipuè Bellutus, qui ait conuincere; & multas Thomistarum solutiones repellit. Alias Meldulæ reieci *prima primæ, tract.1. disp.11. quæst.28.* Alias reiiciam *quæstione sequenti.* Porrò Faber hoc vrget etiam contra D. Bonau. quem non intellexit, vt dicam: Vulpes autem *disp.41 art.4. num.11.* succumbit. 34

RESPONDET Caspens. *disp.6. sect.2.* rationem non conuincere, quia ad videndam rem infinitè perfectam non requiritur lumen infinitum: Deus enim est infinitè perfectus, & tamen lumine finito videtur. Sic ait & Becanus *num.5.* 35

SANA' hæc oppositio nota fuit Seraphico *ad 1.* & respondet, non esse parem rationem; nam videns Deum, non videt totaliter, licèt totum, neque sub ratione infiniti accipit obiectum; at videns infinita, videt ea sub ratione infiniti in tota latitudine entis creabilis, & augmentum fit semper intra eandem speciem luminis, seu visionis; & lumen gloriæ, & visio beata est eiusdem speciei in Christo, & in aliis. Vnde multi ad vitandam huius rationis efficaciam dixerunt, res, quæ in Verbo videntur, esse finitas, quod falsum est, vt notat D. Bonauentura; nam Deus videt omnes species numerorum, quæ infinitæ sunt. Hoc etiam aduertit Suarez *disputatione 26. sect.2.* qui in vno errat, dicens à D. Bonauentura res possibiles asseri finitas in quinta sententia, ab eo relata. Sed ipse dixit, ex aliorum sensu ea sola videre in Deo, quæ facturus est, hæc autem finita esse; at possibilia refricat esse infinita.

AT Becan. instat eo lumine non comprehendendum: nam adhuc perfectius Deus seipsum videt. Sed dico non esse ad rem, vt suprà.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. *sequentibus argumentis*, quia anima Christi est creata: Ergo etiam cognitio, & non excedit infinitè alias creatas, neque potest adæquari cognitioni Verbi: Ergo non potest cognoscere omnia, quæ cognoscit Verbum, alioqui virtus finita animæ adæquaretur infinitæ virtuti Verbi, quæ non potest plusquàm infinita obiecta cognoscere. 36

PROBATVR quartò è D. Bonauentura *quæst.3.* sparsim alia ratione, quam laudat Caspensis; Verbum manifestat animæ Christi quidquid illa vult, &

vult

vult autem rationabiliter ea solùm, quæ sibi conueniunt, quia etiam beata & vnita; at multa possibilia non conueniunt animæ Christi, vt scire aliqua, quæ Deus potest facere, nec faciet, eaque ad illum non pertinent.

Hoc tamen est argumentum morale, quod Mastrius inefficax vocat; nam in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ Dei, & multa ostendit scire non facienda, vt Matthæi 11. *Si in Tyro, &c.*

37 At S. Doctor non vrget, animam illam nil scire eorum, quæ non sunt futura; sed quæ non ad ipsam pertinent.

Assero secundò. Anima Christi cognoscit in Verbo omnia possibilia habitu, modo dicto à D. Bonauentura.

Moderni hanc solam ratiunculam ex D. Bonauentura haberi aiunt, quòd anima Christi habet habitum gloriæ perfectissimum in summo, quantum potest capere, vt nequeat perfectiùs Verbum cognoscere: Verbum autem promptam habet voluntatem ad aperiendum ipsi animæ omnia, quæ in ipso relucent; neque aliquid in eo relucet, quod non sit aptum natum cognosci ab anima Christi: Ergo anima Christi habet aliquid, quo facilis est ad cognoscendum omnia, quæ cognoscit Verbum. Cuius signum est, quia vt cognoscat aliquid, quod Verbum cognoscit, non oportet quod detur ei nouus habitus cognoscendi; sed omne quod vult, potest in eo legere. Ità Faber *numero* 17. Suarez *loco citato*, Vasquez *numero* 6.

Sed videamus, quàm multis, solidisque rationibus innitatur.

38 Svpponit igitur S. Doctor *quæst.* 3. *in corpore*, ex SS. PP. & Scriptura, animam Christi ex priuilegio solam inter cæteras creaturas omniscientem dici, & esse plenam sapientia, Coloss. 2. *In eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, vbi Chrysostomus *homil.* 5. asserit, Christum omnia scire, & nihil ignorare. Idem habet D. Fulgentius *lib. ad Ferrandum, responsione ad tertiam quæstionem*. Sic D. Isidorus adductus à D. Thoma, quæstione 10. artic. 1. Isaiæ 11. *Requiescet super eum spiritus Domini; spiritus Sapientiæ, Scientiæ, &c.* Et Lucæ 2. *Puer crescebat plenus sapientià, &c.* Quæ loca Scripturarum adducit S. Doctor ad eum locum Lucæ. Dicitur etiam: *Plenum gratiæ, & veritatis.* Ioan. 1. idest scientiæ, vt exponit D. Augustinus, & D. Bo-
39 nauent. *ibi.* Vbi aduertunt Sancti expositores cum D Bonauent. datam esse ei scientiam, prout decebat Filium Dei: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Ideò data est ei sapientia adeò incomparabilis super omnes etiam Angelos, ac Seraphim, quantum nomen, & dignitas Filij transcendit statum seruorum, vt argumentatur Apostolus, Hebr. 1. *Multifariè olim Deus loquens Patribus in prophetis: Nouissimè, diebus istis locutus est nobis in Filio, per quem fecit & sæcula, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, &c. Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.*

Ex vnione igitur hypostatica colligitur, Verbum altissima sapientia ditasse animam Christi, nec ei aliquid cognitionis negare.

Tvnc sic arguit *quæstione secunda, fundamento quarto.* Aut anima actu considerat simul omnia, quæ Verbum est aptum ei repræsentare, vel non. Si actu considerat omnia, quæ Verbum est aptum repræsentare, cum hæc sint infinita: Ergo pertransit infinita; sed hoc est impossibile virtuti finitæ: Ergo. Minor probata est supra, argumento secundo pro primo Assetto. 40

Si verò dicas, Animam Christi non videre simul omnia actu; cùm sint in eo omnes thesauri sapientiæ: Ergo anima habet aliquam aptitudinem ad aliquid sciendum, respectu cuius non est semper in actu: Ergo in habitu gloriæ, quæ complet aptitudinem; at non in habitu infinito, quia infinitum actu non potest dari: Ergo finito in se, sed habente ordinem ad infinita extrinsecè ex voluntate Verbi, prompta ad reuelandum. Neque potest esse in habitu, ad modum Scoti, qui infrà confutabitur: Ergo modo S. Bonauenturæ.

Probatvr secundò à D. Bonauentura *loco citato, fundamento quinto.* Quandocumque aliquid se extendit ad infinita, impossibile est quod ipsum totaliter sit in actu, si differat in eo actus, & potentia; sed habitus cognitionis Christi se extendit ad infinita: Ergo. Maior probatur a S. Bonauent. quia potentia, & actus opponuntur. Vnde continuum, quia est diuisibile in infinitum, impossibile est diuisum esse actu. Vnde si quis argueret: Philosophus cognoscit, continuum esse diuisibile in infinitum; ergo cognoscit eas partes infinitas esse actu, vel cognoscit actu; falleretur, vt ait Capreolus 3. *dist.* 14. *quæstione* 2. *art.* 3. 41

Probatvr tertiò à S. Doctore *quæstione tertia, fundamento primo.* Quisquis habet spiritum Sapientiæ, non ad mensuram cognoscit omnia: Talis est Christus: Ergo. Maior probatur ex *Isaia* 11. Vbi postquam dixit: *Requiescet super eum spiritus Domini*, subdit: *Spiritus sapientiæ, & scientiæ.* Mox plurima dona infert effundenda: *Quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Vbi L X X. *Repleta est terra cognitione Domini, quasi aqua multa cooperiat maria.* Hinc gloriam Christi deducit. Vnde probatur Minor: Ideò Ioan. 3. *Non ad mensuram dat Deus spiritum Filio*, quod de homine Iesu Patres exponunt, vt dixi *disput.* 11. *quæst.* 3. 42

Probatvr quartò à S. Doctore *loco citato, fundamento secundo.* Quandocumque Deus dat seipsum substantialiter, multò magis dat accidentalia dona, à se pendentia: Sed Verbum, quod est ratio cognoscendi, se dedit animæ Christi substantialiter: Ergo multò magis dedit scientiam omnium, quam habet: Maior probatur ex illo Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Multò magis, cui se dedit hypostaticè.

Probatvr quintò, sicut Verbum se dedit perfectissimè vnitum, vt persona Verbi; ita dedit seipsum, vt exemplar; sed vt exemplar exprimit omnia alia à se: Ergo illi animæ ita se expressit. 43

Tvnc sic D. Bonauent. arguit *fundamento* 5. anima Christi alia cognoscit in Verbo: aut ergo potest plura cognoscere; aut non. Si potest: Ergo possibilitas eius non est omnino completa: Si di-

catur, non posse. Contra, quia omnis scientia finita est in potentia ad alia, quia scibilia non se coangustant in anima cognoscente. Si ergo non potest scire plura, signum est scire infinita; sed non actu, neque habitu infinito informante, vt supra ostendi; ergo finito, infinitato extrinseca Dei promptitudine ad manifestandum: Confirmatur *fundamento sequente*, quia magis intimum est Verbum animæ Christi, quàm esset Apostolis; sed Apostolis omnia manifestauit, vt ipse ait *Ioan.* 15. Ergo.

44 ASSERO tertiò. Anima Christi non videt ea sola, quæ sunt in scientia visionis Verbi.

PROBATVR à Scoto *loco citato*, & Fauentino *numero vigesimosexto*, ratione sexta D. Bonauent. *quæstione tertia*. Si ea sola videret, quæ spectant ad scientiam visionis; sequeretur, possibilia omnia fuisse ignorata. Et ita, si fecisset aliqua ex his, quæ facere non decreuit, omnia esse Christo ignota; sed hoc est falsum: Ergo. Minor probatur, nam Christus multa possibilia conditionata, quæ non sunt decreta, vidit; vt, si in Tyro, & Sydone factæ essent tales virtutes; conuertendæ essent illæ gentes, & multa alia spectantia ad scientiam mediam, quæ certò scita à Christo ostendi * *p. p. tract.* 1. *disput.* 13. *quæst.* 15. Si ergo ex supposito aliqua huiusmodi fierent, adhuc ea Christus ignoraret.

45 HÆC tamen ratio non vrget D. Thomam, vt notat Caietanus *tertia parte, quæstione* 10. *artic.* 2. & Capreolus *loco citato*, quia ipse non negat, aliqua possibilia cognita ab anima Christi. Neque in hoc ponit suam limitationem.

VRGET S. Doctor, & post eum Scotus ibi: Si potest anima Christi videre vnum possibile, poterit pari ratione etiam aliud, & sic in infinitum; sed non actu: Ergo habitu; at non ad modum Scoti, vt infrà ostendam: Ergo modo Seraphici.

CONTRA sententiam S. Bonauent. insurgit Scotus *loco citato*, & Fauentinus *numero* 28. Sed veram sententiam Seraphici non afferunt, neque
46 concutiunt: sic igitur, arguunt: Si anima Christi per vnum habitum creatum posset cognoscere infinita, sequeretur, quod habitus ille esset infinitus intensiuè; sed nil creatum potest esse infinitum intensiuè: Ergo. Probatur sequela, quia quando pluralitas rerum requirit maiorem perfectionem, tunc infinitas numeralis requirit infinitam. Si, verbi gratia, portare decem libras requirit tantam virtutem, portare viginti requirit maiorem, & portare infinitas libras, infinitam exigit virtutem.

RESPONDET S. Doctor, falli aduersarium, nam virtus illa infinita non est in ipso tantùm habitu, sed extrinsecè, quatenus ex Verbi promptitudine ad reuelandum, habitus ille habet respectum ad infinita.

47 INSTAT Scotus, hanc responsionem destruere assertionem illam, qua negat, posse animam Christi cognoscere in Verbo omnia actualiter; nam ita possemus dicere, quòd anima Christi cognoscit infinita in Verbo actu vnico, neque tamen actus ille est infinitus, sed solùm fundat infinitos respectus ad infinita visa.

RESPONDET S. Doctor *quæstione* 3. *ad* 3. negando paritatem, nam actus vnicus infinita cognoscens, est infinitus intrinsecè, & à se formaliter infinitatem totam habet; at verò habitus in sententia D. Bonauent. non omnia simul respicit actu, sed vnum post aliud, *Multa enim possumus scire, & vnum intelligere*, vt ait Aristoteles 2. *Topic. cap.* 4. & notat S. Doctor *quæstione secunda, fundamento primo*. Itaque infinitas illa non conuenit formaliter habitui, sed Verbo, quod est ratio cognoscendi, ipsi animæ offerens quæcumque scibilia, propter quam extrinsecam Verbi promptitudinem habitus ille ad infinita habet respectum, licèt sit finitus. Aliam rationem affert Scotus contra hanc responsionem, sed iam soluta iacet.

SECVNDÒ principaliter arguit Scotus *loco cit.* 48
& Faber *numero* 30. vt probet, Seraphicum sibi repugnare, dum habitum finitum astruit, sed ad infinita relatum: Omnis habitus potest habere actum, adæquatum sibi, vel illi intellectui, in quo est. Tunc sic: Vel ille habitus cum potentia, quæ simul faciunt causam integralem, & totalem, habent pro actu secundo adæquato actum vnum, qui sit infinitorum obiectorum, vel infinitos actus, respondentes illis infinitis obiectis; nam habitus ille est omnium obiectorum in actu primo: actus ergo secundus, illi adæquatus, debet quoque esse omnium obiectorum; tunc vnum ex duobus sequitur; vel quod habitus sit infinitus; vel quod actus secundus non sit infinitus, sed finitus; vel finiti, si sint plures: si actus secundus est infinitus: Ergo & habitus est infinitus, quod est contra Seraphicum. Si autem actus sunt finiti, vel vnus actus omnium finitus; habitus quoque erit finitus, quia effectus adæquatus debet esse proportionatus causæ; sed tunc sequitur, quòd non possit actu videre infinita.

HÆC ratio friuola est, vt etiam Suarez aduertit. 49
Primò quidem falsum est, cuique habitui correspondere suum actum adæquatum, vt plerumque in habitibus experimur. At esto ita fieret in habitibus quibusdam, in casu nostro res aliter se habet, nam habitus ille simul cum potentia non adæquat obiectum infinitum, neque infinita obiecta, sed hic respectus est ei extrinsecus ratione promptitudinis Verbi, quod est ratio ipsi ad cognoscendum infinita voluntate prompta, non omnia simul, sed in potentia; & hoc est adeo clarum in Seraphico, vt vehementer admirer, Scotum, & Fauentinum huc non pertingere, vt iterum ostendam *disputatione* 13. *quæstione* 15. *ad quartum*.

ASSERO quartò. Anima Christi non cognoscit 50
omnia possibilia per habitum Scoti.

PROBATVR primò à Suarez argumento Scoti, allato contra D. Bonauenturam. Omnis habitus potest habere actum sibi adæquatum; si ergo per habitum potest cognoscere infinita: Ergo etiam actu; nam scientia beata est semper actu. Quod si anima Christi vno actu contemplatur Verbum, & obiecta relucentia in Verbo, sicut in actu secundo semper videt Verbum; ita etiam in actu secundo videbit relucentia in illo: Ergo actu infinita, & ita habitus ille, seu actus primus habebit actum secundum, vel actus respondentes adæquatos ad infinita actu videnda, quod est contra Scotum.

RESPONDET Faber, non esse idem argumen- 51
tum, quod sit contra Scotum, nam D. Bonauent. ponit habitum creatum, qui habet profectò actum adæquatum: sed habitus positus à Scoto est essentia

Verbi,

Verbi, quæ in potentia creata non potest habere actum, vel habitum adæquatum.

IGITVR eo actu, quo videt Verbum, videt etiam creaturas relucentes, quæ sunt obiecta secundaria; non tamen videt omnes, sed aliquas, scilicet illas tantùm, quas intellectus creatus potest simul percipere: ad reliquas verò se habet in actu primo, ita vt illas pro arbitratu possit videre, licèt actu illo non videat: & hoc est videre habitu.

52 VRGET Suarez, validiùs hoc argumentum procedere contra Scotum, quia visio essentialiter est actus secundus, & actuat potentiam formaliter; vnde necessariò habet suum effectum formalem adæquatum, quia necessariò inhæret subiecto secundùm totam suam entitatem, & rationem, & fieri non potest, vt qualitas actus inhærens subiecto, non habeat in illo suum effectum formalem adæquatum. Est ergo distinctio illa actus primi, & secundi, repugnans ipsi visioni.

53 Hoc posito, debet fieri mutatio non modò in obiecto secundario, sed etiam in primario, idest essentia, atque adeò sequitur, visionem beatificam esse mutabilem contra eos, & D. Augustinum 15. de Trinitate, cap. 16. *In beatis non erunt volubiles cogitationes.* Probatur sequela, quia cùm visio creaturarum fiat in Verbo, non potest visio versari ostendendo perfectiora in infinitum, quin varietur etiam visio ipsius Verbi. Hoc verò quo pacto non vrgeat nos dicentes, non omnes creaturas in Verbo videri ab initio, sed aliquas posteà, satis dixi *p.p. tract. 1. disp. 12. quæst. 25.* Quo satisfit etiam Fuliensi.

HÆC argumenta desumpsit Suarez ex D Bonau. *quæstione 2. adducta*, quibus satisfacit Faber responsionibus Seraphici. Et primò quidem concedit ingenuè, in visione essentiali non fore volubiles cogitationes, quia quoad obiectum essentiale semper beatus est fixus immobiliter; at non est verum circa ea, quæ non sunt de essentia gloriæ.

54 ENIM verò in sententia Scoti id sequitur, quia ex vi visionis assignat actum primum ad omnia possibilia videnda; at in via Seraphici potest suum ex reuelatione extrinseca Verbi.

AD illud igitur, quod visio est actus secundus, respondet Faber ex D. Bonauent. *ad secundum*, verum esse quod visio obiecti essentialis est actus secundus continuus; at verò circa obiecta secundaria, quæ non sunt de essentia gloriæ, non est necesse vt semper sit in actu, & ideò potest anima beata scire aliqua ex his habitu tantùm, & non est necesse, eam considerare actu omnia, quæ nouit habitu.

AT si obiicias, quòd habitus in actu est perfectior, quàm habitus præter actum.

RESPONDET S. Doctor *ad tertium*, verum id esse de actu nobilissimo, qui debetur ipsi habitui, & hic est visio Dei summi veri, non autem creaturæ: Ergo ad hoc, vt anima habeat habitum cognitionis nobilissimum; non est necesse, vt actualiter consideret omne verum.

55 AD illud verò, quòd eadem cognitione, qua cognoscit Verbum, cognoscit alia in Verbo, & ideò non potest variari circa alia obiecta, quin varietur circa obiectum essentiale, idest Verbum.

RESPONDET Faber ex D. Bonauent. *ad quartum*, verum esse de cognitione quantum ad habitum, quem Scotus vocat *actum primum*, non autem de actu secundo; actualis enim cognitio, & consideratio Verbi æterni est illi gloria essentialis; non sic actualis cognitio creaturarum, & ideò non est adeò necesse actualiter considerare creaturas omnes, sicuti necesse est considerare Verbum, quod est obiectum principale, seu primarium; nam creaturæ sunt obiecta secundaria. Itaque visio informat essentialiter ad obiectum essentiale, non autem ad secundaria. Sed hoc iam refutatum est.

QVOAD argumentum verò factum contra D. Bonauent. quod retorquetur in Scotum. Probo retorqueri valide proportionaliter in ipsum Scotum, nam ille ponit, hunc habitum esse actum primum ad omnia possibilia, ad quæ potest exire ad libitum.

SIC igitur vrgeo argumentum; nam vt Verbum constituat in actu primo animam Christi ad omnia possibilia, debet eam roborare virtute maiori, quam animas aliorum beatorum, quæ non possunt ea videre; Verbum enim se habet in ratione obiecti, seu speculi; requiritur autem ex parte potentiæ etiam virtus proportionata supernaturalis, & hæc est lumen gloriæ, quod de lege ordinaria necessarium est, vt fatetur Scotus apud Fabrum *in 3. distinctione 32. numero decimo*; est enim causa partialis producens beatitudinem, secundùm Scotistas, vt habet Faber *loco citato, numero decimoseptimo, & vigesimo-primo.* Sicut autem ad obiectum beatificum simpliciter videndum necessarium est lumen gloriæ, ita ad clariùs videndum necessarium est lumen intensius. Cùm igitur ad videndas perfectiores creaturas in infinitum, necessarium sit perfectiùs videre causam, necessarium erit etiam intensius lumen, & ita per solum Verbum non ponitur anima beata in actu primo sufficienti ad omnia possibilia in Verbo videnda. Et per hoc argumentum vrgetur etiam Morandus, qui cum Scoto incedit. 56

OBIICIT Tannerus *Tom. 1. disput. 2. quæst. 6. dub. 9. numero 13.* causa formalis manens eadem, semper facit idem, nec sola Dei extrinseca voluntate potest noua ostendere; sed habitus est causa formalis: Ergo. 57

RESPONDETVR, argumentum procedere ex mala intelligentia modi dicendi D. Bonauenturæ. Vide suprà.

OBIICIT etiam Morandus *cap. 31.* sequeretur, animam Christi comprehendere scientiam Dei. Hoc argumentum ait, valere contra Scotum, imò & contra D. Bonauenturam.

RESPONDETVR ex dictis, nil contra Seraphicum vigere, quia illa cognitio non est actualis, neque ex vi habitus, vt etiam dicam. Et hoc modo respondet etiam Morandus *num. 362.*

ARGVMENTA ergo aduersantia ex dictis corruunt. Vnum opponere quis potest: Si ad videndum creaturas possibiles perfectiores requiritur maius lumen in infinitum, quomodo habitus finitus Verbo volente reuelare, sufficiet, & stabit opinio, ac modus D. Bonauenturæ? 58

RESPONDETVR ex S. Doctore *locis adductis* quod sicut totum creabile, est infinitum syncategorematicè; finitum verò simpliciter, seu categorematicè; ita habitus animæ Christi est categorematicè finitus, sed infinitus syncategorematicè, vt possit in infinitum plura, ac perfectiora specie exprimere. Itaque lumen gloriæ ostendit perfectissimè obiectum essen-

tiale, ideſt Deum, & creaturas, vt ſunt in eo poſſibiles implicitè virtualiter, ita vt non videantur ſingulæ: ſingulæ verò creaturæ in indiuiduo cum omnibus circumſtantiis repræſententur per ſpecies
59 à Verbo extra reuelante, ita vt eatenus in Verbo videantur, quatenus eſt exemplar omnium, & ſpeciem immittit animæ illius, vel illius indiuidui, ſemper, & in infinitum perfectioris, quod vtique fieri poteſt abſque eſſentialis gloriæ immutatione, vel augmentatione, & hoc eſt priuilegium animæ Sanctiſſimæ Chriſti Domini.

QVÆSTIO IV.

An Anima CHRISTI *videat actu in Verbo omnia, quæ ſpectant ad ſcientiam Viſionis.*

D. Bonau. diſt. 14. art.2.
q 3. & diſt.15. art.2.
quæſt.1.
D. Thom. quæſt.10 ad 3.
& q.15. art.2.

60 MVLTA hæretici antiqui oblatrarunt contra ſapientiam Chriſti, ſigillantes animam illam ſapientiſſimam notâ ignorantiæ. Sic Gnoſtici, vt refert Irenæus *lib.* 1. *aduerſus hæreſes*, *cap.* 17. ſic & Agnoitæ, ſeu Gnoitæ, vt ſcribit Iſidorus *lib.*8. *originum*, *cap.*5. qui tamen ſolus eos diſtinxit. Hos refert Vaſquez *diſp.*51.

TANDEM Nouatores hæretici relati à Caniſio *lib.*3. *de Maria Deipara*, *cap.*12. notam ignorantiæ Chriſto inurunt. Ità Lucas Leſſius *in Luca* 2. Melancthon, & Lutherus, & ante eos Eraſmus ad eum locum Lucæ 2. *Ieſus proficiebat*, *&c.* eos ſecuti ſunt Bullingerus, Caluinus, Brentius, & alij, qui Chriſtum etiam adultum, deceptum clamant, cùm acceſſit ad ficulneam, ſperans inuenire fructus, & non inuenit, & cum in horto orauit Patrem, ſed correxit poſtea: *Verumtamen non mea voluntas*, *&c.* Eos refert Bouer. *exam.* 1. *Ath.*17.

61 ADDVCVNTVR etiam aliqui Patres, qui ignorantiam diei vltimæ Chriſto adſciſcunt. Inter hos eſt Origenes *homil.*30. *in Matthæum*, ad ea verba Matth. 24. *De die autem illa nemo ſcit.* Athanaſ. *orat.*4. *contra Arrian.* Cyrill. *lib.*9. *Theſaur. cap.*4. & *lib. ad Euopt.* in oppoſitione Cyrilli contra Theodoretum *circa quartum anathematiſmum*, & *lib. poſteriori*, *de recta fide ad Reginas*, *cap.*1. Sic Toletus *in cap.*2. *Lucæ*, *annot.*86. & Salmeron *Tom.*4. *parte* 3. *tract.*4. referunt Cyrillum, & Athanaſium, quibus Vaſquez addit Origenem. Alios verò PP. *num.*6. defendit.

62 QVOAD Scholaſticos, Richardus *in* 3. *diſt.* 5. *art.*2. ea ſola ſcientiæ Chriſti concedit ex his, quæ ſpectant ad viſionem, quorum ſucceſſio non durabit in infinitum, quales ſunt ſubſtantiæ.

SECVNDA ſententia eſt, Chriſtum cognouiſſe ſimul actu omnia, quæ ſpectant ad ſcientiam viſionis, non modò ſubſtantias, ſed etiam cogitationes, & alia accidentia, quæ erunt infinita. Ita D. Thom. *tertia parte*, *quæſt.*10. *artic.*3. & Thomiſtæ, ac multi Scholaſtici *in* 3. *diſtinct.*14. Magiſter, Albertus, Paludanus, Capreolus, Alenſis, Marſil. & Henricus, *præcedenti quæſtione* adducti. Suarez *diſput.*26. *ſect.*3. Vaſquez *diſp.*51. Bellarm. *contr.*2. *lib.*4. Caſpenſ. *diſp.*6. *ſect.*3. Valentia *q.*10. *punct.*2. Becanus *cap.*9. *quæſt.*8.

Ex his aliqui dicunt, eas vidiſſe ex vi viſionis, ſeu formaliter, & non tantùm cauſaliter. Ita Thomiſtæ, & Suarez; adde Mæracium *diſp.*25. Tannerum *diſp.*5. *dub.*4. Raguſum, & alios. 63

ALII verò negant, vidiſſe ex vi viſionis aliquid futurum. Ita Vaſquez *diſp.*59. *cap.*3. Becanus *loco cit.* Morandus *quæſt.*31. Lugo *diſp.* 19. excipit negationes eorum, quæ non erunt.

TERTIA ſententia eſt, animam Chriſti non cognouiſſe in Verbo omnia futura actu, ſed habitu. Ita D. Bonauent. *hic*, Scotus *quæſt.*2. Faber *diſput.*35. *cap.*5. & alij, quos refert, & ex parte ſequitur Salas *prima ſecunda*, *tract.*2. *diſp.*4. *ſect.*7. Sed recole varia horum fundamenta, & varios modos relatos *quæſt. præced.* Morandus verò *q.*31. cum alis, abſolutè negat.

ASSERO primò, in Chriſto non fuiſſe ignorantiam: eſt de fide contra Gnoitas. Ex quo patet, non fuiſſe deceptionem, vt notat D. Bonauentura *in* 2. *diſtinctione* 23. *art.*2. *quæſtione* 2. *fundamento vltimo.* 64

PROBATVR primò à D. Bonauent. *fundamento primo*, & *art.*3. *quæſtione* 2. *diſtinctione* 14. *fundamento ſecundo*, ratione, quæ eſt D. Gregorij *lib.*6. *Epiſtolarum*, *epiſtola* 42. vbi ait: *Res autem manifeſta eſt, quia quiſquis Neſtorianus non eſt, Agnoita eſſe non poteſt; nam qui ipſam Dei ſapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, eſſe aliquid, quod Dei ſapientia ignoret?* Idem habet Damaſcenus, lib.3. de fide, cap.22. *Qui aſſerunt Chriſtum progreſſum in ſapientia fuiſſe, negant vnionem factam à primo ortu, & Neſtorio fidem adhibent.* Idem argumentum facit Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus *epiſtola ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum*, quæ eſt in V. Concilio Conſtantinopolitano *act.*11. & approbatur actione 14. *Si Chriſtus ignorauit: ergo fuit purus homo.* Sic igitur arguit S. Bonauent. Incarnatio efficaciter, & formaliter eſt perſonæ Diuinæ, quæ eſt ſapientia Patris: Ergo non admiſit ignorantiam. 65

PROBATVR ſecundò à S. Doctore *fundamento ſecundo*, & *in reſol.* Ea omnia debuit Chriſtus ſcire, quæ ad eius officium pertinebant: at omnia præterita, præſentia, & futura, ſpectant ad officium Chriſti Redemptoris, qui eſt Caput Eccleſiæ etiam Angelorum, mundi Magiſter, cuius aſſerta de fide ſunt credenda: Iudex etiam eſt vniuerſorum: Ergo ſcire debuit omnia præterita, præſentia, & futura, ad homines, & Angelos pertinentia. Hæc ratio decerpta à D. Clem. Alexandrino *lib. Pedag. cap.*6. eſt etiam Angelici Doctoris. 66

PROBATVR tertiò ab vtroque Sancto Doctore Chriſtus fuit bis præditus, quæ reddunt hominem deiformem: Hæc ſunt gratia omnem excludens culpam, & veritas, ſeu ſcientia fugans ignorantiam. Hinc Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.*

ASSERO ſecundò, Animam Chriſti non cognoſcere actu omnia futura. 67

PROBATVR à Scoto apud Fabrum *diſp.* 35. *num.*57. ratione D. Bonauent. 3. *diſt.* 14. *art.*2. *q.*2. *fundamento* 4. Si actu ſimul omnia futura intelligeret, perſpiceret actu infinita; ſed hoc repugnat virtuti finitæ: Ergo. Probo ſequenti argumento

calculo

calculatorio, allato *quaſt. praced.* Quando ad obiectum aliquod percipiendum exigitur ſimpliciter potentia, creſcente illo obiecto, creſcere debet per gradus etiam potentia, & creſcente infinitè, debet creſcere etiam potentia infinitè, vt obiectum adæquatè reſpiciat; potentia enim, & obiectum, cognitio, & cognitum ſunt correlatiua, atque adeò creſcente vno, creſcit & alterum: Ergo creſcit cognitio ad menſuram augmenti in obiecto: Ergo obiectum infinitum ſub ratione infinita nequit attingi, niſi à potentia, & virtute infinita.

68 Respondent Scotus, Vaſquez, aliique, poſſe infinitum cognoſci virtute finita, extra terminum finitum; ſic enim etiam Deus infinitus videtur à beatis; ita & infinita, quæ ſunt obiectum ſcientiæ viſionis, intra terminum finitum cogitationis reſtringuntur.

At falluntur, nam Deus videtur à beatis infinitus, ſed non ſub ratione infinita, atque adeò infinitas intenſiua finitè videtur; at infinitas hæc diſcreta videtur ſub ratione infinita numeri infiniti, & ideò exigit infinitam virtutem. Neque verò continetur reſtrictus hic numerus in aliquo, nam cum videatur ſub ratione infinita diſtincta, non poteſt in vno infarcitus perfectè videri.

69 Hinc ruit reſponſio Suarez *diſput.*26. *ſect.*3. Tanner. *diſp.*4. *numero* 110. Raguſæ *diſp.*39. §.2. Aluarez *diſp.*45. *ad* 4. & *diſp.*46. *per totam*, & aliorum; ad cognoſcenda infinita in cauſa finita non requiri virtutem infinitam. Sic in caſu noſtro ex comprehenſione voluntatis creatæ finitæ, cognitæ à Chriſto, in Verbo cognoſci illas infinitas cogitationes hominum, & Angelorum.

Contra enim eſt, quia illæ infinitæ cogitationes non ſatis in propria cauſa videntur, cùm non ſint in ea neceſſariò, neque dicant neceſſariam cum ea connexionem. Ob id enim neque in Verbo formaliter ex vi viſionis cognoſcuntur. Igitur debent videri in ſeipſum diſtinctè, vt infinitæ ſunt.

70 Deinde, eſto videantur in cauſa, adhuc videntur infinitæ, & vt tales numero: Ergo debet eſſe viſio infinita extenſiuè: Ergo & intenſiuè. Probatur conſequentia, quia ideò eſt infinita extenſiuè, quia peruaditur infinitè cauſa, ſed hoc eſt eſſe etiam infinitum intenſiuè: Ergo.

Confirmatur, quia eſſe viſionis non eſt, niſi repræſentare: Ergo quantitas intenſiua debet ex repræſentatione menſurari: Ergo ſi repræſentat infinita, erit infinita intenſiuè; non enim repræſentat, ſicuti ſpecies hominis, omnes homines vniuerſaliter in confuſo, ſed vt plura infinita diſtincta, imò diuerſa per modum plurium.

Respondet Caietanus *art.*3. non eſſe neceſſe, cognitionem eſſe infinitam, ſed ſolùm eſſe altioris ordinis: ſic enim excedit infinita, ſicut Sol excedit infinita generabilia à ſe: Subſcribit Valentia *quaſt.*10. *puncto* 2. Mærac. & alij, vt vidimus *p.p. tract.*1. *diſp.*11. *quaſt.*24.

71 Contra, quia obiectum in eodem genere creſcit per nouos gradus, non ſolùm ad gradum excedentem ſecundùm ordinem, ſed infinitum, ſunt enim infinitæ cogitationes: Ergo ſemper creſcit virtus, & cognitio, neque poteſt aſſignari hic ordo ſuperior, in quo ſit ſtatus. Præthereà idem eſt obiectum, quod videtur, & omnes cogitationes eiuſdem ordinis; ergo creſcit in eo ordine infinitè, vt arguunt Faber *cap.*5. Morandus *quaſt.*31. *num.* 361. Neque verò exemplum Solis eſt ad rem, nam Sol excedit intenſiuè illa infinita ſingula, non extenſiuè, vt infinita ſunt.

Respondent alij, hæc cognoſci infinita ſyncategorematicè, ad quod non exigitur virtus infinita. Ita multi Recentes, inter quos eſt Caſpenſ. *ſect.*4. *num.*28.

72 Contra tamen, quia obiecta illa ſunt quidem ſyncategorematice infinita ſecundùm eſſe ſuccedentia, ſed tamen reſpiciuntur à cognitione ſimul categorematicè infinita, atque adeo infinita cognitio exigitur. Non enim eſt hic quæſtio: an anima Chriſti poſſit conſiderare eas infinitas Angelorum cogitationes, ſemper alias, & alias cogitando, prout ſuccedent; ſed: an ſimul omnes comprehendat: Itaque non eſt quæſtio de nomine, an illa futura ſint infinita actu multitudo, vt ait Caſpenſis ex Suarez.

73 Obiicies primò cum hæreticis illud Lucæ 2. *Proficiebat Ieſus ætate, & ſapientiâ.*

Respondetur ex dictis *diſp.*11. *q.*4. eum ſic profeciſſe, ſicut profecit & gratiâ. Vide ibi: Deinde profeciſſe experimentali ſcientiâ, vel ſcientia humana, cùm ea antea perfectiores noſſet, vt ait Vaſquez. & Becanus; ſed de hoc *quaſt.* ſ q.

Obiicies ſecundò, Matth. 24. ex Marci 13. *De die autem illa, & horâ, nemo ſcit* (ait Matthæus) *neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater.* Marcus verò addit: *Nemo ſcit, neque Filius, niſi Pater.* Id de humana Chriſti natura exponunt Athan. *ſerm.*4. *contra Arrian.* Baſil. *lib.*4. *in Eunom.* Hilar. 9. *de Trin.* Nazianz. *orat.* 4. *de Theol.* & Patres VI. Synod. *act.*12.

74 Enim verò SS. Patres citati, & Chryſoſtom. *homil.*14. in Marcum, & Scholaſtici *diſt.*14. & D. Thom. *quaſt.*10. *art.*12. & communiter Sancti expoſitores apud Valent. *tract.*1. *quaſt.*1. *de Trinit. p.*1. §.1. aſſerunt, Chriſtum, vt hominem, certò diem iudicij cognouiſſe, nec poſſe negari, cùm fuerit Iudex illius diei conſtitutus, vt arguit cum Patribus D. Bonau. *ad* 17. *Luca*, vbi ideò ſigna præuia afferre notat.

Ad locum allatum variæ ſunt expoſitiones apud D. Bonauent. *hic*, & *in* 4. *diſt.* 48. *quaſt.*4.

Prima eſt, loqui de filio adoptiuo quocumque. Sic D. Baſil. *in catena*, D. Thom. *Matth.*24. in libro quodam inuenit.

75 Secunda eſt Origenis *homil.*30. *in Matth.* Senſum eſſe, nullum membrum Eccleſiæ id ſcire, quod enim corpori conuenit, tribuitur capiti, iuxta regulam Ticonij, & è contra. Sic & Eulogius Epiſcopus Alexandrinus contra Agnoitas, vt refert D. Gregor. *lib.*8. *epiſt.*42. Sed eam reiicit Suarez *ad art.* 2. *quaſt.*10.

Tertia apud D. Bonauent. excludit ab hac notitia ſolos Angelos infimos, & homines viatores.

Quarta eſt neſcire ad reuelandum. Sic fouea dicitur cæca, quia fundum non oſtendit, (vt ait D. Bonauent.) ſic etiam quod ſub ſigillo ſcis, neſcire te, ais. Hinc & Ioan. *Omnia, quæ audiui à Patre, nota feci vobis.* ſanè ſola reuelanda pro tunc, nam addit: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Eſt communis Patrum. Hieron, Chryſoſt. Theophylact. aliorumque *hic*, Ambroſ. *lib.*5. *de fide*, c.8. Baſil. *lib.*4. *in Eunom.* Auguſt. *lib.*1. *de Geneſ. contra Manich.* & 1. *de Trinit. cap.*12. Gregor. *lib.*4. *epiſt.*41. Athanaſ. Hilar. & D. Thom. Eam laudant Suarez, Becanus, Bouerius *loco cit.* Valentia *diſput.*1. *quaſt.*10. Caſtro apud Vaſquez *num.*14. Maldon. ad eum locum.

76 RESPONDET vlt.è D.Bonau.*loco cit. in* 4.nescire viâ naturali. Sic D. Gregor. *loco cit.* Nazianz. *orat.*36. *num.*63. Damasc. 3.*de fide*, *cap.*22. & alij, quos sequitur Vasq. cum Caiet. ibi, Valentia, dicens, eam placuisse Patribus VI. Synodi.

OPPONES aliquos Pattes, visos asserere in Christo eius diei ignorantiam, ità D. Clem. *lib.*10. *Recognit.* Sed eam notitiam non à se, sed à Patre humilis confitetur: Theophyl. Antioch. *lib.* 1. *com. in Euang.* Sed & is intendit quartam expositionem, vt hominum retundat præsumptionem. D.Ambros. *de fide*, *lib.*5. *cap.*8. Sed quintam sequitur expositionem: Theodoret. *anath.*4. apud Cyrillum; tamen palinodiam cecinit. Addes Nazianz. *orat.*36. at eum explicat Damasc. *lib.*3. *de fide*, *cap.*21. intelligere de natura humana præcisè à Verbo, à cuius vnione babet priuilegium. Vide Boucrium.

77 VRGET tertiò Calvinus. Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus similari*: Ergo & in ignorantia.

DICO debuisse similari per omnia, quæ tantum vitum non dedecerent. Hinc est natus de Virgine sine culpa, de Spiritu sancto conceptus, &c. Iam D.Anselmus *lib.*2. *cur Deus homo*: soluerat, oportuisse Christum sapientem esse, vt in eius dicta secutè crederemus.

INSTAT, Christum deceptum fuisse in ficulnea, quærendo fructus. *Matth.* 21.

78 SANE ficulnearum tempus nouerat: *Matth.*24. *Luca* 13.

RESPONDETVR cum D.Bonauent.*ad* 13.*Luca*, id factum esse ad ostendendam in parabola, animæ, vel Synagogæ sterilitatem, & ita eam visitasse, ac quæsiuisse in ea fructum, vt indicaret inquisitionem, quam facturus erat in Synagogam. Ita Origen. *tract.*17. *in Matth.* Hieron. Hilar. Beda hoc loco.

OBIICIES quartò. Cbristus orauit Patrem, vt passionem euitaret, postea correxit se dicens: *Verumtamen non mea voluntas*, *&c.* Ergo priùs ignorabat voluntatem Patris de morte subennda.

79 MIRA sanè est petulantia hæreticorum, cùm Dominus in præcedentibus prædixisset: *Ecce ascendimus*, *&c.* *& Filius hominis tradetur*, *&c.* Igitur sic orauit: *Transeat*, secundùm portionem animæ inferiorem; at cùm ait: *Verumtamen*, secundùm rationem orauit, vt notant communiter Expositores cum D. Bonau. *ad* 22.*Luca*, & *in* 3.*dist.* 17.*quæst.*3. *ad argumenta.*

DICAS *Isa.*7. dicitur: *Antequam sciat puer reprobare malum.*

RESPONDETVR, magnificari potentiam Christi, qui in ea ætate, qua communiter ignoratur bonum, & malum, triumpharet.

80 AD Pattes, qui videntur admittere in Christo ignorantiam aliquam, Respondet D. Bonauentura aliquos adscribere ignorantiam naturæ assumptæ, non in indiuiduo, sed secundùm rationem specificam. Ità Damascenus *lib.* 3. *cap.* 21. Alios adscribere ignorantiam experimentalem ab initio. Ità Ambrosius *lib. de Spiritu sancto.* Alios generaliùs locutos, Christum in eo scilicet esse similem nobis, vt naturaliter non sciret omnia.

QVÆSTIO VI.

An, & quomodo in CHRISTO *fuerit Scientia, connaturalis anima humana.*

D. Thomas quæst.12. art. 4.
D.Bonau.dist.14.art.3. quæst.1. & 2.

AGo prius de hac, quàm de infusa, quia ex huius definitione pendet definitio alterius. 81

PRIMA opinio est, scientiam connaturalem, quæ comprehendit habitum principiorum, scientiam, atque sapientiam, quæ solent labore acquiri, non fuisse in Christo. Citantur D. Bonauentura, & Richardus; sed malè, vt notat Suarez *disp.* 25. *sect.*2. negant enim tantum hanc scientiam fuisse labore acquisitam, sed dicunt, eam infusam, sicuti fuit etiam Adæ. Ità loquuntur *dist.*14.*art.*3.*quæst.*2. Certissimum est autem dari in Christo talem scientiam, vt dixi *quæstione prima*, est enim magna animæ perfectio. Qua ratione nititur Suarez *loco cit.* post D. Bonauent. *distinct.*14. *art.* 3. *quæst.*1. *in corpore.*

QVÆSTIO ergo est quoad modum. Pro quo sciendum, scientiam omnem, quæ virtute intellectus agentis per sensus hauritur, posse infundi à Deo, & tunc dicitur scientia infusa per accidens, nempe quia per se solet, ac potest acquiri; sicuti è regione illa est scientia infusa per se, quæ per sensus non potest hauriri, neque virtute naturali intellectus. 82

ADVERTE autem, scientiam, siue per accidens, siue per se infusam, dici inditam. Quare æquo nimium acutus Caietanus *quæst.*9. *art.*3. scientiam inditam distinguit ab infusa, quia indita non modo infusa est, sed etiam cum ipsa anima incipit; infusa verò est, quia non acquiritur labore. At S. Doctor *dist.*14. *art.*3. *quæst.*1. *&* 2. & alij vtroque nomine vtuntur ad idem exprimendum, vt notat Vasques *disp.*52. *num.*1. Sanè cum S. Doctor vult exprimere infusum à natalibus, id addit, vt patet *loco cit.* Potius igitur videtur scientiâ inditâ signare infusam per accidens. 83

PRIMA opinio est, scientiam hanc non fuisse infusam, sed acquisitam. Ita D. Thom. *loco cit.* Caietanus, & recentiores Thomistæ *ibidem*, Capreolus *in* 3. *dist.*14. *quæst. vnica*, *art.*1. *concl.*2. & *art.*3. *ad* 1. *contra secundam conclusionem.* Maior *quæst.*5. & Marsil. *in* 3. *quæst.*10.*art.*2 *p.*4.*concl.*5. Vasquez *disput.*55. *cap.*2. Valentia *disp.*1. *quæst.*9. *puncto* 2. Morandus *quæst.*30.*num.*359.& *quæst.*33. Mærac. *disp.*30. 84

SVAREZ *disp.*30. *sect.*2. vult, animam Christi habuisse ab initio conceptionis omnes habitus perfectos scientiarum, & virtutum intellectualium cum speciebus, ad eorum vsum necessariis, & quoad hoc conuenit cum D.Bonauent.*loco cit.* & Richardo *ibid.* D.Thoma *quæst.*20. *de veritate*, *art.*2. & *in* 3. *dist.*14. *art.*3. *quæst.*3. Paludano *quæst.*2. Gabriele, Scoto *ibi*, & Alensi 3.*part. quæst.*13.

ADDIT verò, animam Christi non habuisse ab initio creationis suæ eam cognitionem, quæ in humana experientia consistit, atque adeò successiuè in hac profecisse. Hoc autem asserit factum esse non modò, quia absque noua specie intellectiua sensus exercerentur circa ea, quæ videbantur noua, 85

atque

atque simul cum intellectu iam informato applicabantur circa res, experimento compertas, quas inibi intellectus optimè nouerat, sed etiam quia intellectus mediis sensibus acciperet nouas species experimenti oblati, quas ab initio non habuit, & hoc secundo modo declinat à D. Bonauentura, & refutatur etiam à Vasquez *cap.* 2.

86 Vera igitur sententia S. Bonauent. *loco cit.* quam sequuntur Durandus *ibidem, quæst.* 4. Gabriel. *quæst. vnica, art.* 3. *dub.* 3. Scotus *quæst.* 3. Caspensis *disp.* 6. *sect.* 5. Lugo *disp.* 25. *sect.* 2. Pasqualig. *disp.* 93. & alij, præcipuè Thomistæ, est, omnes species, & habitus rerum, quæ naturaliter sciri possunt, infusas fuisse à creatione illi animæ sanctissimæ, ita vt experimentalem postea cognitionem, seu praximediseeret, non per haustum nouarum specierum, sed operantibus speciebus, à creatione inditis, atque se exercentibus ad præsentiam obiectorum excitantium sensum, operante tunc etiam sensu, cui illa obiecta repræsentabantur, & hoc satis esse ad notitiam experimentalem, concedit etiam Vasquez *loco citato.*

87 Assero primò, species omnes, & habitus, naturalem cognitionem respicientes, fuisse infusos animæ Christi ab initio.

Probatur à S. Bonauentura primò ex Beda ad illud Lucæ 2. *Proficiebat Iesus Sapientiâ*, vbi ait: *Proficiebat, non quod ipse Sapientior fieret ex tempore, sed eandem Sapientiam, qua plenus erat, cæteris paulatim demonstrabat.* Ità ab initio fuit Rhetor, Philosophus, Metaphysicus, Theologus, &c. vt ait Vulp. *disp.* 40. *art.* 4.

Probatur secundò à S. Doctore ex Damasceno *lib.* 4. *de fide, cap.* 22. vbi ait: *Qui dicunt, eum proficere sapientiâ, non eam, qua secundùm hypostasim, vnionem venerantur.* Idem argumentum habent alij SS. PP. relati *quæst.* 5. *asserto* 1. Eodem modo loquuntur Bernardus, *homil.* 2. *in Missus est.* Beda, *tomo* 7. *homil. Dominica prima post Epiphaniam.* Theophylact. Euthym. Lyra, & alij, *Luc.* 2. Eos verò Patres secutus est Vasquez *disp.* 51. *cap.* 2. Maldonat. *ad* 2. *Lucæ*, addens Nazianz. Orig. Basilium, & alios.

88 Respondet Vasquez, *disp.* 55. *num.* 11. Sanctos PP. solùm negare, Christum profecisse simpliciter in scientiâ, se autem solùm dicere, Christum, ea, quæ præstantiori modo sciebat, denuo per hanc scientiam acquisitam paulatim cognouisse, quod non est simpliciter in scientia proficere.

Contra primò, quia S. Damascenus negat, Christum profecisse tam in scientiâ Diuinâ, quam humanâ, & per scientiam Diuinam videtur intelligere scientiam supernaturalem; nunquam enim de scientia creata, per humanam verò intelligit scientiam naturalem, & eodem modo locuti sunt alij Patres relati: Profectò scientia, per se infusa, non est, aut dicitur humana, cum nulla virtute humana valeat comparari, vt fatetur etiam Vasquez *disp.* 52. *cap.* 1.

89 Deinde quæro, quo nobiliori modo priùs erat nota? an visione Beata? & tunc non est noua cognitio; nam, in Verbo eadem, dum fiebant, videre poterat, & videbat: Præter hæc esset profectò noua perfectio simpliciter contra dicta Sanctorum, allata *quæst.* 5.

Probatur tertiò à D. Bonauentura ratione hinc deducta, quam vrget etiam Suarez, quia licèt hæc scientia non deberetur naturæ humanæ præcisè; tamen ratione vnionis debetur naturæ assumptæ, & data profectò fuit illi humanitati, quam plenam omnibus gratiis, etiam gratis datis, ac donis ostendimus *disp.* 12. *quæst.* 5. postulat enim personæ assumentis dignitas, vt natura assumpta sit omnino perfecta, non solùm supernaturali, sed etiam naturali perfectione, præsertim intellectus; & carere ad tempus hac perfectione, non fuit ad redemptionem patrandam necessarium, imò decebat, vt redemptor esset eruditissimus, non autem velut tabula rasa, vt omnia opera compleret, vt notat S. Doctor *dist.* 15. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore.*

Probatur quartò à S. Doctore ad hominem: 90
Duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto: At species acquisitæ, & infusæ sunt eiusdem speciei: Ergo non potuerunt esse in eadem Christi anima; sed anima Christi per vos habuit species infusas omnium rerum: Ergo non potuit earumdem species acquirere. Hoc argumento vtitur Durandus, *dist.* 14. *quæst.* 4. Scotus *dist.* 14. *quæst.* 3. Fauentinus, *disputat.* 36. *num.* 3. Maior propositio est D. Thomæ 3. *parte, quæst.* 35. *art.* 5. Minor probatur; nam nulla alia differentia inter eos species est, nisi ex parte efficientis; sed hæc non sufficit ad mutandam speciem, alioqui Adam differret specie à nobis, quia non est genitus, sed à solo Deo creatus è luto.

Confirmatur ex D. August. *ad Deo gratias*, & D. Ambros. *de Incarnatione*, vbi ait: *Disparitas ortus non facit distinctionem naturæ.*

Respondent Capreolus *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. 91
Caietanus, 3. *parte, quæst.* 9. *art.* 4. quem sequuntur cæteri recentiores, Vasquez *cap.* 4. Medina *hîc*, Suarez *loco citato*, & Scotum errare ex falso supposito; putat enim, scientiam infusam, & acquisitam eiusdem speciei; etiam secundùm D. Thomam, quod est falsum; nam sunt de obiectis adæquatis diuersis. Addit Capreolus: Dato etiam quod essent eiusdem speciei: attamen vna non esset superflua, quia per alteram obiectum perfectiùs cognoscitur. Addit Vasquez, in Schola D. Thomæ esse sola accidentia, solo numero distincta, repugnare esse in eodem subiecto simul, quæ continuantur: tales non sunt species.

Contra; nam vtraque repræsentat idem obie- 92
ctum, non enim dantur Thomisticæ illæ species infusæ adæquatè omnium vniuersales obiectorum, vt ostendi *p. p. tract.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 6. Quare frustra Suarez addit lumen viuacius ad eas illuminandas. Quod verò ait Capreolus, contra eum est, vt indicat S. Bonauentura, & Faber; nam cùm infusæ species sint perfectiores, frustra adduntur acquisitæ, nisi ad aliud inseruiant, de quo agam *quæst.* 10.

Quod verò dicit Vasquez, inane est; nam ideò repugnant, quia continuantur, ne superfluè natura se habeat in recipiendo. Quare non benè respondet Quod sequenti argumento probat S. Doctor.

Probatur quintò à S. Doctore: materia non est 93
in potentia ad formam, quàm habet actu; nam omne recipiens debet esse denudatum forma recepta; sed anima Christi per vos ab initio habuit omnes species rerum creatarum: Ergo nequiuit alias acquirere.

Probatur sextò à S. Doctore *dist.* 14. *art.* 3. *q.* 1. *in corpore*, ex perfectione animæ Christi super animam Adæ, & super Angelos: Si enim Angelos, & Adæ infusa est plenissima cognitio rerum ab initio, cur non multò magis animæ Christi: Sic arguit Suarez *disputat.* 25. *sect.* 2. & *disputatione* 30. *sect.* 2.

Respondet Vasquez *num.* 21. rationem diuer-

ſitatis eſſe, quia Adam conditus eſt in ætate perfecta, vt caput totius generis, & rerum moderator; ideò conueniens fuit, vt ſtatim res cognoſceret: Chriſtus autem, quia genitus eſt ætate infantili, ita, vt non verſaretur in mundo tanquam perfectus, non fuit id neceſſe.

94 AT verò licèt ætate infantili genitus, tamen aſſeritur genitus Vir, Hierem. 31. *Fœmina circumdabit Virum*, quod ſignificat, debere eſſe perfectum à conceptione in omni gratia, & ſapientia, vt exponunt PP. Deinde Virum vocat quia, non purus homo, ſed etiam Deus; vnde debuit eſſe plenus omni ſapientiâ ab initio, vt dicunt PP. relati *argumento* 2. quæ benè aduertit S. Bonauentura *in* 3. *diſtinct.* 3. *part.* 1. *quaſt.* 3. *in reſolut.* Quod verò coram hominibus non eſſet Chriſtus oſtenſurus ſuam ſapientiam, quid tum? ſatis eſt debuiſſe ab initio opera heroïca virtutum ad redemptionem ordinare, vt notat D. Bonauent. *diſtinct.* 15. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corpore.*

ASSERO ſecundò animam Chriſti acquiſiuiſſe ſolam experimentalem.

95 PROBATVR primò à S. Doctore ex 5. ad Hebr. *Didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Dicitur autem Chriſtus didiciſſe obedientiam ex his, quæ paſſus eſt, quia experimento cognouit id, quod antè eo modo non nouerat, nempè obedire non ſolùm in aliis, quæ iuſſu Patris fecit, ſed etiam in laboribus perferendis, vt notat Vaſquez, *num.* 7. cum S. Bonauentura, *in corpore.* Hoc verò non exigit nouam cognitionem, vt putant Vaſquez, & Becanus.

PROBATVR ſecundò à S. Doctore, ex illo Luc. 2. *Puer Ieſus proficiebat*, vbi D. Ambroſ. lib. de Incarn. cap. 7. *Proficiebat, ſapientia enim ſenſu proficit.* Idem habet Gloſſa, & alij Patres, allati *quaſt.* 5. *& diſp.* 11. *quaſt.* 4.

96 ASSERO tertiò conſequenter, hanc cognitionem experimentalem non eſſe acquiſitam per nouas ſpecies: Patet ex dictis *in primo aſſerto.*

PROBATVR verò ratione quarta D. Bonauenturæ, quia duæ ſpecies eiuſdem omnino rationis non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto; ſed ſpecies acquiſita, & infuſa per accidens, ſunt tales: Ergo. Hoc autem eſt ſuperfluum, ſiquidem ad nouam notitiam experimentalem ſatis eſſet concedere ſpecies per accidens infuſas, per quas intellectus operaretur in præſentia obiectorum, vt dixi, & notat Vaſquez *num.* 6.

97 OBIICIES primò: Chriſtus aſſumpſit ea, quæ plantauit in noſtra natura; at plantauit in nobis, vt ex multis ſenſibilibus fiat vna memoria, ex multis memoriis vna experientia, & ex multis experientiis vnum vniuerſale, quod eſt principium actus, & ſcientiæ: ſed hic modus (addit Suarez) facit cognitione proficere per experimentum; experientia autem eſt repetita memoria earum rerum, quæ per ſenſum perceptæ ſunt, & pro vt perceptæ ſunt.

98 RESPONDET S. Bonauentura, quod duplex eſt modus cognoſcendi per experientiam, alter qui eſt via in acquiſitionem ſcientiæ: alter, qui eſt via in exercitium ſcientiæ, vt quod priùs ſciebatur Theoricè, poſtea ſciatur practicè: Prior modus reperitur in ſcientiæ inuentione: Secundus verò conſiſtit in vſu ſcientiæ iam præditæ. In primo eſt tranſitus ab incognito ad cognitum: in ſecundo verò eſt via à cognito vno modo ad cognitum alio modo. Primus modus imperfectus eſt, reſpiciens conditionem naturæ lapſæ. Alter verò reſpicit ſtatum innocentiæ, in quo habitus ſcientiæ præceſſit vſum, & ſimplex notitia præceſſit experientiam, & iſte modus fuit in Chriſto, & fuit ignotus Philoſopho, qui eum ſtatum ſolùm agnouit, in quo naſcimur tanquam tabula raſa.

99 OBIICIES ſecundò: Chriſtus habuit intellectum agentem: Ergo potuit abſtrahere ſpecies, alioqui eſſet fruſtra: hoc eſt argumentum præcipuum D. Thomæ.

RESPONDET D. Bonauentura, intellectus agentis duo eſſe munera: alterum abſtrahere ſpecies ad nouam notitiam, & habitum generandum: alterum iudicare id, quod apprehenſum eſt per ſenſus; & hoc modo operatur in Chriſto intellectus agens, incitatus à potentia inferiori: alterum autem munus non exercuit intellectus Chriſti, quia non acquirebat nouum habitum, hoc enim erat imperfectionis; neque benè arguitur debuiſſe habere omnem operationem, quæ eſt imperfectionis, alioqui deberet Chriſtus in gloria etiam augmentari, cùm in eo eſſet potentia augmentatiua; at ſanè non erat ſuperflua, quia non eſt hæc imperfectio conueniens ſtatui beato, vt benè ſubdit Scotus apud Fabrum, *num.* 4.

HINC etiam ruit argumentum, quod eſt Achilles Morandi, & aliorum, debere nos ſaluare quantum poſſumus conuenientiam Chriſti cum aliis hominibus, ſed acquirunt ſcientiam: Ergo.

RESPONDETVR, non communicare Chriſtum nobiſcum in imperfectionibus, quæ non faciunt ad Redemptionem.

100 QVAMVIS autem Scoto poſſet reſponderi, diſſimilem eſſe rationem, ab eo allatam, beatus enim indiguit pro aliquo tempore intellectu agente, & potentia augmentatiua, & ideò non eſt ſuperflua; at verò intellectus agens Chriſti nullo eſſet tempore neceſſarius, quippè à primo ortu infuſas habuit ſpecies, nec ad aliquod officium inſeruiebat: Melius igitur Seraphicus aliquod munus concedit intellectui agentis Chriſti.

Ex dictis corruunt etiam inſtantiæ Vaſquez. Primò quidem ad authoritates 5. *ad Hebr.* & Sanctorum PP. quos refert, reſpondet S. Bonauentura, Chriſtum decurſu temporis accepiſſe nouam quidem notitiam experientiæ, non tamen nouas ſpecies, ſed eas à conceptione habuiſſe.

101 QVOD verò vrget ratione (vt ei placet) efficaciſſima, quia ſpeciebus illis per accidens infuſis ab initio non poterat vti ſine vſu ſenſuum, & ſine conuerſione ad phantaſmata: Ergo fruſtra Chriſtus eas ab initio recepiſſet, cùm non poſſet illis vti. Antecedens patet ex illo: *Oportet intelligentem ſpeculari phantaſmata.*

RESPONDETVR primò: Si neceſſaria eſt conuerſio ad phataſmata, nil dubium, quin fuerint ſimul cum ſpeciebus infuſa. Ex hoc enim nil ſequitur abſonum. Deinde variæ ſunt illius axiomatis expoſitiones: ſequendo igitur expoſitionem Vaſquez *diſput.* 52. *cap.* 2. nil aliud ſignificat, niſi intellectum intelligere, adiutum à ſenſibus, dum eſt in corpore, quod denotauit Ariſtoteles, 3. *de anima*, *cap.* 7. *text.* 30. vbi ait: *Animæ autem, quæ eſt principium ratiocinandi, ipſa phantaſmata, perinde atque ſenſibilia ipſa ſenſui ipſi ſubiiciuntur, atque cùm bonum, aut malum eſſe dicit affirmando, aut negando, tunc fugit, aut perſequitur: quapropter ipſa anima ſine phantaſmate nunquam intelligit.*

102 CVM igitur ſcientia hæc infuſa non ſit acquiſita labore, ſeu opere ſenſuum, & per abſtractionem intellectus agentis, non eſt cur ad phantaſmata recurrat:

currat: Alioqui si ex vi ipsius modi intelligendi pro hoc statu necessariò cogeremur speculari phantasmata, etiam abstractis speciebus intelligibilibus, sequeretur, non posse Christum intelligere etiam per species infusas per se, absque recursu ad phantasmata, vt arguebat Durandus 3. *dist.* 14. *quæst.* 3.
103 *num.* 7. quod tamen Vasquez apertè negat *loco citato, num.* 11. respondens Durando, vsum scientiæ pendere à conuersione ad phantasmata ex hoc, quòd per sensus acquisita sit. Itaque cùm Vasquez noueꝛit, hanc scientiam secundùm nos, non esse per sensus acquisitam: Miror, gloriari, se hac ratione efficacissima nobis obesse.

ALIAM etiam responsionem ex Suarez referam *quæstione* 8.

QVÆSTIO VII.

An CHRISTVS *aliquam notitiam ab Angelis acceperit.*

104 CERTVM est apud Cathólicos, Christum à nullo præceptore didicisse, vt latrabant Agnoistæ; id enim etiam Iudæi confessi sunt, Ioan. 7. *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* vt obseruat D. Bonauentura, *ad eum locum* ex Chrysost. *homilia* 48. *in Ioannem.*

AN verò aliquam hauserit illuminationem ab Angelis, quæritur inter Scholasticos, & dico, nil eum ab Angelis didicisse. Ità Vasquez *disput.* 56. *cap.* 2. Valentia, *quæst.* 12. *puncto vnico,* Morandus, *quæst.* 33. *in fine.*

105 Et quidem *ex Luca* 22. habetur: *Apparuit Angelus de cælo confortans eum,* vbi videtur aliquam ei illuminationem irradiasse. Hæc sanè historia aliquando videtur fuisse incerta, apud Hilarium 10. *de Trinitate:* Attamen ex definitione Concilij Tridens. *sess.* 5. *de vsu Sacrorum librorum* est canonica; eius verò meminit S. Dionysius Areopag. *de cælest. hierarch. cap.* 4. eamque ex traditionibus, nempè ab Apostolis, se eam accepisse testatur. Multi igitur asserunt, Christum ab Angelo aliquid consolationis accepisse: Ità D.Thom. *quæst.* 12. *art.* 4. *ad* 1. S. Bonauentura, *in medit. vita Christi, cap.* 75. Imò Hieronymus *in secundo dialogo contra Pelagianos,* Cyrillus *epist.* 9. Damascenus 3. *de fide, cap.* 20. Bernardus *serm.* 1. *de S.Andrea.* Beda *in eum locum,* Lyra, Caietanus, & recentiores Thomistæ.

PORRÒ hanc consolationem ob indigentiam Christo fuisse allatam, aduertit Caietanus ex Hieronymo, Cyrillo, Damasceno, atque Niceta; attamen aduertit S.Thomas, hoc non fuisse per modum instructionis, sed vt appareret veritas naturæ humanæ: Idem sentit S.Doctor *in* 2. *dist.* 11. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad secundum.* Quomodo autem id factum sit, Caietanus, & alij dicunt, Angelum solùm proposuisse Christo obiecta consolationis, nil inspirando, neque instruendo ratione aliqua, vel illuminatione: Ità etiam Caspens. *disp.* 6. *sect.* 5.

106 ENIM verò alij è regione dicunt, Angelum, nulla verba consolationis Christo attulisse, sed tantùm laudasse magni animi dotem ad mortem subeundam, dicens: *Tua est potentia, tua est fortitudo:* Ità Chrysostom. *serm. de Trinitate,* post medium, Theophylact. *ad* 22. *Luc.* Epiphanius *hæresi* 3. & videtur insinuasse D.Thom. *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 7. Idem videtur sentire D. Bonauent. *ad eum locum Lucæ:* attamen non deserit primam sententiam; ait enim, apparuisse Angelum ad confortandum, non tamen propter suam indigentiam, sed propter confortationem nostram.

ASSERO, Angelum confortasse Christum.

PROBATVR primò ex proprietate sermonis, & ex PP. suprà allegatis: Ex his D. Hieronymus arguit Pelagianum: *Christus indiguit auxilio, & in passione ab Angelo confortatur; & tu non indigebis?* Cyrillus verò arguit Apollinaristam, & eos, qui dicebant in Christo esse vnam naturam, quia eguit confortatione. 107

RESPONDET Vasquez *num.* 9. apparuisse Angelum per modum confortantis, sed non confortasse, ideò dicitur *confortans.*

At quis non videt, potuisse Christum confortatum fuisse, etiamsi non caperet inde solatium? Aut quo pacto diceretur confortans, qui non confortaret?

OBIICIT Vasquez: Angelus Christum confortare debebat, vel illuminare, proponendo ei nouam aliquam rationem, vel interius illustrare, vel exteriori voce instruere, aut proponere exteriùs aliqua obiecta sensibilia, ex quorum aspectu mitigaretur dolor: sed nullo modo id potuit fieri. 108

RESPONDET D.Bonauentura acutè *ad* 22 *Lucæ,* Angelum confortasse orando, vt mortem subiret ob notum finem nostræ salutis ad nostram confortationem.

HIS habes malè Vulpem *disp.* 43. *art. vlt.* asserere è Scoto, Christum ab Angelis dedicisse, & adhuc ediscere.

QVÆSTIO VIII.

Quid cognouerit CHRISTVS *per hanc scientiam connaturalem, licèt infusam.*

D. THOMAS, & qui eum secuti sunt *quæst.* 6. assentes, Christum hanc scientiam acquisiuisse, consequenter dicunt, per eam didicisse extrà ea tantùm, quæ ex sensibus accipiuntur. 109

SVAREZ tamen vult, etiam ea, quæ anima separata discit in statu viæ, cognouisse.

PROBAT ex perfectione animæ sanctissimæ, quæ ab initio habuit omnem perfectionem, sibi debitam ratione vnionis, vel beatitudinis.

PORRÒ anima illa sanctissima, licèt informaret corpus mortale, tamen retinuit conditionem animæ beatæ, vt non esset subdita corpori; sed illi dominaretur, atque adeò potuit cognoscere non modò propriam substantiam, sed etiam virtutes corporum cælestium, & substantias separatas, alioqui fuisset cognitio eius valdè imperfecta. Hinc colligitur potuisse ea cognoscere absque conuersione ad phantasmata, quia non erat subiecta corpori quoad omnes suas operationes. Hæc Suarez.

SI obiicies cum Vasquez, sic confundi scientiam per se infusam cum infusa per accidens, quæ naturaliter poterat acquiri. 110

RESPONDET Suarez, non confundi; nam scientia per se infusa modo supernaturali docet: Hæc latiùs infrà sunt definienda.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

An in CHRISTO fuerit scientia per se infusa.

111 SCIENTIA per se infusa ea est, quæ nullo humano ingenio potest comparari. De quibus autem obiectis sit, dicam infrà, & sanè scientiam aliquam infusam, in anima Christi omnes Theologi concedunt, sed quæstionem mouent de infusa per se.

PRIMA opinio est, solam scientiam infusam per accidens in anima Christi fuisse, nempè eam, quæ proprio etiam labore potest acquiri: In hac opinione Vasquez. *disp* 5 a. *cap.* 1. ponit Alensem 3. *parte, quæst.* 13. *mem.* 1. *&* 2. & D.Bonauent. 3. *distinct.* 14. *art.* 1. *quæst.* 1. qui dicunt, animæ Christi concessam

112 fuisse eam scientiam infusam, quæ debita fuit homini in statu naturæ integræ, atqui nullus hactenus sensit, primo homini in eo statu datam fuisse scientiam suaptè natura infusam, per quam posset intelligere sine adiutorio sensuum, & conuersione ad phantasmata. Pro eadem sententia adducit Scotum 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. §. *contra conclusionem*, & §. *Ad quæstionem*, Durandum *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 4. Gabrielem *eadem dist. quæst. vnica, art.* 2. & Almain. *quæst.* 1. *art.* 2. qui scientiam infusam, & acquisitam consundunt, atque adeò infusam per se repellunt: In hanc sententiam adducitur D.Bonauent. etiam à Suarez *disput.* 25. *sect.* 3. & Nazarin *quæst.* 9. *art.* 3. *controu. vn.* Morando *quæst.* 30.

113 AT enim falluntur isti; nam Seraphicus *eo loco* non dixit, eam solam scientiam esse infusam animæ Christi, quæ debita erat Adæ in statu innocentiæ, sed quod præter cognitionem in Verbo habuit cognitionem à Verbo, quæ est cognitio gratiæ gratis datæ, sicut fuit in intellectu Adæ, vel etiam Angelico.

IN *secundo, dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 1. *&* 3. astruit, in Adamo scientiam per se infusam maximè circa diuina, vt vidimus *p. p. tractat.* 1. *disputat.* 1. *quæst.* 7. Ideò S.Doctor, vt ibi vidimus, concedit Adæ prophetiam, visionem aliquorum, & concedit, potuisse, eum in alicuius supernaturalis obiecti cognitione crescere, vt patet legenti quæstionem primam citatam in secundo.

ENIM verò Christum non potuisse crescere nouâ notitiâ, ostendit D.Bonanent. *distinct.* 14. *art.* 3. *quæst.* 2. vbi supernaturalia eius cognitioni concedit, & omnem plenitudinem sapientiæ gratis datæ. Quid clarius?

ET quoad Angelos *in* 2. *dist.* 4. *art.* 3. *quæst.* 1. concedit eis cognitionem supernaturalem omnium; nam ait, indidisse species, & desuper expandisse lumen super mentes Angelorum, quo cognoscerent facta, & facienda.

114 SENTENTIA igitur S.Bonauenturæ est, in Christo fuisse scientiam per se infusam. Ità S. Doctor suprà. Eum sequuntur D.Thom. *quæst.* 9. *art.* 3. & *tota quæst.* 11. omnesque Thomistæ ibi, Capreolus *in* 3. *distinct.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 2. & *art.* 3. *ad argumenta*, Paludanus ibi, *quæst.* 2. Marsil. *quæst.* 10. *art.* 2. Valentia *disp.* 1. *quæst.* 9. *puncto* 2. Nazarius *quæst.* 9. *art.* 3. *controu. vnica*, Caspensis *disp.* 6. *sect.* 4. Suarez, & Vasquez suprà, Morandus *quæst.* 30. Tanner. *quæst.* 5. *dub.* 3. *n.* 88. Lugo *disp.* 20. *sect.* 1. Becanus *cap.* 9. *quæst.* 4.

ASSERO, in Christo fuisse scientiam suapte natura infusam, distinctam à beata, & acquisita.

PROBATVR à D.Bonauentura *in* 3. *distinct.* 14. *art.* 3. *quæst.* 1. *fundamento* 1. *&* 2. ex PP. allatis. *quæst.* 5. qui ex dignitate Filij Dei arguunt, eum omnia sciuisse, nec potuisse noua cognoscere. 115

PROBATVR secundò à S. Doctore ibi, *fundamento* 3. Christus fuit plenus omni gratiâ, & veritate, vt dicitur *Ioan.* 1. Ergo habuit omnem veritatem, & scientiam, quæ desuper infunditur: sic etiam ad eum locum Ioannem acutè arguit S. Doctor: Christus fuit datus nobis plenus gratiæ ad sanctificandum, plenus veritatis ad illuminandum: ergo in se habuit cognitionem omnium supernaturalium, quæ nobis tradere debebat, sic igitur cognoscebat cogitationes hominum, & Angelorum, Diuina, supernaturalia Mysteria, & futura contingentia. Vnde *Luca* 2. de rebus Diuinis disserebat puer, stupentibus Doctoribus, vt notat ibi S.Doctor, & post eum Valentia.

NEQVE nos pungit scrupulus Suarez, posse dubitari Christum hæc omnia cognouisse scientiâ beatâ, nam vt notat Valentia cum S. Doctore, plenitudo sapientiæ significat omnem modum sciendi res, nec solùm per gloriam, seu visionem beatam, & omnem carentiam cognitionis excludit, quam rationem efficaciorem acclamat Vasquez, *numer.* 6. Confirmatur; nam in Christo fuit scientia omnis super cæteros; at multi sancti habuere scientiam infusam per se: Ergo. Hæc verò in D.Bonauentura *distinct.* 14. adeò clara sunt, vt mirer, eum in contrarium trahi: At esto non fuerit in aliis distincta à donis: attamen in Christo debuit esse vt Capite, vt ait Nazarius. 116

PROBATVR tertiò à S.Doctore *dist.* 15. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, quem sequitur Vasquez *loco cit.* Nazarius *loco citato.* In Christo debuit esse cognitio necessaria ad redimendum operibus meritoriis perfectissimis genus humanum: Sed hoc requirit scientiam perfectissimam supernaturalem per se, & excludit omnem supernaturalium ignorantiam: Ergo. Quod verò non possit hæc esse scientia beata, patet ex dictis; nam ad operationem prærequiritur cognitio proportionata illius operantis statui; at operationes meritoriæ perfectissimæ sunt operationes supernaturales viatoris pro statu formali viæ: Ergo sequitur etiam cognitio supernaturalis viæ; scientia enim beatâ ad statum pertinet comprehensoris, vt præmium præcedentium meritorum. Confirmat Lugo *num.* 5. quia erat Viator, & Comprehensor: at viator habet eam, & beati distinctam: Ergo & Christus. 117 118

QVÆSTIO X.

Vtrum res pertinentes ad ordinem naturæ cognoscantur per hanc scientiam infusam.

DE hac scientia tria considerare oportet, idest, obiectum, actus, & habitus; & primò incipiam ab obiecto à quo dignoscitur actus, & habitus. Hæc tamen breuiter expedio. 119

RATIO dubitandi in hac quæstione est, quia huiusmodi res sunt obiectum scientiæ naturalis, siue sit labore acquisita, siue sit per accidens infusa; at verò hæc scientia infusa per se est altioris ordinis: Ergo non versatus circa has res inferiores,

tiores; eiusdem enim obiecti sufficit vna scientia.

120 PRÆTERSA Scotus *dist.* 14. *quest.* 3. Durandus *quest.* 3. *&* 4. negant, huiusmodi res cadere sub obiecto scientiæ infusæ per se. Idem adscribunt Seraphico, sed malè, vt dixi *quest.* 9.

OMNES igitur, qui hanc scientiam per se infusam concedunt in Christo, asserunt, eam habere pro obiecto omnem rem creatam. Ità Vasquez *disp.* 53. *cap.* 1. Suarez *disp.* 27. *sect.* 1. S. Doctor, *ll. cc. quest præcedenti*, Nazar. *quest.* 11. *art.* 1. *controu. vnica*, *quest.* 1. de Lugo *disp.* 20. *sect.* 2. Morandus *quest.* 32. 364. Becan. *cap.* 9. *quest.* 3.

ASSERO primò cum hac sententia, omnem rem creatam haberi pro obiecto huius Christi scientiæ.

121 PROBATVR à Suarez ratione D. Bonauenturæ *distinct.* 14. *art.* 3. *quest.* 1. quia anima Christi fuit perfectissima pro statu viæ, & patriæ simul, & Angelis perfectior: ergo debuit habere scientiam de omnibus perfectissimam, omnibus modis conuenientibus statui perfecto viæ, & patriæ: Ergo licèt haberet scientiam beatam de omnibus, debuit eam habere etiam infusam per se; quamvis autem per hanc lumine perfectiori, quàm sit illud scientiæ, per accidens infusæ, omnes res demonstrarentur; attamen neque erit superflua scientia per accidens infusa, quia licèt inferioris ordinis, tamen est perfectio connaturalis animæ, & ideò non debuit eà carere.

122 OBIICIT Scotus, quia hæc scientia est de eodem subiecto, ac acquisita: Ergo hæc superflua.

RESPONDET Suarez, licèt obiectum materiale vtriusque sit idem, tamen modus, seu ratio formalis, qua feruntur ambæ in idem obiectum, est diuersus: sic idem obiectum ab homine, & Angelo, & in homine à sensu, & intellectu consideratur. Vnde falsum est, quod sit Scotus, hanc scientiam differre ab acquisita solùm ex parte efficientis, sicut visus congenitus, & restitutus cæco per miraculum; hæc enim scientia ex natura sua exigit infundi; illa verò non, & lumen huius est altioris ordinis, quod potest etiam in inferiora; debuit ergo anima Christi hanc scientiam habere perfectiorem, ne si anima sanctissima haberet solam infusam per accidens, eius cognitio esset imperfectior angelica: Ideò non est superflua, neque sequitur superfluitas specierum, inducta *quest.* 6. *assert.* 3. in species acquisitas.

123 HÆC responsio tamen potest retundi ex parte; nam licèt benè sic probetur, animam habentem scientiam acquisitam, infusam per accidens, potuisse habere etiam infusam per se, quippè sublimiori lumine tendentem in idem obiectum: attamen è contra sequitur, habentem hanc infusam per se, frustra habuisse aliam infusam per accidens, quæ est suaptè natura acquisita, quæ est imperfectior, & ideò argumentum valeret ad reiiciendam à Christo alteram scientiam, puta infusam per accidens.

124 AT responsio S. Bonauenturæ, *ad* 2. *& sequentia* satisfacit, dum has scientias considerat in ordine ad animam Christi, existentem in duplici statu Viatoris, & Comprehensoris, & in statu vndequaque perfecto secundùm omnes status. Quia ergo etiam scientia acquisita est modus perfectionis connaturalis animæ, ideò non debuit eà carere anima sanctissima Christi; alioqui si liceret arguere, superfluam esse scientiam inferiorem, quia omnia perfectiùs videbat scientiâ beatâ, sequeretur, superfluam fuisse omnem, non modò acquisitam, sed etiam infusam, vt notat cum S. Doctore, etiam Valentia *disp.* 1. *quest.* 9. *punct.* 2. Itaque Scotus, qui hanc superfluitatem inducit in alteram harum scientiarum, quia vtraque in idem obiectum tendit; tenebitur soluere hanc instantiam, cur non sit superflua etiam scientia ab eo admissa infusa per accidens; eò quòd per aliam scientiam beatam tendit in idem obiectum, & hoc perfectissimè, eaque ad meritum inseruire ab eo astruatur, vt dicam *disp.* 20. *quest.* 4.

125 OBIICIT secundò: Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; sed anima Christi cognoscit omnia sufficienter per scientiam beatam: Ergo.

RESPONDET D. Bonauentura, Maiorem esse veram, quando per pauciora potest fieri res æquè benè: Iam verò hoc casu non fieret æquè benè, quia non haberet scientiam, conuenientem omni suo statui, omnique modo debitam.

OBIICIT tertiò: Maius lumen absorbet minus: sed cognitio animæ Christi in Verbo est luminosissima: Ergo absorbet omnem aliam inferiorem.

126 RESPONDET S. Bonauentura concedendo de luminibus eiusdem rationis, quæ eodem modo irradiant, & secundùm eandem partem, non sic autem est in his scientiis: Prætereà respondet, Lumen maius absorbere minus, non quoad existentiam, sed solùm quoad apparentiam, nam etiam meridie lucent stellæ, licèt non appareant. Tandem respondet, esto id in lumine corporeo accidat, non tamen in spiritualibus euenit: Lumina enim spiritualia sunt minus permixtioni obnoxia, quàm corporalia.

127 OBIICIT quartò: Quando venit quod perfectum est, etiam scientiæ, euacuatur quod ex parte est, vt ait Apostolus *prima Corinthior.* 13. Sed anima Christi ab initio habuit scientiam beatam, quam Apostolus intelligit perfectam: Ergo cessant omnes aliæ imperfectæ. Ideò enim Apostolus subdit: *Scientia destruetur*.

RESPONDET S. Doctor, euacuari quod ex parte est, quando habet imperfectionem adnexam, quæ repugnet perfectioni status patriæ: Sic adueniente visione clara, cessat fides, & scientia quoad modum sciendi imperfectum, vt latè edisserit Seraphicus Doctor 3. *distinct.* 31. *art.* 2. *quest.* 3. & latiùs dictum est, 2. 2. *tractat.* 2. *disputat. de fide*, *quest.* 2.

SECVNDÒ dico, non euacuari imperfectum statui alteri conueniens, nec implicans cum statu perfecto.

128 QVOAD ea, quæ disputat Scotus: quomodo per species istas potuerint cognosci singularia etiam quoad existentias, remitto ad ea, quæ de speciebus Angelicis cum S. Doctore conclusi *p. p. Tractat.* 4. *disputat.* 2. *quest.* 5. *&* 6.

QVÆSTIO XI.

An Actus liberi, & futura contingentia cadant sub obiecto huius scientiæ.

129 FVIT opinio D. Thomæ, 3. *dist.* 14. *quest.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 1. & *de Veritate*, *quest.* 20. *arttic.* 6. Animam Christi hæc non cognouisse per scientiam infusam, sed in Verbo.

ATTA

obiecta, & cùm habitus sit finitus, erunt finita etiam
139 obiecta reuelata. Idem omninò sequetur de speciebus repræsentantibus, vt cùm finitæ sint, nequeant infinita repræsentare.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum DEVS, *vt trinus, & vnus, cadat sub obiecto huius scientiæ.*

140 SCOTVS 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. apud Vulp. *disp.* 4. *art.* 6. dat in Angelis, & Christi anima speciem quidditatiuam supernam essentiæ, & suppositorum in ea, & ait, eam esse rationem exprimentem essentiam; non modum essentiæ, in suis suppositis intellectui Angeli.

FERRARIENSIS 3. *contra Gent. cap.* 62. §. *Ad id quod vltimo.* Caietanus *quæst.* 1. *artic.* 1. Aluarez *disp.* 62. Zumel *p.p quæst.* 12. *art.* 1. *disp.* 2. Nazar. *quæst.* 12. *art.* 1. *quæst.* 6. aliique recentiores Thomistæ id asserunt, quod quærimus.

MIROR tamen cum Vasquez. Nam D.Thom. *in fine resolut.* ait: Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solùm per primam (idest beatam.) Affirmatiuam sententiam tenet etiam Suarez, *disput.* 27. *sect.* 5. Morandus *q.* 32. Valentia *quæst.* 11. *punct.* 2. Tanner. *quæst.* 5. *dub.* 5. Becan. *cap.* 9. *quæst.* 3.

141 CAPREOLVS *in* 2. *dist.* 23. *quæst. vnica ad argumenta Scoti, cont. secundam conclusionem,* Caietan. *hic,* & 2.2. *quæst.* 171. *art.* 5. Molina *p.p. quæst.* 1. *art.* 2. *disp.* 4. dicunt, posse virtute scientiæ beatificæ creari cognitionem abstractiuam, qua euidenter appareat Deus vnus, & trinus: Ità etiam Morand. *quæst.* 32. Lugo *disp.* 20. *sect.* 3. putat animam Christi in cognitione vnionis hypostaticæ cognouisse etiam Trinitatem, sed Caspens. *disp.* 6. *sect.* 4. *num.* 44. non assentitur, neque Suarez *disp.* 27. *sect.* 5.

VASQVEZ *disp.* 53. Bannez *p. p. quæst.* 32. *art.* 1.
142 *dub.* 2. negant, posse extra Verbum haberi euidentem Trinitatis cognitionem.

SENTENTIA S.Bonauenturæ *in* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2. ea est, vt illa cognitio, quæ infusa est Adæ, & Angelis à creatione, multò magis fuerit infusa animæ Christi: Adæ verò infusam cognitionem quandam claram, mediam inter scientiam visionis, & notitiam fidei, asserit *in* 2. *distinct.* 23. *artic.* 2. *quæst.* 3.

QVOAD Angelos verò asserit *in* 2. *dist.* 4. *art.* 3. *quæst.* 1. eas habuisse ab initio cognitionem à Verbo per illuminationes, quia Deus indidit eis species omnium, & lumen super mentes Angelorum expendit, quo cognoscerent facta, & facienda: at verò *disp.* 3. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. ostendit, Angelum non vidisse Deum clarè naturaliter: at *in responsione ad* 4. videtur concedere, cognouisse per supernas illuminationes, & per effectus visibiles, & inuisibiles, & hanc postremam cognitionem asserit *ad* 6. *de Deo vno*, quia cognitio Dei ab effectu est cognitio Dei, vt vnus est, quia sunt ab eo vt vnus est: at cognitio per illuminationes potest esse etiam sanctissimæ Trinitatis.

143 ASSERO primò, Animam Christi per hanc scientiam cognouisse Deum, vt vnum à posteriori.

PROBATVR à S.Doctore *in* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *q.* 1. ratione, qua vtitur Suarez. Perfectius cognoscit anima Christi Deum, quam Angeli, vt omnes cedunt: sed Angeli cognoscunt Deum perfectè à creatione per scientiam inditam, & per effectus: Ergo. Confirmatur, quia anima Christi cognoscit effectus perfectissimos omnes, quos Angeli non cognoscunt, nempè effectus omnes ordinis supernaturalis, vt dixi *quæst.* 12.

ASSERO secundò, eam cognouisse etiam Mysterium sanctissimæ Trinitatis. 144

PROBATVR ratione S.Doctoris *dist.* 15. *art.* 2. *quæst.* 1. Christus ea omnia cognouit, vt viator, quæ ad eius officium, quatenus viator erat, conducebant: Sed ad officium eius spectabat nos docere res Diuinas, Mysterium sanctissimæ Trinitatis præcipuè, quod etiam docuit maximè *vltimo Matthæi*, cùm Baptismum præcepit: Ergo hæc omnia nouerat, vt viator, sed non naturaliter, neque ob effectus: Ergo per scientiam infusam. Hac ratione nititur Suarez *loco citato.*

RESPONDET Vasquez, hanc esse rationem friuolam; nam potuit Christus loqui de his rebus ex notitia clara, vt dicitur Ioan. 3. *Quod vidimus testamur.*

At secundùm Glossam (vt notat D. Bonauentura ad eum locum) non loquitur de visione beatifica, sed de reuelatione, & ideò in numero plurali includit etiam Apostolos: *Quod scimus, quod vidimus.* Apostoli autem non erant beati: Præterea certum est, animam Christi non esse visam scientiâ beatâ ad hæc opera docendi, prædicandi, & orandi, quæ erant meritoria. Tandem dato quod asseteret, se vidisse ea, quæ docebat, non sequitur, eum docuisse eadem scientiâ, sed hoc asseretet ad certitudinem eorum, quæ docebat, infundendam. 145

QVòD verò ait Vasquez, scientiam beatam non obfuisse ad meritum, vt promittit probare *disp.* 74. *cap.* 1. satis est; sed tenetur probare, profuisse, seu cognitionem beatam deseruire ad actus quoslibet meritorios. Falsum est enim, cognitionem beatam esse principium meriti, vt dicam *disp.* 20. *q.* 4. Quòd verò *disp.* 74. dicit de S. Doctore, confutatum est *prima* 2. *tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 7. neque ibi aliquid probat Vasquez. 146

CÆTERVM viget Vasquez circa modum huius cognitionis.

RESPONDETVR, hanc notitiam euidentem esse in attestante ex vi proprij luminis, & reuelationis supernaturalis. Per species quidem infusas concipere potest Deum trinum, & vnum, quam conceptionem, seu locutionem Dei distinctè, & euidenter intuetur, & ita euidenter videt esse à solo Deo; quæ cognitio non excludit altiorem cognitionem per visionem claram, quia licèt aliqua res in se videatur, potest videri etiam in imagine, & vtraque modus perfectionem aliquam affert in suo genere, & ideò vtrumque potuit habere anima Christi. Hunc modum præ cæteris laudat Suarez, & videtur magis ad mentem D. Bonauenturæ, imò ex eo desumptus, maximè vbi de Angelis loquitur *locis suprà citatis.* 147

QVÆSTIO XV.

Vtrum Anima CHRISTI *potuerit esse semper in actu secundo huius scientiæ.*

VASQVEZ *disp.* 53. *n.* 18. respondet, Christum omnia actu cognouisse, quorum habuit species 148

infusas; tamen non mansisse in actuali omnium considératione, & probabile putat Marsil. *3. quæst.* 10. *art.* 2. Becan. *cap.* 9. *quæst.* 5.

D. THOMAS, *quæst.* 11. *art.* 5. oppositum docet, quem sequitur Alvarez *disp.* 57. Suarez *disp.* 28. *sect.* 1. Christum nempè solùm successiuè actus istius scientiæ habuisse, & hæc est opinio D. Bonau. *dist.* 14. *art.* 2. *q.* 2. & ità citatur etiam à Suarez cum Richardo: sic etiam Morand. *quæst.* 32. *num.* 367. Id sensit Scotus apud Vulp. *disp.* 42. *art. vltim.*

ASSERO primò habuisse animam Christi actus circa hanc scientiam.

149 PROBATVR à Suarez argumento S. Doctoris *in* 3. *dist.* 18. *quæst.* 1. nam ab initio habuit actus meritorios, qui cognitionem supernaturalem prærequirunt, & hic modus operandi fuit independens à phantasmatibus; nam illa ætate saltem ex natura rei non sunt organa apta, vt rationi deseruiant, & illa scientia est altioris ordinis, ità abstracta, seu remota à sensibilibus, vt ab eis non pendeat, vt monet etiam Vulpes *disputat.* 42. *artic.* 4. Scotum secutus.

150 ASSERO secundò, non potuisse Christum vno, vel pluribus actibus, simul omnia obiecta huius scientiæ actu intelligere.

PROBATVR à S. Doctore *dist.* 14. *art.* 2. *quæst.* 2. ratione demonstratiua, quam Vulpes *disp.* 42. *art. vltim. num.* 5. acclamat Scoto, & plurimi adhibent. Intellectus finitus nequit infinita indiuidua, maximè diuersorum generum, & ordinum, non in aliquo vnita primario obiecto, variis modis à priori, à posteriori, intuitiuè abstractiuè, quædam euidentia in se; alia in solu attestante, vno actu finito, vel pluribus simul pariter finitis comprehendere: At varietas tanta est in obiectis huius scientiæ infusæ animæ Christi, eaque cogitur in propriis speciebus intelligere virtute sua limitata: Ergo.

151 Hoc confirmat: Si enim ex Aristotele 2. *Top. cap.* 2. non possumus plura per modum plurium perfectè intelligere, vt ostendi *p. p. tract.* 9. *disput.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 6. licèt Deo supernè agente id fieret, vt docet, *dist.* 18. *quæst.* 1. *ad* 3. sanè actibus diuersis, esto etiam vno; attamen infinita obiecta nequit actu attingere finita virtus, vt ostendi *q.* 4. & 5. *de visione in Verbo*, vbi est minor ratio obstans, quia ibi omnia in vno Verbo collecta videntur, vt notat Vulpes è S. Bonauent. *dist.* 14. *loco citato.*

152 QVÆ verò addit Vulpes, minus ibi obstare, quia Verbi infinita virtute fit beata visio, intellectu se passiuè merè habente, refutatui *p. p. tractat.* 9. *disp.* 9. *sect.* 4. *quæst.* 3. & 5.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum actus huius scientiæ fuerit in CHRISTO *discursiuus.*

153 PRIMVS modus dicendi est, fuisse hunc modum vtendi hac scientiâ discursiuum: Ità Alens. *3. p. quæst.* 13. *art.* 5. Durandus *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. Fundamentum Alensis, ait Suarez *disput.* 58. *sect.* 2. illud esse, quia non ponit hanc scientiam, nisi per accidens infusam. Id sentit Scotus apud Vulp. *disp.* 42. *art.* 5.

SECVNDVS modus est, vsum fuisse simplicis
154 intelligentiæ: attamen potuisse vti etiam componendo: Ità D. Thom. *quæst.* 11. *artic.* 3. & omnes Thomistæ, vt refert Nazarius ibi *controuers. vnica*; Tanner. *disput.* 5. *num.* 138. Becan. verò *cap.* 9. *q.* 5. ait, non potuisse vti discursu, quando vtebatur propriis rerum speciebus, sed benè cum alienis.

TERTIVS modus est Christum non potuisse vti hac scientiâ cum discursu: ita D. Bonauentura, *in* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 2. Richardus, *artic.* 4. *quæst.* 3. Suarez *disp.* 28. *sect.* 2. Vasquez. *disp.* 52. *cap.* 3. & *p. p. disput.* 222. *cap.* 2. qui pro eadem sententia citant S. Bonauenturam. Pro hac sententia stant etiam Lugo *disp.* 20. *sect.* 6. Caspens. *disp.* 6. *sect.* 4. Morand. *quæst.* 32. *num.* 336.

ASSERO, Christum non potuisse vti hac scientiâ componendo.

PROBATVR à Suarez *loco citato*, & Caspensi 155
disput. 6. *sect.* 4. ratione D. Bonauenturæ, *in corpore*, quia proprius, & connaturalis modus cognoscendi per hanc scientiam est per simplicem intuitum in species, quæ perfectissimæ sunt, & lumen perfectissimum: Sed hic modus opponitur discursiui: Ergo. Confirmatur à S. Doctore *ad vltimum*, quia scientia Christi erat nobilior, & perfectior scientiâ infusâ Angelorum; vnde etiamsi Angeli potuissent componere, non tamen de Christo ea imperfectio est dicenda: Distinctio autem Becani non est ad rem nostram.

QVÆSTIO XVII.

An scientia hæc fuerit perfectior in CHRISTO, *quàm in Angelis.*

PRIMA opinio est Scoti *in* 3. *distinct.* 14. *quæst.* 4. 156
cognitione habituali perfectiorem esse scientiam hanc in Christo, quia perfectissimas habuit species, sicut perfectissimam gratiam, & ideò cognitione, secundùm ipsum abstractiuâ, præfert Christum Angelis: Itaque ait animam Christi fuisse in habitu, seu actu primo perfectissimè super Angelos quoad cognitionem abstractiuam: Cognitionem verò intuitiuam, quæ est tantùm rei præsentis in se ipsa, quam acquisitam esse dicit, vult fuisse imperfectiorem, quàm Angelicam; eum sequitur Fauentinus *disputatione* 48. Vulpes *disput.* 42. *art.* 3. & 4.

SECVNDA opinio est Suarez *disp.* 29. *sect.* 1. Vas- 157
quez *disp.* 52. scientiam inditam animæ Christi fuisse perfectiorem Angelica, non modò quoad multitudinem cognitorum, & scientiæ certitudinem, sed omnibus modis.

TERTIA opinio est D. Thomæ, scientiam hanc animæ Christi fuisse perfectiorem Angelicâ in reliquis; sed in modo ratione subiecti, cuius cognitio est per conuersionem ad phantasmata, & per collationem, & discursum, fuisse imperfectiorem Angelicâ; eum sequuntur Thomistæ. Vide Nazarium *quæstione* 11. *articul.* 4. *controuers. vnica.*

QVOAD D. Bonauenturam, eum arbitror esse 158
cum secunda sententia, quia *dist.* 14. passim scientiam infusam animæ Christi anteponit cæteris aliorum: & sæpè etiam Angelorum, vt patet *artic.* 3. *quæst.* 2. *ad vltimum*, & *quæst.* 1. *in corpore*, si attentè legatur, negat verò modum per discursum, vt dixi *quæst. superiori*, sequitur Richard. *distinct.* 14. *quæst.* 4. *art.* 4.

ASSERO, scientiam infusam animæ Christi fuisse

fuisse absolutè perfectiorem Angelica ex omni capite. Suppono autem contra Marsilium *3. quæst.* 10. *art.* 2. Species scientiæ Christi fuisse plures, vt docet S.Bonau.*dist.* 14.*art.* 3.*q.* 2. quippe imperfectior est, quàm beata, & ideò minus simplex esse debet. Ità tenent cæteri, vt notat Suarez *loco citato*.

PROBATVR à Suarez argumento D. Bonauent. *art.* 3.*quæst.* 1.*in corpore*, & *quæst.* 2.*ad vltimum*, nam anima Christi in cæteris gratuitis omnibus fuit perfectior Angelis: Ergo & in hac scientia.

160 HVIVS autem præcellentia stat primò in multitudine cognitorum, nam multò plura nouit, quàm Angeli, v. g. futura omnia contingentia, vt dixi *quæst.* 11. quæ ab Angelis non sunt cognita, atque in cognitione possibilium, quæ Christus omnia habitu cognouit, vt dixi *q.* 4. Ideò ait Apostolus, Ephes. 3. *Vt innotescat Principatibus, &c.* vt notat D. Bonau. *in* 2.*dist.* 23.*art.* 2.*quæst.* 1.*in corpore*, & alibi.

SECVNDò consistit in perfectiori habitu, & claritate luminis, quibus perfectio intellectus humani, inferior Angelico, suppleta est.

QVÆSTIO XVIII.

An præter species intelligibiles requiratur in hac scientia LVMEN, *seu habitus infusus.*

161 SVAREZ *disp.* 29. *sect.* 2. refert duas opiniones: Altera est, præter species requiri habitum ad facilitatem potentiæ, & lumen ad illuminandum obiectum: Altera Thomistarum quorundam, non requiri habitum, aut lumen, è speciebus distinctum. Ipse verò ait, ad actus naturales sat esse vim intellectus, & ex parte obiecti species; ad supernos verò exigi lumen etiam supernum. Sic & ad visionem Dei funditur lumen gloriæ.

VVLPES *disp.* 41. *art.* 2. *num.* 7. ad lineam Scoti exigit species, & habitus; non autem lumen distinctum.

163 NAZAR. *quæst.* 11. *art.* 6. *ad* 3. *controu.* 2. ad D.Thomæ sensum requirit lumen infusum, & species, quæ sunt materia habitus, ac proinde habitus multos. Idem sensere Richard. *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 4. Petrus Berg. *dub.* 1216. Caiet *prima secunda, quæst.* 54. *art.* 4. apud Vasq. *disp.* 54. *cap.* 4. vbi ad D.Thomæ quomodo nem ait, nullum habitum, à speciebus distinctum, esse in Christi anima; plures verò in ea species infusas animæ, eas autem vnam scientiam constituere; ità Becan. *c.* 9. *q.* 4. adducens cum aliis D.Bonauenturam.

SERAPHICVS Doctor *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 1. *in corpore*, exigit species, & *ad* 4. requirit etiam lumen: An verò habitus sit à speciebus distinctus, disserui *prima prima, tract.* 9. *disp.* 9. *sect.* 3. *quæst.* 2. & *prima secunda, tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 1. *& seq.* atque asserui. Suppono *ex prima primæ, tract.* 9. *disp.* 4. *quæst.* 10. speciem, seu obiectum non agere, sed esse solum materiam, circa quam intellectus vitaliter agit. Quare circa obiectum naturale satis habet virtutis; at circa obiectum supernum eget lumine, potentiam eleuante, vt in gloria, quia actus circa ea obiecta sunt ordinis supra naturam.

ITAQVE assero, ad actus scientiæ per se infusæ requiri lumen habituale.

164 PROBATVR primò ex Isa. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini; spiritus Sapientiæ, &c.* Ergo habitus: Lumen verò Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.*

PROBATVR secundò assertio. Virtus actiua intellectus ex se est insufficiens ad actus superioris ordinis, nec satis eleuatur per species solas: Ergo habitu infuso; quia, vt modo connaturali eleoetur, debet eleuari per virtutem inhærentem, ac permanentem, & hanc habitum vocamus. Confirmatur exemplo voluntatis, cui postquam propositum est obiectum supernaturale, & supernaturali modo cognitum, indiget habitu ad eliciendum actum, illi obiecto proportionatum: Ergo & intellectus. Hanc rationem indicat S. Doctor *in* 2.*dist.* 3.*part.* 2. 165
art. 2. *quæst.* 1. *in corpore.* Quod verò obmurmurat Vulpes, *num.* 8. *& seqq.* ruit ex dictis.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum hic habitus scientiæ infusæ sit vnus tantùm.

PRIMA opinio est, esse vnum tantùm habitum, 166
seu qualitatem simplicem. Ita D. Thom. *quæst.* 11. *art.* 6. *ad* 3. & *in* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 4. Richardus *art.* 3. *quæst.* 4. Marsil. *quæst.* 10. *art.* 2. *p.* 4. Suarez *disp.* 29. *sect.* 3. Becanus *cap.* 9. *quæst.* 4.

SECVNDA sententia est, non esse vnum habitum. Ità D.Bonau. *in* 3. *dist.* 14. *art.* 3. *quæst.* 2. Caietan. *p.* 2. *quæst.* 54. *art.* 4. & tribuit D.Thomæ *hîc*, & probabilem fatetur Becanus *num.* 6.

ASSERO cum hac sententia, habitum scientiæ infusæ in Christo non esse vnum, & simplicem.

PROBATVR, quia diuersorum actuum diuersa 167
debent esse participia habituum, in ordine ad obiecta ordine diuersa; at obiecta huius scientiæ sunt diuersi ordinis, quia alia est naturalis, alia supernaturalis ordinis: Ergo.

RESPONDET Becanus, sat esse vnum, sicuti circa res omnis fidei sufficit vnicum lumen fidei; & vnum lumen circa res sensibiles, & intelligibiles; & idem est habitus charitatis circa Deum, & proximum.

AT non affert similia ad rem. Obiecta enim allata, vel vniuntur in ratione formali obiecti, vt res fidei; vel etiam subordinantur, vt charitatis, vel etiam sunt eiusdem ordinis, vt sensibilia ad intelligibilia, & quoad proprios gradus lumine diuerso cernuntur, nempè sensibilia sensato, &c. cùm autem facta sunt intelligibilia; quidni eo lumine cernantur? Enim verò obiecta scientiæ infusæ varia sunt ordinibus in ratione formali obiectorum.

QVÆRES, an hoc lumen differat à lumine gloriæ. 168

RESPONDET Becan. *n.* 7. si hoc lumen sit duplex, alterum circa naturalia: Alterum circa superna, vt probabiliter putat Bonauentura, tunc posse dici alterum distingui à lumine gloriæ; alterum non.

SI autem sit vnicum; aliqui Recentiores dicunt esse idem. Alij negant, quia lumen gloriæ Deum tantùm respicit.

QVOVIS modo arbitror differre, ex dictis *quæst.* 169
præced. nam ordinatur ad cognitionem ordinis inferioris, idest viæ ad meritum; lumen verò gloriæ ad visionem patriæ.



DISPVTATIO XV.

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI.



NIMAM Christi esse potentissimam nullus non asserit, cùm Omnipotens sermo Dei, vt dicitur *Sapientiæ* 18. de regalibus exiens sedibus, ei fuerit sempiterna hypostasi desponsatus: Malè tamen hinc Hæretici illius erroris ansam arripuere, quam infrà ad quæstionis initium referam. Porrò Christi potentiam hic discernimus ab illâ potestate, qua Iudex, Legislator, aliisque potestatis insignibus titulis acclamatur, de quibus singulares disputationes ad huius tractatus finem instituam. Verùm, cùm potentia illa, de qua agitur in præsenti, præcipuè in patrandis miraculis eluxerit, non modicè controuertitur, qualis ea fuerit, num Moralis? num Physica? Hæc est sola quæstio, de qua in hac materia Scholastici fusiùs altercantur: quare eam exactiùs, in ordine tertiam, examinabo; reliqua, quæ facilia sunt, prolixiùs scribentibus remittam: Prius tamen, quàm Scholastica dissidia componam, Catholicum Dogma contra Sectarios propugnare studebo.

QVÆSTIO I.

Vtrum omnipotentia DEI *sit humanitati assumptæ communicata.*

{ D. Bonau. dist. 14. quæst. vltima.
D. Thom. quæst 13.

1 OMNIPOTENTIAM Dei verè communicatam cum aliis attributis humanitati Christi astruunt hæretici nostri temporis. Hic error confusionem naturarum cum Eutychete in Christo apponit, de quo satis dictum est *disputatione* 5. *quæstione* 1.

ASSERO ex fide, nequaquam fuisse humanitati Christi communicatam omnipotentiam: Ità D.Bonauent. & D.Thom. *hic*, cùm Magistro *in* 3. *dist*. 14. vbi Richardus *art*. 2. Durandus *quæst*. 5. Paludanus *quæst*. 3. Gabriel. *quæst*. 1. *art*. 3. *d*. 1. Alensis 3. *parte*, *quæst*. 14. & cæteri.

2 PROBATVR à D.Bonauentura, *fundamento primo*. Nil potest habere id, quod est prius se: at omnipotentia præcedit omnem creaturam quoad substantiam, & consequenter quoad virtutem; nam potest producere omne ens: Ergo non potest alicui creaturæ conuenire: Ità & Suarez, *ad art. D. Thom.* Hæc ratio supponit fundamentum Catholicum, nempè quòd anima Christi, etiam post vnionem, mansit creatura, & inconfusa, atque distincta à Deitate, atque adeò retinuit proprias operationes creaturæ, vt definiunt Concilium Chalced. *Act*. 5. Sexta Synodus *Action*. 4. 11. & 17. Concicilium Lateranense sub Martino, *Consultat. vltima*, *Canon*. 9. 10. 11. & 12. & D.Leo Papa *epistola* 20. & alij allegati *disputat*. 5. *quæst*. 1. Ex quo deducit S.Bonauentura, aliam esse potentiam humanitatis; aliam Deitatis, sicut alia est natura humana; alia Diuina.

PROBATVR secundò à S.Doctore: Omnipotens non potest à Deo superari virtute: at omnis creatura potest superari à Deo: Ergo. 3

PROBATVR tertiò à S.Doctore: Virtus, & operatio sequitur proportionaliter ad esse, vt ait Aristoteles: Sed esse cuiusque creaturæ est finitus. Ergo & virtus operatiua, & operatio. Hæc est ratio etiam D.Thomæ.

PROBATVR quartò à S.Doctore. Nulla virtus creata est transcendens super ens: at omnipotentia transcendit ens, quia potest de non ente facere ens: Ergo. Ità & Suarez.

PROBATVR quintò à D.Bonauentura *in corpore*. 4
Non minus est incommunicabilis virtus, quàm essentia Diuina: at essentia Diuina nulli creaturæ est communicabilis, vt fiat Deus: Ergo. Hoc fundamento Concilia, cum Patribus definierunt,

suprà

supra relati, mansisse naturam Diuinam, ab humana distinctam, & solâ vnione hypostaticâ in Verbo communicatam. Itâ Suarez.

5 ALIAS rationes habet S. Doctor *in corpore*. Prima est, quia creatura, cùm ex nihilo sit, atque adeò nec existat per seipsam, neque potest per seipsam operari, quod ad omnipotentiam requiritur. Deinde, quia composita est ex actu, & potentia, non est actus simplex, ac proinde non agit tota: ergo nec potest in totum, quod potest recipere actionem.

TANDEM, quia virtus eius distat à substantia, potest imminui. Hæc vrget etiam Scotus *quodlib.* 7. & *hic* apud Vulpem *disp.* 45.

OBIICIES primò, Philip. 2. *Dedit ei nomen quod est super omne nomen*: Ergo & virtutem.

RESPONDET D. Bonauentura, hoc nomen Diuinum datum per communicationem idiomatum, vt homo ille diceretur Deus. Vbi aduerte, nolle Seraphicum, quòd Christus meruerit vnionem hypostaticam, sed quod manifestata fuerit mundo, & glorificata, vt notat S. Bonauent. *in* 3. *dist.* 18. *quæst.* 2. & 3. *fundamento* 1.

6 OBIICIES secundò. In anima tria sunt, Potentia, Scientia, & Voluntas, vt vult Richardus; voluntas supponit scientiam, scientia supponit potentiam: Ergo natura, quæ est capax omnis scientiæ, est capax omnipotentiæ. Anima Christi fuit capax omniscientiæ: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, præsentiam operatiuam sequi ad scientiam, esto quoad actum interiorem hæc sit prior; sic posse velle, supponit posse scire; at quando dico omnipotentiam, dico posse operari.

7 OBIICIES tertiò: Amplius extenditur scientia, quàm potentia; omne enim, quod Deus potest, scit; sed non è contra, omne quod scit, potest; nouit enim peccatum, nec potest illud facere; nouit etiam contradictoria, nec illa potest conciliare. Tunc sic: Quod capax est rei maioris, capax est etiam minoris; sed maior est omniscientia, quàm omnipotentia: Ergo si Humanitas Christi est capax omniscientiæ, est capax etiam omnipotentiæ.

RESPONDET S. Doctor, omniscientiam esse ampliorem quoad obiectum, vt argumentum probat, non quoad subiectum; nam omniscientia non ponit infinitatem subiecti omniscientis, sicut ponit omnipotentia. Monet verò supponi omniscientiam, modo dicto *quæstione* 4. & 5. *disputatione* 14.

8 OBIICIES quartò. Posse scire vnum scibile est potentiæ: Ergo scire duo scibilia est maioris potentiæ, & sic procedendo: Ergo posse scire infinita, est infinitæ potentiæ, vt arguistis *quæst.* 4. *argumento* 2. *pro primo asserto*, & probatur à Scoto, *dist.* 14. *quæst.* 2. & Fabro *disp.* 35. *n.* 28. qui argumentum ex D. Bonauentura sumpsêre. Vbi pluralitas naturalis requirit maiorem perfectionem, ibi infinitas ponit infinitam perfectionem. Exemplum est: si posse portare duo pondera, requirit virtutem vt duo: Ergo posse portare decem pondera, requirit virtutem vt decem: Ergo posse portare infinita pondera, requiret virtutem infinitam. Hinc vrget Faber tota illa disputatione passim, non dari illum habitum in Christo, quo videat omnia.

9 RESPONDET autem non inferri eandem consequentiam contra Scotum, quia ipse ait, animam Christi non cognoscere per habitum creatum, qui sanè perfectissimus est, vt nequeat esse perfectior, sed quia Verbum habet promptam voluntatem ad aperiendum ipsi animæ omnia, quæ in eo relucent, nec in eo aliquid relucet, quod non sit aptum natum cognosci ab anima Christi.

SCOTVS; & Faber fingunt hæc non percipere, & responsionem S. Bonauenturæ sibi adaptant, quæ tamen eis non prodest, vt vidimus *quæstione illa quarta citata*.

RESPONDET ergo S. Doctor, iuxta ea, quæ definiuit *eadem distinctione, art.* 2. *quæst.* 3. Hanc potentiam non esse infinitam in habitu, atque adeò neque in actu, virtute præcisa ipsius habitus, sed potius ex promptitudine Verbi ad omnia pandenda, quæ anima Christi voluerit videre. Quare anima Christi erit quidem in potentia passiua ad infinita, quæ non repugnat creaturæ; non tamen ad infinita actiuè, quia non habet virtutem in potentia, vel habitu adæquatam, sed extrinseca Verbi promptitudine. 10

Et si dicas, *scire*, non esse merum pati, sed agere: Patet, verum esse de scientia actuali, quæ quidem consistit in actu simplici iudicandi, non de cognitione habituali explicita eo modo, quo dixi suprà Syncategorematicè. 11

QVARE mirum est, hos impugnatores Seraphici, qui argumenta ab eo surripiunt ad impugnandum, simulare resolutiones, ac responsiones S. Doctoris; eas verò adhibere pro se extra chorum, vt vidi *quæstione illa quinta*.

OBIICIES quintò. Sicut filio communicat Faber parens scientiam practicam fabrilium, sic videtur debuisse Pater Christo.

RESPONDETVR, Deum communicasse animæ Christi scientiam practicam, idest cognitionem operum; non potuisse tamen communicare praxim eorundem operum, quia scientia habitualis, modo suprà relato, non exigit infinitam capacitatem, sicut operum ipsorum patratio, & hæc est vera practica, quæ versatur circa ea, quæ possunt fieri à sciente, vt notat Vasquez *disput.* 57. *num.* 7. cum D. Thom. *art.* 1. *ad* 3. 12

OBIICIAS sextò: Ità vnitur virtus potentiæ; sicut sapientia intellectui Christi, quem ideò Apostolus vocat: *Dei virtutem, & sapientiam*, 1. Cor. 1. Ergo sicut intellectus Christi ob communicationem ad sapientiam Dei, dicitur omnisciens: ità ob coniunctionem ad virtutem, dicitur omnipotens. 13

RESPONDET D. Bonauentura ex doctrina allata *ad* 4. negando paritatem; nam virtus intellectus est in suscipiendo magis posita: operatio verò est in merè agendo; multò autem excellentius est posse aliquid facere, quàm nosse: Sic perfectius est posse facere musicam, quàm eam nosse, imò quàm nosse cœlum, & terram.

Ex dictis habes cum S. Bonauentura *in corpore*, si quando omnipotentia animæ Christi adscribitur, eam astrui per communicationem idiomatum: Sic intelligendi Damascenus 3. *de fide*, *cap.* 8. Nicetas *lib.* 3. *thesauri*, *cap.* 38. Glossa ordinaria ad id Lucæ 1. *Hic erit magnus*. 14

Ex his non solidè Vasquez, *disput.* 57. *cap.* 2. asserit, S. Doctorem velle, quod anima Christi ex vnione ad Verbum, facta sit potentior, quamvis enim S. Doctor asserueit, factam capaciorem ex vnione, eamque vsam virtutibus omnibus excellentiori modo, quàm vlla anima creata in proprio supposito: Attamen non est ad rem ad probandum, quod intendit Vasquez; nam capacitas passiua infinita syncategorematicè non repugnat creaturæ in genere, esto vt est creatura talis, habeat hanc terminatam, vt permaneat, quod ostendi *disputatione* 11. *quæstione tertia, & quarta*; 15

at potentia actiua simpliciter repugnat, vt ait S.Doctor *ad* 4. exercitium verò virtutum dicit dignitatem moralem ex vnione, quæ ad rem hanc non facit. Similiter intensio operum venit ex intensione etiam gratiæ habitualis.

16 Ex quibus patet, quod Vasquez *ibi*, non benè probat, non esse auctam potentiam actiuam, quia neque capacitas gratiæ aucta est; hæ enim duæ potentiæ diuersæ sunt: altera passiua, quæ potest esse infinita: altera actiua, quæ semper est finita in creatura, vt docet D.Bonauentura, *loco citato*: altera Physica: altera Moralis est extrà adaucta.

QVÆSTIO II.

An ex vnione data sit animæ CHRISTI *virtus ad miracula patranda.*

17 VERA miracula à Christo patrata fuisse, luce clariùs patet meridiana, quæ rectè contra infideles deffendit Michaël Medina *lib.* 2. *de recta fide, cap.* 7. vbi etiam causas assignat, cur à Paganis historicis non enarrentur?

Ex quo patet, hæc miracula non esse facta dæmonis potestate, vt rectè probauit ipse Christus, *Lucæ* 11. cuius argumenta argutè prosequitur S.Bonauentura *ibi*.

18 SIC enim arguit contra Pharisæos: *Omne regnum diuisum desolabitur.* Sed per vos, Ego eiicio dæmones è corporibus, agentibus aliis dæmonibus: Ergo dæmones inter se pugnant, & sic Imperium Sathanæ ruet, dæmone ipso volente. Maior est Politicum axioma (vt ait S. Doctor) & affertur à D.Hieronymo *in regula Monachorum, de pace, tom.* 9. ex Sallustio *de bello Iugurtino*, non longè à principio: *Concordiâ paruæ res crescunt; discordiâ maximæ dilabuntur.* Hac sanè inscriptione insignia sua decorarunt excelsi Rhetiæ Collegati. Minor est Iudæorum: Vnde ad hominem arguit Saluator. Vide S. Bonauenturam.

ASSERO, Christum vera miracula patrasse suâ
19 humanitate.

PROBATVR à D. Bonauentura primò *ad* 7. *Lucæ*, vbi Christus remisit ad Ioannem eos, quos miserat, vt sciscitarentur, an esset Messias: *Ite, renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt.* Hoc autem argumento probat se Messiam, nam Isaïæ 35. dicitur: *Tunc aperientur oculi cæcorum, tunc saliet, sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum*, & Ezech. 37. *Scietis quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris*, Et Michææ 4. *In illa die congregabo claudicantem.* Tùnc autem multa Christus similia patrauit.

20 DEINDE probatur à S. Doctore *ad* 5. *Ioan.* ad ea verba: *Opera, quæ dedit mihi Pater, vt faciam, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Hæc sane patrabat, vt se Filium Dei confirmaret, & veræ doctrinæ magistrum, atque ex his miraculis arguit, se esse Filium Dei, & Doctorem verum, quia fiebant in testimonium suæ doctrinæ, alioqui Deus illa non patrasset, non enim Deus decipit.

IDEM ostendit S. Doctor ad ea verba Ioan. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, & c. 15: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Denique totum Euangelium miraculis Christi refertum est.

FVERE tamen aliqui somniantes, miracula Christi, vel ex optimo corporis illius temperamento ad iustitiam, quo cæteris hominibus præcelluit, facta: at quis crediderit hoc temperamentum mortuos suscitare? 21

ALII verò vi imaginationis ea fuisse patrata dixêre: At mortuos suscitare non est imaginationis, & ipse Christus testatur ea, se patrasse, vt crederent se esse Filium Dei, vt notat S.Doctor ad id Ioan. 11. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis.*

ALII dixêre, Animam Christi per excellentiam beatitudinis vim habere transmutandi naturam inferiorem corpoream. Contra quos arguit Richardus *dist.* 14. *art. vlt. quæst.* 3. quia si miracula Christi prouenirent ex visione aliqua, & efficacia beatitudinis, non rectè probasset Christus miraculis à se factis, se esse Deum. 22

HÆC tamen ratio non est solida; nam miracula Christi non ideò ostendebant, eum esse Filium Dei, quia ab ipso fiebant, siquidem similia miracula fecerunt puri homines, virtute Dei, & tamen illa non ostendebant, illos esse Deos; sed ideò miracula Christi probabant, illum esse Deum, quia propriâ authoritate profitebatur ea facere: quod si non fuisset Deus, non potuisset ea facere, nec Deus Zelotes voluisset cōcurrere ad id comprobandum, quod tanti erroris causa foret, ideò faciendo ea in testimonium suæ Deitatis, rectè probat, vt acutè obseruat S.Doctor ad ea verba *Ioan.* 5. suprà citata, & post eum Vasquez *disput.* 57. *num.* 18. Suarez *disputatione* 3. *sect.* 1.

CONFVTATVR deinde; nam visio Dei non habet proportionem ad mortuos suscitandos. Vide Vasquez, & dicta *disp.* 1. *quæst.* 1. 23

QVÆSTIO III.

An humanitas CHRISTI *physicè operaretur miracula.*

CAVSA Physica est, quæ realiter attingit effectum, vt calor producit calorem, vt causa principalis; vel vt instrumentalis formam ignis. Causa moralis non influit physicè, sed tantùm est causa, vt Physica influat; causat verò rogando, merendo, &c. 24

PRIMA opinio est, potentiam miraculorum in anima Christi fuisse Physicam. Ità D.Thom. *q.* 13. *art.* 1. & 2. & *quæst.* 48. *art.* 6. *q.* 52. *art.* 1. & 2. & alibi, quem sequuntur Thomistæ ibi, Caiet. *art.* 2. ibi Medina, Nazarius *controu.* 2. Baldus *q.* 6. *diffic.* 2. Aluarez *disp.* 66. Soto *in* 4. *dist.* 1. *q.* 3. *art.* 5. Capr. *q.* 1. *art.* 3, *ad argumenta, contra* 4. *concl.* Ferrar. 3. *contra Gent. cap.* 56. Vega *lib.* 7. *super Conc. cap.* 13. Paludan. *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *num.* 32. Suarez *disp.* 3. *sect.* 3. Driedo *tract.* 2. *de Captiu. cap.* 2. *p.* 3. *art.* 6. Valentia *punct.* 2. Asturic. *de gratia Christi, quæst.* 6. *dub.* 4. Tanner. *q.* 5. *dub.* 7. *n.* 183. Hurtad. Albertin. Putean., Orland. Vulpes *disp.* 45. *art.* 5. & *seq.* 25

NON conueniunt tamen in assignanda hac Physica miraculorum potestate: Quidam enim aiunt, fuisse qualitatem supernam, à Deo humanitati inditam, effectiuam eorum operum. Alij volunt fuisse virtutem instrumentariam actualem 26

lem inditam singulis vicibus. Alij volunt in humanitate Christi esse potentiam obedientialem, qua possit eleuari ad miraculosos effectus. Ita communiter Recentiores.

27 E diametro sententia D. Bonauenturæ 3. *dist.* 13. *art.* 2. *quæst.* 2. & *dist.* 16. *quæst.* 1. *ad* 5. est, hanc potentiam non fuisse physicam, sed moralem: Consentiunt Alensis 3. *part. quæst.* 13. *art.* 3. *memb.* 3. Altisiodor. 3. *part. tract.* 1. *cap.* 4. *quæst.* 1. Richard. & Gabriel *dist.* 13. *dub.* 3. Dorand. *dist.* 14. *quæst.* 5. & *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 4. Scotus *in* 4. *dist.* 2. *quæst.* 1. §. *ex his*, & *dist.* 1. *quæst.* 5. Faber 4. *disput.* 4. Bellutus *disput.* 14. *quæst.* 2. Mastrius 3. *disp.* 2. *quæst.* 8. Brancat. 4. *dist.* 7. *art.* 2. qui allegant cæteros Scotistas cum Nominalibus, & Vulpem iocantem irridente; Petr. Soto 2. *p. Instit. Sacerd.* Cano *relect. de Sacram. p.* 4 *post* 6. *conclus.* Vega *lib.* 7. *in Concil. Trident. cap.* 18. Vasquez *disput.* 57. Molina *p. p. quæst.* 45. *art.* 5. *disp.* 2. Ragusa *disp.* 106. & 107. Lugo *de Sacram. disput.* 4. *sect.* 4. & 5. Caspens. *disp.* 7. *sect.* 2. Pasqualig. *tract.* 2. *disp.* 68. *sect.* 1. & 3. Morand. *quæst.* 34. Amicus *disp.* 22. Arriaga, Aoetsa, Berual, & Becanus *de Incarnat. cap.* 10. Fulicus. *cap.* 18.

Ex his communiter volunt, fuisse causam moralem instrumentalem: alij verò, fuisse principalem.

28 Asserо cum hac sententia, virtutem patrandi miracula fuisse in Christo moralem, non physicam.

Probatvr primò. De ratione instrumenti est physicus contactus in passum, ex multis Thomistarum; at Christus multos curauit absens, vt filium reguli, *Ioan.* 4. vt obseruat S. Bonauent. *ibi*, ex D. Gregorio *homil.* 28. *in Euang.* ante medium, vbi ait: *Dominus, qui rogatur, vt vadat, quia non desit, vbi inuitatur indicat, solo iussu salutem reddidit, qui voluntate omnia creauit.* Et ex D. August. *tract.* 15. *in Ioan.* vbi ait? *Potentiam meam vis? in domo tua possum iubere*, scilicet absens.

29 Confirmatvr aliis miraculis resuscitationis mortuorum, puellæ *cap.* 8. *Lucæ*, adolescentis *cap.* 7. & Lazari *Ioan.* 11. vbi obserua cum D. Bonauent. *ad* 8. *Lucæ*, ad ea verba: *Et reuersus est spiritus eius*, nempe ex altero orbe, siue Lymbo, siue alio loco: præcepisse quidem Christum, sed hoc clamore non reuocasse mortuorum spiritus physicè, nullus enim contactus, nulla est potentia; sed tantùm significasse immensitatem Diuinæ virtutis, quæ vbique existens, vbique operabatur. Hinc de miraculo puellæ ait Damascenus 3. de fide, cap. 15. *Humanæ actionis finis in libera manus dilatione, & tactu positus erat: Diuinæ autem, in puellæ excitatione.* En Deo attribuit miraculum.

30 Ideò S. Doctor distinguit ad hæc loca duplicem operationem: alteram humanitatis Christi tangentis, clamantis, &c. quæ erant conditiones ad Mysteria; alteram Dei operantis. Hoc idem obseruat S. Damascenus lib. illo: *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*, vbi ait: *Sic quando diuinitas tactu carnis sanabat infirmum, alia erat actio propria diuinitatis; altera humanitatis, & finis humanæ actionis in manus extensione, & tactu positus erat; diuinæ autem naturæ in excitatione puellæ.* Nec dissimilia habet D. Athanasius, oratione quarta, in Arrianos: *Humano (ait) more manum extendit; diuinitas autem morbum compescuit.* Et Sophronius *in Epistola Synodica*, quæ habetur in sexta Synodo *act.* 11. ait: *Vnus duarum naturarum, secundùm aliam diuina signa operabatur: secundùm aliam humilia respiciebat.* Quod idem obseruat S. Doctor 31 in suscitatione Lazari, vbi primò rogauit Patrem; deinde imperio clamauit: *Veni foras*, in primo enim se hominem, in secundo Deum etiam ostendit. Eodem ferè modo S. Leo *epist.* 10. *cap.* 4. & D. Augustinus 22. *de ciuitate Dei*, *cap.* 9. licet dubius sit, tamen indicat, hanc virtutem moralem sufficere ad intelligenda ea, quæ de miraculis Sanctorum Scriptura docet.

Fateor non loqui de Christo; attamen non benè Vasquez *num.* 35. negat, eum loqui de hac quæstione: ipse enim ait, miracula à sanctis edita attestari fidem nostram, quovis modo facta sint, siue orantibus ipsis sanctis, siue per Spiritus ipsorum Sanctorum.

Respondant aliqui, vocem Christi miraculosè delatam vsque ad receptacula animarum, puta ad infernum, vbi erant animæ mortuorum, vel vsque ad locum, vbi ægroti iacebant.

Varvm hoc est noua miracula absque fundamento aliquo multiplicare.

Alii Thomistæ fatentur, in his casibus animam Christi non fuisse instrumentum physicum 32 salutis, sed morale tantùm. Ità Caietanus *art.* 2. §. *ad euidentiam*, Vega *loco cit.*

Respondet Suarez, concedendo quidem, ad hos effectus solum concursum moralem; attamen, non ob id negandam circa alios efficientiam Physicam. Patres verò ait non distinguere duas actiones, sed solùm assignare, quid conueniat humanitati virtute propria, & quid virtute diuinitatis; & ita distinguunt actionem, quasi præuiam humanitatis, vt est tactus, vel locutio, in qua virtus humanitatis secundùm se terminatur à principali effectu: v. g. suscitatione mortui, quæ principaliter fit virtute deitatis: non tamen solius, sed medio tactu, vel alio scilicet humanitatis actu. Et hunc esse verum sensum probat ex Damasceno 3. *de fide*, *cap.* 15. vbi dicit, aliter passiones humanitatis tribui Christo Deo, & opera diuinitatis Christo homini.

Varvm Sancti Patres distinguunt omnino, vt 33 distinguere debent, operationes ad pluralitatem naturarum distinguendam, contra Eutychen. Ideò S. Leo epist. citata ait: *Agit vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est, vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis.* Id etiam aduertit Caspens. *disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 13.

Vrgeo autem alia mira opera, in quibus nulla 34 actio Physica interuenit, vt eiectio dæmonum è corporibus, coactio ad silentium, vt Lucæ 4. *Obmutesce, & exi de homine.* Hæc enim non satis benè exponuntur, fingendo aliquam qualitatem, aut cogitationem immissam in dæmones, qua cogerentur tacêre, erumpere, &c. sed potius imperio, quod verbis ipsis exprimitur, tanquam enim omnipotens sola increpatione dæmoni silentium imponit, vt notat D. Bonauent. *ad eum locum*, addens: Non autem imponit silentium solùm increpando, sed etiam expellit præcipiendo.

Alia miracula profero, quibus non video, 35 quid Physicè cooperata sit humanitas Christi, nempe ambulatio super mare, *Matth.* 14. *Ioan.* 6. Hoc miraculum fuit, vel ex parte corporis superincedentis; vel ex parte aquæ solidatæ, vt notat D. Bonauent. *ad* 6. *Ioannis*, & Tostatus *quæst.* 153. *ad* 14 *Matth.*

Ex parte corporis vel prodiit Dos agilitatis,

ficut in transfiguratione dos claritatis, quod refert S. Bonauent. placuisse aliquibus, quos secutus est Abulensis, & aliqui Thomistæ; vel corpus ponderosum sustentatum est diuina virtute, ne aquas premeret, aut grauitaret.

Ex parte verò aquarum concessa est aliqua virtus ipsis aquis ne diffluerent, & cederent grauitati corporis Christi calcantis, seu negato concursu Dei, ne ipsæ diffluerent; soli enim hi modi Physicè agendi possunt excogitari.

36 QVOCVMQVE autem modo id factum sit, non est videre operationem Physicam in humanitate. Si enim primo modo id factum est concessâ dote agilitatis; iam ipsa humanitas se principaliter sustentabat, neque vt instrumentum concurrebat. Nisi dicas, humanitatem esse eleuatam ad producendam illam dotem: Sed hoc est absque fundamento; nam illa satis producitur, & emanat ex visione Dei; vnde miraculum erat, quando impediuit dotes, non quando sinebat eas prodire.

SI verò dicas, fuisse sustentatam Christi humanitatem; Vel id factum est negato concursu Dei ad tendendum ad ima, & in hoc, quid obsecro operatur Physicè humanitas? Vel hoc factum esse quis dicet impetu impresso in corpus Christi, vt detineretur; & hic impetus videtur superfluus.

37 FACTVM est igitur negato corpori concursu à Deo, ne descenderet, non facta mutatione in mare, vt notat D. Bonauent. ex D. Chrysostomo *homil.* 42. *in Ioan.* vbi ait: *Manens in propriâ naturâ mare, sic ferebat dominatorem supra dorsum, attestans ei, qui dicit: Ambulans supra mare.* Et hoc vult D. Hieronymus *in cap. vltimum Isaiæ*, dicens: *Christum pendulo incessu super mare ambulare*, hic autem modus dicendi non satis à Vasquez explicatur. Idem sentit D. Hilarius ad eum locum Matth. dicens: *Corpus Christi non degrauabatur in aquis.*

38 DENIQVE Author mirabilium Scripturæ *lib.* 3. *cap.* 8. apud S. Augustinum, ait: *Vno ex his duobus modis Christum super aquas ambulasse, vel quia leuis effecta est natura corporis eius; vel quia concretæ fuerunt aquæ.* Et hoc modo Petrum mare perambulasse innuit Chrysol. *serm.* 50.

OBIICIT contra hunc modum Vasquez primò alios PP. qui id erroris notant.

RESPONDETVR, Bedam *in* 6. *Marci.* Et Rabanum *in catena D. Thomæ*, contra Theodorum Episcopum Pharanitanum ostendere, corpus Christi fuisse nostris simile, non autem phantasticum, vel aëreum, quod ille probare contendebat, quia ambulabat super aquas. Error igitur Theodori est, quia putauit id naturâ suâ factum fuisse; nos autem miraculo id adscribimus, quo posito, Theodorus nil probaret.

39 VASQVEZ refert etiam Damascenum 3 *de fide, cap.* 15. vbi ait: *Qui supra quàm humana conditio ferret, ea, quæ erant hominum agebat, vt cùm in fluxa, & instabili vnda terrenis pedibus incederet, non indurata aqua, verùm per eximiam diuinitatis potentiam ita compacta, vt minimè difflueret, pedumque corporeorum grauitati non cederet.* Hæc verba potius nostram confirmant sententiam, vt patet.

OBIICIT deinde Vasquez: Si Christi corpus diuina virtute suspensum est, non ambulauit super aquas, sed portabatur.

RESPONDEO primò cum D. Bonauent. ex D. Chrysostomo, si, vt dicit Euangelium, ambulauit Christus super aquas, & mare: Ergo mansit in propria natura mare, & aqua, & in hoc casu debuit esse vndosum, & fluidum, alioqui non super mare, sed super glaciem, vel simile ambulasset absque miraculo.

DEINDE dico, fuisse duas actiones: alteram ambulandi; alteram non descendendi. Christus igitur motu naturali progressiuo ambulabat, licèt diuinitus sustentaretur; sic qui super funem obambulant, motu cientur progressiuo, & tamen arte feruntur, & quibusdam ponderibus libratis, ne cadant. In hoc verò distinguitur donum miraculorum in Christo, & in Sanctis, vt ait D. Gregorius *secundo Dialogo, cap.* 30. quia Christus illud obtinuit imperio; at cæteri Sancti solùm impetratione vtrumque verò morale est. 40

PROBATVR deinceps à Belluto, & Mastrio, refellendo singulos prioris sententiæ modos.

PRIMÒ quidem non posse esse qualitatem aliquam supernam, constat, quia cùm infinita sint genera effectuum supernaturalium, debet esse qualitas infinita. Hæc tamen ratio infirma est, nam humanitas Christi ad finita miracula ordinata est. Deinde non posse eum influxum in singulis occasionibus; probatur, quia hic motus est accidens, quod nil aliud valet, quàm adducere agens ad passum; eique illud coniungere. Quapropter si agens non habet virtutem ad agendum, non aget, etiamsi ad passum quocumque modo trahatur. 41

QVÒD neque sit potentia obedientialis humanitati Christi congenita, & ab eius substantia indistincta, vt dicebant Suarez, & alij recentiores, probant, quia non datur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet, sed solùm ad aliquem effectum supernaturaliter producibilem. Et sanè ad aliqua miracula à Christo patrata non habuit virtutem Physicam; quod verò diuina virtute eleuatur ad aliquid efficiendum, debet habere circa illud aliquam virtutem, saltem inchoatam. 42

NEC satisfacit Suarez dicens, virtutem agendi esse potentiam obedientialem ipsam actiuam, humanitati congenitam, applicitamque ad agendum cum proportionato concursu.

CONTRA, quia concursus ille non ponit in creatura virtutem actiuam; Quare poterit Deus ad præsentiam illius rei operari, non tamen dicetur cooperari; sed neque hoc argumentum vrget, quia satis erat potentia obedientialis limitata ad ea miracola, quæ erat patratura, ad quæ poterat eleuari virtute diuina cooperante. 43

PROBATVR secundò, nam ad nostram iustificationem, & multò magis ad iustificationem antiquorum Patrum, Christus non est operatus Physicè, vt patet, quia, quod non est, non potest Physicè influere effectiuè, vt admonet Caspensis, & Morandos: At humanitas Christi adhuc non erat tempore Patrum antiquorum, neque nunc adest nobis in terris ad sanctificationem, &c. Mira excogitant responsa apud Mastr. *num.* 190. vbi soluuntur.

OBIICIES primò. Christus patrauit miracula potestate, & imperio, Lucæ 5. *Surge, tolle lectum.* Matth. 8. & Lucæ 5. *Volo: mundare.* Petrus sic suscitauit Tabitam, vt dicitur *Act.* 5. 44

RESPONDETVR, ex hoc non argui, assumptam humanitatem fuisse instrumentum Physicum, nam imperio etiam sanauit absentes, *Matth.* 8. *Lucæ* 7. *Ioan.* 4. Imperabat igitur diuina potestate sola, vt notat D. Bonauent. *ad ea loca.* Humanitas verò loquens, vel clamans, non poterat solo illo operari sono, &c.

OBIICIES secundò. Saltem reliquiæ Sanctorum 45

rum Physicè influunt, non enim possunt impetrare, cùm igitur solo tactu medentur, Physicè influunt; sic enim etiam Christus solo tacto curauit Socrum Simonis, *Matth.* 8. & *Luca* 8. & cùm fluentem sanguine fœminam sanauit tactu fimbriæ, *Marci* 5. *Luca* 8. vnde ait: *Sentio virtutem de me exisse.*

Respondetur, reliquias Sanctorum operari moraliter, orantibus sanctis, vel Deo decernente, vt ipsarum intuitu ipse miraculosè operaretur, neque verò sensit Christus, virtutem illam, quæ exiit, fuisse virtutem Physicam; nam virtus in agente manet, sed miraculum ipsum vocauit virtutem. Sic enim virtutes dicuntur miracula, Matth. 11. & Lucæ 10. *Si in Tyro factæ essent virtutes.* Marci 6. *Non poterat virtutes facere.* Sic igitur explicat D. Bonauent. ad ea verba Lucæ 6. *Virtus de illo exibat*, idest, operatio virtutis. Sic etiam Vasquez, & Caspensis.

46 Aliam explicationem *his locis*, addit S. Bonauentura, Virtutem scilicet exiisse, quatenus latens manifestata est, iuxta id Sap. 12. *Virtutem ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus.* Addit, tunc exire virtutem, quando aliis communicatur, vt habetur Isaiæ 40. *Qui dat lasso virtutem.*

Qvoad tactum, &c. dico, fuisse conditionem, sine qua non, sed non causam, vt dixi.

47 Obiicies tertiò authoritatem multorum PP. & Conciliorum asserentium, carnem Christi fuisse viuificam. Ità epistola Concilij Alex. approbata in Concilio Ephesino, quæ est decima inter epistolas Cyrilli *anathematismo* 11. & *in Exegesi ad Valerium, de Incarnatione*, quæ est in sexto Tomo, Concil. Ephes. *cap.* 17. & *lib. priori ad Reginas, cap.* Quod vita, & viuificus Christus. *Et lib.* 6. *Dialogorum de Trinitate, fol.* 3. & *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 14. vbi affert etiam miracula puellæ Archisynagogi, & adolescentis Naim, qui fuere suscitati, vt ostenderet (ait) corpus quoque suum viuificare posse.

48 Respondet S. Bonauent. *ad* 6. *Luca*, ad ea verba: *Omnis turba quærebat eum tangere*, sicut anima virtutem habebat in animas, ita & corpus Christi in corpora. Igitur virtus egrediebatur, quia effectus miraculosi ad tactum, ad vocem, ad imperium Christi producebantur à Deo, vt ait S. Doctor ad id 8. Lucæ: *Sentio virtutem de me exisse.*

Addit S. Doctor *Opusculo de septem donis, cap.* 3. ad finem, hanc virtutem ex contactu esse gratiam virtute fidei. Vnde ait: *Quis me tetigit?* Idem habet *de septem itineribus æternitatis, itinere* 6. *dist.* 2.

49 Concilia verò, & PP. solùm definiunt contra Nestorium, carnem Christi esse non puri hominis, sed diuinitati hypostaticè vnitam. Porrò & sexta Synodus *in epist. Sophronij*, ait: *Verbum per carnem effecisse opera, quæ erant diuinitatis indicia.* Sed hoc satis explicatur de morali causalitate.

Igitur, Deus, vt principalis causa, imperabat ventis, dæmonibus, mortuis, &c. ad præsentiam, & orationes humanitatis, tanquam instrumenti, non physici, sed moralis. Et hoc volunt PP. cùm humanitatem vocant *Organum diuinitatis*, vt notat Mastrius *num.* 197.

Obiicies quartò, Ioan. 1. dicitur: *Gratia per* 50
IESVM facta est.

Respondet Caspens. *num.* 12. ex D. Bonauent. *ad eum locum*, & *in* 3. *loco cit.* initio gratiam efficienter à Christo, vt Deo, esse factam; moraliter verò à Christo homine per merita.

Obiicies vltimò. Opera Christi demonstrabant vnionem hypostaticam, tanquam effectus vniuocè.

Respondetur cum Belluto, negando assumptum, vt constat ex natura effectus vniuoci.

Ex dictis elice non spectasse ad Christi amplio- 51
rem dignitatem, esse causam miraculorum Physicam; sic enim, vt ait Arriaga, non est honoris Regi imperio valenti vrbem condere, si & ipse inuidet fabricæ. Ideò ex aduersariis aliqui negant, Deum per se motorem orbium. Confirmatur, nam sæpè ad hæc physicè operanda vsus est etiam vilibus, vt ait D. August. *9. de Gen. ad litt. cap.* 17. vt lignò arido ad flores germinandos, asino, & tygride ad prædicandum, vt habet Faynus *in vita SS. Faustini, & Iouita*: at ad moraliter condignè emerenda exigitur spiritus nobilis dotatus.

Occvrrit hic quæstio: an voluntas Christi 52
fuerat efficax quoad ea, quæ per alios fieri volebat; de qua Vasquez *disp.* 58. Nazar. *ad art.* 4. *quæst.* 13. *controu. vnic.*

Innicat verò S. Bonauent. *dist.* 17. *art.* 2. *q.* 2. voluntatem Christi non fuisse quoad illa efficacem. Id probat è 17. *Ioan.* vbi orauit, volens omnes discipulos seruari à malo; & tamen non omnes seruati sunt.

Id constat Marci 7. *Ingressus domum, neminem* 53
voluit scire, & non potuit latere, & in fine capitis: *Quantò eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant.* Matth. 9. Cæci, quibus præcepit, ne panderent eum, *diffamauerunt eum*, vt ibi dicitur.

Ex his locis Agatho Papa *in 6. Synodo*, probat, fuisse humanam voluntatem; eò quòd in eo fuit voluntas, quæ effectu caruit.

Vt autem probet validè, debuit ea voluntas effi- 54
cax esse; nam etiam diuina inefficax datur, qualis est de omnium salute. Ità docent Caiet. *ad quæst.* 13. *art.* 4. & Medina *ibi*, ac Vasquez.

DISPVTATIO XVI.

DE DEFECTIBVS CORPORIS CHRISTI.



IN eo maximè Benignitas Saluatoris nostri apparuit, quòd quadam velut æmulatione mortalis nostri corporis defectus in se transtulerit, vt immortalitatem ei reconciliaret; Visis itaque Humanitatis Christi perfectionibus, quibus naturam nostram illustrauit, videndi nunc sunt defectus illi, quorum assumptione Filius Dei à deficiendo nos vindicauit. Hi in duplici sunt differentia, alij enim spectant ad corpus; alij verò ad Animam: Verùm hîc præmonendum est, Defectum non sumi pro imperfectione aliqua, quæ ad peccatum accedat, cuius ne quidem vmbram in Christo volumus admittere: licet de eo nonnihil inquiremus; sumitur ergo defectus pro aliqua corporis, vel animæ dispositione, sui subiecti passibilitatem indicante; Vnde cùm Christus præcipuè passus sit, maximè in facie hominum, quoad corpus suum sanctissimum; ideò hîc primò de corporis passibilitate disputabimus, in qua antiquos nonnullos hæreticos, quos infrà nominabo, aduersarios habemus, nusquam verò virum aliquem Catholicum, vt non satis cautè obtendit Vasquez, quem infrà refellam. Altera autem disputatione agam de defectibus animæ, vbi de Christi impeccabilitate fusè disceptabitur.

QVÆSTIO I.

An CHRISTVS *assumpserit corpus passibile.*

D. Bonauent. dist. 16. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 14. art. 2.

1 FVERE præter Manichæos hæretici Seueritæ, qui à Iuliano Halnicarnassæo, & Gaiano orti sunt, vt narrat Nicephorus *lib.* 17. *historiæ, cap.* 29. negantes, Christi corpus fuisse passibile. Hi propterea etiam Manichæi dicti sunt, & Saraceni à D. Bonauentura *hîc.*

2 IN hunc errorem lapsum Sanctissimum Hilarium Doctorem Ecclesiæ, in id Psal. 68. *Saluum me fac Deus*, & in illud eiusdem Psal. *Et in fiis mea, &c.* Et in Præfatione *Psal.* 138. & *lib.* 10. *de Trinitate*, asserit Vasquez *disput.* 59. *num.* 3. vbi adducit hæc verba: *Afferrent hæc quidem impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, vt telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans.* Eundem errorem S. Hilario adscribunt (timidè tamen) Maldonatus *in cap.* 26. *Matth. vers.* 37. Bellarm. *t.* 1. *lib.* 4. *de Christi anima, cap* 8. *ad* 7. Salmeron *tomo* 10. *de passione Christi, tract.* 11. Medina 3. *part. quæst.* 14. *art.* 2.

D. BONAVENTVRA *loco cit. ad primum*, nititur pro viribus hunc Sanctissimum Doctorem indemnem seruare. Primò dicit, D. Hilarium hunc errorem retractasse, & testatur se audisse Guillielmum Episcopum Parisiensem asserentem, se librum huius retractationis perlegisse: Idem Richardus 3. *distinct.* 15. D. Thom. *ibidem in expositione textus*, & *quæst.* 2. *de veritate, art.* 8. *ad* 7. *& tertio sentent. ad Anibaldum, dist.* 15. & Albertus Magn. 3. *distinct.* 11. & Carthusianus *eadem distinct.* asserunt hunc libellum retractationis D. Hilarij, vnde deducit Vasquez, Hilarium errasse. 3

ENIM verò occurrit S. Bonauent. *distinct.* 16. *in textu Magistri*, hanc retractationem non fuisse publicam, ideò potiùs explicandum Hilarium.

RESPONDET secundò, D. Hilarium non excludere sensum doloris à Christo, secundùm humanam naturam, sed secundùm diuinam. Vnde verba illa Hilarij, quæ vrget Vasquez: *Virtus corporis, sine sensu pœnæ, vim pœnæ in se desæuientis excepit;* referenda 4

referenda sunt ad Verbi personam. Et hoc probat S. Doctor, quia vt admonet idem S.Hilarius, intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi. Hilarius verò prædictis verbis excludere voluit errorem Arij, qui dicebat, Christum secundùm se totum passum fuisse. In illis autem libris ex professo agit contra Arium.

Respondet Vasquez, hanc expositionem non posse aptari verbis Hilarij, quia passim loquitur de corpore humanitatis, non de Verbo secundùm se, quamvis aliis in locis videtur de solo Verbo loqui.

5 Hinc igitur infero, quòd cùm Hilarius multis in locis soli personæ Verbi neget passiones; idem dicendum sit voluisse, & in aliis locis, quæ sunt obscura, quorum nullum affert Vasquez, vbi corpori formaliter, clarè, aut expressè neget passiones.

Qvod verò loco illo 10. *de Trinitate*, ita loquatur, patet ex his verbis, vbi de Arianis sic loquitur: *Quia ex nullo creatum esse dicunt, ideò in eo doloris anxietatem, ideò ipsius passionem cum corporis passione ponunt.*

6 Hinc habes, eum soli Verbo è contra negare passiones, & corpori concedere. Idem habet *Psal.* 53. Eò autem magis id credo, quia D. Hieronymus *ad Letam*, eam certiorem facit, posse Hilarij opera omnia inoffenso pede percurri. Neque modestè Vasquez respondet, hunc errorem cum aliis potuisse Hieronymum præterire. Non enim incautè hoc dixisse maximum Doctorem in animum valeo inducere, cum solertissimus, & apicum scrutator fuerit eorum librorum, quos legendos suadebat, vt patet *in libris Origenis*, & aliorum, quos minutè carpit, ac corrigit.

7 Adde, Breuiarium nouissimè reformatum, recitatis operibus D. Hilarij mira eruditione conscriptis, quæ omnia commendat, rursum addens ex sententia D. Hieronymi, posse inoffenso pede percurri, & loquitur authoritate Ecclesiæ in tertia lectione: *Multos libros scripsit mira eruditione, quos omnes S. Hieronymus ad Letam sine vlla erroris suspicione legi posse testatur illis verbis: Hilarij libros inoffenso decurras pede.* Quod si error huiusmodi reperiretur, profectò non apposuisset hæc verba sub hac formula, nam etsi etiam de aliis Sanctis Doctoribus hæc dicta sint ab aliis Sanctis PP. id tamen de nullo alio Ecclesia apposuit in Breuiario.

8 Addit S. Doctor aliam interpretationem verborum D. Hilarij cum Magistro *dist.* 16. & D. Thom. *quæst.* 15. *art.* 5. cum non verum dolorem negasse, neque necessitatem patiendi ex causa proxima, quæ est compositio nostri corporis; sed negasse necessitatem patiendi ex causa remota, idest peccato. Idem respondet Valentia *quæst.* 15. *p.* 4.

Contra instat Vasquez, nam D. Hilarius dicit: *Virtus corporis sine sensu pœna.* Ergo negat pœnam ipsam. Præterea *loco cit.* suprà, ait; pœnas non magis læsisse Christum, quàm telum læderet, seu feriret aërem, vel aquam, aut ignem confodiendo.

9 Respondetvr cum Suarez *in Commentario art.* 5. *quæstionis* 15. satis D. Hilarium se explicuisse, nam *Psal.* 53. ait: *Ea communi infirmitate nostra salutem est deprecatus à Patre, vt intelligeremus, natiuitatem nostram cum ipsis infirmitatis nostra officiis illi inesse: Hinc illud est, quod esuriuit, dormiuit, lassatus fuit, mæstus fuit, & fleuit, & passus, & mortuus est.* Quid clarius? Similia habet *lib. citato, de Trinitate, col.* 5.

Respondetvr secundò cum D. Bonauent. 10
dist. 16. *dub.* 1. negare Hilarium, non vim doloris, sed dominium passionis: dolor enim dicit comparationem ad voluntatem, vt ait D. Augustinus 14. de ciuitate, cap. 6. & 15. *Dolor est dissensus ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.* Quoniam ergo voluntas passionibus non succubuit, ideò non concedit Hilarius eum doluisse, hoc est, ipsum nolentem passionibus subiacuisse, vnde sensus est: Virtus corporis, idest, voluntas corporis regitiua hæc excepit absque sensu, sine dissensu à pœna, quia voluit pati. Vide S. Bonauenturam.

Assero ex fide, Filium Dei assumpsisse corpus passibile.

Est de fide, & oppositus error damnatus est in 11
Concilio Ephesino *anathematismo* 12. qui est in epistola Concilij Alexandrini, apud Cyrillum decima, in Concilio Toletano I. *in confess. fidei*, in Concilio Later. sub Martino I. *consult.* 5. *can.* 3. & *in sexta Synodo, act.* 11. *in epistola Sophronij*, quæ recitata fuit illâ actione, & *act.* 13. approbata. Idem definit Damasus ad Paulinum *in professione fidei*. Denique in Symbolis Apostolorum, Nicæno, & Athanasij astruitur.

Scriptvrarvm loca adeò clara sunt pro hac veritate, vt incredibile sit, D. Hilarium esse lapsum ex ignorantia.

Aliqva affert S. Doctor Isaiæ 53. *Vidimus* 12
eum nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem nostram: Verè languores nostros ipse tulit. Psal. 68. dicit: *Ego sum pauper, & dolens.*

Præterea totum Euangelium affert, quo passiones Christi narrantur. Esuriit enim *Matth.* 4. *& Luca* 4. sitiit *Ioan.* 19. esuriit in tentatione (ait S. Doctor ad eum locum Lucæ) & sitiuit in passione, vt ostenderet, se habere veram humanitatem. Lassatus etiam est *Ioan.* 4.

Hæc latè prosequitur Apostolus *ad Hebr.* 5. Ideò patientia Christi summoperè commendatur, vt dicam *quæst.* 3. ex D. Bonauentura.

Hinc arguit S. Doctor: Si Christus non esset 13
verè passus, profectò Euangelium esset falsum, falsa miracula Christi, & ipse Dominus Iesvs, qui est ipsa Veritas, esset mendax, & simulator: Similiter non esset satisfactor suis pœnalitatibus. Vide D. Bonauent. *in corpore.*

Alia rationem D. Bonauent. *dist.* 16. *quæst.* 3. & *ad* 4. *Luca*, innuit, quæ erat ratio Catholicorum antiqua, vt refert Nicephorus *lib.* 17. *cap.* 29.
eaque vsus est Sophronius *in sexta Synodo.* Si 14
Christi corpus non fuisset obnoxium passionibus, non fuisset Christus nostræ carni similis: *In similitudinem carnis peccati*, vt ait Apostolus.

QVÆSTIO II.

Vtrum Verbvm *assumpserit defectus oppositos perfectioni corporis humani.*

Non ago de illis defectibus, qui sunt conna- 15
turales corpori humano, vt esse passibile, esse graue, esse loco circumscriptum; sed de illis, qui naturaliter perfectioni corporis humani repugnant, siue consistant in habitu, siue actu primo, vt sunt corporis deformitas, improportio membrorum, ægritudines, &c.

Illa verò magna quæstio de circumscriptione corporis

corporis Christi in loco contra Vbiquistas, tractabitur de Eucharistia 3. *parte*, *tract.* 4. *disp.* 5. *quaest.* 23.

16 Assero primò, Christum assumpsisse corpus humanum perfectum quoad compositionem, & temperamentum. Ità D. Bonau. 3. *dist.* 15. *quaest.* 1. *&* 2. vbi alij Scholastici, D. Thom. *quaest.* 14. *art.* 4. apud Suarez *disp.* 32. *sect.* 2.

Probatur ex dignitate personae, cui sanè conueniebat corpus assumptum perfectissimum. Hoc verò miro modo supponit D. Bonauent. hîc, & vbique, sed asserit in meditationibus vitae Christi *cap.* 4. Confirmatur, fuit enim à Spiritu sancto formatum.

17 Assero secundò, corpus Christi fuisse pulcherrimum.

Probatur à D. Bonauent. *in speculo B. Virg. lect.* 17. ex illo Psal. 44. *Speciosus forma prae filiis hominum.* Scio, eundem S. Doctorem *ad eum locum psal.* de pulchritudine gratiae id exponere cum Theodoreto, Remigio, Ambrosio, & Gregorio *loco cit. Reg. cap.* 1. tamen *in speculo*, sequitur D. Augustinum, & Cassiodorum *ibi*, & Bernardum *serm.* 1. *de omnibus Sanctis.* Chrysostomum *homil.* 18. *in Matth.* qui de Christi corporis pulchritudine intelligunt, S. Doctor *in* 4. *dist.* 44. *part.* 1. *dub.* 3. ait eum fuisse mediae staturae, quae est perfectissima, stans inter extrema.

18 Idem colligunt multi ex illo Isaiae 53. *Non erat ei species, neque decor.* Ità Tertullianus *lib. de claritate gentium*, & 3. *lib. contra Marcionem*; & Vigilius *lib.* 2. *contra Eutychen.* Hieronymus *epistola* 160. & D. Bonauent. *in meditationibus passionis Christi, cap.* 85.

Confirmatur, nam pulchritudo est aequalitas numerosa, siue quidam partium situs cum coloris suauitate, vt docet S. Doctor *Itinerario mentis in Deum*, *cap.* 2. & *in dist.* 31. *part.* 2. *quaest.* 3. *in corpore*, adducendus. Tale autem debuit esse corpus animae speciosissimae.

19 Assero tertiò, Verbum assumpsisse defectus aliquos corporis, qui in actione aliqua, vel passione consistunt, vt famem, sitim, &c. Probatur ex fide *quaestione praecedenti.*

Qvos autem assumpsit, docet D. Bonauent. *dist.* 15. *quaest.* 2. aliqui enim defectus sunt ex culpa, vt mortalitas, fames, sitis, aegritudines, & hos non omnes assumpsit, sed solùm communes naturae, nam aegritudinum species sunt personales: Christus autem venit curare naturam absque personarum discretione: quidam sunt non modò à culpa, sed etiam ad culpam, vt pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, & tales nullo modo assumpsit, vt dicam *disp.* 17. quia Christus fuit minister iustitiae: *Segregatus à peccatoribus.*

20 Assero quartò, Christum non assumpsisse aegritudines. Ità D. Bonau. *loco cit.* D. Thom. *hic*, & alij *in* 3. *dist.* 25. Abulensis *paradoxo tertio, cap.* 31.

Probatur à D. Bonauentura, quia indecens fuisset corpus Christi surdum, mutum, claudum, vel febribus aestuans. Deinde cùm sint aliqui morbi incurabiles, profectò non decebat Saluatorem his fuisse detentum: Tandem quia multi sunt morbi contrarij, contraria autem simul esse nequeunt; aegritudines enim vel ex imperfecta corporis compositione, vel ex aliqua inordinatione in cibo, & potu, &c. nascuntur, quae à Christo longè absunt. Et si aliquae ab extrinseco veniunt, puta, coeli inclementia, poterant ab optimo temperamento remoueri, & cautione vitari.

Argumenta in contrarium facilia sunt in D. Bonauentura. 21

QVAESTIO III.

Quibus è causis conueniens fuerit CHRISTO *hos defectus assumere.*

{ D. Bonauent. dist. 15. quaest. 1.
D. Thom. qu. 14. art. 1.

Assero primò, decuisse Christum hos defectus assumere. 22

Probatur à S. Bonauentura primò Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.* Et Hebr. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.*

Hinc eruit S. Doctor primam rationem. Christum decebat esse misericordem nobis, atque fidelem; sic autem pronior est, dum nostras calamitates, quantum decet, experitur. Similiter debuit Christus esse bonus Pontifex, talis autem debet compati his, qui ignorant, & errant: Ergo debuit eos defectus assumere, qui ad compatiendum prosunt iis, quos nouit ignorantes, dolentes errantes, &c. Tales sunt autem nostrae poenalitates.

Secvnda ratio D. Bonauenturae, quia venerat, vt nos redimeret sanguine pretiosissimo, vt dicitur 1. *Petr.* 1. Ergo poenalitates debuit assumere: Ita etiam D. Thomas. 23

Tertia ratio est, quia incarnatus est, vt patiens relinqueret nobis exemplum (vt ait idem Petrus) patientiae, humilitatis, quibus peruenitur ad coelum. Ideò *Matth.* 11. ait: *Discite à me, quia mitis, &c.* Ità etiam D. Thomas.

Qvarta ratio est, vt assimilatus nobis roboraret rationalem nostram ad credendum vera; irascibilem ad sperandum ardua, concupiscibilem ad amandum bona modo connaturali, adiutorio tamen Diuino. Ita dum videmus, eum pati; cognoscimus, & credimus, eum esse verè nostrae naturae, non phantasticum. Sic etiam D. Thomas. Secundò ostendendo suam in nos clementiam, & misericordiam ad nos redimendos sua morte, eleuat ad sperandum ardua vitae aeternae. Qui enim dedit semetipsum, quomodo non etiam omnia nobis donabit? Tandem ostendendo in nos amorem, rapit ad amandum talem bonitatem. 24

Obiicit primò. Sicut Deum, qui est summa sanctitas, dedecet culpa, sic quia est summa potentia, dedecet infirmitas.

Respondet S. Doctor, vtramque dedecere Deum infinitè perfectum; non tamen naturam assumptam à Deo: nam infirmitas potest esse materia exercendae virtutis. Sic laudabilis est fortitudo exercita in perpessione terribilium; culpa verò semper est vituperabilis. 25

Obiicit secundò. Sicut culpa sine punitione est inordinata; ita etiam poena, quae non est à culpa: Christus nullam habuit culpam: Ergo.

Respondet S. Doctor, poenam voluntariè assumptam pro aliorum salute esse ordinatam, etiam in innocente.

Obiicit tertiò. Contraria contrariis curantur: 26

tur: at Christus venit curare nos, non modò à culpa, sed etiam à pœnalitatibus, & à passionibus culpam consequentibus: Ergo debuit oppositum assumere, pura fortitudinem, & impassibilitatem ad curandas infirmitates. Hinc Isaiæ 51. dicitur: *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini*.

27 RESPONDET S.Doctor, in remediis respiciendam originem morbi, & causam, eamque contrariis retundendam; iam verò origo nostræ infirmitatis fuit immoderata delectatio, ideò debuit assumere pœnalitates, & hæc est alia ratio S. Bonauenturæ.

OBIICIT quartò. Christus venit ad pugnandum, & vincendum aduersarium; at defectus sunt potiùs ordinati ad succumbendum: Ergo.

RESPONDET D. Bonauent. Christum venisse ad vincendum aduersarium, non sicut gladiatores in arena, sed moraliter virtutibus, & ad hoc iuuant infirmitates Physicæ. Ideo 2. Cor. *Virtus in infirmitate perficitur*. Et hæc est fortitudo, quam in Christo vult Isaias 51. *loco cit.*

QVÆSTIO IV.

An passiones à CHRISTO *assumptæ dici debeant naturales, aut voluntariæ, aut violentæ.*

D. Bonauent. dist. 16. quæst. 3.
D. Thom. q. 14. art. 2.

28 QVÆSTIO solùm esse potest de defectibus illis, qui in aliqua actione, vel passione positi sunt.

Ex Patribus aliqui vocant passiones Christi voluntarias, alij naturales, alij assumptas, vt notat Vasquez *disp.* 59. post D.Bonauenturam.

HÆRETICI verò relati à Nicephoro *lib.* 17. & Damasceno *lib. de hæresibus, hæresi* 89. verbis palliatis negabant cum Catholicis, passiones illas violentas fuisse; atque dicebant, esse voluntarias; sed sensum habebant infidum, nempè, has passiones fuisse voluntarias, quia Christus non assumpsit eas cum natura, sed potuisse ad libitum assumere, cùm tamen non assumpserit. Ideò Damascenus 3. *de fide, cap.* 20. & Nicetas *lib.* 3. *Thesauri, cap.* 36. eos damnant.

29 CAVTA autem Vasquez monet, ne liberè vtamur hoc effato: *Christus assumpsit passiones*, ne cum Hilario erremus ad credendum, eas passiones non fuisse in Christo veras, naturales, sed apparentes sicut in comœdiis assolet dici. Assumpsit personam Regis, vel Doctoris; sed de hoc satis *quæst.* 1.

30 SERAPHICVS refert opinionem aliquorum dicentium, Necessitatem ex quatuor causis prouenire posse: Primò ex causa materiali, secundùm quam, subiectum calidum vt octo, debet conuerti in ignem: Secundò ex formali, secundùm quam necesse est, calidum calere: Tertiò ex causa efficiente, secundùm quam, lapis proiectus à brachio forti, necessariò mouetur: Quartò ex fine, secundùm quam necesse est serram esse dentatam ad secandum. Igitur hi dicebant, necessitatem patiendi solùm ex fine Christo prouenisse, quia assumpsit naturam humanam ad nos redimendos suo sanguine pretiosissimo, & passionibus, ac morte. Et hoc modo (ait S. Doctor) tractat hanc quæstionem D. Anselmus *lib.* 2. *Cur Deus homo, cap.* 18. 31
Hunc tamen modum ait S. Doctor, satis esse rationabilem in se, & ad quæstionem propositam, si quæratur de necessitate patiendi in Christo, prout necessitas patiendi in Christo includit non solum tempus post assumptionem, sed etiam ante eam, ac quæratur: An necessarium fuerit Christum nostras pœnalitates assumere; tunc enim verum esset dicere: Non fuit necessarium, nisi necessitate finis. Igitur necessitas patiendi voluntariè fuit assumpta, sicut & natura humana passionibus obnoxia; attamen necessitas aduenit ex fine, supposito, quod Deus volebat nos redimere pretio condigno, satisfaciendo suis pœnalitatibus, & morte, assumendo carnem in similitudinem carnis peccati, vt ritè declarat *in fundamentis*.

HINC falsò Vasquez *num.* 13. ait, Seraphicum asserere necessitatem patiendi ratione finis, iuxta sententiam D. Anselmi à se confutatam *disput.* 1. *cap.* 2. qui dicebat, non potuisse Deum alio modo hominem à peccato liberare sine incarnatione alicuius Diuinæ personæ. Ideò, vt liberaret, debuit pœnas pati. Hoc enim teste Vasquez *ibi*, est alienum à sententia D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 20. *quæst.* 1. & aliis; & nos id vidimus *disput.* 3. *quæst.* 2. Neque hic S.Doctor ingenuè fatetur se opinionem D.Anselmi sequi, vt putat Vasquez, sed solùm ait, definire sic D. Anselmum, quod hæc necessitas passionum Christo obuenerit sola necessitate finis; at in declarando fine non conuenit cum D. Anselmo, vt ipse Vasquez fatetur *disput.* 1. *cap.* 2. & nos suprà declarauimus. 32

IGITVR D. Bonauentura alia via cum Magistro incedit, vt quæstionem aliam soluat: An pœnalitates, seu necessitas patiendi, quæ à nobis est contracta à generatione, atque necessaria, supposito peccato, debeat dici voluntaria Christo, qui sicuti alienus à peccato fuit, ita non potuit contrahere pœnas peccati, ne detur inordinatio talis, quòd aliquis innocens pro culpa puniatur, vt dixi cum D. Bonau. *quæst. præcedenti, ad secundum.* 33

RESPONDET igitur S. Doctor, Christum assumpsisse istum defectum, qui est necessitas patiendi, nempè, quia assumpsit corpus tali compactum compositione, vt naturaliter esset obnoxium passionibus. Itaque assumens corpus, assumpsit necessitatem patiendi, & ita oblatis, & applicitis causis dolorum, passionumque, non potuit corpus Christi non pati. 34

IDEM sentit D. Thom. *hîc*, & reliqui Theologi cum Magistro *dist.* 16. vbi Richardus *art.* 1. *quæst.* 3. Durandus *quæst.* 1. Scotus *quæst.* 2. Gabriel *quæst. vnic, art.* 2. Paludanus *quæst. vnic.* Almainus *quæst. vnic,* Marsil. *in* 3. *quæst.* 11. *art.* 1. Alensis 3. *part. quæst.* 17. *memb.* 1. *art.* 2. Enim verò necessitatem hanc moriendi simul cum humanitate fuisse voluntariè assumptam, simpliciter loquendo, asserunt.

EXPLICAT verò D. Bonau. aliter in nobis esse hanc necessitatem; aliter in Christo; nam hæc necessitas comparari potest primò ad causam, secundò ad subiectum, tertiò ad virtutem corporis regitiuam. 35

Ex parte causæ prouenit nobis hæc necessitas ex duplici principio: Alterum est per se compositio ex contrariis: Secundum est peccatum originale: Christus verò ex sola compositione corporis habuit hanc necessitatem.

Ex parte subiecti patientis necessitas in nobis patiendi est, siue consideretur natura, siue persona, & ita est naturalis, & personalis; natura enim, & persona culpam habet originariam. Rursus, persona est modus naturæ infectæ, & ex contrariis compositæ, & ideò sequitur naturam rei.

36 At Christus in solâ naturâ assumptâ habet hanc necessitatem, non autem in persona, quæ est Diuina.

Ex parte virtutis regitiuæ aliter est in nobis, quàm in Christo: est autem virtus hæc, alter naturæ: altera voluntatis,& neutra potest impedire in nobis passiones. Patimur enim, velimus nolimus: At in Christo hæc necessitas fuit solùm respectu virtutis naturæ, non respectu voluntatis. Nihil enim inuitus sustinuit, quia non meruit sustinere mala: & hoc est, quod dixit Damascenus loco citato: *In Christo, etsi passiones fiebant secundùm legem naturæ, non tamen coactè, sed voluntariè*, vt habet Suarez *lib.* 1. cum D. Bonauent. *distinct.* 15. *artic.* 1. *quæstione* 3. *ad* 6. vbi necessitatem admittit solam ex hypothesi præteritæ liberæ acceptationis.

37 Licet enim defectus hi essent contra appetitum naturæ, & aliquando contra voluntariam aliquam displicentiam voluntatis, vt natura est; fuerunt tamen conformes Voluntati absolutæ, & efficaci, à qua habet actio, vt sit voluntaria simpliciter, quamvis sit inuoluntaria secundùm quid, vt constat *ex* 3. *Ethic. cap.* 1. Quoad voluntatem Diuinam, certum est, fuisse illi voluntarios.

Assero primò. Supposita dispositione naturali corporis Christi, positis etiam aliis causis offendentibus, & applicantibus pœnalitates, Christi corpus necessitate quadam naturali patiebatur, nec poterat per voluntatem humanam naturaliter impedire. Ita Theologi citati, quos refert, & sequitur Suarez *disp.* 32. *sect.* 3. Vasquez *disp.* 59. *cap.* 4. & alij.

38 Hoc sensu Damascenus videtur damnasse dicentes, passiones illas fuisse voluntarias, nempè, quia putabant, tale fuisse corpus Christi, vt etiam ab igne applicito, non calefieret necessariò, etiam secluso miraculo.

Probatvr à D Bonauent. ex Glossa *ad cap.* 9. *epistola ad Hebr.* & ex D. Augustino *in Iulianum*, & Boëtio *lib. de duabus naturis, & vna persona Christi, cap.* 7.

Probatvr deinde à D. Bonauentura, quia Christus verè indiguit cibo, potu, sitiens, esuriens, &c. Ergo quando hæc deerant, naturali necessitate patiebatur.

39 Confirmat *in corpore*, quia Christus naturaliter esset mortuus, nisi præoccupatus nece, vt docet D. Augustinus *lib.* 2. *de peccatorum merito, & remissione, cap.* 29. Ergo patiebatur alterationes ex calore naturali, & alimento, ex quibus sequuntur multæ pœnalitates famis, sitis, fatigationis, &c. ac mortis: Sed de hoc me cogit Scotus nouam instituere quæstionem.

QVÆSTIO V.

Qua de causa corpus Christi *habuerit necessitatem moriendi.*

{ D Bonau. loco citato.

Non est quæstio de morte violenta illata, ad hanc enim vltrò se obtulit, vt dicit Ioan. 14. 40
Surgite, eamus hinc: Ioan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, nemo tollit eam à me, sed ego à me ipso pono.* Et Ioan. 9. *Potestatem non haberes in me, nisi datum tibi esset desuper*, sed quæstio est de morte, proueniente à causa naturali, in quam homines necessariò inciderent, si ad senectam peruenirent.

Qværimvs igitur, an Christus habuerit necessariam causam senectæ, & mortis huiusmodi, & quænam fuerit.

D. Bonav. *in* 3. *dist.* 16. *quæst.* 3. Richardus *ibidem, art.* 1. *quæst.* 2. Durandus *quæst.* 1. Scotus *quæst.* 2. 41
Gabr. *quæst. vnica, art.* 2. Paludanus *quæst. vnica*, Almainus *quæst. vnica*, Alensis 3. *part. quæst.* 17 *memb.* 1. *art.* 2. D. Thom. *quæst.* 14. *art.* 2. asserunt, Christum assumpsisse corpus subiectum necessitati moriendi, sicut etiam necessitati patiendi, ita vt, si non fuisset necatus, adhuc senio confectus periisset, quæ sententia fuit D. Augustini *lib.* 2. *de peccatorum meritis, & remissione, cap.* 29.

Videndvæ sunt igitur causæ in aliis hominibus; deinde ad Christum deueniemus, in quo est specialis difficultas.

Fvit opinio Galeni *libello de Marasmo, cap.* 4. 42
vbi nullam aliam videtur agnoscere causam senectutis, & mortis, quàm externam, puta intemperiem aëris, & alia, quæ extrinsecus admota nocere possunt. Ex quo sequitur, hominem perpetuò duraturum, si sciret externa contraria vitare.

Hæc opinio confutatur à Valesio *lib.* 6. *controu. cap.* 1. quia semper euenit, vt homines moriantur, nec vllus adhuc mortem effugit. Hanc rationem carpit Vasquez *num.* 4. *disp.* 70. at *n.* 6. eam acceptat. Profectò Galenus ignorauit decretum mortis ex peccato *Genes.* 3.

Secvnda opinio est, hominem intrinsecus habere causam mortis. 43

Hanc verò quidam asserunt, esse compositionem corporis ex contrariis elementis, à quibus, etsi nulla alia esset extrinseca causa, mors proueniret. Hanc opinionem sic nudam adscribit Vasquez D. Bonauenturæ, quem tamen ait, non posse intelligi de compositione elementorum, quæ etiam in mixtis non viuentibus sunt; sed de compositione diuersarum partium Heterogenearum, in quarum vna dominatur calor; in alia frigus; in hac siccitas; in illa humiditas. Addit, posse intelligi etiam iuxta veriorem sententiam, quam infrà ipse refert.

Alii dicunt, causam internam destructricem vitæ esse calorem naturalem, perpetuò absumentem, & dissiccantem humidum radicale, quo nutritur, ita vt consumpta esca, etiam calor ille extinguatur. Ita etiam Aristoteles *Probl. quæst.* 25. & *opusc. de longitudine, & breuitate vitæ.* Auicenna *fen. prima primi, cap. de temperant.* Arbitratur autem Valesius *lib.* 6. *controuersiarum, cap.* 7. esse sententiam Platonis, & Hippocratis. 44

Alii,

45 Alii dixerunt, causam mortis internam esse partes ipsas internas contrarij temperamenti, tales sunt Cor, Cerebrum, Hepar, Lien, nerui, ossa, nam ex diuerso eorum temperamento fit, vt quod vni proficit, alteri noceat. Hæ igitur partes, cùm inter se contrariæ sint, agunt inuicem, & patiuntur, ac proinde paulatim in statum præter naturam se transferunt, ac denique corrumpuntur. Hanc causam mortis assignat Aristoteles *lib.2. de partibus, cap.2.* Durandus *in 2.dist.30. quæst.1. num.8.* eamque in Christo concedit *in 3. dist.16.quæst.1. num.8.* Scotus *in 2. distinct.19. quæstione vnica.* Addit Vasquez, id forsan dicere voluisse Bonauenturam, cùm dicit, in homine causam mortis esse compositionem ex contrariis.

46 Vasquez tandem, cæteris confutatis, duas profitetur inuenisse causas mortis intrinsecas. Prima est excrementorum multitudo, quæ in quavis parte corporis egeruntur: hæc enim supersunt è conuersione alimenti, talia sunt fel in iecore, phlegma in pulmone, quæ cum sint diuersa à partibus animalis, fit vt tandem immutent naturale temperamentum eius. Hanc causam ab Auicenna assignatam ait.

Altera causa est indigentia cibi: hinc est enim animali necessarium sumere cibum, ex quo fit, vt virtus, & calor animalis paulatim remittatur, & ita animal senescat, & intereat. Hanc causam assignat D. Thom. *2. distinct.19. quæst.1.art.4.* & *p.p. quæst.97. art.4.* Caietanus *ibidem*, Scotus *in 3. distinct.16. quæst.2.* Paludanus *eadem distinctione, quæst.1.* Valesius *lib. 6. controu. cap.1.* vbi sic philosophatur: Calor naturalis semper restituit substantiam minus humidam, loco substantiæ destructæ. Consumitur enim nostra substantia perpetuo calore, præter naturam, qui in nobis augetur in cibo, & potu, aut medicamento, aut exercitatione, aut ex rebus externis, quæ perpetuò in nos agunt, vel etiam quia, vt dicit Plato *in Timeo*; ea, quæ nobis extrinsecùs circumfusa sunt, resoluunt nos assiduè. Cùm ergo id, quod reparatur, substantiæ, sit minus humidum, tandem dissiccari corpus necesse est: Ita fit, vt senescant, ac tandem intereant.

47 Addit quòd sumentes cibum, non possumus non pati, ita vt aliquid natiuæ, & primæ nostræ substantiæ resoluatur. Porrò autem id, quod in nostram substantiam conuertitur, non esse ita calidum, & humidum, sicut erat radicale, probat Vasquez cum aliis, quia ab ipso cibo nostra membra aliquid patiuntur, ac proinde aliquid innati temperamenti amittunt; est enim alimentum dissimile, & contrarium ante conuersionem, vt ait Aristoteles *2. de anima, cap.4.* & ita retunditur ab eo natiuum temperamentum, cumque alimentum conuertatur in substantiam animalis in eo statu, quo est refracta, postquam in ipsam egit; efficitur, vt conuertatur in substantiam animalis, quæ aliquid amisit natiuæ dispositionis, sicut, vt ait D. Thomas; cùm vinum infunditur aquæ, quamvis eam in se conuertat, tamen virtus ipsius vini remissior manet, & ita aquam conuertit in substantiam suam minoris virtutis, quam antea erat, ita vt, si paulatim adderetur aqua, tandem substantia vini corrumperetur: ita etiam alimentum, quasi infusum animali, conuertitur in substantiam ipsius animalis, minoris virtutis, quàm antea erat: hæc habet Vasquez.

Hic est mos huius, & aliorum Recentiorum 48 quorundam, optimas doctrinas è S. Bonauent. elam accipere, & absorbere; atque Seraphico opiniones peregrinas, aut detruncatas adscribere, vt inueniant, quod carpant, atque talem hostem sibi facile prostratum glorientur. Idem præstitit etiam Scotus *distinctione decimasexta, quæstione vnica*, vbi reprehendit D. Bonauenturam, auferens rationes eius, quibus probat in Christo necessitatem deficiendi, easque è Seraphico mutilas referens; quasi verò S. Doctor è compositione sola ex contrariis, & ex animalitate corporis Christi deduxerit hanc necessitatem.

Addit verò Scotus, & cum eo Fauentinus 49 *disputatione quadragesimaprima*, hanc non esse sufficientem rationem, nam etiam post hanc vitam erit corpus ex contrariis compositum, & animale, & tamen non erit mortale. Requirunt ergo, vt hæc mortalitas, & corruptio non habeant aliquod impedimentum ab extrinseco, scilicet è beatitudine, vel à iustitia originali, vel alia re, & tunc erat ostendendum, hoc impedimentum non fuisse in corpore Christi, in quo maximè videbatur esse, quia anima Christi erat beata, vnde videbatur gloria posse redundare in eius corpus, & consequenter ab ea impediri, ne moreretur.

Scotus autem hanc causam remouet, quia 50 (ait) per speciale miraculum cessauit redundantia illa gloriæ in corpus Christi; atque adeò relinquebatur propriis viribus, & naturæ suæ, & consequenter cum naturaliter esset corporale, etiam pro illo tunc erat corruptibile, licèt esset vnitum deitati, & animæ beatæ.

Magna sanè Scoti cautio. Vtinam legisset quæ- 51 stionem Seraphici ibi; vbi hæc ter inuenisset.

Eia ergo ponamus sententiam S. Doctoris. Primò igitur *eadem distinctione, quæstione prima*, maximè *ad vltimum*, ait, ex dispensatione Diuina animam Christi gloriosam reliquisse corpus passibile, quia non gloriosum fecit. Secundò *quæstione tertia*, supponit *fundamento primo*, ex Glossa *ad cap. 9. Hebr.* Christi fuisse corpus eadem naturâ nobiscum præditum, & eisdem legibus iure naturæ ad moriendum pronum.

Deinde *fundamento secundo*, excludit cum D. 52 Augustino priuilegium immortalitatis in Christo, quia assumpsit carnem in similitudinem carnis peccati, atque adeo & dotem gloriæ, ac iustitiæ originalis excludit.

In *tertio fundamento*, & *ad secundum*, excludit redundantiam gloriæ in corpus, authoritate Boëtij. Tandem tursus *in corpore*, cum Magistro se incedere profitetur; Magister verò affert eundem locum *ad Hebr. 9.* vbi Apostolus reddit rationem, cur Christus fuerit mortalis, quia assumpsit naturam, vt pateretur, & mereretur pro nobis oblatus; & ideò ait: *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*; ex quo luce clarius habetur, redundantiam gloriæ debuisse esse impeditam.

Præterea' *dist.15. dub.4.* supponit, Chri- 53 stum fuisse comprehensorem, quoad animam; & viatorem quoad corpus, atque adeò redundantiam gloriæ in corpus fuisse impeditam, vnde relictum est corpus absque alio extrinseco, impediente mortem.

TANDEM S. Bonauent. dum originem huius causæ ponit in contrarietate, & addit animalitatem corporis, excludit redundantiam gloriæ, iuxta dictum Apostoli: *Seminatur corpus animale, & surget corpus spirituale*, 1. Corinth. 15. Vnde & D. Augustinus 6.*Genes.ad litt.cap.*20.ait de Adam: *Mortalis ergo erat ex conditione corporis animalis: Neque immortale erat, nisi spirituale, quod nobis in resurrectione promittit.* Eece clarè constat Seraphicum rectè corpus animale assignasse, carens
54 dote gloriæ. Hæc autem ità sole clariora sunt in S.Bonauentura, vt Scotus suis argutulis non debuisset illam Seraphici rationem carpere, quam subdam.

RATIO ergo huius necessitatis est, quia Christi corpus erat compositum ex contrariis agentibus, & patientibus, vt dixit *in secundo*, ad quem remittit.

IN secundo autem *distinct.*19.*art.*2. *quæst.*1. primam causam corruptionis corporis, pugnæ contrariorum, quæ est a natura in corporibus, adscribit. Hanc verò pugnam ponit in partibus contrarij temperamenti.

55 SVBDIT verò *ad* 3. illam causam, quam simulat Vasquez, nempè continuam indigentiam cibi ad restaurandum id, quod deperditur de humido radicali, vbi per continuam reactionem est deterioratio, & humidi tandem consumptio, vt notat *in corpore quæstionis*; quia per ordinaria alimenta non reparatur æquè id, quod deperditur vi caloris innati, ideò ad præseruandum Adamum à morte, ait, datum lignum vitæ optimi alimenti, vnde non posset calor naturalis totum humidum destruere.

56 LATE verò S. Doctor *dist.* 30. *quæstione vltima*, prosequitur, qua ratione deperdatur humidum radicale, nec restauratur alimento; qua ratione reparatur nutritum animal ex excrementis: qua ratione id, quod de nouo conuertitur, fit imperfectius, & animal deterioretur, sicut vinum, quod licèt nouam aquam in se transmutet, tamen fit aqoosum, atque deperditur; sic etiam animal, vt refert Vasquez. Quæ latè vidimus *prima primæ, disput.* 3. *quæst.*6. Miror autem, hos Doctores sic simulasse, cum viderint illam quæstionem D.Bonau. vt ibi ostendi.

57 ASSERO primò, originem primam necessitatis senescendi, & moriendi in Christo fuisse actionem, & repassionem contrariorum.

PROBATVR, quia elementa formaliter sunt in mixto, vt probabilius est, & sentit D. Bonau. passim 2. *distinct.* 15. *art.*1. *quæstione* 2. & 3. clariùs *distinct.*17. *art.*2. *quæstione* 1. maximè *ad primum*, & *quæstione* 2. & *quæstione vltima*, & *in* 3. *distinct* 6. *art.*2. *quæstione* 1. & *in* 4. *dist.* 49. *art.*4. *quæst.* 1. apud P. Galitium *parte secunda Philosophiæ*, *lib.*4. & latè ostendi *prima primæ, tract.* 8. *disputatione* 1. *quæst.*2. siue maneant tantùm virtualiter, adhuc manent qualitates, calor, frigus, &c.

QVOD verò sint in eadem parte mixti, non sequitur, vt putat Vasquez, eas non posse inuicem agere, cùm semper suam detineant virtutem, vt si ad æquilibrium ponantur; attamen possit altera minui, & hæc in composito præualere, illudque resoluere.

POTEST hæc causa prouenire etiam actione 58
caloris naturalis, qui licet ordinatus sit ad vitam fouendam, tamen, quia hanc operationem exercet alterando, excoquendo, & qualitates actiuas inducendo, & hac ratione potest esse causa etiam mortis, quod Galenus non aduertit, nec Vasquez, qui hoc argumento probare nituntur, à calore id non prouenire, calor naturalis est causa vitæ: Ergo non est causa mortis.

POTEST hæc causa etiam à partibus dissimila- 59
ribus prouenire, vt cor nimium calefaciens, cerebrum, nimis frigefaciens sunt causæ morborum, licèt enim se adiuuent, & foueant, tamen præter intentionem naturæ animalis, & secundùm naturam qualitatum se corrodunt, vt patet in Medica arte, quod Vasquez non aduertit.

ASSERO secundò, necessitates senescendi, ac moriendi veniebant Christo ex indigentia cibi, &c. Hoc probatum est in genere *prima primæ, tract.*9. *disp.*3. *quæst.*6.

PROBATVR à D. Bonauentura eadem ratione, qua vtitur D. Thomas, & vsus est postea Scotus. Quia natura corporis Christi relinquebatur in statu viatoris in suis naturalibus, quoad hoc; at in corpore fit continua deperditio absque æquali reparatione humidi vitalis: Ergo paulatim minuitur, ac deperditur. Itaque Christus, 52
si non fuisset occisus à Iudæis, adhuc mortuus esset ex caloris naturalis extinctione. Ità Suarez *disp.*32. *sect.*2. Vasquez *disp.*60. *cap.*2. Motandus *quæst.*35. & Vulpes *disp.*8. *art.*5. vbi Scoto omnia adscribit.



DISPVTA

DISPVTATIO XVII.

DE DEFECTIBVS ANIMÆ CHRISTI.



CVM primus, & maximus naturæ rationalis defectus in peccato consistat, quod à Christo longè arcere suadet pietas, docetque veritas; non inquiremus hic primò, vtrum Christus peccatum fecerit, licet fuerit peccatum factus, vt dicitur 2.*Cor.*5. infra referendo; quamvis, vt impios tanti sceleris assertores refellam, eum absque minimo næuo natum, & mortuum probaturus sim: Titulus igitur primæ quæstionis erit de ratione, & authoritate, quibus hoc propugnabo; deinde probato, Christum caruisse peccati actu, num etiam posse peccare caruerit, vti & fomite, discutiam: Sunt prætereà plures animæ passiónes, & affectiones, quæ, quia in nobis culpæ defectum profundunt, defectuosæ, vt plurimum, computantur: num has in Christo locum aliquem, & qualem, habuisse vllatenus constet, per varias quæstiones, finem versùs decidetur.

QVÆSTIO I.

Qua ratione, & authoritate probetur, CHRISTVM *non habuisse peccatum.*

{ D.Thom. q.15. art.6.

1 HORRESCO horrendam illius Apostatæ blasphemiam, relati à Lyndano *in suo dubitantio, dialogo secundo*, & Hosio *lib.1. de hæresibus nostri temporis*, qui super omnes antiquos hæreticos insolentissimus ausus est latrare, & ponere os suum nefandum in Christum Dominum, vt in cruce desperasse, ac ideò conquestum: *Deus meus, vt quid me dereliquisti*, atque damnatum esse asseruerit.

EVM tamen secuti sunt alij Antichristiani, vt refert Prateolus *in Elencho hæresum*, neque longè abiit nefandus Calvinus *in cap.27. Matth.* Fateor etiam ex Concilio Ephesino *can.10.* colligi posse, hæreticos aliquos sensisse, Christum aliquo peccato obstrictum, propter quod seipsum obtulerit, nam ibi definit oppositum.

2 ASSERO de fide primò; Christum nullo etiam leui peccato actuali vnquam fuisse maculatum.

PROBATVR à D. Bonau. *ad 8. Ioan.* primò ex verbis Christi: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Secundò *ex 53. Isaiæ*, & 1. Petri 2. *Ipse peccatum non fecit*, & Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

HINC autem ratio eruitur, qua probetur Christus innocens, nempè quia: *decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, qui aliorum peccata tollere venerat, vt habetur *Hebr.7.* Ideò obseruat S. Doctor *ad 1. Ioan.* Christum Agno, quippè Symbolo innocentiæ, comparari, *qui factus est nobis iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Hoc argumento vtuntur Faber *disp.27.num.1.* & alij. Ideò ait Petrus, cap.2. *Redempti estis sanguine pretioso, quasi Agni immaculati, &c.* est argumentum Chrysostomi *ad cap.2. Isaiæ*, vbi ait: *Qui aliorum tollit peccata, immunis est omnis peccati, nec peccare potest.*

OBIICIES primò 2.*Cor.*5.dicitur: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* 3

RESPONDETVR, sensum esse, eum, qui innocens erat, factum esse à Deo hostiam pro peccatis nostris, vt ait D.Thomas *quæst.citat.*

OBIICIES secundò *Psal.21.*ait Christus: *Deus meus, quare me dereliquisti; longè à salute mea verba delictorum meorum.*

RESPONDET D. Bonauent. *in expositione Missæ, cap 2.* cum multis Patribus, & Interpretibus Scripturæ, Christum loqui, vt sustinentem peccata omnium. Ità Damascenus 4. *de fide, cap. 19.* Ambrosius *in Psal.39.* & *sermone 3. in lib. de Incarnatione.* Nazianzenus *oratione 36.* Ruffinus *in eum locum psal.* Athanasius *lib. de Incarnatione*, parum ab initio, Iostinus *in Dialogo cum Triphone*, Augustinus *in secunda expositione illius psal.* Hieronymus, & Theodoretus *ad eum locum*, & D Thom. *ad primum*: Sensus igitur est, delicta hominum, 4

quæ ego mea esse feci, vt pro eis satisfacerem longè me faciunt esse à salute mea, quæ enim conueniunt membris Ecclesiæ, ipsi iChristo capiti tribuuntur, iuxta regulam Tyronij probatam à D. Augustino *lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 31. & epist. 120. cap. 6.* sequitur Suatez *in Commentario.*

IANSENIVS banc expositionem refellit, quia indecens est, peccata nostra Christo adscribere; vnde in Concilio Basileæ *sess. 22.* damnata est hæc propositio Augusti de Roma: *Christus quotidie peccat* (& addit) quamvis de capite Ecclesiæ Christo dicat, se id non intelligere, sed in ordine ad membra ipsius, quæ cum Christo capite vnum esse Christum asseruit.

5 NOTA illud Concilium ante illam sessionem fuisse Schismaticum contra Eugenium IV. in reliquo nunquam aliquid quoad dogmata definisse, licet à Nicolao V. multa confirmata fuissent.

RESPONDETVR, non esse idem; Christum dicere: peccata mea illa, quæ sunt nostra; & dicere, Christum peccare. Et quidem alicubi peccata fidelium dici peccata Christi, fatetur Iansenius *in argumento Psal. 39.* quia signat, ea fuisse suscepta à Christo, vt delenda; at dicere: *Christus peccat,* nimis euidenter ostendit, Christum fieri reum peccati.

EVTHYMIVS *in psal.* illum ait, interrogatione vrgere, quasi dicat: Num peccata mea causa esse possunt, vt longè à me sis? Sic enim versio Caldaïca habet.

6 ASSERO secundò, neque peccatum originale fuisse in Christo.

PROBATVR à D. Bonauent. ad illud Lucæ 1. *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei,* vbi ex eo colligit, concipiendum Sanctum (hæc enim est prima natiuitas,) quia Filius Dei, vt prædixit Daniel, cap. 9. *Vngatur Sanctus Sanctorum,* & quia concipiendus ex Spiritu sancto, quia si verum est, quod dicitur Ioan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est:* Ergo qui nascitur de Spiritu sancto, sanctus est. Ideò Bernardus *homil.* 4. super Missus est, ait: *Si diceret sancta caro, vel sanctus homo, parum dixisse videretur; posuit ergo indefinitè sanctum, quia quidquid fuit, quod Virgo genuit, sanctum proculdubio, ac singulariter sanctum fuit.*

7 QVONIAM verò Filij hominum nascuntur Filij iræ, vt dicitur *Ephes.* 2. Ideò iste, vt internoscatur innocens *vocabitur Dei Filius, admirabilis, Deus fortis,* vt dicitur *Isaia* 9. Vocabitur ab ipso Deo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui,* Matth. 17. Marci 9. Vocabitur ab ipsis credentibus: *Tu es Christus Filius Dei viui,* Matth. 16. Vocabitur ab omnibus: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute,* Rom. 1. *Verè Filius Dei erat iste,*
8 Matth. 27. Hæc S. Bonauent. Igitur sanctitatem supremam arguit in Christo Seraphicus ex eo, quod est Filius Dei, quæ est ratio efficax ad eius impeccabilitatem comprobandam *quæstione sequenti.*

QVÆSTIO II.

Vtrum CHRISTVS *absolutissimè impeccabilis fuerit.*

D. Bonau. d. 12. art. 2. q. 1.
D. Thom. q. 15. art. 2.

9 PRIMA opinio est, humanitatem Christi non obstante vniune hypostatica potuisse peccare, nisi aliud obstaret. Ità Durandus *in 3. dist. 12. quæst. 2.* Scotus ibi, *quæst. 1. & dist. 2. quæst. 1.* Gabriel *dist. 12. quæst. vnica, art. 2. dist. 1. quæst. 2. art. 1. circa finem.* Marsilius *in 3. quæst. 9. art. 3.* & *quæst. 3. art. 2. in 4. parte articuli.* Henricus *quodl. 6. quæst. 6* Hi docent, ex vi vnionis hypostaticæ non esse Christum impeccabilem, sed solùm ratione visionis beatificæ. Sequitur Fauentinus *disp 27.* Mastrius *3. disp. 2. q. 2. & cæteri.* Scotistæ, excepto Aretino. Mirabar Vulpem huc Angelici Doctoris scripta, vbique lancinata, non trahere *dist. 9. art. 4.* callidè id egit.

OPPOSITA tamen sententia verissima est, Humanitatem Christi vnitam Verbo, nullâ potentiâ fuisse peccabilem. Ità D. Bonau. *loco cit.* D. Thom. *loco cit.* & communiter cum Magistro sententiarij *dist. 12.* vbi Richardus *art. 2. quæst. 1. & 2.* Paludanus *quæst. 2.* Capreolus *quæst. 1.* Almain. *disp. 1. quæst. 2.* Dionysius Cisterc. *in 3. quæst. 3. art. 2.* Hugo de S. Vict. *lib. 2. de Sacramentis, p. 1. cap. 7.* Citari etiam possunt Alensis *quæst. 7. memb. 2. quæst. 11. & 12. memb. 1.* Henricus *quodl. cit.* Marsilius *in 3. quæst. 3. art. 2.* & *quæst. 9. art. 3.* Picus Mirandulus *in Apologia, quæst. 4.* quatenus dicunt, de potentia absoluta non potuisse assumi humanitatem, sine gratia habituali, & beatitudine animæ; hinc enim sequitur, hominem illum peccare nun posse Hanc sententiam acriter tuetur Suarex *disp. 33. sect. 2.* qui ait oppositam absque temeritate, & specie impietatis sustineri non posse, Aluarex *disp. 68.* Medina *ad hunc art.* Nazarius *ad art. citatum D. Thom. controu. vnic.* Becan. *cap. 12. quæst. 3.* Vasquez *disp. 61.* qui oppositam nota maculatam clamat. Sequitur etiam Valentia *q. 15. punct. 2.* Caspensis *disp. 8. sect. 3.* Morandus *quæst. 36.* Lugo *disput. 26. sect. 1.* Pasqualig. *disp. 95.* Ragusa *disp. 114.* Fuliens. *cap. 8.* 10

ASSERO, omnino Christum absolutissimè fuisse impeccabilem. 11

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex Apostolo *ad Heb.* Agit enim ibi ex professo de dignitate Christi, & constipatis Scripturæ testimoniis demonstrat, illum sanctitate, & innocentia eò Angelis præcellere, quò filius per naturam filiis adoptiuis per gratiam sanctificantem altè præeminet. Huius autem tam eximiæ sanctitatis testimonia affert: *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui,* Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis,* seu *præ participibus tuis,* vbi verò particula, *propterea* significat habitudinem causæ finalis sic: *Propterea vnxit te Deus oleo,* diuinitatis hypostatica vnione, vt inenarrabili cursu diligeres iustitiam, & ab iniquitate declinares, vt notat D. Athanas. *serm. 2. cont. Arrianos,* longè post medium.

ET Concilium Francofordiense ad Christi sanctitatem prætollendam ait, *Christum non gratiâ, sed naturâ vnitum; alios verò gratiâ, & participatione;* inferens, Christum ex vnione hypostatica esse sanctissimum præ participibus, idest illis, qui gratia habituali, quæ est participatio accidentalis diuinitatis sanctificati sunt. Hæc expositio sumpta est è D. Hieronymo *in eum psal.* & aliis Sanctis Patribus, relatis *disp. 11. q. 2.* Hæc sanè præmisit Apostolus, vt descendat ad altè comprobandum, Christum esse emeritissimum Pontificem, atque mediatorem ad Deum. 12

ET toto *c. 2. & 3.* hunc, & Moyse, & Angelis superiorem tanquam Filium Dei, eumque *sequentibus capitibus,* dignum ostendit ex innocentia, & sanctitate, quam ex vnione hypostatica vbique assumit, vt esset Summus Pontifex. Mox *cap. 7.* concludit: *Talis enim decebat, vt esset nobis* Pontifex, Sanctus, innocēs, *impollutus segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* 25

factus. Rursumque resumit, hunc Pontificem esse adeò sanctum, quia Filius Dei dignus, vt sedeat ad dexteram maiestatis Patris: Itaque ex ante dictis colligit, talem esse hunc Pontificem sanctissimum ex vnione hypostatica, separatum à peccatoribus infinitè, solet enim summa, & infinita distantia vulgari stylo exprimi distantia cœli à terra, & sic magis remotum à possibilitate peccandi, quàm cœlum empyreum à terra, & incorruptibilitas cœli summi, nedum aliorum, ab elementari corruptione.

14 RESPONDET Mastrius cum Vulpe, Apostolum cautè dixisse *decebat*, quod meram sonat congruitatem de facto secundùm potentiam ordinariam.

At meritò legit Cardinalis de Lugo: *Oportuit*, Verbum enim *ἔπρεπεν*, Latinè redditum, est *decuit*, non vt sonat nudam congruitatem, vt putant aduersi; nam Spiritus sanctus ait: *Decebat nobis Pontifex*; cùm sit quarti ordinis impersonalium; sed sensus planus est. Cùm lege ordinaria dentur nobis Pontifices iusti quidem, esto non confirmati in gratia, vt Apostoli; decens erat adeò dari nobis omnibus summum Pontificem, Redemptorem, Mediatorem, adeò à peccatoribus remotum, vt non tam distet cœlum beatorum à terra. Hic autem talis est, cum sit Filius Dei, vt descripsi suprà: sic & Glossa, apud D. Bonauenturam, qui hoc solidissimo nititur fundamento, sumpto ex vnione hypostatica, vt monet Lyranus: Sic legi, & Cornelius à Lapide cum Primasio. Hoc maximè nititur Turrianus opusculo *de gratia, disputat. 10. dubio primo, & sexto*.

15 Ex his ruit etiam responsio Mastrij, hinc solùm haberi meram congruitatem ex vnione hypostatica; nam Apostolus adducit tanquam causam ex fine imponentem necessitatem his, quæ ad finem: *Dilexisti institiam, & odisti iniquitatem: Propereà vnxit te Deus, &c.*

RVIT similiter alia responsio eius; solùm haberi, Christum, ne dum gratia sanctificante, sed etiam gratiâ vnionis sanctificatum, & in hoc à cæteris iustis differre. Sanè Apostolus, & PP. ac Concilium Francoford. ampliùs volunt, impeccabilitatem scilicet Christi vnione hypostatica fundari.

16 QVÒD verò ait Mastrius, totum id adscribi gratiæ sanctificanti illis verbis: *Diffusa est gratia in labiis tuis; propereà benedixit te Deus in æternum*, quod de gratia sanctificante intelligit S. Augustin. *ibi*; Profectò nil iuuat: non enim nos negamus, benedictiones etiam è gratia sanctificante, redundante ex vnione hypostatica, & diffusa per labia, sed causam originariam, & fundantem institiam Christi, & ab iniquitate auersionem infinitam ex vnione hypostatica auspicamur, vt Sancti Patres exponunt, quibus addo plurimos apertè idipsum testantes.

IDEM D. Athanasius *serm. 2. contra Apollinarem*, qui negabat Christo humanam voluntatem, ne in eo cogeretur admittere capacitatem peccati; respondet, non esse timendum, quia per ipsam assumptionem illa voluntas facta est impeccabilis, & hoc testimonium habetur in Sexta Synodo *act. 8. & act. 17.* Refertur D. Nazianzen. *orat. 36. num. 46.* idem asserens.

17 DIONYSIVS Alexand. in epistola contra Samozatenum, relata à Vasquez, ait: *Nisi fuisset idem, qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus à potestate peccandi; nemo enim est quin peccare possit, nisi vnus Christus.*

CHRYSOSTOMVS in cap. 7. Isaïæ: *Qui aliorum tollit peccata, vtique immunis est omnis peccati, nec peccare potest*, & infrà dicit, Paulum Christo tribuere *τὸ ἀναμάρτητον*, idest, libertimam immunitatem omnis peccati, seu impeccabilitatem, quam dicit esse proprietatem Dei.

D. AVGVSTINVS lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, ait: *Non ob aliud factus est inter Deum, & hominem Mediator, nisi quia ex hominibus non potest esse peccator*, & in Enchir. *cap. 36.* hanc impeccabilitatem ex vnione deducit: Idem habet *lib. de corrept. & gratia, cap. 11. & libro de Incarnat.*

Ex hoc principio, nempè vnione hypostatica, alij plurimi sancti Patres argumentantur, omninò impeccabilem fuisse animam illam sanctissimam: Cyrillus Alexandr. *lib. 6. de fide ad Theodorum. & libro contra Antiochen. cap. 23.* Origenes *lib. 2. Periarchon, cap. 6.* vbi dicit, fuisse veluti ferrum ignitum in fornace perpetua, quod peccato frigescere non potest: Item Ambros. *lib. de Incarn. cap. 7.* Hilarius *lib. 10. de Trinitate.* Epiphanius *in Anchorato* longè post medium: Alios PP. vide in Suarex, Vasquex, & aliis. 18

RESPONDENT Fauentinus, *cap. 4.* & Mastrius *num. 48.* Vnionem hypostaticam catenus asseri impeccabilitatis Christi principium, quatenus est causa congruens, vt illa anima sit beata; ex beatitudine autem oritur, vt non possit peccare. Cùm igitur ex potentiâ ordinatiâ illa anima non sit priuanda beatitudine, erit impeccabilis potentiâ proximâ; at verò potentiâ remotâ erit peccabilis, quia posset illa anima priuari gratiâ sanctificante, & ipsa gloriâ, & tunc poterit peccare; non enim ex vi vnionis sequitur impeccabilitas; nam vnio hypostatica dari potest etiam diabolo. 19

SIC vnico responso ait Mastrius *num. 48.* omnes authoritates Patrum explicari apud Gallum, qui iuncto *distinctione 12. quæstione vnica, sectione 1. cap. 4.* fœdere cum Vulpe *loco cit.* eodem gloriabundi exultant.

EGO ostendam, Patres impeccabilitatem Christi adscribere vnioni hypostaticæ tantùm. 20

OMITTO, peccatorem assumptum, non communicaturum idioma, quia vnione sanctificatus præteritæ culpæ, ab alio supposito commissæ, non adscriberentur Verbo, quidquid dicat Vasquez *n. 19.*

De cætero errant Scotistæ. Et quidem Dionysius Alexandr. *loco cit.* reddens rationem huius impeccabilitatis dicit: *Naturalis enim iustitia, & diuina virtus eius est*: at gratia sanctificans non est naturalis; adscribit ergo immediatè ipsi gratiæ vnionis impeccabilitatem.

D. AVGVSTINVS lib. de corrept. & gratia, cap. 11. ait: *Neque metuendum erat, ne isto ineffabili modo in vnitatem personæ à Verbo Deo humana natura suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ipsa susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ità suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Vide, eam formaliter susceptionem reddere Christum talem, cap. 40. Enchir. *Profectò modus iste, quo natus est Christus de Spiritu sancto, non sicut Filius; & de Maria Virgine, sicut Filius insinuat nobis gratiam Dei, qua homo ille in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem esset Filius Dei, qui Filius Hominis, ac sic susceptione naturæ humanæ fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.* Quid clarius ad ostendendum, impeccabilitatem ex natura ipsa vnionis causari immediatè? 21

D. Athanasius *locis adductis*, arguit contra
22 Apollinarem, timentem admittere in Christo voluntatem creatam, ne admittat capacitatem peccati, & ait; non esse hoc timendum, quia per assumptionem facta est natura humana impeccabilis. Tunc sic: Ad remouendam peccati possibilitatem, quæ in natura voluntatis posita est, quippè quæ habet necessariò suam operationem finitam, atque adeò defectibilem intrinsecè, vt ait ipse Faber *n.9.* arguit S. Athanasius ex vnione: Ergo manente vnione illa voluntas debet à D. Athanasio esse probata impeccabilis; alioqui dicet Apollinaris: Potest Deus illam humanitatem, vnitam Verbo, sic vnitam relinquere absque gratia habituali, & gloria, & tunc ex voluntatis natura erit peccabilis. Idem est argumentum D. Ambrosij *loco citato*.

23 Origenes naturæ ipsi vnionis, tanquam ignienti, formaliter adscribit impeccabilitatem animæ Christi, neque est simile de igne, cuius calor potest suspendi, vt factum est Babylone; nam ignitionem vocat ipsam vnionem, qua posita tollitur possibilitas frigoris peccati.

D. Hilarius 10. *de Trinitate* ait, ita repugnarè Christo peccatum, sicut repugnat Christum non esse Christum: Quid clariùs ad contradictionem ostendendam?

D. Nazianzenus sic habet: *Illius enim voluntas, cùm tota Deificata sit, Deo proculdubio non aduersatur.* Nota, asseri impeccabilem, non propter visionem, vel gratiam habitualem, sed quia deificata est: Quæ verba approbata sunt in Concilio Ephes. *act.* 17. & Florentino *post sess. vltimam, in decreto Eugenij*, §. 3.

24 D. Cyrillus Alexandr. contra Antropomorphitas *cap.* 23. veluti respondet Scotistis arguentibus, Christum peccabilem, quia habet eandem nobiscum naturam, impeccabilem verò solùm extrinsecè ex beneplacito Dei, posseque cadere, etiam manente vnionis hypostaticæ gratiâ, si gloria suspendatur: *Stolidi* (ait S. Cyrillus) *ac dementes prorsus sunt, qui ipsum etiam Christum, nescio quo pacto, peccare posse affirmant eam ob causam, quod in eadem atque nos speciè fuerit versatus, quodque forma serui accepta cum hominibus in terra egerit; si enim desiit esse quod erat, atque ex diuina natura in humanam tamùm, ac nostri similem naturam aliis humanam imbecillitatem illi obiiciant, si verò idcircò humanam naturam gestauit, vt eam, qua ab Adam acceperat imbecillitatem in se validam, ac peccato superiorem declararet; cur frustra id anxiè inquirunt, quod inuenire possunt?*

25 Sentit igitur, non posse peccare, nisi ablata vnione maneret nudus homo. Idem Cyrillus *de recta fide ad Theodosium*, & habetur *tom.* 1. *Concil. Ephes. cap.* 4. asserit, imbutam animam Christi firmitate Diuina per ipsam vnionem. D. Anselmus, lib. 1. cur Deus homo, cap. 10. sic loquitur: *Primus Adam peccare potuit, quia purus homo: Secundus Adam peccare non potuit, quia est Deus.*

Fateor, vnionem esse extrinsecam essentiæ
26 animæ, atque adeò posse à Deo absolutè tolli, nisi pactum æternum præcessisset; at impeccabilitas non est extrinseca naturæ vnitæ, licèt sit extrinseca naturæ vt sic, in quo æquiuocè loquitur Fauentinus; nam est intrinseca vnioni, vt PP. clamant, seu naturæ, vt vnitæ. Alia multa de hoc testimonia Sanctorum Patrum extant ad Fabrum conuincendum. Vnicum addam epiphonema sextæ Synodi, ac octauæ, vbi definit, Christum habuisse voluntatem humanam impeccabilem.

Respondet Mastrius id intelligi de potentia ordinaria, vel ratione gloriæ: At contra; nam Synodus ait: *Impeccabilem assumpsit voluntatem*: Ergo ex ipsa assumptione absolutè.

Hæc omnia confirmantur à D. Bonauentura, ad 27
illud Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Asserit Angelus, dicendum verè sicuti est, Filium Dei naturalem, quia per antonomasiam est sanctus impeccabilis: Itaque arguit: ergo è tali ratione est sanctus, quia est vnitus Verbo, Filio Dei.

Respondet Mastrius *num.* 248. hæc intelligi de potentia ordinaria; sed cùm assignent pro ratione Deum, qui simpliciter est impeccabilis, non satis hoc pacto explicantur.

Probatur secundò assertio à S. Doctore. De es-
sentia beatitudinis est, vt sit inamissibilis; at Christus ex vi vnctionis semper debuit esse beatus: ergo non poterat amittere beatitudinem: Tunc beatus non potest simpliciter peccare; anima Christi inamissibiliter est beata ex vnione: Ergo. Maior probata est *prima* 2. *tract.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 21. Minor est certa. Maior verò secundi argumenti ostensa est *disput. citata, quæst.* 21. & 22. Hoc sanè argumento ex hoc capite gloriæ, Scotus, & alij concedunt, Christum impeccabilem; dicunt tamen, gloriam fuisse debitam solùm congruè; & in hoc differt à Suarez *disp.* 14. *sect.* 3. Molina *disp.* 18. Bellarmino *tom.* 3. *lib.* 5. *de Iustificat. cap.* 11. Quare Henriquez *tom.* 2. *lib. de fide hominis in comment.* præfatos authores cum Scotistis infarcit. 28

Probatur tertiò à S. Bonauentura, quia Hu- 29
manitas sanctissima ex vnionis dote habet, vt sit semper plena gratiâ sanctificante, & naturali rectitudine perfecta, vt dicitur Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis*: Ergo impossibile est, vt sit peccatrix; nam esse rectum rectitudine naturali, & plenum gratia, implicat peccatori. Hac ratione vtitur Suarez, & alij, præsertim Lugo *num.* 19.

Respondet Faber vtrique rationi suprà allatæ, gratiam, & gloriam deberi animæ illi sanctissimæ ex lege ordinaria; tamen absolutâ potentiâ posse auferri, & sic relinqui animam illam peccabilem.

Enim verò supposita vnione hypostatica, de- 30
bere illam humanitatem esse Deo charam, constat, & dilectam, atque adeò donis omnibus cumulatam; his autem repugnat inimicitia cum Deo, & peccatum. Quod enim respondet Faber, posse esse gratam condescensione hypostatica, & non gratuita, excludente peccatum, inane est; nam condescensio Dei per vnionem hypostaticam est substantialis, quæ accidentales infert.

Probatur tertiò ratione, quam S. Doctor vocat efficacissimam, ex vi ipsius vnionis hypostaticæ: Actiones sunt suppositorum: sed Diuinum suppositum est simpliciter incapax peccati, non solùm formaliter, sed neque denominatiuè, vt dicatur peccare: Ergo. Maior ostensa est *disputat.* 3. *quæst.* 7. & 8. & *disputat.* 6. *quæst.* 3. In minori verò posui alternatiuam, siue dogma illud sumatur formaliter, vt actiones sint suppositorum; siue denominatiuè. Sic igitur probatur Minor, quia nil turpius dici potest, quàm Deum denominari peccatorem. Ideò in Concilio Basiliensi citato *quæst.* 1. damnatur Augustinus de Roma.

Hinc sequitur, quod homo ille damnaretur, vel 31
humanitas separaretur à Verbo, quod absit: Hac ratione vtuntur Magister *dist.* 12. *citat.* Paludanus,

Cister

Cisterciensis, Fuliensis, Capreolus, Suarez, Valentia, Alvarez, Medina, Nazarius, Caspensis, & cæteri.

Respondent aliqui, negando sequelam, quia Deus non est capax denominationis peccatoris, nec est simile de aliis. Contra, nam hoc sequitur ex regulis communicationis Idiomatum, vt dicam *disp.*18.

Respondet Marsilius, non repugnare, humanitatem in Verbo peccare, attamen non debere admitti, etiam per communicationem idiomatum: Deus peccat; in eo tamen casu, ait, non peccaret Verbum, quia peccatum repugnat Deo.

32 Contra tamen; nam si hæc actio non esset Verbi, esset alterius suppositi, quod est Nestorij, Vasquez *num.*21. Rada, Faber, Bellutus cum Durando non censent inconueniens concedere, Deum peccare per communicationem idiomatum, sicut dicitur mortuus, non enim minus repugnat Diuinæ æternitati mors, quàm bonitati malitia, & ideò hanc rationem infirmam aiunt.

At hoc scandalum est piis Theologorum auribus, quia quod per hanc communicationem assumitur, ab eo approbatur, & quasi deificatur: tale potest esse malum pœnæ, quod in se bonum est, & ordinabile in Deum, & ad salutem: at malum culpæ absit, vt notat Suarez, & alij cum D.Bonauentura *ad* 3. Vide Nazarium refellentem responsiones Vasquez, quibus hanc rationem carpit. Ideò clamdit Vulpes dicens, impium esse responsum, & è terminis repugnans.

33 Respondet Mastrius, & Fauentinus, non lædi pias aures, si dicas: Christus, vt homo de potentia Dei absoluta potest peccare, ad quam sequitur alia propositio. Verbum, vt in humanitate subsistit, de potentiâ suâ absolutâ non est impeccabile, sed potest peccare potentiâ remotâ, & hoc modo ait sustineri à Scoto.

Avdacior obiiciat, vt dicatur in quo dedecus hoc stet? Sanè si Verbo adscribatur peccatum,
34 & hoc scandalum est: Iam verò potentia illa remota Scotica est, vt si subtrahatur gloria, & gratia habitualis, iam Christus possit peccare, & Verbum possit dici peccator: Ergo honor totus est gratiæ habitualis, & gloriæ; Verbum autem simpliciter impeccabile dependenter ab accidentibus peccabile relinquitur. Quæ autem potentia absoluta Verbi aufert dedecus, & scandalum, remouendo impedimentum ad peccandum? Audi hanc rationem D.Fulgent. lib.3. ad Trasim: *Propterea Christi humanitas sine peccato permansit, quia iam in vnitate, persona diuinitas accepit, qua naturaliter peccare non potest.*

35 Probatvr quartò ratione S.Bonauenturæ *argumento vltimo, ad opposita, addita responsione.* Sequeretur, peccatum non solùm denominatiuè, sed formaliter in Verbum redundare, quia quando plures voluntates eandem personam componunt; ad officium superioris voluntatis spectat inferiorem appetitum, seu voluntatem in officio continere, atque ad id, quod honestum est, dirigere, si potest: hæc igitur omittere defectus esset superioris voluntatis: Cùm ergo natura Diuina, & humana vnam personam componant, ad Diuinam voluntatem, quæ suprema est, & potest inferiorem, idest humanam, dirigere, vt semper, & sine defectu honestè operetur, pertinet hoc munus præstare, & ad rectitudinem eius pertinet ita facere: Affert exemplum S. Doctor, si enim voluntas humana vellet proferre mendacium, spectat ad Filium Dei, qui est Veritas compescere, ne effutiat Verbum huiusmodi; veritas autem ad falsitatem declinare non potest.

Confirmatvr; nam humanitas fuit instrumentum deitatis, atque adeò Verbo, vt principali agenti incumbit dirigere, actio enim instrumenti adscribitur agenti principali. Porrò humanitatem esse instrumentum Deitatis docet Damascenus 3. *de fide, cap.*10. Hac nituntur Suarez *disp.*34.*sect.*2. erutamque ostendit è sanctis Patribus Valentia *disp* 11.*quæst.*5.*punct.*2. & communiter Thomistæ, ac Becanus.

Respondet Vasquez, cum Durando, humani- 36
tatem fuisse instrumentum Deitatis solùm ad aliqua opera eximia, puta redemptionis, quæ ipsa humanitas per se efficere non poterat: Itaque potuit Deitas sinere, humanitatem peccare, & non vti ea, vt instrumento, sed ad materiale concurrere, sicut cum aliis concurrit peccatoribus; hæc autem actio esset communis Trinitati. Sicut enim instè sinit peccare homines; qui à Diuina pendent gubernatione; ità potest, &c. Sic respondet etiam Mastrius: Quæ verò addit Vasquez *num.*21. actiones non esse suppositi eluta sunt *locis citatis.*

Valentia dicit, hoc argumentum proteruis 37
persuadere non posse; moderatis tamen ingeniis probare; nam sicuti nos tenemur ratione à parte sensitiua remouere peccatum, quippè magnum est malum, quod debet omnino arceri, ita etiam voluntas Filij Dei à voluntate humana, alioqui iure peccatum inureretur Verbo; nec est simile, de permissione in nobis, qui non sumus substantialiter vniti Diuinæ voluntati.

Respondet Fauentinus, actionem instrumenti adscribi quidem agenti principali, sed in casu nostro peccatum de potentia ordinaria non inesse Christo, ideò non potest tribui Deo: De potentia verò absoluta potest inesse, sed tunc inesset supposito Diuino non tanquam agenti, sed tanquam vltimatè denominatu. Vnde falsum est, naturam humanam esse instrumentum; est enim agens principale; non autem suppositum.

At verò, licèt physicè natura operetur principaliter: attamen moraliter dirigitur à verbo, vt D.Damascenus fatetur, atque adeò teneretur Verbum dirigere; at Faber vtrumque confudit.

Cardinalis de Lugo, à *num.*11. hanc ratio- 38
nem corrodit. Primò ait Patres solùm innuere impeccabilem, quia regebatur per gratiam, & solùm refert Epiphanium mutilum; ait verò in Ancorato: *Verbum sua virtute frœnabat inferiorem naturam. Ità se habens continuit.* Adscribit sanè vnioni: Idem habent Origen. *lib.*2. *Periar. cap* 6. August. de correption. & gratia cap.11. *Neque metuendum erat, nè isto ineffabili modo in vnitatem persona à Verbo Deo ità suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium: cùm ipsa susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ità suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Et in Enchir. *cap.*36. idem vnioni formaliter adscribit, & cap.40. ait: *Ac si natura humanæ susceptione fitret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.* Attribuit autem id præcipuè vnioni, vt notat D.Bonauentura relatus *disput.*6. *quæst.*7. imò soli, vt ait Vasquez, *ibi cit.* Idem aiunt cæteri Patres apud Suarez.

Ad rationem ait, eam deficere: Tum quia ex 39
vnione hypostatica non sequitur obligatio ista frœnandi, vnde si homo hypostaticè vniretur naturæ Leonis, non posset Leonem ideò cohibere; vel si vniretur aquæ, non teneretur curare, nè mergeret homines

homines. Quare non est ad rem obligatio voluntatis in sensum, aut Patris in Filium, subordinatos. Supremus præterea Dominus ex hoc etiam capite eximitur ab obligatione cohibendi subditos, vt possit eorum casus permittere: Quod si voluntas tenetur in officio inferiores continere potentias, euenit tum ob periculum consensus; tum quia tenetur eas ad finem principalem totius dirigere. Neutra autem obligatio Deum tangit, cui nec periculum consensus, nec vlla regula gubernandi est superior, & potest culpas, vt dixi, permittere: Ideò rationem plausu exceptam spernit.

40 HÆC omnia nil ponderis obtinent, non enim vnionem hypostaticam accepit, vt debet. Quid enim, si Persona creata meram det materialem subsistentiam ad finem Physicum; infirmam ad Leones domandos, ad torrentes sistendos: Ergonè simile Filio Dei ad summam vnito sanctitatem? Potest igitur, atque debet naturam sibi substantialiter ad vnam personam Diuinam intimè vnitam regere, nè à fine superno aberret, ac dedecus refundat in Personam ad opera meriti infiniti conferentem; vnde moralis macula è malo opere redundet: Nec est
41 simile de permissione culparum exterorum hominum, quorum casus in Deum non redundant. Tenetur voluntas etiam amoto consensus discrimine vt ostendi 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 12. ad finem totius potentias ordinare inferiores. Tenetur etiam Deus regere naturam ad eum finem prædestinatam eximiè, & ordinatam, sibique intimè ad infinitam sanctitatis vnionem datam, vt clamant Patres; tametsi ipse Deus non sit legibus subiectus. Quid? eùm Deus sit; peccare potest? Absit. Persona hæc defectum in operando, vel operanti in se admittet.

42 PROBATVR quintò ratione, quam sibi adscribit Vasquez. *cap.* 6. ea tamen elicitur ex S. Bonauentura hîc, & clarius ad illud Lucæ 1. *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei:* Nam Humanitas, assumpta à Verbo, vnita Deitati, delibuta, vncta est balsamo, & veluti ferrum candens ignita, vt air S. Doctor passim post Origenem, atque ita Deificata substantialiter, vt opera eius sancta Deifica sint: Itaque, sicut non potest esse altior sanctitas, quam diuinitas: ita neque potest maior esse, quam Sanctitas humanitatis Christi. Est ratio D. August. *cap.* 40. *Enchir. cit.* & Damas. & si à Vulpe spreta. Obiecta ex dictis ruunt, præsertim Mastrij intercalares instantiæ; & Vulpis mordaces solutiones. Hac vna fidit Lugo *num.* 10.

43 OBIICIES primò cum Fauentino ex Durando. Humanitas assumpta à Deo eiusdem naturæ manet, ac si assumpta non esset; atque adeò easdem potentias eiusdem finitatis habet aptas deficere, atque peccare.

RESPONDET D. Bonauentura, *hîc*, & *quæst. sequenti ad secundum*, potentiam arbitrij roboratam ex vnione non posse peccare; hæc autem virtus roborans, licèt esset naturæ arbitrij extrinseca; fuit tamen intrinseca arbitrio, atque animæ, ac toti humanitati assumptæ, qua Deificata est. Quare non ad rem fert Faber, potuisse eam à Deo deseri, ac relinqui, vt posset peccare: Ità respondet etiam Vasquez *n.* 39. & 40.

44 OBIICIES secundò cum eodem, si communicata est bonitas, atque impeccabilitas animæ Christi, vt per nullam potentiam posset peccare: Ergo pariter potuêre communicari cæteræ proprietates Diuinæ, omnipotentia, &c. Sanè solus Deus est, in quem non potest cadere peccatum, vt ait D. Hieron. *tract. de filio Prodigo*, D. Ambrosius *lib.* 3. *de Spiritu sancto*, *cap.* 19. Augustinus *lib.* 3. *contra Maximinum cap.* 13.

RESPONDETVR ex Bonauentura, negando 45
consequentiam, nam impeccabilitas dicit perfectionem finitam, & hanc non in ipsa humanitate absolutè, sed prout substentata à Verbo Deificante: at verò attributa Diuina dicunt perfectionem infinitam, v. g. bonitas dicit infinitam per essentiam intrinsecam perfectionem, ex qua oritur, non posse peccare præcisè ea natura sua; quæ tamen est gratia humanitati facta: Quare non rectè Suarez ait, solam vnionem non esse completam rationem impeccabilitatis, sed eam compleri à donis: sic enim incidit in opinionem Scoti, vt gloriatur Faber, *num.* 11.

OBIICIES tertiò cum eodem: si impeccabi- 46
lem reddere, est effectus necessarius vnionis, sequitur, vbicunque fuerit aliquod vnitum Verbo, fore impeccabile: sed lignum potest vniri hypostaticè Verbo: Ergo potest illi communicari impeccabilitas.

RESPONDETVR, impeccabilitatem esse perfectionem consequentem vnionem in eo, qui potest tali modo deficere, non absolutè; ideò nil ad rem, non enim lignum est capax adæquati effectus vnionis hypostaticæ cum persona Diuina.

Ex his habes, neque peccatum originale, aut aliud 47
per modum habitus posse esse in natura vnita Verbo, nam deificatur, & sanctificatur, ita vt sit gratissima Deo, vt suprà diai: Neque rectè Faber dicit, posse esse gratam hypostaticè; & inuisam ex peccato; nam ipsa vnio longè pellit peccatum, vt dicunt PP. relati suprà.

ADVERTE è D. Bonauent. *fundam. vlt. & corp.* non rectè aliquos instare, posse animã illam peccare, & separare, ac deseri, iam enim constat, id non posse euenire, dum est vnita, vt postea deseratur, quia deificata est, & adhuc culpa esset Verbi: nec gratia vnionis pendet à nostris actibus, vt gratia habitualis, vt monet S. August. *de corrept. & gratia, cap.* 11. esto posset sine Verbo agere. Vide Lugo *disput.* 26. *sect.* 5. Vasquez *cap.* 7.

OBIICIES quartò: Laus, quæ conuenit mem- 48
bris, conuenit capiti, sed iusto datur hæc laus: *Potuit transgredi, & non est transgressus.* Eccles. 31. Ergo.

RESPONDET S. Bonauentura, laudem, quæ dicit simpliciter perfectionem, talem esse, vt in Maiori dicitur: at hæc laus includit imperfectionem defectibilitatis. Cætera vide in S. Doctore facilia.

SOLVM affert difficultatem, quia videtur hinc impediri libertas Christi, eamque vrget Vulpes.

RESPONDET D. Bonauentura, non impediri libertatem perfectam, quia posse deficere non est posse: Igitur Christi libertas non læditur, quia à nullo extrinsecè necessitatem hanc patitur; hæc enim sanè necessitas pugnat cum libertate: at necessitas Christi venit ex perfectione voluntatis, seu immutabilitate ad malum, sicut posse declinare ad malum est imperfectio, & defectus liberi arbitrij, vt habet D. Anselmus, *lib.* 1. *de libertate*, *cap.* 1. apud Seraphicum *quæst. sequenti.* Sed de hoc *disp.* 20. *quæst.* 2.

Ex his soluitur alia quæstio sequens D. Bonauen- 49
turæ: An Verbum assumpserit potentiam peccandi.

RESPONDETVR enim assumpsisse liberum arbitrium, quod est potentia illa, qua peccatur.

RESPONDETVR etiam à Seraphico ex D. Damasceno

masceno, lib. 4. cap. 6. de fide: *Omnia, quæ in natura nostra plantauit, assumpsit Dei Verbum, & totum me assumpsit, vt totum redimeret.* Probatur, quia perfectus homo ideò habet arbitrium naturâ manens defectibile, sed à Verbo vnito rectum.

50 Respondetur secundò, Non tamen assumpsisse potentiam ordinatam ad peccandum, quia fuit ordinata ad deiformitatem. Vide S. Doctorem.

QVÆSTIO III.

An Christus *habuerit fomitem peccati.*

D. Thom. art. 2.
D. Bonau. dist. 15. q. 2.

51 Notandum ex D. Bonauentura *in 2. dist. 31. dub. 2. litt.* & *dist. 39. art. 2. quæst. 2. ad 4.* & *in 3. dist. 3. p. 2. dub. 1.* & *in 4. dist. 4. p. 1. art. 1. q. 2. ad argumenta*; latius verò *in 3. dist. 3. p. 1. art. 2. quæst. 2.* fomitem non esse præcisè appetitum sensitiuum vt sic; nam hic in omnia sensibilia fertur obiecta, etiam rationi consona, sed esse habitualem inclinationem appetitus sensitiui, prout aptus est excitare aliquid contra rationem; dicitur enim fomes, quia est fomentum ad malum.

Assero, nec fuisse, nec potuisse esse in Christo fomitem: Ità definit quoad fomitem de facto Leo Papa *epistol. 11.* & Quintum Concilium Generale damnat Theodorum Mopsuestensem, quia dixerit, Christum molestias carnis passum.

52 Probatur ratione ex S. Bonauentura: Si enim in via, altissima contemplatio temperat passiones, cupiditates, & sæpe eas mortificat, vt patet in extasi, quantò magis perpetua Dei visio, atque fruitio? Hoc indicat S. Doctor etiam *dist. 15. quæst. 2. fundamento 3.* Affert verò exemplum Moysis *dist. 16. quæst. 1. ad 3.* qui famem quadraginta diebus non sensit: sic arguit etiam Vasquez *disput. 61. cap. 8.* Adde cum S. Doctore, fomitem ad malum pellicere, atque dedecere Christum.

53 An verò potuerit, per Dei potentiã in Christo esse fomes; Asserunt Vasquez *loco cit.* Lugo *disp. 26. sect. 4.* Mætac. *disput. 36.* & alij: Interim dico cum Pasqualig. *disp. 95. sect. 5.* maximè Christum dedecere, vt ait etiam Morand. *quæst. 35.* Tanner. *quæst. 6. dub. 8.* & D. Bonauentura ostendit *dist. 11. loco citato*, est enim effectus peccati. Debuit autem fomes esse extinctus, & non tantum ligatus per occasionum remotionem. Vide Suarez *disp. 34. sect. 2.* Lugum, *disputatione 26. sectione 4.* Pasqualigum, & Morandum: Addo cum Caspense, *disputat. 8. num. 25.* non potuisse in eo esse fomitem, quia ex vnione inclinatur ad bonum.

QVÆSTIO IV.

An Christus *habuerit ignorantiam aliquam.*

D. Bonau. dist. 2. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 15 art. 3.

54 Dvo sunt effectus ab originaria labe prouenientes: Fomes in Appetitu, & ignorantia in Intellectu, & ab vtroque immunis fuit Christus, sicuti à peccato remotissimus.

Assero, nullam in Christo ignorantiam fuisse, patet ex dictis *disputatione 14. quæstione 4. & 5.*

Ratio præcipua D. Bonauenturæ sumitur ex officio eius, quod erat, vt esset Magister mundi, quoad altissima Director, & Doctor vniuersi ad singulorum salutem. Vide S. Doctorem, qui facilis est.

QVÆSTIO V.

An Christus *habuerit affectus, qui dicuntur passiones.*

D. Thom. qu. 15. art. 4.
D. Bonau. dist. 15. dub. 4. litter. dist. 16. artic. 2. quæst. 1.

Qvamvis passiones istæ à D. Thom. *prima* 2. 55 *quæst.* 22. vsque *ad* 48. ad vndecim capita reuocentur, quæ sunt: Amor, Concupiscentia, Delectatio, Odium, Fuga, Tristitia, Spes, Audacia, Desperatio, Timor, & Ira; tamen aliquas tantùm in quæstionem reuocat circa Christum, nempè, quæ ex obiecti disconuenientis cognitione fiunt, & ita aliquem defectum includunt, agit enim hìc de defectibus animæ; hæ autem passiones videntur quodammodo defectus animæ, tum propter corporis commotionem, quam sequuntur, tum etiam quia videntur ex defectu aliquo oriri naturæ, siquidem ex contrarij alicuius cognitione oriuntur.

Assero, in Christo fuisse passiones.

Ità definit Leo I. *epistol. 11.* vbi ait: *Sensus cor-* 56 *porei vigebant sine lege peccatorum, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis, & mentis*, passim etiam id dicitur in Sexta Synodo *act. 2. & 8.* vt notant Lugo *disp. 22. sect. 1.* Pasqualigo *disp. 96. sect. 1.* Mætac. *disp. 37.* Morandus *quæst. 35.*

Probatur à D. Bonauentura *dist. 15. dub. 4.* ex illo Matth. 26. *Cœpit contristari, & mœstus esse.* Deinde ex D. Hieronymo ad eum locum, vbi ait: *Vt veritatem probaret assumptio hominis, verè contristatus est, sed non passio eius dominatur animo, verum propassio est. Vnde ait: Cœpit contristari; aliud est enim contristari, aliud incipere contristari, quod est, aliter contristatur quis per propassionem, aliter per passionem.*

Qvare hæ passiones non fuerunt in Christo, 57 sicut in nobis, vt docent SS. Bonauent. & Thom. Primò enim ex obiecto diuersæ sunt; nam in nobis frequenter tendunt contra rationem, ideò dicuntur fomes. Secundò ex effectu, quia in nobis sæpè rationem turbant, & voluntatem à recto auertunt, quod absit in Christo. Tertiò ex parte principij, quia in nobis rationem præueniunt; in Christo autem è voluntate, & ratione eius oriebantur, nempè quando voluit, & quantum voluit: Idem censent Caietanus *quæst. 18. art. 2.* Paludanus *3. dist. 17. q. 1. art. 3.* Durandus *dist. 15. quæst. 2.* Vasquez *disp. 62.* Suarez *in comment.* & alij.

Ex Patribus verò Damascenus *lib. 3. de fide, c. 23.* 58 vbi ait: *Christum verè timuisse, non vi aliqua, vel ignorantia, sed quando voluit, & quantum voluit:* Confirmat autem verbis Athanasij, *lib. contra Apollinarem*, vbi ait: *Ob eam causam dicebat Dominus: Nunc anima mea turbata est. Hæc particula* (nunc) *idem est, quod quando voluit*, quæ verba habentur

in

in libello Athanasij de Incarnatione post medium: sic & Chrysostomus *homil.62. in Ioan.* explicans id Ioannis 11. *Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum. Nouerat lacrymas excitare, & affectum arguere; illud enim, & infremuit spiritu, motum illum cohibuisse signat.* Idem asserunt D. Augustinus *tract.49. in Ioan.* Theophilactus, & Euthymius, ad eum locum, quos sequitur Clictouæus *lib.7. in Ioan. cap.20.* & S. Bonauent. ad ea loca Ioan.

Et primo quidem ad illud *Ioan.11.* Ibi S. Doctor
59 primò quærit: quomodo Christus: *Infremuit, & turbauit se*, dicitur enim Isaïæ 42. *Non erit tristis, neque turbulentus*, (& loquitur de Christo,) & Prov. 20. *Non commouebitur iustus.* Propterea passio non cadit in sapientem, secundùm opinionem Stoïcorum, apud Augustinum, *9. de Ciuitate Dei, cap.4.*

RESPONDET S. Bonauentura ex D. Augustino *tract.49. in Ioan.* post medium, quòd turbatus est, quia voluit. Hinc ait D. Augustinus: *Attendite potestatem*, Glossa ait: *Vnde est turbatio assumpta voluntariè, & cum modestia, & moderamine, & in ipsa sensualitate*, & sic fuit in Christo, sicut ipse ait, Matth.26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.*

IGITVR *fremens* dicitur, idest, volens *turbauit semetipsum*, siue concussit se, & excitauit fremitum in se in corde; ideò dicitur: *Infremuit spiritu* effectiuè, sic exposuit Iansenius, & ferè Euthymius cum D. Bonauentura, *ad eum locum*, & *in 3. art. 2. quæst. 2. in corpore.*

60 ADDIT S. Doctor aliam expositionem, quæ est Chrysostomi, Theophylacti, & Euthymij: *Infremuit spiritui*, vt habetur ex Græco, idest, cobibuit affectum lacrymarum, ne eum lacrymis interrogaret, vbi Lazarum posuissent, quia videbatur affectus muliebris, quare nomine *spiritus*, intelligit affectum, quem in se voluntariè excitauerat, infremuit autem (inquiunt) quasi increpans affectum, & carnem suam, vt eam cohiberet, ne vltra affectus ille progrederetur, & hoc est, quod ait Chrysostomus: *Nouerat lacrymas excitare, & affectum arguere*, & D. Cyrillus, *lib. 10. thesauri, cap. 3.* dum ait, fuisse in Christo passiones, vt commotæ vincerentur:

61 QVOD autem *infremere* significat increpare, probatur ex illo, *Marci 14.* vbi dicitur: *Fremebant in eam*, vbi habetur idem verbum cum casu datiuo, vt refert Vasquez *disp.62. cap.1.*

IDEM Seraphicus ad id Ioan. 12. *Nunc anima mea contristata est*, interpretatur cum D. Athanasio suprà, sicut explicuerat illud Ioan. 11. *Turbauit semetipsum*, nempè voluntariè passionem admisit.

62 AN verò isti affectus propriè dici possint passiones in Christo.

PROFECTÒ vocantur passiones à Sanctis, Cyrillo *lib.10. thesauri, cap.3.* Damasceno *3. de fide, cap.10.* Ambrosio *lib. 2. de fide, cap. 3.* in fine, Fulgentio *lib. 3. ad Trasim. cap. 21.* & à Scholasticis multis, D. Thom. *art.4.* D. Bonauent. *dist.16. art.2. quæst.1.* Richard. *dist.15. art. 2. quæst.1.* Durando *quæst.2.* Ratio est, quia passio non ideò dicitur, quia præueniat rationem, vel eam perturbet, aut in malum tendat, sed quia, cum sint passiones appetitus sentientis, sunt cum aliqua corporis commotione, quæ sanè commotio fuit in Christo, vt vidimus, & infrà videbimus.

63 ALIQVI tamen negant, fuisse passionem in Christo, sed fuisse tantùm propassionem, quæ est passio diminuta, & loco passionis, quæ est in nobis, nam in Christo ordinata fuit in obiecto, in principio, & in effectu. Nituntur dicto S. Hieronymi suprà, adducto à S. Bonauentura: at verò cum in nobis etiam passio inordinata à DD. dicatur *Propassio*, vt notat Vasquez, cum Seraphico *dub. 4. cit.* non satis ista distinctio videtur passiones distinguere Christi à nostris; neque esse in vsu apud PP. atque Theologos ante Vasquez.

ATTAMEN D. Thom. dicit, passionem perfectam esse, quando rationi dominatur; propassionem verò, quando est inchoata in appetitu sensiti- 64
uo; sed vlteriùs non se extendit: Idem videtur velle S. Doctor loco mox citato, qui in dubio illo litterali vocat, prout est in nobis, latè propassionem, non propriè.

QVÆSTIO VI.

An in CHRISTO *fuerit verus dolor.*

D. Bonau. dist. 16. q. 1.
D. Thom. q. 15. art. 5.

NOTANDVM ex vtroque S. Doctore, ad dolorem sensibilem duo requiri, nempè læsionem corporis, quæ in diuisione continui plerumque posita est; & cognitionem sensus externi, qua hæc læsio percipitur; ex quibus læsio corporis est obiectum, quia vel læsio ipsa, vel aliqua qualitas disconueniens, est id, circa quod dolor versatur: sensus verò læsionis, & applicatio obiecti doloriferi est, ex qua dolor in appetitum resultat; & ipse formaliter est fuga quædam appetitus ab obiecto illo disconuenienti: Itaque dolor formaliter est in appetitu sentiente, non autem in actu, vel sensu ex- 65
teriori: Ità D. Bonauentura *hîc*, D. Thom. *prima 2. quæst.35. art.1. & 2.* hoc verò articulo duo illa præ- 66
requisita numerat, sumens dolorem materialiter, vt habent Caietanus, Medina, Suarez, Vasquez, Nazarius hîc: Ità S. Bonauentura *in corpore*, ponit solùm duas illas causas doloris, à nobis nunc assignatas, quibus positis arguit, fuisse in Christo earum effectum, id est dolorem, quem in appetitu ponit cum D. August. *14. de Ciuitate Dei, cap.15.* vt patet *argumento vltimo*, quod, quoad hoc, in responsione admittit.

CONSENTIT Scotus *dist.15. quæst.vn. §. Aliter potest dici*, Richard. *art. 4. quæst.1.* Durand. *eadem distinct. quæst.3. num.6.* Gabriel. *quæst. vnica, art.1.* Paludanus *quæst.1. art.2.* Simon Portius *lib. de dolore, cap.10.* Vide quæ dixi, *1. 2. tract.1. disput. 8. quæst. 8.*

SCOTVS verò addit, dolorem esse non operatio- 67
nem elicitam ab appetitu, sed meram passionem, in eo receptam, quod satis confutatum est *in libris de anima, & prima secunda, loco citato*, & videtur asserere D. Augustin. *loco citato*, vbi ait: *Dolores qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne, & ex carne. Dolor carnis tantummodo offensio est animæ ex carne, & quædam ab eius passione dissensio, quæ tristitia nuncupatur: dissensio est ab his rebus rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*, vbi apertè, dolorem formaliter definit, esse dissensum animæ, seu displicentiam appetitus ex carnis sensu deriuatam: Ergo non est mera passio.

SCIO, medicos dolorem asserere esse cognitionem in sensu tactus alicuius contrariæ impressionis. Quocunque tamen modo sumatur; certum est, in Christo fuisse dolorem.

ASSERO

Assero, in Christo fuisse verum dolorem : Est de fide, & probatum est *quæst*. 1. *disp*. 15. vbi ostendi, Christum assumpsisse corpus possibile, & læsionibus fuisse perculsum.

Probatvr à D.Bonanent. primò ex illo Isaïæ 53. *Vidimus eum virum dolorum, scientem infirmitatem. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.*

69 Probatvr secundò à S. Doctore. In Christo fuit virtus sentiendi perfecta, & consequenter tactus, qui est fundamentum animæ sensitiuæ, siue animalis, fuit perfectissimus; vnde optimè percipiebat obiectum omne, tam conueniens, & perfectiuum, quàm noxium, & corruptiuum. Deinde fuit applicatio noxiorum: sed hæc causant verum dolorem: Ergo. Quod verò pars sensitiua fuerit perfecta in Christo, probatur, quia 2. *de anima, text*. 94. dispositio, & perfectio sensus tactus sequitur proportionem bonæ dispositionis corporis : at corpus Christi fuit optimæ complexionis : Ergo. Eadem ratione vtuntur D.Thomas, Scotus, Henricus, & alij Theologi.

70 Argvmenta in contrarium, apud S.Bonauenturam clara sunt, quæ vide in ipso : Sanè fruebatur anima illa sanctissima Deo summè dilecto, iuxta regulas etiam Philosophi 7. *Eth. cap. vltim.* sed detinebatur pars inferior à gaudio, vel sub alio motiuo tristabatur, dolebarque, vt aiunt Suarez *disput*. 38. *sect*. 3. Lugo *disput*. 22. *sect*. 2. Caspensis *disp*. 8. *sect*. 2. Morandus, *quæst*. 35. Porrò de his agam *disp*. 39. *quæst*. 1, & 2.

QVÆSTIO VII.

An in Christo *fuerit passio Tristitia.*

D.Bonau. dist. 15. art. 2, quæst. 2.
D.Thom. q. 15. art. 5.

71 Obiectvm tristitiæ est malum aliquod sensibile, quod licèt realiter corpus non lædat, neque exteriori sensu sentiatur (hoc enim est obiectum doloris) sensu tamen interno, seu imaginatione, vt præsens percipitur; in Christo autem potuit esse apprehensio huius mali, vt mortis.

Assero, in Christo fuisse passionem tristitiæ, dictante ratione excitatam.

Probatvr à S. Doctore primò ex Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.*

72 Probatvr secundò, ex *Luca* 19. vbi Christus fleuit super Hierusalem; fletus autem ille fuit signum mœroris, ex Hebræorum ruina orti.

Probatvr tertiò à D. Bonauentura, quia apprehendit suas iniurias, peccatorum ruinas; hoc autem in habente charitatem est obiectum tristitiæ, vt dixi.

Obiicit autem id Isaïæ 42. vbi de Christo dicitur : *Non erit tristis, neque turbulentus.*

73 Respondet S. Bonauentura ex illo Prov. 12. *Iustus quidquid ei acciderit, non contristabit eum,* nempè indicat, tristitiam non dominaturam iusto, nec perturbaturam eius tranquillitatem, vt Diuus Hieronymus *ibi* exponit : Idem respondet Suarez *in Comment. artic. D.Thom.* & hoc ait S.Bonauentura esse, quod dixit Seneca : *Tristitia non perturbat sapientē*, idest, non deflectit eum à rectitudine.

QVÆSTIO VIII.

An in Christo *fuerit Timor.*

D.Bonau. dist. 15. dub. 3. litter. & 4.
D. Thomas quæst. 15. art. 7.

Timor est apprehensio futuri imminentis mali, vt dixi *prima secunda, tractatu* 1. *disput*. 3. *quæst*. 18. 74

Assero, in Christo fuisse Timorem sensibilem.

Probatvr primò, ex illo Marci 14. *Cœpit Iesus pauere.* Deinde subdit : *Spiritus promptus, caro autem infirma* : Ergo de timore sensibili loquitur.

Probatvr secundò à D.Bonauentura, quia fuit in eo æstimatio mali futuri.

Obiicies ex Aristotele 2. *Rethor. cap*. 5. non est timor, nisi cum spe euadendi, atque adeò incertitudo futuri mali est de ratione Timoris : at Christus certò sciebat, malum mortis, & similia, obventura sibi ineuitabiliter.

Respondetvr cum S.Doctore *in* 3. *dist*. 34. *p*. 2. *dub*. 1. *litter.* de ratione timoris esse, vt sit æstimatio, vel suspicio mali futuri : Quare incertitudo futuri mali non est de essentia Timoris : Ita etiam PP. definientes Timorem, non ponunt in definitione incertitudinem mali : Sic Damascenus 2. *de fide, cap*. 18. sic definit Timorem : *Est expectatio futuri mali*, & D.Augustinus tract. 46. in Ioannem : *Timor est fuga animi, ne amittat, quod amat* ; Licèt oppositum etiam sit probabile, vt dixi 1.2. *tract*. 1. *disp*. 18. *quæst*. 12. 75

Aristoteles verò loquitur de illo Timore, ad quem Rhetores mouêre debent auditores : hîc autem non contingit, nisi quando incertus est exitus, & est locus consultationi : Hanc expositionem sibi adscribit Vasquez. 76

Neqve verò solus Timor, qui dicitur *Pauor*, fuit in Christo, sed etiam aliæ species Timoris, quas enumerat Damascenus *loco cit.* & Nyssen. *lib*. 4. *Philosophiæ, cap*. 14. & D.Thom. 1.2. *quæst*. 41. *art*. 4. quas recensui *prima* 2. *loco citato.*

Prima species est Segnities, quæ est fuga impendentis actionis, quam vt molestam apprehendimus, & hanc dicunt fuisse in Christo, cùm cœpit tædêre, & pauêre. 77

Secvnda est Pudor, idest Timor ex vituperationis expectatione, quem Christus habere potuit ex opprobriorum expectatione.

Tertia est Verecundia, quam passus est, timens dedecora.

Qvarta est Stupor, ex ingenti imagine rei, animo oblata, & hic fuit tempore passionis.

Qvinta est Terror, ex insueta aliqua specie rei, & de hac *quæst. sequenti.*

Sexta est Agonia, seu angor, quam definit S.Thom. loco cit. *Est de improuiso malo, cui prouideri non potest*, & eodem modo exponitur à D. Bonauentura ad ea verba, Lucæ 22. *Factus in agonia*, vbi D.Gregorium refert dicentem : *Signat quòd tunc anima non immeritò terretur, quando post pusillum hoc inuenit, quòd in æternum mutare non possit.* 78

Angor, seu agonia est species extrema timoris,

quando accidit timor cum trepidatione membrorum, & hoc modo fuit in Christo.

QVÆSTIO IX.

An in CHRISTO *fuerit Admiratio.*

D.Thom. art.8.

79 QVAMVIS Admiratio non sit de illis passionibus, quæ in fuga alicuius mali consistunt, de quibus agimus, tamen quia admiratio sæpè timor,& pauor dicitur,& de hoc est specialis difficultas; quæstionem de ea instituam.

HVNC effectum Christo omnes concedere propriè, excepto vno, aut altero moderno, asserit Vasquez *disp.* 62. *cap.* 4. Sic D.Thom. *hic*, cum omnibus discipulis: Ita Suarez *in commentario D.Thom.* Valentia *quæst.* 15. *punct.* 4. Pasqualig. *disp.* 96. *sect.* 4. Morandus *quæst.* 35.

ENIM verò præter modernos,hunc effectum propriè negauit D.Bonauentura ad ea verba, Lucæ 7. *Audiens Iesus, miratus est.*

80 OBSERVAT autem ibi S.Bonauentura, quem sequuntur, Suarez, Vasquez, Nazarius, & alij, admirationem ex duplici capite oriri. Primum est ignorantia causæ alicuius effectus, qui nobis sese offert, & hæc consistit in affectu, seu desiderio videndi causam, vt cùm video aquam sursum in montem ascendere, delector in aspectu illo insolito, & ex delectatione oritur affectus cognoscendi causam eius, & ideò admiror dicens: Quomodo hoc nam? Idem euenit cùm rem aliquam pulchram videmus; eius tamen virtutem, & naturam ignoramus, & ita cognoscere illam cupimus.

81 De hoc genere loquitur Aristoteles 1. *Metaph.* dicens: *Propter admirationem enim, & nunc, & primò cœperunt homines philosophari à principio quidam, admirando ea, quæ de dubitabundus faciliora erant; deinde paulatim vlterius procedentes, & de maioribus dubitando*, & mox addit: *Qui verò dubitat, & admiratur, putat se ignorare.*

SENTIT igitur, eum solum hoc genere admirationis trahi, qui penitus nescit causam illius effectus,qui sibi occurrit. Hoc solum genus admirationis, ait Vasquez, cognitum fuisse à D.Thom.

82 ALIVD genus admirationis nascitur ex eo,quòd res magna, & insueta sit, vt postquam aliquis miratus est aquam repentem ad montem, & cupiuit videre causam, si illa sit magnæ, artis & ingenij, rursus miratur, non quidem dicens: quomodo, sed exclamans, ô mirum! De hoc genere admirationis ait Aristoteles 4. Eth. cap. 3. *Magnanimum non esse procliuem ad admirationem, quia licèt multa occurrant insueta, pauca tamen magna credit iste; vnde non admodum est laudator*, vt ait ipse Aristoteles.

HÆC duo genera admirationis in D. Augustino *epistol.* 101. *anno* 1585. in Collegio Complutensi gloriatur Vasquez se inuenisse, & alterum astrui in Christo. Verba D. Augusti. sunt hæc: *Et ideò mira sunt, quia occultiorem habent causam, quam vt videri, & reddi ab homine homini possit: nam ista causa sunt admirationis, cùm vel ratio cuiuscunque rei latet, vel eadem res vsitata non est, quod aut singularis, aut rara est.*

83 Hoc verò genus admirationis videtur adscribere Christo, cùm dicitur miratus fidem Centurionis, dicens: *Ex alia verò admirationis causa, quæ ideò est, quia insolitum aliquid occurrit, scriptum est de Domino, quod miratus sit Centurionis fidem; neque enim eum vllius rei ratio potuit latere, sed admiratio pro laude posita est eius, cuius par in populo Hebræorum non apparuerat.*

84 OBSERVO autem, D.Augustinum non asserere admirationem in Christo, sed tantùm effectum eius, nempè quia Christus se habuit ad modum admirantis illam fidem quæ erat insolita, & magna in mundo tam prauo: Itaque non fuit illa fides magna, & admirabilis coram Christo, qui erat summè magnanimus, vt ait D. Bonauentura; sed magna in facie populi, ideò ipse effectum admirationis huiusmodi, nempè laudem effudit: & hoc non fuit simulare, sed debitam laudem fidei tribuendo, alios excitare, loquebatur enim ad populi ædificationem, non sui, ideò conuersus sequentibus se turbis hæc dixit, vt obseruat ex Euangelio Seraphicus Doctor.

85 ASSERO ergo: Christus priori genere admirationis non est miratus, quia illud genus admirationis oritur ex omnimoda ignorantia causæ illius effectus, qui occurrit: neque etiam secundo genere admirationis, quod fertur in rem magnam; at coram Christo res illa non erat magna, quod si dicatur miratus rem illam, quia magna erat in facie Iudæorum; possumus ergo dicere, etiam Deum ipsum miratum, atque mirari multa, quæ nobis insolita fiunt.

RESPONDET Vasquez, negando consequentiam, quia Deus, vt author illius fidei, non æstimabat eam magnam; neque enim artifex miratur opus suum, etiamsi egregium: at Christus miratus est, quia fides illa erat supra naturales vires eius; sic enim & artifex miratur opus alterius, quod ipse non potest facere.

86 At enim inanis responsio; nam fides Centurionis non est respicienda scientia Christi naturaliter, sed supernaturaliter, cui non erat magna, sicuti neque potentiæ eius erat magna: Sicut ergo Faber non miratur opus alterius Fabri, etiamsi ipse possit facere idem, vel simile, vt fatetur Vasquez: ita multò minus miratus est Christus, qui fidei actus nobiliores potuisset elicere, nisi Deum clarè videret. Aliorum responsiones refellit Vasquez.

87 NEQVE ex illo Euangelij loco: *Et miratus est*, constat, an id dictum sit, quia Christus passus sit in se aliquem admirationis affectum: an verò quia signis ostendit, fidem illam Centurionis esse hominibus admirandam; in hunc enim sensum interpretatus est locum illum D. Augustinus *libro primo de Genes.contra Manichæos, cap.* 8. vt notat Maldonatus, *ad* 8. *Matthæi*, nempè Christum non miratum, sed signa tantùm admirationis exhibuisse, seque habuisse ad modum admirantis, vt vidit etiam Suarez, imò & Vasquez *numero* 29. qui ideò miratus est, D. Thom. adducere eum locum ad probandum in Christo admirationem.

IDEM sensisse D. Augustinum colligitur *libro primo contra aduersarium legis, & prophetarum, cap.* 7. & *libro* 22. *contra Faustum, capite decimotertio*, quem imitati sunt Anselmus, *Matth.* 8. Beda, *libro secundo, in Matthæum, capute octauo*, & *libro secundo, in Lucam, capite quintodecimo.* Alij verò Patres nihil ferè dicunt; nam Hilarius, *capite septimo*, tantùm simpliciter Christum, ait, miratum, vt notat Suarez, qui idem asserit de Chrysostomo.

Eoo

Ego tamen video, hunc Patrem esse cum D.Bo-
88 nauentura; nam verba illa: *Miratus est*, non scribit suo Commentario, sed ex textu. Ipse verò exponit: *Sic laudibus non paruis eum* (Centurionem scilicet) *prosecutus est, miratus est enim, inquit Euangelista, & ita miratus, vt tanta hominum turba præsente, atque audiente, imitandum ipsum cæteris proposuerit. Quod si non potes tibi persuadere, ideo hæc à Christo sic dicta fuisse, vt cæteri omnes hinc ad similem fidem perducantur; perpende quam diligenter id Euangelista significauit: Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen, &c.* Hinc habes, non admirationem, sed laudem, qui esse solet effectus admirationis, hoc textu exprimi. Quæ cum ità sint, non est opinio hæc vnius recentioris, vt clamat Vasquez.

89 Observa, posteriori generi admirationis, quæ oritur ex apparitione rei magnæ, respondere quandam speciem timoris, quæ dicitur *Stupor*, de qua Damascenus *lib. 2. de fide, cap. 15.* Nissenus *lib. 4 Phil. cap. 14.* dicunt, esse metum ex noua aliqua, & insueta specie rei contractum.

QVÆSTIO X.

An in CHRISTO *fuerit affectus Ira.*

D. Bonau. dist. 26. q. vlt.
D. Thom. q. 15. art. 9.

90 Sententia Scholasticorum vniuersim est, in Christo fuisse Iram: Ita D.Bonau. & D.Thom. *hic*, Richard. *dist. 15. art. 3. quæst. 4.* Durand. *quæst. 2. num. 7.* Alens. *3. part. quæst. 5. mem. 2. §. 5.* Vasquez, *disp. 61. cap. 5.* Suarez, & Nazar. ad articul. D. Thom. Valentia *quæst. 15 puncto 4.*

Assero, in Christo fuisse Iram.

Probatur primò à S.Bonauentura optima ratione deducta ex Euangelio, vt notat Vasquez, & Suarez, *Matth. 21. Lucæ 19. Marci 11.* & *Ioan. 2.* Christus fecit flagellum de funiculis, & eiecit è templo venditores, hoc autem factum adscribit Ioannes Christi zelo: *Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me*, id est, Christum; concedunt ergo in Christo zelum, zelus autem est quædam species iræ, & vindictæ.

91 Hoc idem colligunt sancti PP. Chrysost. *homil. 22. in Ioan.* dicens, Christum fuisse indignatum, & D.Cyrillus *lib. 2. cap. 28.* dicens, Christum fuisse commotum, & non tantùm verbis, sed etiam signis ostendisse, se indignè ferre.

Probatur secundò à D. Bonauentura Ira est appetitus vindictæ, & recreationis, & definiunt Damascenus *lib. 2. cap. 16.* Nyss. *lib. 4. Philos. c. 13.* Aristotel. *1. de anima, cap. 1. & 2. Rhet. cap. 4.* Ideò illi duo sancti Patres dicunt, esse affectum mixtum ex tristitia illatæ iniuriæ, & ex appetitu inferendi malum: Ideò S.Doctor ait, esse zelum vindictæ, & affectum detestationis cum perturbatione partis sensualis: Sed hæc non repugnabant Christo: Ergo.

Hinc habes primò, Iram non posse esse in Deo, 92
quia includit Tristitiam ex parte obiecti, non enim præcise ira tendit in inferendum malum absolute, sed ad compensandum tristitiam præcedentem ex iniuria illata, & ideò malum, quod infert, ita dicitur recruciatio, seu repunitio, vt ait S.Doctor, & ipsa dicitur appetitus vicissim dolorem inferendi. Hinc habes, Tristitiam non includi, vt mixtum faciens cum ira: est enim ira vnicus affectus.

Observat tamen S. Bonauent. *in corpore*, affe- 93
ctum iræ aliquando ab appetitu in voluntatem deriuari ad mentem, & voluntatem moderatè perturbandam, & hoc modo potest esse etiam in iustis, qui zelo irascuntur: De quibus D.Gregorius 5. Moral. cap. 33. *Inde mens perturbata proficit, vt clarior fiat, sicut oculus per collyrium immissum ad tempus turbatur, vt postmodum clarior efficiatur.*

Aliquando verò peruenit ad perturbationem mentis, & voluntatis, ita vt ad eam ordinetur extra tendam, & hoc modo est vitium.

Nota verò, Iram aliquando incipere à sensu, & 94
ascendere ad voluntatem, quando scilicet iniuria illata sensu primò apprehenditur, & ex ea contristatur, vt in percussione, aut vulnere; aliquando verò iniuria non apprehenditur a sensu, sed sola rei materialitas, & ab intellectu percipitur, vt iniuria illata Deo à venditoribus templi, quæ erat contra Religionem, & sic ita Christi initium sumpsit à voluntate & peruenit ad sensum.


Argumenta S. Doctoris sunt facilia. Solùm 95
aduerte, eum admittere, potuisse sanguinem Christo accendi circa cor moderatè, & ita illius iræ competere definitionem Aristotel. *2. Rhet. cap. 2. & 7. Eth. cap. 6.* & Damasc. *lib. 2. c. 16.* De cætero imperfectiones excludendæ ab ira Christi, patent ex dictis.

QVÆSTIO XI.

An CHRISTVS *fuerit non solùm Comprehensor, sed & Viator.*

Assero Christum fuisse etiam Viatorem: Ità 96
S. Bonau. pluribus locis cum cæteris Theologis.

Probatvr, quia mansit obnoxius passionibus, doloribus, &c. (Quod enim fuerit comprehensor iam dictum est *disp. 14.*) sed magis discutietur vtrumque *disp. 39. q. 2.* vbi videndum, secundùm quas partes, & potentias Christus passus sit, atque adeò viator, & secundùm quas fuerit impassibilis, atque adeò Comprehensor.



DISPVTATIO XVIII.
DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM.



IAm vidimus, Filium Dei hypostaticè vnitum naturæ humanæ; ex quo sequitur, vt incarnatus, idest, subsistens in vtraque natura, possit esse subiectum multarum prædicationum, quæ significant subsistentem. Ideò postquam Verbi incarnati vnionem, & Christi perfectiones, atque adnexas imperfectiones vidimus; iam discutiamus, quomodo proprietates, seu prædicata, quæ IDIOMATA dicuntur, sint vtrique naturæ, à se inuicem communicata, vt possimus securè loqui, & ea etiam, quæ consecuta sunt vnionem, asseuerare absque erroris periculo. Nam, cùm multa Donorum, & Gratiarum ditissima suppellex Naturam humanam, Diuini Verbi Habitaculum, ornauerit, cum verò ista è contrà, quippè è nobis desumpta, plurium rerum egestatem contulerit, quæ in possessionem Christi transiere, res ardua, & prorsus necessaria est ita inter vtriusque attributa discernere, vt quæ Hominis prædicata, Deo, & quæ Dei, possint conuenire homini; aliàs non communicationem, sed confusionem Idiomatum ex hoc mysterio malè venabimur. Facta est autem hæc mutua in Verbi cum natura nostra connubio attributio ad instar bonorum, quæ ita inter sponsum, & sponsam communicantur, vt nec hæc in debitá abundantia nimis eleuetur, nec illa nimia penuria deprimatur: Sunt enim aliqua Verbi attributa, quæ humanam naturam transcendunt, sunt & nonnulla huius, quæ Verbum dedecerent: Vt itaque quæ cuique communia, quæve propria, dignoscamus; sigillatim plures prædicationes, post quæstionem primam, vbi fundamentum totius disputationis iacitur, expendemus.

QVÆSTIO I.

An, & quomodo facta sit communicatio IDIOMATVM *in Incarnatione.*

{ D.Bonau.in 3.dist.7.q.1.

1 HÆRETICI huius temporis dicunt, ità factam esse communicationem proprietatum Diuinarum naturæ humanæ in Incarnatione, vt non modò prædicari valeant de illo subsistente, sed de ipsa humana natura, quippè quæ facta sit formaliter omnipotens; Infinita, &c. Non explicant autem omnes: an etiam attributa humanitatis communicentur realiter naturæ diuinæ. Id tamen asserit Gaspard. Schuvenfeldius, vt notat Valentia *disp.* 1. *quæst.* 16. *puncto* 1.

ANTIQVI autem hæretici, iuxta eorum diuersa praua fundamenta, ex Mysterio ipso, variè etiam in hoc errarunt: Nestoriani enim, qui veram vnionem hypostaticam negabant, inferebant etiam, non esse factam communicationem propriam prædicatorum: Ab eis non longè distant aliqui Scholastici, qui, vt refert S.Bonauentura *hic*, & Scotus *ibidem* dicebant, Deum non dici propriè in recto hominem, sed in obliquo, ita vt non esset verum: *Deus est homo*, sed dicendum esset: *Deus habet hominem*. Insipienter verò ait Vulp. *disp.* 17 *art.* 1. adduci 2

à

à Suarez, Scotum, & D.Bonauent.cum eos aliorum relatores solùm dicat. Similiter Eutyches, & alij confundentes naturam, confundunt etiam proprietates: Nos vero aliqua asserta ponemus, tanquam regulas, & fundamenta eorum, quæ dicenda sunt in hoc Mysterio.

Assero primò: Incarnationem secuta est pro-
3 pria communicatio idiomatum inter Deum, & hominem. Hæc assertio simpliciter est de fide, vt docent omnes TT. *in 3.dist.4.* & 7. vbi S.Bonauentura: Hæc autem in eo consistit, vt ratione illius vnionis diuina, & humana omnia prædicata in concreto, de eadem persona verè prædicentur: Est definita præcipuè in Concilio Ephesino: *Et in anathematismis D.Cyrilli*, & à Leone Papa *epist.* 10. & *sermonibus de Natiuitate, & Passione*, & aliis locis, vt infrà; & constat è Scripturis, in quibus idem homo Christus dicitur Deus, & Dei Filius dicitur passus, mortuus, &c. Vide Suarez *dispu.* 35.

4 Ratio verò S.Doctoris optima est, quam amplectuntur cæteri, quia quando duæ formæ, vel naturæ in eodem supposito realiter vniuntur, de eodem possunt verè prædicari: Sic etiam in formis accidentalibus fit, vt cùm in eodem supposito lactis vnitur dulcedo, & albedo, rectè dicatur: Album est dulce, & è contra: sed in hoc mysterio duæ naturæ vniuntur substantialiter eidem supposito: Ergo nomina significantia illas naturas in ordine ad suppositum, vt sunt: Homo est Deus, verè prædicabuntur de illo supposito, quod in eis subsistit. Ea quo fit, vt vnum etiam de altero prædicetur. Quæ enim sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, eadem proportione: Quod per syllogismum expositorium probatur, de quo Aristotel. 1.*Priorum, tract.3.cap.*10. Si Christus est homo, & Christus est Deus: Ergo homo est Deus: Ità etiam Suarez *disp.35.sect.*1. & alij.

5 Dices in hac materia deductio syllogismi expositorij non est formalis, vt patet in simili: Hic Deus est homo: Hic Deus est Pater: ergo Pater est homo; nam sicuti hic Deus supponit pro natura in tribus suppositis, ita ibi pro persona in duabus naturis, ideò non est particulare.

Respondetur, hunc syllogismum verè non esse expositorium, quia hic Deus supponit naturam communis tribus: at primum argumentum est expositorium, quia Christus, licèt sit in duabus naturis, non tamen supponit pro illis: Sed pro eodem indiuisibili supposito, quod in ambabus subsistit.

6 Assero secundò, hanc communicationem Idiomatum fieri in concreto.

Probatur à D.Bonauentura *quæst.citata*, & 4. *part. Breuil.cap.*2. quia nomina concreta substantiua, licèt seorsim significent aliquam formam in confuso, tamen significant suppositum in eis subsistens. Cùm ergo in Christo sit vnicum suppositum in duabus naturis, sequitur, vt quod vnius est naturæ, possit adscribi alteri in eodem supposito, atque adeò, has propositiones esse veras; *Verbum est homo*: *Homo est Deus*, vt infrà dicam.

7 Assero tertiò, vnam naturam non posse de altera abstractè prædicari, est de fide.

Probatur ex omnibus illis Conciliis, quibus definitum habetur, mansisse in Christo duas naturas inconfusas, distinctas, & incommunicabiles: Ità Concilium Chalced. *act.* 5. Ephes. *in canonibus, seu anathematismis Cyrilli.* Sexta Synodus *act.* 4. 11. & 17. Concilium Later. sub Martino I. *can.* 9. S.Leo *ep.*10. Itaque non potest dici: *Deitas est Humanitas.*

Hinc sequitur, neque proprietates vnius naturæ prædicari de proprietatibus alterius.

Probatur a S. Bonauentura præcipuè *ad* 2. 8
Ea, quæ realiter sunt distincta, ac proinde separabilia, nequeunt de se prædicari abstractè. Natura humana cum suis proprietatibus hoc pacto à diuina distinguitur: Ergo. Maior è Metaphysica est euidens; nam prædicatio sequitur rei veritatem: abstracta verò prædicatio signat formalem vnitatem. Minor est è Philosophia ipsa euidens, & ex fide certa; nam ens per essentiam, & ens participatum sunt diuersa. Hæc est ratio à solo Scoto agnita, si Vulpem audias *disp.*19.*art.*4. Quæ verò immiscet, vana sunt.

Assero quartò, proprietates humanitatis, neque in abstracto, neque in concreto posse propriè prædicari de Diuinitate, in abstracto sumpta.

Probatur eodem fundamento, quia si asseratur: 9
Diuinitas est homo; cùm diuinitas in abstracto non supponat pro persona, significabit vnitatem, & confusionem naturarum, vt notat Suarez *disp.35.sect* 2. post S.Doctorem *dist.8. quæst.*3. Richardum *ibi*, & D.Thom. *quæst.*16. *art.*5. post Damascenum *lib.* 3. *cap.* 11. Nicetam *lib.* 3. *thesauri, cap.*38. Hinc omnes istæ propositiones erunt falsæ: Diuinitas est risibilis, est mortalis, est passa, mortua, &c. Vide S. Doctor *quæst.*3.*ad* 2.

Quod si dicitur: Deitas est incarnata, vel assumpsit humanitatem, id solum significat vnionem.

Quod si audias: *Mors mortua est in ligno, quan-* 10
do vita mortua fuit. Respondetur, esse dictionem metaphoricam, qua significatur Deus, vel Verbum mortuum.

Assero quintò, Diuinitatem in abstracto non prædicari propriè, & formaliter de homine, atque adeò nec proprietates eius, etiam in abstracto, seu formaliter sumptas.

Ratio assertionis suprà lata est, quia Deitas in abstracto non supponit pro supposito, neque significat coniunctionem naturarum in eodem supposito, quæ est fundamentum huius communicationis idiomatum.

Admitti tamen potest in sensu identifico: Christus, vel hic homo, est Deitas; nam Verbum est Deitas, Verbum est Christus, seu hic homo: Ergo Christus, seu hic homo, est Deitas: attamen, quia hæc locutio non est formalis, non est assumenda ad concludendas alias propositiones, quæ sensum formalem faciant.

Assero sextò, Humanitatem, & eius proprieta- 11
tes, in abstracto sumptas, non posse verè prædicari de Deo: Patet ea dictis, quia neque formaliter, neque identicè Deus, aut Christus est humanitas.

Assero septimò. Homo in concreto non potest prædicari formaliter de diuina essentia; faceret enim sensum: Diuina natura est homo, seu humanitate informata; potest tamen prædicari identicè; nam facit sensum: Diuina essentia est ille, qui est homo. Vide D.Bonauenturam *dist.*8. *quæst.*3.

Assero octauò: Deus, & attributa eius simpliciter prædicantur de Christo, & de homine substantialiter prædicatione vera, ac propria. Est de fide, quia de fide est, hunc hominem Christum esse Deum, & consequenter omnipotentem, & æternum.

Assero nonò. Quidquid essentialiter, vel perso- 12
naliter dicitur de Filio, seu Verbo Dei simpliciter, & absolutè, prædicatur verè de hoc homine Christo:

Est reipsa de fide; nam continetur in præcedenti, & in illis locis Scripturæ, quibus Christo tribuuntur

ea, quæ sunt Filij Dei naturalis propria, vt *ad Hebr.* 1. & 2. *Ioan.* 8. vbi dicitur: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, & tradunt Concilium Ephes. *can.* 4. & Sexta Synodus, *act.* 11. & 18. Lateran. sub Martino I. *consult.* 5. *can.* 4. Leo Papa *epist.* 10. 11. & 83. & Patres, apud Suarez *disputatione* 35. *sect.* 3.

RATIO est, quia Christus est Deus: Ergo necesse est, vt quidquid essentialiter dicitur de Deo, dicatur etiam de Christo: Et eadem ratio est de personalibus Verbi Dei attributis, quia Christus est Verbum Dei; secus verò est de personalibus Patris, & Spiritus sancti. Vide D. Bonauent. *dist.* 7. *quæst.* 1.

13 ASSERO decimò: Diuinitas, & attributa eius non possunt prædicati de Christo homine, denominatione accidentali.

CERTVM est de fide; directè enim excludit errorem Nestorij, qui solam ponebat vnionem accidentalem. Ideò in Concilio Ephes. damnatur hæc vox: *Christus est Deifer*. & à Cyrill. *lib. de Incarnatione, cap.* 11. Christus homo est Deificatus, quia supponit, hominem priùs subsistentem, sibi vnire diuinitatem.

QVOD si dicitur: *Diuinissimus Iesus*, à D. Dionys. *cap.* 4. *de Ecclesiast. Hierarch.* Respondetur, hanc denominationem non esse accidentalem, sed substantialem. Deinde Ambrosius, Florentinus, traducit ex Græco: *Summus Deus*.

14 ASSERO vndecimò: Diuina attributa, licèt absolutè, & simpliciter dicantur de homine, non tamen specificatiuè cum reduplicatione humanitatis: Itaque non est verum: Christus, in quantum homo, est Deus, est æternus, immensus, &c.

ASSERO duodecimo: Homo, & quidquid essentialiter de homine dicitur, absoluta, & substantiali prædicatione, verè potest dici de Deo, & Filio Dei. Idem dic de omnibus prædicatis, quæ simpliciter dici possunt de hoc homine Christo ratione humanæ naturæ.

EST veritas certa continens doctrinam fidei; nam quod Deus, seu Verbum verè dicatur Homo, articulus est fidei, vt dicam infrà.

15 HINC sequitur, prædicata essentialia hominis eodem posse modo dici de Deo, quia, cui conuenit, esse hominem, conueniunt omnia, quæ sunt de essentia hominis. Hinc fit, vt & actiones, & passiones talis hominis de Deo prædicentur: sic *Actor.* 20. dicitur Deus redemisse Ecclesiam sanguine suo. 1. *Cor.* 2. Dominus gloriæ dicitur crucifixus, *Psal.* 60. dicitur Deus ascendisse in altum.

16 RATIO est D. Bonauenturæ suprà adducta, quia cùm sit idem suppositum subsistens in vtraque natura de illo absolutè dici possunt, quæ ratione vtriusque naturæ illi conueniunt, etiam si nominibus ab vtraque natura sumptis significetur.

SOLVM est in hac regula obseruandum, sermonem esse tantùm de illis prædicatis, quæ præcisè conueniunt homini ratione humanæ naturæ, ità vt non inuoluat imperfectionem suppositi creati.

ADDO tamen, hæc prædicata non esse vera de Deo reduplicatiuè, non enim Deus, in quantum Deus, est homo.

17 ASSERO tertiodecimo: Prædicata concreta, ab humanitate sumpta, dici de Deo non solùm absolutè, sed etiam denominatiuè: Dicitur enim Deus, humanatus, & incarnatus.

RATIO est, quia suppositum Christi non constituitur per humanitatem simpliciter, sed supponitur in esse; suppositum autem, quod supponitur alicui formæ, vel naturæ, quæ illi postea vnitur, non solùm absolutè, sed etiam denominatiuè potest à tali forma denominari.

ASSERO quartodecimò: Prædicata, quæ ità conueniunt homini, vt requirant suppositum creatum, non possunt Christo attribui. Hæc est de fide; nam in Christo non est suppositum creatum: exemplum est, si dicas: Christus est purus homo, filius adoptiuus, &c. 18

QVÆRES: An omnia, quæ dicuntur de Christo, possint dici etiam de Verbo. Videtur enim suprà a nobis vbique supponi: E contra verò Christus significat totum compositum ex duabus naturis: Verbum autem dicit solam personam Filij Dei: Ergo aliquid poterit dici de Christo, quod non possit dici de Filio Dei, *verbi gratia*, esse personam compositam, constare ex humanitate, & Deitate.

RESPONDET Suarez, ex regulis dialecticis, subiecta stare frequentiùs materialiter; aliquando tamen deficere à prædicatis, vt stent formaliter, quia ipsa ratio prædicati hoc ex propria significatione, requirit, vt cùm dicitur; calidum esse dulce, materialiter stat subiectum; si verò dicas; calidum esse terminum alterationis, stabit formaliter, neque enim suppositum ipsum est terminus alterationis, neque illi, materialiter sumpto, hoc tribui potest; sed tantùm, vt subest calori, seu potius composito tribuitur è subiecto, & calore: Sic ergo dicendum est regulariter loquendo, prædicata, quæ simpliciter dicuntur de Christo, dici etiam de Verbo, quia subiectum illud stat materialiter pro supposito: interdum verò ratione prædicati determinati, vt stet pro toto composito, vt sic; & tunc prædicatum non communicatur Verbo, quia variatur suppositio, & talia sunt prædicata, quæ mox fuere adducta: Iam ad quæstiones peculiares accedam. 19 20

QVÆSTIO II.

Vtrum hæc prædicatio, DEVS EST HOMO, *sit vera.*

D. Bonauent. distinct. 7. quæst. 1.
D. Thom. q. 16. art. 1.

DVRANDVS, tametsi confiteatur cum Catholicis, vnam Filij Dei personam in duabus naturis; tamen cùm de communicatione Idiomatum agit, ità incautè loquitur, vt errorem redoleat: Dicit enim *dist.* 4. *q.* 2. primò: si quis confiteatur Incarnationis Mysterium; nil referre, etiamsi hunc loquendi modum neget: *Deus est homo*, quia cum rem non neget, non errat in fide. Dicit igitur, secundò, hanc propositionem: *Deus est homo*, non esse ità propriam, sicuti hæc *Petrus est homo*, ac propriè magis dici Deum humanatum, quàm Deum hominem esse, sicut si carnem assumeret, potius diceretur carneus, quam caro. 21

SCHOLASTICI hos modos Durandi grauiter infectantur, & meritò, ac probant, dici propriè: *Deum hominem*, neque satis esse articulos fidei credere, nisi etiam verbis Catholicis eos exprimas: Ità aduertit Suarez *ad art. D. Thom.* cum S. Bonauent. *dist.* 4. *quæst. vlt.* Lugo *disp.* 23. *sect.* 1. 22

ASSERO cum Scholasticis, hanc propositionem esse propriam: *Deus est homo.*

PROBATVR

Probatvr à D. Bonauent. primò *fundamento primo*, & *in corpore*, Sanctorum, & Conciliorum authoritatibus. Et primò quidem in Symbolo dicitur: *Deus, & homo, vnus est Christus*. Epist. Concilij Alexandrini approbata in Ephesino, quæ apud
23 Cyrillum est decima *anathematismo* 4. & Concil. Lateran. sub Martino I. *consule.* 5. *can.* 4. & 16. & Leo Papa *epist.* 10. *cap.* 4. & 5. definiunt, idiomata, seu nomina vnius naturæ communicari verè alteri in Christo. Præcipuum autem est hoc: *Deus est homo.* Idem definit Agapitus I. *epist. ad Anthimum*, Concilium Francoford. *epistola ad Episcopos Hispaniæ*, circa medium, & omnes PP. fatentur, quos latè refert Vasquez *disput.* 73. *cap.* 5.

Deinde Sancta Mater Ecclesia inde definit contra Nestorium, B. Virginem esse verè Matrem Dei, quia ille homo erat propriè Deus, vt supponit *hic* D. Bonauent. *ex dist.* 4. *quæstione vltima.*
24 Ità definit Concilium Alexandrinum *epistola ad Nestorium*, approbata in Concilio Ephesino, quæ est apud Cyrillum decima *anathematismo* 1. vbi dicitur: *Si quis Emmanuelem non confitetur secundùm veritatem Deum esse, ideóque B. Virginem esse Deiparam; anathema sit.*

Si dicas cum Durando, illum non negare, Emmanuelem, aut Christum verè dici Deum, sed dicere hominem, ex Maria genitum, non esse propriè Deum, & B. Virginem non esse propriè Dei genitricem.

Observa pro his Concilium ex eo dedoxisse, B. Virginem esse verè Matrem Dei, quia Emmanuel, ab ea conceptus, sit Deus.

25 Avdi Concilium Lateranense, consult. 5. can. 3. *Si quis*, inquit, *secundùm SS. Patres non confitetur propriè, & secundùm veritatem Dei Genitricem sanctam, semperque Virginem, & Immaculatam Mariam, &c. damnatus sit.*

Vbi Concilium vult, Mariam propriè esse Matrem Dei, quia hominem illum concepit: Ergo ille homo propriè est Deus.

Idem definit Sophronins *in sua epistola*, quæ est in sexta Synodo *act.* 11. sæpius ab eadem Synodo approbata, & celebrata, vtiturque aduerbiis, *propriè*, & *veraciter*.

His adde Concilium Constantinopolit. *consess.* 8. *can.* 6. vbi damnat eos, qui dicunt, B. Virginem abusiuè, non autem verè, Matrem Dei vocari.

26 Ex Patribus verò Athanasius *sermone de S. Deipara*, propè finem, additis aduerbiis *verè, ac propriè*. Et *in lib. de Incarnatione Christi*, *col.* 2. circa principium, Gregorius Nazianzenus *oratione* 3. *de Theologia*, quæ est 35. in ordine, & *oratione de fide*, quæ est 49. circa finem, & *epist. prima ad Cledonium*, quæ est *oratio* 51. *anathematismo* 2. contra Apollinaristas definit, absolutè ita esse. Quod exponens Elias addit ea aduerbia *verè*, & *propriè*.

D. Cyrillvs *epistola prima*, vbi ait: *Si namque Deus est Dominus noster Iesus Christus, quomodo Virgo, quæ illum peperit, Deipara non est?* Hanc autem esse Apostolorum doctrinam testatur ibidem, supponens vt rem notissimam secundùm fidem, hominem esse Deum. Idem docuit Damascenus 3. *de fide*, *cap.* 12. Affert S. Bonauent. etiam Bernardum *lib.* 3. *ad Eugenium*, post medium.

Idem sentiunt Scholastici, D. Bonauent. *in*
27 3. *dist.* 4. *quæst. vlt.* Richard. *art.* 2. *quæst.* 2. Paludanus *quæst.* 2. Capreol. *quæst. vnic. art.* 5. *conclus.* 2. Scotus *quæst. vnic.* §. *In ista quæstione*, Almain. *quæst. vnic. ad* 3. Gabr. *quæst vnic. art.* 3. *dub.* 1. cum D. Thom. *quæst.* 35. *art.* 4. Vide Turrianum *lib.* 3. *de B. Virgine*, *cap.* 17. & 18. vbi plurima congerit testimonia ad hoc probandum.

Qvamvis autem omnes contra Durandum conspirent, & communicationem idiomatum propriè ita asserant, vt Deus verè, ac propriè homo dicatur, & homo Deus; tamen inter eos non satis conuenit, qua ratione probari queat.

Qvidam dixerunt, hanc mutuam prædicatio- 28
nem non fieri in recto, sed in obliquo, vt cùm dicimus: *Deus est homo*, sensus sit: Deus habet hominem.

Hanc sententiam refellit S. Bonauent. primò, quia inclinat in errorem eorum, qui dicebant, Deum assumpsisse hominem veluti vestimentum: ex quo sequitur, Deum non esse hominem, sicut neque homo est vestis, quam induit. Deinde posset dici: Est pes, quia pedem habet.

Cardinalis Lugo *disp.* 23. *sect.* 1. ideo ait 29
propositionem illam esse veram, quia homo signat suppositum in recto, continens naturam hic humanam: sic enim & album dicitur dulce, eò quòd lac habens dulcedinem, habet & albedinem. Hoc medium ait esse doctrinam communem. Quod si signaretur in recto natura, tolleretur communicatio idiomatum, & sensus erit: natura diuina in supposito, est natura humana in supposito.

At in his concretis alij dicunt poni in recto na- 30
turam, vt vidi *disp.* 8. *quæst. vlt.* cum Vasquez *disp.* 63. & Suarez *disput.* 23. *sect.* 2. & videtur D. Bonauent. citari *dist.* 8. in calce, & sequitur ex ibi dictis. Ideò si tres personæ Diuinæ vnicam naturam humanam assumerent, esset vnus homo. Cur verò, si Verbum assumeret tres naturas, non essent proinde tres homines, dixi *ibi*. Quod verò opponit Lugo, soluitur, non esse abstractè prædicandum, sed ita: homo est Deus, idest hoc indiuiduum naturæ humanæ, vt subsistens in Verbo, est Deus communicatione. Quod etiam addit, idem esse homo, & persona, nam prædicantur inuicem, & enim persona dicat hypostasim in recto, idem dicet & homo, nil valet; sunt enim idem inadæquatè. Itaque sicut dicis: Homo est animal, & tamen homo principaliter dicit rationale, non sic animal; ita in casu hoc.

Alii apud Richard. *dist.* 7. *quæst.* 1. sic admittebant: Deus est homo, idest natura humana est Verbo vnita.

Hos respuit Richard. sic enim posset dici: Deus est pes, vel manus, quia sunt Verbo vnita.

Hanc sententiam ait Vasquez forsan esse D. 31
Bonauent. nam *loco cit.* inquit, illam esse veram prædicationem, non per essentiam, neque per causam, neque per inhærentiam, sed per vnionem. Obsecro virum hunc, vt totum legat; ait enim, id ex vnione hypostatica prouenire, quia humana natura, & Diuina in vno supposito vnitæ sunt, quæ autem in vno supposito vniuntur, de se inuicem prædicantur, vt agnouit Vasquez *num.* 26. & addit S. Doctor, hanc vnionem esse singularem, atque adeò etiam prædicationem, quia in aliis suppositis nomen substantiale, vt Homo, non prædicatur, nisi de supposito, quod essentialiter constituitur per illam naturam, quomodo prædicatur homo de Petro; Verbum autem non ita constituitur per humanitatem, vt patet. Etenim in hoc mysterio suppositum ipsum perfectum supponitur na-

turæ humanæ, per quam non constituitur in esse simpliciter, sed in esse hominis, & hoc satis est, vt homo possit de illo supposito prædicari.

32 Adnuit Vasquez, hoc sensu Richardum interpretatum esse mentem D. Bonauenturæ.

Alii dicebant, hoc verum esse in sensu identico: Deus est homo; idest Deus, seu Verbum est ille, seu est suppositum, quod est homo. Sic Hurtadus *disp. 69. sect. 3.* Lugo *disp. 23. sect. 1.* & Arriaga *disp. 66. sect. 2.*

33 Verum refellit eos Seraphicus, & cum eo Vasquez *num. 20.* quia adhuc non explicant, qua ratione sit verum illud, quod continet ex parte prædicati, nempè ille, qui est homo, vtrum sit formalis prædicatio, cùm dicitur, ille, qui est homo, an solum per identitatem, sicut prior: si autem dicatur per identitatem, sicut prior, iam illud, quod erat ex parte prædicati, erit iterum exponendum, & ita erit processus in infinitum.

34 Alii dixêre, eà ratione, nomina concreta naturarum de se inuicem prædicari, vt cùm dicitur: Deus est homo; & homo est Deus, quia hæc nomina supponunt pro habente naturam, siue humanam, siue diuinam, ita vt Deus idem sit, ac Habens deitatem; Homo habens naturam humanam, nempè suppositum. Itaque rectè dicitur: Deus homo; & homo Deus; habens naturam Diuinam, est habens naturam humanam; & habens naturam humanam, est habens naturam Diuinam. Qua doctrina consequenter infertur, cùm dicitur: Deus est mortuus, sensum esse: Habens deitatem est mortuus: & sic de cæteris propositionibus. Ità sentiunt Richardus *3. distinct. 7. art. 1. quæst. 1. in corpore, & ad 1. & 2.* Gabr. *quæstione vnica, art. 3. dub. 1.* Almain. *quæst. 1.* & Recentiores nonnulli Thomistarum. Et videtur sententia D. Thom. *in primo, quæst. 39. art. 4.* & Damasceni *3. de fide, cap. 11.* Nicetæ *lib. 3. Thesauri, cap. 16.* Hunc modum dicendi infirmis rationibus insectatur Vasquez *num. 23.*

35 Vera igitur ratio huius concretæ prædicationis ea est, quam affert S. Bonauent. *in corpore.* Quia enim nomina concreta supponuntur pro natura ipsa in supposito; Et quia humanitas, & diuinitas sunt in eadem persona, ideò vera est concreta illa prædicatio, quæ significat vnum suppositum, sustentans naturam Diuinam, & humanam. Sequuntur Scotus *distinct. 7. quæst. 1.* & discipuli apud Mastrium *disp. 2. num. 279.* Vasquez *disp. 63. cap. 4.* Itaque conueniunt, propositionem esse formalem, quia suppositum subsistens in aliqua natura dicitur tale formaliter ab illa.

36 Hinc verè dixit D. Bonauent. illas propositiones: *Homo est Deus; Deus est homo*, esse veras, non essentialiter, ita vt vna natura sit de conceptu alterius; neque per inhærentiam, quia scilicet accidentaliter inhæreat, neque causaliter, quia Deus sit causa hominis, nec per solam identitatem, vt cùm dicitur: Petrus est Petrus; sed propter vnionem hypostaticam: nam cùm quælibet natura de supposito, in quo est, & à quo sustentatur, prædicetur; & de eodem supposito dicantur duæ naturæ in Christo concretè significatæ; sequitur eas inter se eodem modo significatas prædicari; nam per regulam Syllogismi expositorij, quod dicitur de toto subiecto, dicitur etiam de quovis, quod de illo prædicatur.

37 Hanc rationem expressit Damascenus *loco cit. de fide, cap. 4.* vbi ait: *Atque hic communicationis modus est, vtràque videlicet naturâ proprietates suas cum altera communicante, propter quod vnam, & eandem personam constituunt.* Idem habet Nicetas *lib. 3. Thesauri, cap. 33.* Ideò autem concretum naturæ prædicatur de supposito, in quo est, vel cuius natura est, quia significatur vt natura illius, non abstractè, sed cùm connotatione ipsius suppositi, in quo est id; quod sane locum habet, tam in natura propria, quàm in aliena, quæ sustentatur tali supposito.

Hinc verò sequitur, nomina abstracta, quia non signant naturam in ordine ad suppositum, nequire de se inuicem prædicari; quia tota ratio communicationis in hoc mysterio est vnio in supposito. Cum D. Bonauentura incedunt Vasquez, Suarez, & alij. Argumenta opposita sunt soluenda, quia continent graues quæstiones.

Obiicies primò. Maior est vnitas personarum diuinarum in vna natura, quàm sit naturarum 38
in vna Christi persona, quia *illa vnitas arcem tenet inter vnitates*, vt ait D. Bernardus *lib. 3. de consider.* sed non potest vna persona Diuina de alia prædicari, vt dicatur: Pater est Filius, vel Spiritus sanctus: Ergo.

Respondet S. Doctor cum D. Thoma; negando consequentiam, nam vna persona ita ab alia differt, vt suppositum vnius non sit vllo modo alterius; quamvis in natura conueniant. Ex quo fit, vt prædicatio non possit esse vera: Pater est Filius; at verò duæ naturæ in Christo communicant in supposito communi, & quia non significant concretè naturas præcisas, sed eas vt in supposito, hinc est, vt possint eo modo prædicari; nam se habent naturæ illæ vnitæ in supposito ad modum naturæ communis secundùm gradus inferioris ad superiorem. Sicut enim de quocumque prædicatur 39
gradus inferior, puta homo, prædicatur & superior, puta animal; ita de quocumque prædicatur suppositum, prædicantur etiam naturæ, quæ in supposito veluti inferiori nectuntur: Non sic diuersa supposita, quæ adhuc distincta iacent, & licèt nectantur in natura, eo solum possunt prædicari, quo nectuntur; sic quia nectuntur personæ Diuinæ in Diuina essentia, possunt dici: Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt Deus.

Obiicies secundò. Magis vniuntur ea, quæ 40
in natura, & persona vniuntur, quàm ea, quæ tantùm in persona, & sunt diuersarum naturarum; sed anima, & corpus vniuntur ad vnam naturam, & personam, nec tamen inuicem prædicantur; non enim dicitur: anima est corpus: Ergo neque Deus est homo, qui sunt naturæ diuersissimæ, & vniuntur solùm in persona.

Respondet S. Doctor, negando consequentiam. Primò, quia anima, & corpus concurrunt in vnitatem naturæ, atque personæ non ità, vt in vnione transmutentur inuicem, sed tanquam partes constitutiuæ distinctæ, quarum non est prædicari de toto, neque per consequens ad inuicem; non enim partes singulæ sunt totum, neque altera pars est altera, ideò non potest abstractè prædicari: at natura Diuina, & humana ita vniuntur in vna hypostasi, vt in concreto se tali modo supponant, ideò possunt in concreto prædicari; non tamen in abstracto, ob rationem adductam, quia adhuc manent distinctæ, ideò non dicitur: Humanitas est Deitas.

Obiicies tertiò. Si Homo dicitur de Deo, 41
vel est prædicatio vniuoca nobis, vel æquiuoca. Si vniuoca: Ergo aliquid est vniuocum Creatori, & creaturæ, quod est impossibile. Si æquiuoca: Ergo

Ergo non videtur Christus ad genus hominum pertinere.

MAGNA hîc quæstio est inter Theologos: an homo dictus de Christo, & de aliis hominibus, dicatur vniuocè.

42 PRIMA opinio est, esse vniuocum. Ita D.Thom. *3. part. quæst.* 2. *art.* 5. quem ita sequitur Suarez *in Commentario*, vt dicat nullum Catholicum posse de hoc dubitare. Ita docet Vasquez *disput.* 68. *num.* 20. cum Gabriele *3. distinct.* 7. *quæstione vnica*, *artic.* 3. Becanus *cap.* 7. Thomistæ, & alij cum Lugo *disp.* 23. *num.* 18.

PROBAT Suarez primò è Symbolo Athanasij: *Perfectus Deus, perfectus homo.* Idem docetur in Conciliis, vt quinta Synodo *can.* 8. vbi Christus dicitur consubstantialis Patri secundùm diuinitatem: consubstantialis nobis secundùm humanitatem. Idem dicitur in Concilio Later. sub Martino I. *can.* 4. & in nona Synodo *act.* 11.

PRÆTEREA probatur, quia vniuoca sunt ea, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ eadem in vtroque; puta in homine, & equo, nomen, & ratio animalis; at Christus habet idem nomen, & eandem naturam hominis nobiscum: Ergo.

43 ENIM verò S. Bonau. concedit quidem, Christum esse hominem vniuocè nobiscum, atque de nobis, & de illo vniuocè prædicari: at verò si accipiatur Deus, non dicitur vniuocè nobiscum, quia de nobis dicitur homo essentialiter; de Deo autem per communicationem idiomatum tantùm ratione personæ. Eodem modo locutus est Scotus *dist.* 7. *quæst.* 1. vt exponit Fauentinus *disput.* 17. *num.* 13. & Mastrius *disp.* 2. *num.* 285. Marsil. *disp.* 4. *quæst.* 6. Nominales *eadem distinct.* & hoc est, quod asserunt CC. & PP. Christum nempè esse verum hominem nobis vniuocum, scilicet vt Christus, seu Iesus est. Ideò audaciæ notam à Suarez inustam non accipiunt. Idem sentiunt Lugo *disp.* 23. & alij Iuniores.

44 OBIICIES quartò. Vel hæc prædicatio: Deus est homo, est per se, vel per accidens. Si per se: Ergo conuenit omnibus personis, quæ sunt Deus. Si per accidens: Ergo aliquid accidit Deo, quod esse falsum probauit *primo, dist.* 26. *dub.* 5. *litt.*

ALIAM quæstionem hoc argumentum euocat. Quia enim *primo post. text.* 4. tres modi sunt, quibus vnum de alio dicitur per se, iuxta quos aliqua propositio dicitur *per se*, orta est quæstio; an hæ propositiones: Deus est homo, & homo est Deus, sint in aliquo modo dicendi per se: an verò in materia (vt aiunt) accidentaria, siue remota.

45 PRIMA opinio est, has esse propositiones *per se* non minus, quàm illas: Petrus est homo: Petrus est animal, ac perinde aiunt, esse in materia naturali. Ità Richardus *in 3. dist.* 7. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Argentina *ibi*, *quæstione vnica*, *art.* 4. *ad* 3. Caietanus, & recentiores Thomistæ *ad art.* 5. *quæst.* 16. *D.Thoma*, Valentia *quæst.* 16. *puncto* 1. Ferrar. 4. *contra Gent. cap.* 45. imò & D. Thom. *hoc art.* 1. *ad* 1. & *in 3. dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 1. *&* 4.

SECVNDA opinio est, has duas propositiones non esse per se. Ità D.Bonau. *dist.* 7. *quæst.* 1. *ad* 4. Scotus *quæst.* 1. §. *Quintò videndum*, Durand. *quæst.* 1. *ad* 2. Gabr. *quæst. vnic. art.* 3. *dub.* 3. Maior *quæst.* 2. §. *Dubitatur*, Bassolis *quæst. vnic.* §. *Quantum ad primum*, Lichetus *quæst.* 1. Almainus *quæst.* 1. *dub.* 1. Paludanus *quæst.* 1. *art.* 2. Marsil. *in 3. quæst.* 6. *ad* 5. *rationem*, Fauentinus *disp.* 17. Vasquez *disp.* 68. Suarez *ad art. cit. D.Thom.* Mastrius *num.* 287.

PROBATVR à Scoto primò ratione D. Bonau. 46
Illa est propositio per se, in qua prædicatum intrinsecè, & essentialiter includitur in subiecto, & subiectum ad prædicatum dicit essentialem ordinem, vel includit intrinsecè causam inhærentiæ ipsius prædicati; Sed Deus nec includit intrinsecè prædicatum, nec causam inhærentiæ prædicati, quod est humanitas: Ergo.

RESPONDENT Thomistæ, esse per se, quatenus Verbum est subsistens in natura humana, seu vt persona humana.

CONTRA, quia sic nulla esset propositio per accidens, nam etiam hæc: paries est albus, est per se.

PROBATVR secundò à Scoto ratione D.Bonau. 47
illo argumento quarto. Quod prædicatur per se de aliquo subiecto, prædicatur etiam de omni, quod continetur sub illo subiecto; sed per te homo prædicatur de Deo per se: Ergo prædicatur etiam de omni supposito, quod est Dei: Ergo & de Patre, & Spiritu sancto.

PROBATVR tertiò ab aliis, ratione S. Doctoris *ad* 4. *in fine*. Propositio per se, ac naturalis ità est vera, vt repugnet esse falsam; at hæc: Deus est homo, ex Diuina potentia potest esse falsa, nam vnitur ex gratia, & beneplacito Dei. Ergo. Maior est Aristotelis 1. *Poster. cap.* 4.

RESPONDET Caietanus, quod in hac proposi- 48
tione Deus supponit, non pro Deo absolutè, sed pro persona Verbi, neque pro persona Verbi secundùm formam deitatis, sed solum quatenus est hypostasis humana, & hoc vltimo sensu continetur intrinsecè in homine; & hoc pacto non potest supponere pro persona Patris, vel Spiritus sancti.

ENIM verò accipere debemus terminos in sua 49
propria significatione, quæ est Dei, vt est persona Diuina; alioqui non esset vlla quæstio; neque verò prædicatum *Homo*, ita determinat subiectum, DEVS, vt significet determinatè Filium Dei, vt in natura humana; prædicatum enim non determinat subiectum absolutè positum, vt rem illam, quam ante absolutè significabat, signet iam prout subest formæ signatæ per prædicatum, alioqui nulla esset propositio contingens, sed omnis necessaria esset, & per se, vt cum dico: Homo est albus; si prædicatum *albus* determinaret subiectum *Homo*, vt significaret determinatè solum illum hominem, qui est albus, non absolutè, sed prout subest tali formæ; hæc propositio esset necessaria, & per se, quod tamen est falsum. Vt igitur illa, quæ est contingens, fiat necessaria, & per se, oportet vt ex parte subiecti exprimatur forma aliquo modo, quæ ponitur ex parte prædicati; & ita dicamus: Homo, vt est sub albedine, est albus. Ita etiam in casu nostro oportebit dicere: Homo, prout humanatus, est homo. Vide Vasquez *cap.* 2.

RESPONDET igitur S. Doctor, has propositio- 50
nes non esse propositiones per se, nec per accidens. Quia enim hoc est prædicatum philosophis incognitum, cùm fundetur in hac singulari vnione supernaturali, ideò non habet similem, vnde non potest quidem dici naturalis, & per se ob rationes allatas, neque per accidens, quia nititur vnione substantiali: erit ergo prædicatio substantialis, & aliquo modo naturalis, quatenus per vnionem illæ naturæ substantialiter vniuntur in supposito Verbi, vt ait S. Bonauent. in fine, ad faciendum vnum naturalem Christum: & hæc est sententia Damasceni *cap.* 49.

POTERIT verò ex alio capite dici per accidens, 51

vt

vt notat D. Bonauent. *ad* 4. Erit igitur per accidens Logicè, quia propositio, quæ non est per se in primo modo, est per accidens illo modo, quot enim sunt modi per se, tot sunt modi per accidens illis oppositi. Cùm ergo prædicatum non sit de definitione subiecti, vt requiritur in primo modo dicendi per se; sequitur vt sit per accidens Logicè ad regulas modorum dicendi. Si verò sumatur Metaphysicè, quomodo, idest per accidens, quod accidit alteri, vel ambo accidunt tertio, *ex 5. Metaph. cap. de ente, & vno*; isto modo hæc propositio non est per accidens, sed per se, quia hæc vnio non est accidentalis, sed est vnifaciens vnum per se, quod autem est per se, nulli accidit *ex* 1. *Physic. text.*27. Ità etiam Scotus, & Faber, ac Mastrius.

Addit verò S. Doctor, posse hoc sensu dici etiam Metaphysicè per accidens in fieri, & conseruari, quia, licèt nitatur vnione per se substantiali hypostatica, tamen nititur, non in natura rerum vniarum, sed gratuita Dei voluntate, quæ vnionem fecit, atque conseruat. Hac doctrinâ euelluntur aduersariorum fundamenta. Addit verò Scotus, hanc: *Homo est Deus*, esse magis per se, quàm hanc: *Deus est homo*, quia hìc natura Diuina de proprio supposito prædicatur, pro quo homo supponit. Sic etiam Mastrius *num.*292.

52 Obiicies quintò. In hac propositione: *Deus est homo*, vel prædicatur homo de Deo absolutè, vel relatiuè. Si absolutè: Ergo dicitur de omnibus personis Diuinis, quia nomina absoluta sunt eis communia, vt docet D. Augustinus, hæc enim dicunt substantiam. Si relatiuè: Ergo dicitur homo respectu alicuius.

Respondet D. Bonauent. cum D. Thom. *ad* 4. prædicari de Deo ratione vnionis in persona, quæ vnio est substantialis; hæc tamen includit connotatiuè relationem implicitam intrinsecam personæ Verbi, & hoc pacto dicitur relatiuè; attamen quia caret extrinseca relatione dicitur absolutè.

53 Obiicies sextò: Vel hæc prædicatio est in plus, vel in minus, vel in æquè. Si in minus: Ergo quilibet homo est Deus, & non conuertitur. Si in plus: Ergo quilibet, qui Deus est, homo est. Si in æquè: Ergo quicumque est Deus, est homo, & è contra.

Respondet, prædicari secundùm excedens, & excessum: Talis est illa propositio, in qua prædicatum ex vno capite excedit subiectum; & ex altero exceditur, vt cum dico: Homo est albus, in qua propositione album, quod est prædicatum, excedit subiectum, quia non omnis homo est albus; ex altero verò capite exceditur, quia non omne album est homo. Sic & in proposito excedit, & exceditur, nam etsi homo dicatur de aliquo supposito Diuino, non tamen dicitur de omni, nec è conuerso.

54 Obiicies septimò. Hoc nomen Devs, aut supponit pro persona Filij, aut non. Si primum: Ergo, sicuti est vera pro persona Filij: Deus est homo; ita pro persona Patris: Deus non est homo: Ergo possumus absolutè pronunciare: Deus non est homo. Si verò non supponit pro persona Filij: Ergo cùm in illa persona sit facta vnio; illa propositio erit falsa.

Respondet S. Doctor, supponere pro persona Filij; neque tamen absolutè licebit pronunciare: Deus non est homo, quia negatio tolleret affirmationem, & veritatem non solùm pro persona Patris, sed etiam Filij, negatio enim est destructiua maioris entitatis, quàm affirmatiua propositio ponat. Quia igitur terminus iste: *Deus*, habet naturam termini communis pluribus suppositis, potest reddere veram propositionem pro vno supposito. Quia verò habet naturam termini discreti, quia dicit vnam diuinitatem immultiplicabilem, ideò non potest negari de vna, quin negetur de alia persona. Quare si negetur pro Patre dicendo: Deus non est homo, negabitur etiam pro Filio, quod est absonum. Reliqua Seraphici argumenta patent ex dictis.

55 Obiicias primò cum Durando. Vbi est maior identitas prædicati cum subiecto, ibi est maior proprietas in enunciatione: at maior est identitas inter Petrum, & hominem, quàm inter Deum, & hominem, nam inter Petrum, & hominem est identitas in primo modo dicendi per se: at verò inter Deum, & hominem est maxima distinctio.

Deinde Petrus non constituitur in ratione Petri per aliam naturam, quam per naturam hominis, quæ significatur hoc prædicato: Homo. Deus autem per aliam naturam constituitur in esse Dei, quàm per naturam hominis: Ergo magis propriè dicitur homo de Petro, quàm de Deo.

Tertio. Homo de quocumque enunciatur, prædicatur in quid; homo autem non prædicatur de Deo *in quid*; nam interroganti: Quid est Deus? non respondetur, est homo: Ergo magis propriè Petrus est homo, quàm Deus sit homo.

56 Respondetvr cum D. Bonauent. *ad tertium*, magis quidem per se prædicari Hominem de Petro, quam de Verbo, seu Deo; non tamen sequitur, magis propriè prædicari, quia iuxta veritatem vnionis hypostaticæ ita Deus est homo, vt propriè astruatur esse homo in significatione proprijssima, & ita argumenta Durandi solùm probant, magis per se, & necessariò prædicari, non tamen magis propriè, quia proprietas prædicationis stat, vt absque metaphora, vel improprietate loquamur, sic ita proprie loquor, dum dico: Petrus est risibilis, sicut cum dico: Est rationalis, vt notat etiam Mastrius *numero* 274. Aretinus 3. *dist.*7. *quæstione* 1. *artic.*3.

Obicies tandem cum Durando. Idem prædicatum non potest dici *in quid*, de quo dicitur *in quale*, & è contra: Sed de Deo prædicatur, quod sit humanatus, vt ait S. Damascenus 3. *de fide, cap.*2. Ergo non potest dici *in quid*: Est homo.

57 Vasqvez *cap.*2. acriter insistit, vt probet, non posse dici Deum humanatum, vt est adiectiuum, denominatione sumpta à substantia humanitatis, quia Concilium Francoford. *epistola ad Episcopos Hispaniæ*, id damnat. Damascenus verò accipit humanatum ab actu incarnationis, idest hominem factum, vt ex Græco habetur. Idem negant Scotus *loco cit.* Mastrius *loco cit.* Lugo *disp.*22. dicunt tamen, posse dici humanatum, prout dicitur ab humano.

Ex eodem fundamento habetur, non posse dici, Christum esse *hominem Dominicum*, quamvis aliqui Patres candidè locuti admittant, inter quos Epiphanius *in Ancorato* longè à medio, Didymus *lib.*3. *de Spiritu sancto, cap.*4. *tom.*6. *Biblioth.* Augustinus *lib.*83. *qq. quæst.*57. vt monet Lugo *disp.*23. *num.* 9.

58 Hvnc tamen modum improbauit, atque retractauit S. Augustinus *lib.* 1. *retract. cap.*19. vt aduertit S. Bonauent. *dist.* 7. *dub.*3. *litt.* vbi admonet, D. Augustinum ità retractare, vt dicat, posse nonnulla ratione defendi, nempè, sicuti

aiunt

aiunt S. Thom. *quæstione 16. artic.3. ad primum*, & ipse hîc, vt dicatur *homo Dominicus*, non ratione suppositi, sed ratione naturæ humanæ, quæ à Domino possidetur, & Domino assimilatur, & à Domino causatur.

Sed & hunc sensum reprehendit Vasquez à *numero 7. disput. 63.* vbi addit ideò à D. Thom. & D. August. asseri, eum posse defendi; quia prætextu alicuius rationis posset sustineri ab aliquo. Idem videtur dicendum de D. Bonauentura, qui solam mentem D. Augustini exponit.

59 Ratio verò, cur nomen istud damnetur, tanquam Apollinaristicum, est ea quam habet S. Bonauent. satis efficax, vt ait Vasquez, quia nomina adiectiua denominatiua, desumpta ex forma substantiali, ita de subiecto aliquo in propositione prædicantur, vt modus ipse loquendi denotet diuisionem, ita dicimus; circulum ferreum, quia circulus non est ferrum ipsum. Sic igitur: *Homo Dominicus* significat distinctionem, vt Christus non sit Deus, sed veluti extra ad Deum spectans.

60 Non reor tamen, idem esse de hoc nomine, *Diuinus*, quo vtitur Dionysius *cap. 4. de cælest. Hierarch. p.3.* non enim significat tantam diuisionem, vt ait etiam D. Thom. & D. Bonauent. *dist.11. dub. 3.* vbi aduertit, &c. diuinum magis significare per modum actionis, idest habentem diuinitatem, per quem modum consueuit dici persona Diuina. Monet tamen, non esse dicendum: Christus homo Diuinus; nam sic non dicit diuinitatem per modum informantis, nec possessionem per modum actionis, sed solùm per modum passionis, per quem modum dicitur *diuinissimus Paulus*. Ita etiam Lugo *num.10*,

Ad Diuum Dionysium respondetur, ex Græco *Diuinum* haberi pro *Summum Deum*. Idem habet S. Bonauentura *in 3. distinct. 18. artic. 2. quæst.1. ad tertium.* Magis tamen arcendum nomen *Deiferi*, quod induxit Nestorius, vt notat Damascenus *lib.3. de fide, cap. 12.* quod etiam Athanasius *serm. in Euangelium de Deipara* damnat, vbi tamen admittit, *Deum carniferum*, idest ferentem carnem: Hoc tamen expungendum esse, notat Nazianzenus *epist. 2. ad Cledonium*, quæ est *oratio 52.* quia hinc deducebant hæretici, Verbum assumpsisse carnem sine anima. Sic & Concil. Francoford. damnans vocem *Deifici*.

61 Ad argumentum igitur respondetur, non posse dici Deum humanatum, denominatione sumpta à substantia, eò minus quò redolet aliquid Nestorianæ vnionis accidentalis; attamen in fieri, denominatione sumpta ab Incarnationis actu, potest latis fibris asseri; certum est enim, Verbum esse Incarnatum, & humanatum, vt notat D. Bonauent. *dist.17. quæst.2. fundamento 5.* Igitur non dicitur in quid, & in quale de Christo ratione eiusdem, vt notat Lugo *num.16*.

QVÆSTIO III.

Vtrum verè dici queat: Deus factus est Homo.

{ D. Bonauent. dist. 7. quæst. 2.
D.Thom. q. 16. art.6.

62 Assero, verè posse illam propositionem astrui.

Probatur à D. Bonauent. ex primo Ioan. *Verbum caro factum est*, vbi caro stat ibi pro toto homine, vt habet D.August. *epist.120.cap.4.lib.2. de Trinit.cap.6. & lib.5. cap.1.* Deinde id probat ex Symbolo: *& Homo factus est*, & ex D. August. *primo de Trinitate, cap.13.*

Probatur à S. Doctore secundò, ratione, qua vtitur Suarez. Suppositum, quod prius simpliciter subsistit, & non est homo, vel aliquid huiusmodi; si postea est homo, vel aliquid tale, necesse est, vt sit factum tale: Sed Verbum antea erat, & non erat homo, & nunc est homo: Ergo factum est homo. Ita arguit & Scotus *dist.7.quæst.2.* Mastrius *n.296.* Ratio est, quia factio quando significat secundum adiacens, dicit factionem simpliciter, vt si dicas; *Homo factus est*, significat, quod homo simpliciter factus est: Quando autem prædicatur tertium adiacens, significat factionem tantùm secundùm id, quod specificatur per tertium adiacens, vt: Homo factus est albus. An verò hæc locutio sit propria, est aliqua difficultas.

63 D. Bonav. aduertit, hanc propositionem: *Homo factus est talis*; puta bonus, sapiens: tria includere, idest antecessionem ex parte subiecti, puta hominis, qui præerat, antequam fieret bonus; albus, &c. Secundò dicere inceptionem ex parte prædicati, quia incepit esse bonus. Tertiò mutationem ex parte vtriusque, quia subiectum ex non bono factum est bonum, & prædicatum ex non existente in eo subiecto factum est existens. Iam verò subiectum, idest Deus, casu nostro ante præerat: Prædicatum incepit, nam cepit esse homo, non tamen Verbum transmutatum est. Cùm igitur transmutatio in participio *factus*, includatur in omni simili factione, nempè quando aliquis fit de nouo substantialiter. tale interueniat, includitur aliqua improprietas in hac assertione: Deus factus est homo, vbi Verbum non est mutatum.

64 Becanus *cap.7.quæst.2.* Suarez *ad art.D.Thom.* & Vasquez *disp.64.cap.3.* post Marsilium reprehendunt hoc dictum D. Bonauenturæ, ex quo deducunt sequi, impropriè dixisse Ioannem *cap.1.* & Symbolum: *Homo factus est*, hac verò ratione id refellunt, quia licèt sæpè, quando aliquid fit, interueniat mutatio subiecti; tamen non semper id euenit, vt in relationibus nouis acquisitis: potest enim Petrus non mutatus fieri dexter Paulo, si Paulus à dextra Petri pergat ad sinistram. Similiter potest aliquis fieri similis multis absque sui mutatione, vt si ipse prius sit albus; & postea multi fiant albi. Itaque cùm ex natura rerum in participio *factus*, non semper interueniat mutatio; malè Bonauentura ait, impropriè dici: *Deus factus est homo*, ex eo, quod non interuenerit consueta mutatio. Præterea (ait Vasquez) non est necesse, vt Verbum mutaretur in Incarnatione.

65 At non capiunt S. Doctoris sensum, qui improprietatem dicti non asserit in facto hoc indiuiduato, modo factionis singulari, & superno, cui non inuenitur inter nos similis; sed in facto, prout sonat vulgares naturæ, vel artisfactiones absolutas substantiales, vel accidentarias, alicui præexistenti; quòd semper mutatur, neque ad rem aggerant relationum additarum resultantiam, quam D. Bonau. nonerat, & retulerat *dist.1. quæst.1. ad 3.* ad declarandum, hoc mysterium absque mutatione factum, non quia illa exempla sint adæquata, nam ibi sola aduenit relatio: hic verò incipit Deus esse homo substantialiter; ad hoc autem inseruiunt exempla ad respondendum, non esse factam mutationem in

Deo

66 Deo, quia sola relatio noua in eo addita est; de cætero humanitas mutata est sola, quia Deus est incapax mutationis. Vnde non bene Vasquez redarguit Seraph. eum ex eo, quòd non fuerit necesse, mutare Verbum: hoc enim est in hoc priuilegium, quod S. Doctor passim aduertit, vt proinde vbique clamet, hanc factionem singularem non esse cum cæteris deiiciendam, vel comparandam, vt ostendi *disp.5.quæst.6.& 7.* & *disp.6.quæst.1.* Quare nil mirum, si aliquam aduertit improprietatem in dicto tumente vniuersaliter, aliarum multitudinem factionum.

Neque ergo simpliciter impropriè factum hominem, contra Euangelium, & Symbolum asserit S. Bonauentura, imò propriè factum confitetur, licet participium illud ex factionibus naturalibus commodatum aliquam mutationem includit, si eo modo audiatur.

67 Ex his habes, neque Scotum *dist.7.* neque Fabrum *disp.18.cap.1.* cum D. Thom. *hîc*, rectè negare in actionibus, & passionibus mutationem, ex qua improprietas in participio *factus* huc irrepsit.

Obiicies primò. Cui conuenit superius, conuenit & inferius: sed factum esse, est superius ad mutatum esse: Ergo, si Deus factus est homo, etiam mutatus est.

Respondetur primò ex D. Bonau. *dist.11. dub.4. litt.* posse aliquando conuenire alicui aliquid inferius, & non conuenire superius. Ita dico: Petrus est albus tantùm secundùm dentes: ergo est coloratus tantùm secundùm dentes, & tamen color est superior albedine, & tales fallaciæ in rebus Diuinis possunt euenire, vt ibi notat.

68 Respondet secundò S. Doctor, mutationem interuenire in eo, quod fit, vt suprà dixi modo naturali; in hoc autem mysterio suppositum Verbi, seu Deus factus est homo, modo Diuino incipiens terminare naturam humanam, nihil sibi addens, sicuti nil poterat addi perfectionis; sed addita perfectione soli naturæ assumptæ, atque adeò hæc sola mutationi fuit obnoxia.

Affert S. Bonau. multa exempla *loco cit. dist.1. quæst.1. ad 3.* vt suprà vidimus, quæ sic applicat, quia enim vnio, est relatio, quæ potest aduenire facta mutatione in altero extremorum, vt cùm Petrus incipit Paulo esse dexter, quia Paulus ad sinistram Petri transiit, & cùm incipit is, qui iam erat albus fieri similis, multis de nouo dealbatis. Hinc potuit Verbum vniri naturæ humanæ, facta mutatione in sola natura creata.

69 Affert aliud exemplum. Si radius penetrans in cubiculum illuminet, & postea interponatur chrystallus, tunc radius, veluti immutatus incipit peruadere chrystallum, facta mutatione in ea tantùm. Ità spiritualiori modo, Verbum incepit penetrare, & sustentare naturam humanam. Hæc tamen exempla sunt manca, neque satis probant immutabilitatem Dei, nisi ex eius attributo supponatur. Ideò non rectè Becanus, Vasquez, Suarez, Faber, & alij carpunt modum dicendi S. Bonauenturæ.

70 An verò dici queat mutatus Deus per communicationem idiomatum. Omissis prolixis disputationibus, dico, negari, quia communicatio idiomatum sequitur vnionem; at mutatio facta est in sola humanitate in via ad vnionem. Sicut igitur sola humanitas mutatur, non homo; ita, &c. Vide Suarez.

Obiicies secundò. Factum esse, supponit fieri; sed fieri dicit imperfectionem: Ergo & esse factum.

Respondetur, fieri dicere imperfectionem in eo, qui non erat, & fit, aliquid sibi acquirendo; at Deus non ita factus est homo.

Obiicies tertiò. Quando dicitur: aliquid fit, 71
illud ponitur complementum circa id, quod fit: sed Deus factus est homo: Ergo accepit complementum.

Respondet S. Doctor, Maiorem esse veram, quando id, quod fit circa suppositum, innouationem circa illud includit; at vnio dicit solam relationem, & ideò nihil complementi dedit Deo.

Obiicies quartò: Adiectiuum ponit rem suam circa substantiuum; sed hoc adiectiuum *factus*, cùm cadit super subiectum, & prædicatum, potius adiacet subiecto, quam prædicato, quia dicitur; *Verbum est factum caro*: ergo ponit aliquid factum circa Deum.

Respondet S. Doctor, quod licèt *factum*, 72
trahat nomen a supposito, quod verè dicitur factum caro; tamen, quia non respicit illud absolutè, sed in relatione ad prædicatum, ideò non est necesse, vt ponat in eo aliquid absolutum. Ideò ad veritatem sufficit, quod circa subiectum ponatur antecessio, & vnio respectu prædicati. Et hoc reperitur hîc.

Obiicies quintò: Si Verbum, seu Deus factus est homo, sequitur, posse dici Deus factus est Deus, quod est absonum. Probatur sequela, quia quandocumque aliquid prædicatur de alio cum conditione, non diminuente, potest prædicari simpliciter: sed iste terminus *Homo*, non diminuit de eo, quod est *factus*: Ergo si hæc est vera: Deus est factus homo, erit vera etiam hæc: Deus est factus Deus. Id autem hoc argumento expositorio declaratur. Hic homo est Deus; Verbum factum est hic homo: Ergo factum est Deus.

Vasquez prolixè hanc responsionem insequi- 73
tur, & aliorum responsiones refellit.

Respondet tandem cum D. Bonauent. *ad vltimum*, in hoc argumento esse fallaciam, quæ à Logicis dicitur accidentis: hæc autem euenit, quando aliqua duo ita inter se conueniunt, vt accidentaliter prædicentur; & in argumento vni eorum attribuitur id, quod alteri, vel repugnat, vel formaliter non conuenit. Do exemplum hoc argumento: Hic clamans est pulcher: Ego audio clamantem: ergo audio pulchrum. Hæc enim consequentia vnit formaliter audire & pulchrum, quia ille idem est, qui clamat, & tamen pulchrum non mouet auditum. Aliud addo exemplum ex D. Bonau. Hic albus est Monachus; hic albus factus est Monachus: ergo factus est albus. Valde enim diuersum est, hunc album factum Monachum: & factum esse album; nam cùm dico album factum, indico factum esse fundamentum, quod est Monachus; cùm verò dico 74
album factum Monachum, dico, præextitisse fundamentum, & solùm factum moraliter talem, idest Monachum; neque sequitur ex eo, quod est factus Monachus albus, idest ex eo, quod, cùm esset albus, factus est Monachus, factum esse album, nam per accidens Monachus iungitur albo. Sic in proposito, quia esse hominem contingens est Deo, non sequitur ex eo, quod Deus factus est homo, vt sit factus simpliciter, seu vt sit factus Deus.

QVÆSTIO IV.

An possit dici vicissim: Homo factus est Deus.

D.Bonau. dist.7. quæst.3.
D.Thom.quæst.16.art.1.

75 SCOTVS 3. *distinct.* 7. *quæst.* 2. adeò veram hanc propositionem asserit, sicut præcedentem: Deus factus est homo. Sequitur Gabr. *eadem distinctione, quæstione vnica, articulo* 2. *post* 5. *conclus.* Fauentinus *disput.* 18. & cæteri Scotistæ, præcipuè Mastrius *disput.* 2. *num.* 297. & Vulpes *disp.* 17. *art.* 2. qui veriorem hanc ait, & implicare se eam negantes.

SIMPLICITER tamen loquendo hanc propositionem falsam esse conclamant D. Bonauent. D. Thom. *hic*, & communiter Theologi *in* 3. *dist.* 7. vbi Richardus *artic.* 1. *quæst.* 3. & 4. Durandus *quæst.* 1. & 2. Paludanus *quæst.* 2. Marsil. 3. *quæst.* 6. *art.* 3. *dub.* 8. Thomistæ *ad artic. citatum D. Thom.* Suarez *ibi.* Vasquez *disput.* 64. Caspens. *disput.* 9. *sect.* 2. Lugo *disput.* 23. *num.* 69. Morandus *quæst.* 39. *numero* 381. si tamen sensus sit impersonalis: Factum est, vt homo sit Deus, admittitur ab aliquibus, in his est Becanus *cap.* 7. *quæst.* 2. *num.* 15.

76 ASSERO cum hac sententia, dictam propositionem simpliciter non esse veram.

PROBATVR à D. Bonauent. primò ratione, quam magni pendunt Suarez, & Vasquez tanquam vnicam, eamque ex D. Bonauent. sumpsere etiam Richardus, & Durandus. Id, quod dicitur fieri tale: seu id, quod dicitur fieri aliquid, antecedit tempore, aut natura productionem, qua fit tale: sic, cùm homo fit albus, præsupponitur homo ad albedinem, seu antequam fiat albus; at licet humanitas præcedat assumptionem ordine naturæ; tamen homo non præcedit vllo modo assumptionem: Ergo neque præcedit productionem, qua fiat Deus. Probatur Minor, quia homo significat naturam in supposito: Cùm igitur natura humana, priusquam vniretur Verbo, non fuerit in aliquo supposito, quod posset concreto nomine significari; sequitur, hominem non præcessisse assumptionem, vt per illam diceretur fieri Deus. Idem argumentum vrgent Rada, & Becanus.

77 RESPONDENT Mastrius *numero* 308. & Faber *numero* 11. è Scoto, quod hic homo supponit pro natura singulari, non pro persona: natura verò singularis præcessit naturà ipsam assumptionem. Sicuti autem in opposito, posita propositione: Deus factus est homo, non sumitur homo personaliter, quia Deus, seu Verbum non est factum persona hominis, nam persona hominis non erat in Christo, sed factus est hic homo singularis personando ipsum hominem singularem; ita & in hac. Sic & Vulpes *disp.* 18. *artic.* 10. refellit Seraphicum.

78 Hunc tamen effugium præcluserat S. Bonauent. *in secundo fundamento*, quia non prædicatur Deus de homine ratione formæ, sed ratione suppositi. Deinde iam redarguerat *quæstione præcedenti ad secundum.* Idem est qui factus est homo, & qui est iam homo, sed cùm dico: Deus est homo, intelligo concretum ex natura, & supposito: Ergo.

PROBATVR tertiò à S. Doctore ratione, qua ferè vtitur etiam D. Thomas, & est ad hominem: Sic se habet per vos hæc propositio: Homo factus est Deus; sicuti illa: Deus factus est homo, sed ex hac sequitur, quod Deus sit homo nouus: Ergo. Homo est Deus nouus, sed homo includit suppositum: Ergo suppositum Diuinum est nouiter Deus.

RESPONSIO verò Scoti iam eluta est. Multæ 79
etiam authoritates PP. referuntur à Suarez, & Vasquez.

OBIICIAS primò cum Scoto, & Fabro: D. Augustinus *lib.* 1. *de Trinitate, cap.* 13. ait: *Talis fuit illa vnio, vt Deum faceret hominem, & hominem Deum.* Idem habet Damascenus *lib.* 3. *c.* 11. Nazian. *orat.* 35. *num.* 86.

IAM responderat D. Bonauentura, ex quo D. Augustini testimonium sumpsêre; Patres illos locutos sensu potius eleganti, quàm Dialectico: Homo factus est Deus, idest, factum est per hoc mysterium, vt homo sit Deus, & eadem sit persona hominis, & Dei; nam conuersio legitima illius prioris propositionis: Deus factus est homo, non est: Homo factus est Deus, sed: Is, qui factus est homo, est Deus. Eadem responsione vtuntur D.Thom. & eius discipuli, Suarez, & alij.

INSTAT Faber *numero* 11. hanc solutionem non 80
esse ad propositum, quia hic est quæstio: An illa propositio propriè sit vera; & ideò, cùm S. Patres illam admittant, dicenda est vera, & propria, cùm eam asserant sine aliqua glossa. Deinde persistit, suam esse veram conuersionem *num.* 7.

VERVM, si attentè legantur PP. declarant, se non absolutè eam propositionem admittere; & quidem D. Augustinus, qui ità loquitur: *Nisi tamen idem esset Filius hominis propter formam serui, quam accepit, qui est Filius Dei propter Dei formam, in qua est, non diceret Paulus de Principibus huius seculi: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ex forma enim serui crucifixus est, & tamen Dominus gloriæ crucifixus est. Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.* Vbi hoc dicto reddit rationem, cur idem sit Deus, & homo, quia vnione Deus factus est homo; & homo est Deus: non dixit factus est Deus, sed homo, (supple) esse Deum fecit.

DAMASCENVS item ait: *Verbum caro factum* 81
est; & caro Verbum: Deus homo, & homo Deus. Igitur ex primo dicto: *Verbum caro factum est*, quod significat tantùm, Verbum assumpsisse carnem, non ita vt per communicationem idiomatum caro diceretur Verbum; colligitur consequenter eum etiam locutum esse in sequentibus, vt idem significet, ac: Homo factus est Deus, idest natura humana vnita est Deo. Idem dic de Gregorio Nazianzeno. Sic enim videntur locuti, sicuti cùm dicebant: Verbum assumpsit hominem, vt ait Vasquez.

OBIICIES secundò cum Scoto. Illud dicitur 82
fieri tale ab aliquo, quod per actionem eius accipit esse tale, quod ante non habebat; at Deus accipit esse hominem, quod ante non habebat; Ergo.

RESPONDERAT iam S. Doctor, à quo argumentum commodauit, negando minorem, nam homo non accepit esse Deum per actionem alicuius; nam, vt acciperet esse Deum, debebat præcedere vnionem saltem naturâ; at homo ille non præcessit, imò per vnionem factus est homo ille.

OBIICIES tertiò. Sicot hæc est vera: Deus factus est homo, ita eius conuersa: Homo factus est Deus. Ea autem est vera terminorum conuersio ad apicem.

83 RESPONDET S. Doctor, non esse benè conuersam, sed ibi latere fallaciam secundùm accidens; nam prior propositio: Deus factus est homo, habet quidquid necessarium est, vt sit factus homo præcisa mutatione, vt dixi, præcipuè, quia Deus antecesserat, & post, humanitate assumpta, factus est homo, & ita ex parte subiecti, & prædicati est veritas; at homo, vt subiectum alterius propositionis repugnat ob rationem suprà dictam; quare non benè ex prædicato transit ad esse subiectum, sicoti si dicerem: Homo factus est albus: Ergo album factum est homo, & per hoc satis exploditur Faber suprà *numero* 7. & Vulpes *loco citato*.

VLTIMÒ S. Doctor ponit quandam rationem ad probandam nostram assertionem, eam tamen sibi non accipit. Est autem hæc: Communicatio est idiomatum: Ergo si homo factus est Deos, Deus factus est Deus; sed hæc est falsa: Ergo & prima.

84 RESPONDET S. Bonauentura, nomina illa, quæ important vnionem, non inducere communicationem idiomatum; oritur enim ex ipsa vnione in facto esse: vnde cum dico: Homo factus est Deus, dico: Homo vnitus est Deo, & ideò non interuenit communicatio idiomatum, quia adhuc vnibilia non capiuntur vnita, vt inde resultet communicatio idiomatum.

QVÆSTIO V.

An CHRISTVS *absolutè nullo alio addito possit dici Creatura.*

D. Bonau. dist. 11. art 2. quæ. 1. 2.
D. Thom. q. 16. art. 8.

85 QVÆSTIO hæc, an ratione naturæ assumptæ, sicut alia prædicata Christo, & Verbo communicantur, & dicuntur, ita etiam ratione huius communicationis possit dici Christus creatura absolutè.

PRIMA sententia est, non esse vllo modo dicendum Christum creaturam. Ità Magister *dist.* 11. D. Thom. 4. *contra Gentes*, *cap.* 48. vbi Ferrar. & *in* 3. *distinct.* 11. *quæst.* 1. *artic* 2. Richard. ibidem, *artic.* 1. *quæst.* 2. Argent. *artic.* 2. & 3. Capreol. *quæstione vnica*, *artic.* 1. Marsil. *in* 3. *quæst.* 9. *art.* 1. Canus *lib.* 12. *de Locis*, *cap.* 11. Lorca *disp.* 64. *art.* 8. quorum sententiam probabiliorem censet Scotus *distinct.* 11. *quæst.* 1. §. *Cui ista opinio non placet.* Faber *disp.* 24. *cap.* 2. Cum his facit etiam Durandus *quæst.* 1. Paludanus *quæstione vnica, in tertia opinione*, Gabr. *quæstione vnica*, Maior *quæst.* 2. Valentia *quæst.* 16. *puncto* 2. qui tamen id videtur cauere solùm propter Arianos, ne venenum propinent. Citatur à Fabro D. Bonau. *loco cit.*

86 SECVNDA sententia est, cauendum quidem scandalum Arianismi, attamen posse propriè dici Christum creaturam propter communicationem idiomatum. Citatur à Vasquez D. Bonau. *loco cit. in corpore*, & *ad* 4. Caietanus *art.* 8. *citato D. Thom.* Vualdensis *Tom.* 1. *doctrinalis fidei antiquæ*, *lib.* 1. *art.* 3. *cap.* 41. & 42. Adde Scotum, qui hanc sententiam probabilem vocat, Gabrielem *in* 3. *dist.* 11. *quæst.* *vnica*, *art* 1. *not.* 2. & *art.* 2. *concl.* 1. & 2. vbi concedit Christum creaturam ratione naturæ assumptæ. Hanc sententiam Caietanus colligit è D. Thom. qui *art.* 8. solùm negat, id dicendum, ne ansa detur Arianis, sicuti neque dicendum incorporeum, ne detur occasio erroris Manichæis. Quis autem ignorat, posse Christum dici incorporeum. Ità sentiunt Vasquez *disp.* 65. Suarez *ad art. cit. D Thom.* vbi habet quandam distinctionem, nempè non posse dici creaturam ex nihilo; attamen posse dici facturam, sed cum expositione, ne detur ansa erroris. Caspens. *disp.* 10. *sect.* 2. Morand. *quæst.* 39. *n.* 380. Mastrius *disp.* 2. *n.* 318. Bellut. *disp.* 5. *quæst.* 4. *art.* 2. Poncius *disp.* 40. *quæst.* 1. Lugo *disp.* 23. *sect.* 4. Becan. *cap.* 7. *quæst.* 2.

SENTENTIA D. Bonauent. est, absolutè non esse dicendum Christum creaturam, quia talis sermo est propinquus errori, & quia malè intellectus fuit aliquando ab Arianis, & etiam quia de se malè est intelligibilis. Et in responsione *ad* 4. idem dicit, addit tamen, respui à Doctoribus magis, quia potest esse via ad errorem, quam quia de se sit falsa enunciatio. Idem sentit D. Thomas, vt notat Valentia. 87

ASSERO primò, non esse dicendum Christum creaturam propter periculum scandali.

PROBATVR à D. Bonau. primò cum Magistro ex PP. ex quibus Basilius *lib.* 2. *contra Eunomium*, Ambrosius *lib.* 1. *de fide*, *cap.* 6. & 7. & *lib.* 3. *cap.* 7. Cyrillus *lib.* 10. *Thesauri*, *cap.* 4. Chrysostomus *homil.* 3. *ad Hebr.* qui apertè negant, esse creaturam. Clarius Ioan. Maxentius *secundo Dialogo*, *c.* 18. *in* 5. *Tomo Biblioth.* qui dicit, esse blasphemiam appellare Christum creaturam. 88

PROBATVR secundò à S. Doctore. Christus est nomen personæ, & positum ex parte subiecti, supponit pro persona; si autem admittatur Christus creatura, iam etiam Verbum facilè ponetur creatura vanitati subiecta, quod est absonum.

PROBATVR tertiò à S. Doctore. Creatura, si propriè loqui velimus, idem est, quod aliquid pendens à Deo secundùm se totum, ideò Apostolus Rom. 8. ait: *Omnis creatura vanitati subiecta est, propter eum, qui subiecit eam*, &c. Eaque ex nihilo prodiens, accipit esse post non esse; at Christus neque secundùm se totum, neque secundùm portionem principalem, quæ est natura Diuina, & suppositum Verbi, accipit esse post non esse: Ergo. Hac ratione vtitur Durandus, Scotus *loco citato*, Faber *numero decimonono*, & Becanus *numero vigesimo*. 89

RESPONDENT aduersarij, Christum denominare quidem suppositum, tamen de supposito Diuino prædicari creaturam per communicationem idiomatum, sicut prædicatur mortuum, & crucifixum, & ità aliqui Patres dicunt, Deum Creatorem, esse factum creaturam. Itaque verè dicitur creatura pendens à Deo secundùm totum esse naturæ humanæ, sicut etiam mortuum dicitur, quod totam vitam amisit. Itaque quia Christus totam vitam amisit, dicitur mortuus, licèt aliam vitam retinuerit diuinam. Igitur cùm dicimus: Creatura est, quæ secundùm totum suum esse ex nihilo fit, & pendet à Deo; intelligitur de eo toto pertinente ad essentiam alicuius naturæ, non autem secundùm naturam suppositi, 90

suppositi, quia hoc prædicatum secundùm totum suum esse, pendeat à Deo; deno-minari verò Christum per communicationem idiomatum creaturam; neque id Patres negant, qui solùm contra Arianos disputantes volebant destruere illud ipsorum dogma, scilicet Verbum formaliter, seu Christum ratione personæ esse creaturam. Hæc Vasquez.

91 Hæc responsio notissima est Seraphico *ad vltimum*; eam tamen infirmam ostendit ad sincerè confitendam, absque periculo scandali Arianorum, fidem nostram, nam creatio, vt fatetur Vasquez, terminat ad totam naturam, & totam dicit productam, vnde quod creatur, simpliciter incipit esse, & nullam determinatam naturam nominat, dum asseritur: Christus est creatura. Quamvis igitur Christus dicat naturam quidem etiam humanam, tamen quia principaliter dicit Verbum Deum, & secundùm hanc rationem non est creatura; sequitur, non satis cautè Christum asseri creaturam, vt nostram propositionem ab hæreticis sartamtectam seruemus.

92 Neque est simile de eo: Christus est mortalis, qui & immortalis; nam statim ac mortuum, vel mortalem nominamus, agnoscimus naturam humanam seorsim viuentem, & ratione eius mortuum, atque adeò attribui ratione communicationis, idiomatum ex vnione; at propositio: *Christus est creatura*, non sonat ita expressè vnionem, sed dicit totum esse subiecti. Ideò propter naturam actus creationis, qui est in totum; & totum astruit. D. Bonauentura concludit, iure, ac meritò à Magistro non concedi, licèt nequeat falsitatis conuinci.

Faber *numero* 15. incautè dixit, Seraphicum hanc rationem afferre, cur non possit asseri: Christus est creatura, nempè quia communicatio idiomatum non fit in iis prædicatis, quorum vnum includit respectum ad aliud, & quia creatura includit respectum ad Deum, vt Creatorem; Christus non potest dici creatura.

93 Hoc fundamentum reiicit ipse, quia neque Christus posset dici Creator, quia Creator est prædicatum naturæ Diuinæ, dicens ordinem ad humanam naturam.

Varum falsò hæc adscribit Seraphico, non enim negat hanc communicationem idiomatum absolutè, vt patet legenti, sed solùm infert ex hac communicatione posse aliquem incautè venenum ebibere Arianorum, & ideò dicit; licèt non magis repugnet quoad rationem: Christus est creatura, quàm: Christus est mortuus, tamen magis repugnat repugnantià deducente in errorem ob rationes allatas. Solùm igitur dixit S. Doctor, difficile capi sinceram hanc propositionem: Christus est creatura, quia creatura dicit respectum dependentiæ à Creatore secundùm se totam: Christus autem dicit principaliter Personam Diuinam. Addit, magis repugnare sinceritati enunciationis, quàm hæc: Christus est Creator, ratio est (ait S. Doctor *ad quartum*,) quia Christus nominat principaliter personam Verbi, quæ est increata, & ratione essentiæ Diuinæ Creator est: Vnde talis sermo non ita appropinquat venenatis hæreticorum sensibus.

94 Neque etiam S. Bonauentura negat omnino communicationem idiomatum in hoc dicto: Christus est creatura; eò quòd non detur communicatio idiomatum in iis prædicatis, quæ includunt repugnantiam cum prædicatis alterius naturæ (vt rursus ei adscribit Faber) vnde inferat, prædicatum creaturæ ideò Christo per communicationem idiomatum non posse attribui, quia repugnat prædicatum Diuinæ essentiæ, seu naturæ Verbi. Hoc enim non dixit S. Bonauentura, sed solùm, hanc propositionem non esse satis benè securam à malo intellectu, quia dum dicitur: Christus est creatura, nominatur Verbum cum natura Diuina, cui repugnat, licèt etiam naturam humanam dicat, cuius naturæ hoc prædicatum non repugnat. Confirmatur: Ea, quæ includunt suppositum creatum, nequeunt per idiomata communicari; sed in via D. Thomæ, creatura est talis ex ipso 1. *p. quæstione* 45. *articulo* 4. vbi creatio dicitur esse subsistentium: Ergo. Idem ait Suarez *disput*. 9. *sect*. 1. Quare hæc ratio est ad hominem, vt à multis exponitur.

Assero secundò, propositionem hanc in se non esse falsam per communicationem idiomatum. Ita D. Bonau. *ad vltimum*.

95 Probatur à S. Doctore primò ex PP. D. August. epist. 57. ait: *Quod ad Verbum attinet, Creator est Christus: quod verò ad hominem, creatura est Christus.* Et de fide, & Symbolo, cap. 4. *Quando Verbum caro factum est, eadem sapientia, qua de Deo genita est, dignata est in hominibus creari.* In Enchir. cap. 38. *Illam creaturam, quam Virgo concepit, &c.* Idem habet 4. *de Trinitate, cap.* 19. *serm.* 16. *de Tempore, serm.* 25. *&* 27.

96 S. Leo Papa serm. 3. Pentec. *Si enim homo ad imaginem Dei factus in sue honore natura mansisset, &c. Creator mundi creatura non fieret.*

S. Damascenus 3. *de fide, cap*. 4. & *lib*. 4. *cap*. 5. *&* 29. Verbum caro factum, creaturam vocat.

Richardus de S. Victore habet in quadam sequentia:

Potestate, non naturâ,
Fit Creator creatura.

Hos affert S. Bonau. indicans alios, quos referunt Suarez, Vasquez, & alij.

97 Admonet tamen S. Doctor, hos PP. verè quidem locutos, sed nimis exprimere, & ideò non esse hanc propositionem in vsum adeò liberè trahendam. Ideò hi PP. plerumque addunt etiam, Christum esse Creatorem, vt propositio explicetur; quod scilicet sit secundùm naturam humanam solam creatura.

Probatur secundò à D. Bonau. ex illo Rom. 1. *Paulus Apostolus Iesu Christi, qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem.*

Cautè verò Apostolus addit: *Secundùm carnem*, factum, vt notat D. Bonauentura, vt ostendat, secundùm naturam humanam dici Christum factum, vel creaturam.

Probatur quartò ratione fundamentali, qua nituntur omnes. Nomina concreta vnius naturæ adscribuntur verè alteri naturæ secum subsistenti in eodem supposito. Sic dicitur Christus Creator ratione deitatis: Ergo & creatura ratione humanitatis.

98 Audit tamen S. Bonauent. vt dixi suprà, hanc propositionem esse aliquo modo magis periculo obnoxiam.

Probatur quintò. De quo per se prædicatur inferius, prædicatur & superius: sic de quocumque dicitur: est homo; verum est etiam: est animal, aut viuens, &c. Sed de Christo dicitur, est Homo,

quod est inferius; quam esse creaturam: Ergo potest dici etiam: est creatura.

Aumonet tamen D. Bonauentura, sæpè in prædicato superiori posse inueniti modum aliquem, vnde venenum hauriatur, ideò cautè incedendum. Ita in hoc: Christus est homo, quia significat personam hominis cum natura, bene pronunciatur, quia verè Verbum est suppositum in natura humana: at verò dum dicitur creatura; totus omninò asseritur, etiam secundùm personam factus, si prima facie attendatur: Neque mirum, si in Mysteriis fidei supra regulas Philosophicas aliqua emergat altercatio in axiomatibus Philosophorum.

99 Probatur sextò: Christus est homo; non autem increatus: ergo creatus.

Respondet tamen S. Bonauentura, licèt sit creatus secundùm humanitatem, non benè concedi Christum creatum ob periculum, vt dixit:

Probatur septimò à S. Doctore: Sicut caro Christi fuit concepta, sic anima Christi fuit creata: Ergo sicut ratione carnis hæc fuit vera: Christus est proles Virginis, conceptus de Virgine: ita hæc erit vera: Christus est creatura Dei, vel creatus a Deo.

100 Si dicas, non esse simile, quia creatura dicit repugnantiam cum Christo, qui est Deus: Contra arguit: Maior est repugnantia, quandò oppositum prædicatur de opposito, quam quando prædicatur creatura de Christo; sed hæc est vera: Christus est impassibilis, & passus; est immortalis, & mortuus: Ergo.

Minor probatur è Sanctis PP. qui has propositiones admittunt, vti & Concilia, vt Concil. Chalcedonense *act.* 1. vbi citatur Nazianzenus, & Sexta Synodus *act.* 15. Leo Papa *epist.* 10. 11. & 83. & alij apud Suarez *disp.* 35. *sect.* 3.

101 Respondet S. Doctor tamen, hoc non esse par: Christus est creatura; & Christus est conceptus de Beata Virgine; nam conceptio naturam determinat à Beata Virgine conceptam: at creatio dicit totum, seu productionem totius, nec vllam naturam determinat, sed dicit ex nihilo totum prodiisse: Et licèt quoad veritatem possit per communicationem idiomatum asseri, tamen potest errorem insinuare

Quæ cùm ita sint, nullo modo probatur mihi distinctio illa Suarez *ad art.* 8. *D. Thom.* & Becani,
102 Christum non posse dici creaturam, si hæc sumatur pro productione ex nihilo: posse verò, si creatio sumatur pro factura: Ratio mea est, quia ita repugnat Deo esse creatum ex nihilo, sicuti esse factum ex præiacente materia, quod si verbum (*est*) subiicit prædicatum *creatura* subiecto, idest Christo, qui est Deus, vtroque modo erit æqualiter falsa; vel vtraque per communicationem idiomatum asseri poterit.

QVÆSTIO VI.

An omnino possit saltem dici: CHRISTVS, *vt homo, est creatura.*

{ D. Thom. art. 10.
D. Bonau. dist. 11. dub. 2. & 4. litt.

105 D. Thomas asserit, id omninò esse propriù, quia particula reduplicatiua (*vt*) vel (*quatenus*) propriè cadit suprà naturam, non suprà suppositum; si autem suprà suppositum caderet, id esset falsum.

Scotus *in* 3. *dist.* 11. *quæst.* 2. §. *Respondeo*, docet, si particula illa (*vt*) vel (*in quantum*) vsurpetur, vt nota reduplicationis, & perseitatis, quæ denotat modum dicendi per se, falsam esse hanc: Christus, in quantum homo, est creatura. Quod si particula (*vt*) vel (*in quantum*) solum distrahat, & coarctet alterum extremum, vt ita distractum non repugnet alteri; esse veram: attamen hunc modum esse improprium, quia particula deberet poni ex parte prædicati, vt proprius esset sensus, quare deberes dicere: Christus est creatura secundùm quod homo. Sequitur Fauentinus *disput.* 25. Vulpes *disput.* 18. *art.* 3. *num.* 5. vbi præruptis ex more fibris eam clamat erroneam, & impiam.

Gabriel. *dist.* 11. *quæst unica, art.* 3. vult, esse 104
falsam, siue sumatur specificatiuè, siue reduplicatiuè.

Communis tamen opinio est, esse veram: Ita Richard. *dist.* 11. *art.* 2. *quæst.* 1, Argent. *q.* 1. *art.* 4. Marsil. *in* 3. *quæst.* 9. *artic.* 1. Caietanus, Molina, Suarez, Medina *ad articul. citatum D. Thom.* Vasquez *disput.* 66. eam sequitur D. Bonauent. *dub.* 2. & 4. *litt.* Morand. *quæst.* 39. Lugo *disp.* 23. & 105. Caspens. *disp.* 9. *quæst.* 18. Mastr. *num.* 519. aliique Scotistæ cum eo allati *quæst.* 5. & Becanus *cap.* 7. *quæst.* 2. *num.* 51.

Nota primò, hanc propositionem: *Christus* 105
in quantum homo; non esse reduplicatiuam, sed specificatiuam, non enim ingeminatur subiectum, esset autem, si diceres: Christus, quatenus Christus, & tunc illa particula (*quatenus*) esset nota perseitatis, seu propositionis per se, de qua Aristoteles *primo Poster. cap.* 4. quam sic explicat, secundùm quod ipsum, vt ait S. Bonauentura *dist.* 10. *quæst.* 1. *fundamento* 1. Quando igitur illa particula *quatenus* vel, *in quantum*, non replicat eundem terminum; illa propositio non est reduplicatiua, sed specificatiua, talis est hæc: Christus, quatenus homo; & sunt notæ specificationis, aut determinationis, quia non demonstrant totum subiectum replicando illud, sed aliquid specificant in eo peculiare illius, ratione cuius ei conuenıat prædicatum aliquod. In hoc deceptus Scotus suos quoque discipulos fefellit.

Nota secundò, has particulas, quando ad spe- 106
cificandum ponuntur, duobus modis poni. Primò ad determinandam aliquam partem integralem subiecti, non autem rationem aliquam, vt Æthyops secundùm dentes, vel in quantum habet dentes, est albus: Secundò ad designandam aliquam rationem, vt cum dico: Homo, in quantum animal, est mortale. Est autem inter hos modos discrimen, quòd quando significat partem integrantem, non prædicat eam de subiecto, nisi per verbum *habet*. Itaque non possum dicere: Æthyops, secundùm quod est dens, est albus, sed in quantum habet dentes, est albus: quando verò designat rationem, exprimitur per verbum *est*.

Assero, hanc propositionem esse veram: Christus, in quantum homo, est creatura.

Probatur à S. Doctore, quia prædicatum per 107
particulam (*in quantum*) determinatur ad naturam assumptam, cùm enim in Christo sint duæ naturæ, & vnum suppositum; illa particula, *in quantum*, specificare debet alteram ex his, & ad eam determinare subiectum, quod est Christus, qui quoad suppositum vnus est, nec replicatur, in quantum Christus, sic

sic enim replicaret etiam suppositum, sed specificat, vt dixi: Itaque sensus est: Christus, secundùm naturam humanam, qua distinguitur, & specificatur à Diuina, est creatura. Eadem ratione vtuntur ferè omnes. Neque satis Scotus, vel Faber probant esse impropriam.

108 Non sequitur autem (ait S. Doctor) concedendum simpliciter; Christus est creatura, quia sic totum Christum supponit, maximè quoad suppositum; vnde, licèt non concedatur hæc: Christus est creatura, nisi per communicationem idiomatum, & cum periculo; attamen liberè potest concedi: Christus, in quantum homo, est creatura.

109 Addit verò *dub.* 4. vtramque propositionem esse tropicam. Nam prior: Christus est creatura, claudit Synecdochen, afferens totum Christum pro vna parte, idest humanitate; & hoc licet per communicationem idiomatum. Altera verò: Christus, in quantum homo, est creatura, Synecdochen ad proprium sensum reductam dicit, vt quod est partis, dicatur specificatiuè de parte: Tropus enim habet rationem quandam figuræ (licet propriè distinguatur à Rhetoricis) figura autem est vitium, ratione excusatum. Igitur in primo sensu est aliquo modo improprius excusatus, vt dixi, ponens totum pro parte; in altero verò, quo dicitur: Christus, secundùm quod homo, corrigitur improprietas.

110 Obiicies cum Scoto. Quandocumque aliqua propositio est absolutè falsa ex repugnantia extremorum, quacumque addita reduplicatione, quæ non tollit extremorum repugnantiam, est etiam falsa, quia reduplicatio non minuit alterum extremum: sed illa propositio: Christus est creatura, est falsa: Ergo etiam hæc: Christus, in quantum homo, est creatura, erit falsa. Hinc Mastrius *num.* 223. ait, non rectè discurrere Thomistas, qui negant hanc: Christus est creatura, & concedunt hanc: Christus, vt homo, est creatura.

Hoc argumentum iam diluerat D. Bonauentura, à quo illud commodarunt; particulam, *in quantum homo*, diminuere de Christo, ita vt non totus, sed ratione vnius partis (sumpta parte lato modo) idest naturæ humanæ subiiciatur prædicato *creatura*, & quamvis propositio reduplicatiua vera non minuat, immò formalizet, vt cùm dico: homo, in quantum homo, est rationalis; tamen illa, quæ est specificatiua, minuit: hæc autem specificatiua est, non reduplicatiua, vt supra ostendi. Ità respondet Vasquez, Suarez, Medina, & alij, qui afferunt aliquas propositiones in exemplum, v. g. Christus, in quantum homo, est mortuus.

111 Instat Faber *num.* 7. nos egregiè decipi, quia propositio de inesse præiacens, est absolutè vera; particula verò *in quantum*, est reduplicatiua, quia indicat causam, ob quam tale prædicatum conuenit Christo absolutè.

Respondetur, eum potiùs præclarè esse deceptum; nam, *in quantum*, specificat illud, ratione cuius prædicatum inest subiecto, neque verò propositio de inesse est absolutè vera formaliter, sed solùm per communicationem idiomatum, & particula, *in quantum*, exprimit, seu specificat rationem cuius

112 hæc sit vera formaliter, non autem reduplicat, vt suprà ostendi.

QVÆSTIO VII.

Vtrum hæc sit vera: Christus *incepit esse.*

D. Bonau. dist. 11. art. 2, quæst. 1.
D. Thom. q. 16. art. 9.

Qvamvis D. Bonau. cum D. Thom. titulum instituat tantum: An possit dici: hic homo (Christo demonstrato) incepit esse, tamen de aliis etiam nominibus Christi agere oportet, quia variant sensum. 113

Primò Durandus 3. *dist.* 11. *quæst.* 1. *num.* 8. docet, hanc: Filius Dei incepit esse, falsam esse. Hanc verò: Christus, vel Hic homo incepit esse, si referatur ad suppositum ratione ipsius, esse falsam; si referatur ad illud ratione naturæ humanæ, esse verum. Censet verò, hanc esse sententiam D. Thom. *hic*: Pro hac Vasquez *disp.* 67. adducit Magistrum *dist.* 11. D. Bonauenturam hìc, Bassolium *quæstione vnica, art.* 3.

Secunda sententia est, hanc propositionem: Hic homo (ostenso Christo) incepit esse, falsam esse, seruata propria vocum significatione, atque adeò etiam alias: Deus, Verbum, Emanuel, Christus, seu Iesus incepit esse. Ità D. Thom, quem sequuntur omnes discipuli *ad hunc articulum.* Capreolus *in* 3. *dist.* 11. *quæstione vnica, art.* 1. *concl.* 2. Richardus *art.* 3. *quæst.* 1. Maior *quæst.* 1. Paludanus *dist.* 22. *quæst. vnica, art.* 3. Gabriel *dist.* 7. *quæst. vnica, art.* 2. *concl.* 5. Lugo *disp.* 23. *sect.* 5. *num.* 107. 114

Tertia opinio est, hanc esse falsam: Verbum incepit esse: illam verò: Hic homo, vel Christus incepit esse, esse veram, seruata proprietate sermonis. Ità Scotus *in* 3. *dist.* 11. *q.* 3. Mastrius *disp.* 2. *n.* 319. Lichetus *quæst.* 3. Fauentinus *disp.* 26. & videtur Alensis 3 *part. quæst.* 6. *memb.* 1. §. 1. quod attinet ad posteriorem propositionem, Suarez *ad art. D. Thom.* Valentia *quæst.* 16. *punct.* 2. Vasquez *disp. cit.* Mærac. & alij apud Morandum, qui tamen addunt, cautè enunciandam, sicuti & illam: Christus est creatura, ob idem periculum.

Opinio Seraphici est, hanc propositionem: Verbum incepit esse, falsam esse omnino, neque per communicationem idiomatum posse verificari, quia communicatio idiomatum fit quoad ea prædicata, quæ nullo modo repugnant, neque includunt aliquid repugnans supposito Verbi, seu alteri naturæ, vt ait *in corpore*, & nos diximus *quæst.* 1. circa finem. Incipere autem esse est aliquid repugnans Deo, quia illud, quod incipit esse, ante non erat, quod quidem Deo, seu Verbo repugnat. Igitur, licet dicas: Deus incipit esse homo, quia ante non erat homo, non tamen potest dici absolutè: Verbum incipit, quia antea erat; significat enim personam, vt ait S. Bonau. *dist.* 18. *dub.* 2. *litt.* 115

Deinde docet, propositionem: Iste homo incepit esse, si demonstret suppositum, esse falsam, etiam per idiomatum communicationem, vt dixi; si verò demonstret singulare naturæ hominis, esse veram.

Hunc modum definiendi carpit Vasquez *num.* 2. nam quod aliqua propositio egeat distinctione, & explicatione, vt concedatur; ex duplici causa potest oriri. Primò si absolutè prolata possit esse occasio erroris Secundò, quia vocibus æquiuocis constet; neutra autem de causa hæc nostra propositio eget 116

distinctione, & explicatione; nam quamvis ea propositio possit esse causa erroris, sicut illa: Christus est creatura; nisi explicetur; tamen nunc controuersia non est: an ratione periculi audientium concedi debeat, sed; vtrum seruata proprietate sermonis, & nullo existente periculo concedi debeat. Neque verò in ea propositione est aliqua vox æquiuoca explicationis indigua, quia, quamvis vox Christus possit esse æquiuoca, eò quòd aliqui eam accipiunt pro natura humana in Verbo, aliqui pro ipso Verbo; tamen hæc vox: Hic homo non est æquiuoca, & ita non est necessaria distinctio illa, sed cum cæteris, vel est absolutè concedenda, vel neganda, vt notat Paludanus. Ideò definit Vasquex, non posse dici: Deus Verbum, aut Emanuel incepit esse, neque Iesus, aut Christus incepit esse, si supponatur pro persona, & hoc propriè significari nomine Christi, vel Iesu.

Addit, quod si supponatur pro natura humana, sicut nomen *homo*, vel *hic homo*, tunc posse dici incepisse, sicut de illa: Homo, vel hic homo incepit. Ecce etiam ipse distinctione vtitur; idem verò est Christus; & hic homo, vt dixi. Quare in sententiam D Bonauenturæ descendit.

117 Hæc tamen friuola sunt. Primò quidem in dogmatibus Theologicis non est perpendenda solùm proprietas vocum, sed etiam quomodo accipi possit; &, an hæreticorum dictis arridere valeat; an sit malè intellectum olim, aut intelligibile, vt notat D. Bonauent. *distinct*.11. *artic*.2. *quæst*.1. *in corpore*, vbi eam perpendit propositionem: Christus est creatura, cui similis est etiam hæc: Christus incepit esse. De ratione enim creaturæ est esse ex nihilo, & habere esse, cùm antea non haberet. Ideò rectè distinguenda fuit hæc propositio; ideò & ipse Vasquez *disp*.65. *cap*.2. ita definit: An Christus sit creatura, vt caueamus à periculo. Ecce igitur prima causa, ob quam distinguenda fuit propositio.

118 Deinde verò vox Christvs æquiuoca esse posset, nam aliqui PP. volunt, significare suppositum. Ità Damascenus 3. *de fide*, *cap*.3. vbi ait: *Christi porro vocabulum personæ esse dicimus, vt quod non vnimodè dicatur, sed duplicem naturam significet, ipse enim seipsum vnxit*. Idem docet Nicetas *lib*.3. *Thesauri*, *cap*.3. Idem habet S. Bonau. *dist*.18. *dub*.2. *littera*.

E regione alij PP. asserunt, Christum esse nomen naturæ, ita vt significet naturam humanam
vnitam, seu illum hominem deitate ipsa vnctum,
119 & sanctificatum. Ità Origenes in illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, explicans illud Psal. 44. *Propterea vnxit te Deus*. Idem sentit Athanasius *oratione contra Arrianos*, post quartum sermonem in illa verba: *Ex Deo, Deus est Verbum*, ita enim loquitur in persona Christi: *Ego enim sum Chrisma, sive Vnctio, Christusque, sive vnctus homo est, qui à me assumptus est*. Idem docuit Paulinus Aquilensis *in libro sacrosyllabo*, apud Concilium Francoford. His adde Fulgentium *lib*.3. *ad Trasimundum*, *cap*.13. & 14. Damascenum *lib*.4. *de fide*, *cap*.6. Hi omnes dicunt, nomen Christvs significare idem, atque hominem hunc, vt etiam fatetur Vasquex *cap*.2. Quare æquiuocatio magna latebat in voce hac Christvs, & consequenter in hac: *Hic homo*, vnde necessaria erat distinctio. Adde, Seraphicum ita instituere quæstionem cum D.Thom. sub hoc titulo: Vtrum hæc sit vera: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse, quare, etiamsi non esset æquiuocatio in hac voce: *Hic homo*, tamen quia hac supponitur, & demonstratur Christus, quo nomine fatetur Vasquez latere æquiuocationem, rectè Seraphicus distinxit eam propositionem. Præterea latebat aliqua æquiuocatio in verbo *incepit*, vt ostendam infrà.

Assero primò, non licere dicere: *Deus Ver-* 120
bum incepit esse. Ita omnes.

Probatvr à Scoto ratione hausta ex D. Bonauent. *in secunda opinione corporis*, & *argumento vltimo*.

Qvotiescvmqve in aliqua re sunt duo esse, quorum alterum est primarium, & substantiale; alterum verò secundarium, & adueniens rei substantialiter constitutæ; Ex eo quod res illa acquirat illud esse secundarium, non dicitur simpliciter incipere esse, sed incipere esse taliter: at in Verbo sunt duo esse: alterum primarium diuinum: alterum aduentitium, nempè esse hominis: Ergo ex eo quod incepit esse tali modo, idest humano, non bene dicetur simpliciter: incepit esse. Maior explicatur a D. Bonauentura exemplis: Scutum æreum è fodina iam expressum, postea pingitur, & insignibus Regis insculpitur, non dicitur tunc: Scutum nunc incipit esse; sed incipit esse depictum, sculptum, &c. Similiter cùm paries iam existens dealbatur, non dicitur paries incipit; sed incipit esse albus.

Vasqvez eodem modo loquitur de hac voce: Emmanvel incepit esse; at ego non video quo fundamento: nam Emmanuel significat: *nobiscum Deus*, hoc autem exprimitur, qua ratione inceperit, nempè quatenus nobiscum est conuersatus.

Vrgeo, nam ipse *numero* 12. concedit ex PP. 121
has: Deus est recens: Deus est temporalis: Deus initium subiuit: Intemporeus principium recepit temporale: Tempore vacans initium sumpsit. Cur etiam Emmanuel (qui idem significat) non admittitur incepisse?

Assero secundò. Christus, vel hic homo incepit esse; si suppositum signent, non sunt propositiones concedendæ.

Probatvr à D. Bonau. primò ex illo Ioan. 8. 122
Antequam Abraham fieret, ego sum, idest, ante mundum, & ab æterno, Ideò enim non dixit: Ego fui ante Abraham, sed, *sum*, vt sibi adscriberet illud Exodi 3. *Ego sum qui sum*, vt notat D.Bonau. ad eum locum ex D. Gregorio *homil*.18. *in Euang*. ante medium. Et D. Augustino *Tract*. 43. *in Ioannem*.

Probatvr secundò à D. Bonauentura, quia persona Verbi est æterna de fide: *Credo in Iesum Christum Filium eius vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula*.

Assero tertiò. Si hæc nomina significent naturam hominis singularem, concedi possunt: Christus, aut hic homo incepit esse.

Probatvr à D.Bonau. primò ex PP. D.Augu- 123
stinus tract. 105. in Ioannem ait: *Antequam mundus fieret, nec nos eramus, nec mediator noster Christus*. Si ergo non erat, incepit esse. Deinde Nazianzenus *oratione* 35. *num*. 72. dicit, Christum esse factum, & de eo explicat illud Hebr. 13. *Christus heri, & hodie*, pro tempore vitæ mortalia, vbi ait: *Tempore vacans initium sumit*, vbi idem habet Nicetas. S. Leo Papa *serm*. 3. *Pentec*. *cap*. 2. dicit, Christum esse temporalem. Sophronius epistola illa, quæ est in sexta Synodo *act*. 11. ait, Recentem hunc ipsum Christum, & sempiternum appellari.

Probatvr secundò à D.Bonau. argumento, quo 124
vtitur Scotus. Quandocunque aliquid substantialiter generatur,

generatur, dicitur incipere esse, etiamsi sola forma incipiat, puta cùm animatur fœtus in vtero matris, dicitur: Sortes, seu hic homo incipit esse, quia incipit compositum: at Christus substantialiter conceptus est, & genitus in tempore: Ergo incepit esse. Neque verò est idem: Verbum concipitur, & generatur: & Christus generatur; nam Verbo natura humana est secundaria, & aduentitia: at verò Christo est substantialis, & primaria, vt notat S.Doctor *hic ad* 4. & *quæst.* 3. *in corpore*.

ADVERTA tamen, non esse accidentariam simpliciter, quia vnitur substantialiter; esse tamen ad modum accidentis, quia aduenit enti completo, & ex gratia, non ex natura.

NEQVE verò nomen Christus hîc supponit pro supposito, sed pro isto composito ex humanitate, & Deitate subsistentibus in Verbo vnitur: hoc autem compositum in tempore genitum est. Humanitas quidem formaliter; Verbum autem per communicationem idiomatum: Hinc D.Vigilius lib 5. contra Eutychem: *Christus*, ait, *ipse vnus, & idem est, & creatus, & non creatus, habens initium, & initio carens.*

125 RESPONDET Vasquez *cap.* 4. hunc modum loquendi denotare initium in esse primario, quod est esse simpliciter Verbi, non in esse secundario. quod est esse humanitatis, sub qua subsistit Verbum.

VARVM fallitur Vasquez; nam esse simpliciter est, quo res simpliciter incipit esse; Christus autem sicut simpliciter dicit illud, veluti compositum: ita eo incipiente, incipit esse, etiamsi partes præextitissent. Quare sicuti Petrus inciperet esse simpliciter cùm animatur, & fit compositum hominis, etiamsi anima, & corpus præextitissent, ita & in casu nostro, ex quo patet, verbum *incipit* pati aliquam æquiuocationem apud Vasquez.

AFFERT D.Bonauentura multa argumenta probantia, hanc propositionem esse veram absolutè absque distinctione, ea verò ipse soluit.

126 CIRCA nomen IESVS, videtur S.Bonauentura *dist.*11. *quæst.vlt. in corpore* velle, esse nomen singularis naturæ, & ideò concedendum: incepit esse: Attamen *dist.*18. *dub.* 2. *litter.* ait IESVM significare personam ex Diuina natura relatam ad humanam, quia dicitur Salvator est, & hoc pacto si significet hanc relationem, profectò incepit esse.

OBIICIES primò pro parte affirmatiua. Ante creationem mundi verum erat: Nullus homo est, & est falsum: aliquis homo est: sed Christus est homo, & nunc est: Ergo ante non erat: Ergo incepit.

RESPONDET S.Doctor, licèt formaliter verum sit: Nullus homo est ante mundi constitutionem, tamen identicè non est verum: Ille, qui nunc est homo, fuit ante mundum; homo enim se habet ad modum termini accidentalis respectu personæ Verbi; natura enim humana est aduentitia Verbo. Quare persona Verbi, qua nunc constituitur hic homo, fuit etiam ante mundi constitutionem.

127 OBIICIAS secundò. Propositio aliquid implicans infert id, quod in ea implicatur: In hac autem propositione: Iste homo est, vel fuit ab æterno, implicitè clauditur hæc: Iste fuit ab æterno homo, sicuti in hac: Iste homo est, includitur: Ergo iste est homo. Homo albus currit: Ergo homo est albus: Sed hæc est falsa: Iste (demonstrato Christo) ab æterno fuit homo: Ergo & hæc: Iste homo fuit ab æterno. Nunc autem est vera: Ergo incepit.

RESPONDET S.Doctor; id, quod implicatur in propositione, inferri ex ipsa propositione illud implicante; sed secundùm eam differentiam temporis, secundùm quam includitur. Vnde bene sequitur: si homo albus currit, homo est albus. Sed hæc: Iste ab æterno fuit homo, dicit affirmatiuam formalem solùm pro præsenti, & identicam pro præterito. Vnde licet iste ab æterno non fuerit homo, tamen iste, qui nunc est homo, idest Filius Dei, fuit ab æterno. Sicuti igitur non sequitur: Hoc album fuit heri (suppono parietem:) ergo heri fuit album. Mutatur autem suppositio; vt in altera subiectum propositionis sit materiale; in altera formale.

OBIICIES primò, pro negatiua absoluta cum D.Thomas, & asseclis: Proprium est pronominis poni pro nomine proprio, & designare certam personam: Ergo cùm dico: Iste homo incepit, significatur persona Christi incepisse: Sed persona Christi est æterna: Ergo. Si dicas, personam ibi largè accipi, adhuc non euitas argumentum, quia falsum est: Hoc incepit esse: Ergo verum est. Prius non fuit: at quocunque modo falsa est: Iste homo non fuit prius, quia suppositum Verbi ab æterno fuit. Similiter pro supposito, latè sumpto, est vera per communicationem idiomatum: Iste homo ab æterno fuit; sicut enim verum est: Homo est Deus, ita verum est: Est æternus; & cæteræ proprietates Dei de eo verificantur. 128

RESPONDET D.Bonauentura, particulam *Iste* significare etiam indiuiduum singulare naturæ, sicut cùm dico: Hic calor. Igitur particula *Iste*, significat singulare naturæ hominis assumptum à Verbo. Vel significat hypostasim facta demonstratione, non ad sensum, sed ad intellectum, non vt vult Scotus, vt supponit pro persona, provt habet esse in humana natura; nam esse, quod habet Verbum in humana natura, est ei aduentitium, & per accidens, vnde non potest denominare ipsum simpliciter, quod inceperit, vt dixi in prima assertione: Sed dico, supponere hypostasim ad intellectum, non ad sensum, idest, non propriè suppositum, provt vidimus, sed naturam humanam, provt concipitur hæc indiuiduata per suam materiam, & formam: Et si obiicias, quod in vtroque sensu est falsa, quia hæc in vtroque sensu est vera: Ille homo semper fuit. 129

RESPONDET S.Bonauentura, negando consequentiam, quia plus aufert negatio, quàm ponat affirmatio opposita. Sic cùm dico: Christus non est mortalis, tollit omninò à Christo mortalitatem, quando verò dico: Christus est mortalis, ponit eam solùm pro natura humana: & ita potero dicere: Christus est mortalis, & immortalis, etiam si oppositæ sint, quia altera ponit pro vna natura tantum: altera pro altera, non tamen potero dicere: Est mortalis: Non est mortalis. Ita igitur magis negatur in hac: Iste homo non fuit, quàm in hac: Iste homo incepit esse, quæ est affirmatiua, licèt includat negationem: Hæ enim possunt esse simul veræ: Iste homo est æternus; &: Iste homo incepit esse; sed istæ duæ nunquam: Iste homo est æternus: Iste homo non est æternus, & ideò non potest concludi, quod prædicta locutio sit falsa simpliciter. 130

OBIICIES secundò: Ille terminus HOMO dictus de Christo, habet quodammodo naturam termini accidentalis, quia in termino accidentali suppositum potest præexistere formæ, v.g. paries albedini; sic & in proposito suppositum Verbi præexistit naturæ humanæ: at terminus accidentalis supponens 131

Verbo de præterito, potest supponere pro præsentibus, vel præteritis, ita vt indifferenter possit reddere locutionem veram pro illis, vel illis. Cum ergo dicitur: Iste homo fuit, sensus est: Iste, qui est homo, fuit; vel iste, qui fuit homo, fuit; sed ista est vera: Iste, qui est homo ab æterno, fuit: Ergo & hæc: Iste homo ab æterno fuit: Ergo hæc est falsa simpliciter: Iste homo incepit esse, & nullatenus est distinguenda.

132 RESPONDET D. Bonauentura, quod homo habet modum supponendi termini accidentalis in respecto ad personam Verbi, quæ ab æterno præextitit, cuique aduentitia est humanitas: sed in ordine ad singulare hominis est substantialis, quia hic homo substantialiter constituitur humanitate. Vnde quando iste homo demonstrat singulare hominis necessariò ad idem tempus respicit suppositum importatum per pronomen, & forma importata per nomen, & ideò hæc est falsa: Ille homo fuit ab æterno, nisi intelligatur per communicationem idiomatum; nam per proprietatem verum est dicere: Ille homo exiuit de non esse ad esse per generationem.

133 OBIICIES vltimò hæc propositio: Christus incepit esse, damnata est Parisiis, & ab Alexand. IV. vt refert Caietanus.

RESPONDETVR, eam fuisse damnatam, sic absolutè prolatam, non autem data distinctione, quam supra adhibuimus.

QVÆSTIO VIII.

An hæc sit concedenda: Hic homo incepit esse Deus.

D. Bonau. dist. 11. q. vlt.
D. Thom. q. 16. art. 10. & in 3. d. 11. q. 1. art. 2. q. 1.

134 NONNVLLI antiqui Theologi relati à Seraphico dixerunt, de hac propositione nil absolutè posse pronunciari: sed opus esse distinctione, vt si Homo accipiatur pro forma hominis, sit vera; si autem pro supposito, sit falsa.

ALII docuêre, eam absolutè esse falsam, quia significat suppositum incepisse: Ità Richard. *in 3. dist. 11. art. 3. quæst. 2.* Gabriel. *dist. 7. quæst. vnica. art. 2. post quintam conclusionem.*

TERTIA est D. Bonauent. *loco cit.* quamvis, si terminus ille: Hic homo, supponeret pro persona, esset falsum: Hic homo incepit esse Deus, quia si positum incepisset esse Deus; tamen quia magis supponere videtur pro natura singolari; simpliciter esse veram: Idem censet Alens. *3. part. quæst. 6. mem. 1. §. 1. ad 1.* Altisiod. *lib. 3. summa, tract. 1. cap. 1. quæst. vlt.* quos sequitur Vasquez *disp. 67. cap. 6.*

135 ADVERTE autem Seraphicum suprà *quæst. 7.* distinguere hanc: Homo incepit esse: hic verò non; quia pro eodem accipiebat hos terminos: *Hic homo, & Christus*; at Christus, apud Patres, variè accipitur; hic autem solum hominem nominat, quem Iesum vocat indiuiduum hominis: Christus verò magis videtur significare personam, vt notat in fine corporis, quamvis autem, apud illos PP. Christus, & ille homo idem significent, vt dixi *quæst. 7.* tamen communiter, vt ait S. Bonauentura hic homo magis perspicuè significat indiuiduum hominis.

136 ASSERO cum hac sententia: *Hic homo incepit esse Deus*, esse admittendum.

PROBATVR à S. Doctore primò. Ista est vera: Deus incepit esse homo: Ergo à simplici conuersione, Homo incepit esse Deus.

PROBATVR secundò à S. Doctore ratione, qua vtitur Vasquez: Sumo instans incarnationis: Ante vnionem hic homo non fuit Deus; & post illam est Deus: Ergo incepit esse Deus: si autem dicas, ante vnionem illum hominem fuisse Deum; sequitur vnionem non fuisse causam, vt ille homo esset Deus.

PROBATVR tertiò à S Doctore: Antequam hic 137
homo esset Deus, nec homo erat homo, nec aliud, sed homo incepit esse homo; & homo non potuit antè esse Deus, quàm esset homo: Ergo si homo incepit esse homo, homo incepit esset Deus.

HOC modo asseritur à D. August. lib. de prædest. Sanctorum, cap. 15. vbi ait: *Nonne faciente, ac suscipiente Verbo, ipse homo, ex quo esse cœpit, Filius Dei vnicus esse cœpit?*

OBIICIES primò. Hic homo (ostenso Christo) ab æterno fuit Deus (non fuit enim creatura, sed Creator:) Ergo hic homo non incepit esse Deus.

RESPONDET S. Doctor, & cum eo Vasquez, eam veram esse per communicationem idiomatum, si pronomen (*iste*) significet singulare hominis: attamen esse adhuc veram proprietate naturæ: Ille homo incepit esse Deus, conuenit enim dici contraria de eodem, vt mortalem, & immortalem. Per hoc soluitur secundùm à D. Bonauentura.

OBIICIES tertiò: Communicatio est in idio- 138
matibus: Ergo si hæc est vera: Hic homo incepit esse Deus; erit vera & hæc: Dei Filius incepit esse Deus.

RESPONDET S. Doctor, in communicatione idiomatum hanc regulam attendendam, quod omnia communicantur, exceptis primò his, quæ dicunt vnionem in fieri; fundatur enim communicatio in ipsa vnione facta, vnde licèt hæc sit vera: Filius Dei est incarnatus: hæc tamen est falsa: Homo est incarnatus. Deinde exceptis, quæ claudunt intellectuum repugnantiam, vt esse creaturam, esse prædestinatum. Ex primo autem capite impeditur communicatio idiomatum, cùm dicitur: Homo incepit esse Deus; nam ibi importatur vnio in fieri.

OBIICIES quartò. Si Verbum. (per impossibile) 139
dimitteret humanitatem, tunc hæc esset falsa: Iste homo desinit esse Deus: Ergo similiter falsum est: Homo incepit esse Deus, cùm assumpsit.

RESPONDET D. Bonauent. quod tunc verum esset: Homo desinit esse Deus: Homo quidem erit semper Deus, quamdiu vnio durabit; quæ si soluatur, nullo modo ampliùs verum erit: Homo est Deus: Nec est simile de altera particula: *Incipit*, & quæ non ponit tantum, quantum aufert negatiua opposita.

QVÆSTIO IX.

An hæc sit vera: CHRISTVS, *in quantum homo, est Deus.*

D. Bonau. dist. 10. q. 1.
D. Thom. q. 16. art. 11.

D. THOMAS duo docet: alterum est, si homo 140
accipiatur pro indiuiduo naturæ humanæ, esse falsam propositionem: alterum est, si accipiatur pro supposito, veram esse.

ADDIT verò *ad 3.* si huic nomini HOMO addatur particula *Iste*, esse veram propositionem, quia ratione huius pronominis supponitur pro persona.

Hanc

Hanc sententiam sequitur Caietanus, & alij Recentiores Thomistæ *ad hunc art. D. Thomæ*. Consentit Richard. *in 3. dist. 10. art. 1. quæst. 2. in corpore*, & ad *secundum*, Capreol. *quæst. 1. art. 1. concl. 1. & 3.*

141 ALENSIS *3. part. q. 6. mem. 2. art. 2.* ait, particulam *in quantum*, tribus modis accipi: Primo vt denotat causam, ita vt Christus sit Deus propter naturam humanam, & hoc modo est falsa: Secundo modo sumi potest, tanquam conditio (melius diceret ratio,) ita vt ratione naturæ humanæ sit Deus; & hoc modo etiam est falsa: Tertio modo sumi potest vt indicet vnitatem personæ, & sic vera est; facit enim sensum, Christum, quatenus est ille, qui est Deus, esse Deum. Verum enim verò duo primi modi in vnum componuntur à D. Bonauentura vt dicam.

QVOAD illam verò propositionem: Christus, in quantum est hic homo, est Deus: Idem eodem modo distinguit: si enim sumatur *in quantum*, vt denotat causam vel conditionem naturæ, est falsa; si pronomen, *hic*, significet indiuiduum hominis; si verò indicet suppositum, erit vera: Consentire videtur his Marsil. *3. quæst. 8. art. 3.*

ALII tamen omnino eam propositionem damnant. Ita Durand. *in 3. dist. 10. quæst. 5. ad 3.* Palud. *quæst. 1. art. 1. concl. 2. & 3.* & eodem modo eam reprobant additam particula, *In quantum hic homo*, sequitur Vasquez *disp. 69.* Inclinat Suarez, *ad art. D. Thom.* Lugo *disp. 25. sect. 6.* dicens esse communem Theologorum.

142 SENTENTIA D. Bonau. est, particula (*in quantum*) vel (*secundùm quod*) posse habere rationem causæ, seu rationis formalis, & hoc modo ait, esse falsam, quia profectò conditio opposita, in quantum homo, non est causa, vt Christus sit Deus: Secundò potest significare indiuisionem concomitantiæ, idest, prout significat personam, cui consociata est indiuisibiliter natura humana, & licèt hoc modo sit vera propositio, tamen est improprius sensus: & ideò concludit propositionem in proprio sensu esse falsam.

ASSERO, hanc propositionem in sensu proprio esse falsam.

143 PROBATVR à S. Bonauentura ratione, quam desumpsêre Durandus, Paludanus, & Vasquez. Omne illud, quod conuenit alicui secundùm quod ipsum, vel est nota perseitatis, seu prædicationis per se, vt ait Aristot. *1. Poster. cap. 4.* & dixi *quæst. 6.* & est, vel per se accidens, vt album, secundùm quod album; vel est definitio, v.g. homo, vt animal rationale, vel pars definitionis, vt homo in quantum animal, & hæc est specificatiua; vel homo in quantum homo, & est reduplicatiua: Iam verò particula, *in quantum*, in hac propositione, non est nota perseitatis, quia non replicatur totum subiectum; & si esset nota perseitatis, esset falsa: Homo in quantũ homo, quia sicut non prædicatur per se Deus de homine; ita etiam non potest prædicari cum particula perseitatis reduplicatiuè. Igitur (*In quantum*) est particula specificationis, & determinationis in proprio sensu: at hoc modo est falsa, quia facit sensum: Per illam naturam, quæ determinatur à particula (*in quantum*) conuenit Christo esse Deum, nempè per humanam, quod est falsum.

144 PROBATVR à S. Doctore: Quæ sunt infinitè disparata, non prædicantur de eodem, secundùm idem; sed esse Deum, & esse animal, sunt prædicata infinitè disparata: at Christo conuenit esse animal, secundùm quod homo: Ergo esse Deum non conuenit illi secundùm humanitatem.

PROBATVR tertiò: Christus, secundùm quod Deus, caret principio: si ergo est Deus, secundùm quod homo: Ergo Deus, secundùm quod homo, caret principio; sed secundùm quod homo habet principium: Ergo secundùm quod habet principium, caret principio: ergo oppositum est ratio sui oppositi, quod est absonum.

PROBATVR quartò à S. Doctore: Si aliquid conuenit alicui ratione illius, illo remoto non conuenit amplius ei: Si ergo Christus est Deus in quantum homo, iam si non esset homo, non esset Deus. 145

OBIICIES primò: Glossa ad illud Philip. 2. *Dedit illi nomen*, ait: *In quantum homo assumpsit nomen Dei*, verè ergo secundùm quod homo, est verè Deus.

RESPONDET D. Bonau. primò, assumpsisse illud nomen per communicationem idiomatum, quia homo ille est Deus.

RESPONDET secundò, assumpsisse, idest acquisiuisse, in quantũ homo: Itaque particula, *in quantum* non cadit super Hominem, sed super acquisitionem.

OBIICIES secundò: *Christus fuit prædestinatus Filius Dei in virtute*, Rom. 1. sed prædestinatus est, vt homo: ergo in quantum homo est Filius Dei. 146

RESPONDET S. Bonauent. particulam, in quantum, significare potius concomitantiam, vt dixi supra, quia natura humana est vnita Verbo.

OBIICIES tertiò: Christus secundùm gratiam vnionis est Deus, & homo: gratia autem vnionis, & quælibet alia gratia conuenit Christo, vt homo: Ergo vt homo est Deus.

RESPONDET S. Doctor, ex eo, quòd homo sit Deus per gratiam vnionis, non tamen sequi quòd sit Deus secundùm quod est homo, quia gratia vnionis non conuenit illi homini, secundùm quòd homo est simpliciter, sed secundùm quod est homo vnitus. 147

OBIICIES quartò: Christus secundùm quod homo dimittebat peccata, Matth. 9. *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata*: Ergo secundùm quod homo est Deus: *Quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

RESPONDET D. Bonauentura, negando antecedens, nisi accipiatur ratione vnionis: Vel dic, habuisse eam potestatem meritoriè, vt homo.

QVÆSTIO X.

An hæc sit vera: CHRISTVS, *secundùm quod Homo, est persona.*

D. Bonau. dist. 10. quæst. 2.
D. Thom. art. 12.

PRIMA opinio est, hanc propositionem esse veram, si accipiatur concretum: *Homo*, pro supposito: quod si accipiatur pro natura, vt sensus sit, naturæ humanæ in Christo conuenit esse in aliqua persona; vera est. Si verò sonet: Naturæ humanæ in Christo conuenit esse in propria persona; est falsa, Ita D. Thom. *hic*, vt Caietanus, & Recentiores Thomistæ, Capreol. *in 3. dist. 10. quæst. vn. art. 1. concl. 2.* & ferè Suarez *ad art. D. Thomæ*. 148

SECVNDA opinio est Vasquez *disp. 69. cap. 2.* hanc propositionem in nullo sensu proprio esse falsam. Arridit Lugo *disp. 23. sect. 6.*

TERTIA sententia est, eam propriè esse falsam: Ita D. Bonau. *hic, dist. 10. quæst. 2.* quem sequuntur Durand. *quæst. 1. n. 8.* Palud. *quæst. 1. art. 1.* Richard. *art. 1. quæst. 1.* Sic Alens. *3. part. quæst. 6. mem. 3.* Altisiod. *lib. 3. summa, tract. 1. cap. 1. quæst. 8.* Nec longè abeunt Gabriel. *eadem d. quæst. vnic. art. 3. dub. 1.* Maior *quæst. vnica*, Bassol. *quæst. vnica, art. 1. ad 1.* 149

Vulpes

Vulpes *disp.* 18. *art.* 12. Arridet Lugo *disput.* 23. *sect.* 5. ex parte.

Assero cum hac sententia, dictam propositionem esse proprie falsam.

150 Probatvr à D. Bonauentura primò: Nil conuenit Christo secundùm quod homo, quod non sit assumptum, vel consumptum; sed Filium Dei assumpsisse personam, est falsum, & hæreticum, vt probat Magister *dist.* 5. & ait D.Fulgent. *de fide ad Petrum, cap.* 17. Ergo.

Probatvr secundò à S.Bonauentura: si Christus, vt homo, est persona, cum esse hominis incepcrit in Christo: Ergo & persona: Ergo non est persona æterna, quod est impium.

Respondet Vasquez, nomen, *homo*, etiam si sumatur pro natura concretè significata, indirectè denotare suppositum, & ideò particula, *in quantum homo*, claudit suppositum.

151 Verum non obseruauit, hanc in eius sententia esse specificatiuam, & determinatiuam ad id solùm, quod potest distingui, & specificari ad distinctionem eius, quod Deum respicit: Ergo sensus est: Christus, non in quantum ad id, quod Dei est, sed quantum ad id, quod assumptum, & creatum est, est persona; hoc autem pacto quis non videt argumenta S. Doctoris conuincere?

Probatvr tertiò à S.Doctore, ad hoc quidem confirmandum: Impossibile est, idem numero prædicatum inesse eidem secundùm naturas differentes: sed Christus est persona vt Deus: Ergo non conuenit ei esse personam vt homo; vel si conuenit, erunt duæ personæ, quod est Nestorij.

Probatvr quartò à D.Bonauent. Personalitas inest ratione eius, quod est in ipsa dignissimum; sed humana natura non est id, quod est dignissimum in Christo: Ergo. Maior patet; nam dignissimum in Christo est Verbum, cui est coniuncta, & sanè vnione personali, quæ prohibet pluralitatem personarum.

152 Respondet Vasquez, falsum esse, non posse dici personam ratione minus nobilis naturæ, siquidem ratione vtriusque naturæ in Christo eadem persona dicitur humana, & Diuina, creata, & increata, hoc tamen solùm verum esse addit, cum minus nobilis natura est vnita nobiliori in eodem supposito, vt est in Christo, minus nobilem non habere propriam personam: quia tamen illa propositio: Christus, in quantum homo, est persona, non reddit hunc sensum: Christo secundùm humanitatem conuenit propria hominis persona, ideò hoc medio nil probatur.

153 Verum Vasquez latiùs gyrat, vt effugiat argumentum. Primò quidem non ait S.Doctor, personam non posse dici ratione naturæ minus nobilis, sed non posse venire ex natura minus nobili, vnita hypostaticè nobiliori: Ratio S.Doct. est, quia cùm personalitas dicit vltimum complementum excellentiæ, debet ex nobiliori prouenire: Tunc sic arguit:

Qvandocvnqve sunt duæ naturæ vnitæ in hypostasi, seu persona, quarum altera est nobilior, altera ignobilior, non potest illa vnica persona venire à natura ignobiliori, ita vt specificatiuè conueniat ei ratione minus nobilis, sed ita res se habet in Christo: Ergo. Quod verò ait Vasquez, propositionem non reddere hunc sensum: Christo secundùm humanitatem conuenit propria hominis persona, sed potius Christo in natura humana conuenit esse personam; futile est, & extortum; nam particula, *in quantum*, ampliùs dicit, nempè conuenire ex natura humana.

154 Alioqvi, si hoc solùm significaret, verum esset dicere: Christus, in quantum homo, est Filius genitus ab æterno; nam hypostasis filij est in humanitate eadem ratione.

Ex his habes, non benè Suarez, *ad art. cit. D.Th.* asserere, in sensu proprio hanc propositionem significare ex mente D.Bonauent. & aliorum tertiæ sententiæ, Christum vt subsistentem in humana natura, & hoc modo specificatiuam, *in quantum*, reddere verum: Ipse enim negat hoc modo significare propositionem propriè, quod ex solutionibus argumentorum patebit.

Obiicies primò: Christus non est homo, nisi quia est iste homo; sed prout est iste homo, est persona: Ergo.

155 Respondet S. Doctor, particulam *iste*, posse demonstrare naturam humanam in athomo, illud nempè compositum ex anima hac, & corpore isto, & hoc modo est falsa: Christus, in quantum est iste homo, est persona: Neque verò particula *iste*, exprimit semper personam propriè; dicitur enim etiam hic calor, ista albedo: Si autem particula *iste*, demonstrat personam, tunc est vera, & est sensus: Christus, secundùm quod est iste, qui est homo, est persona; sed tunc non sequitur: Ergo secundùm quod est homo, imò est sophisma secundùm accidens; nam in priori est sensus identicus, & materialis; in illatione verò infertur formalis.

Obiicias secundò: Christus, vt homo, est res completa; sed ad completum requiritur personalitas: Ergo.

156 Respondet D.Bonauent. esse completam, sed complementum personæ humanæ compensari à Diuina, & ita si dimitteretur à Verbo, emanaret ab ea modus personalitatis propriæ standi per se: Cætera facilia sunt.

QVÆSTIO XI.

An hæc sit vera: Christvs, *vt homo, est Indiuiduum.*

D.Bonau. dist. 10. q. 3.
D.Thom. q. 16. art. 12.

157 Assero primò, si Indiuiduum sumatur pro eo, quod est vnum indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio, Christus, vt homo, est indiuiduum.

Certvm est enim, non esse aliquid vniuersale, quia vt ait Damascen. 3. de fide, cap. 11. *Verbum assumpsit naturam in atomo*, id est, singulari.

Certvm etiam est, eum habere tales proprietates, quæ nulli alij simul conueniunt, hæc autem est descriptio indiuidui, lata à Porphyrio *cap. de specie.* Vide S.Bonauenturam.

158 Assero secundò, si sumatur indiuiduum prout definitur à Boëtio: *Rationalis naturæ indiuidua substantia*, & vt sumitur à Damasc. 3. *de fide, c.* 3. 4. *&* 5. pro hypostasi, sic non est indiuiduum. Vide S.Doct.

DISPVTATIO XIX.

DE VNITATE ESSENTIÆ CHRISTI.



HÆc diſputatio affinis eſt præcedenti, in qua egimus de modis dicendi, ortis ex communicatione attributorum; nunc de his, quæ ex vnitate Eſſentiæ ortum habent, diſſerendum; nam cùm vnus ſit Chriſtus, in vno ſuppoſito duas poſſidens naturas, quid in vnoquoque genere de ipſo prædicetur, apprimè diſpiciendum eſt, ne aliquando genus neutrum cum maſculino confundentes, naturas pariter, & perſonam permiſcuè ſumamus. In hoc inſiſtimus veſtigiis antiquorum Patrum, qui cautiſſimè in aptis dictionibus circa hoc myſterium diſcernendis, hæreſes, tum præteritas, tum poſteras præcauendi modum præſcripſere. Hinc primam quæſtionem, de modis loquendi in hac materia inſtituam; deinde quot habeat Chriſtus exiſtentias, dicam.

QVÆSTIO I.

An CHRISTVS *poſſit dici vnus, vel plures; vnum, vel plura.*

{ D.Bonau.diſt.6 q.1.
{ D.Thom.q.17. art.1.

1 HÆc Quæſtio facilem habet ſolutionem ex modis dicendi ſuprà examinatis.

PRIMA opinio eſt Durandi *in 3. diſt.6. quæſt.1. num.13.* Chriſtum nec vnum, nec plura neutraliter dici poſſe abſolutè, abſque addito; eſt vnum ſuppoſitum: vel plura ſubſtantialia naturarum. Deinde docet, non poſſe dici vnum, vel plurà ſecundùm humanam naturam, quia natura humana non prædicatur de Chriſto formaliter.

2 SECVNDA opinio eſt, Chriſtum poſſe dici plura neutraliter, non tamen duos, vel plures maſculinè: Hæc videtur ſententia multorum Patrum, quos referam.

TERTIA ſententia, iam in Scholis acclamata, eſt, nullo modo poſſe Chriſtum dici plures, vel plura: Ità D.Bonauentura, & D.Thom.*hic*, vbi Caietanus, & omnes recentes Thomiſtæ, Richard. *in 3. diſt.6. art.2.* Scotus *quæſt.2.* Gabriel.*quæſt.2.art.2.concl.3. & 4.* & *art. 2. dub. 2.* Almainus *quæſt. 2. concl. 3. & 4.* Maior *quæſt.1.concl.3.* Adde Alenſem *3. part. quæſt.6. memb.2. art.1.* & Marſil. *3. quæſt.6. art.3. concl. 1. & 2.* Ità Suarez *ad artic. D. Thom.* Valentia *quæſt.17. punct.1.* Vaſquez *diſp.70.* Fauentinus *diſp.15. in tertio ſent.* Lugo *diſput.24.*

ASSERO primò: Chriſtus non poſſet dici duo maſculinè; neque alios, & alius; aut alter, & alter. 3

PROBATVR primò à D. Bonauentura fundamento, quo nituntur CC. & PP. ad id definiendum; nam *vnus* ſignificat vnitatem perſonæ, & *plures* pluralitatem in perſonis, ſicuti vnum dicit vnitatem naturæ, vt aduertunt, Nazianzen. *oratione 51.* Damaſcen. *lib.3. de fide, cap.7.* Anſelm. *libro de Incarnatione, cap. 5*: & ipſe rurſus S.Bonauent. ad ea verba *Ioannis 10.* Vbi Chriſtus dicit: *Ego, & Pater vnum ſumus*, ideſt, vnum in vnitate naturæ; non vnus in perſona. Cùm igitur in Chriſto ſit vna perſona, non poteſt dici plures.

HÆC doctrina definita eſt in Concilio Alexandrino *in epiſtola ad Neſtorium*, quæ eſt 10. inter epiſtolas Cyrilli, & approbata in CC. Epheſino, & Chalcedonenſi: Idem definitur in Concilio eodem Alexandr. *anathematiſmo 2. 3. & 9.* & in C. Chalcedonenſ. *act.4.* & in V. Concilio Conſtantinopolit. *collat. 8. can. 1. & 3.* & in Sexta Synodo *act. 4. in epiſtola Agathonis Papæ*, ante medium, & in Concilio Lateran. ſub Martino I. *conſult. 5. cap. 6.* Idem docent Eutychianus Papa, *epiſtol. 1.* Leo Magnus *epiſt.95.* Athanaſius in Symbolo: *Non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus:* Hilarius *9. de Trinitate* relatus à S.Doctore, vbi ait: *Cùm non ſit alius Filius Dei, alius filius hominis; requiro, quis ſit clarificatus?* D. Auguſt. tract.78. in Ioan. vbi ait: *Agnoſcamus geminam ſubſtantiam Chriſti, vtrumque autem ſimul,* 4

non

non duo, sed vnus est Christus, & in Enchir. cap. 38. & alij Patres apud Vasquez *cap.* 2. vbi eadem ratione vritur cum cæteris modernis.

5 Asserο secundò: Neque potest dici Christus duo in genere neutro: Hæc non adeò est definita, vt prima.

Probatvr primò à D.Bonau. fundamento, quo nititur Vasquez *cap.* 4. Qui diceret, Christum esse duo, vel plura, cogeretur diuidere Christum in plura; sed hoc dicere damnatum est in Conc. Alexandr. *epist. illa* 10. *Cyrilli*, approbata in Ephes. ibi *in confessione fidei*, ante medium, dicitur: *Neque Deum, aut Dominum Christi, Verbum Dei Patris asserimus, ne iterum manifestius in duo diuidamus vnum Christum*, vbi non dicit *(in duos)* sed *(in duo)* vt exemplaria Græca legunt.

6 Probatvr à S.Bonau. Minor: Omne ens est vnum, & eo modo, quo vnum, est indiuisum in se, & diuisum ab aliis: at Christus non est simpliciter plura totalia; sed plura vniuntur ad Vnum, sicuti anima, & corpus, vt ait Atheniens. quod est simpliciter vnum: Ergo.

Probatvr secundò à S.Doctore; sicut diuisio dicit ordinem ad multitudinem, ità vnio dicit ordinem ad vnitatem; sed in Incarnatione non est facta diuisio, sed vnio, qua constitutus est Christus: Ergo non duo, sed vnum debet dici.

7 Probatvr tertiò à S.Doctore ratione, qua nituntur etiam D.Thom. Scotus, & alij: Si Christus diceretur duo neutrè, non diceretur ob duo supposita, sed quia sunt duæ naturæ (nam suppositum proculdubio est vnum;) at verò ratione duarum naturarum non potest dici duo, quia diceretur: Christus est sua Diuinitas; & sua humanitas: at licèt dicatur sua diuinitas, non tamen dicitur sua humanitas: Ergo hac de causa non potest dici duo, quia licèt sint duæ naturæ in Christo: Ipse tamen non est illæ naturæ.

Respondet Vasquez, hac ratione nil probari, primò, quia Arist. 7. *Metaph. c.* 6. docet, hominem album non esse vnum simpliciter, sed esse plura, quia in eo sunt duæ naturæ, nempe humanitas, & albedo, cùm tamen ipse nec sit humanitas, nec albedo.

8 Deinde quia, licèt naturæ, ex quibus componitur Christus, non prædicentur in abstracto de Christo, prædicantur tamen concretè. Nam Christus est homo, & est Deus: Ergo ob eam rationem potest dici duo: Adde, multos Patres dixisse, Christum esse duas naturas.

Faventinvs relato argumento Scoti hanc instantiam dissimulat, quod miror.

Dico igitur, rationem esse solidam, nam quæstio nostra est, an sint duo esse Christi secundùm naturas; Iam verò oportet vt verè sint duo esse nominata: at non potest dici: Christus est humanitas, licèt posset
9 dici; habet humanitatem, & ideò non habet duo esse naturarum, neque sufficit prædicatio concreta, quia hæc colligit potius in vnum, quàm diuidat, vt notat Caietanus ibi post D.Bonau. *fundam.* 2. Aristoteles verè non dixit, hominem album esse duo, aut plura, sed solùm non esse idem homini esse hominem, & esse album, neque idem esse hominem, & hominem album, vt fatetur Vasquez *n.* 13. Sed neque hæc ait *loco cit.* à Vasquez, Patres verò explicant sanè duas in Christo naturas distinctas contra Euthychen; de reliquo id solùm volunt, Christum esse vnum in duabus naturis, vel habentem plures naturas, vt notat S.Bonauent. *ad argument.* 2. & post eum Vasquez *loco citato*.

10 Probatvr quartò à S.Doctore *fundam.* 6. *& in corpore*. Quando sunt plura simpliciter, impossibile est, vnum prædicari de altero, sicut è contra, ea, quæ in vnum coniuncta sunt, non possunt plura simpliciter dici, vnde vnum de altero prædicatur, v.g. Musica prædicatur de Petro musico; cùm igitur in Christo ea, quæ sunt vnum, dicantur, & inuicem prædicentur, non potest dici Christus duo neutrè: Hanc rationem vrget Vasquez.

Obiicies primò Sanctos PP. D.Aug. *lib. cont.* 11
Felicianum, cap. 12 vbi ait: *Sicut in vno homine aliud corpus, & aliud animus: Sic in vno mediatore aliud Dei, & aliud hominis filius: Sed idem tamen, & non alius, &c.* D.Hilar. 9. *de Trinit.* sic habet, Christum esse aliud de matre, non tamen alium: Idem testimonium citat D.Thom. 3. *dist.* 6. *quæst.* 2. *art.* 2. ex D. Isidor. *lib. de Trinitate.* Idem habent alij Patres, apud Suarez *ad art. D.Thom.* Vasq. *c.* 1. Lug. *disp.* 24.

Respondent sic ex D.Bonau. sensum PP. esse, plura in Christo esse vnita ad totum Christum constituendum: Ideò sæpè dicunt, Christum continere duo, & si asserunt esse duo, vel aliud, & aliud, non accipiunt in rigore Metaphysico duo entia prædicamentalia, quæ sunt completa, sed duo, vel plura entia transcendentaliter, quæ extenduntur etiam ad incompleta, quæ Christum constituunt; licèt enim naturæ sint completæ, tamen substantialiter complent Christum vnitæ.

Obiicies secundò: Christus est vnum vnitate in-
creata vt Deus, & vnum creata vnitate, vt homo: 12
Ergo Christus est duo.

Respondet Vasquez ex S.Doctore, etiamsi in Christo sint duæ naturæ; non tamen Christum esse duo, sed vnum, quia illa duo non ponunt numerum, quia Christus non dicitur vnum abstractiuè, sed concretè, vt in supposito, in quo vniuntur substantialiter, sicuti nec Petrus, & hoc album faciunt, Petrum esse duo, sed vnum Petrum album.

Obiicias tertiò: Differentia essentialis dat esse: 13
Ergo diuersæ differentiæ essentiales dant diuersa esse: sed in Christo est differentia essentialis naturæ humanæ, quæ essentialiter differt à natura Diuina: Ergo sunt duo.

Respondet D. Bonau. verum esse de ea differentia, quæ dat esse simpliciter, sicut rationale Petro, & irrationale boui; at verò illa differentia, quæ aduenit supposito, iam præexistenti, non multiplicat illud ens, sed vnum constituit cum eo, sic musica Petro superueniens facit vnum musicum.

Obiicies quartò: Vna natura in pluribus per-
sonis Diuinis facit, eas esse vnum: Ergo plures na- 14
turæ in vna persona faciunt esse duo. Talis est Christus: Ergo est duo.

Respondet S.Bonau. negando paritatem, quia natura Diuina, ita est in tribus personis identificata formaliter, vt de singulis prædicetur etiam abstractè, quare cùm ipsa sit vna, facit vt hypostases etiam sint vnum quid, nempè ipsa natura, & si plurificaretur, faceret esse plura: at duæ naturæ, ita sunt in Christo, vt natura humana solùm concretè ratione suppositi prædicetur, & quia in ordine ad suppositum non numerantur, sed vniuntur, ideò non potest persona Christi dici plura. Obserua quæ dixi *disp.* 8. *quæst. vlt.* quibus solues alias instantias.

Obiicies quintò: Propter vnionem est com- 15
municatio idiomatum, non eiusdem ad se, nam oportet, vt inter ea, quibus communicantur idiomata, sit differentia; sed non est communicatio idiomatum inter naturas, nisi ratione suppositi Christi, quod est vnum: Ergo idem de seipso prædicatur; vel plura in Christo admittenda erunt supposita cum impio Nestorio.

Respon

RESPONDET D. Bonauentura, fieri communica-
16 tionem idiomatum naturarum, non abstractè, sed pro vt vniuntur in vno supposito Verbi, ità vt Deus sit homo; & homo Deus, ideò in hypostasi vnitæ non faciunt duo, sed vnum, quia denominatio fit à termino; vnio autem terminatur in hypostasim, ideò duæ naturæ non faciunt duo, nec idem dicitur de seipso.

OBIICIES sextò: Christus, secundùm quod Deus, est aliquid: secundùm quòd homo, est aliquid: Ergo est aliud, & aliud: Ergo duo.

RESPONDET Scotus, & Fauentinus, Christum, in quantum homo, esse aliquid, non tamen aliquid distinctum, quia illa reduplicatio non est causa diuersitatis cum Deo, cùm tunc non posset homo esse Deus.

17 AT responsio hæc friuola est, nam homo, in quantum homo, habet rationem oppositæ essentiæ, qua diuersus est à Deo, vnde bene non potest homo esse Deus formaliter.

RESPONDENT secundò: Si particula, *in quantum*, agnoscatur specificatiua, non reduplicatiua, concedo, quòd Christus, in quantum homo, est idem aliquid, quod Deus; nam sensus erit: Christus in quantum homo, est idem aliquid, quod est Deus.

HÆC responsio melius exprimitur à D. Bonau. particulam *aliquid* non significare naturam abstractam, sed naturæ suppositum, à quo est denominatio vnius, vel plurium, vnde cum vnum sit suppositum, in quo vniuntur naturæ, non numerabitur Christus duo, sicuti si dicas: Christus est essentia, quæ est Pater, & est persona, quæ non est Pater: Ergo est duo, falsum infers, quia essentia non ponit numerum cum persona; sic in proposito, cùm dicis: Christus, in quantum Deus, est aliquid, & in quantum homo, est aliquid, licèt abstractè hoc non sit illud naturæ, tamen in concreto significat esse aliquid vnum, quod est Christus.

18 QVÆRES: an possit Christus dici aliud, & aliud. D. THOMAS *ad* 1. negat. Idem docet S. Bonau. vt vidimus *ad* 1. Quamvis enim apud PP. similis locutio inueniatur, & aliud sit Deus & aliud homo, tamen, quia conueniunt ad constitutionem vnius personæ, ideò persona, quæ illis constituitur, & illas in se vnit, non potest dici duo, vt notat S. Do-
19 ctor, & post eum Vasquez, qui paulò ante dixit, posse Christum dici aliud, & aliud: Itaque etiam Suarez ait, potius negandum, quia significat diuersitatem simpliciter, quæ cadit etiam in persona, sed dicendum: Christus habet aliud, & aliud, & esse Deus, & homo secundùm aliud, & aliud, vt docet etiam S Doctor *ad argumenta*. Idem habet Valentia *disp.* 1. *quæst.* 17. *puncto vnico*.

QVÆSTIO II.

An in CHRISTO *sit duplex existentia.*

D. Bonau. dist. 15. art. 2. q. 1. ad argum.
D. Thom. q. 17. art. 2.

20 QVÆSTIO hæc est, an humanitas Christi habeat propriam existentiam; an verò existat existentia Verbi, quæ profectò non potest negari in Christo.

PRIMA opinio est, humanitatem existere existentia increata Verbi: Ità communiter Thomistæ hic, Caietanus, Medina, Alvarez *disp.* 14. Capreol. *in* 3. *dist.* 6. Ferrar. 4. *cont. gent. cap.* 35. *&* 41. Henricus *quodl.* 3. *quæst.* 2. & communiter acclamatur esse D. Thomæ.

SECVNDA sententia è diametro concedit in Chri- 21
sto duas existentias: Itaque humanitati astruit existentiam creatam: Ità D. Bonau. *hic*, Albertus *in* 3. *dist.* 6. *art.* 5. Richard. *art.* 2. *quæst.* 2. Scotus *quæst.* 1. Durand. *quæst.* 2. Palud. *dist.* 9. *q.* 3. Heruæus *eadem dist. quæst.* 1. *art.* 3. Gabriel. *dist.* 6. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. Altisiod. *lib.* 3. *Summa, tract.* 1. *cap.* 1. *q.* 8. Valentia *disp.* 1. *q.* 17. *punct. vn.* Suarez *disp.* 36. *sect.* 1. Vasquez *disp.* 7. Tanner. *quæst.* 6. *d.* 3. Mæratius *d.* 40. Faber 3. *disp.* 14. Rada *controu.* 7. Bellut. *d.* 3. *quæst.* 6. Aret. 3. *dist.* 6. *quæst.* 1. Gallus ibidem, & antiquiores Scotistæ, quibus subscribit Mastr. *disp.* 1. *quæst.* 6. *art.* 1. Morand. *quæst.* 40. Granado, Amicus, Arriaga, Aversa *quæst.* 57. *sect.* 1. Hurtad. *disp.* 34. Orlandus, & Lugo *disp.* 24. & alij.

HÆC videtur sententia D. Thom. vt notat etiam Paludan. nam *loco allegato*, solam existentiam perfectam subsistentem humanitati negat, vt notat etiam Valentia *loco cit.* & Suarez *disp.* 1. *sect.* 2. alibi enim S. Thom. concedit vbique humanitati existentiam.

ASSERO primò, humanitatem Christi habere 22
propriam existentiam.

PROBATVR primò ratione ducta ex S. Bonau. *ad* 1. *& vltim.* qua nituntur Scotus, Faber, Vasquez. & alij. Id, quod præsupponitur productum alicui vnioni substantiali cum altero manens post vnionem, in esse nulla parte destructum, habet propriam perpetuam existentiam: At natura humana supponitur existens ante vnionem, nec per vnionem cum Verbo destruitur: Ergo. Maior patet, quia entitas realis actu extra causas est existens, & terminus generationis est esse existentiæ *ex* 5. *Phys. tex.* 7. Minor conceditur à Thomistis.

RESPONDET Caietanus, humanitatem priùs pro- 23
ductã esse, quam habeat relationem vnionis ad Verbum; tunc autem in illo priori habere solum fundamentum relationis ad Verbum.

HÆC tamen responsio inanis est: Nos enim ostendimus, existentiam humanitatis præsupponi vnioni, non prout dicit tantùm relationem, sed prout dicit communicationem substantialem; nunc autem, cum an verbum realiter referatur, debet esse quid reale distinctum existens.

RESPONDET Caietanus, humanitatem terminare in sua productione ad existentiam increatam Verbi, in qua habuit esse.


At hoc inane est; nam humanitas Christi priùs 24
natura fuit producta, nempè corpus conceptum, ac genitum, anima creata ex nihilo, & in corpus infusa: Creatio autem est productio rei simpliciter de non esse ad suum esse proprium, quod enim assumitur in vnione substantiali supponitur esse ens actu, vt arguit S. Doctor; similiter generatio est productio ex non subiecto in subiectum, vt habet Arist. *loco cit.* Porrò Diuina persona nil aliud, addit, quàm assumere naturam humanam, non ad sui existentiam, sed ad personalitatem.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *dist.* 6. *quæst.* 1. 25
argum. 4. *addito responso.* Plura entia actu existentia, habentia incommunicabiles differentias actu existentes, habent plura esse existentiæ, seu plures existentias: talis est in Christo humana natura, & Diuina: Ergo. Maior est euidens, & probatur à S. Bonauent. *quæst. citata*, quia vnumquodque ens actu est, idest, existit actu. Minor est euidens: Ex hoc tamen non sequitur, plura esse simpliciter reperiri

DISPVTATIO XX.

DE PLVRALITATE VOLVNTATVM CHRISTI.

{D.Thom. quæst 18.
{D.Bonau. dist 17.



Ardva, & non exigui ponderis est hæc Disputatio de Christi Voluntatibus: Ea olim Patribus, nunc verò Scholasticis negotium facescit; licèt isti diuerso ab his puncto pugnauerint contra multimodos Hæreticos, quorum longam, & inuisam seriem infrà describam: Scholastici autem de mediis conciliandæ libertatis Christi cùm ipsius impeccabilitate, visione beatifica, aliisque non paucis prærogatiuis solent disceptare; cùm cæteroquin abactis Hæreticorum turmis, in idipsum omnes conueniant, quippè Christum Diuinam simul, & humanam habere Voluntatem, nec caruisse libero arbitrio, quo Viatoris partes merendo expleret, licèt etiam Comprehensor esset: Difficultas igitur est, quomodo ille, qui transgredi non potuit, non transgrediendo meruerit, item qui ad benè agendum iugiter fuit vi vnionis, & visionis quodammodo adactus, quomodo benè agendo tam immensos meritorum thesauros cumularit: His adiice Patris præceptum, à primo conceptionis momento impositum, cui potuisse Christum contraire nullus dixerit: Hos nodos satagam soluere sequentibus quæstionibus, postquam primâ, & secundâ vtramque Christi voluntatem, liberumque arbitrium pro fundamentis iecero, vbi varias voluntatis, & libertatis acceptiones annotabo, cùm absque harum notitia veteres errores liquidè discerni nequeant. Ad finem verò nonnihil de voluntatum Christi conformitate, & efficacitate dicam; sed sequenti disputatione quicquid ad meritum Christi attinet, expendam.

QVÆSTIO I.

An in CHRISTO *fuerint plures voluntates.*

{D.Thom. art. 1.
{D.Bonau. quæst. 1. & 2.

1 MVLTI ex antiquis hæreticis pro varietate suorum errorum pluralitatem voluntatum in Christo denegarunt: Primo quidem Monophistæ, qui vnam in Christo naturam affirmabant, vnam ponebant voluntatem: Deinde Nestoriani aientes, Christum esse purum hominem, solam humanam ponebant: Apollinaristæ dicentes, Verbum assump- 2
sisse aut carnem sine anima, aut animam sine mente, solam Diuinam voluntatem confitebantur in Christo: Monothelytæ, qui vtramque naturam humanam, & Diuinam confitebantur, tamen voluntatem humanam negabant: Hi fuere Macharius, Antiochiæ Patriarcha, Cyrus, Sergius, & alij, quos refert D. Thomas. Videntur autem hi potius negasse affectum voluntatis efficacem, quem ipsi operationem nominabant: Cùm enim ingenuè faterentur in Christo duas integras naturas, Diuinam, & humanam, contra Apollinarem; & has incon-

fusas contra Eutychetem, nulla, vel minima specie probabilitatis negare putuerunt facultatem voluntatis humanæ in Christu, vt rectè refert Vasquez *disp.*73. post D.Bonau. *quæst.* 1. *in corpore.* Errores cæteri suprà reiecti sunt, nunc verò negantium voluntatem humanam explodam.

Assero, in Christo, præter voluntatem Diuinam, esse & Humanam.

3 Ità definitur in Sexta Synodu ad hoc ipsum congregata *act.*4. *in epist. Agathonis*, recepta *act.* 8. In Concilio Later. sub Martino I. *consult.* 5. *can.* 12. 13 & 14. In septima Synodo *act.*7. In Concil. Florentino *sess. vltima, in decreto Eugenij IV.* §.3.

Probatvr à S. Bonauentura primò Ioan. 6. *Non veni vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me:* Ergo alia est voluntas Christi, alia voluntas Patris mittentis; sed voluntas Christi Diuina est eadem cum voluntate Patris: Ergu habet aliam secundùm humanitatem. Idem probat S. Doctor ex illu Lucæ 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat*, in cummentario illius loci, vbi adducit iterum idem *Ioannis* 6. quod habetur, & *Ioan.* 5.

4 Probatvr secundò à S.Doctore, ratione deducta ex Damasceno *lib.*3. *de fide, cap.*13. Voluntas est naturalis proprietas naturæ intellectualis: sed natura humana fuit in Christu perfecta: Ergu secundùm omnia naturalia: Ergo secundùm voluntatem. Hac ratiune nititur maximè D. Bonauent. etiam *in corpore*, , D.Thom. *ibidem*, Suarez *disp.*37. *sect.*1. & alij.

Probatvr tertiò à S.Doctore, ex fine Incarnatiunis, qui fuit mereri, & satisfacere pro hominibus; sine voluntate autem creata non potest esse meritum, vel satisfactio. Hac ratione nititur Suarez *loco cit.* Argumenta in oppositum facilia sunt.

5 Solvm obserua tertium argumentum, quod est fundamentum hæreticurum, qui ideò cum Appollinari negabant pluralitatem voluntatum, & sulam Diuinam admittebant, quia voluntas est, quæ regere, ac dominari debet, si autem daretur vuluntas humana, opponeretur regimini vuluntatis Diuinæ.

Respondet autem D.Bonauent. ad hoc argumentum, quod adduxêre Macharius, & Stephanus In sexta Synodu *act.* 8. potuisse Diuinam voluntatem regere arbitrium humanæ, vt subiiceretur Diuinæ, sic respondent etiam D.Athanasius *lib de Incarnatione Christi*, parum ab initio, & D.Ambrosius *eodem lib. cap.*7.

6 Dvæ igitur vuluntates pro dualitate naturarum in Christo sunt, Diuina, & humana, vt probat S.Bonau. *quæst.* 2. *eiusdem articuli*, & hæc est prupria distinctio voluntatum Christi.

Qvoniam verò aliqui pro varietate potentiarum appetitiuarum impropriè distinguunt in Christo voluntatem Diuinam, Humanam, & Appetitum sensitiuum; Addit S. Doctor, has vuluntates reduci ad dictam bimembrem.

Alii verò pro variis modis vulendi distinguentes cum Hugone ponebant Vuluntatem Diuinitatis: Vuluntatem rationis: Voluntatem Pietatis compatientem, & Voluntatem carnis renitentem: Ideò eas explicat.

7 Hinc aduerte, Seraphicum *quæst.* 2. simul cum D.Thom. *art.*3. distinguere propriam vuluntatem in naturalem liberam, seu in vuluntatem, vt naturam, & vt ratiunem, quam dicit sumptam ex Damasceno *lib.*2. *de fide, cap.*12. & *lib.*3. *cap.*12. & 18. vbi ait: Vuluntatem naturalem vocari ab eo θέλησιν, *Thelesin*, idest, simplicem voluntatem: Deliberatiuam verò seu rationis βούλησιν *Bulisin*, à nomine *Buli*, Latinè *consilium*, quod præcedit electiunem, idest, consiliatiuam.

Hoc refellit Vasquez *ad art. cit. D.Th.* & *disp.*73. 8
*n.*15. dicens, id in Damascenu non haberi, sed *Bulisin* dici vuluntatem deliberantem ibi, non à Damasceno, sed ab Interprete Billio, imò à Damasceno *Bulisin* vocari naturalem voluntatem: In eo verò distinguere vtramque, quod *Thelisis* sit voluntas rationalis circa ea tantùm, quæ naturæ consentanea sunt, vt viuere, esse, intelligere, & sentire; *Bulisis* verò sit Voluntas cuiuspiam; & tam ad ea quæ sunt in potestate nostra, quàm ad ea, quæ in ea sita nun sunt, se extendat, quàm tamen Damascenus appellat etiam voluntatem naturalem. Hæc Vasquez.

At non vidit Vasquez, vtramque vocari natura- 9
lem, quia est vna potentia ad idem obiectum bonum, sed eas distinguit tantùm quoad actus, & quidem *Bulisis* apertè dicitur deliberatiua à Damasceno, vt ibidem Billius exponit, non addens suo marte: *Thelesis* verò simpliciter ab eo vocatur naturalis, ratiune actuum, quia hæc appetit, vt natura, ea quæ sunt consonantiæ: illa verò deliberat ea, quæ consultatione, sibi magis placita, inuenta sunt. Mirur autem, Vasquez audere carpere in hoc sanctus Doctures, veriatissimos tum in idiomate Græcu, tum in Damasceno, & sanè ethymologia *Bulisis* id apertè ostendit, vt fatetur ipse Vasq. suprà.

QVÆSTIO II.

Vtrum Voluntas humana CHRISTI *fuerit libera ad operandum.*

Inter Schulasticos conuenit, Christum habuisse 10
liberum arbitrium, illudque liberè exercuisse: Ità D.Bonau. *dist.* 18. *quæst.*1. & 2. Richard. *art.* 1. *q.*1. Suto *q.*1. Durand. *q.*1. Palud. *q.*2. *artic.* 2. Gabriel. *art.* 3. *dub.*1. Marsil. *quæst.* 12. *art.*1. *concl.*1.

Probatvr à S.Doctore *ad cap.*10. *Ioan.* ex illis verbis: *Ego pono animam meam: Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem iterum sumendi eam*, vt exponit Chrysostomus *homil.* 59. *in Ioan.* & Cyrill. *lib.*7. *cap.*2. Quamvis Suarez dicat, eum librum non esse Cyrilli: Hinc primò contra Apollinaristas deducit, Christum habuisse animam, deinde etiam liberum arbitrium, atque liberè eo vsum.

Et quod maius est, ostêdit, liberè eum posuisse ani- 11
mam, estu habuerit præceptum à Patre moriendi. Hinc subdit: *Hoc mandatum accepi à Patre meo*, idest moriendi; de quo agam *q.*3. & *disp.*22. *q.*3.

Probatvr secundò à S.Docture; ex eo, quod ei dederit Pater moriendi mandatum, sequitur, fuisse liberum, nun enim præcipitur actus omninò necessarius antecedenter, vt notat etiam Suarez *d.*36 *sect.* 1.

Idem habetur Isa.7. *Butyrum, & mel comedet, vt* 12
sciat reprobare malum, & eligere bonum, electiu enim est actus facultatis liberæ, & ita expunit D.Basilius *ibi.* Idem habetur Isaïæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*, vt prubat S.Doctor *ad cap.* 14. *Ioannis*, vbi alia habet.

Probatvr tertiò à D.Bonau. *loco adducto quæst. superiori, in* 3. *argum.* & *dist.*18. *q.* 2. *ad* 1. quia meritum requirit pro vna conditione libertatem, vt dixi *prima* 2. *tract. de Gratia, disp.*4. *quæst.*7. qua rationi itentur Suarez *loco citato.*

Enim

13 Enim verò, quia duplex est libertas, altera quæ opponitur coactioni, seu violentiæ; altera quæ opponitur necessitati, & dicitur libertas contingentiæ, quæ includit indifferentiam ad operandum, & non operandum: omnes ideò concedunt, Christum à nullo fuisse coactum.

Aliqui tamen dicunt, habuisse adhuc necessitatem ad operandum, vt non posset non operari: Ità sola remouetur necessitas illa, quæ opponitur coactioni: Itaque volunt, habuisse præceptum moriendi, & non potuisse illud non exequi, & dato, non habuisset hoc præceptum, habuit tamen præcepta naturalia, quæ non potuit non obseruare: Ita sensit Gabriel. *loc. cit.* Faber *disp.* 85. *n.* 8. ea doctrina Scoti, vbi (non asserendo) dicit, quod libertas illa contingentiæ est tantùm Viatorum, & quia Christus fuit comprehensor quoad animam, ideò non habebat libertatem, quæ opponitur necessitati in obseruantia mandatorum Dei; erat enim beata illa anima, & in bono confirmata impeccabilis: Itaque solam habuit libertatem à coactione immunem, quatenus a nulla extrinseca vi cogebatur,

14 Hæc eadem videtur sententia D. Bonau. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 5. sed non est ità: ait enim ibi, esse necessitatem, quæ repugnat voluntati, sicut necessitas coactionis, quæ venit ab extrinseco: Dari etiam necessitatem, quæ subest voluntati: & ista est necessitas, quæ venit ex voluntatis immutabilitate. Hinc deducit Christum, licèt impeccabilis, seu determinatus ad bonum, fuisse adhuc propter bona opera laudabilem, quia operabatur necessitate subdita voluntati, quæ neque ab extrinseco coacta, neque ab intrinseco erat naturalis ad vnum.

15 Sensus autem Seraphici est hic, Christum, & quoad malum vitandum, & quoad bonum faciendum fuisse immunem à coactione, & ab omni necessitate, quæ repugnat voluntatis merito.

Neque verò hanc solam coactionis excludit ab eo ad meritum, sed etiam eam, quæ dicitur necessitas naturæ, quæ est ab intrinseco, vt patet *dist.* 18. *q.* 2. *ad.* 1. eamque vocat Suarez necessitatem Physicam, determinantem ad vnum *disp.* 38. *sect.* 3. §. *vltimo respondeo*, hæc enim determinat non solùm quoad specificationem, vt non possit oppositum, sed etiam ad exercitium ad talem, vel talem actum; vnde tollitur libertas ad meritum necessaria.

16 Aliam libertatem apponit immunem à coactione, & Physica necessitate, quā vocat *immutabilitatis*, eamque subditam voluntati dicit, qualis est voluntas, qua Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum, vt dixi *p. p. tract.* 2. *disp.* 13. *q.* 3. Talis asseritur ab eo etiam voluntas Christi, Angelorum, & aliorum beatorum in ordine ad summè bonum amandum: Ità *in* 2. *dist.* 25. *p.* 2. *art.* 1. *in resp.* quæ in eo posita est, ac constituta, vt licèt non possit nolle id, quod vult, tamen ita vult, vt velit solùm ad sui imperium.

Hanc eandem in Christo asserit S. Bonau. *dist.* 18. *q.* 2. *ad* 1. & aliis locis suprà adductis.

Enim verò aliam libertatem astruit in Viatoribus *in* 2. *dist. citata*, nempè libertatem contingentiæ, quæ ita fertur in obiectum, vt valeat non ferri in illud, saltem tali modo: Eam verò asserit præcipuè in responsione *ad* 1.

17 In 3. *autem sent. loco cit. ad* 2. quod immediatè sequitur argumentum, protestatur Christum etiam Viatorem, & ideò habuisse animam illam habitum gloriæ ad videndum, & habitum gratiæ ad merendum: De hoc verò habitu gratiæ dixerat in præcedenti argumento, per gratiæ confirmationem Christum fuisse determinatum ad vnum, non quidem quoad exercitium circa hoc, vel illud; nam gratia adiuvat ad omne opus bonum supernaturale pro libito voluntatis, sed quoad specificationem, ita vt Viator ille sanctissimus non posset quidem peccare (quod non lædit, sed perficit libertatem, vt ostendit S. Doctor, *dist.* 25. *p.* 2. *quæst.* 3.) attamen tota ratio boni in eius esset libertate, quoad aliquid bonitatis in eo conclusum, etiam in præceptis naturalibus, 18
etiam moriendi, quibus subdebatur, quæ sanè lata fuere Christo, vt dicam *disp.* 21. *quæst.* 3. & in eis seruandis proculdubio meruit, & hoc modo intelligit Vasquez *disp.* 74. *num.* 17. Seraphicum, vt dicam *quæstione sequenti*.

Hanc libertatem in viatoribus necessariam ad merendum, qua ita voluntas fertur in hoc bonum, vt possit non ferri, definiunt Pius V. & Gregor. XIII. contra Baium, cuius propositio 38. erat: *Quod voluntate fit, liberè fit, quamvis necessariò fiat.* Hanc solam negauit Calvinus, & ideò damnatus est; eam ob causam damnatur etiam Ioannes Vuicleph. vt refert Vvaldensis *lib.* 1. *doctrinalis fidei antiquæ*, *cap.* 25. & definitur à CC. vt refert Suarez *disp.* 37. *sect.* 2. Id omninò definitum est ab Innocentio X. contra Iansenistas anno 1653. eamque ita asseri à D. Bonauentura ostendi *primo* 2. *tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 7. & patet *dist.* 18. *quæst.* 1.

Ex his habes, non rectè Fauentin. *in* 3. *disp.* 45. 19
num. 8. dicere (sanè non asserendo, sed tamen dicit) satis esse in Christo ad meritum concedere libertatem à coactione: In hunc fere modum dicendi conatur trahere etiam Suarezium, quia *disputatione citata*, *sectione* 3. dicit, ita Christum fuisse determinatum à præceptis naturalibus, & diuinis, saltem moriendi, vt impossibile esset simul stare præceptum latum, & omissio eius: Itaque vult dicere, non potuisse Christum non exequi illa numero præcepta, licèt addat, per hoc non induci necessitatem, quia cùm ista impossibilitas ad transgressionem oriatur ex vnione, & gratia, non imponebat voluntati physicam necessitatem: Hoc verò latius discutietur *quæst.* 3. & 4.

Assero igitur secundò, in Christo libertatem 20
indifferentiæ fuisse quoad exercitium circa hoc, vel illud bonum.

Probatur à S. Bonauentura *locis adductis*, & *loco cit. quæst.* 1. *in tertio argumento*, quia hæc libertas cum dominio suarum actionum fuit necessaria ad meritum; vnde D. Hieronym *lib.* 2. *contra Iouinianum*, ait: *Vbi necessitas, ibi nec corona. Ideò liberi arbitrij nos condidit Deus.* Est etiam magna perfectio naturæ humanæ, quæ in Christo fuit, vt definiunt Concilia suprà relata, *q.* 1. & asserunt Patres, Anselmus *lib. Cur Deus homo*, *a cap.* 8. & *lib.* 2. *à cap.* 16. Gregorius 2. *Moral. cap.* 2. August. *lib. de predest. Sanctorum*, *c.* 15. & 4. *de Trinitate*, *cap.* 13.
Damascen. 3. *de fide*, *cap.* 13. 14. & 15. Nicetas *lib.* 21
3. *Thesauri*, *cap.* 27. Bernardus *serm.* 81.

Id colligo necessarium ex Apostolo 1. Corint. 9. *Si enim volens*, ait, *hoc ago, mercedem habeo*, nempè, si necessitate ad hoc vnum non tamen adactus, mereri possum.

Probatur etiam ratione, quia meritum est actio propriè humanæ naturæ cum gratia proportionata, atque adeò libera ad hoc, & illud: altera enim indifferentia dominij, communis est voluntati creatæ, & increatæ.

Præterea potentia libera definitur per indif- 22
ferentiam contradictionis, nempè potentia libera est illa, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari: Ità definitur

à D.Bonauentura suprà *citatis locis*, D.Thom. *prima 2. quæst.1. art.2. ad 2.* & *quæst.13. & p. p. quæst.83.* Henrico *quodlib.14.* Scoto 2. *d.25.* in fine, Suarez *tom.1. de gratia, prol.1. cap.3.* & aliis, vt refert Mastrius *disp.7. de anima, quæst.2. num.17.*

CONFIRMATVR ex oppositione, quam habet causa creata libera cum naturali: Sicut enim illa dicitur, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, & non agere; naturalis è contra est, quæ positis prærequisitis non potest non agere, vt ignis approximato combustibili.

23 DICES: Illa est propria libertas nostra, qua non possumus expoliari: at verò hac libertate expoliantur beati, retenta sola libertate dominij: Ideò hæc dicitur essentialis.

RESPONDETVR, priuari eos quidem vsu, non libertate ipsa; vsus autem accidit, sicuti actus secundus accidit primo: Quare autem libertas dominij dicatur essentialis, est, quia omni voluntati conuenit tam creatæ, quàm increatæ, & est aliarum fundamentum: aliæ verò dicuntur accidentales, non quia accidant, sed quia cum contingentia sunt coniunctæ.

24 REMANENT difficultates, quo pacto Christus fuerit liber libertate contingentiæ. Primò quia fuit impeccabilis ex vnione: Secundò quia beatus, vnde necessariò Deum diligebat.

❧❧❧❧❧❧❧❧❧*†*❧❧❧❧❧❧❧

QVÆSTIO III.

Quomodo Voluntas CHRISTI, *ex vnione impeccabilis, libera fuerit ad actus præceptos.*

25 DVo nobis certissima hic sunt componenda: Alterum est impeccabilitas absolutissima Christi, quam satis ostendi *disp. 17. quæst. 2.* alterum, quo pacto liberè præcepta impleuerit. Et quidem aliqua ei imposita præcepta ostendam *disp. 22. q. 3.* eisque meritum demonstrabo etiam *disp. 21.* Inter conditiones autem ad meritum requiritur, vt sit actus liber: Multos dicendi modos referam cum Suarez *disp 37. sect.3.* Vasquez *disp.74. cap.4.* Valentia *disp. 1. quæst.19. punct.2.* Belluto *disp.12. de Incarnat. quæst.2. art.1.* Gallo 3. *disp.2. quæst. vn. sect.2.* Mastr. *disp.3. quæst.9.* Lugo *disp.26. sect.8.*

26 PRIMVS modus dicendi est multorum Thomistarum, necessitatem consequentem non lædere libertatem; talem autem fuisse eam, qua Christus actus præceptos eliciebat: Itaque voluntatem Christi fuisse liberam, non in sensu composito, sed in sensu diuiso.

HOC sanè venerandum Thomistarum Asylum expugnatum est *p. p. disp. 13. quæst. 7. & prima 2. tract. de gratia, disp.1. quæst.4.* Hæc enim necessitas, etiamsi in casu nostro sit consequens vnionem hypostaticã, tamen antecedit vsum libertatis, atque adeò est illi infensa: Quod si poterat non operari: ergo & præceptum transgredi, vt monent Suarez, §. *Sed hæc resp.* Lugo *num.72.*

27 ALIQVI tamen è Thomistis eò effugiunt, vt dicant, præceptum mortis fuisse consequens eius libertatem, quia ab eius voluntate pependit acceptante, vel etiam ex charitate postulante sibi imponi, vt colligitur ex D.Bernard. *serm. 3. de Purificatione*, vbi de oblatione Christi in templo, & in Cruce sic alloquitur: *De vtroque potes accipere, quod Propheta Isaias prædixit cap.53. oblatus est quia ipse voluit.* Huic arridet, Psal.39. *Holocaustum pro peccato non postulasti; tunc dixi, ecce venio.*

ET quidem quoad præceptum moriendi, idem sentit D.Bonauentura, *in 3. dist. 20. q. 5. ad 1.* & ad ea verba Ioan.19. *Ego pono animam meam: Nemo tollit eam à me,* & ad cap.14. in ea verba: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio,* vt dicam *disp.22. quæst. 3.*

28 CIRCA opera verò naturalium præceptorum non valet hæc ratio, quia ea non pendent ex voluntaria oblatione, atque adeò in his non potuisset mereri: Quare Mastrius *num. 353.* cum Vasquez hunc modum libertatis Christi refellit: Secundò, quia non videtur conformis illis verbis: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Tertiò, quia sequeretur, passionem, & mortem Christi fuisse in causa liberam, non in exercitio, cum tamen in ipso actu meruerit, vt dicitur Philip.2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod, &c.*

RESPONDETVR à S. Bonauent. hunc modum afferri pro solo præcepto moriendi, non pro naturalibus præceptis, de quibus erit alia responsio.

29 QVOAD aliud, dico cum S.Doctore *in 3. dist.17. quæst. 3. ad. 1.* ibi voluntatem rationalem conatam subiicere non seipsam, nam *oblatus est, quia ipse voluit*, sed appetitum sensitiuum à morte refugientem.

AD tertium dico, falsam esse sequelam, sicuti enim meremur actibus religionis, obedientiæ, castitatis, & paupertatis; etsi ab initio votis deuincti simus; sic & Christus, licèt nequeat transgredi, vt nos. Deinde quid tum, si totum meritum fuit ab initio cumulatum? Permansit sanè vsque ad mortem in actibus præuisis.

30 TERTIVS modus est, voluntatem Christi ideò fuisse liberam, quia licèt non posset peccare contra præcepta, non tamen fuit determinata ad hos, vel illos actus, sed tantùm ad bonum in communi; illa verò determinatio ad bonum vniuersim potius perficit libertatem, sicut posse peccare declinando à bono, minuit libertatem, vt docet D.Anselm. *lib.1. de libero arbitrio, cap.1.* & probat D.Bonauentura. *in 2. dist. 25. p.2. quæst. 3.* Quare loquens D.Augustinus de Christo, ait: *An ideò in eo non libera voluntas erat; an non tantò magis erat, quantò magis peccato seruire non poterat*, neque enim ideò dicitur augeri, & perfici libertas, quia maior fiat, hoc est ad plura se extendat, sed quia libera est à seruitute peccati, quæ longè maior, & perfectior libertas dicenda est, vt habet S.Doctor *dist.12. art.2. quæst.1. ad vltim.*

CITANTVR pro hoc modo dicendi cum D. Bonauentura *in 3. dist.18. quæst.2. ad 1.* Scotus *quæst. vnica, ad 2.* Albertus *art.1. ad 1. & 2.* Alens. 3 *part. quæst.17. mem. 2. art. 2. ad vlt.* D.Thom. *quæst.18. art.4. ad 3.* Sequuntur Pasqual. *disp. 94. sect.5.* Centinus *disp.10. cap.8.*

31 HVNC modum alij impugnant. Primò quia præceptum imponebat hoc opus bonum mortis, & charitatis; libertas autem ad indiuidua tantùm non sufficit, alioqui & beati mererentur: Prætereà ad meritum exigitur libertas ad agendam, & non agendam rem præceptam, iuxta id Eccles.31. *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus.*

RESPONDETVR tamen, actus Charitatis liberos esse, dum quoad specificationem tantum imponuntur, non quoad exercitium: at impeccabilitas tantùm imponit necessitatem specificationis, & ad aliquem actum aliquando: attamen plures sunt liberi. Falsum

sum est porrò hinc sequi, beatos merituros; nam quoad exercitium necessariò feruntur charitate perpetua in Deum visum, atque feruntur in eum tali intensione, tanquam mercede, vt dicam *quæstione sequenti.*

Falsum est etiam, ad meritum necessariam esse potentiam ad omittendum præceptum, vt dixi: Sed id solum necessarium est ad merendum per actum non omittendi.

32 Quartus modus saluat Christi impeccabilitatem per solam gratiæ efficaciam, confirmantem humanam voluntatem in bono, neque tamen (ait) auferri voluntatis indifferentiam ab bonum, vt constat in confirmatis in gratia. Adducuntur à Mastrio D.Bonauent. *dist* 18. *quæst.*2. *ad* 1. Argentina ibi a.2.*art.*3.*ad* 3. Marsil.*quæst.*12.*ad* 1.& alij antiqui. Hunc modum referunt Suarez *disput.*37. *sect.*3. & alij sic; non potuisse voluntatem Christi, vt subest custodiæ Diuinæ personæ, cui vnitur, frangere præceptum; non tamen ablatum fuisse modum intrinsecum libertatis, qui per quodcumque extrinsecum non immutatur, puta per assistentiam gratiæ confirmantis, vel similia.

33 Idem habet Auersa *quæst.*12. *sect.*3. dicens, vnionem hypostaticam nullam inferre voluntati Christi necessitatem, quia nec determinat, nec mouet ad bonum; sed tantùm obligat Deum ad custodiendam auxiliis Christi animam à peccato, & videtur subscribere Poncius *disp.*39.*quæst.*11. dicens, libere Christum implesse præcepta; quia licet impleret per gratiam, qua præseruabatur à peccato; tamen physicè non erat determinatus. Hic sanè modus Auersæ non ponit impeccabilitatem physicam in Christo, sed solùm moralem, qualis est etiam in confirmatis in gratia, vt aduertunt Amicus *disp.*25.*sect.*3.Mastrius *num.*357. impeccabilitas Christi est physica. Sic enim asserit S. Doct. vt dixi *disp.*17. *quæst.*2.

34 Multa afferunt responsa Suarez, & Auersa, quæ Bellutus, & Mastrius refellunt. Præcipuè verò, quia hic modus non satisfacit ad eluendam necessitatem, quam secum fert beata visio, ob quam non poterat non diligere Deum, & ita mandata eius seruare: Sed de hoc nos agemus *quæstione sequenti.*

Deinde, quia determinatio ad vnum tollit libertatem ad meritum. Sensus verò D. Bonauent. non est de actibus præceptis, de his enim non mussitat; sed de actibus virtutum liberis, ad quos se cum gratia determinat, quæ non præmouet, sed cooperatur tantùm Physicè; vel si de actibus præceptis sit sermo, & si Physicè impeccabilis esset Christus, tamen poterat præcepta implere actibus multiplicatis, intensioribus, & multis circumstantiis, quæ erant liberæ. Qui modus dicendi cæteris præfertur à Vasquez *num.*29. Valentia *loco cit.* & aliis Recentioribus.

35 Est igitur quintus modus à Recentioribus acclamatus, dato sanè præcepto moriendi necessario quoad essentiam adimplendo ab homine illo impeccabili, tamen fuisse liberum, vt illud impleret altiori motiuo, quàm obedientiæ, puta ex charitate actibus intensioribus, & multis passionum circumstantiis, quæ sanè actus substantiales perficerent, vel etiam mutarent; & non quoad accidentia tantùm, vt putat Mastrius *num.*368. Ita sentiunt Suarez, Vasquez, Valentia suprà, Lessius *de Prædest. Christi, sect.*3. Becan. *cap.*13.*quæst.*2. Granado, Caspensis, Amicus *disp.*35. *sect.*3. Arriaga *disp.*42. Maracius, Ragusa, Morandus *Tract.*1. *quæst.*38. Orlandus *tract.*4.*disp.*6.*quæst.*1. aliique Moderni.

Hunc modum sexcentis obnoxium difficultatibus exponit Lugo *disp.*26. *sect.*1. Primò, quia præceptum fuit impositum etiam quoad circumstantias. Ideò *Ioan.*14. ait: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, vbi D.Hilarius, ait: *Modum præscripta sibi operationis explicuit.* Et Actorum 4. *Conuenerunt Herodes, & Pilatus facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* 36

Deinde videtur habuisse præceptum moriendi ex motiuo charitatis, dum ait: *Maiorem charitatem nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, & ex obedientia, Philip.2. *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

Quod si liberè fuit acta redemptio solùm quoad motiua, & circumstantias; sequitur, fuisse quoad substantiam absque merito, & Christum moriendo, vt sic, non meruisse, cùm tamen redemptio morti adscribatur. Ità arguunt Lugo *à num.*83.& Mastrius *num.*370. 37

His territi Amicus, & Arriaga, in temporum angustias recedunt, dicentes, liberum fuisse Christo tempus eligere, quo substantiam etiam mortis pro tali tempore eligebat.

Omitto, etiam tempus videri impositum, iuxta id Ioan.7. *Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.* Et cap.13. *Ante diem Paschæ, sciens Iesus, quia venerat hora eius.*

Respondetur, motiuum virtutis mutare actum. Dico igitur primò, Christum habuisse quidem præceptum moriendi; sed tamen liberè acceptatum, imò postulatum, vt ait D. Bonau. *loco cit.* deinde ex obedientia quidem iniunctum; in quo deceptus est Morandus dicens, præceptum necessarium potuisse liberè motiuo obedientiæ impleri. Sanè præceptum imponit executionem ex obedientia, vt sit perfecta executio. Potuit verò ex altiori motiuo charitatis mori, atque maximam charitatem ad ea tempora agnitam, veluti Abilam, & Calpen transuadare, iuxta id: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ponat quis pro amicis suis*, quæ verba ne somnium quidem habent præcepti; imò indicant potiùs excessum voluntariæ charitatis in morte subeunda ob amorem inimicorum, iuxta commentum Bernardi: *Tu maiorem habuisti, qui dedisti te pro inimicis*, vt monet S. Bonauent. ad eum locum. 38

Quòd verò circumstantiæ omnes fuerint præcepto adstrictæ, non probatur à Mastrio, vel Lugo. Locus enim *Ioan.* 14. præceptum tantùm sonat, & modum redemptionis per mortem. Locus verò *Actorum* 4. nil ampliùs intendit. Similiter neque illo *Philip.*2. Hilarius verò modum redimendi per mortem tantùm exprimit. 39

Sextus modus accipitur à Cardinali Lugo *disp.*26.*sect.*8. Bernal *disp.*52. & aliis, quem probabilem censet Arriaga *loco cit.* Hurtadus *disp.*77. *sect.*5. præceptum mortis impositum quidem; ità tamen, vt liberè posset illud acceptare, vel petere dispensationem. Id colligunt ex illo Matth. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Hunc modum amplexi sunt Scotistæ aliqui, arridet Bellutus *disp.*9. *quæst.*2. *art.*2. Videtur Scoti 3.*dist.*25. 04

Hunc modum confutant Ioan. Anton. Velasq. *in cap.*2.*ad Philippens.vers.*9. Mastrius *hic*, & alij.

Primò quidem quoad præcepta naturalia, non poterat dispensari. 41

Deinde gratis confugitur ad dispensationem,

de qua non constat: id enim *Matth.26.* solùm infert, potuisse Deum potentiâ absolutâ eruere ex eorum manibus, ne tunc caperetur (vt notat Maldonat. ibi) nisi extitisset decretum mortis pro tunc.

Tertiò. Si talem habuisset libertatem, non postulasset: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste.* Hæc Mastrius. Addit ea verba: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, &c.* Solùm indicare, potuisse Christum euadere tunc tantùm, quia non erat adhuc hora. Sic etiam Arriaga, qui tamen fallitur dicens, ea verba esse diuinitatis. Sanè deitas non orat. Alia vide in Mastrio. Hic modus prout coincidit cum secundo modo, qui est D.Bonau. satis defensus est.

Addo, redemptionem sic non constitui in voluntate animæ Christi, ità principaliter constituta, sed in acceptatione voluntaria, quod est ad redemptionis meritum necessarium.

42 Septimvs modus est communis Scotistarum apud Mastrium *num.399.* ad meritum essentialiter non esse necessariam libertatem contingentiæ, sed satis esse, ex priuilegio singulari, quale fuit in Christo, libertatem intrinsecam, etsi extrinsecus impeditam. Itaque, etiamsi non posset peccare; adhuc tamen præcepta omnia liberè obseruasse satis in ordine ad meritum ex singulari Dei priuilegio, quod mediatori Christo concessum ait; vt sicuti ex priuilegio erat viator simul, & comprehensor; ità etiam speciali modo mereretur, vt actus obedientiæ diuinis præceptis esset ex intrinseco voluntatis liber; & si extrinsecè ex denegatione diuini concursus impeditæ, & hoc aiunt sufficere, vt actus esset dignus laude, quia adhuc Christus remotè habebat dominium horum actuum, etsi proximè impeditum physicâ Christi impeccabilitate: potest enim alicui conuenire ius alicuius rei, cuius non habet actionem propter aliquod impedimentum, vt docent Iuristæ.

43 Igitvr cùm libertas eatenus sit necessaria ad meritum, vt sine ea, neque per Dei potentiam, valeat esse meritum, quatenus exigitur dominium actuum, & hoc extiterit apud Christum in radice, videtur ex priuilegio id ei concessum. Ita sentiunt Faber, Mastrius, & Bellutus suprà cum antiquioribus Scoti expositoribus, ac recentibus: & est Scoti *3.dist.16.quæst.vnica, lit. D.* & *dist.15.* dum ait, quòd potestas merendi in Christo stat cum beatitudine dispensatiuè: Sed hoc mox tractabo. Videtur hic modus D.Bonauent. *dist.12.quæst.1.ad 2.* vbi addit exemplum Dei, qui sine mutabilitate nobis omnia donat.

44 Interim dico, me non percipere, quo pacto Christus, qui fuit physicè impeccabilis ex vnione hypostatica ab intrinseco, nedum gratiæ actualis auxilio efficacissimo extra moraliter talis; Adde, ex beata visione non haberet exercitium liberum ex hoc capite ad merendum requisitum, adeò vt aliter meritum esse nequeat, quo pacto, inquam, mereri valuerit?

Sanè dominium requiritur super actus, vt exeunt; seu in actus secundos; non enim actus primi sunt illi, quorum est meritum. Ideò Innocent.X. anno 1653. definit, hanc propositionem esse hæreticam: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*, libertas nempè contradictionis necessaria est, vt possit facere, & non facere, iuxta id Cor.9. *Si volens hoc ago, mercedem habeo; si inuitus, &c.* & Aristot. *3.Eth.cap.5.* docet, eorum, quæ à natura insunt, nec mereri, nec demereri.

45 Qvod verò afferunt è Iuristis, non est ad rem, quia sicuti meritum in actione consistit; ita dominium super eam requiritur in actu.

QVÆSTIO IV.

Quomodò Voluntas CHRISTI *humana non fuerit à beata visione impedita in actuum libertate.*

Mira sunt, quæ Recentiores Theologi excogitaruut ad hanc difficultatem enodandam. 46

Svppono autem, beatos necessariò determinari ad amandum Deum clarè visum, vt dixi *5.a tract.1. disp.2. q.11.* vt si quæ libertas in eis est, ea à sola sit coactione immunis, vt docet S. Doct. *locis adductis, q.2.* Scotus, Gabriel, & alij Nominales, partim *in 3. dist.18.* partim *in 1. dist.2. & 10.* partim *in 4. dist.49.*

Nostra igitur quæstio est: Quo pacto voluntas Christi beata, esset libera libertate indifferentiæ necessaria ad meritum.

Referam recentes solutiones præcipuas, cæteris omissis, quas vide in Suarez *loco citando.* 47

Vvlpes *2.p.disp.5.art.9.* sic declarat, Christum, & quemlibet beatum in priori naturæ instanti ante elicitionem actus, esse liberum ad eliciendum, licèt prout elicuit illum actum non sit amplius ad eum liber ex decreto Dei; & quia ante elicitionem sciebat hoc decretum, & tamen se determinauit ad actum beatificum, sicut qui se è turri præceps deiicit, licet post initium motus necessariò cadat ob grauitatem, adhuc dicitur liberè se deiicere, quia liberè posuit causam. Ita igitur ait, Christum liberè 48
omnia præcepta obseruasse, quia liberè elicuit actum beatificum, ad quem, vt ad causam hæc præceptorum obseruatio necessariò consequitur. Consentit Aretinus *3.dist.18.quæst.vnic.art.3.ad 7.* Addit Vulpes *4 p.tract.2.disp.44.art.5.* Christum à sua conceptione in omnibus actibus suis fuisse liberum circa quodcumque obiectum, deliberatè electum, vt posset actum elicere, & suspendere.

Mvlta in hoc modo falsa, & in fide erronea reperit Bellutus. Primò quidem supposita visione non habet Dei concursum paratum ad suspendendum actum amoris beatificum, quod si haberet, iam posset non elicere actum illum.

Secvndò sequeretur, beatos esse in statu merendi, nam liberè elicerent actum beatificum, & quidquid agerent posteà, esset liberum in causa. 49

Tertiò quia, esto anima Christi esset libera in causa, non satis est eliciendo actui meritorio, quia requiritur libertas in se; præcipitium verò è turri non est liberum tantùm in causa; alioqui dum cadit non posset pœnitentiam agere. Habet igitur libertatem actum illum moralem detestandi.

Qvod verò addit de libertate illa omnimoda Christi, non benè sonat in fide, quia sic potuisset proximè peccare.

Aversa suprà *quæst.3.* adductus conatur libertatem Christi cum gloria conciliare dicens, præceptum Christi cecidisse solùm super actum externum moriendi, & ita potuit habere libertatem circa actus internos. 50

Sed hoc inane est, quia habuit præceptum moriendi actu humano, qui internum exigit. Deinde habuit præceptum amandi Deum, & ad hoc adigebatur etiam visione beata.

Respondet, esto ad aliquem actum adigeretur,

tamen

tamen potuisse hunc, vel illum actum amoris Dei liberè elicere, & sic liberum in his extitisse. Subscribit Moncæus *disp.9. cap.11.*

Instat Mastrius, hoc pacto poni voluntatem Christi solùm moraliter, non physicè determinatam, non substantiam actus præcepti, vt dicitur de confirmatis in gratia.

51 Sed Aversa supponere videtur, physicè determinatam ad aliquem actum, non tamen ad hunc, vel illum intensiorem: Itaque non potuisse quidem physicè peccare omittendo aliquem actum; sed tamen liberè potuisse alium, vel eundem intensiorem elicere; sic enim neque à visione beata ad hunc numero cogitur.

Ego sic eum refello, quia visio beata determinat ad considerationem Summi Boni in tali gradu, tali motiuo sic intenso. Itaque sicuti à visione simpliciter determinatur ad amandum Deum; ita à tali visione, qualis singulis datur pro meritis, determinatur ad talem actum intensum, & eò magis, quò in actu voluntatis stat beatitudinis essentia, & sicuti inæqualis est pro meritis visio; ita etiam charitas consummata. De quibus rebus satis *prima secunda, tract.1. disp.2.* disserui.

52 Nunc vltimò resumo Scotistarum modum, *quæstione superiori* allatum, nempè libertatem Christi ad meritum fuisse priuilegiatam; vt licèt à beatitudine esset determinatus ad tales actus amoris Dei, nec posset liberè non elicere; eos tamen ex priuilegio concesso Mediatori, qui simul erat Viator, & Comprehensor, satis esse ad meritum, quod ex principio intrinseco libero voluntatis, domino illorum actuum prodibant, etsi extrinsecùs impedito.

53 Hunc modum Scotus cum suis, adductis *quæstione præcedenti*, desumpsère è D.Bonau.*in 3.dist.32.art.2. quæst.1. ad 2.* Sed alio modo ponit S. Doctor priuilegium Christi, scilicet, vt esset in eo liberalitas obsequij sine vertibilitate ad malum, qualis est in viatoribus hominibus, nam ipse erat supra homines. Videtur tamen (fateor) S. Doctor aliquid amplius velle, dum affert exemplum Dei, qui absque vlla vertibilitate nobis omnia largitur dona; sed non ponit in omnibus similitudinem; non enim voluntati humanæ Christi attribuit immutabilitatem Dei, qui dum nobis bona dat, quæ ante non dabat, nullatenus mutatur; agit enim Deus seipso, non per actus distinctos à se, vt anima Christi, & aliæ creaturæ: Sed in hoc stat similitudo; quòd anima Christi potest elicere, & non licere actus illos, sicuti verè etiam Deus dat nobis dona, cùm possit non dare, & quocumque modo agat, immutabilis est proportionato modo proprio statui conuenienti, vt immutabilitas Dei sit per essentiam, sed animæ Christi per gratiam vnionis, non omnimodè, sed ad malum, ad bonum verò specificatiuè; at quoad exercitium ex suppositione.

54 Nota, Seraphicum hîc intendere, libertatem ad malum non esse de essentia propriæ libertatis; nam Deus liberè, & contingenter distribuit nobis dona, & tamen ad malum inflexibilis est, & hoc modo applicitum animæ Christi stat, quo pacto applicatur etiam à Pasqualigo *disp.94.sect.5.* non rectè tamen cum Centiuo *disp.10. c.8.* ex Scoto *3.dist.16. quæst.2.* eruit libertatem Christi ad præcepta seruanda fuisse cum actu necessariò, quia libertas saluetur magis in arbitrio, quod non potest deficere peccando; & posse de obiecto necessariò habere actum meritorium, vt volendo, Deum esse bonum; sic & meruisse Christum, volendo passionem suam necessariam. Similis est dicendi modus Pasqualigi, indifferentiam Christi consistere in amplectenda obseruantia præcepti, & refutanda non obseruantia, etsi necessariò.

His sanè libertatem, ad meritum requisitam, non inuenere: adhuc enim est libertas sola dominij cum necessitate; neque est ad rem similitudo amantis Deum, quia bonus, non enim meritorius est actus ex obiecto, vt necessario in se, sed necessario secundùm relationem ad potentiam: Igitur amans Deum ideò meretur, quia potest non ferri in illum, non quia Dei bonitas sit necessaria, vel contingens; fertur enim in illum, vt obiectum suppositum; at quia Christus ferebatur in mortem, vt obiectum non suppositum, sed per executionem faciendum, requirebat libertatem in ordine ad ipsam mortem subeundam. 55

Monus, plurimis Recentioribus laudatus, est, Christum, quippe Viatorem, & Comprehensorem, habuisse operationes vtrique statui conuenientes, vtique distinctas. Ità visio beata, quæ animam rapiebat ad Dei amorem, relinquebat etiam liberam; sicut enim duplex erat ei scientia, nempe beata, & infusa supernaturalis comes gratiæ, viatori necessaria ad operandum: ita duo genera habebat charitatis, nempe beatæ, & liberæ. 56

Hæc vero charitas, etsi quoad specificationem ex impeccabilitate erat necessaria; tamen quoad exercitium erat ei viatori libera. Neque quoad exercitium erat semper illi præcepta, sed liberè poterat aliquos actus omittere, & præceptos intensiores physicè habere. Quoad specificationem verò non erant præcepti, quia lex non præcipit necessaria. Sic D.Bonau.*dist.18.quæst.1.fundam.3.* & *quæst.2.ad 2.* nec displicet Valentiæ *quæst.19. puncto 2.* Suario *disp.39.sect.2.* Lugo *disp.27.num.3.* 57

Eam impugnat Vasquez primò, quia impossibile erat, etiam Dei potentià, vt dilectio orta ex visione, occurrente aliqua tentatione, contraria dilectioni Dei, non impediret eius transgressionem, physicè detinendo voluntatem: dilectio enim non influit in actum aliqua actione media, quæ possit impediri per Dei potentiam, sed suo quasi pondere reddit eam inclinatam ad actum præceptum.

Contra, quia, licèt qua parte conuersus in Deum beatificè, esset Christus determinatus; attamen vt erat viator, liber erat ad exercitium, nec redundabat actus beatus Deo impediente actum, concursus subtractione, & relinquente voluntatem liberam ad amandum, saltem tali intensione. Hoc autem impedimentum non erat inane, vt fingit Vasquez *num.28.* sed prouidum, vt posset actibus liberis nobilissimis mereri. Erat ergo liber, non quidem ad transgrediendum, sed ad alios actus, vel ad actum illum intensum, vel remissum. Denique Vasquez ità loquitur, ac si de omnibus operatis extiterint præcepta. 58

Suarez *disp.38.sect.4.* modum dicendi suprà relatum, dicit non esse satis firmum, præsertim in hoc, quod amor beatificus impeditus fuerit, ne influeret ad actus obedientiæ, & similes. 59

Deinde, quia sequitur, Christum nunc non esse liberum in patria, quia non impeditur amor beatificus. Concludit ergo, beatum in patria determinatum quidem esse ad amandum Deum quoad substantiale amoris; non tamen quoad omnem modum, & perfectionem obiectiuam possibilem charitati; vt, v.g. semper velit actu honorem Dei, gloriam intrinsecam è salute hominum deriuatam, & similia, quæ secundaria sunt. Hic modus placet etiam Valentiæ,

Enim

60 Enim verò, quod ille amor beatificus impeditus sit, satis probabiliter ostendi, & ob motiuum graue, scilicet, vt posset mereri actu nobilissimo charitatis, in quo solo plurimi meritum ponunt, vt vidimus *prima secunda, tract. de gratia, disp. vlt. quæst.* 8. Quòd verò Christus ex visione non maneat liber libertate contingentiæ ad actus charitatis, non est absonum. Quod autem (vt D. Thom. *art. 4. ad 3. quæst.* 18. dicit,) in Christo maneat libertas ad hoc, vel illud bonum, hoc est, quia actus aliarum virtutum imperantur à charitate beatifica, quæ potest in obiectis secundariis, hoc, vel illo modo amorem suum Deo ostendere; at amor beatificus non solùm quoad specificationē, sed etiam quoad exercitium est necessarius, & continuus tali actu, sicut continua est actu visio beata, à qua necessariò oritur; est enim veluti pondus animæ, quo inclinatur in bonum clarè cognitum, vt dicebat Vasquez. Itaque, excepto miraculo, quo multa alia statui viatorum repugnantia in Christo reperiebantur, non potest illa charitas non habere suum actum ex vi beatæ visionis; & illum sanè in tali intensione.

61 Qvod verò beatis remaneat liber actus charitatis ad obiecta secundaria, non renuo; at verò circa obiectum proprium charitatis, non satis ostenditur Christi libertas, adeo enim enixè, & perfectè fertur omnibus modis in Deum, vt nil relinquat perfectionis, qua feratur in Deum liberè: ille enim amor producitur necessariò à visione ad mensuram meriti, in eo enim stat complementum beatitatis essentialis, vt ostendi *prima secunda, tract.* 1. *disp.* 2. *q.* 6.

Itaqva concludo, visionem determinare voluntatem beatam ad Dei amorem in tali gradu; attamen sufficit, si posset ex alio per scientiam viæ, & gratiam remissiorem, esto actum charitatis producere diuersum ab actu beatifico, & hic erit meritorius. Idemque potest in obiectum secundarium redundare: Posse verò diuerso actu, & habitu elici actum charitatis perfectum ex visione, & imperfectum ex habitu viæ, vt ait Suarez, frustra negat Faber *disp.* 39. *n.* 55. vt dicam *disp. seq. quæst.* 6. & hoc potuit præstare Christus, vt Comprehensor simul, & Viator.

62 Is videtur sensus D. Bonau. *dist.* 18. *quæst.* 2. *ad* 2. Vbi aduerte Seraphicum sæpè *locis adductis*, videri velle, Christum ad actum charitatis, quo Deum respiciebat, non fuisse liberum, sed quoad ea, quæ infrà respiciunt, nempe quoad obiecta secundaria; tamen loquitur de actu charitatis, vt procedente à beatitudine, vt non posset non elicere actum amoris. At quatenus erat Viator, non poterat sanè ex impeccabilitate non amare Deum, attamen erat liber quoad aliquos actus, & quoad intensionem charitatis, vt viator, & ad actus circa obiecta secundaria simpliciter, vt posset non velle tunc salutem hominum.

63 Hic disputant quomodo actus virtutum, cùm fuerint præfiniti à Deo, manserint in eo liberè. De hac vide quæ vniuersim dixi *p. p. tract.* 1. *disp.* 21. *q.* 20. eadem enim est ratio de Christo. Interim dico, non fuisse præfinitos ante præuisum scientiâ mediâ concursum liberum voluntatis Christi; ideò nil contra libertatem inducitur.

Ex quo sequitur, neque ex visione suorum futurorum actuum fuisse animam Christi determinatam ad eos, quia illa scientia suspendebat illos actus futu-
64 ros ipso Iesv volente, qui toto vitæ suæ cursu, tot tormenta sibi conspiciens imminentia, perpetuò crucifixus pro nobis pependit amans.

QVÆSTIO V.

An voluntas humana fuerit Diuina conformis.

D. Bonau. dist. 17. q. 5.
D. Thom. q. 18. art. 5. & 6.

Advartit S. Bonauentura, duplicem posse 65
esse conformitatem voluntatum, altera est in obiecto volito, altera in ratione volendi. Cōformitas autem stat præcipuè in ratione volendi. Quamvia igitur & sensualitas, & voluntas, vt natura, & vt ratio, vellent distincta, quæ sibi proportionata sunt, obiecta; tamen conformabantur in ratione volendi, quia quælibet volebat ea ratione, qua volebat superior. Sic appetitus sensitiuus, & natura volebant suum obiectum, sicut ratio ipsa volebat, & ratio, sicut Diuina voluntas volebat, ideo, &c.

D. Thomas *art.* 5. docet, sensualitatem aliud voluisse, quàm voluntatem, nam mortem fugiebat, sic etiam voluntas, vt natura; Deus enim sinebat eas motus suos agere; at voluntas, vt ratio, semper fuit Diuinæ conformis.

Hinc *art.* 6. definit, non ob id fuisse contrarietatem inter eas, quia non opponebantur secundum idem, & isti motus ita erant temperati, ac inter se compositi, vt vnus, alium non impediret.

Assero, voluntatem Christi efficacem, fuisse 66
Diuinæ conformem.

Est de fide, nam Scripturæ id testantur. Probatur à D. Bonau. Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Et cap. 5. 6. & 8. *Non quæro voluntatem meam,* & similia passim asserit.

Definitvm est in sexta Synodo *act.* 4. *in epistola Agathonis, act.* 11. *in epist. Sophronij, act.* 17. *in definitione fidei*, vt refert etiam D. Thom. *art.* 6. In Concil. Lateran. sub Martino I. *consult.* 1. *cap.* 16. Vide Suarez *disp.* 38. *sect.* 4.

Probatvr deinde à S. Bonauentura, quia si re- 67
pugnasset, fuisset peccati rea, quod est horribile. Aliquam difficultatem affert id Matth. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix.* His verbis videtur refugisse mortem, licèt sciret voluntatem Patris esse, vt moreretur.

D. Hilarivs, & D. Hieronymus *ad eum locum* dicunt, Christum tristem fuisse non de morte, sed de scandalo discipulorum, & Iudæorum, & hoc sibi amarissimum fuisse. Idem habet D. Anselmus. Hanc expositionem refert Vasquez *disp.* 73. *cap.* 2. ex D. Bonau. *ad* 22. *Lucæ*. Id primus dixit Origenes *lib.* 2. *contra Celsum*, nempè Christum refugisse mortem, quatenus erat inferenda à Iudæis eorum exterminio.

At quia communiter PP. concedunt, Christum 68
tristem fuisse de morte, ideò aliter exponendum.

Aliqvi respondent, voluntatem humanam non fuisse diuinæ contrariam, quia fuit conditionalis, si Patri placeret. Ita Durandus *in* 2. *dist.* 15. *quæst.* 2. *n.* 9. Gabriel *in* 3. *dist.* 17. *quæst. vnica, art.* 2. *concl.* 3. & 4. imò & D. Thom. 3. *p. q.* 21. *art.* 4. Caietanus ibi, & communiter Recentiores post D. Bonau. ad illa verba, Lucæ 22. *Pater, si vis, transfer calicem, &c. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Vbi D. Bonau. In quo apparet, quod discretè petebat, quia voluntatem carnis voluntati rationis, & voluntati diuinitatis subiiciebat.

Neqva inde fit, voluntatem in aliquod absolutum non tetendisse, tendebat enim absolutè in diuinum placitum, quod Vasquez non aduertit.

Aliqvi

69 Aliqui dicunt, ideò voluntatem humanam non fuisse contrariam Diuinæ, quia ipse Deus voluit, vt voluntas humana refugeret mortem, & naturæ sensum patiens trepidaret. Hoc pacto voluntas creata, non modò non fuit contraria, sed consona Diuinæ. Porrò autem Deum ità voluisse testatur D. Damascenus *3. de fide, cap.18.* Ità respondet D. Bonau. *hic*, Richardus *eadem distinctione 17.art.1.quæst.3. in secunda ratione*, Gabriel *quæstione vnica, art.1. conclusione 6.* Durandus *quæstione 1. num.8.* Marsil. *in 3. quæstione 11. articulo 3. prima parte, & secunda articuli*, Maior *distinct.17. quæst.1. conclusione 2. & 3.*

70 Hanc expositionem ait Vasquez non satisfacere; nam si quacumque voluntate Dei posita manet in humanitate Christi hæc voluntas: *Nolo mori*, & in Deo hæc: *Volo moriris*, quamvis Deus velit, vt humanitas nolit mori, adhuc videntur contrariæ voluntates, ex ipsa voluntate diuina profectæ, quod magis difficile est; neque enim Deus author est voluntatum in Christo contrariarum.

Hæc tamen ex simplicitate obiicit: nam sensus D.Bonauenturæ non est ille, quem Vasquez fingit, vt Deus vellet, Christum mori, & idem Christus nollet mori; sed voluit, Christum mori absolutè, & simul voluit, vt pateretur eam fugam natura, vt mortem pauetet; absolutè verò acceptaret mortem: sed inefficaciter refugeret. Ità intelligit Seraphicum etiam Suarez *disp.38. sect.4.* quem sensum sibi, & Scoto adscribit Vasquez.

71 Alii exponunt, voluntatem humanam in Christo non fuisse contrariam diuinæ, quia voluntas, qua Christus refugiebat mortem, erat naturalis, non vt ratio. Ità D. Thomas, & Caietanus *hic, artic. 5. & 6.* & *quæst.21. artic.3.* Durandus *3. distinctione 17. quæst.1. num.8.* Richardus *art.1. quæst.3.* Paludanus *quæstione citata.* Eadem habet S. Bonau. *ad 12. Lucæ, citato loco*, & *quarta parte Breuil. cap.8.*

Hanc expositionem refellit Vasquez, quia in Christo non fuit aliquis primus motus voluntatis absque deliberatione.

72 Hæc tamen est ineptia, nam quia Deus volebat, humanitatem Christi actus suos habere, ideò & voluntas deliberata idipsum volebat, nempè, vt natura refugeret suo instinctu mortem; attamen ipsa deliberatio non ferebatur in hoc absolutè adimplendum: sed Diuinæ voluntati omnino se, ac naturam composuit, sinens interim tristari, & pati fugam illam: Ità non fuit primus motus rationem

QVÆSTIO VI.

Vtrum in Christo *fuerit voluntas Efficax, & Inefficax.*

Svppono primò, in Christo fuisse voluntatem 73 potentiam, quæ dicitur efficax, vel inefficax quoad actus.

Svppono secundò, in voluntate Christi fuisse omnes actus humanæ voluntatis, exceptis prauis. Ex his aliqui sunt efficaces, alij inefficaces.

Constat sanè efficaces fuisse eos, qui ad nostram redemptionem spectant: *Oblatus enim est, quia ipse voluit.* Isa.53. vt habet S.Bonau. relatus *q.2.*

Fvisse etiam inefficaces probauimus *quæst.præc.* ex illo Matth.26. *Pater, si possibile est, &c.*

Isti actus inefficaces fuere in Voluntate Christi, 74 vt natura, quatenus scilicet procedebant ex sola inclinatione naturali, quam voluntas habet ad commodum suum, vel naturæ suæ; & hæc habet portionem superiorem, qua tenderet ad bonum vltimum naturæ suæ; & portionem inferiorem, quâ ad naturæ conseruationem tenderet. Vide Suarez *disp. 38. sect.2.*

Qvomodo verò voluntas Christi humana fuerit impleta dixi *disp.15. quæst. vlt. in fine.* Ex dictis patet id, quod definit S.Thom.*quæst.19.art.1.* fuisse in Christo operationes non modo Diuinas, sed etiam humanas, sicuti in eo erant voluntates, Diuina, & Humana, vt arguit S.Doctor *dist.17.q.1.in fundam.* tali pacto fuit in eo multiplex operatio: Ergo multiplex natura; & è contra. Hoc definitum est contra hæreticos veteres, vt dixi *quæst.2.* maximè verò in sexta Synodo ad hoc congregata, & à Leone *epist. ad Flauianum.*

Vnam tamen fuisse operationem humanam, sicuti 75 vnum erat principium, idest Voluntas, certum omninò astruunt Theologi; nam operationes sensitiuæ nostræ, sunt operationes quidem Hominis, non tamen Humanæ, quia non fiunt ex principio humano; si tamen fiant ad imperium voluntatis, sunt Humanæ, sic deambulatio erit operatio humana, si imperante voluntate fiat. De his vide D.Th.*q.19.art.2.*

Ex operationibus Christi aliæ fuerunt naturæ 76 Diuinæ, vt creatio; aliæ Humanæ, vt deambulatio, quas voco humanas, quia aliis etiam puris hominibus conueniunt, tametsi ad eas decorandas Verbum operaretur. Aliæ tandem mixtæ, vt iustificatio, vbi principaliter Deus physicè, meritoriè verò Humanitas operabatur, vt docet S. Doctor passim.

DISPVTA

DISPVTATIO XXI.

DE MERITIS CHRISTI.



CVM Meritum sit Voluntatis proles, & appendex, rectè post disputationem de Humana Christi Voluntate, de ipsius Merito agitur: Et quidem Christum etiam infinitè meruisse, sat probatum est *disput.* 3. idque insuper demonstrant hominum demerita, cùm ad hæc tollenda ipse venerit, vitæ nostræ, vitiis deprauatæ, virtutum suarum merita opponendo; sic enim contrariis contraria curantur, vt Medicorum constans est regula: Hic igitur duo tantùm restant discutienda; Quando scilicet, & quid Christus meruerit, quibus præmittitur aliqua difficultas de operibus, per quæ mereri poterat. Tempus autem, de quo dubitandi locus est, respicitur præcipuè in ordine ad instans conceptionis; & passionis, cùm de his ambigere licet, num tunc præcisè Christus Viator extiterit: Item peti poterit aliquid de tempore, mortem subsequente, siue de continuatione meriti toto vitæ tempore. Deinde quæ Christus meruit, possunt subdiuidi in ea, quæ vel sibi, vel quæ nobis obtinuit: Ista ad gloriam tum essentialem; tum accidentalem, seu secundariam reducuntur: Hæc verò ponderare libet iuxta multiplicem opem, quam nobis afferri necesse erat, vt è peccati abysso liberaremur: Hanc difficultatum seriem per plures quæstiones hic prosequemur: Si quæ autem, huc recurrentia, alibi discussimus, ea obiter in principio proximæ quæstionis percurremus.

QVÆSTIO I.

Quibus operibus CHRISTVS *meruerit.*

1 SVPPONO è *prima secunda, tract.* 5. *disput.* 4. *quæst.* 7. requiri ex parte merentis, primò, vt sit in gratia: Secundò, vt sit iber libertate contradictionis: Tertiò, vt sit Viatur.

Ex parte verò operis soppono ex dictis ibi *quæst.* 8. requiri vt sit upus moraliter bonum, nuo tamen vt sit ex charitate; sed alia etiam opera bona aliarum virtutum esse meritoria.

2 PRÆTEREA supponu, ex parte Dei requiri etiam pactum, vt ustendi *eadem disputatione, quæst.* 4. ex qoibos conditionibus manifestum est, Christum mereri potuisse: Est tamen difficultas de actibus præceptis lege naturali, pota Charitatis; qou pactu fuerint liberi, de quo aliqua dixi *dispus. praced. quæst.* 3. & 4.

DVOS præcipuè modos attuli tuendæ huius libertatis.

SVPPONO, ex duplici capite Christum necessariò eis præceptis obtemperasse: Primò ex vi vnionis, cum reddentis impeccabilem, vt dixi *disp.* 17. *quæst.* 2. Deinde ex beata visione, vt dixi *disp.* 20. *quæst.* 4.

IAM verò ex priori capite cùm sola præcepti substantia redderetur necessaria, poterat intensione, & extensione actuum mereri. Rorsos cùm non præciperentur multiplicationes actoom; etiam his mereri potuit multiplicatis. 3

RATIONE verò beatæ visiunis nun impediebatur libertas, quia cum ex priuilegio simul etiam esset viator, poterat è scientia viæ actus viaturis elicere, vt docent Suarez, & alij.

INSTAT Vasqoez, tum quia per scientiam iofusam nun valet Deum nosse: Tum qoia dioersitas scientiæ non causat diuersitatem amoris, si ubiectum sit idem.

AT primum falsom est, quia, licèt non obiiciat Diuinam essentiam, vt in se est, sed ad modum, 4

quu

quo noscuntur abstracta, tamen satis obiicit, vt more viæ ametur; ea quo potest diuersè apprehensum amare, provt voluntati proponitur libere; quippe non exhibeat clarè, vt visio, bonitatem Diuinam, in qua semper intuens necessariò eam amet ob rationes latas *disp.20.loco citato*; & ex professo *prima secunda, tract.1. disp.2.quæst.11.& 12.* Vnde ruit & altera oppositio Vasquij.

5 INSTAT Lugo *disp.27.num.3.* esto posset ea notitia viæ Deum amare, adhuc necessariò amabat, cum esset impeccabilis.

DICO, id iam solutum suprà: potuit enim actus liberè intendere, extendere, & multiplicare tempore, quo non vrgeret præceptum.

ADDE alterum modum allatum *disp.20. quæst.4.* quo vtuntur Valentia *quæst.19. punct.2.* Salas *Tom.1. prima secunda, tract.2.disp.7.sect.1.* & alij, quibus arridet Lugo *num.4.* actum etiam beatum, etsi ferretur necessariò in Deum, tamen ad bona extrinseca gloriæ, & honoris Diuini libero elicti amore.

6 INSTAT Suarez. Actus ille est vnus simplex amoris Dei, qui extra redundat: Ergo totus est necessarius, vel totus liber.

DICO, non fuisse simplicem, sed extensum; & quoad obiectum essentiale potuit solum respicere, non extendendo ad extrinseca, quæ liberè attingit.

7 MERVISSE autem actibus supernis virtutum moralium infusarum, v.g. Iustitiæ, Misericordiæ, &c. supponunt vt certum Theologi, & duo Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla contra Baium ad prop. 20. Imò Apostolus *Philip.2.* adscribens obedientiæ exaltationem Christi; esto enim semper altissimo motiuo charitatis imperari, attamen potuit non imperare. Quæ enim necessitas imperandi ieiunij quadraginta dierum adeò seueri? pernoctandi in precibus? &c.

DEINDE potuere actus ex virtutis motiuo proprio elici, intendi, extendi, & multiplicari, vt ait Lugo *num.6.*

8 HINC obiter decisa est ea quæstio: Vtrum anima Christi posset elicere actus minoris perfectionis, relictis perfectioribus: esto enim omnes ex dignitate operantis essent valoris infiniti moralis; & ratione visionis ad actus necessarios intensissimos esset determinata; attamen ad non præceptos actus erat liberrima; & ad præceptos ipsos quoad intensiones, & motiua, vt docent Valentia *disp.1. quæst.19. punct.2 ad finem*, Vasquez *disput.74. num.36.* Salas *Tom.1. in primam secunda, tract.2. disp.7.sect.8.* Soarez *disp.37.sect.4.* & alij adducti *quæst.3. & 4.* quam quæstionem à veteribus vix indicatam ait Lugo *disput.16.sect.10.* nec mirum cum ex aliis dictis consequenter definita sit.

QVARE S.Bonauentura ex dictis *quæst.4.* & ex dicendis *disp.21.* id iam definitum reliquit, potuisse Christum tales actus habere, eosque habuisse.

9 PROBATVR à Lugo *disput.26. numero 134.* vnico graui fundamento Seraphici *dist.18.quæst.2. ad primum.* Determinatio omnimoda aufert libertatem necessariam ad opus laude dignum, vt docet Aristoteles; & latiùs ostendi *prima secunda, tract.5. disputatione 4. quæst.7.* Qui enim est quoad specificationem determinatus, & quoad exercitium, quid meretur, cùm nequeat omnino non agere? Iam verò Christus, licèt ex gratia vnionis, & sanctificante esset determinatus quoad specificationem, vt peccare non posset; attamen habuit libertatem exercitij necessariam ad meritum. Quod si fuisset determinatus ad optimum præcisum, non affuisset ei libertas in genere moris, ad laudabilitatem actuum requisita.

DICVNT potuisse eligere hunc, vel illum actum optimum, atque ità liberum fuisse.

AT quæ laus, si antecedenti necessitate alterum eligere cogitur? Nulla sanè, sicut nulla est vituperatio, si quis perplexus ex ignorantia inuincibili inter duos actus, æquè prauos, alterum eligat.

ASSERO primò, Christum per actus charitatis meruisse: Est communis Theologiæ sententia; vt notat Caspens. *disput.10.sect.2.* quos refert Mastrius *disput.3. quæst.10.* Lugo *disput.27. sect.1.* contra Vasquez *disput.74.* 10

PROBATVR ex dictis *disp.præc.quæst.3.& 4.* hôc enim actu nobilissimo, in quo consistit præcipuè meritum, debuit Christi meritum esse ornatum. Habuit verò cætera ad tale meritum requisita; Insuper libertatem quoad exercitium, vt posset, & elicere, & desistere ex cognitione infusa, & gratia Viatoris; tametsi quoad actus specificationem non esset liber, vt posset Deum odio prosequi: Deinde, quia erat liber circa intensiones actuum, & alia ad eos spectantia. Tertiò, quia erat liber quoad obiecta secundaria, vt ex Dei amore desideraret mori ob nostram salutem, quod est nouum motiuum immutans, & eleuans substantiam actus; vt dudum prælibaui.

NOTA, Seraphicum *dist.18.art.2. quæst.1. ad 2.* non negare nostrum assertum; sed solum dicere, Christum suâ charitate intensissima beatâ non meruisse eandem, & quia erat donum; ideò non poterat eam mereri. Videtur tamen negare *art.2. q.1. fundamento vltimo*, sed loquitur de actu beatifico, de quo dixi *disput.præced. quæst.4. in fine.* 11

DICES, hoc pacto fuisse duo accidentia, nempe duos actus, solo numero diuersos in eodem subiecto.

RESPONDETVR, esse specie distinctos, sicuti diuersa est ratio gratiæ viæ, & charitatis gloriæ, à qua procedunt.

ASSERO secundò, Christum meruisse actibus obedientiæ Patet ex dictis *disput. præced. quæst.3.* quia cum cæteris conditionibus habuit etiam libertatem circa præceptum moriendi, & alia, de quibus erat difficultas. 12

Ex his habes, in quantas angustias coniiciant merita Christi Recentiores nonnulli, qui volunt, solo actu charitatis posse acquiri meritum, & actibus aliarum virtutum meritum negant, atque restringunt meritum Christi ad circumstantias aliquas, in adimplendo præcepto charitatis, cogentes Christum obedientiam etiam ex charitatis motiuo necessario adimplere.

SANE Christum humilitate, patientia, paupertate, & ieiuniis meruisse ostendam *quæst.7.* 13

QVÆSTIO II.

Quandonam CHRISTVS *mereri incœperit.*

D. Bonau. dist.15. q.1.
D. Thom. quæst.19 art.4.

PRIMA opinio est, Christum incœpisse intrinsecè in primo instanti incarnationis. Ità D. Th. *q.34.art.3.& in 3.dist.18. quæst. vnic. art.3.* vbi Magister & communiter Theologi, Richard. *art.1.q.2.* Scot. *quæst.vnic.§.Est igitur*, Argent. *q.1.art.3.concl.2.* 14

Gabr. *quæst. vnic. art. 2. concl. 5.* Almain. *quæst. 1. concl. 5.* Maior. *quæst. 1.* Paludanus *quæst. 1. art. 2.* Marsil. *q. 12. art. 1. conclus. 4.* Driedo *de captiuit. 3. tract. 2. cap. 2. p. 3. art. 3. concl. 3.* & recentiores Thomistæ, Becan. *cap. 14. quæst. 4.* Vasquez *disp. 75. cap. 2.* Fauentinus *disp. 44. cap. 4.* Suarez *disput. 39. sect. 3.* qui pro ea refert D. Bonauenturam.

SECVNDA sententia est, Christum incepisse mereri post primum instans incarnationis tantùm. Ita Durandus *dist. 18. quæst. 2.* Alens. *3. parte, quæst. 17. memb. 2. art. 1.* cuius sententiam censeri probabiliorem ab Alberto *3. dist. 18. art. 6.* ac Bonauentura hic, refert Vasquez *cap. 1.* idem censebunt facilè, qui negant, Angelum in primo instanti mereri potuisse.

15 SERAPHICVS in hac quæstione est problematicus, & quidem Christum meruisse etiam in primo instanti inclusiuè, ait *ad vltimum*, esse probabilem, ac piam sententiam, quippe quantum potest, Christo concedit; negatiuam verò ait faciliorem, & magis suo tempore acceptam: Vtramque verò rationabilem; ideò ad vtriusque argumenta respondet.

16 ASSERO primò, probabile esse, Christum in primo instanti incepisse mereri.

PROBATVR illo Hebr. 10. *Ideò ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, tunc dixi: ecce venio.*

PROBATVR à D. Bonau. ex illo Hierem. 31. *Nouum faciet Dominus super terram: FOEMINA CIRCVMDABIT VIRVM.* Si ergo fuit vir à primo instanti, quo circumdatus est in vtero B. Virginis, cùm & habuerit gratiam: Ergo non fuit otiosus, & habuit actus virtutum, & meruit, vt notat eisdem verbis Lyra, & Carthusianus, quod quidem de virtutibus quoad habitus non verificatur; hos enim habent etiam alij infantes in Baptismo, neque hoc esset nouum; sed quo ad actum exercitium. Hoc argumentum desumpsit Scotus *loco cit.* & Faber.

17 PROBATVR secundò à S. Doctore cum Magistro ex D Gregorio, lib. 1. in Ezechielem, homil. 6. *Non habuit*, inquit, *omnino Christus, iuxta anima meritum, quo potuisset proficere.* Ex quo deducit Magister, ab instanti inclusiuè conceptionis eum meruisse; alioqui proficere potuisset.

ATTAMEN respondet S. Bonau. posse intelligi has authoritates de merito in habitu, quatenus dicit gratiam, quæ est meriti fundamentum.

PROBATVR tertiò à S. Doctore. Sic fuit perfectus proportionaliter Christus in ordine gratiæ, & scientiæ infusæ, sicut fuit in ordine gloriæ; at in ordine gloriæ habuit actum beatum à primo instanti: Ergo. Hoc argumento vtitur Suarez. Maior probatur, quia in neutro indiguit successione, neque recurrere ad phantasmata.

18 RESPONDET tamen, non ex mente sua, sed authorum secundæ sententiæ, quod in omni genere, & ordine statuum Esse præcedit Operari, ea quo deducitur habuisse prius habitum gratiæ, & gloriæ, & postea operationem. Vnde infertur, in primo instanti inclusiuè conceptionis non fuisse beatum, idest elicuisse actum beatificum. Ideò S. Doctor hanc responsionem non affert, vt suam, neque eam approbat.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. quia sicut Lux eodem instanti est, & illuminat; ita & gratia eodem instanti est, & operatur, & multò magis in anima Christi.

19 RESPONDET S. Doctor eodem modo, ex aliorum sensu, priùs Esse, deinde operari, esse ponendum. Attamen hoc responsum ipse non approbat, quia licet prius natura sit Lux, quàm illuminet, tamen non prius tempore, vt docet *in 2. dist. 1. p. 1. q. 2. & in hac quæstione ad primum.*

PROBATVR quintò. Sicut animæ nostræ se habent ad demeritum; ita Christi anima ad meritum; sed animæ nostræ in ipso instanti infusionis habent reatum culpæ originalis: Ergo ille eodem instanti habuit exercitium virtutum.

20 RESPONDET tamen S. Doctor, non esse simile, quia anima habet originale per modum habitus; non quantum ad actum.

PROBATVR sextò à S. Doctore *in corpore*, ratione, quam esse vnicam ait Vasquez ad hoc probandum. Quod non repugnat, est concedendum, maximè Christi dignitati, excellentiæ, & efficaciæ eius gratiæ: Sed hoc non repugnat, vt patebit è solutis argumentis, & facit ad excellentiam Christi, & dignitatem eius gratiæ: Ergo. Eadem ratione nititur Suarez *loco cit.* & Becanus *suprà.*

ASSERO secundò, probabile etiam esse, Christum à primo instanti intrinsecè non meruisse.

21 PROBATVR à D. Bonau. primò. Priùs est esse, quàm agere: Ergo anima Christi priùs habuit esse gratiæ, quam egerit in eo ordine ad finem supernaturalem.

RESPONDET tamen S. Doctor, Maiorem esse de prioritate naturæ: Sic enim Lux priùs naturâ est, quam luceat; non autem priùs tempore.

PROBATVR secundò à D. Bonau. Quod exit ab otio in actum, priùs quiescit, quàm agat, & omne tale prius est, quàm operetur: Sed anima Christi incepit mereri: Ergo priùs quieuit in primo instanti.

22 RESPONDET S. Bonau. non ideò creaturam incipere operari, quia exit ab otio in actum, sed quia incipit à non esse ad esse. Prætereà falsum est, operantem, qui exit de otio in actum per se suæ naturæ conuenientem, priùs esse tempore.

PROBATVR tertiò à S. Doctore ratione, quam desumpsere Henricus, Scotus, Faber, & alij. Meritum non potest esse sine libertate; at in primo instanti non potest esse libertas: Ergo. Minor probatur; ad libertatem requiritur plurium cognitio, ac consultatio præuia; sed hæc requirunt saltem instans præuium: Ergo.

23 RESPONDET D. Bonau. quamvis ita sit naturaliter, ac ordinario modo, tamen habens scientiam supernaturalem, & lumen gloriæ, potest plura simul intelligere supernaturaliter, nec indiget discursu, & mora temporis, vt deliberet; sicut cytharedus eximius ex habitu sonans, qui non discurrit, vt ait Aristoteles *3. Eth. cap. 1n.* Hanc responsionem ipsi Seraphico reddunt D. Thom. *quæst. 34. art. 2. ad 2.* Scotus *in 3. dist. 18. quæst. vnic. §. Est igitur,* Vasquez *num. 8.* Fauentinus *num. 3.* qui iactat, egregium hoc esse Scoti responsum.

24 ADDIT tamen Seraphicus, malè contra se hanc responsionem iactari ad refellendum hoc idem argumentum, quo probat, non potuisse Angelum in primo instanti peccare; non enim Angelus sic poterat cognoscere simul plura, sicut anima Christi.

PRÆTEREA peccatum dicit oppositum rectitudini naturaliter, quæ non potest esse simul cum eo in eodem instanti; at meritum dicit rectitudinis naturalis complementum. Licèt igitur non potuerit esse simul substantia cum actu, contrario rectitudini naturali; tamen potuit esse cum actu complente illam.

PROBATVR quartò à S. Doctore: Angeli in primo

primo instanti non potuere peccare : Ergo nec Christus in eo instanti mereri.

25 RESPONDET tamen, negando paritatem, tum propter excellentiam Christi; tum propter disparitatem; nam si peccasset, secuta essent contradictoria, quia in eodem instanti habuisset rectitudinem naturalem, & oppositam obliquitatem per peccatum; at meritum induxisset solùm perfectionem rectitudinis naturalis.

PROBATVR vltimò à D. Bonauent. id, quod habetur in primo instanti sui esse, adscribitur danti illud esse, sic qui in primo instanti esset clandus, reciperet claudicationem à generante. Si ergo Christus in primo instanti meruisset, iam meritum adscribendum esset Deo creanti.

26 RESPONDET S. Doctor, verum esse de his, quæ sont meræ receptationes, non autem de his quæ simul habent cooperationem. Vnde potest Sol statim creatus propria operatione illuminare. Hoc verò est argumentum, quo probat S. Thomas, non potuisse Angelom in primo instanti creationis peccare, quia culpa Deo adscriberetur.

QVÆSTIO III.

An CHRISTVS *meruerit post conceptionem semper.*

{ D Bonauent. dist. 18. quæst. 2.
D. Thom. q. 19. art. 3.

27 DVRANDVS *distinctione* 18. *quæstione* 2 sensit, animam Christi toto tempore infantiæ, & partim in pueritia mereri non potuisse, quia non poterat vti sensibus necessariis ad intellectionem, præuiam deliberationi.

VERA tamen sententia est, Christum à conceptione semper vsque ad mortem meruisse. Ità D. Bonauentura *hic*, & *quarta parte Breuil. cap.* 7. D. Thomas *hîc*, & Theologi communiter cum Magistro *distinct.* 18. vbi Richardus *art.* 1. *quæst.* 1. Scotus *quæstione vnica*, Argentina *quæst.* 1. *art.* 3. *conclusione* 2. Gabriel *quæstione vnica*, *articulo* 2. *conclusione* 5. Almain. *quæstione vnica*, *conclus.* 5. Maior *quæstione* 1. Paludanus *quæstione* 1. *artic.* 2. Marsil. *quæstione* 12. *artic.* 1. *conclus.* 4. Driedo *de captiuitate*, *tract.* 2. *cap.* 2. *punct.* 3. *artic.* 3. *concl.* 3. Lugo *disp.* 27. *sect.* 4. Suarez *disp.* 39. *sect.* 3. & apud eos cæteri.

ASSERO cum hac sententia, Christum iugiter à conceptione ad mortem vsqoe meruisse.

28 PROBATVR primò à D. Bonauentura ex 2. Philip. *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: Propter quod & Deus exaltauit illum.*

VBI oportet pensitare, Christum statim ac hominem factum, & humiliatum, dici factum obedientem vsque ad mortem Crucis : Ergo ab eo instanti vsque ad mortem fuit in exercitio virtutis obedientiæ. Quod verò hoc fuerit ad meritum, est euidens ex his, quæ subdit Apostolus : *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Vbi hoc præmium asserit concessum virtuti obedientiæ Christi. Ità deducit cum D. Augostino *Tract.* 105 *in Ioannem citando*, D. Bonauentura *fundamento secundo.*

CALVINVS, vt refert Adamus, ad eum locum Apostoli respondet, hoc testimonm solùm haberi simplicem consecutionem gloriæ, non autem causam meritoriam. 29

AT impodenter id negat, nam particula : *Propter quod*, causam signat, & ità PP. hanc causam referunt in meritum Christi. Ità Ambrosius *ad eum locum*, Chrysostomus *homil.* 7. *in epistolam illam*, Basilius *lib.* 4. *contra Eunomium*. Augustinus *tract.* 104. *in Ioannem*, vbi ait : *Humilitas claritatis est meritum : claritas humilitatis est præmium*, vt refert S. Bonauentura *ad cap.* 17. *Ioan.* ad ea verba : *Pater clarifica filium tuum.* Idem habet S. Augostinus *lib.* 2. *contra Maximinum, cap.* 5. & *lib.* 3. *cap.* 2. Cyrillus *lib.* 3. *thesauri, cap.* 2. & *lib.* 11. *in Ioan. cap.* 17.

PROBATVR verò à D. Bonauentura præcipuè *vltimo fundamento.* Si Christus à conceptione in Infantia non meruit : Ergo frustra fuerunt tot opera insignia Christi, tot passiones in Natiuitate, Circumcisione, &c. hoc autem existimat S. Bonauentura, esse impium dicere. Quare Vasquez *num.* 6. hac ratione vocat opinionem Durandi temerariam. 30

QVOD enim in illis heroïcis operibus Christus emeritus sit, apertè asseritur à Patribos.

S. AVGVSTINVS serm. 11. de tempore in fine, ait : *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt exemplaria naturæ.*

S. BERNARDVS serm. 1. de Circumcisione Domini, ait : *Quis hominum tanta sibi non dicam gloria, vel innocentiæ conscius æquanimiter circumcidentis manum admitteret? Christus verò patienter, quæ non rapuit, exsoluit.* Et serm. 2. ante medium : *Meritò sanè, dum circumciditur puer, qui natus est nobis, SALVATOR vocatur, quod videlicet ex hoc inceperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* 31

D. AMBROSIVS in Lucam *lib.* 2. *cap. de Natiuitate Saluatoris*, in medio : *Ille igitur paruulus*, ait, *ille infantulus fuit, vt tu vir possis esse perfectus; ille inuolutus in pannis, vt tu mortis laqueis sis absolutus; ille in præsepibus, vt tu in altaribus; ille in terris, vt tu in cœlis; ille alium locum in eo diuersorio non habebat, vt tu plures haberes in cœlestibus mansiones. Qui cùm diues esset, propter nos pauper factus est, vt illius inopia vos ditaremini : Meum ergo paupertas patrimonium est, & infirmitas Domini mea est virtus; maluit sibi egere, vt omnibus abundaret.* Et subdit : *Me illius infantis vagientis abluunt fletus; mea lacrymæ illa delicta lauarunt : plus igitur Domine IESV iniuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quàm operibus, quod creatus.* 32

ARGVMENTA in contrarium sunt facilla. Ad Durandum respondetur, Christum, scientiâ infusâ vsum, non eguisse sensibus. 33

QVÆSTIO IV.

An CHRISTVS *meruerit in Passione.*

{ D. Bonauens. dist. 18. quæst. 3.
D. Thom. art. 5. q. 18.

ASSERO, Christum in ipsa passione meruisse.

34 Probatvr à S.Doctore ea Apostolo *Philip.* 2. suprà allegato. Cui addit eapositionem D. Augustini *Tract.* 105. *in Ioannem*, vbi id asseritur.

Probatvr secundò à D. Bonauent. *Patientia perfectum opus habet.* Iacobi primo, & vult dicere, inter alia meritoria opera sancta, patientiam esse egregiam: Sed Christus in passione summè patiens fuit: Ergo summè meritus est. Vide
35 D.Bonauent. multa præclara dicentem. Res hæc est absque difficultate.

QVÆSTIO V.

An Christvs *post mortem meruerit.*

36 Assero cum omnibus Theologis *in* 3. *distinct.*18. & D. Thom. *quæst.*19. *artic.*3. *ad* 1. *quæst.*50. *artic.*6. *ad* 2. *quæst.* 56. *artic.* 1. *ad* 3. *quæst.*57. *artic.*6. *ad* 1. & *in* 3. *distinct.*18. *artic.*2. *ad* 2. & 4. D. Bonauent. *eadem distinct.* passim, Christnm post mortem ampliùs non meruisse: Lege Suarez *disp.*39. *sect.*3. Lugum *disp.*27. *sect.*4. Vasquez *disp.*76.

Probatvr primò à D. Bonauent. *distinct.* 18. *quæst.* 1. *ad vltimum*, quia tempus merendi est via, quæ morte finitur. Id autem multis Scripturis probat Seraphicus Doctor.

37 Ao 9. Ecclesiaste adhibet ea verba: *Quodcumque potest agere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos, quò tu properas.* Hoc autem eaponit D. Hieronymus intelligendum esse de opere meritorio, & de scientia, & sapientia, prout illi deseruiunt. Cùm enim loquatur Sapiens (vt ibidem S. Hieronymus, & D. Bonauent. notant) generatim de inferno, qui etiam animas Sanctorum ante aduentum Christi continebat, negare non potuit simpliciter, esse in inferno charitatem, & bona opera.

38 Necassa est ergo, vt de opere meritorio loquatur; & ideò ibidem ait, mortuos ibi non habere vllam mercedem. Ità eaponit hunc locum etiam D. Gregorius *lib.*4. *Dialog. cap.*39. & ideò in Scriptura semper retributio operum dicitur esse in ordine ad opera huius vitæ, vt Eccl.11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas.* Et cap.14. *Ante obitum operare iustitiam.* Et cap.18 *Ante iudicium para iustitiam tibi.* Loquitur autem de iudicio particulari mortis. Ideò subdit: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*, idest in iustitia crescere, vt eaponit Concilium Tridentinum *sess.*6. *cap.*10. Additum est autem: *vsque ad mortem*, vt sciamus, illum esse merendi terminum.

39 Hoc in parabola Villici *Lucæ* 16. obseruat S. Bonauentura eum Theophylacto, & Euthymio, nempe deductum villicum ad mortem ad reddendam rationem, intimari non posse eum ampliùs villicare. Ibi ad hoc S. Doctor affert ea loca *Ecclesiaste* 9. *Ecclesiastici* 18. suprà relata. Et illud *Matth.*18. vbi serui vocantur ad reddendam rationem, & *Matth.* 25. idem haberi notat: & id Psal.145. *Nolite confidere in principibus, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

Probatvr verò idem terminus, etiam Christo 40
præfixus, Scripturis testantibus, eum morte meritum redemptionis terminasse. Hebr.6. & seq. Isa. 53. *Si posuerit animam suam, videbit, &c.* Clarus est locus Philip. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltauit illum.* Sic eaplicant Patres, SS. Cyprian. *serm. de Ascens.* Hilar. & August. ad id Psal. 2. *Postula à me, &c.* Vigil. *lib.* 5. *contra Eutych.*

Et si extarent solæ Scripturæ, generaliter lo- 41
quentes, adhuc Christum excipere esset temerarium; vt ait Suarez *disput.* 39. *sect.* 3. §. *Dices verò*, cum talis exceptio nullibi in Scriptura, vel Patribus inueniatur: Quin potius nonnulli Patres ad id Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari*, per noctem mortem intelligunt, post quam non potest aliquis operari meritoriè; & cùm Christus de seipso loqueretur, seipsum sub illa negatione vniuersali comprehendit. Quæ expositio colligitur ex Chrysostomo *homil.*55. *in Ioan.* Augustino *Tract.* 44. *in Ioan.* Hieronymo super *Eccl.*9. & *ad Galat.*6. Origene *homil.* 3. *in psal.*36. D. Bonauent. ad eum locum Ioannis, allegante multas Scripturas, præcipuè id *Eccl.*9. *cit.* in persona ipsius Christi. Ipsum vide.

Nec dicas, posse beatos mereri de congruo, 42
atque adeò & Christum, omne enim meritum negatur beatis. Illud autem congruum dicit impetrationem, non meritum proprium. Et ita D. Bonauentura *in* 4. *distinctione* 21. Scotus, & alij Theologi *ibi*, negant beatis omne meritum, vt notat Suarez *sect. citata.* Idem negat D. Thom. *p.p. quæst.*62. *art.*9. *ad* 2. & *quæst.*7. *de malo, artic.*11.

Obicies primò id Rom. 8. *Christus Iesus, qui mortuus est, qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Respondetvr ex S. Doctore *ad* 16. *Ioan.* 43
Christum interpellare pro nobis, non quidem nouo merito ad aliquid de nouo impetrandum, vt in vita solebat, sed precando, vt dentur nobis dona, quæ in vita meruit.

Hanc responsionem refellit Vasquez, qui *disput.*82. *cap.*2. docet, Christum non orare pro nobis. Ait igitur sequi, Christum de nouo mereri, quia impetratio est meritum ea D. Augustino *epistola* 105. aut dicendum, nullam esse impetrationem, aut condigni meriti.

Respondetvr tamen, orationem postulan- 44
tem nouum præmium mereri (impropriè tamen) nam D. Augustinus vocat meritum dispositionem fidei ad iustificationem. Quis autem dicat, nostras dispositiones, etiam supernaturales, mereri condignè iustificationem? At supplicatio, vt merita iam acquisita exhibeantur, non est nouum meritum; Sicuti, cùm aliquis laborando acquirit mercedem, sanè meretur; at verò quando postulat, etiam replicatis instantiis, vt detur iam acquisita merces, non meretur ampliùs. Quod verò Christus nunc oret in cœlo pro nobis, ostendam *disp.*23. *quæst.*4. contra Vasquez.

Obicies secundò illud Ioan. 19. *Cùm vidis- 45
sent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua.* Vbi Patres miris modis eloquuntur, thesaurum Sacramentorum & gratiarum inde emanasse: Sequitur ergo, vulnus illud post mortem inflictum fuisse meritorium.

Hæc

Hæc videntur asseri à PP. Ità S. Leo, epistola 4. cap. 6. ait: *Et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua Baptismi.* S. Augustinus tract. 15. in Ioan. & tract. 150. ait: *Ex latere Christi fluxisse Sacramenta.* Et illud vulnus vocat
46 ostium, dicens: *Vigilanti verbo vsus est, vt non diceret: latus eius percussit, aut vulnerauit, sed aperuit, vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt*, vt refert S. Doctor *ad eum locum*. Ambrosius *in Lucam lib.* 10. *cap. de commendatione Mariæ*, vocat illam aquam ablutionem; & sanguinem illum redemptionis. Beda *ad eum locum*, ait: *Vnde Sacramenta Ecclesiæ manarunt.*

Ex Græcis verò idem docent Nyssenus lib. cui titulus *Testimonium contra Iudæos, cap. penultimo*, Chrysostomus *homil.* 80. *in Ioan.* Cyrillus *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 39.

47 Respondent aliqui, effusionem illam sanguinis è latere fuisse meritoriam ex priori voluntate Christi viuentis, qua vulnus illud in corporis sanctissimi iniuriam acceptauit.

Instat Vasquez, quia illa effusio non fuit moralis, cùm non fuerit in potestate Christi eo tempore. Hoc tamen falsum ostendam infrà.

48 D. Bonaventvra *loco cit.* eatenus vult, manasse Sacramenta ex illo vulnere, quia in illo sanguine, & aqua significata fuère præcipua Sacramenta, nempe Baptismus, & Eucharistia: Alterum quo regeneremur; alterum quo nutriamur, in quibus alia etiam, tanquam in primis intelliguntur, quod Vasquez non aduertit; neque solùm hæc, sed explicitè, etiam alia significata, tanquam ostia salutis. Sic è latere Christi ait formatam Ecclesiam, sicut è latere Adæ facta est Eua. Ità Tertullianus *lib. de anima, cap.* 43. Cyprianus *lib. de montibus Syna, & Sion.* Augustinus *tract.* 120. *in Ioan.* vt notat D. Bonauent. *ibi.* Idem habetur *Clementina prima, de summa Trinitate, & fide Catholica.*

49 Vasqvez *numero* 12. licèt concedat, ità difficultati satisfieri; aliam tamen asserit fuisse mentem Sanctorum Patrum, vt non loquantur de septem Sacramentis Ecclesiæ, de ipso sanguine, & aqua, quæ vocantur ab eis duo Sacramenta. Ità D. Cyprianus, vel alius, *lib. de Passione Domini, circa finem*, Ruffinus *in Symbolum*, Augustinus *lib.* 2. *de Symbolo, cap.* 6. & *tract. illo* 120. *in Ioannem.* Beda *ad* 19. *Ioan.* Leo *epist.* 4. *cap.* 6. Hieronymus *epist.* 83. Algerius *lib. de Sacramento corporis Christi.*

Ex Græcis, Epiphanius, *hæresi* 78. Nyssenus *loco cit.* & Cyrillus.

50 Enim verò, si attentè legantur, id solùm dicunt, aquam illam, & sanguinem fuisse Sacramenta, seu Mysteria, Baptismi præcipuè, & Eucharistiæ, aut aliorum Sacramentorum. Id solùm addunt, ea significare etiam Baptismum sanguinis per Martyrium.

Qvare de Sacramentis Ecclesiæ loquuntur, quorum (aiunt PP.) ille sanguis, & aqua fuere Sacramenta, idest, Mysteria, seu sacra signa, vt patet legenti.

Referam præcipuè D. Augustinum cum Seraphico, cuius testimonium extorquet Vasquez: *Vigilanti verbo vsus est Euangelista, vt non diceret: latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid aliud, sed aperuit; vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum; aqua illa salutare temperat poculum. Hæc & lauacrum* 51
præstat, & potum. Quibus verbis non volt Augustinus, sanguinem illum significasse pretium nostræ redemptionis, sed ipsum fuisse pretium effusum nostræ salutis, sanè virtute voluntatis viui, qui acceptauit illud vulnus, quod in virtute moralem virtutem habuit.

QVÆSTIO VI.

An Christvs *meruerit sibi gloriam, essentialem.*

D. Bonau. dist. 18. art. 2. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 19 art 3.

DE vnione hypostatica satis dixi *disput.* 6. eam sub nullius merito cadere. 52

Qvoad gloriam essentialem nonnulli Scholastici asserunt, Christum eam sibi meruisse. Ità Altisiodor. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 7. Maior 3. *dist.* 18. *quæst.* 2. Baisol. *quæst.* 1. *art.* 3. Mayro 3. *dist.* 17. *quæst.* 1. Bernal. *disp.* 55. *sect.* 3. Morand. *tract.* 15 *de Incarnat. quæst.* 43. eamque probabilem censuit Albertus 3. *dist.* 18. *art.* 4.

Secvnda sententia negat, Christum meruisse sibi gloriam essentialem. Ità Alens. *tertia parte, quæstione* 17. *memb.* 3. *artic.* 1. Albertus *loco citato* & SS. Doctores *hic*, Richardus *distinct.* 18. *artic.* 2. *quæstione* 1. Gabriel. *quæstione vnica, artic.* 2. Almainus *quæstione* 1. Marsil. *in* 3. *quæstione* 12. Durandus *distinct.* 18. *quæstione* 3. Paludanus *quæst.* 2. *artic.* 3. Sotus 4. *distinct.* 21. *quæst.* 1. *artic.* 2. Henricus *quodl.* 6. *quæst.* 6. Driedo *de capt. tract.* 2. *cap.* 2. *punct.* 3. Thomistæ, Medina, Caietanus, Nazarius *ad artic. cit. D. Thom.* Vasquez *disput.* 78. Suarez *disput* 40. *sect.* 2. Volentia *quæst.* 19. *punct.* 3. Tanner. *quæst.* 6. *dub.* 5. Ragusa *disput.* 6. Becanus *cap.* 14. *quæst.* 7. Lugo *disput.* 27. *sect.* 2. Caspens. *disput.* 10. *sect.* 3. Pasqualigo *disput.* 98. Mætacius, Auersa, Arriaga, & Amicus. Eam tuentur Scotus *distinct.* 18. cum tota sua ferè schola, vt referunt Bellutus *disp.* 13. *quæst.* 2. Faber *disp.* 39. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 11. (etsi Vulpes *disp.* 23. reclamet) Rubio 3. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 2. 53

Ex his aliqui dicunt, neque Dei potentia absoluta id potuisse fieri. Ità Medina cum aliis Thomistis, Faber, & Pasqualigo. Aliqui etiam oppositam sententiam temeritatis incusant; sed immeritò, vt monent Suarez, & Valentia. 54

Assero primò, Christum non meruisse sibi gloriam essentialem.

Probatvr à D. Bonauentura primò. Quidquid fuit dispositio præuia ad vnionem hypostaticam, habuit rationem gratiæ; at habitus gratiæ, & gloriæ sunt tales: Ergo. Maior probatur, quia gratia vnionis est maxima gratia, vt habet D. Augustinus 13. *de Trinitate, cap.* 19. vbi ait: *In rebus per tempus ortis, illa summa gratia est, quòd homo in vnitate personæ coniunctus est Deo.* Minor probatur, quia debuit anima illa omni perfectissimo modo esse deiformis, vt esset apta, & congruè idonea ad tantam vnionem: 55

Ergo ante omnia merita supponebatur vnio, quæ est prima gratia, & principium meritorum simul cum gratia sanctificante à cæteris cohærentiis. Hac ratione nititur Lugo *disp.* 27. *sect. cit.*

56 HANC solam agnoscere fingit Vasquez rationem Seraphici, eamque carpit. Primò, quia si anima Christi ante vnionem erat beata, sequitur, eam operatam videndo Deum, ac proinde amando, atque adeò potuisse mereri etiam vnionem hypostaticam.

DEINDE, quia falsum est, ait, præcessisse dispositiones aliquas ad vnionem: Huius Theologi mos est Seraphici incogniti tenuem aliquam rationem inter cæteras pro eo apponere, eamque exsufflare; solidiores verò alto silentio inuolutas sibi arrogare, & quod deplorandum, etiam rationem illam infirmiorem detorquere.

57 IGNORAT ergo, aut fingit ignorare vim argumenti. Sciebat enim S. Doctor, & sæpè fassus est, vt dixi *disput.* 5. *quæst.* 3. & 4. & *in resp. ad secundum, & quartum*, clarè explicat, soluens hanc instantiam, non potuisse animam Christi mereri ante vnionem, iam enim adhuc subsisteret; actiones enim, vt sæpè cum S. Doctore dixi, sunt suppositorum, & vnumquodque agit, in quantum est actu, & eò minus posse mereri vnionem, quæ est principium meritorum ipsius Christi, vt ibi probantem vidimus; nunc autem, sicuti non vult, Christum habuisse illam gratiam sanctificantem, vt ante vnionem operaretur, ita neque deiformitatem luminis gloriæ, sed solùm vt esset anima habitibus decora, & in actu primo, statimque vnita hypostasi, & sustentata ad operandum. Altera verò instantia Vasquez deleta est *sp.* 10. *quæst.* 6.

58 PROBATVR secundò à S. Doctore tum *fundamento secundo*, tum etiam *in responsione ad tertium*. Id, quod est aliquo modo connaturale alicui, non est ex merito; sed gratia, & gloria, qua redditur homo in statu perfectissimo conuersionis in Deum, fuit quodammodo connaturalis animæ illi: Ergo. Minor probatur ex D. Augustino *in Enchir. cap.* 40. Deinde probatur, quia ea animæ beatitudo debetur Christo, qua fieret magis Deiformis, seu magis Deo assimilaretur; sed Christi anima in eo magis est Deo similis, quod absque alia dispositione actionis ad Diuinam vnionem perueniret, sicque fruatur Diuina essentia, quasi ad modum proprie-

59 tatis naturalis subsecuta, cum Dei perfectio in eo præcipuè consistat, vt naturali necessitate sit beatus. Hoc argumento vtuntur Scotus § *hoc viso*, & Mastrius *numero* 424. Itaque primò fuit ornata gratiâ, & lumine gloriæ ad habitualem ornatum, tanquam sponsa Filio Dei vnienda; tunc vnio facta est, cui erant ex natura dignitatis personæ talia ornamenta præmittenda; mox verò ad actus prodiit, & hunc ordinem actuum post habitus viderunt etiam Becanus, & Mastrius cum D. Bonau. *fundamento tertio*, quem Vasquez non vidit.

60 PROBATVR tertiò à S. Doctore. Id, quod habet rationem meriti, præcedit ex lege ordinaria ipsum præmium, & vsus virtutum, seu habituum, sequitur infusos habitus; sed anima Christi simul tempore ac fuit, vnita fuit Verbo, priusquam natura est ditata gratiæ, & gloriæ habitibus: Ergo non potuit illis mereri ipsam gloriam, sed merita subsecuta sunt ipsam gloriam, quæ habet ex lege ordinaria rationem præmij. Hoc argumento vtitur Mastrius *num.* 425. cum D. Thoma, Gabriele, Almaino, &c.

RESPONDET Bernal. id probare, Christum non meruisse suam beatitudinem per actus eam antecedentes; potuit tamen meruisse eam per subsequentes.

CONTRA arguit S. Bonauentura, & cum eo 61
Mastrius: Meritum naturaliter, seu secundùm cursum ordinarium, de quo nunc agimus, præcedit præmium merentis. Deinde opera subsequentia non nisi impropriè possunt esse meritoria beneficij præcedentis.

QVARA soluitur etiam oppositio Valentiæ, quòd possit mercenarius accipere præmium ante laborem, Non renuo; sed nos dicimus, secundùm modum ordinarium id non fieri.

PROBATVR quartò. Dispositio naturalis præ- 62
cedit formam, ad quam disponit; sed deiformitas gloriæ disponebat animam ad vnionem hypostaticam, dispositione inquam naturalis congruitatis: Ergo deiformitas gloriæ in Christo præcedebat naturaliter vnionem personalem, quamvis simul esset tempore; sed vnio personalis in Christo naturaliter præcedebat meritum, & liberi arbitrij vsum: Ergo merita in eo sequebantur substantiale præmium secundùm ordinem naturæ. Huic rationi, quæ secundæ est similis, fidunt multi.

MASTRIVS tamen *num.* 427. ait, non vrgere, quia alioqui probaret, non solùm de facto, sed etiam de possibili. Secundò, gloria non est connaturalis animæ Christi præcisè; vt autem vnita est, ei connaturalis est solùm secundùm moralem conuenientiam; adde, non repugnare, idem dari pluribus titulis.

SED hæc non obstant Seraphico, qui connatu- 63
rale secundùm legem ordinariam accipit, nec absolutam in hoc necessitatem inuehere satagit, vt luce clarius in eius dictis rutilat. Quod verò hoc modo conuincatur de lege ordinaria, ipse Mastrius suprà confessus est.

PROBATVR quintò à S. Bonauent. Quod est 64
principium, & causa, non potest esse respectu eiusdem effectus: Sed visio beata erat causa tendentiæ in Deum per charitatem, in qua maximè consistit ratio meriti: Ergo non poterat illo actu mereri sui actus causam, nempè beatam visionem. Maior est euidens: Minor probatur ex terminis.

CONFIRMATVR; nam ex visione beata oritur determinatio voluntatis ad summum bonum clarè visum, etiam quoad exercitium, vt ostendi *prima secunda, tract.* 1. *disp.* 2.

QVOD verò meritum maximè consistat in affectu charitatis, probatur, quia nobilior, & prior esse debet affectus in Deum, vt finem, & summum bonum, vt docebat etiam Scotus.

HOC argumentum ad litteram desumptum sibi 65
arrogauit Vasquez. Enim verò S. Doctor hoc tantum probat, non potuisse eodem affectu charitatis consummatæ mereri eandem charitatem, & visionem, à qua erumpit affectus ille in Deum. Cæterùm supponit ex dictis *eadem distinct.* 18. *articulo* 1. *quæstione* 2. *ad* 2. Christum vt viatorem habuisse gratiam proportionatam ad merendum, sicuti vt comprehensor habebat charitatem, consummatam, vt dixi etiam *disp.* 20. *quæst.* 4. Ideò hoc argumento non vtitur *in corpore*: Est autem grauiter notandum, non omnia argumenta, quæ pro parte defendenda afferuntur à S. Doctore, accipi ab eo, sed ea sola, quæ conclusionem probauerunt, quæ in resolutione statuitur, & hoc etiam in aliis Doctoribus notandum.

EISDEM

EIDEM ferè mediis probatur non meruisse
66 Christum gratiam, quia omnis actus meritorius Christi fuit posterior infusione gratiæ, & eius effectus, siquidem radix, & principium meriti de potentia ordinaria fuit quidem gratia vnionis, sed cooperante ad modum connaturalem etiam gratia sanctificante. Cùm igitur ex lege ordinaria Deus modo connaturali opera meritoria instituerit, sequitur, non potuisse gratiam, quæ erat principium meriti, cadere sub merito, vt argutè quoad hoc astruit Rada *contron.* 12. *art.* 3. *concl.* 7. & Mastrius *num.* 429. Hoc argumento vtitur Vasquez in fine; & est D. Bonauent. *ad* 3. quod asserit *fundamento* 3.

ALIAM rationem habet *fundamento vltimo*, qua vtitur Vasquez, quia cùm esset beatus, non erat in statu merendi gratiam iam habitam: intellige vt suprà.

ASSERO secundò, potuisse Christum absoluta
67 Dei virtute mereri suam gratiam sanctificantem, & gloriam.

PROBATVR de gratia sanctificante, quia potuit sola dignitate personæ infinitæ mereri, vt dixi *disp.* 11. *quæst.* 2.

68 PROBATVR etiam de gloria, quia positis omnibus causis non repugnat effectus sed in Christo poterant esse omnes causæ meriti ad gloriam: Ergo, & meritũ ipsum ad gloriam. Minor Probatur: Erat enim libertas, vt dixi *disp.* 20. erat sanctitas, erat gratia sanctificans, quæ secundùm legem ordinariam ordinatur ad gloriam, sicut autem se habet gratia ad gloriam; ità & meritum ad præmium: Erat in eo scientia infusa, & habitus charitatis viatoris: Poterat igitur ordinari ad meritum gloriæ, mutato aliquo ordinario. Hoc argumentum habet S. Doctor *primo loco, addito responso.*

69 RESPONDET Faber *num.* 55. non posse animam Christi simul elicere actum perfectum, & imperfectum amoris Dei, nec posse voluntatem velle mobiliter, & immobiliter, vt notauit Scotus.

HÆC tamen nullius sunt molestiæ, dum enim diuersis habitibus operamur, possumus actus eis proportionatos, etiamsi alter sit perfectus, alter imperfectus, operari; eò magis Christus, qui sicuti erat ex priuilegio viator simul, & comprehensor, ità habebat profectò munia pro vtroque statu exercendo; alioqui frustra tantum esset miraculum, quo beatus in statu etiam viatoris detinebatur, ità hic poterat & mobiliter, & immobiliter sub diuersis rationibus operari.

70 CONTRA primum obiicies primò Lucæ vltimo: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* & Hebr. 2. *Vidimus Iesum propter passionem mortis gloriá, & honore coronatum.* Quem locum exponit Anselmus de gloria animæ.

RESPONDET D. Bonauentura, ad locum Lucæ aliis Theolog. & Patribus, ibi astrui resurrectionem ad gloriam, adde animæ impossibilitatem, de qua loquitur D. Anselm. Et si dicas: Si data est animæ illi gloria essentialis, vt debita ex vnione: Ergo & gloria corporis, quæ consequitur. Respondeo, hanc ita dare voluisse (vt ait D. Cyrill. *dial.* 5. *Trinit.*) non respiciendo ad titulum vnionis.

71 OBIICIES secundò: Sicut se habet gratia ad gloriam, ità præmium ad meritum; sed Christus habuit gratiam ordinatam ad gloriam: Ergo, & meritum ad præmium; sed hoc consistit in fruitione Dei: Ergo.

RESPONDET S. Bonauentura, in hoc assimilari, quod gratia disponit ad gloriam, sicuti meritum ad præmium: Cæterùm in alio sunt varia, nam gratia est donum à Deo infusum, sed meritum est à libero arbitrio gratiá informato; ideò in Christo gratia ordinata est ad gloriam, & vtraque ad vnionem hypostaticam; sed gratia fuit ordinata, vt mereretur gloriam: Quo argumento infertur, futurum fuisse, vt posset a Deo fieri, si voluisset: Et hoc est, quod sit etiam Scotus, non fuisse ingloriosius Christo gloriam de facto habuisse sine merito, quia ex se potentiam sufficientem habebat ad eam merendam, nisi fuisset ex diuina liberalitate præuentus. Vnde, quòd Christus non meruerit beatitudinem, non ex ipsius impotentia euenit, sed quoniam merita præuenta sunt ob dignitatem suppositi, vt dicam *ad* 4.

OBIICIES tertiò: Actibus heroïcis, qui sunt ex charitate, debetur præmium substantiale: sed actus Christi fuere intensissimi ex charitate: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, actus omnium intensissimos charitatis Christi fuisse effectus beatitudinis, & ad modum præmij, saltem ex vnione hypostatica debiti, atque adeò non meruisse illis actibus ipsam fruitionem, quæ ex lege ordinaria est præmium meritorum. 72

OBIICIES quartò: Gloriosius est habere gloriam per merita, vt mercedem, quàm sine meritis: At Christus in gloria excellit omnibus sanctis: Ergo eam ex meritis obtinuit.

RESPONDET D. Bonauentura, & cum eo Scotus 73
hic, Mastrius *num.* 435. Vasquez, *cap.* 6. Auersa, & alij Recentiores, Maiorem esse veram, quando deest capitale ad merendum, & eget quis, quia extex, vt mereatur adoptari: At verò Christus altiori merito dignus erat gloriá, nempè dignitate infinita Filij Dei, qua diues etiam meritis potuisset sibi etiam gloriam actibus mereri, sed eam altiori titulo meruit, vt hæres, & Filius Regis gloriæ naturalis; Esto igitur gloriosius sit inter adoptiuos ea meritis habere gloriam, vt euenit adultis supra infantes, tamen supra omnem dignitatem, & gloriam est, Christum habere veluti naturali titulo gloriam, vt Principem regni, qui alioqui erat plenus gratiis, & charitate etiam viatoris, & summam gloriam potuisset acquirere, nisi fuisset in primo instanti, vt hæres per naturam ad gloriam euectus, vt dicit etiam ad sequens argumentum.

OBIICIES quintò: Angeli sancti habuerunt 74
præmium essentiale per merita; illi autem simul habuerunt gratiam, & gloriam: Ergo id etiam pro Christo potuit disponi.

RESPONDET S. Bonauentura negando paritatem, quia Angeli habuerunt vsum liberi arbitrij, quo potuerunt, mouente gratiâ actuali, disponi ad gloriam, & ea institui meritorij gloriæ: at in Christo gratia, & gloria præcessere vsum liberi arbitrij, quippe hi habitus ordinati sunt, vt ornaretur anima sanctissima, & ita prius habuit Deiformitatem gloriæ, quàm vsum voluntatis deliberatiuæ, vt suprà dictum est: Quo etiam responso ostenditur, Vasquez, dum primum impugnant Seraphici argumentum, nesciuisse, quid diceret.

OBIICIES sextò: Quoties Deus infundit formam, immittit connaturales dispositiones, vt si vult 75
ignem producere in ligno, illud calefacit: at dispositiones ad gloriam sunt merita: Ergo si gloriam voluit in Christo, voluit & merita.

RESPONDET S. Doctor, Deum quidem ordinariè ità operari; supernaturaliter verò non semper vti actibus præcedentibus, esto præmittat dispositiones habituales: Sic & in Christo immisit gratiam,

quæ est pignus gloriæ ; sed non actus, quia Filio suo debebatur gloria, vt hæredi Principi ; vnde non debuit in hoc, modo communi agere.

76 Obiicies primò cum Scoto contra secundum assertum : Meritum debet præcedere præmium, saltem naturâ : at anima Christi non potuit habere actum priorem visione, & fruitione, quia primus actus fuit tendentia in vltimum finem clarè visum; implicat autem esse actum, isto priorem.

Respondetur, potuisse Deum facere vt anima Christi priùs operaretur habitu gratiæ, & charitatis viæ, suspendendo interim beatitatem actualem, concesso habitu luminis, qui supponitur actui, vt ait D. Bonauentura, *fundamento 3*. Potuit etiam fieri, vt primò eliceret actum imperfectum ; deinde perfectum, quod immeritò negat Faber, non enim implicat, esse actum prius mobilem, deinde immobilem, imò simul sub diuersis rationibus.

77 Instat Faber cum Scoto, implicare, quia fruitio Christi non cadit sub merita, ob sui excellentiam, quippè beatitudo est perfectior actibus viæ.

Hoc si valeret, probaret, nunquam posse nos mereri actibus viæ gloriam, vt notat Mastrius *num.* 438. Neque verò meritum debet esse æquale Physica æqualitate ipsi gloriæ, quæ est præmium,
78 sed requiritur æqualitas propositionis moralis, vt docent D. Thom. *quæst.* 114. *art.* 3. *ad* 5. S. Bonau. *in* 2. *dist.* 27. *art.* 2. in fine, Scotus 4. *dist.* 46. *quæst.* 4. in fine, etsi is minoris ponderi constituat meritum, quàm cæteri, vt sæpè dixi.

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧*†*❧❧❧❧❧❧❧

QVÆSTIO VII.

An Christvs *meruerit corporis gloriam, & sui nominis exaltationem.*

{ D. Bonau. dist. 18. art. 2.
quæ 1. 2.

79 Calvinvs, vt refert Adamus *ad Philip.* 2. dixit, Christum nihil sibi, sed nobis tantum meruisse.

Catholica tamen veritas est, Christum sibi aliquid meruisse : Ita D. Thom. *hic*, S. Doctor & alij omnes Scholastici cum Magistro *dist.* 18. Quid autem meruerit, assertionibus declarabo.

Assero primò, Christum sibi meruisse corporis gloriam, & nominis exaltationem.

Probatvr à D. Bonauentura ad 24. Lucæ : *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

80 Probatvr secundò à S. Bonauentura hîc, & cum Magistro ex illo Apocal. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, & in dubiis litteralibus id probat ex illo, Philippenses 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c.*

Respondet Calvinus, his testimoniis solùm indicari consecutionem gloriæ, & exaltationis post passiones, non autem causam meritoriam.

81 Imprvdens tamen id negat ; nam particula : *Propter quod*, denotat causam : Particula, *& ita*, similiter causam denotat. Particula etiam : *Dignus est*, &c. exprimit meritum ; Hoc confirmatur à S. Doctore cum Magistro ex PP. D. August. *tract.* 104. *in Ioan.* & *lib.* 2. *contra Maximinum, cap.* 5. & *lib.* 3. *cap.* 2. Ambrosio ad ea verba *Philip.* 2. Chrysost. *homil.* 7. *in eam epistolam*, Cyril. *lib.* 3. *Thesauri, cap.* 2. & *lib.* 11. *in Ioan. cap.* 17. Idem probat S. Doctor, *ad Psal.* 109. cum D. August. ex illis verbis : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Idem probat S. Doctor ad id Ioan. 12. *Pater Saluifica me ex hac hora, & venit vox de cælo dicens, &* 82
clarificaui, & iterum clarificabo, vbi cum D. August. *tract.* 52. *in Ioannem* exponit : *Clarificaui cùm de Virgine natus, & cùm cæteras virtutes operatus : Et clarificabo, cùm resurget à mortuis, & cùm exaltabitur super cælos; & etiam cùm regnat in cælis clarificans ciuitatem cælestem: Claritas enim Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus*, Apoc. 21. & huc affert id etiam, quod orauit Christus, Ioan. 17. *Ego te clarificaui super terram. opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam : Et nunc clarifica me tu Pater*, vbi affert D. Augustinum *tract.* 104. *in Ioannem*, vbi exponit etiam id Philip. 2. *Humiliauit, &c. Humilitas* (ait) *claritatis est meritum : claritas verò humilitatis præmium.* Hinc patet, Christum non fuisse sui oblitum, vt dicebat Calvinus, sed orasse pro se.

Probatvr secundò à D. Bonauentura ratione, 83
qua nituntur Vasquez *disp.* 79. *n.* 4. Suarez, *disp.* 40. *sect.* 2. Medina hic ; eam verò cætera validius componit S. Bonauentura ; supponit autem, ex officio Christum debuisse esse, & Viatorem, & Comprehensorem ; & ideò debuit secundùm carnem, vt Viator ad mercedem, esse calamitatibus, ac passionibus obnoxius : Itaque & gloriam corporis, & impassibilitatem eius simul, atque animæ, & nominis gloriam, Resurrectionem, & Ascensionem debuit obtinere post passiones. Hæc verò omnia non repugnabat obtineri etiam meritis, cùm in his non esset implicantia, quæ in merenda vnione hypostatica probata est *disp.* 6. *quæst.* 3. neque illa ; quæ in emerenda gloria probata est hac *disp. quæst.* 6. Ergo debuit concedi Christo : Licèt autem gloriosius sit ea habere ex naturali filiatione Dei simpliciter ; tamen habere ea ex vtroque titulo gloriosius est.

Dices *quæst.* 6. *ad tertium*, dixit, gloriosius esse 84
habere gloriam ex filiatione naturali Dei, quàm etiam ex meritis. Tunc sic : Per te hic perfectius est habere ex vtroque titulo : ergo data est Christo etiam ex meritis, sicuti dicis, datam ei esse & gloriam corporis.

Respondetvr non esse simile, quia essentialis implicat, vt dixi, & notat D. Bonauentura *ad* 2. *&* 4. supposita lege ordinaria.

Deinde dico, esse diuersam rationem ; nam hæreditas ad regnum debetur Principi, atque adeò non debet laborare ; sed non dedecet, aliqua accidentia à Rege Patre mereri : Sic igitur Christum non decuit laborare ob regnum adeundum, sed ea à conceptione fruebatur, vt Regis gloriæ filius ; tamen potuit mereri aliqua accidentalia.

Scotvs, *dist.* 18. *quæst. vnica* dixit, Christum 85
meruisse gloriam corporis, quatenus meruit, vt remoueretur impedimentum, quo suspendebatur gloria illa : hoc verò vix posse intelligi ait Suarez, non tamen ei temeritatis notam inurit, vt conqueritur Faber *disp.* 44. *num.* 63. nam temerarium dicit solùm negare Christo meritum gloriæ corporis omninò : Quamvis autem ex vi vnionis deberetur Christo gloria animæ, & ex gloriâ animæ gloria corporis, & ideò non indigeret mereri gloriam corporis ; tamen conueniens fuit, vt eam mereretur, cùm non obstaret impedimentum, ac proinde duobus

bus

bus titulis eam possideret, vt notat S.Bonauentura *ad 3.* Dum ergo inferunt Scotus, & Faber, Christum non meruisse directè gloriam corporis, quia ex vi gloriæ animæ illi debebatur, vt redundaret in corpus, non bene loquuntur; potuit enim id, quod vno titulo debebatur, etiam merito acquiri directo. Peiùs verò Calvinus deducit, nullo modo meruisse, quia alio titulo debebatur.

86 OBIICIT Calvinus: Christus passus, & mortuus est pro nobis, vt dicitur Isaïæ 9. *Filius datus est pro nobis.* Zach. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi*, quod si passus est pro se, frigescit charitas illa Christi decantata in hominem.

AVDI Zelotem istum charitatis Christi: Si legisset Seraphicum, vidisset sibi responsum *ad 6.* nempè si Christus principaliter passus esset ob sui Nominis, & corporis gloriam, futuram frigidiorem charitatem eius in nos: at quia principaliter passus est pro nostra salute, & solùm concomitanter, aut consequenter ob sui corporis gloriam, non minuitur magnitudo beneficij.

87 NOTAT Vasquez *num.* 8. Christum potuisse mereri sui gloriam corporis, etiam non patiendo, si carnem impassibilem assumpsisset, sicut & nunc quilibet beatus mereri eam potest, quemadmodum sancti Angeli ex cura, quam habent erga homines, merentur gloriam accidentalem: Hoc exemplum Angelorum affert etiam D.Bonauent. *dist.* 18. *quæst.* 2. *ad* 2. vbi videtur comparare meritum Christi ratione status viatoris, cum merito Angelorum: Ex quo sequeretur, Christum non meruisse aliud, præter aliquod præmium accidentale, non solùm sibi, sed nec aliis: At comparatio S.Bonauenturæ est proportionalis, quòd sicuti Angeli sunt Viatores non in se, sed solùm ministerio quoad nos, ita ea ratione merentur ministerio, & quia hoc non facit eos propriè viatores, possunt aliquid accidentale solùm mereri: at quia Christus in se erat Viator, ideò potuit etiam præmia substantialia pro nobis emereri.

88 Ex his habes Christum meruisse sibi impassibilitatem animæ, & corporis, & quidem quoad impassibilitatem animæ obserua, duplicem esse, alterum indolentiam à passionibus propriis animæ, vt tristitia, &c. alteram indemnitatem à passionibus corporis, puta vulneribus, & hanc quidem certum est sequi ex impassibilitate corporis; altera verò fuit data Christi animæ præcisè, & vtraque ex meritis, vt notat S. Doctor *dist.* 18. *dub.* 1. *litter.* Vtramque verò ab instanti mortis obtinuisse, certum est; & quidem quoad passiones deriuatas à corpore, euidens est; quoad passiones verò proprias animæ, licèt Magister *distinct.* 18. *cap.* 1. dubitauerit; tamen communiter asseritur, cùm iam perfecisset opus redemptionis, & paradisi gloriam eo die apertam etiam latroni acclamasset.

89 CIRCA exaltationem nominis Christi, de qua dixi ex Apostolo *Philip.* 2. obserua cum D. Bonau. *dub.* 2. *&* 3 *litt.* variè à Patribus exponi; nam Ambrosius, Theophylactus, Oecumenius, & Theodoretus intelligunt de ipsâ Diuinâ naturâ, quâ homo ille per incarnationem dictus est Filius Dei: at hoc sensu non habet locum causa meritoria, ideò particula: *Propter quod*, non potest dicere meritum: Melius igitur per nomen intelligitur glorificatio eius in ore hominum, nimirum confessio diuinitatis eius; sequitur enim: *Et omnis lingua confiteatur, &c.* Sic intelligunt Basilius *lib.* 4. *contra Eunomium*, Chrysostomus, Cyrillus, Ambrosius, & Augustinus suprà: Potest etiam intelligi per *nomen* confessio cum adoratione.

Vt igitur S.Doctor conciliet hos modos dicendi,
ex quibus prior non videtur proprius; eò quòd cau- 90
sam exaltationis adscribit humilitati; atqui diuinitas non fuit humiliata, neque potuit exaltari; sed tam humiliatio, quàm exaltatio conuenit Christo homini; sic eos conciliat, vt primi authores intelligant exaltatum Filium Dei, etiam secundùm diuinitatem in cordibus nostris, dum eum credidimus, & confessi sumus Altissimū: Posteriores verò propriè loquentes intelligant exaltatum realiter, dum in quantum homo, assumptus sit ad dexteram Patris.

ADDIT verò S. Bonauentura *dub.* 3. *litt.* nomen 91
IESV fuisse aliqualiter notum etiam ante passionem, attamen euidentiùs, & singulariùs post passionem cognitum: Nomen igitur *Filij Dei*, significans personam, exaltatum est, & notificatum, quatenus agnita est persona Diuina: Nomen CHRISTI notificatum est, quatenus agnita est persona in duabus naturis, præcisè verò in humana relata ad Diuinam, sicuti IESVS, signans personam in Diuina natura relata ad humanam, glorificatus est.

S.BONAVENTVRA ad 5. Ioan. ex eo loco: *Omne* 92
iudicium dedit filio: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est, deducit Christum, quia in forma serui sustinuit iudicari, meruisse à Patre potestatem iudiciariam: Hoc idem asserit D.Vigilius *lib.* 5. *contra Eutychen, in* 5. *tomo Biblioth. sacra*, vt refert Vasquez *disp.* 79. *num.* 10. & D.Aug. *serm. vltimo, de verbis Domini*, vt refert Suarez *loco cit.* Hanc verò potestatem datam Christo ex meritis, asserit etiam D.Thom. *quæst.* 59. *art.* 3.

IDEM asserendum de Ascensione. Vnde Apoc. 3. 93
ait: *Ego vici, & sedeo cum Patre meo.* Addit Soto apud Vasquez *loco cit.* meruisse etiam vt esset Rex cœli, & terræ: Vide ipsum, & Metacium *disp.* 45. omnia enumerantes, quæ Christus meruit.

QVÆSTIO VIII.

An CHRISTVS *meruerit nobis gratiam præparantem.*

HACTANVS de his, quæ Christus sibi meruit, 94
disputaui, nunc de his, quæ nobis promeritus, est agam.

NONNVLLI Scholastici negarunt, Christum nobis emeritum dona gratiæ, quibus ad iustificationem præparamur: Ità Capreolus *in* 3. *dist.* 18. *quæst. vnica, art.* 3. *ad argum. Scoti, contra quartam conclusionem*, Ferrar. 4. *contra Gent. cap.* 55. Driedo *de captiuitate generis humani, tract.* 2. *cap.* 2. *art.* 4. & *tract.* 4. *cap.* 2. *p.* 8. *mem.* 3. Adamus *ad cap.* 1. *epist. ad Philip.* & in illud 2. Petri 2. *In iustitia Dei.* Allegatur etiam Ruardus *art.* 6. §. *Iterum obiicitur*, sed non est clarus: Clarius id asserit Franciscus Somnius *lib.* 2. *Demonstrationum Religionis Christianæ, tract.* 3. *cap.* 19. vbi ampliùs negat merita Christi ad iustificationem, ait enim, merita Christi non applicari nisi iustificatis.

CATHOLICA tamen veritas est, Christum nobis 95
promeruisse non modo fidem, sed etiam omnem bonum motum gratiæ.

E Scholasticis antiquioribus nullum, excepto D.Thoma, aliquid de hoc dixisse, ait Vasquez *disp.* 77. *cap.* 2. Ego tamen ostendam à Seraphico fuisse assertum, & probatum. Id igitur defendit S.Thom. 3. *part. quæst.* 7. *art.* 6. & *quæst.* 8. *art.* 3. *ad* 2. Vega *lib.* 4. *in Concil. cap.* 5. 6. & 7. Vasquez *loco cit.* Suarez

disp.

disp. 41. *sect.* 2. Valentia *quæst.* 19. *punct.* 4. Tanner. *quæst.* 6. *dub.* 5. *num.* 157. Caspens. *disp.* 10. *sect.* 4. Hossius *in confess. fides*, *cap.* 42. & 43. Lindanus *lib.* 3. *Panoplia*, *cap.* 39. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 13. Morand. *quæst.* 44. Lugo *disp.* 27. & communiter.

96 Assero primò, Christum nobis meruisse fidem, & alia dona præparatoria ad gratiam sanctificantem.

Probatvr à D. Bonauentura primò *dist.* 19. *quæst.* 1. *ad* 5. ex illo Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*, vbi fidem in sanguine Christi, quod idem est, ac per sanguinem, vt notat Vasquez *n.* 4. nobis dari astruit: Notat verò Bellarmin. *tom.* 4. *lib.* 2. *de Iustificatione*, *cap.* 3. ante medium, hic omnes causas Iustificationis poni, ac inter eas fidem: Et S.Bonauentura notat ex Glossa, fidem, & passionem simul iungi, quia nec fides sine passione nobis daretur, nec passio sine applicatione fidei prodesset; Idem testimonium vrget S.Doctor *ad cap.* 16. *Lucæ*, ad ea verba: *Indignatus autem nolebat, &c.* Fateor, significari etiam per fidem in sanguine, seu credendo iustificari, vt ait D. Bonauentura *dub.* 2. cum Magistro.

97 Probatvr secundò à S. Doctore, *in speculo B. Virginis, lect.* 11. post medium, & 14. post initium, vbi vniuersaliter de omnibus gratiis præparantibus etiam intelligit illud Ephes. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* Hinc ait D.Ambrosius in eum locum: *Omne donum gratiæ in Christo est.* Idem habet D.Hieronym. *in Magnis Commentariis eius loci.*

98 Erasmvs quidem aufert propositionem *In*; eò quòd sine illa sit in Græcis codicibus, vt sensus sit: *Benedixit vos omni benedictione Christo*, hoc est, in gloriam Christi.

Vervm Erasmus non est audiendus; nam eam propositionem habent ibi ex Græcis Patribus Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius: Ex Latinis verò omnes. Imò Biblia Græca habent ἐν *In*, loco διὰ *Per Christum.* Confirmatur è sequentibus, vbi habetur: *Si ut elegit nos in ipso, &c. vt essemus sancti, &c. In quo etiam nos forte vocati sumus.*

99 Probatvr tertiò à D. Bonauentura *serm.* 15. *Hexaemeronis*, ex Parabola *Matth.* 20. vbi inducitur Deus paterfamilias, vocans operarios ad vitem: Et ex alia parabola, qua inducitur Rex vocare ad nuptias filij, vbi ait S.Doctor: Quinta vocatio fuit sub Christo, & per Christum per Pœnitentiam, ad quam nos vocauit, & ad nuptias, vbi parabolæ ipsæ testantur vocationem factam à Filio, & Patre, fuisse factam per merita Filij.

Idem habet S.Bonauent. *serm.* 1. *in Septuagesima*, vbi ex illo Lucæ 5. *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, deducit, ad hoc directam Incarnationem: Ne autem quis dicat, venisse ad vocandum sola prædicatione, aut missione Apostolorum aduertit S.Doctor *ad* 5. *Lucæ*, ad ea verba, Christum venisse ad vocandum omnes, cùm omnes sint peccatores, eosque solos excludi, qui se iustos putant, cùm omnes sint peccatores, vt dicitur Rom. 3. *Omnes declinauerunt: omnes peccauerunt, & egent gloriâ Dei.*

100 Probatvr quartò à S.Doctore *ad* 14. *Lucæ*, ad ea verba: *Et vocauit multos*, ex cap. 5. 1.Petri: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu.* Simile est testimonium Pauli, 2.Timoth. 1. *Vocauit nos vocatione sua sancta, quæ data est nobis in Christo Iesu.* Addit etiam, inexcusabiles fuisse eos, qui se excusauerunt, non posse venire, quia Christus dat omnibus gratiam: Ideò Rom. 7. *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et subdit: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Et Philip. 2. *Deus qui operatur in nobis velle, & perficere.* Idque dicit concludens Christi gloriam. Præclarè verò id demonstrat S.Doctor ad ea verba Ioan. 1. *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, vbi D.Augustinum allegat, *tract.* 3. dicentem: *Accepimus enim de plenitudine eius* (idest Christi) *primò gratiam: ac rursum accepimus gratiam: gratiam pro gratia: Quam gratiam primò recepimus? Fidem: in fide ambulantes, in gratia ambulamus.*

Probatvr quintò ex definitione D.Bonauent. *quæst.* 1. *dist.* 19. Quod est causa iustificationis nostræ, est causa eorum omnium, quæ ad iustificationem sunt necessaria: At meritum Christi est causa iustificationis: Ergo. Probatur; nam ideò Concilium Mileuitanum *can.* 3. & Cœlestinus I. *epist.* 1. *cap.* 10. definiunt, sic gratiam, per quam iustificamur esse per Christum, quia gratia prima, quæ dicitur ibi *gratia iustificationis*, necessaria est, non quia formaliter iustificet. 101

Confirmatvr à Concil. Tridentin. *sess.* 6. *cap.* 5. vbi sic definit: *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum præuenienti gratiâ sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur.* Probatur verò præcipuè Minor à S. Bonau. Rom. 4. *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Vbi obseruat, emundationem nostrorum delictorum, & iustificationem adscribi morti Christi, tanquam causæ meritoriæ: Per iustificationem autem intelligit Apostolus totam seriem donorum necessariam, vt explicat Concilium Mileuitanum ad Innocentium Papam *epistola* apud D. Augustinum 95. vbi PP. Concilij admonent Pontificem, quam fraudulenter Pelagius in Concilio Palestino confessus esset necessitatem gratiæ, intelligens concursum Dei generalem conseruationis, & addunt, concedendam esse aliam gratiam, vt ad Ecclesiam admittatur: Sic autem loquuntur: *Ergo neque per naturæ possibilitatem, sed ex fide, & dono Dei per Iesum Christum, qui nisi in plenitudine temporis mortuus esset propter delicta nostra, & resurrexisset propter iustificationem nostram, profectò & antiquorum fides euacuaretur, & nostra.* Quid clarius (ait Vasquez) dici potuit? Dum igitur Scholastici antiqui probarunt, iustificationem nostram à meritis Christi, vt fatetur Vasquez *num.* 4. simul comprobarunt etiam fidem, & alia necessaria ad iustificationem ex eisdem meritis promanasse. 102 103

Præclare verò *locis* suprà *allegatis* id ostendit S.Doctor è Scripturis, quæ vniuersaliter omnia nostra bona spiritualia Christo adscribunt, vt Act. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Eleganter verò id ostendit ad 15. Ioan. *Sine me nihil potestis facere*, ex quibus deducit, necessariò etiam gratias præuiè necessarias ad iustificationem fuisse è Christi meritis, quod notat etiam Valentia *quæst.* 19. *punct.* 4. 104

Obiicies primò, Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum:* Ideò vocatio est tantùm Patris.

Respondet D.Bonauentura ad eum locum, significari necessitatem Diuini auxilij, quo Pater trahit simul cum Filio, vt Deus, sed per merita Saluatoris 105

vatoris iuxta id Ioan. 3. *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me*: Trahit igitur pater per Filium: Ità respondent etiam Valentia, & Vasquez.

Obiicies secundò, Roman. 4. *Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratia Dei*: Ergo iustificatio è solo proposito Dei pendet.

Respondetur, non excludi merita Christi, sed solùm merita nostra, vt ostendit ea Apostolo S. Doctor *dist. 28. secundi sent.* Rationes apud Vasquez friuolas habent aduersarij, qui hoc fundamento præcipuo nituntur, quia putant, statim, ac nobis aliqua merita Christi applicantur, nos iustificari, & ideò negant, communicari ea merita in præcedentibus dispositionibus.

106 Obiiciunt: Ea dona Christus meruit, quæ Adam amisit; sed non amisit fidem: Ergo.

Respondetur ex dictis *p. p. tract. 11. disp. 2. quæst. 8.* Adam non amisisse sibi fidem, & spem, sed tantùm nobis, & ideò eguisse nos hæc dona recuperare per Christum, vt definit Concil. Arausicanum II. *can. 25.* vbi definit: *Post peccatum primi parentis ita attenuatum liberum arbitrium, vt nec possit in Deum credere, neque operari propter ipsum, vt oportet.*

Ex his habes, Christum meruisse non solùm pro omnibus dona gratiæ præparatoria ad iustitiam, sed etiam quibusdam peculiaria aliqua eximia.

107 Probatur à D. Bonauent. ad ea verba Ioan. 17. *Tui erant, &c. Ego pro eis rogo: Non pro mundo, sed pro eis, quos dedisti mihi*, vbi intercedit pro electis, & prosequitur fusius orationem.

Habes etiam, Christum meruisse, non solùm dona, sed etiam applicationem donorum. Hoc enim donum est.

QVÆSTIO IX.

An Christvs *meruerit ipsam remissionem peccatorum, & gratiam sanctificantem.*

{ D. Bonau. dist. 19 q. 1.
{ D. Thom q 49 art 1.

108 Assero primò, Christum nobis meruisse remissionem peccatorum.

Probatur à D. Bonauent. primò Scripturis, Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Heb. 9 *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Matth. 26. vt habetur in Canone Missæ: *Hic est calix Sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Hæc verba in forma consecrationis habentur, quæ tanquam essentialia asserunt plurimi cum D. Thoma, quod signum est, per sanguinem Christi haberi sanctificationem.

Probat secundò ratione, quia Iustificatio ex opere operato fit per Sacramenta: Hæc autem habent virtutem à passione Christi.

Assero secundò, Christum quoque meruisse nobis primam gratiam.

109 Probatur à S. Bonauent. ad cap. 1. Ioan. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, & statim: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, & concludit: *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Idem habetur *Rom. 3. Ephes. 1. Coloss. 1. 1. Tim. 2. Ad Titum 2.* & definita est in Conciliis, Mileuitano, Arausicano II. & Tridentino, *sessione 6. capite 7.*

Argumenta, quæ in oppositum affert S. Doctor, facilia sunt.

Dicas: sequeretur, gratiam dari nobis ex iustitia ex parte Christi. Respondetur, hoc concedendo.

Observa cum S. Doctore locum Apostoli, Rom. 4. *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Iustificatio igitur adscribitur morti Christi meritoriè; resurrectioni verò exemplariter, quia est exemplar nostræ re- 110
surrectionis à peccato; Ita etiam D. Thom. *quæst. 56. art 2.* Addit S. Doctor resurrectionem Christi esse causam nostræ resurrectionis spiritualis per modum finis, & per modum excitantis ad fidem, per quam fit applicatio meritorum Christi in iustificatione, vt exponit D. August. *lib. 16. cont. Faustum, cap. 29.* & D. Fulgent. *lib. de Incarnat. & gratia, c. 8.* Vide *prima 2. tract. de Gratia, disp. vlt. quæst. vltima.*

QVÆSTIO X.

An Christvs *meruerit nobis deletionem Chirographi.*

{ D Bonau. dist. 19. q. 2.
{ D. Thom. q. 49. art 5.

Nota ex D. Bonau. Chirographum dici à chi- 111
ros, idest, manus, & graphia Græcè, quæ vertitur, *Scriptura.* In re igitur nostra adhibetur à Paulo *Coloss. 2.* ad significandum, deletum à Christo Memoriale nostrorum delictorum, quo pœnis subiiciebamur, vt ait D. August. *lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 30.*

Assero, Memoriale istud à Christo esse deletum.

Probatur à D. Bonau. Coloss. 2. *Delens quod* 112
aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Vide S. Bonauenturam.

QVÆSTIO XI.

An Christvs *emeritus sit nobis libertatem à potestate diaboli.*

{ D. Bonau. quæst. 3.
{ D. Thom. q. 49. art. 2.

Assero, Christum nobis emeruisse, vt è po- 113
testate diaboli liberemur.

Observa, Vasquezium *disp. 17.* in fine dicere, non esse dicendum dæmonem ligatum solùm post aduentum Christi, quia & ante erat meritis Christi venturi ligatus; sed significari aduentum Christi fuisse causam ligandi: Tamen S. Doctor vult, dæmonem multum debilitatum post aduentum Christi ex Christi instructionibus, ex abundantia gratiæ, &c.

Probatur à S. Doctore ex 5. & 20. Apoc. & Ioan. 12. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*

Probatur secundò à D. Bonau. quem vide cum D. Thoma, sunt enim facillimi,

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

An CHRISTVS *emeritus sit nobis absolutionem à pœna peccatorum.*

114 ASSERO, Christum meruisse nobis absolutionem à pœna, peccatis debitâ.

PROBATVR à SS. DD. ex illo Isa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. ex 1. Petri, 1. *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Zach. 9. *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos, &c.*

PROBATVR tertiò ab vtroque S Doctore, quia
115 Christus satisfecit pro peccatis nostris, & meruit remissionem culparum, quibus rei sumus pœnarum. Vide S. Doctores.

NOTA verò reliquisse nobis pœnalitates aliquas ex originali ad meritum.

QVÆSTIO XIII.

An CHRISTVS *meruerit nobis apertionem Paradisi.*

{ D. Bonau. dist. 18. q. vlt.
D. Thom. ibi, q. 1. art. 6. quæstiunc. 1.

116 ASSERO, Christum meruisse, vt nobis Paradisus sit apertus.

PROBATVR à D. Bonau. primò Hebr. 10. *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum* (scilicet cœlestium) *in Sanguine Christi*, vbi adducit D. August. exponentem pro hac assertione.

PROBATVR secundò à S. Doctore, quia ob peccatum originale clausus est Paradisus iustis, & in huius vmbram etiam terrestris similiter ob peccatum singulorum. Vide S. Doctores.

IOBITVR Christus non modo meruit nobis gloriam, sed etiam vt damnati in amissam gloriam introducamur: Vnde Rom. 5. *Iustificati gratis per gratiam, gloriamur in spe gloria Filiorum Dei*, & infrà:
117 *Gratia regnet per iustitiam in vitam aternam, per Iesum:* Si autem aliter aperta est gloria: ergo Christus gratis mortuus est.

SEQVITVR autem ex dictis; nam si Christus meruit nobis gratiam, quæ reddit filios, & hæredes: Ergo & gloriam.

QVÆSTIO XIV.

An CHRISTVS *meritus sit nobis omnia dona, quæ dantur post Iustificationem.*

118 ASSERO, emeruisse nobis hæc omnia dona.

PROBATVR Scripturis allatis *quæst.* 8. quæ vniuersaliter de omnibus gratiis asserunt, dari ex Christi meritis.

PROBATVR secundò præcipuè à D. Bonau. *in* 2. *dist.* 28. *art.* 2. *quæst.* 3. ex illo Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, &c. Sic nec vos, nisi in me manseritis.* Vbi ex D. August. *tract.* 81. *in Ioan.* obseruat, ita nos à Christo tanquam capite accipere vitalia alimenta gratiæ vsque ad finem necessaria, sicut palmes exugit à vite alimenta: Hoc idem cum Seraphico colligit Concilium Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. vbi ait: *Cum enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua, nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent, &c.*

Hic autem influxus est Christi non solùm, quia dantur auxilia per Christum ad merendum, & crescendum in gratia, de quo nulla est difficultas; sed etiam quia datur ex meritis Christi valor ipsis operibus, propter quem acceptentur, vt condigna tali præmio, & in hoc, licèt aliqui repugnent, tamen probabilius est, vt censent Albertus Magnus, S. Bonauentura, Gabriel, & alij apud Cardin. Hossium *in confess. Polonica, cap.* 73. qui hanc sententiam sequitur cum Andrea Vega *lib.* 15. *in Tridentinum à c.* 4. 120
vsque ad 18. Caietan. *tom.* 3. *opusc. tract.* 10. *cap.* 9. Soto *in* 4. *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. quam Suarez *disp.* 41. *sect.* 3. vocat opinionem piam, atque probabilem, & consentaneam Scripturæ, & sanctis Patribus: Hoc verò Suarez explicat. Quamvis enim merita ex gratia habeant intrinsecam proportionem cum præmio, sicut de Angelis, & de Adamo innocēte dicitur; tamen quia posset Deus illa opera non ordinare ad meritum, quia aliis titulis ei sunt debita; ideò sancti PP. Diuinæ gratiæ adscribunt, quòd voluerit nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona, vt 121
Cœlestinus Papa *epist.* 1. *cap.* 12. definit, & Concilium Tridentinum *loco citato.* Hæc autem gratia confertur nobis per merita Christi.

QVÆSTIO XV.

An CHRISTVS *meritus sit hominum Electionem, & Prædestinationem.*

DE hac satis egi *p. p. tract.* 1. *disp.* 21. *q.* 13.

IBI etiam *quæst.* 14. disputaui: an prædestinatio Christi sit causa exemplaris nostræ Prædestinationis: Itaque hîc hac de re tacendum. 122

ALIQVI disputant: an Christus meritus sit gratias Angelis, sed de hoc egi *disp.* 13. *q.* 4. hîc.

EX omnibus dictis colligitur: an dicendum sit Christi meritum fuisse vnum, an plura: Multi enim Recentiores vnum astruunt, quia vna fuit Christi voluntas continua, perseuerans actu in merito.

ATTAMEN Magister *dist.* 18. *c.* 2. quem sequuntur D. Bonau. *art.* 1. *q.* 2. in fine corporis, Durandus *quæst.* 2. *ad vltim.* Paludan. *q.* 2. *art.* 2. *p.* 3. Gabriel. *quæst. vn. art.* 2. *concl.* 6. Maior *q.* 2. *concl.* 1. Almain. *q.* 1. *concl.* 5. & 6. & infrà *dub.* 3. Alens. 3. *part. q.* 17. *mem.* 2. *art.* 2. & 3. D. Thom. 3. *part. quæst.* 34. *art.* 3. *ad* 3. & alij, quos sequitur Vasquez *disp.* 75. *cap.* 4. dicunt fuisse plura. 123

ASSERO cum hac sententia, Multiplex fuisse Christi meritum, non autem vnum continuum.

PROBATVR à Vasquez ratione S. Bonau. *in corpore*, vbi etiam soluit obiectionem recentiorum, quia pro varietate cogitationum ex scientia infusa per se, & ex infusa per accidens prodeuntium, varios etiam actus habuit virtutum, & hos interpolatos: Vnde voluntas, licèt continuè voluerit bonum in communi, non tamen hoc, & illud. 124

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVI.

Quomodo Christvs in primo instanti meruerit iustificationem pro nobis, & tamen per succedentia opera etiam meruerit.

D. Bonau. dist. 18. q. 2.

125 Stat pro coronide dubium: Quomodo Christus, qui in primo instanti meruerit sufficienter pro nobis; per subsequentes actus meruerit.

Dvrandvs *dist. 18. quæst. 2.* vult Christum meruisse diuersis actibus diuersa præmia, non autem idem.

Contra aliqui arguunt ex Nazianz. *epist. 51.* vbi damnat anathemate asserentes, Christum bonis operibus profecisse, & ex Damasceno *lib. 3. de fide, cap. 22.* & Gregorio Magno *homil. 6. in Ezech.* qui idem asseuerant.

Verum sensus horum Patrum longè alius est; volunt enim tantùm, Christum non profecisse in sanctitate suis operibus; non negant autem, Christum multiplicatis meritis fecisse sibi pluribus modis debitum idem præmium, hoc enim non est damnandum, vt notat D. Bonau. *dist. 18. q. 2. ad 3.*

126 D. Thom. *quæst. 48. art. 1. ad 2.* respondet, Christum à principio in conceptione meruisse nobis salutem æternam; sed ex parte nostra erant quædam impedimenta, quibus præpediebamur consequi effectum præcedentium meritorum: Vnde ad remouenda illa impedimenta oportuit, Christum pati.

Omissa autem expositione Caietani, quæ mihi non probatur, nec Vasquezio *n. 15.* arbitror, sensum Angelici haberi ex eodem *quodl. 2. art. 2.* Christum qualibet actione meruisse sufficienter nostram redemptionem, non tamen ea opera deputata fuisse ad nostram salutem absque morte Christi condita innumeris passionibus, vt sic hominem summè deprauatum excitaret ad tantum beneficium acceptandum abnegatione suarum voluptatum: Id innuit S. Bonauent. *dist. 19. quæst. 1. in corpore.*

127 Recentiores nonnulli dicunt, Christum per priora quidem opera meruisse nobis dona, non tamen satisfecisse pro peccatis; satisfactio enim requirit supra meritum, vt opus sit pœnale.

At multa opera pœnalia præcesserunt, & de his redit quæstio: cur satisfaciens in primo, indiguerit cætera addere? Addit Vasquez, opera Christi meritoria esse etiam satisfactoria.

Soto *in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 5.* ait, omnia Christi merita computari pro vna actione meritoria, ex pluribus actibus constituta, quæ consummata est in passione: Itaque infert, si Christus tantùm, v. g. esset circumcisus, non meruisset tantas gratias nobis, licèt infiniti esset valoris.

Hæc tamen non subsistunt, quomodo enim intensiuè potest crescere meritum infinitum? aut quomodo esse adeò debile, vt non mereatur natura suâ infinitas gratias?

128 Driedo de captiuitate *tract. 2. cap. 2. art. 3.* dicit Christum per priora merita non satisfecisse; nam solutio satisfactoria pro peccatis fieri debuit per mortem: Per eam verò ait, Christum meruisse etiam aliquid peculiare; nempè aditum cœli, & liberationem à potestate diaboli.

Varum hæc suprà impugnata est, quia satisfactio fit per modum meriti, neque alia videtur satisfactionis, & meriti differentia, nisi quia meritum latius patet, cùm extendatur etiam ad opus exhibitum ad præmium, non pro aliqua culpa: Reliqua gratis sunt dicta, vt notat Vasquez *num. 18.* 129

Cæterum ipse Vasquez sic respondet, Christum singulis actionibus meruisse omnia dona. Quomodo autem id fiat; sic discurrit: Singula opera Christi habent dignitatem adæquatam præmio absque diuina acceptatione: Ideò facilè potuerunt mereri singula gratias omnes.

Passioni verò tribuitur, quia illi facta est promissio, non aliis operibus, Isa. 53. *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum.* Heb. 2. *Authorem salutis per passionem consummare.* Philip. 2. *Factus obediens vsque ad mortem. Propter quod, &c.* Lucæ 24. *Oportuit pati Christum, & ita, &c.*

Hæc ex parte consonant Seraphico, qui multitudine actuum idem semper meruisse docet, nouis, & nouis titulis, & meritis, vt suprà ostendi: Passioni quoque adscribi redemptionem, quia de ea fuit promissio, asserit S. Doctor *dist. 19.* & probat Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis in sanguine suo.* Heb. 9. *Omnia penè mundantur in sanguine: & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Rom. 4. *Mortuus est propter delicta nostra*, & aliis Scripturis *ad cap. 14. Ioan.* probat ex illo Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* 130

Quòd verò ait, Vasquez ideò plura esse merita multiplicata, quia singula fuêre ex condigno; & addit, nos, qui requirimus acceptationem etiam Dei, non benè posse sustinere pluralitatem meritorum, quia acceptatio Dei est vna in omnibus. Hoc inquam futile est; nam cum multiplicentur opera in Diuino beneplacito, multiplicantur etiam merita, sicuti euenit in omnibus aliis rebus, in quibus ratione creaturæ multiplicantur opera Dei: Est enim vnum beneplacitum Dei in omnibus meritis hominum, & tamen quis dicat, meritum Petri esse vnum meritum cum merito Pauli? Sic vna est voluntas Dei, qua vult salutem nostram, & tamen alia est salus mea, alia aliorum, & sic discurrendo: Tandem fatetur ad efficaciam meritorum Christi requisitam fuisse promissionem. 131

Merita verò Christi quomodo ex iustitia fuerint, satis ostendi *disp. 3.* Appono tamen dictum S. Doctoris *serm. 2. Dom. 2. Adu.* vbi exponens id, Isa. 56. *Iuxtà est salus mea vt veniat, & iustitia mea vt reueletur*, ait: Iustitia Dei in Filio reuelata est, quia per ipsum pro homine iustissimè satisfactum est: & homo iustissimè redemptus: Cùm enim redemptio sit cum condigno pretio rei recuperatio; Ecce nihil fuit in cœlo, vel in terra quod ita pretiosum esset, sicut genus humanum, quod perditum fuit, nisi solus Deus recuperasset: Oportet ergo Deum esse eum, quo redimi debuimus: Id erat è SS. Patribus, allatis *disp. 3. quæst. 3. & sequentibus.* 132 133

DISPVTATIO XXII.

DE SVBIECTIONE CHRISTI.



HRISTO considerato iuxta ea quæ in se vel fuit, vel habuit; nunc eius ad Patrem habitudinem expendere libet. Hæc autem licèt in multis consistat, quippè quòd Patrem suum supplex orauerit, eique in Sacerdotio, aliisque ministeriis indefessus seruierit, cùm tamen omnia huiusmodi è Subiectione Christo obuenerint; de ea primo loco disputabimus, cætera verò hinc oriunda, sequentibus disputationibus prosequemur: Postea è conuerso Patris ad Filium habitudinem indagare nobis incumbet, num scilicet ipsum adoptauerit; num prædestinauerit, &c. Porrò præcipuè hîc tractanda reduci possunt ad duplicem modum loquendi in hac materia; Prior est de Christi Subiectione; posterior de ipsius Seruitute, num scilicet verè subiectus, & seruus, nullo habito Diuinæ Personæ præiudicio, dici queat: De his etenim Theologum decet accuratiùs inquirere, ne quod propriè hominis Naturæ affigitur, Dei personæ malè affingatur: Sunt & aliæ intermediæ quæstiones, ex his ortæ, quibus de præcepto, quod Christo, vel imponi poterat, vel actu impositum erat, discutietur: Et hoc erit totale huiusce disputationis argumentum.

QVÆSTIO I.

An CHRISTVS *sit dicendus: subiectus Patri.*

{ D. Thom. quæst. 20. art. 1.

1 ASSERO, Christum secundùm naturam humanam esse subiectum Patri:

PROBATVR à D. Thom. *hic*, & D. Bonauentura *ad* 14. *Ioan.* ex illo: *Pater maior me est.* Vbi D. Augustinus in Ioan. tract. 78. *Agnoscamus geminam substantiam Christi; Diuinam, qua æqualis est Patri: Humanam, qua minor est Patre.*

2 CONFIRMATVR primò à S. Bonauentura ibi, & D. Thom ex 2. Philip. *Cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Vbi ostenditur natura humana subiici Diuinæ potestati in ordinationibus, vt asserit etiam D. Dionys. *cap.* 4. *de cœlesti Hierarchia.*

CONFIRMATVR secundò à S. Doctore, *ad* 8. *Ioan.* ex illis verbis: *Quæ placita sunt ei, facio semper*, & ideò ait S. Thom. Philip. 2. dici: *Factus obediens vsque ad mortem.*

QVOAD modum loquendi, admonet D. Thom. non esse absolutè dicendum Christum subiectum Patri, ne Arrio videamur arridere: attamen posse asseri, ait Suarez, *ad articulum*, quia nil aliud significat, quàm Christum hominem habuisse voluntatem subiectam Deo, sic enim dicitur obediens Patri, quod idem est ac esse subiectum: D. autem Bonauentura *dist.* 11. *art.* 2. *quæst.* 3. *argumento* 2. *ad oppositum*, affert locum Damasceni *lib.* 3. *de fide*, *cap.* 1. vbi Christus subditus, & seruus dicitur, & in *responsione*, non vult admittere hoc effatum, nisi sub hac distinctione, in quantum homo; & *in corpore*, non vult admittere absolutè: Christus est creatura, vt dixi *disput.* 18. *quæst.* 5. Idem autem est de hoc nomine *subiectus*, quia hæc subiectio prouenit ratione creationis. 3

Neque mihi probatur id, quod ait Suarez *disp.* 43. *sect.* 2. posse Christum dici subiectum Patri, non autem minorem Patre, quia minor dicit comparationem absolutam, non sic subiectus. Ratio mea est, quia subiectio inducit minoritatem; ex eo enim, quod in suo esse sit subiectus alteri, est minor illo: Ecquis enim maior est subiectus? Adde Ioan. 14. eum fateri: *Pater maior me est.* Sic etiam D. Athanasius in symbolo: *Minor Patre secundùm humanitatem*, D. Augustinus, *de Trinitate, cap.* 7. apud D. Thom. 4

D.Thoma, *hic;* ratio est, quia est ens creatum, vt notat Morandus *quæst.*9. Non debet tamen dici abso-
5 lutè minor, quia destruitur æqualitas, sed *Minor secundùm humanitatem*, vt habetur in symbolo Athanasij.

QVÆSTIO II.

An CHRISTVS *fuerit capax præcepti.*

6 IN præcepto, seu etiam Lege est duplex vis inclusa; altera directiua, quæ includit vim obligandi: altera coactiua, quâ pœnis compellere potest.

CHRISTVS igitur vi directiua tenebatur, quia propria voluntas humana non erat propria ei regula, sed egebat dirigi à Deo.

ASSERO primò, Christum fuisse præceptis obnoxium.

PROBATVR à D.Bonau.*ad* 14. *Ioan.* ex Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Alias scripturas afferam *quæst.* 3.

7 ASSERO secundò, fuisse Christum subiectum legi æternæ, & legibus naturæ.

PROBATVR, quia secundùm hanc exequimur id, quod est intrinsecè bonũ, & vitamus malum intrinsecum, quod ideò est vetitum, quia malum. Quare voluntas Christi tenebatur: sic ipse Christus in Euangelio, & præcipuè *Ioan.*4. fatetur, hoc esse suum cibum vitæ necessarium.

8 ASSERO tertiò: Christus non tenebatur legibus humanis: Ità S.Bonau.*in* 2.*dist.*44. *art.*3.*q.*1.*ad* 1; & alij Theologi *eadem dist.* Soto *in* 4. *dist.*25. *q.*2. *art.*1. Turrecrem. *lib.*4. *summa, parte* 4, *cap.*37. vbi refert contrariam sententiam damnatam à Ioanne XXII. quæ fuit Marsilij Patauini.

PROBATVR à S.Doctore ibi *ex Matth.* 17. vbi Christus de Lege tributorum infert: *Ergo liberi sunt Filij*, quem locum Patres omnes de Christo intelligunt, & ex eo arguunt alij Thologi post S.D.

DICES: Tenebatur legibus Matris, & Nutritij,
9 Lucæ 2. *Erat subditus illis.*

RESPONDET S.Doctor ad *eum locum*, ex D.Bernardo *homil.prima super Missus est*. Christum cum esset Deus, non fuisse subditum, sed sponte se subdidisse: Poterat enim dicere id 1.Cor.9. *Cùm essem liber, omnium me seruum feci.* Tenebatur tamen ratione humanæ naturæ pietatem seruare in Matrem: Sed hæc est Lex naturalis.

ASSERO quartò: Christus non fuit subiectus legibus diuinis positiuis, quæ pro tota Ecclesia latæ fuerunt: Est communis, apud Becan. *cap.* 16. *q.*1. Tanner. *quæst.*7. *d.*1. Morand. *quæst.*49.

10 QVOAD legem antiquam probatur à D. Bonau. *in* 4. *dist.*3. *part.*2. *art.*3. *q.*1. *ad* 3. *& ad* 2. *Lucæ*, quia cùm esset Deus non tenebatur: Ideò dixit, Filium hominis esse Dominum etiam Sabbathi, vt notat D.August. *lib. q.q. in Matth. q.*10. quamvis enim cultus Dei sit iuris Diuini naturalis positiui, attamen præfixa dies Sabbathi est solum iuris positiui Diuini, ideò potuit mutari in Dominicum: Licet se voluntariè subiecerit Circumcisioni ob salutem Iudæorum, ne eum recusarent, quasi non de sua gente, & fratribus, vt promiserat per Moysen: Secundò ob humilitatem: Tertiò vt finem, & complementum Legi daret.

11 NON tamen sequitur, eum obligatum toti legi, vt videtur innui Galat.5. *Testificor omni circumcidenti se, quia debitor est vniuersæ legis faciendæ*; nam circumcisionem impsit ex sua benignitate: sic etiam dicebat Matth.5. *Non veni soluere legem, sed adimplere*, vnde dicitur, factus sub lege, *Galat.* 4. non enim ius, sed factum significat, vt indicarunt SS. PP. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, & Anselmus, & notat Morandus: Quamvis subditus legibus dicatur ab Athanas. *disp. cum Arrio circa finem*, & Cyrillo *lib.*2. *de fide ad Reginas*, & *epistola ad Monachos Ægypti*, quia se voluntariè subdiderat: ideò eum liberum, & subditum acclamant.

QVOAD nouam Legem, probatur à Suarez, quia 12
ipse erat Legislator, neque leges æqualiter spectabant ad materiam illi conuenientem; tunc enim etiam Legislator subditur legibus, vt dixi *prima* 2. *tract.*4. *disp.*6. *quæst.*12.

QVÆSTIO III.

An CHRISTVS *habuerit speciale præceptum moriendi pro nobis.*

D.Bonau. dist.24. q.4. art. 7.
D. Thom. q.47. art. 2.

PRIMA sententia negat, præceptum obligato- 13
rium fuisse datum Christo: sic Victoria, apud Medin. *quæst.*47. *art.* 2. qui non abnuit, Lorca *q.*19. *disp.*63. afferens Paludanum. *dist.*12. *quæst.* 2. *art.* 3. Dionys. Cister. *quæst.*3. *art.*2. Albert. *cap.* 3. *de virtut.* & multos PP. quos referam.

SENTENTIA cõmunis Theologorũ est, datum esse Christo præceptum moriendi pro nobis: Ita SS.Doctores hic, Valent. *disp.*1. *q.*19. *p.* 2. Suarez. *ad q.*20. & *disp.*43. *sect.* 3. Vasq. *disp.*74. *cap.*4. Fonsec. 6. *met. cap.*2. *q.*5 *sect.*12. Tol. *ad* 10. *Ioan.* Lugo *disp.*26. *sect.*8. Becan. *cap.*16. *q.* 1. Tanner. *q.*7. *d.*1. Morand. *q* 49. & alij relati *disp.*20 *q.*3. qui conati sunt salvare libertatem Christi in executione præcepti, atque impeccabilitatem, qua non poterat transgredi: Verum Seraphicus locis afferendis, omnium optimè doctrinam à scopis sartam tectam exhibuit: Ait ergo, datum ei quidem fuisse præceptum exhibenti se liberè, quæ est sententia D. Anastasij Sinaïtæ in Hexaemer. Rabbinorum, apud Galatin. *de arcanis*, & aliorum apud Velasq. *ad cap.* 2. *epist. ad Philip.* & SS.Patrum, quos referam.

ASSERO cum hac sententia, Christum liberè ac- 14
cepisse à Patre præceptum pro nobis moriendi.

PROBATVR à D. Bonau. primò *ad cap.*10. *Ioan.* ex illis verbis: *Hoc mandatum accepi à Patre meo*, & ad cap 14. Ioan. ex illis verbis: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, & ad cap.15. ex illis verbis: *Patris mei præcepta seruaui*, quæ omnia propriè esse intelligenda probat S. D. D.Aug. *tract.*79. *in Ioan. lib.*13. *de Trinit. c.*14. *& q.*55. *super Deuteron.*

ALIAS Scripturas affert S.Doctor *ad cap.*14. *Ioan. loco cit.* Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Rom.8. *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Vbi obseruat, voluntatem Patris fuisse mandatum Filio.

ADDIT cum Agathone Papa *epist.*1. *in sexta Sy-* 15
nodo, act. 4. id, *Psal.* 39. quo vtitur Apostolus Heb.10. *Hostiam noluisti, &c. In capite Libri scriptum est de me: Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Accinit Isa.53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.*

IDEM probatur à S.Doctore *dist.* 17.*quæst.* 3.*ad* 1. ex illo Matthæi 26. *Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua,* dicit autem: *Si non potest*, quia sentiebat necessitatem præcepti vrgere, vt aduertit Damascen. 3.*de fide, cap.* 24.

16 Ex professo autem id probat D.Bonauentura *in* 3. *distinct.* 20. *quæst.* 5. ex illo Philip. 2 *Factus obediens vsque ad mortem.* Obedientia enim supponit præceptum Patris, & confirmatur cum Origene homil. 2. in Cantic. ex illo Rom. 5. *Sicut per obedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Vbi comparatur inobedientia Adæ Diuino præcepto, cum obedientia Christi sanè præcepto redimendi morte homines, perditos inobedientiâ: Quam comparationem notauit D.Cyril.*lib.* 10. *in Ioan. cap.* 12.

17 RATIONEM etiam affert S. Bonauentura *in corpore*, hinc erutam, quam sequitur Suarez; fuit enim expediens, vt sicut ex superbia, & inobedientia Adæ perditi sunt homines; ita humilitate, & obedientia Christi redimerentur.

QVO verò pacto indixerit Pater hoc præceptum, an expressè moriendi, an verò solùm reuelando, nullum aliud remedium statutum esse, atque adeò necessarium hoc ad hominum esse redemptionem; quia ipse decreuerat nullam aliam satisfactionem acceptare.

18 MVLTI dicunt, saltem hoc secundo modo impositum esse Christo ex lege charitatis dare vitam corporalem pro salute hominum, & Deo hanc gloriam conferre: Citatur à Suarez D.Anselmus *lib.* 1. *Cur Deus homo, cap.* 9. & probabile existimat ipse Suarez.

D. BONAVENTVRA, *quæst.* 1. *Ad primum* ait, non adactû fuisse necessitate antecedente Christum à Patre, sed sponte se obtulisse ad mortem: Pater videns summam in Christo charitatem moriendi pro nobis ad meritum sanctæ obedientiæ præcepit illi, vt moreretur; sicuti ipse postulauerat ad meritum præclarius, ad modum, quo aliqui voluntariè vouent, votumque pium accepit Deus.

19 QVONIAM verò Suarez *disp.* 37. *sect.* 3. resistit dicens, hoc esse dictum absque fundamento, neque vllo modo probari posse, esseque parum consentaneum Scripturæ, & Diuinæ prouidentiæ: Scripturæ enim *Ioan.* 10. & 14. testantur (ait ipse) absolutum mandatum: & Apostolus *Hebr.* 10. exponens *Psal.* 39. indicat Christi animam statim in sua creatione cognouisse præceptum Patris de morte subeunda, illudque suscepisse.

DIVINA autem prouidentia læditur, quia magnum hoc negotium facit pendere ex voluntate Christi humana: Vanum est autem fingere, Deum decreuisse mortem Christo, quia præuidit, ipsum ex charitate postulaturum mortem: Hæc Suarez.

20 EQVIDEM iisdem Scripturis, & mediis præclarè cum D. Bonauentura ostendam, quam solida sit nostra sententia, quæ est sententia etiam D.Anselmi *libro secundo, Cur Deus homo, capite quinto, decimo, & decimoseptimo.*

PRIMÒ quidem *Ioan.* 10. Christus sic loquitur: *Propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam: Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam, potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterum sumendi eam*, & subdit: *Hoc mandatum accepi à Patre meo.*

21 HÆC luce clarius ostendit, se quidem à Patre habere præceptum; sed ex sua libera voluntate acceptum; siue loquatur, hoc sensu habere quidem præceptum dispensabile etiam tunc, cum hæc dicebat; siue asserat potestatem suam, repræsentans se eo modo, quo ab initio liberè præceptum acceptauit: Et hoc modo explicat id Psal. 3. *Ego dormiui & somnum cepi; & exurrexi.* Comparat autem dormitioni mortem suam, sponte suauiter haustam. Hoc secundo sensu eum locutum reor.

22 DEINDE ponderat ibi S.Bonauentura locum epistolæ *ad Philip.* 2. Ibi enim Apostolus hortatur Philippenses ad charitatem mutuam: *Si qua ergo consolatio, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes, &c. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, &c. semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, &c.*

EN quomodo primam radicem huius præcepti ponit charitatem, & miserationem Christi, nostris calamitatibus exhibitam: Ad idem enim sentiendum hortatur Apostolus. Deinde dum ait, Christum cùm Deus esset, formam serui accepisse, sumendo carnem, & seipsum humiliasse, dum esset homo; ostendit voluntariè se inclinasse morti; præceptum verò impositum esse è Christi humilitate, charitate, & miseratione. Pondero id: *Humiliauit semetipsum.*

23 ACCIPIO tertiò locum illum Apostoli, sumptum ex *Psalm.* 39. sic autem loquitur Dauid: *Sacrificium, & oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi. Holocaustum pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Hunc locum sic assumit Apostolus: *Impossibile est, sanguine Taurorum, & hircorum auferri peccata: Ideò ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Vt faciam Deus, voluntatem tuam: In qua voluntate sancti sumus per oblationem corporis Christi semel. Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Hebr. 10.

24 PRIMÒ quidem exhibitio Christi ante præceptum apponitur, visa inacceptatione hostiarum animantium præcipuarum, quæ fiebant in die expiationis: *Ecce venio.* Posteà dicitur: *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam.* Sic exponit Glossa, *Hebraeor.* 10. dicens: *Quando vidi, illa omnia displicere, & corpus idoneum ad hoc mihi datum, tunc dixi: ecce venio ad me offerendum, vt compleam voluntatem tuam. Liber ille, in cuius capite ait, scriptum esse, vt faceret voluntatem Patris, secundùm D. Hieronymum* in Glossa, *est Genesis, quod est primum volumen testamenti veteris; & Euangelium, maximè Ioannis, quod idem principium Genesis resumit, referens, Deum creasse omnia, atque Patrem per Verbum omnia fecisse, vt ait ibi Diuus Hieronymus. Idem refertur in Glossa ex Diuo Augustino.*

25 IAM verò si hoc attentè consideres, videbis mirabiliter sententiam Seraphici indicari: Ex creatione enim, & generatione educit hoc debitum Christi moriendi pro nobis; & ita hanc Patris voluntatem exequendi

exequendi: Quis autem non videat, hoc non esse antecedenter debitum, sed solam prouidentiæ congruentiam, vt Verbum, ex vtero Patris genitum, eius gloriam quæreret incarnatum, & coadiuuans liberè ad mundum creandum, liberè cooperaretur reformando? Cæterum voluntas etiam Patris, non præceptum sonat, sed beneplacitum, promdamque charitatem.

Hæc sanè est suauior prouidentia, qua & re-
26 dimitur genus humanum, dependenter quidem à voluntate Christi quoad præceptum: Attamen primò mota à Deo, qui infudit in animam illam sanctissimam efficaciam voluntatis moriendi, sicque Deo suauiter ad morem adscribitur: Ex altera etiam parte præceptum sic liberè acceptatum à Voluntate Christi, cui tota redemptio adscribitur, vt ait Apostolus, magis est magnificatum: Ita enim cùm sit substantialiter liberum, est meritorium: In sententia verò Suarez, & aliorum, qui aiunt, præceptum impositum Christo independenter ab illo, redditur substantialiter totum necessarium, nec meritorium substantialiter, sed solùm secundùm intensionem, vel particulares effectus, & circumstantias, & per hoc corruunt omnia Suarez argumenta.

Hic quidem modus saluat præceptum Christo impositum, & loquitur ad mentem Sanctorum Patrum, ex quibus nullum affert Suarez pro sua sententia; sed pro nostra tantùm, quos referam: soluat etiam meritum in substantia præcepti exequenda, quod magni ponderis est, nec aliter saluatur, vt latè ostendit Velasq. *ad locum citat. Philip.* & Lugo *disp.* 3. *num.* 14.

27 D. Chrysostomvs *homilia* 7. *in epistolam ad Philippens. contra Arrianos*, ait: *O insensati, & amentes; nam & amicus nos obedimus, & nihil nos hoc deiicit, vt Filius obediuit Patri, non in seruilem conditionem decedens.* Sentit igitur, illam obedientiam fuisse non antecedenter ex præcepto, sed in ordine ad Diuinam Voluntatem, simpliciter insinuatam, seu commendatam, cui Christus humana voluntate conformis fuit: Vnde sumi potest probabilis ratio, quia vt Christus exequeretur voluntatem Patris, non indiguit præcepto antecedenter, cùm esset promptissimus ex charitate iam ad mortem adeundam; sed satis fuit ad maius obedientiæ meritum supeřadiungi: Idem astruit *homil.* 18. *ad Hebr.* Euthym. & Oecum. *ibi*, apud Lugum *num.* 13.

28 Theophylactvs exponens id Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, ait: *Quod complacitum est illi, & decretum ab eo, suscipio, & perficio mandatum, dedit, hoc est, voluit, dixit, approbauit, decreuit.* Igitur hoc præceptum fuit approbatio voluntatis Christi. Confirmatur totum ex D. Chrysost. *homil.* 2. super cap. 12. ad Heb. circa ea verba: *Aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*, vbi notat, totum hoc negotium ex voluntate Christi, diuinitus mota, ortum habuisse.

29 Respondet Suarez, hos PP. loqui vel contra Arrianos, qui volebant Filium Dei esse minorem, vt subditum, etiam secundùm suppositum, vel indicato, datum, præceptum implicitum, ostendendo ei decretum, non tamen negant, hinc ortam obligationem ex charitate ad dandam vitam pro hominum salute.

At satis apertè excludunt omne præceptum antecedens, & liberum astruunt Christum, neque obligatio ex charitate ingruebat dandi vitam Christi infiniti valoris pro salute finita hominum: Adde, Chrysostomum ante exortam hæresim Arrij scripsisse: Alios refert Velasquez *loco citato*, idem docentes.

Tandem fatetur Suarez, Christum libera voluntate se obtulisse morti, vt ait Apostolus *Heb.* 12. 30
& Chrysostomus *ibi*.

Respondet tamen, significari libertatem circa tempus moriendi tantùm: attamen præclarè ait, substantiam simpliciter liberam fuisse, vt patet in illo testimonio ad Hebræos, & *Ioan.* 19. allatis: Adde id Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*: Lege Versionem latam *disp.* 1. *quæst.* 1. *testimonio* 4.

Quod verò affert pro se D. Anselmum, de quo 31
etiam dubitat; certum est S. Anselmum solùm asserere impositum præceptum prædicandi, & perseuerandi in iustitia; Quod verò ex hoc per accidens posset sequi mors, vt etiam innuit D. Anselmus, non obstat; potuit enim Christus eam euitare.

QVÆSTIO IV.

An Christvs *possit dici seruus Dei.*

Certissimvm est, Christum secundùm hu- 32
manitatem esse Patre minorem, eique subditum, vt dixi *quæst.* 1. Nunc quæstio est: an ita sit inferior, & subditus, vt conditionem subeat seruitutis.

Prima opinio renuit titulum serui Christo homini adscribere: Ita Vasquez *disputat.* 80. Lugo *disput.* 28. *sect.* 3. Bernal. *disput.* 58. Amicus *disp.* 28. *sect.* 4. Hurtadus, Becan. *cap.* 14. *quæst.* 2. Granado, Orlandus, Turrianus, *opusc.* 13. *disp.* 1. *de ingenuitate Christi disp.* 1. Pasqualigo *disput.* 84. *so.* 4. Vulpes *disput.* 18. *art. vltim.* Centinus, & alij apud allegatos, & videtur D. Bonau. *dist.* 9. *quæst.* 1. *ad* 6. Scoti *dist.* 11.

Commvnis tamen Theologorum sententia 33
est, posse dici Christum secundùm humanitatem Dei seruum: sic S. Bonauentura, *distinctione* 15. *articulo secundo*, *quæstione prima*, *argumentis ad oppositum*, *additis responsis*, vbi idem censet dicendum de hac: Christus est seruus Dei, vti & de hac: Christus est creatura, quia hæc seruitus oritur è creatione: Quare sicuti concedit hanc: Christus secundùm humanam naturam est creatura; ita etiam hanc, vt vidit Suarez *disputatione* 14. *sectione* 1. & 2. Idem asserit S. Doctor, *primo, distinctione* 15. *quæstione* 4. *in corpore*, & ad ea verba Ioannis 8. *Seruus non manet in domo in æternum*, vbi solam seruitutem mancipialem excludit à Christo, & hanc sententiam è S. Doctore collegit P. Forestus Magister meus eruditissimus, & in D. Bonauentura multum, diuque versatus, in cuius publica lectione quinquaginta annos elaborauit, *fol.* 65. & 652. *operis de Trinitate*: Eum 34
secuti sunt Suarez *loco citato*, Valentia *quæstione* 20. *puncto primo*, Caspensis *disputatione* 11. *sectione vnica*, Bernal. *disputatione* 58. Lorca, Ragusa, Cabrera, Aluarez, Bonacina, Auersa *quæstione* 20. *sectione* 3. Morandus *quæstione* 49. Caietanus, & Medina ad hunc *articul. D. Thomæ*, Tannerus, *quæstione* 7. *dub.* 1. Mastrius *disputatione* 2. *quæstione* 7. Matracensis *disputatione* 48. *sectione prima*, nec omnino stat ex aduerso cum suo Vasquez Turrianus, vt dicam.

35 Hæc quæstio mihi de voce videtur laborans; ideò pacate vox *Serui* est ventilanda.

Svbiectio seruitutem constituens, vel est in ordine ad Deum, vel in ordine ad alios homines, vt obseruant Bellutus *disput.at. 9. quæst. 2. artic. 3.* Mastrius *num.158.* Prima dicitur seruitus naturalis, quæ fundatur in essentiali dependentia naturali creaturarum à Deo, qua conseruantur in esse, & sine qua in nihilum resoluerentur: Seruitus verò ad homines non est naturalis, sed iure gentium inuecta, seu iure belli, seu natiuitatis, aut emptionis, vel instæ condemnationis. Vnde dicitur seruitus legalis, & politica, vt ostendi cum D.Bonauentura *tract. de Legibus, disp. de Iure gentium*, quem sequitur Scotus 4.*dist.36. quæst. vnica,* vbi & S.Doctor: Addit aliam esse seruitutem nostram, quá extranei egemus extrinseca adoptione, & necessitatem seruiendi dicit.

36 Hvivs legalis seruitutis humanæ tres assignantur conditiones, vt monent Suarez *sect. 1.* Vasquez *cap.4. & 8.* Prima est, vt seruus Domino obedire teneatur: Secunda nè sit sui iuris, vt docet Aristotel. *primo Polit. cap.3.* Qui enim est sui iuris, & subiicit se ad mercedem operis, dicitur mercenarius: Tertia vt cum Domino nec in honoribus, nec in sede, nec in bonis communicet, seu non habeat ius ad hæreditatem Domini, quæ conditio sumitur ex Aristotele 8. *Eth. cap.11.* vbi ait, quod seruus, vt seruus, nihil habet cummune cum Domino, & hæc sanè conditio, vt est propria seruitutis humanæ, non conuenit subiectioni naturali creaturarum Deo: Quare nec ad Christum transit, qui ob vnionem hypostaticam communicat in bonis gloriæ, in titulis diuinis: ideò Coloss. 2. dicitur: *In ipso inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter*, & Hebræor.primo: *Sedit ad dexteram maiestatis in excelsis, &c.* Igitur humanitas Christi, quæ seclusa vnione hypostatica esset etiam legali modo serua, ob vnionem, seruili caret conditione legali, & hoc vult S. Damascenus *3. de fide, capite vigesimo*, & *libro 4. cap. 19.* infrà allegatis.

37 Hoc idem vult Concilium Francoford. in quo totam vim facit Vasquez cum asseclis; intendit enim à Christo excludere seruitutem mancipialem, ingenuitati oppositam, & eam seruitutem damnat, quæ excludit communicationem in titulis, & aliis bonis: Ideò enim Elipandum reprehendit, quia Christum ponebat Filium Dei adoptatum, non communicantem cum Deo in titulis, & honoribus Dei.

38 Cætervm quis negabit, humanitatem Christi totam imperio Dei subiici, vt possit ab eo etiam annihilari? Et hæc est seruitus, quam explicat Philosophus 1. *Polit. cap.3.* dicens: *Quicunque sui ipsius non est secundùm naturam, sed alterius, homo autem est, hic naturâ est seruus*, & hanc seruitutem concedendam fatetur Turrianus *loco citato.* Quo sensu dicitur servus, Psal. 115. *Ego servus tuus*, & Isaïæ 42. *Ecce seruum meum, suscipiam eum.* Vnde Augustin. *sermone 78.* & epistola 178. *Non solum subditum, sed & seruum confitemur*, & Ambrosius *qinto de fide, capite sexto*, & Cyrillus *libro, 12. Thesauri, capite decimoquinto:* Idem fatentur.

39 Præclare D. Athanasius *serm. 3. contra Arrianos.* Ad seruitutem sanè sufficit esse in potestate omnimoda Domini, vt dixi cum Aristotele, vbi nihil de exclusione à participandis bonis habetur: Quare Vasquez debebat seruare illud suum monitum, non esse nouas marte suo definitiones inuehendas, ne omnia confundamus; nam seruitutem mancipialem etiam D.Bonauentura remouet à Christo, ad locum citatum Ioannis.

Asserro igitur, Christum secundùm humanitatem posse dici seruum Dei, modo dicto.

Probatvr primò à S. Bonauentura *in primo, loco cit.* cum Magistro, & aliis ex illo Philippens. 2. *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens.* Vbi D. Chrysostomus, epistola ad Philippens. sermone 7. dicit: *Sicut in forma Dei perfectus est Deus; ita in forma serui perfectus est servus.* Et Theodoretus ad eadem verba: *Forma Dei, ait, est substantia Dei: forma ergo serui est substantia serui,* & D.Cyrillus ad Euop. ait: *Tametsi secundùm naturam propriam liber sit, vtpote Deus, & ex Deo; verumtamen, tanquam propriam habens propter exinanitionis mensuram, tributorum exactoribus subditus erat, idest, voluntariè subiecerat se; atque adeò, si quis dicat seruum eum appellari propter vocem Sanctorum Prophetarum, nullo modo offendi decet.* Et libro nono Thesauri, capite tertio, parum post initium ait: *Tunc igitur & Dominus, & Christus fit, quando homo factus, & Iesus, & seruus vocatus est.* Idem habet Basilius *lib.1. contra Eunomium,* & alij Græci *ad eum locum,* & Ambrosius *lib.2. epistola 47.* & Adamus ad eum textum. 40

Ex his defluit responsio Vasquez, & Becani, nihil hoc testimonio probari, quia non vocat Apostolus Christum seruum, sed dicit formam serui accepisse, quod longè diuersum est, nam vult, accepisse quidem naturam humanam, quæ suapte conditione est seruilis, non tamen in Christo, qui sub seruili conditione non mansit ratione vnionis. Et ita ait, PP. dicere tantùm, eum vocari servum, non autem esse. 41

Hæc sanè responsio inanis est; nam allegati PP. ad *hunc locum* deducunt, Christum posse dici verè seruum, ex eo quod formam serui accepit, vt vidimus suprà, & confirmatur ex eodem Cyrillo *lib.12. Thesauri, cap.15.* vbi de Christo eloquitur: *Ipse Dominus secundùm naturam, quia Deus; sed seruus factus est, quia verè homo,* & D. Athanas. *oratione 3. contra Arrianos*, longe ab initio ait: *Quatenus in confesso est, eum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit siue seruus, siue Filius ancillæ.* Et infrà; *Omnes istiusmodi vocula in rationem humanitatis benè, & propriè competunt, illaque omnia, non substantiam Verbi, sed hominem ipsum fuisse demonstrant.* Eodem modo loquitur *orat. 2. contra Arianos*, post 10. *folia:* Idem habent alij PP. 42

Respondet Vasquez *num.59.* hos PP. disputasse cum hæreticis Arianis, & id solùm intendisse, manere probatum, Christum esse *Homousion*, idest consubstantialem, etiamsi in forma serui esset, neque curasse; an propriè dicendus esset secundùm naturam humanam seruus. Ità & Lugo, *numero 36.* Qui & specificatiuè, & reduplicatiuè frustra sectiones addit. 43

At fallitur Vasquez; nam isti PP. cautè incedunt, nè vnam hæresim destruentes, alium errorem inducerent, & non obiter, seu ex calami lapsu, sed ex proposito dicunt, Christum esse propriè seruum, præcipuè D.Athanasius, vt vidimus.

Probatvr secundò à S.Doctore, ad cap.20.Ioan. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum,* quod perinde est, ac vocare Dominum, vt notat ibi cum eo etiam D.Th. *quæst. 10. art. 1.* & indicatur *in epistola 10. Cyrilli,* Concil. Alexand. & accepta in Concilio Ephesino 44

epist.

epist. ad Nestorium. Et de hoc latius agit Hilarius *lib.* 11. *de Trinitate.*

RESPONDET Vasquez *num.* 16. Nunquam *in cap. illo*, vocari Christum seruum, vel Patrem Dominum, sed Deum verum: Hinc colligit *in ea epistola*, Christum esse sub potestate Dei, & Christum esse subiectum Deo. Sunt verò inuicem connexæ seruitus, & subiectio respectu Dei, vt indicat S. Bonauentura *in primo, loco citato*, & notat Valentia. Discernit tamen ratione Patris, vnde non ait: Patrem nostrum, sed: *Patrem meum, & Patrem vestrum*, vt explicabo, *disp.* 25. *quæst.* 2.

45 PROBATVR tertiò ratione Seraphici *citato loco in tertio.* Relatio seruitutis ad Deum, vel est relatio creaturæ ad Creatorem, vel ab ea manat, & cum ea est necessariò coniuncta, quia Deus creando est Dominus creaturæ: Propter quod rectè dixit Cyrillus *lib.* 4. *de Trinitate, col.* 6. seruile factum esse quidquid productum est ex nihilo, & ideò dixisse Dauid Deo, *quia omnia seruiunt tibi*: Sed in Christo, vt homine, est relatio vera creaturæ ad Deum ratione naturæ: Ergo.

RESPONDENT Vasquez, & Becanus, rationem solam creationis non esse fundamentum relationis seruitutis, sed cum negatione communicationis in bonis. Quare cùm Christi humanitas in bonis deitatis summam habeat communicationem, non est dicenda seruitutis conditionem subire.

46 AD D. Cyrillum respondent, eum arguere contra Arianos: Si Filius Dei esset creatura, non esset Dominus, & ità non communicaret in bonis cum Deo, quod exigitur, vt sit à seruitute immunis.

CÆTERVM viri isti ita nobiscum agunt, ac si Christum mancipium esse velimus, quod è nostro discursu prauè inferre satagunt. Hinc D. August. epist. 178. ait: *In qua infirmitate humanitatis non solùm subditum, sed etiam seruum euidentissimè confitemur, ipso dicente: Ego seruus tuus, & Filius ancillæ tuæ.*

NEQVE satisfecit Vasquez *num.* 59. respondens, satis esse Augustino astruere æqualitatem Filij Dei secundùm diuinitatem ipsi Patri, nam hoc etiam directè, tanquam dogma fidei confitetur.

47 PROBATVR quartò ratione deducta è S. Doctore *in primo, loco citato*, quam irrefragabilem acclamat Caspensis: Seruus definitur, *Viuens intellectuale, quod simpliciter est alienus.* Ita Aristot. primo Polit. cap. 3. ait: *Quicumque enim sui ipsius non est secundùm naturam, sed alterius, homo autem est, hic natura est seruus*: Sed sic se habet Christus secundùm humanitatem, nam Deus tam est absolutè Dominus Christi secundùm humanam naturam, quàm cuiusque alterius; nam dominorum est potestas disponendi de re aliqua per propriam authoritatem in omnem vsum absque iniuria alterius, quam authoritatem habet Deus super humanitatem: Ergo.

48 VASQVEZ persistit, requiri, vt non communicet in bonis. Sed hæc est seruitus Legalis, extra Chorum. Addit Becanus etiam Filium esse Patri subditum: At emancipatus non subditur; nec quovis in statu subditur omnino.

ACRITER insurgit Vasquez contra assertionem exclamans, damnatam esse à Concil. Francofurdiensi, & ab Adriano I. *epistola ad Episcopos Hispaniarum.* Et hanc definitionem præferendam cunctis Patrum authoritatibus: tum quia è Cathedra est definita; tum quia reliqui Patres incidenter de hac locuti sunt, non discussa subtiliter veritate propositionis.

RESPONDENT Suarez, & Bellutus, Concilium, & Adrianum, agere contra Elipandum Archiepiscopum Toletanum, qui Christo attribuebat vilem illam seruitutem mancipij, & ergastulariam quam supra retulimus, & hoc indicant verba Concilij *in illa epistola*, vbi dicitur: *Sed & hoc volumus à vobis audire, an Adam primus humani generis parens, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus, siue seruus? si seruus: Quomodo tunc imago Dei? si liber; quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine, &c.* 49

ET Adrianus circa finem epistolæ idem significat, dicens: *Opus namque eius* (idest Christi) *est vt sit vnicus proprius, & dilectus Filius Dei; nostrum opus est, vt simus serui per conditionem, & filij per gratiam adoptionis.* Quasi dicat: serui ex peccato, gratiâ verò Dei in libertatem adoptati.

HANC interpretationem refellit Vasquez, quia Concilium ab Elipando accepit, quid in hoc ipso peteret; sanè autem non fuit tam peruersus, vt Christo peccatum adscriberet, atque adeò seruitutem, ex illo deriuatam. Id vrget & Lugo *num.* 21.

DEINDE Elipandus comparat adoptionem Sanctorum cum adoptione Christi, & similiter etiam seruitutem: Ergo loquitur de seruitute, non ex peccato, sed ex gratia adoptionis, quia seruitus, quæ est ex peccato, non stat cum sanctitate, quæ est ex adoptione. 50

PRÆTEREA Concilium *ibi* omne genus seruitutis negat Christo; Primò illam à peccato: Deinde probat, non fuisse seruum hominum; Tertiò nec Angelorum. Quartò concludit: *Quid dicitis de Deo Patre, qui eum in Baptismo, & in Transfiguratione, quæ facta est in monte, filium nominauit; non seruum.* Vult igitur, Christum nullo modo esse seruum Patris, quod si seruitutem à peccato singulariter reprobat, non est, quia Elipandus eam assereret, sed ad omnia membra seruitutis remouenda, sicuti solemus in disputationibus à partium enumeratione aliquam propositionem reprobare per omnia.

POSTREMÒ Adrianus non dixit, opus illius esse vt esset seruus; sed solùm vt esset vnicus, & proprius Filius; nostrum autem opus est esse seruos ex conditione, hoc est sorte naturæ nostræ; gratiâ verò esse Filios adoptionis. 51

HÆC tamen effugia nullo negotio præcludam. Primò quidem in definitionibus non solent Concilia reprobare more disputantium per omnia capita, sed ea sola, quæ continentur in erroribus. Hunc autem fuisse errorem Elipandi probatur, nam Concilium eum cum sociis arguit directè, dicens: *Sed & hoc volumus à vobis audire, &c.* Quòd verò Elipandus fuerit tam hebes, vt seruitutem ex peccato Christo adscriberet saltem indirectè, dum asserebat, Christum esse mancipium, non miror. Licèt igitur forsan Elipandus non effutiret, hanc seruitutem obuenire Christo ex culpa; tamen eo ipso quod mancipium faciebat, deducit Concilium sequelam, quod eam seruitutem inueheret imprudens. Ideò laborat in eo instruendo, vt patet.

QVOD verò comparat Sanctos cum Christo, non arguit, vt putat Vasquez, sed sic edisserit: Si omnes Sancti adoptati, vt extranei, & gratiâ mundati, sunt filij adoptiui, cum adoptiuo, & cum Christo, Christi; & cum seruulo, seruuli; Igitur & ante adoptionem sunt omnes extranei, nam adoptio est terminus, ad quem Sancti deducti sunt è statu seruitutis peccati. Deinde esto ita comparet Sanctos cum Christo in seruitute, 52

dico eos comparare, vt licet adoptati per gratiam, tamen adhuc subditi miseriis ex peccato originali. Et hoc indicat Adrianus *loco citato*, vbi remouet à Christo filiationem adoptionis, ne cum aliis comparetur, qui è seruitute culpæ translati sunt ad adoptionem Filiorum Dei. Neque erat necesse, vt Pontifex diceret: *Opus illius*, vt esset seruus; sed sufficiebat retundere eum modum seruitutis, qui ex discursu Elipandi consequebatur.

53 Qvòd verò Concilium remotâ seruitute à peccato pergat ad remouendam seruitutem Christi sub Angelis, vel sub hominibus; conuincit, Elipandum adscripsisse Christo mancipialem seruitutem sub Deo, nam eâ refutatâ transit ad refutandas alias seruitutes sub Angelis, vel hominibus. Quòd verò concludit: *Quid dicitis de Deo Patre, &c.* non est assertum ad hunc errorem Elipandi euellendum; sed alterum, quo dicebat, esse filium adoptiuum; at Pater confessus est, ipsum esse vnigenitum suum per naturam. Ideo ait: *Si Deus generatus est, nequaquam adoptiuus, sed filius.* Erant quidem illi Nestoriani, vt ait Suarez, etsi Lugo *num.* 24. notet.

54 At enim videtur, non solam seruitutem, è peccato deriuatam, à Christo remouere, nam Adrianus *epistola ad Episcopos Hispaniæ*, non modò definit, Christum non esse dicendum seruum; sed insuper videtur addere, quando in Scripturis audimus, eum appellari seruum, intelligi debere allegoricè, quemadmodum dicitur Leo, Agnus: Et ita explicat loca veteris paginæ; in nouo verò Testamento monet, nusquam vocatum seruum, sed filium; hinc *Matth.* 21. missis seruis, eisque occisis: *Misit Filium suum dicens: verebuntur Filium meum: Agricolæ autem dixerunt: Hic est hæres, &c.*

55 Respondet Mastrius, verè excludi seruitutem, quæ propriè legalis est ergastulorum, non communicantium in bonis; & ideò insistit Concilium, & Adrianus in probando, eum in titulis, & honoribus, bonisque communicare cum Deo, & hoc sensu nusquam in Scripturis Christus dictus est seruus, sicuti nominati sunt Iob, Dauid, & alij eximij Sancti. Falsum est autem, Adrianum dixisse, nomen serui metaphoricè de Christo dictum, sed solùm concedit, Christum propheticè adumbratum in illis, qui erant serui Dei, seruitute legali, vt notauit Auersa. Imò negat tali modo dictum seruum legalem ad modum, quo dicitur Leo, Agnus, quia talis metaphora in Scripturis non inuenitur; sicut non inuenitur dictus Lupus, Vultur, &c.

56 Instabis, seruam non amplius esse, si ingenuo ritè nubat; arctius autem est vinculum vnionis hypostaticæ: Igitur Christus post vnionem deposuit omnem seruilem conditionem.

Respondetvr, seruitutem legalem dispensari, cùm sit lex dispensabilis, quippè humana; at seruitus, qua quæcumque creatura est Deo subiecta in quocumque statu, est indispensabilis; nam etiam post vnionem manet natura humana in esse creato; esto legalem seruitutem non capiat, dum titulis deitatis euehitur.

Qvòd verò aiebant, in nouo Testamento Christum nusquam vocatum seruum, fateor in sensu legali non vocari seruum, sed tantùm seruum in nostro sensu vocatum monet D. Augustinus *lib. quæstionum in Genes. quæst.* 59. Psal. 2. *Dominus dixit ad me*, quem locum assumit Apostolus *Hebr.* 1. qui idem asserit *Philip.* 2.

57 Igitvr hanc subiectionem tantùm seruilem ex culpa, & legalem remouent etiam Sancti Patres adducti à Vasquez. Sic Chrysostomus *homil.* 13. *ad Hebr.* & Athanasius. Imò hic *oratione* 3. *contra Arrianos*, explicans illud Matth. 11. *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terra*, ait, Christum à tempore carnis suæ Patrem suum appellasse Dominum.

Respondet Vasquez, extorqueri textum, 58
nam primò vocat eum Patrem suum; deinde Dominum cœli, & terræ; planè enim indicat eum Dominum esse aliarum rerum; suum autem Patrem.

At hæc est interpretatio voluntaria, Patrem enim vocat, vt est Deus Filius; deinde se vt hominem vocat seruum, vt notat D. Athanasius, cuius maior est authoritas, quàm Vasquez. Imò hi duo Patres negant veram seruitutem, sed concedunt similitudinem seruitutis manantis ex peccato, sicuti etiam non habuit carnem peccati, sed similitudinem tantùm: & hoc idem voluit forsan Cyrillus suprà, dum secundùm hanc seruitutem exponit eum obligatum tributis. Idem vult D. Leo *serm.* 1. *de Natiuitate*, vbi ait: *Assumpta est de matre natura, non culpa, creata est forma serui sine conditione seruili*, Quid clarius? Idem habet Eusebius *homil.* 6. *in Paschate.*

Divvs etiam Cyrillus *in expositione Symboli Nicæni*, circa medium solùm negat, accepisse seruitutem propriam formæ humanæ naturæ, assumptæ post lapsum.

Divvs verò Damascenus *lib.* 3. *cap.* 21. quem 59
præ cæteris allegat Vasquez, solam seruitutem excludit, quam subiisset humanitas, vtpotè nostræ naturæ, ac seruitutis in culpa, si modo naturali genita, non fuisset Verbo vnita, vt notat Suarez. Vel etiam negauit seruilem legalem, vt dixi.

Attamen difficultatem mihi affert D. Bonau. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *ad* 6. vbi, cùm obiecisset sibi, non deberi Latriam ei, qui seruit; humanitas autem Christi seruit. Respondet ex Damasceno *loco citato*, vbi ait, Humanitatem vnitam Verbo non esse ancillam, neque seruam sui, neque Patris, quia quæcumque sunt Patris, sunt Filij, & ita infert: *Qui dicunt, seruum esse Christum, in duo, instar Nestorij, diuidunt.*

Respondetvr, Damascenum, & D. Bonau. eam solam excludere à Christo seruitutem, quæ impedit communicationem in titulis, & honore Latriæ, & hæc est legalis.

Secvndò S. Doctor primo responso non acquiescens, addit aliud, in quo quæstionem concludit.

Obiicies tertiò: Nomen serui ex Adriano, non 60
est naturæ, sed relationis ad alium, ita vt seruus omnino alterius sit, nec cum eo in bonis communicet: Sic enim Aristoteles 1. *Polit. cap.* 3. definit seruum, dum ait, *eum esse alterius*: Neque satis est ad rationem serui, nullum in re dominium habere, nam & Filij antiquo iure nullum dominium habebant; Sed omnia illorum bona profectitia erant; dominium verò castrensium, & quasi castrensium, & aduentitiorum, iure Cæsarum inductum est; at humanitas communicat in bonis Dei, quia vncta, & delibuta balsamo deitatis, digna redditur sede Maiestatis, & cultu Latriæ, & est desponsata Deo, vnde titulum Dei obtinet, iuxta leges vxorum, quæ participant titulos coniugum, vt habetur in Authentica *de Consulibus*, §. si autem vxor. *Collat.* 4. & *Leg.* Mulieres, *Cod. de dignitatibus*, 62. Hoc argumentum habet S. Bonauentura *loco cit. d.* 9. ex Damasceno.

Respon-

61 Respondatvr cum Caspensi, nusquam Aristotelem asserere seruum non communicare in bonis; sed hoc verum est solùm de seruitute legali. Vnde sancti, licèt communicent in bonis cum Deo, adhoc serui sunt. Sic enim sæpè de Sanctis, & Angelis loquitur Deus, eos vocans seruos. Quod si à seruitute Sancti eximuntur *Ioan*.8. loquitur de seruitute peccati, vt luce clarius demonstrat S. Bonau. ex textu, ibi enim præmittitur: *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, & cessat per gratiam: est enim ea seruitus extrinseca superaddita naturæ ex culpa, vnde recedente culpa cessat; at seruitus illa, de qua nos loquimur, est intrinsecè orta ex natura creationis, ac dependentiæ intrinsecæ à Deo.

62 Verum enim verò non me sinit quietum locus ille Damasceni *lib.3. de fide, cap.21.* quem assumit S. Doctor *dist. 9.quæst.1.ad 6.* quo probet humanitatem Christi non esse ancillam, quia communicat in titulis deitatis, quod seruituti repugnat; nullus enim etiam non legaliter seruos, sed tantùm subditus, dependens in feudo, æquatur Principi, vel Regi in titulis, nec in bonis cum eo communicat, sicut communicat Christi humanitas. Quo motiuo Damascenus, & D. Bonauentura omnem seruitutem à
63 Christi humanitate remouere videntur. Verba Damasceni hæc sunt, quæ & Clictouæus ita interpretatur: *Quin illud quoque sciendum est, eum nec seruum quidem dicere nobis licere*. Et subdit: *Sanè seruilis esset caro, nisi Deo Verbo copulata esset. At cùm semel et personaliter vnita est, quonam iam pacto in seruilem classem redigetur?* Reddit autem rationem, *nam cùm vnus sit Christus, sui ipsius profectò & seruus, & dominus esse nequit; hæc enim non ex eorum numero sunt, quæ simpliciter dicuntur, sed quæ cum aliquo conferuntur. Cuiusnam igitur seruus erit? Patrisne? Ergo non omnia, quæ Pater habet, Filij quoque sunt; siquidem & ipse Patris est.*

Hinc S.Doctor videtur hanc sententiam nega- 64
tiuam astruere cum Vasquez. Sanè enim ex *primo Polit. cap.3.* seruos non communicat in bonis cum Domino, & videtur implicare, esse seruum, & tamen communicare in titulis, honoribus, & opibus cum Rege; alio inferior naturâ esset, nam è natura non elicitur quidditas seruitutis, vt ait Damascenus.

Qvare probabilem etiam Vasquez sententiam fateor, nec eam refello, nisi probabiliter, absque præiudicio: Illud me tamen abducit ab hac, quia S.Doctor hoc responso non videtur contentus, sed aliud apponit, vt suprà dixi: In responsionibus sanè argumentorum non apparet omninò sensus Doctorum, maximè dum aliquam sententiam in eis videntur
indicare per accidens. Videbatur autem Seraphico 65
satis ostendere ex Damasceno, humanitatem in Latria cum Deo communicare, quippe seruituti ciuili non obnoxia; an verò aliquo modo serua sit dicenda, ibi non definit. Enim verò, & in altero responso addito, rursus humanitati concedit diuinos Latriæ honores, ratione vnionis ad Verbum. Illud verò ad sententiam Vasquez ducit.



DISPVTATIO XXIII.

DE ORATIONE CHRISTI.



Svbiectioni Oratio vulgò suffragatur, ideò postquàm de Christi subiectione *disp. præced.* egimus; hic de eius Oratione disserendi locus est, cùm verò indubitanter è Scripturis constet, ipsum sæpius orasse, non vt suæ, sed alienæ, indigentiæ suppetias è superis aduocaret, quæstio est, num vt Deus, vel vt homo, id præstiterit; quam difficultatem facilè contra Hæreticos Caluini, & Bezæ sensus primo loco discutiemus: Egregiè autem Seraphicus Doctor *in cap.3.Lucæ*, in ea verba: *Et orante, &c.* Christi ad Baptismum mox accessuri, in Desertum secessuri, in montem exituri, miracula facturi, tormenta subituri, & morituri Orationes varias, quas præuiè ad Patrem fundebat, describit; vt quilibet hinc vitæ status, siue populo prædicans, siue in solitudine degens, seu denique aduersa sustinens, ab oratione faustum cœpti auspicium arripiat; illudque impleat, quod dicitur Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere*, vt notat S.Doctor *loco citato*; sed cùm de Oratione in communi alibi *Tomo præcedenti*, discurrimus, hîc singulariter Christum orantem considerabimus.

QVÆSTIO I.

An orauerit CHRISTVS, *vt homo, & num idipsum decuerit.*

{ D. Bonau. dist. 17. art. 2. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 21. art. 2.

1 NOTA, officium Aduocati, & Mediatoris esse orando mediari; & si Mediator sit proprius, se interponat satisfaciendo. Porrò Aduocatio, seu Oratio pro aliis est actus eleuationis ad Superiorem ad impetrandum, vt docent omnes cum D. Bonauentura *3. part. Centil. sect. 46. & in Diæta, tit. 2. cap. 2.* & passim, ac D. Thom. *quæst.* 83. Christum autem orasse notum est ex Euangelio *Matth.* 14. *Lucæ 6. Ioan.* 11. *&* 17. & præcipuè ante passionem describitur à singulis Euangelistis prostratus, & gemens, ac *Hebr.* 5. Cum clamore valido Patris clementiam pro nobis interpellare dicitur, iuxta expositionem tradendam *disput. sequenti, ad finem, quæst.* 1.

HINC Bezæ apparet insania *lib. qq. & resp. pag.* 33. & *Opusc. Latino, pag.* 675. vbi Aduocati officium Christo ratione Deitatis adscribit. Venenum istud à Caluino Magistro hausit, de quo, *d.* 24.

2 ASSERO primò, Christum orasse vt hominem, non vt Deum.

PROBATVR à S. Doctore primò Lucæ 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione D.i;* nempè ad Deum, ad quem oratio est eleuatio ad postulandum, vt exaudiens concedat, vt habes *Iob.* 22. *Psal.* 4. & aliis: Ad Deum nobis iratum reconciliandum; hoc enim est orationis officium *Exodi* 32. *Leuit.* 1. *&* 14. & 2. *Paralip.* 3. *Hier.* 42. *Ezech.* 16. *Daniel.* 9. ad gratias impetrandas, vt habes *Exodi* 17. *&* 24. *Genes.* 22. *Iudith* 12. *Tob.* 3. *Thren.* 3. sic enim & ibi Christus in oratione pernoctauit ad impetrandam bonam Apostolorum electionem, vt edisserit S. Doctor *ibi:* Iam verò si Christus orasset vt Deus, iratus hominibus, placare precibus seipsum conatus fuisset. Fuisset orator simul & exauditor, postulasset à se, seipsum reconciliasset, gratias à seipso flagitasset, quæ omnia implicant, vel ineptiunt.

3 PROBATVR à S. Doctore secundò. Qui offert sacrificium satisfactorium, & impetratoriū Deo, debet aliquid iuxta Deum esse, & exhibere, vt verò condignus sit pro mundo reo, debet esse Persona diuina: Tali munere perfunctus est Christus: Ergo. Est argumentum D. Anselmi *lib. 2. cur Deus homo, cap.* 18. & D. August. *homil. de ouib. cap.* 12. & *primo de Trinit. cap.* 7. & *lib.* 2. *de peccato orig. cap.* 28. & *lib.* 10. *Confess. cap.* 43.

PROBATVR tertiò à S. Doctore: Qui Pontificia fungitur dignitate apud Deum interpellans, & offerens suas satisfactiones Diuinæ Maiestati, agit
4 prout satisfecit: Talis est Christus *Hebr.* 7. *Rom.* 8. vbi Apostolus hoc habet argumentum: *Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* En orat interpellans, prout mortuus, & resurrexit. Sic Hebr. 7. *Hic autem sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis:* En vt Pontifex interpellans. Iam Pontificem vide secundùm humanitatem: *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, &c. Hoc fecit semel, seipsum offerendo.* Quis dicere audeat, Christum obtulisse se Deo moriendo secundùm Deitatem?

ASSERO secundò decuisse Christum orare. 5

PROBATVR à S. Doctore, quia ex dictis sic conuenit Mediatori, Pontifici, Aduocato, & Exemplari nostræ perfectionis. Addit *in corpore*, ad veritatem humanæ naturæ probandam, & vt ostenderet se à Deo missum, vt ait *Ioan.* 11. & colligitur ex dictis. Vnde & soluit ea, quæ opponit, nempè quo pacto Christus, cum esset Deus, Deum oraret, vt acciperet quod suum est; humiliaretur, vel peteret à se, quod ipse conscius volebat: Hæc quidem defluunt, quia orabat vt homo.

OBIICIES, etiam Spiritus sanctus postulat 6 *Rom.* 8.

RESPONDET S. Doctor *de sex alis*, ad finem, & ad id Lucæ 1. *Exultauit spiritus meus*, ibi intelligi per spiritum feruorem charitatis, quo efficaciter postulamus, sic etiam Vasquez *annot. illius cap.* 8. & *p. p. disp.* 110. *cap.* 3. & alij Moderni.

OBIICIES secundò id Ioan. 11. *Pater tibi gratias ago, quia audisti me*, quod aliqui PP. intelligunt de Christo secundùm Diuinam naturam: Inter hos enumerant D. Chrysostomum *homil. 63. in Ioannem.*

RESPONDETVR cum D. Bonau. non haberi *illo* 7 *loco*, Chrysostomum velle, Christum secundùm Deitatem orasse, sed solum expressisse, se orasse, vt populus crederet, vnam esse voluntatem, vnamquè potestatem. Id notat & Vasquez *num.* 7.

QVAMVIS autem aliqui dicant, Christum ibi non orasse, tamen, vt notat ex Chrysostomo D. Bonauent. ibi, Christus orauit: Itaque ibi exordium orationis assumit à gratiarum actione pro beneficiis, antea semper oratione obtentis, mox verò orat propter populum, vt credant. Ita & Vasquez.

OBIICIT Beza. Christus est ad dexteram Dei 8 interpellans; Ergo vt Deus. *Rom.* 8. *& Hebr.* 7. est idem saluans, & orans.

DICO cum D. Bonauent ad id Psal. 109. *Sede à dextris meis*, duas esse sessiones Christi ad dexteram Patris; altera vt Filij æqualis: Sic Christus *Matth.* 22. de se accipit id *Psal.* 109. & SS. Patres. Altera vt hominis, est potestas plena. Sic D. Aug. *ibi*, Epiph. *in Anchor.* Ambros. *lib.* 2. *de fide, cap.* 4. & Paul. *Eph.* 1. Sic & saluat, vt Deus, dans gratiam, & vt homo moriens, & merens.

QVÆSTIO II.

An CHRISTO *conuenerit orare secundùm sensum.*

{ D. Bonau. dist. 17. art. 2. quæst. 3.
D. Thom. quæst. 21. art. 2.

RESPONDET S. Bonauentura cum D. Thom. 9 orationem quidem Christi quoad materiam fuisse sensualitatis, quia mens exponebat Deo, & petebat id, quod sensualitati placebat, nempè non mori. Sic igitur orauit Matth. 26. *Si fieri potest, transeat à me calix iste.* At oratio Christi quoad formam profectò non potuit esse sensualitatis, quia non potest motus sensualitatis extendi extra

sphæram

ſphæram ſui obiecti, quod eſt ſenſibile; oratio autem eſt aſcenſus in Deum. Vide S. Doctores, qui hæc facilè exponunt.

QVÆSTIO III.

An Oratio CHRISTI *ſemper fuerit exaudita.*

D. Bonau. art.2. quæſt.1.
D.Thom. quæſt.21 art.3.

10 ASSERO primò, orationem, à ratione procedentem, ſemper fuiſſe exauditam. Ita D. Bonauent. quem ſequuntur plures apud Vaſquez *diſput*.82.*cap*.5. contra ipſum Vaſquez.

PROBATVR à D. Bonau. ex illo Ioan. 11. *Ego autem ſciebam, quoniam ſemper me audis*, & Pſal. 20. *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei*. Sic exponit Gloſſa de Chriſto.

PROBATVR ſecundò, quia dignior fuit voluntas Chriſti exaudiri, quàm aliorum; at cæteris iuſtis promittitur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Ioan. 14. Ergo.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. Voluntas Chriſti fuit conformis ſemper voluntati Diuinæ: Sed voluntas Diuina ſemper habet effectum: Ergo. Vide D. Bonauenturam.

11 ASSERO ſecundò, orationem à ſenſualitate, ſeu à compaſſione dictatam, non ſemper fuiſſe exauditam.

PROBATVR à D. Bonau. è Pſal. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies*. Sic probatur etiam à D. Thom. & ita exponitur à SS. Iuſtino *in Tryphone*, *pag*.175. Hieronymo, Auguſtino, Ruffino, Theodoreto, Euthymio *ad eum locum*, & aliis.

RESPONDET Vaſquez *num*.45. formam orationis fuiſſe exauditam, ſed ibi innui, Deum non reſpondiſſe deſiderio ſimplici expoſito in ſua oratione, quod vellet non mori, quod eſt quaſi eum non exaudire. Sed hoc, mutato tantùm verborum ſono, eſt idem, quod nos dicimus.

12 PROBATVR etiam, quia orauit *Matth*. 26. vt Calix tranſiret, nec fuit exauditus. Orauit etiam pro omnibus conſpirantibus ad ſuam mortem *Luca* 22. Orauit & pro omnibus diſcipulis, vt omnes à malo, ſeu à perditione præſeruarentur, & tamen aliqui ceciderunt.

QVÆSTIO IV.

An CHRISTVS *nunc in cælo propriè oret.*

13 CERTVM eſt, Chriſtum in cœlo intercedere pro nobis interpretatiuè per ſua merita, quæ diuino conſpectui præſentia ſunt. Ideò Ioan. *epiſt*. 1. *cap*. 2. ait: *Aduocatum habemus apud Deum Patrem, Ieſum Chriſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, & Hebr. 9. ait Apoſtolus, Chriſtum introiiſſe in cœlum, *Vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*.

QVÆSTIO eſt: an expreſsè etiam oret pro nobis, petendo pro nobis gratias, ſuis meritis acquiſitas.

14 PRIMA opinio eſt negatiua. Ità Ropert. *lib*. 9. *de diuin. Offic. cap* 3. Spencæus *lib*. 1. *de Chriſto Mediatore*, *cap*. 8. Adamus *in cap*. 8. *ad Rom*. Bartholom. Medina *ad quæſt*. 21. *art*. 1. *D. Thom*. vbi alij recentes Thomiſtæ, Vaſquez *diſput*. 82. *cap*. 2. Becanus *cap*. 17. *quæſt*. 1. Lugo *diſp*. 28. *num*. 63. Baldius, Hurtadus, & multi alij.

SECVNDA ſententia eſt, Chriſtum non ſolùm tacitè, & interpretatiua inſinuatione, vt volebat prima ſententia, ſed expreſſa oratione pro nobis poſtulare. Ità Suarez *diſput*. 45. *ſect*. 2. referens D. Bonau. *Tom*. 1. *opuſc*. 39. *de vita Chriſti*, *cap*. 98. *de Aſcenſione*, D. Thom. 4. *diſt*. 15. *quæſt*. 4. *art*. 6. *q*. 2. *ad* 5. & *lect*. 7. *in cap*. 8. *ad Rom*. Abulenſ. *quæſt*. 141. *in Matth*. 14. Tolet. *in cap*. 19. *Ioan. annot*. 34. Valentia *quæſt*. 22. *punct*. 3. *in fine*, Bernal, Auerſa, Granado, Arriaga *diſput*. 49. *ſect*. 3. Raguſa, Caſpenſ. *diſput*. 12. *ſectione vnica*, Orlandos, Amicus, Morand. *quæſt*. 50. Hurtadus, & alij, quibus ſubſcribit Maſtrius *diſput*. 2. *quæſt*. 12. *n*. 340. D. Bonau. loco allegato repræſentat Chriſtum intrantem cœlum, & orantem æternum Patrem genibus flexis pro ſua Eccleſia, his verbis: *Fratribus, & diſcipulis meis, quos in mundo reliqui, promiſi mittere Spiritum ſanctum. Rogo te, Pater mi, vt impleas promiſſionem, & eos commendo tibi*. 15

SEMPER autem intelligitur orare, vt homo, nam vt Deus, cùm ſit æqualis Patri, non orat, nec vnquam orauit, in quo lapſus eſt Vulpes *diſp*. 53. *art*. 2. aſſerens, Chriſtum vt Verbum Dei oraſſe. Turpius eſt etiam id, quod ait, Verbum ab æterno orando, impetraſſe à Patre emanationem Spiritus ſancti. Sanè tunc ſequeretur, Spiritum ſanctum non prodiiſſe neceſſariò, vt arguit Bellut. *diſp*. 14. *quæſt*. 1. 16

VASQVEZ dicit, malè allegari Bonauenturam, quia ibi tantùm loquitur proponens myſterium contemplandum, non propriè geſta enarrans: Non enim verum eſt, Chriſtum genibus flexis oraſſe Patrem his dictis, & Patrem erexiſſe è ſolo Chriſtum; hoc enim dedecere Chriſtum aſſerit Nazianzenus *orat*. 36. *num*. 53. & 54.

FATEOR, *in meditationibus*, multa apponi, vt viuacius repræſententur; at verò ſimpliciter aſſerit, Chriſtum orare. Quare licet S. Doctor genuflexionem, erectionem, & ſimilia apponat, tamen orationem ſimpliciter aſſerit. Hoc ita ſentire Seraphicum ex aliis locis colligo, quæ adducam *in argumentis*. Idem ſentiunt Toletus *in cap*. 19. *Ioan. adnotat*. 34. Suarez *diſput*. 45. *ſect*. 2. 17

ASSERO, Chriſtum in cœlis orare pro nobis.

PROBATVR à D. Bonauent. primò *ad cap*. 14. *Ioan*. ex illis verbis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Loquitur autem de ſeipſo, cùm ad Patrem abierit, nam ſuprà dixit, ſe abire ad parandum eis locum: *Et Ego vado ad Patrem*. Quidquid dicat Rupertus, & Vaſquez. Ibi ait S. Bonauent. Hortatur ad ſeruanda mandata, promittendo auxilium. Huc alludit S. Doctor *in meditationibus*, repræſentans Chriſtum orantem Patrem, vt mitteret Spiritum ſanctum. Quare non eſt ſimplex meditatio, ſed aſſertio, innixa Euangelio. 18

PROBATVR à S. Doctore ad ea verba Ioan. 16. *Et non dico, quia rogabo Patrem*, vbi aduertit cum D. Cyrillo *lib*. 11. *in Ioan. cap*. 9. & cum D. Hilario *lib*. 6. *de Trinitate*, Chriſtum non dixiſſe, ſe non rogaturum, ſed ait: *Et non dico vobis, &c*. Subindicans, ſe quidem rogaturum; tamen, vt intelligant, quantum à Patre amarentur, ſe nolle ſuam interceſſionem commemorare, ſed eximiam Patris charitatem, vt notat etiam Suarez *loco cit*. quamvis 19

ita

ita futurum esset, vt oraret, vt ait D. Bonau. qui addit, tunc in cœlo non oraturum quidem vt mediatorem ad rursum redimendum, mediando, & moriendo, sicut in hac vita redemit, vt etiam docet Valentia.

20 PROBATVR tertiò à S. Doctore ad ea verba Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Vbi obseruat, Patrem exhibere Christo iam in gloria, vt postulet pro Ecclesia, & commendet Ecclesiam, tanquam propriam hæreditatem, vt & conuertantur perfidi eius orationibus continuantibus supplicationem factam in Cruce: *Dimitte eis, &c.* Addit insuper, Christum postulare etiam facto, repræsentando Patri cicatrices, vel faciendo, nos etiam interpellare.

21 PROBATVR quartò validissimè à S. Doctore *distinct.* 17. *artic.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, vbi statuit hanc conclusionem: *Respondetur dicendum, quòd absque dubio decens fuit, Christum orare, maximè in diebus carnis.* Vbi includitur hæc alia assertio: decens fuit, non solùm in diebus carnis, cum inter homines mortalis degeret, sed etiam in cœlis. Hoc igitur probat præcipuè ex *epistola ad Hebr.* vbi Apostolus *à cap.* 5. ostendit Christum Pontificem æternum secundùm ordinem Melchisedech, & recensito officio Sacerdotis, quo perfunctus est in diebus carnis suæ, resumit *cap.* 7. Christum non esse similem Sacerdotibus antiquis, qui non poterant, morte intercedente, in officio perpetuari. Et subdit: *Hic autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Quid clarius? Ità exponit D. Thom. *lect.* 4. super *cap.* 7. *ad Hebr.*

22 HÆC ratio est Iustini Martyris *quæst.* 105. *ad orthodoxos*, vbi ait: *Si superatis resurrectione infirmitatibus carnis, vt Pontifex confessionis nostræ Deum pro nobis interpellat; nonnè magis, cùm adhuc subiaceret infirmitati carnis?* Quibus verbis rationem S. Bonauentura adducit non contemnendam, vt notat Suarez; nam Christus est æternus Pontifex, & ideò quoad nos indiguerimus, semper pro nobis munere Pontificis fungetur, modo tamen statui suo accommodato. Pertinet autem ad Pontificem pro suis subditis orare. Eadem ratione vtitur Dydimus *lib.* 2. *de Spiritu sancto*, non longè à principio.

RESPONDET Vasquez, Christum interpellare per merita antiqua, & orationes exhibitas in hac vita, quæ adhuc virtute manent. Et ita exponit hos Patres.

23 VERVM hæc friuola sunt, nam D. Iustinus comparat duos status Christi interpellationis, & dicit, eum interpellasse tunc magis; attamen etiam nunc interpellare. Itaque fatetur Vasquez, hunc Patrem pro nobis stare. Idem habet Dydimus, dicens: *Cum Saluator nomen Mediatoris, & Legati personam habeat, ex qua Pontifex deprecetur pro peccatis nostris, saluans in sempiternum eos, qui per ipsum accesserunt ad Deum; quia semper viuens interpellat pro eis Patrem.* Præclarè autem D. Augustinus, epist. 59. *Numquid interpellat Christus, & non etiam postulat? Imò verò quia postulat, pro eo positum est, interpellat.* Euidenter quippè Rom. 8. de eo dicitur: *Et si quis peccauerit, Aduocatum habemus, &c.* ità 1. Ioan. 2.

24 VANA est autem responsio Vasquez *num.* 36. eum interpellare, quia manent eius orationes. Præclarè enim D. Augustinus ait, nunc postulare. Deinde sic intelligit hunc locum Theophylactus, vbi ait: *Adhuc, peracta carnis dispensatione, Christum pro nobis intercedere.* Neque satisfacit Vasquez dicens, intelligi interpellare antiqua oratione, nam Theophylactus distinguit hunc statum; & actus charitatis istos ex affectu non cessante ait oriri. Idem sentit D. Ambrosius dicens: *Et resurgens, semper nostras causas agit apud Patrem, cuius postulatio contemni non potest, quia in dextera Dei.*

25 INANIS est adhuc responsio Vasquez, intelligi de antiqua oratione, quæ adhuc perseuerare dicitur; nam Ambrosius dicit, eum in cœlo agere causam nostram interpellando, & postulando orationibus, deinde orationem eius efficacem inde arguit, quia ad dexteram Dei est: Ergo loquitur de oratione noua, quam etiam Apostolus recenset ad Rom. 8. *Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit; qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

26 VASQVAZ *num.* 10. præclarum contra nos affert testimonium D. Nazianzeni *oratione* 36. *num.* 52. vbi adducit hunc locum Hebr. 7. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis*, quo Arriani vtebantur ad probandum, Christum esse creaturam. Respondet autem ipse: *Intercessionis nomen, non, vt apud multos in more positum est, deprecationem habet, sed significat mediationis ratione supplicare.* Quemadmodum & Spiritus pro nobis intercedere dicitur *Rom.* 8. nempe quia facit, vt nos intercedamus, seu postulemus, vt ait etiam D. Augustinus *epist.* 127.

27 HOC tamen præclarum testimonium est pro nobis; ibi enim negat orationem Christo ratione personæ, quia impugnabant Arriani, vt creaturam, sed dicit esse mediatorem (ratione humanæ naturæ) quæ sanè Arriani non distinguebant, sed suppositum constituebant mediatorem, & orantem secundùm totam rationem naturæ, quem errorem ebibere hæretici sectarij, vt refert Vasquez *disput.* 83. & hoc sensu comparat orationem Filij cum oratione Spiritus sancti, ea qua Macedoniani eruebant, etiam hunc esse creaturam. 28 Alioqui, si hæc authoritas valeret pro Vasquez, argueret profectò, Christum nunquam orasse, quippè nunquam fuit creatura, sicut nunquam orauit Spiritus sanctus. Loquitur ergo de Filio Dei secundùm deitatem, quod patet; nam subdit, Christum deprecari pro nobis, vt homo est, quoniam cum eo corpore est, quod assumpsit, nempè voce orando Patrem.

NAOAT autem solùm, Christum pedibus Patris aduolui seruilibus modis, quippè spiritu indigna est hæc ratio orandi, vt pedes habeat, quibus homo præuoluatur, & indigna Christo in gloria. Enim verò, quod Christus simpliciter intercedat, ipse Nazianzenus *loco cit.* fatetur, & probat ex illo prima Ioan. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum*, & solùm negat submissionem illam seruilem; non enim est probabile Nazianzenum intelligere, solam corporis Christi in cœlo præsentiam esse intercessionem.

29 EODAM modo intelligendos Chrysostomnm *homil.* 15. *ad Rom.* Bedam 1. *Ioan.* 2. & alios, quos adducunt aduersarij, ait Suarez, nempè Christum intercedere non solùm præsentia corporis absque vllo actu; hic enim non esset intercedere, vel interpellare, sed exhibitione vulnerum, allegando sua merita.

30 DIVVS verò Gregorius 22. *Moral. cap.* 13. adductus à Vasquez solùm negat vocem exteriorem Christi, non autem interiorem, quam sufficientem

cientem coram Patre existimat. Eodem modo loquitur Cabasillas *ad Liturgiam*, & Symeon Thessal. *de mysterij Ecclesiæ*, *cap*.44. & quidem D.Gregor. *in psal*.5. *Pœnitentiæ*, asserit, Christum orare quotidie pro Ecclesia, & adducit illud Apostoli *Heb*.1. & *Rom*. 8. vbi dicitur interpellare. Futilis verò est responsio Vasquez, loqui de orationibus antiquis, vt patet.

Vnde aduerte, Patres adductos à Vasquez explicare hanc interpellationem per exhibitionem humanitatis, & per eam, ac per vulnera Christum salutem nobis petere, vt fatetur Vasquez *numero duodecimo*.

31 Obiicit deinde Vasquez, & Lugo. Christo post mortem data est omnis potestas *Matth*. 28. inaniter nunc igitur oraret, vt aliqua obtineret; frustra enim orat, qui habet in sua potestate omne, quod postulat, vt ait D. Augustinus citatus à Vasquez *prima secunda*, *disput*.189. *cap*.11. Confirmatur, quia *Vna oblatione consummauit sanctificatos*. Hebr. 10. & cap. 9. *Introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta*. Hanc rationem ait desumptam ex Chrysostomo *homilia* 15. *ad Romanos*.

32 Respondet primò D. Bonauent. *distinct*. 14. *dub*.4. datam esse Christo omnem potestatem infra Deum præsidendi rebus creatis, aliam autem esse potentiam impetrandi. Quod ergo obiicitur, Christum posse omnia: Respondet D. Bonauentura *distinct*. 17. *artic*. 2. *quæst*. 1. verè posse omnia, vt Deus est; non autem ratione humanæ naturæ, & licèt quoad dignitatem, & potestatem administrandi præsit, adhuc præest dependenter à Deo, apud quem habet tamen plenam potestatem impetrandi.

33 Secundò, quod sicut motus aliquando est propter supplendam indigentiam mobilis, vt in motu locali terræ ad centrum; aliquando propter supplendam indigentiam aliorum, vt patet in motu locali cœlorum, ità euenit & in oratione. Cùm igitur aliquis petit propter se, verum est, nullum petere, quod à se potest habere; at cùm orat propter indigentiam alienam, non requiritur defectus potestatis in petente, sed defectus in recipiente. Quod verò dicit Christum, vna oblatione consummasse, iam solutum est è D. Bonauentura *ad* 16. *Ioan*. consummasse quoad meritum; at verò in cœlo non impetrat nouiter merendo, sed postulando emerita. Vbi aduertendum etiam, potestatem super omnia datam esse Christo ante mortem, vt dicitur Ioan. 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, ex quo sequitur secundum aduersariorum argumentum, neque in statu viæ orasse Christum, maxime in tempore passionis post hæc dicta, quod est falsum.

Instat Vasquez. Christus nihil nouiter meretur: Ergo superuacanea est eius oratio. Quod si aliquid nouum impetrat: Ergo est nouum meritum. Infert ergo, Christum non esse deprecandum, vt oret pro nobis, sed vt misereatur, & ità Ecclesiam facere in Litaniis, dum inclamat: *Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis*. 34

Respondetur negando assumptum, prodest enim ad priora merita executioni demandanda orare, vt monet Amicus. Huc alludit Nicolaus Cabasilla *in expositione Liturgiæ*, quæ est *in* 4. *Tomo Biblioth*, *cap*. 44. vbi ità loquitur apud Vasquez, numero 13. *Est intercessor noster, per quem omnia assecuti sumus bona, quæ à Deo nobis data sunt, vel potius semper dantur, non enim postquam semel fuit intercessor, omnia nobis tradidit, pro quibus intercesserat*. Idem habet Simeon Thes- 35
sal. Episcopus *de mysteriis Ecclesiæ*, *cap*.44. Cùm igitur non omnia bona, meritis comparata, sint data simul hominibus, congruum est vt identidem Christus petat pro opportunitatibus, vt dentur. Quod verò addit Vasquez, mihi summopere displicet; hinc enim hæretici ansam arripiunt, nos vituperandi, quasi verò Christum aduocatum non agnoscamus, sed sanctos tantùm. Ideò enim illud Ioan. *Aduocatum habemus*, corrumperant, addentes *aduocatum solum*, vt admonet Minister ille, Bearni conuersus ad Catholicam fidem *in libello suæ conuersionis*.

Pro coronide apponam testimonium D. Bernardi *serm. de Natiuitate Virginis*, ante medium, quod refertur à D. Bonauentura serm.2. de B.Virgine: *Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, &c. Iesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem talis Filius obtineat? Exaudietur vtique pro sua reuerentia: An vero trepidas & ad ipsum? &c. ad Mariam recurrere. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro sua reuerentia. Exaudiet vtique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater à peccatore rogatus. Maria ostendit Filio pectus, & vbera: Filius autem Patri latus, & vulnera: quare nulla potest esse repulsa, vbi concurrunt tot charitatis insignia*. 36



DISPVTATIO XXIV.

DE SACERDOTIO CHRISTI.

DISPVTATIO hæc non modicè præcipuo fidei nostræ mysterio elucidando inseruit; è Sacerdotij enim dignitate probatur veritas sacrificij, quam nunc in Ecclesia constare, contumaciter negant hæretici; ideò specialis hîc Christi character, quo est summus ipse Sacerdos, solàque salutaris Victima, impensiùs tractari decet; totius autem disceptationis argumentum sumitur ex illo psalmi: *Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, quibus verbis altè proponitur in primis Christi Sacerdotium; deinde Sacerdotij æternitas; tandem huiusce æternitatis ordo, ordinis denique regalis potestas, de quibus sigillatim Sectarij, qui ad Solem cæcutiunt, fluctuanti fide modò solent ambigere; modò effricta fronte inficias ire: Primo itaque loco inquiram, num Christus verè sit functus Sacerdotis officio, vbi etiam Mediator propter rationem, infrà referendam, comprobabitur; posteà secundùm quam naturam vtrumque munus obierit, expendam, & sic cæteras difficultates, hîc memoratas, ordine discutiendas prosequar.

QVÆSTIO I.

An CHRISTVS *verè fuerit Sacerdos Mediator.*

1 QVAMQVAM D. Thom. *quæst.* 22. agat solùm de Sacerdotio Christi, & *quæst.* 26. de dignitate Mediatoris, tamen quia vtraque dignitas, maximè in Christo, ad idem spectat, omnis quippè Sacerdos est etiam Mediator, de vtroque munere vt supra dictum, hîc agendum.

2 NOTANDVM verò, duplici sensu Christum vocari Mediatorem. Primò quatenus eius personalitas substantiali vnione, tanquam vinculum commune coniunxit duas naturas, humanam, & diuinam; quo sensu Patres vocant frequenter Christum Mediatorem. Ita Basilius *lib.* 4. *contra Eunomium*, Nyssenus oratione in illud: *Quando sibi subiecta sint omnia*, col. 8. Epiphanius *in Ancherato* ante medium *pag.* 344. Cyrillus *lib.* 4. *Thesauri, cap.* 2. & *lib.* 12. *cap.* 10. & *lib.* 1. *de Trinitate.*

Ex Latinis verò Tertullianus *lib. de Resurrect. carnis, cap.* 51. & *lib. contra Praxeam, cap.* 27. Hilarius 9. *de Trinitate*, non longè à principio. Fulgentius *lib. de fide ad Petrum, cap.* 2. Verùm, vt optimè obseruat Vasquez *disput.* 83. *cap.* 1. ex D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 19. *quæstione vltima*, quem sequuntur Richardus *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. & Gabriel *quæst. vnic. dub. vlt.* hac ratione Christus non tam dicitur Mediator, quam Medius.

SECVNDÒ igitur dicitur Mediator Intercessor ratione muneris, quo pro nobis ad Patrem functus est.

ALIQVI Patres hoc officium Christo adscribunt, eò quòd participat aliquid vtriusque extremi, nam ex Deo habet naturam, & Personam: ex nobis autem habet alteram naturam. Ità Chrysostomus *homil.* 7. in id prima ad Timoth. 2. *Vnus Deus, vnus Mediator*, Theophylactus, Theodoretus, & Oecumenius in eundem locum, Vigilius *lib.* 5. *contra Eutychen*, & D. Bonauent. *loco cit. ad* 2. nolunt tamen ex hoc capite solo constitui Mediatorem, sed etiam quia ex tali vnione naturarum in Persona Verbi reddita est natura humana digna tanto officio mediatoris, vt dicunt alij Patres, & nos cum eis diximus *disp.* 3. *quæst.* 2. *& seqq.* 3

QVATVOR autem modis officium Mediatoris fieri solet. 4

PRIMÒ per modum Iudicis arbitri ad causas vtriusque partis discernendas, & iudicandas; & hoc modo Christus fuit quidem Arbiter, & Mediator inter nos, & Deum, vt ait D. Ambrosius in allegata verba Apostoli *ad Timotheum*. Attamen non omninò

omnino hoc modo fuit mediator; nam inter homines mediator iudicat inter vtramque partem, nil remittendo alterutræ, nil pro alterutra soluendo: At Christus, cùm hominem deberet condemnare, ipse suscepit pœnas, & sic remisit homini. Adde mediatores huiusmodi eligi ab vtraque parte; at Christus electus est à Patre solo, nam homines erant rei indigni.

5 SECVNDO modo mediator est deferendo pacta ex vna in alteram partem. Hac ratione *Deuter.* 5. ait de se Moyses: *Ego sequester fui inter Deum, & vos.* Et Galat. 3. dicitur: *Lex data in manu mediatoris.* Hoc sensu Malach. 3. Christus Mediator ostenditur: *Et Angelus testamenti, quem vos vultis*, idest nuntius.

TERTIO modo dicitur aliquis Mediatoris partes exêrcere deprecando vnum pro alio.

QVARTO modo exercere potest satisfaciendo etiam pro parte, & vtroque modo Christus est Mediator, nam orationes ad Patrem fudit, & in Cruce satisfecit offerens seipsum.

6 ASSERO. Christus fuit Sacerdos, & Mediator: est de fide ex Concil. Ephes. *can.* 10. & Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. & 2.

PROBATVR à S. Doctore *distinct.* 17. *artic.* 2. *quæst.* 1. ex Apostolo ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Vbi definitionem veluti Sacerdotis exhibet. Deinde subdit: *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; & tota epistola ferè pergit hoc demonstrare. Vnde cap. 7. *Talis decebat vt nobis esset Pontifex, Sanctus, &c.*

DICES, quomodo fuit Sacerdos immolans seipsum, eum ab aliis occisus sit? Adde, ipsum nil sacrum in Cruce egisse.

7 RESPONDET D. Bonauentura *ad* 17. *Ioan.* ad ea verba: *Ego pro eis sanctifico meipsum.* Eum se in Hostiam sacram obtulisse, quam expositionem refert ex Chrysostomo *homil* 81. *in Ioan.* ante medium, Cyrillo, Ruperto, D. Thoma, & aliis ad eum locum; licèt enim non se interfecerit, tamen obtulit semet in cruce Patri hostiam; non enim requiritur actio Physica mactationis, sed sufficit moralis, vt vidit Lugo *disp.* 29. *num.* 2.

8 DICES. Etiam Martyres sic essent Sacerdotes moriendo pro Christo.

RESPONDETVR ex Seraphico *loco citato*, Christum se tradidisse voluntariè oblationem, & hostiam Deo, vt dicitur *Ephes.* 5. poterat enim impedire mortem suam, vt obseruat D. Bonauentura ad illud Ioan. 10. *Ego pono animam meam.* Hinc etiam *Ioan.* 18. prostrauit satillites; non sic Martyres. Deinde ad Sacerdotium requiritur, vt publica authoritate munere suo fungatur, vt monet Caspensis *disput.* 3. *sectione vnica.* Martyres quidem non ita instituti sunt; at verò Christus dedit vitam, constitutus à Deo Sacerdos, vt moriens per manus Iudæorum Sacerdotio fungeretur, vt notauimus cum D. Bonauentura ex Apostolo *ad Hebr.* 5. & *Psal.* 30. dicitur: *Hostiam, & oblationem, &c.* Vnde eleganter S. Leo Papa *epistola* 83. repetens eadem verba cum D. Bonauentura ad illud
9 17. Ioan. *Ego sanctifico me pro eis*, ait: *Dicant, quo sanguine sunt redempti? Dicant, quo sacrificio reconciliati? Quis est qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis? aut quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quàm quod verus Pontifex altari Crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamvis enim multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit totius mundi.* Consentiunt Caietanus *opusculo* 3. Suarez *disput.* 46. *sect.* 1. Hoc totum habetur cap. 5. Hebr. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus, &c.*

NODVLVS occurrit explanandus; Videtur enim 10
obtulisse pro se. Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Ex quo D. Bonauentura *ad* 23. *Lucæ*, & D. Thom. *art.* 4. *ad* 1. colligunt orationem illam pertinuisse ad Christi Sacerdotium, cum afferatur à D. Paulo ad probandum, Christum esse Sacerdotem. Hæc autem oratio à Christo pro se emissa videtur.

E regione non videtur prouenisse Christo effe- 11
ctus sui Sacerdotij, sed nobis, vt colligitur è Concil. Alexandr. *in* 10. *anathem. epistola Concilij*, quæ est 10. apud Cyrillum, & approbata est in Concil. Ephes. *Tomo* 1. *cap.* 14. vbi legitur: *Si quis Christum etiam pro seipso oblationem, & non magis pro nobis obtulisse dicit* (non enim opus habuit oblatione, qui peccatum non nouit;) *anathema sit.*

MVLTA respondent D. Thom. *loco cit. in corp.* 12
Suarex *ibi*, & *disput.* 42. *sect.* 2. Vasquez *disp.* 84. *cap.* 2. Lugo *disput.* 29. *sect.* 2. qui expositione D Bonauenturæ se expedit cum Benedicto Iustin. *ibi*, ex D. Chrysostomo. Sic autem dissserit S. Doctor: Hæc oratio pertinuit ad Sacerdotium iuxta vaticinium etiam Isaiæ *cap.* 53. Itaque oratio hæc in cruce acta est pro transgressoribus etiam deicidis summa charitate, quia mortem libentissimè subiit, postulatam à Patre, qui potens erat, & alioqui voluisset à morte adeò indecora Filium sibi dilectum præseruare; at sic nos dilexit, vt mortem Filio permiserit, nostram salutem imploranti, dignè verò tantum Filium exaudiuit, imò condignè pro sacrificantis reuerentia. Ità ea oratio Sacerdotalis effusa est pro nobis, non pro se. Idem habet S. Bonau. *ad* 19. *Ioan.*

ENIM verò quia hæc oratio à multis Doctori- 13
bus fertur etiam in horto emissa, nec D. Bonauent. renuit expresse; posset explicari effusa pro nobis. Ibi enim esto velleitate quadam dixerit: *Si potest fieri, transeat à me calix*, tamen efficaciter petiit, vt Pater suæ mortis decretum sibi notum, & ab initio acceptatum exequeretur. Et hoc fuit Sacerdotij opus se sacrificio exhibere, vt dixi hic cum Lugo. Quare non ritè is negat, hanc orationem condensis suspiriis, & lacrymarum torrente emissam in horto,
vt probet, esse effusam pro nobis. Concilium verò 14
solùm negat, Christum pro se obtulisse hostiam emundantem, qui erat impeccabilis; orasse autem, & aliqua meruisse non negat, de quo satis *disput.* 21. *quæst.* 7.

QVÆSTIO II.

Secundùm quam naturam CHRISTVS *sit Mediator Sacerdos.*

{ D. Bonau. dist. 13. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. q. 28. art. 2.

15 LIBENTER quæstiones perutiles ad noua secta-ti ram absurda euertenda cum D. Bonauentura extendo.

PRIMÒ quidem Starnicius apud Stancarum *libro de Trinitate, & Mediatore*, dixit, Diuinam naturam esse Pontificem, & Sacerdotem; humanam verò esse ipsum sacrificium.

CALVINVS *in epistolis ad Polonos*, ait, Christum secundùm vtramque naturam exercere officium mediatoris inter nos, & Deum, idemque de officio Sacerdotis cogitur asserere; neque solùm è communicatione idiomatum, sed ex ratione principij conuenire illi supposito esse mediatorem ratione personæ. Calvinum sequuntur alij relati à Bellarmino *Tract. 1. lib. 5. de Christo Mediatore*, & à Bonetio *exam. 1. Luth. Atheismo 11.*

16 FRANCISCVS Stancarus ita soli homini videtur tribuere officium mediatoris, vt non requiratur suppositum vllo modo. Videtur quidem hic homo multis in locis rectè sentire. *In lib.* enim *de Trinitate, & Mediatore contra Tigurinos*, & in alio lib. eiusdem argumenti contra Calvinum, & *in examine Pinczonianorum*, & in alio lib. *de officio mediatoris*, & in alio libello *de particula Tantum*, sæpius repetit, Christi personam constare ex duabus naturis, Diuina, & humana. Et *in lib. contra Tigurinos*, circa finem profitetur, se sequi doctrinam Magistri sententiarum, & Scholasticorum, ac de Magistro ita honorificè loquitur: *Plus valet vnus Petrus Lombardus, quàm centum Lutheri, ducentum Melancthones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, quingenti Calvini, qui omnes si vno mortario contunderentur, non exprimeretur vna vncia vera Theologiæ.* Tamen verba etiam suspecta, & malè sonantia leguntur in libris eius, vt notat Bellarminus.

17 ASSERO primò, Christum non esse Mediatorem secundùm naturam Diuinam, itavt particula *secundùm*, determinet naturam, ratione cuius supposito conuenit esse mediatorem, sed secundùm humanam. Ita Catholici omnes post D. Bonauenturam, & D. Thomam, Christum esse Sacerdotem secundùm humanam naturam docet Seraphicus, & *opusc. de essentia* probat, quia secundùm humanitatem obtulit sacrificium, orauit, &c. Idem habet *in 3. distinct. 22. quæstione 1. ad sextum.*

18 PROBATVR primò à D. Bonauentura argumento D. Augustini *9. de ciuitate Dei, toto capite 15.* quod postea in aliis fundamentis exponit. Mediator debet esse medius, idest, distans ab vtraque parte dissidente aliquo modo. Hæc est definitio Mediatoris, qui, si ad vnam partem declinet, non est ampliùs mediator: At hæc definitio conuenit Christo, vt homo est, non vt Deus: Ergo. Minor probatur, quia vt homo distat à Deo, vt iustus, & beatus conuenit cum Deo: & è contra vt homo conuenit cum hominibus; vt iustus distat ab omnibus hominibus: Omnes enim nascuntur natura filij iræ; at Christus vt Deus non distat à Deo vllo modo, idest, nec naturâ, nec iustitiâ, nec alio modo. Igitur non vt Deus, sed vt homo iustus mediator est inter Deum, & homines.

19 CIRCA hanc authoritatem, quam affert etiam D. Thomas, dubitat Valentia; nam D. Augustinus ibi non asserit hoc, dicit enim, Christum fuisse mediatorem, non tantùm vt est Deus, sed vt homo.

RESPONDETVR, sensum D. Augustini esse, debuisse mediatorem esse personam, quæ esset etiam Deus, vt condignè satisfieret, atque adeò loquitur de mediatore, quoad remotum; at verò subdit, quoad operationem esse non in quantum Verbum, ait enim: *Nec tamen ob hoc mediator est, quia Verbum; est enim Verbum immortale longè à mortalibus miseriis, sed Mediator per quod homo, &c.*

20 PROBATVR secundò à S. Doctore ex argumento eodem D. Augustini *loco citato*, vbi ex officio mediatoris colligit assertum, & hoc argumentum habet S. Doctor etiam *fundamento tertio, & distinct. 17. artic. 2. quæstione 1.* Officium Sacerdotis mediatoris est sacrificare, & sacrificando satisfacere, vt habetur *cap. 7. 8. & 9. ad Hebr.* & ex aduersariis Christo etiam conuenit sacrificare seipsum in ara Crucis ad meritum, & satisfactionem; Vnde mortalem naturam habere debuit transeuntem, vt ait D. Augustinus vsque ad consummatam redemptionem; nam cùm ipse è Dei ordinatione futurus erat victima immolanda, debuit talem habere naturam, quæ capax esset immolationis: At sacrificando satisfacere secundùm diuinitatem non potest Christo conuenire, siquidem sacrificans debet esse inferior; dicere autem, Filium Deo esse inferiorem, est Arrianismus. Quare 21 D. Ambrosius lib. 3. de fide, cap. 5. ait: *Idem Sacerdos, idem & hostia, & Sacerdotium, tum & sacrificium humanæ conditionis est officium.* Et infrà: *Nemo igitur, vbi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi ius diuinitatis adscribat.* Et D. Hieronymus *in Psal. 109.* ad ea verba: *Iurauit Dominus*, ait: *Non ille iurauit, qui ante Luciferum genitus est, sed ille, qui post Luciferum natus ex Virgine est.* Idem habet S. Augustinus *lib. 1. de consensu Euangelistarum, cap. 3.* vbi ait: *Secundùm hominem, Christus, Rex, & Pontifex effectus est.* Et S. Fulgentius de fide ad Petrum, cap. 1. vbi habetur: *Solus Sacerdos sacrificium, & templum, & hæc omnia Deus secundùm formam serui.*

22 PROBATVR à D. Bonauentura etiam *fundamento secundo*, cum Magistro *distinct. 19. cap. penultimo*, ex D. Augustino *lib. 2. de peccato originali, cap. 28.* vbi ait: *Non per hoc mediator est, quod æqualis Patri, per hoc enim tantùm Pater, quantùm & ipse à nobis distat, & quomodo erit medietas, vbi eadem distantia est? Ideò Apostolus non ait* prima Timoth. 2. *Christus Iesus, sed mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus. Per hoc ergo mediator, per quod homo, inferior Patre, per quod nobis propinquior: superior nobis per quod Patri propinquior. Quod apertiùs ita dicitur inferior Patre, quia in forma serui, superior nobis, quia sine labe peccati.*

23 HIC S. Augustinus omnia ferè nostra solidat

fundamenta

fundamenta suprà iacta. Addit authoritatem Apostoli, prima Timoth. 2. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus.* Cur ergo addit: *Homo*, nisi ad exprimendam naturam, secundùm quam est mediator? Id notat D. Augustinus *loco citato*, & *serm.* 11. *de verbis Apostoli.*

Respondent aduersarij, hic fieri distinctionem ratione personæ; nam vnus Deus hic intelligitur Pater; vnus verò mediator dicitur Filius, qui est à Patre personaliter distinctus, alioqui si mediator à Trinitate differret, induceretur quaternitas. Porro Calvinus epistola ad Polonos ridet nostram expositionem, qua vnus Deus intelligitur indiuiduum Deitatis, idest tota Trinitas.

24 At nostra expositio est D. Augustini *serm.* 1. *psal.* 29. & *in cap.* 3. *epist. ad Galat.* Anselmi, & Bedæ in eum locum ad Timotheum.

His authoritatibus, & rationibus nituntur Bellarminus *loco citato*, Vasquez *cap.* 3. Suarez *loco citato*, Valentia *quæst.* 22. *punct.* 3. Caspens. *disp.* 13. Lugo *disp.* 39. Mærac. *disp.* 50. Morandus *quæst.* 53. cum Bonerio.

Assero secundò, Christum non fuisse mediatorem secundùm naturam humanam sumptam solitariè à persona Diuina.

25 Probatur, quia operata esset in supposito creato, quod est Nestorianum. Probatur sequela, nam operari est subsistentium. Ità radix & fundamentum huius potestatis est vnio hypostatica, qua potuit se designare mediatorem, Sacerdotem, & hominem.

Præterea opus Mediatoris præcipuum fuit passio; hæc autem ipsi Filio Dei attribuitur *Act.* 20. dicitur Deus acquisiuisse Ecclesiam sanguine suo. *Prima Corinth.* 2. dicitur Dominus gloriæ crucifixus. Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, &c. Factus obediens vsque ad mortem.*

26 Insuper Patres in illud *prima Timoth.* 2. dicunt, Christum ideò à Paulo vocari mediatorem, quia ille solus verè est medius inter Deum, & hominem, cùm vtriusque naturam habeat, vt dixi *quæst.* 1. Idem habent alij Patres apud Bellarminum *cap.* 2. Dicunt igitur Patres, non potuisse Christum esse efficacem mediatorem, nisi esset persona Diuina, vt dixi *disp.* 3. *quæst.* 3. *& sequentibus.*

27 Obiicies primò Ioan. 10. *Ego pono animam meam.* Hoc (ait Calvinus) Mediator asserit, vt Deus, non vt homo, quia nullus est arbiter vitæ, & mortis, nisi Deus.

Respondet D. Bonauentura ad eum locum ex D. Augustino *Tract.* 47. *in Ioan.* Ponere animam non esse Verbi, quia Verbum nunquam dimisit animam, nec esse animæ, quia ipsa à se nequit separari, sed esse carnis, quæ animam deseruit, & recepit. Idem habet S. Augustinus *lib.* 3. *contra Maximinum*, *cap.* 14. Itaque hæc est figura Synecdoche, qua carni soli adscribitur, & quidem ei conuenit mori.

Potest verò cum Chrysostomo exponi, hoc esse dictum à Christo secundùm totam humanitatem, quæ habebat quidem à Verbo potestatem, sed liberè ipsa se morti obtulit, & quamvis hoc opus liberum fuerit animæ, tamen & corpus cooperatum est, occurrendo satellitibus, &c. adscribitur verò humanitati toti, quia operationes animæ in corpore, toti adscribuntur. Sic dicitur: Homo intelligit. Quare Calvinus suo marte confingit. Sic respondet etiam Vasquez *cap.* 4. & Bellarminus *cap.* 6.

Obiiciunt secundò, secunda Corinth. 5. 28
Deus nos reconciliauit per Christum. Et infrà: *Deus erat in Christo mundum reconcilians.* Et Coloss. 1. *Pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, &c.* At hæc sunt opera Mediatoris: Ergo esse mediatorem conuenit Christo, vt est Deus.

Respondet Bellarminus *cap.* 6. ex D. Bonauentura *hic ad* 4. Patrem reconciliasse per Christum Mediatorem, vt ait Ambros. *cap* 5. 2. *Corinth.* procurando, vt humanitas sanctissima reconcilians suis operibus Deum hominibus, fungeretur officio mediatoris. Itaque ex eo quod Deus per mediatorem reconciliauerit, non sequitur, fuisse mediatorem, sed solùm procurasse pacem, & reconciliationem per mediatorem. Vel dic, omnia testimonia Patrum, atque Scripturæ, quæ ità loquuntur, intelligi per communicationem idiomatum id Deum præstitisse.

Alii verò loquuntur de persona, quæ ad plenè satisfaciendum debuit esse Deus. Ita Dionysius Areopagita *epistola* 4. *ad Caium*, Irenæus *lib.* 3. *cap.* 20. Epiphanius *in Anchorato*, Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, & Theophylactus *in cap.* 2. *epistola prioris ad Timotheum.* Augustinus *in Enchirid. cap.* 108. & *lib.* 1. *de consensu Euangelistarum*, *cap.* 35. & *homil. de omnibus*, *cap.* 12. vt se explicat 9. *de ciuitate*, *cap.* 15. allegato à D. Bonauentura. 29

Obiiciunt tertiò: dare Spiritum sanctum est Dei, vt patet; at hoc est officium mediatoris, ex D. Augustino *cap.* 33. *Enchir.* 30

Respondet S. Bonauentura *in* 1. *distinct.* 14. *quæstione vltima*, vbi hanc quæstionem ex professo agit, Spiritum sanctum efficienter à solo Deo communicari, quia nulla creatura potest super Spiritum sanctum, & nulla potest dare gratiam, quæ creatur; at verò instrumentaliter per Sacramenta communicari, dispositiuè potest per sanctos impetrantes, maximè autem meritoriè per Christum, vt innuit *ad vltimum*, & hoc est officium mediatoris. Vide *prima primæ*, *tract.* 2. *disput.* 15. *& vltima.* Eodem modo respondet Vasquez *num.* 28. Bellarminus *loco citato.*

Obiicit quartò Calvinus *loco citato*, Christus fuit caput Angelorum, & hominum etiam ante lapsum Adæ. Igitur fuit etiam mediator: atque tunc Christus non adhuc erat homo: Ergo. Adde, Chrysostomum, Augustinum, & Hieronymum *ad cap.* 3. *epistola ad Galatas*, ad ea verba: *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris*, exponere *per Christum.* 31

Respondet S. Doctor *distinct.* 13. *quæstione vltima*, *ad* 5. potuisse influere meritoriè in Angelos etiam ante incarnationem in fide, ex diuina promissione futurarum impetrationum, sicut etiam influxit in Patres antiquos, & Lex ex meritis Christi venturi data est populo. Si quando autem per Christum creatus mundus asseritur, loquuntur, iuxta dicta *disputatione quarta*, *quæstione prima.*

Obiiciunt quintò ex Patribus, qui volunt, mediatorem debuisse constare ex natura Diuina, & humana, vt satisfaceret, vt vidimus *disputatione tertia.* 32

Respondet S. Doctor *ad* 1. *&* 2. Ideò ne-

ceſſariam fuiſſe ex PP. vnionem duarum naturarum, diuinæ, & humanæ, in perſona Verbi, vt ſic eſſet perſona media, & infiniti valoris ad ſatiſfaciendum, atque adeo remotè neceſſarium id eſſe; at verò proxime ad operationem requiritur, vt ſit ſecundùm naturam humanam, quæ participans de vtroque extremo, inferior tamen Deo, potuit orare, ſacrificare, & mereri.

33 DICVNT igitur Patres, Chriſtum ratione naturæ Diuinæ, & humanæ fuiſſe medium, vt dixi *quæſt*.1. Ad rationem verò Mediatoris requirebatur operatio ſecundùm naturam humanam, quæ tamen à Diuina accipiebat in perſona dignitatem infinitam meritorum.

DICAS. Si Chriſtus ſatisfecit operatione dignificata à Verbo, quam vocant Theandricam, ideſt Dei virilem; cùm Dei viriliis operatio ſit duplex duarum naturarum, vt definitur in Concilio Later. ſub Martino I. *conſult*.5. *can* 15. ſequitur, officium mediatoris ab vtraque ſimul natura fuiſſe.

34 RESPONDETVR, operationes Theandricas definiri duas contra Monothelitas, non tamen vult Concilium, operationem diuinitatis eſſe operationem mediatoris.

DICES D. Cyrill. Hieroſol. *cat*.10. ait, Chriſtum ab æterno eſſe Sacerdotem: Ergo vt Deus.

DICO, aſſeri æternum balſamum, quo erat vngendus Sacerdos.

QVÆSTIO III.

An, & qua ratione CHRISTVS *ſit Sacerdos in æternum*

{ D.Thom. q.22. art 5.

35 GEMINVM Sacerdotij Chriſti Encomium canit Pſaltes, *Pſal*.109. Primum: *Tu es Sacerdos in æternum.* Alterum: *Secundùm ordinem Melchiſedech.* De priori hic, de poſteriori verò agam *quæſtione ſequenti*.

PERPETVITATEM Sacerdotij Chriſti explicat D. Thom. in eo poſitam eſſe, quia effectus, & fructus eius eſt æternus. Hoc ſolo conſiſtere perpetuitatem Sacerdotij Chriſti, addit Kemnitius. Hoc tamen non ſufficit, alioqui etiam Sacerdotium Aaronis eſſet æternum, quia durantem ſpiritum gratiæ ſæpè obtinuit. Similiter & Euangelicum, quia gratiam efficit.

36 MVLTI controuerſiarum Doctores, vt contra Calvinum, Kemnitium, & alios huius farinæ errones defendant ſacrificium Miſſæ, ſic explicant cum D. Bonauentura *ad Pſal*.109. Sacerdotium Chriſti dici æternum, ipſumque Chriſtum Sacerdotem in æternum, quia offert ſacrificium perpetuum vſque ad finem mundi; accipitur enim æternum, vt ſæpè fit in Scriptura, pro toto tempore futuro, vt notat Lorinus *in Pſal*.109. Lugo *diſp*.19. *ſect*.3. Caſpenſ. *diſp*.13. cum D. Bonau. ad id Eccl.1. *Terra in æternum ſtat.* Iam verò nullum aliud eſt ſacrificium in Eccleſia, præterquàm Miſſa.

37 QVOD enim hæretici dicunt, Chriſtum perpetuò offerre Patri ſuam Paſſionem, & ob id ſolum dici Sacerdotem æternum, friuolum eſt; hoc enim non eſt nouiter ſacrificare, aut continuare ſacrificium Crucis, quod, vt ait Apoſtolus: *Semel obtulit ingreſſus in ſancta, æterna redemptione inuenta*; neque eſt Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech.

38 HVNC modum impugnat Vaſquez *diſput*.85. *numero* 6. Primò quidem, quia Apoſtolus ipſe *Hebr*.7. vbi hunc locum explicat, in eo ponit Sacerdotij Chriſti perpetuitatem: *Quia Chriſtus manet in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*; & ità exponit Chryſoſtomus *homil*.13. *in eam epiſtolam*, & Ambroſius *ibi*, & Theophylactus, vbi aiunt: *Sempiternum*, quia ſucceſſione, & fine caret, nempè quia Chriſtus Pontifex eſt victurus in æternum, nec vllum habet Sacerdotium ei ſuccedens, vt exponit D. Bonau. *in* 3. *diſtinct*. 22. *quæſt*.1. *ad* 6. vbi, cùm ſibi obiecisset, Chriſtum etiam in triduo fuiſſe Sacerdotem, atque adeò etiam hominem, reſpondet; Chriſtum dici Sacerdotem æternum, non quia ſemper fuerit Sacerdos in actu, ſed quia illi Sacerdotio nullum aliud ſucceſſit.

EODEM modo hunc locum intelligit Damaſcenus *oratione* 2. *de B. Virginis Natiuitate*, vt refert Vaſquez *cap*.1.

39 CONFIRMATVR primò à Vaſquez, quia ea de cauſa ait Apoſtolus, Chriſtum habere ſempiternum Sacerdotium, quia manet in æternum. Ex oppoſito eſt Sacerdotium Leuiticorum: *Qui morte prohiberentur permanere Sacerdotes*; at verò ipſe manet in æternum, non vſque ad finem mundi tantum: Ergo & oportet inuenire rationem Sacerdotij Chriſti etiam poſt finem mundi, quando non erunt Miſſæ.

CONFIRMATVR ſecundò ab eo, ex illis verbis Apoſtoli, cap.7. *Qui non ſecundùm legem mandati carnalis factus eſt*, ſcilicet Sacerdos, *ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim: Tu es Sacerdos in æternum*, &c.

IPSE igitur perpetuum Chriſti Sacerdotium in dignitate vnctionis, balſamo diuinitatis factæ, perpetuò duratura conſtituit.

40 SVPPONIT autem primò, Sacerdotium non eſſe nudum miniſterium, ſed dignitatem ordinis, & conſecrationem, vt definit Concilium Tridentinum *ſeſſ*.23. *can*.3. atque adeò etiam præciſo, & finito miniſterio durare, ſicuti durat in Sacerdotibus non celebrantibus.

PORRÒ talem conſecrationem factam Chriſto probat ex Patribus præcipuè è Cyrillo lib.2. de recta fide ad Reginas cit. *De eo quod Chriſtus ſanctificatus eſt, & de Sacerdotio*, §. *Et nullus accipit ſibi.* Nazianzeno *oratione* 40. Elia Cretenſi *in orationem primam Nazianzeni.* Germanu Patriarcha Conſtantinopolitano *in Theoria rerum Eccleſiaſticarum*, non longè ab initio. Damaſceno *loco cit*. qui hanc dignitatem ex ipſa ſubſtantiali vnione Chriſtum habuiſſe, aſſerunt.

41 Eos imitatur D. Bonauent. ad id Lucæ 4. *Spiritus Domini vnxit me.* Idque probat Act. 10. *Vnxit eum Deus.* Danielis 9. *Et vngatur Sanctus Sanctorum.* Et addit: Dicitur eum vnxiſſe quantum ad prærogatiuam Sacerdotalis; & regalis dignitatis. Hæc reſpiciunt aſſumptam naturam in Chriſto, & præfigurabatur in vnctione Regum, & Sacerdotum in veteri Teſtamento.

42 VERVM enim verò nimium aſſerit ex more Vaſquez, vt euertat hoc fundamentum, quo Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium comprobatur: Equidem non nego, vnioni hypoſtaticæ adſcribi ſacram Ordinationem, qua Chriſtus initiatus eſt Sacerdotio.

FATEOR

FATEOR etiam, ea æternitate vitæ Christi colligere perpetuitatem Sacerdotij eius; antithesi apposita contra Sacerdotes Leuiticos, qui plures esse debuerunt, *eò quòd morte prohiberentur permanere.* Fateor, etiam durare, etiamsi ad tempus interrumperetur.

43 At quis non videt, aliam quoque rationem perpetuitatis Sacerdotij apponi à Paulo: Quod enim sit æternum, etiamsi actu non semper sacrificauerit in triduo, maximè quando nec incruentum sacrificium vllum peractum est, & cruentum erat consummatum, vt ait D.Bonauentura, non inficior: Quòd verò dicat S.Bonauentura, Sacerdotium Christi esse æternum, non quia semper fuerit Sacerdos in actu; sed quia illi Sacerdotio nullum aliud successerit: sensus est, non ob id cessasse Sacerdotium Christi, quia ipse triduo suæ mortis nec cruentum obtulerit; neque vt principalis incruentum Missæ cùm sacerdotibus sacrificauerit; sed ad cruenti perpetui-
44 tatem sufficere, quod duret oblatio in virtute, & effectibus in æternum, illique nullus alius succedat, quippè omnia sacerdotia sint in eo completa: Non verò ad Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech, de quo ibi non loquitur, vt patet legenti; solùm enim affert id Psal. *Tu es Sacerdos*, Psal. 109. & illud Hebr. 7. *Iesus autem, eò quòd manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium*, ex quo Vasquez totam suam rationem, nedum opinionem decerpsit: Enim verò Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech æternum, idest vsque ad finem mundi, ponit in commentario ad *Psal.* 109. & *in 4. dist.* 24. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 1. collocat in ritu Missæ, & ideò ibi totum versum affert.

NEQVA inspiceris, (*æternum*) accipi à S.Doctore ex eodem psalmo æquiuocè, quia in priori loco etiam potest accipi vsque ad finem mundi pro toto, & solo tempore, quo durabunt Sacerdotia.

45 SACERDOTIVM igitur Christi secundùm ordinem Melchisedech in sacrificio Missæ perpetuatur ea institutione Christi, non in sola vnctione, vel duratione sacerdotis; alioqui omnes sacerdotes nouæ legis essent in æternum, quia in æuum durabunt; Sacerdotium verò cruentum, quia vna vice debuit consummari, vt ait Apostolus *ad Heb.* durat solùm virtute modo suprà dicto. Vide Cornelium ad eum locum Lorinum *ad Psal. citatum.*

46 HOC autem probatur: Cùm Apostolus ex hoc capite perpetuitatem sacerdotis Christi comprobasset, incipit cap. 8. dicens: *Capitulum autem super ea, quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit.* Vult igitur dicere: In summam recolligo sermonem: (Hoc enim significat capitulum,) Christum esse Pontificem, non Synagogæ, sed Ecclesiæ: Profectò autem sacrificio cruento, & vnione hypostatica fuit sacerdos etiam pro Synagoga, quam redemit: Igitur singulari ratione Pontificem nouæ Ecclesiæ eum vocat, quatenus ingreditur tabernaculum nouum, & subdit: *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: vnde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat.*

47 IGITVR deducit, eum non satis Sacerdotio fungi, si consecratus sit oleo Deitatis, si obtulerit se in Cruce, (vt putat Vasquez) sed debere etiam habere aliquid, quod offerat: Quæ autem sit victima, quam offert, declarat Apostolus, non esse aliqua terrena munera, vel animalia, sed aliquid cœleste, nimirum vt infrà ostendam *quæstione sequenti*, Eucharistiam secundùm ordinem Melchisedech in specie panis, & vini: Si ergo, ait, esset super terram, nec esset Sacerdos, cùm essent, qui offerrent secundum legem munera, seu vt habetur ea Græco:
Existentibus Sacerdotibus offerentibus secundùm legem 48
munera, qui exemplari, & vmbra deseruiunt cælestium, &c. Quorum verborum hæc est sententia, vt eruditè ostendit Bellarminus *tom. 3. lib. 1. de Missa, cap. 6. col. 734.* si hostia immolanda esset quid terrenum, Christus non esset Sacerdos, quia non foret necessitas noui sacerdotij, cùm satis multa secundùm legem offerrentur: Itaque pergit ostendere, Christum offerre continuè hostias melioris testamenti.

PROFACTÒ sacrificium nouæ Ecclesiæ id mon- 49
strat, vt notat Valentia *tom. 4. disputat. 6. quæst. 11. punct. t.* §. 16. circa finem: hostiæ enim multiplicantur nunc tantùm quoad Missam: Hoc ità exponit Chrysost. *homil. 24. ad Heb.* & D.Thom. ad eum locum, & Oecumenius *ibi, ad Hebr. 5.*

RESPONDAT Vasquez, Græcos omnes Patres in eum locum, & ex Latinis Ambrosium, & Anselmum exponere de sacrificio cruento, quod satis est assignare Christo, vt probetur Sacerdos.

HÆC tamen responsio non soluit; nam Aposto- 50
lus *cap. 5.* iam ostenderat, Christum sacrificio cruento fuisse Sacerdotem, qui non debet amplius offerre pro peccatis populi: *Hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* Et de hoc Patres illi loquuntur: Posteà subdit iam de elato Sacerdotio Melchisedech, tanquam figurâ sacerdotij Christi incruenti: *Lex enim homines constituit Sacerdotes, infirmitatem habentes; sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.* Quasi dicat Sacerdotes legis infirmi erant etiam ipsi, & ideò egebant offerre prius pro suis culpis: at Christus sanctissimus semel oblato cruento sacrificio pro populo manet in æternum Sacerdos perfectus secundùm ordinem Melchisedech: Quomodo autem id fiat, sequitur cap. 8. *Capitulum autem, &c.* Et clarè hostias Noui Testamenti asserit, vt dicam *quæst. sequenti.*

PRÆCLARVM verò est pro nobis testimonium 51
Concilij Tridentini *sess. 22. cap. 1.* vbi dicitur: *Quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat; in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilecta sponsa sua Ecclesiæ visibile, sicuti hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud, in Cruce semel peragendum repræsentaretur; eiusque memoria in finem vsque sæculi permaneret, &c. Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & successoribus, vt offerrent, præcepit.*

Hoc verò vrgeo, nam Vasquez *num.* 10. ait non 52
manere Sacerdotium, nisi quantum durat ministerium, licèt Sacerdotes charactere in æuum seruato viuant.

RESPONDAT Vasquez *num.* 30. ideò Christum esse æternum sacerdotem, quia sine successore deriuat in alios potestatem, relinquendo eis idem sacrificium.

At Concilium luce clarius asserit, ideò institutum à Christo sacrificium Missæ vsque ad finem mundi, vt se declaret Sacerdotem in æternum: Quare nil magis alienum poterat Vasquez respondere; sed is videns verbis illis (eiusque memoria in finem vsque sæculi permaneret, &c.) se conuictum, ea reticuit.

SOLVM videtur scrupulum afferre id, quod 53
obiicit Vasquez suprà: *Christus autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdo-*

tium; ex quo etiam Kemnitius *secunda parte exam. pag.* 742. eruebat æternitatem Sacerdotis in vita Christi consistere.

RESPONDET tamen Bellarminus *loco. cit.* Apostolum non arguere, Sacerdotium Christi esse æternum, quia ipse immortalis est; sed probare ex eo, quod manet in æternum, posse illum perpetuò fungi sacerdotiu, nec opus esse, vt alius illi succedat, sicut Leuitis necesse erat, quia nullus poterat perpetuò ministrare: *Cum morte prohiberentur permanere:* Iesus autem dicitur Sacerdos in æternum, pro quo legit Hebræus *in sæculum*, quia sacrificium Missæ eo principali agente per manus ministrantium Sacedotium perpetuatur ad mundi finem.

53 INSTAT Vasquea *num.* 8. hanc responsionem valituram, si sacerdotium esset simplex ministerium, non autem potestas aliqua; tunc enim tamdiu esset duraturum sacerdotium, quamdiu durat ministerium; at hoc falsum est ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap. primo.*

RESPONDETVR facilè, non supponere Bellarminum id, quod infert Vasquez, vt patet legenti; nam sustinet cum Concilio, Sacerdotium esse dignitatem, attamen id non sufficere ad hoc, vt sacerdotium sit perpetuum; nam etiam sacerdotes omnes Leuitici, & Euangelici manebunt post resurrectionem semper, nec tamen erunt sacerdotes in æternum; sed requiritur etiam vt valeant exequi actum
54 honorificum, & exercêre: Frustra enim diceretur aliquis manere Consul, quamdiu manet in vita, aut manet effectus illius Consulatus, vt notat Bellarminus, & Valentia *loco citato.*

❧❧❧❧❧❧❧❧❧❧:†:❧❧❧❧❧❧❧❧

QVÆSTIO IV.

An, & quomodo CHRISTVS *sit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.*

55 CHRISTVM non secundùm ordinem Aaron, sed Melchisedech fuisse Sacerdotem, latiùs probatur ab Apostolo *ad Hebr.* Narrat quidem Suidas ex quodam Rabbino, Christum inter Sacerdotes Leuiticos fuisse numeratum.

VSRVM Thomas Vvaldensis *tomo de Sacramentis, cap.* 116. *num.* 6. Christum non in Sacerdotum, sed in Lectorum numerum adscriptum ait, hoc autem non fuisse ei concedendum, nisi ex genere etiam Leuitarum originem traheret.

COLLIGIT autem id *ex* 4. *Lucæ*, vbi Christus describitur intrasse Synagogam, & ibi surrexisse ad legendum.

56 ENIM verò hoc non comprobat, Christum fuisse ex officio Leuitico Lectorem; nam & Paulus *act.* 13. legit in Synagoga Antiochiæ, qui tamen erat Benjamita, vt notat Vasquez *disp.* 86. *cap.* 21. post D. Bonauenturam *ad eum locum*. Quod verò adducunt alij, Christum authoritate Leuitica his eiecisse ementes è templo *Ioan.* 2. *Matth.* 21. non arguit, quia id fecit potestate Diuina, vt probat S. Bonauentura, *ad* 2. *Ioan.* vbi aduertit, ideò allegasse Patris honorem, & potentiam ad reuocandum corpus à morte: *Nolite facere domum Patris, &c. Soluite templum hoc, &c.* Idem obseruat Vasquea *loco citato*, circa Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, quod asseritur *Psal.* 109. & *in epist. ad Hebraos.*

57 SVPPONO primò, non vocari Christum Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, quia fuerit aliqua ordinatione à Melchisedech instituta vnctionis, vel initiationis; sed quia ritus sacrificandi Christi fuit similis ritui Melchisedech, vt notat D. Bonauentura, *in* 4. *dist.* 18. *part.* 1. *quæst.* 2. & 3. & *distinct.* 24. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 1. & innuit *ad Psal.* 109.

SVPPONO secundò cum eodem S. Bonauentura, hunc Melchisedech fuisse verum hominem contra quosdam, quos hæreticos vocant D. Augustin. *heresi* 34. Epiphanius *heresi* 55. & 57. qui dixêre, fuisse vel Christum, vel Spiritum sanctum. Hunc autem fuisse verum hominem ostendit S. Doctor supra; nam *Genes.* 14. dicitur Sacerdos Dei exiisse obuium Abrahæ, & obtulisse panem: Igitur erroneum est dicere, non fuisse hominem, vt colligunt D. Ambrosius *lib.* 4. *de fide*, *cap.* 3. Augustin. & Epiphanius suprà.

58 QVOD verò 7. *ad Hebraos*, dicatur sine patre, sine matre, sine genealogia, sine successione, euenit, non quia caruerit Patre, &c. sed quia nil tale de eo habetur in Scriptura. Sic exponitur à Patribus Hieronymo *epistola* 126. Epiphanio *heresi* 55. Niceta *in orationem* 38. *Nazianzeni*, Elia Cretensi *in orationem* 36. Nezianaeno *numer.* 99. Chrysostomo *homil.* 35. *in Genes.* & Græcis omnibus in illum locum, ac S. Doctor *in* 4. *dist.* 24. *p.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad primum.*

59 SVPPONO tertiò, Melchisedech fuisse verum Sacerdotem contra quosdam apud Alphonsum de Castro *lib. aduersus hæreses*, *verbo Missa*, *heresi* 2. Id enim scriptura refert dicens 14. Genes. *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Et Psal. 109. dicitur: *Tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, vt notat D. Bonauentura *loco citato.* Ipse enim Christus psalmum illum de se explicat *Matth.* 22. Addo ex confessione hæreticorum, Christum esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech ex *Psal.* 109. & *ad Hebr.* 7.

SVPPONO quartò cum S. Bonauentura *in* 3. *dist.* 3. *p.* 2. *quæst.* 2. Sacerdotium Melchisedech fuisse nobilius Sacerdotio Aaron, quod probat Apostolus, quia Abraham in cuius lumbis erat Leui, & Aaron, decimas soluit ipsi Melchisedech, & ideò Sacerdotium Melchisedech fuit figura Sacerdotij Christi: Ità hæc supponunt Vasquez *disp.* 86. *cap.* 2. Suarez *disputat.* 46. *sect.* 4. Caspens. *disputat.* 53. & alij, apud istos.

60 IAM verò cùm cæteri errores circa Melchisedech sint antiquati; Nouatores alium inducunt, nempè licèt Melchisedech fuerit Sacerdos, & figura Christi, non tamen panem, & vinum Deo in sacrificium fuisse ab eo oblata; & inde colligunt, Sacerdotium Christi non consistere in oblatione specierum panis, & vini: Ita Calvinus *lib.* 4. *institut. cap.* 18. Kemnitius 2. *p. exam. pag.* 740. & 747. & alij in expositione, quam vocant Ecclesiasticam *in Genes.* & Petrus Martyr, *in cap.* 5. *prima ad Corinthios.*

61 ADDVCAM primò textum Genes. cap. 14. vbi habetur: *At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei.*

HIC lamentatur Kemnitius, in vulgata editione legi: *Melchisedech obtulit panem, & vinum*, & addit editionem Hebræam, Chaldæam, & Græcam non habere verbum sacrificatorium (*obtulit*) sed verbum (*protulit*) quod significat simpliciter depromere ad multos vsus.

62 IMMERITÒ tamen conqueritur, cùm in omnibus

bus exemplaribus nostris Vulgatis habeatur etiam *protulit* : Deceptus est forsan Kemnitius, quia aliqui sancti Patres infra referendi, quos imitatur D.Bonauentura *in 4.dist.8.p p. quæst.2. argument.3. & quæst.3. fundamento 3.* legunt exponendo *obtulit*. Hoc tamen verbum *Protulit* sæpè vsurpatur pro adductione hostiæ ad immolandum, vt *Iudic. 6.* vbi bis habetur idem verbum הוציא quod *Genes. 14.* nam subdit ויתן & *obtulit*. Idem videmus in verbo הביא quod propriè significat adducere, & tamen passim in Scriptura restringitur ad sacrificium, vt idem sit, quod offerre, vt patet *Genes.4.* vbi describitur sacrificium Caïn, & Abel.

63 SEQVETVR in sententia citata (*panem, & vinum*) sed Calvinus, & Kemnitius contendunt, non fuisse hæc oblata in sacrificium, sed prolata, & data Abrahæ, & sociis in refectionem, dum reuerterentur è prælio : Hoc idem argumentum sibi obiecerat S.Bonauentura *loco citato, quæst.2.* & respondebat concedendo, data Abrahæ ; sed tamen prius oblata Deo sacrata, & postea exhibita hominibus, vt notat etiam Bellarminus *lib. 1. de Missa, cap.6.* longe post initium.

64 NVLLA verò causa fuit dandi ea Abrahæ in refectionem vsualem; nam vt ibidem Scriptura refert, Abraham regressus est è prælio cum ingenti præda, maximè eorum, quæ ad victum faciebant, & iam opiparè refecti fuerant bellatores, antequam occurreret eis Melchisedech.

DEINDE Scriptura assignat rationem dicens : *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Quæ ratio ab ipso Spiritu sancto reddita, cur Melchisedech panem, & vinum protulerit, omninò cogit, vt intelligamus, panem, & vinum prolata fuisse ad sacrificium.

RESPONDET Kemnitius, in Hebræo non haberi particulam causalem (*enim*) כי : sed ו coniunctiuam, *& :* Quare sic ipse vertit cum Calvino : *Erat autem Sacerdos Dei Altissimi, & benedixit ei*, & sic distinguit actiones ipsius Melchisedech Regis, & Sacerdotis, vt exhibitio panis, & vini ad munificentiam Regiam pertineat : benedictio autem ad Sacerdotium.

65 ENIM verò, licèt ibi sit particula coniunctiua (*&*) tamen frequentissimè, apud Hebræos obtinet vim causalis, & verti debet per (*enim*) si sententia eleganter Latina phrasi exprimenda sit : sic *Genes. 20.* dicitur : *En morieris propter mulierem, quam tulisti : habet enim virum.* In Hebræo : *Et ipsa habet virum.* Genes.30. *Experimento didici, quia benedixerit mihi Dominus.* Hebr. habetur, *& benedixit* Isaiæ 64. *Tu iratus es, & peccauimus*, idest, *quia peccauimus*, vbi apertissimè ponitur ו pro כי copulatiua, vt notat etiam sanctus Pagninus *lib. primo, Institut. cap. 24.*

66 PRÆTEREA confundunt orationem, dum aiunt legendum : *Et erat Sacerdos Dei Altissimi, & benedixit ei* ; nam post nomen *Altissimi* ponitur accentus, qui dicitur *Silue*, qui distinguit periodos : Quare verba illa sequentia : *Et benedixit eis*, sunt initium nouæ periodi : Eandem distinctionem inuenimus in Chaldæo, Græco, & Latino. Posita verò hac vera distinctione orationis, etiamsi nulla adesset particula causalis, tam per se clamaret oratio, panem, & vinum prolata in sacrificium : Quorsum enim cum illis verbis (*protulit panem, & vinum*) coniungerentur illa ; *Et erat Sacerdos Dei Altissimi*, nisi vt intelligeremus, panem, & vinum oblata in sacrificium ?

67 ADDE, quod cum toties Christus dicatur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech ; & nullibi describatur ritus aliquis Melchisedech, nisi in hoc loco, vbi obtulit panem ; certò agnoscitur, hanc fuisse eius oblationem, & tanquam res nota supponitur.

ACCEDAT vniuersalis Patrum expositio ad hæreticorum temeritatem retundendam.

PRIMÒ quidem Ecclesia antiquissima in Canone Missæ ita orat : *Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris : & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ : & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Cuius partis Canonis meminit expressè D.Ambrosius *lib. 4. de Sacramentis, cap.6.* ex quo perspicuè constat, esse istam sententiam Ecclesiæ antiquæ : eodem nititur D.Bonauentura in expositione Missæ. 68

Præterea sancti Patres idem asserunt, Clemens Alexandr. *lib. 4. stromatum*, non procul à fine, Cyprianus *lib.2. epistola 3. ad Cæcilium*, & habetur *in Breuiario Feriæ tertiæ, infra octauam Corporis Domini.* Eusebius Cæsariensis *lib. 5. Demonstr. Euangel. cap. 3.* Ambrosius *lib. 5. de Sacramentis, cap.1. & lib.4. cap.3. & 6.* Epiphanius *hæresi 55.* Hieronymus *epistola ad Marcellam*, & *epistola ad Euagrium*, vbi ex sententia antiqua Irenæi, Hippolyti, Eusebij, tum Cæsariensis, tum Emisseni, Apollinarij, & Eustachij ait, ordinem Melchisedech in eo consistere, vt non immolarit cruentas victimas, sed pane, vinoque simplici, puroque sacrificio Christi dedicauerit Sacramentum, Chrysostomus *homil.35. & 36. in Genes.* Augustinus *epistola 95. ad Innocentium*, *& lib.16. de Ciuitate Dei, cap. 22.* & alibi, Theodoretus *in Psal.109.* *Leo I. serm.2. de Anniuersario suæ Assumptionis ad Pontificatum.* Eusebius Emissenus *serm. 5. de Paschate, annot. in Psal.109.* Eucherius *lib.2. cap.18. in Genes.* Primasius *in c.5. ad Hebr.* Cassiodor. *in psal.109.* Remigius Antisiodorensis, & Euthymius Zigabonus *in psal.109.* Damascenus *lib.4. de fide, cap.14.* Oecumenius *in c.5. ad Hebr.* & ibi Theophylactus, & Anselmus, quos refert Bellarminus *loco citato*, & S. Doctor *ad 22. Lucæ*, ad ea verba : *Hoc est corpus meum*, sed eadem distinctè recitabo testimonia *tom. 2. tract.4. part.2. disput.1. quæst.1.* Idem habetur in Conciliis, Aquisgran. *lib. 1. cap. 17. & 18.* & Tridentino *sess. 22. cap. 1.* 69 70

HIS testimoniis, quæ audacissimas frontes rubore suffunderent, adde testimonia Rabbinorum, quæ recitantur in Berescith Rabba : Hi sunt Rabbini Samuel *in 14. Genes.* Phinees *in cap. 28. Numer.* Vide Bellarmin. *tom. 2. lib. 1. de Missa, cap.6.* à Lapide *ad cap.7. ad Hebr.* 71

DICES : Si Christus offerens incruentam Eucharistiam fuit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, sequitur, fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Aaron, quia cruento sacrificio se in cruce obtulit. 72

RESPONDET Suarez *disputat. 46.* circa finem *sect.2.* negando sequelam, quia sacerdotium Aaron erat ex vna stirpe, & offerebat sacrificia significantia vmbraticè cruentum Crucis, per quod abolenda erant, tanquam carnalia, & simul euacuanda lex scripta cæremonialis : at Sacerdotium Melchisedech fuit legis naturæ, quæ erat implenda, & perficienda à Christo, & figurauit Christum etiam in statu immortali, quo sacerdos in sæculum erat sacrificaturus in Ecclesia : Hæc responsio ex parte est

D.Bona

D.Bonauenturæ *in 4. dist. 8. part. 1. quæst. 3. in fine corporis.* Neque enim e sola re oblata Christus dicitur Sacerdus secundùm ordinem Melchisedech, sed etiam ex conditionibus multis allatis ab Apostolo *ad Hebr. 9.* quæ Leuitico Sacerdotio nequeunt conuenire, vt notat Vasquez *num. 38.*

73 Obiiciunt primò hæretici, cùm Paulus *ad Hebr.* fuse exponat figuram Sacerdotij Christi secundùm ordinem Melchisedech, nunquam meminit oblationis panis, & vini, quæ videbatur potissima figura Sacerdotij Christi, & tamen multa alia minuta recensuit: Non est autem credibile, tantum Mysterium à Paulo prætermissum, si existeret.

74 Communiter respondent, Paulum nihil de sacrificio Missæ locutum: Tum quia adhuc Hebræi erant imbecilles ad tantum mysterium discendum, vt ipse dicit *cap. 5.* Ita respondent Vasquez *cap. 3.* Bellarminus, & Suarez *loco citato*, & sanè expressu Melchisedech sacerdotio ait: *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis; quoniam imbecilles facti estis.* Quibus verbis indicat hoc ipsum, subdens etiam: *Et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.*

75 D. Bonaventura *in expositione Missæ*, videtur inuenisse applicationem sacerdotij Melchisedech, & Christi in Missæ oblatione, nam *capite octauo* recenset, Christum offerre in tabernaculo, seu Sanctuario nouo in Ecclesia gratiæ perpetuò, vt dixi *quæstione præcedenti*, in hoc comparans Christum Melchisedech, cuius historiam de oblatione panis, & vini concisam recensuerat, tanquam Hebræis notam; sic enim *capite 6.* concludit: *Præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech: Pontifex factus in æternum.* Incipit verò cap. 7. *Hic enim Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos Dei Summi, qui obiurauit Abrahæ.* Innuit historiam, Betonicâ notiorem apud Hebræos: Ex eo enim quod distinguit, obuiasse Abrahæ, profectò totam historiam oblationis accinit, quod deinde subdit, *& benedixit ei, &c.* reliqua recenset: Capite verò octauo, applicat hæc Christo sacrificanti vsque in sæculum in Missa, vt dixi.

76 Et *cap. 9.* recenset Tabernaculum, & vasa; atque instrumenta sacrificiorum, refert Vrnam, in qua erat manna, &c. & relata debili virtute sacrificiorum antiquorum pergit (vt notat S. Bonauentura: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, &c.* Et subdit: *Necesse est ergo exemplaria, seu figuras quidem cælestium* (idest Sacramentorum Ecclesiæ gratiæ) *his mundari: ipsa autem cælestia* (idest Ecclesiæ nouæ) *melioribus hostiis, quàm istis*, idest antiquis: Vbi plures hostias recenset, cùm vnam cruentam asseruisset, quia licèt vno cruento sacrificio nituntur, tamen in sacrificio sanctissimo Eucharistiæ multiplicatur: Lyra exponit, vocari hostias plures, quia sacrifi-
77 cium Christi multiplicatur in sacramentis; sed hoc de omnibus Sacramentis explicatum non est ad rem, non enim Sacramenta præter Eucharistiam sunt hostiæ: Loquitur ergo de sacrificio solo Eucharistiæ; sicut igitur negat, Christum ampliùs cruentè seipsum immolare, ita concedit pluribus se hostiis incruentis offerre in sanctissimis Missis.

Obiicit secundò Kemnitius: Typus sacerdotij Christi secundùm ordinem Melchisedech non secundùm Aaron consistit in his, quæ non sunt communia vtrique: at offerre panem, & vinum erat commune etiam Leuiticis, vt patet *Exodi 29. Leuit. 2. & 24.* & *Numer. 28.* Ergo.

Respondet Vasquez, nullibi commune fuis- 78
se Leuiticis offerre panem, & vinum simul, sicuti Melchisedech; hoc verò necessarium erat, vt repræsentaretur sacrificium Missæ, vt probat S.Doctor *in 4. dist. 11. part. 2. quæst. 2.*

QVÆSTIO V.

An cum Sacerdotio CHRISTI *iuncta fuerit dignitas Regia, sicut in Melchisedech.*

Inter alias excellentias Sacerdotij Christi, qui- 79
bus, assimilatus est Melchisedech, ea est, quòd fuerit Rex, & Sacerdos, sicut legimus etiam fuisse Melchisedech.

Svppono autem primò, Christum habuisse potestatem regiam spiritualem ad instituendam Ecclesiam, ordinandoque Sacramenta.

Probatvr primò à D.Bonauentura *ad Psal. 2.* illis verbis: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ*, vbi ait S.Doctor: Ecclesia dicitur hæreditas Christi, quia eam possidet, colit, & pascit, & ideò subdit: *Reges, &c.* & *Seruite Domino, &c. Ego autem constitutus sum Rex, &c. prædicans, &c.* 80

Probatvr secundò à S. Bonauentura *in 4. dist. 20. part. 2. quæst. 5. argumento primo, addito responso*, vbi ex Chrysostomo aduertit, summam potestatem Petro esse collatam, seu delegatam à Christo.

Probatvr tertiò à S.Doctore ex illo Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, quem locum exponens S. Doctor in Commentario, ait: *Misit eos, sicut Imperator milites; sicut summus Pontifex Legatos.*

Probatvr quartò à S. Doctore *ad Ioan. 21.* vbi Christus ait Petro: *Pasce oues meas: Pasce agnos meos*, vbi notat S.Doctor, constitui Petrum à Christo, summo quippè, Domino in dominio supremo ad pascendos fideles.

Probatvr quintò à S. Doctore *ad 23. Lucæ*, 81
ex illis verbis: *Memento mei; dum veneris in regnum tuum.*

Plvrima alia loca Scripturæ ad id affert S.Doctor ad ea verba Ioan. 19. *Rex sum ego*, & ad Lucæ primum: *Dabit illi Dominus sedem David*, & ad 12. Ioan. *Ecce Rex tuus*, & ad illa verba Ioan. 19. *Noli scribere Rex Iudæorum*, vbi quælibet verba obseruanda docet.

Svppono secundò, Christum habuisse potestatem condendi leges, & condidisse, vt ostendi, *prima secundæ, tract. 8. disp. 5. quæst. 9.*

Qvæstio ergo est de regno temporali, & qui- 82
dem opiniones iam ab omnibus ferè explosas præmittam, & obiter confutabo.

Marsilius Patauinus, & Ioannes Iandunus dixêre, Christum fuisse regibus iure ipso subditum ad soluenda tributa

Hanc tamen sententiam, vt hæreticam, dam- 83
nat Ioannes XXII. in quadam Extrauaganti, vt refert Cardinalis Turrecremata *in lib. 4. summæ, secunda parte, capite 37.* & refellitur apertè à D. Bonauentura, *in 2. distinct. 44. art. 3. quæst. 1 ad 1.* ex illo *Matth. 17.* vbi Christus alloquitur Petrum,

qui

qui ab exactoribus fuerat de tributis inquisitus: *R ges terra à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis; an ab alienis?* Respondit verò Petrus: *Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies staterem, &c.* Vbi omnes ferè Scholastici *dist. citata*, cum D. Bonauent. id explicant de Christo, qui se liberum probauit; tamen soluit, ne scandalum Iudæi paterentur. Idem habet Sotus 4. *dist* 25. *quæst.* 2. *art.* 1. *post* 3. *concl.*

84 Secunda igitur sententia fuit dicentium, Christum habuisse ius regni temporalis in Iudæos ex vi temporalis generationis ex familia Dauid, vnde oriundus erat. Ità docuit Armacanus *lib.* 4. *quæstionum Armenorum, cap.* 16. & videtur Abulensis *in cap.* 21. *Matth. quæst.* 30.

Tertia sententia, omnem potestatem regalem directam temporalem Christo homini negat, ita tamen, vt indirectè, quantum ad spirituale regimen necesse erat, conferebatque, posset etiam regibus imperare. Ità videtur D. Thom. *lib.* 3. *de regimine Principum, cap.* 13. 14. *&* 15. Eam verò defendunt Vualdensis *lib.* 2. *doctrinalis fidei antiquæ, cap.* 76. *&* 77. Abulensis *quæst.* 3. *in cap.* 21. *Mat-*
85 *thæi*, Franciscus Victoria *Relect. prima, de potestate Ecclesiæ, sect. fine quæstione* 6. *à numero* 16. Sotus *lib.* 4. *de Iustitia, quæst.* 4. *art.* 1. & *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 2. *art.* 5. Bartholomæus Medina 3. *parte, quæst.* 59. *art.* 4. Toletus *in cap.* 18. *Ioan. adnot.* 25. *&* 26. Pererius *lib.* 8. *in Danielem*, non longè à fine, Bellarminus *lib.* 5. *de Romano Pontifice, cap.* 4. *&* 5. quos sequitur Valentia *quæst.* 22. *punct.* 6. hanc sententiam acclamans magis piam, magisque consentaneam Scripturæ, Patribus, & rationi; Driedo *lib.* 3. *de dogm. Scripturæ, tract.* 2. *cap.* 10. *punct.* 1.

86 Quarta sententia Christo tribuit dominium regium vniuersale. Ità D. Antoninus 3. *parte, tit.* 3. *cap.* 2. Turrecremata *lib.* 2. *summa, cap.* 116. *ad secundam obiectionem.* Hostiensis *in cap.* Quod super his, *extra de voto, & voti redemptione*, Augustinus Triumphus, Anconitanus *in summa de potestate Ecclesiæ, quæst.* 1. *art.* 1. Almainus *lib. de potestate Ecclesiæ, cap.* 8. Aluarez Pelag. *de planctu Ecclesiæ, lib.* 1. *cap.* 13. Panormitanus *in cap.* Nouit. *Extra de iudiciis*, Nauarrus super *idem cap. notab.* 3. *num.* 6. *& sequentibus*, & alij, quos sequuntur Suarez *disput.* 48. *sect.* 2. Vasquez *disput.* 87. *cap.* 2. Caspens. *disput.* 13. *num.* 11. Fuliensis *cap.* 19. *resol.* 2. Serlog. *ad* 1. *Cant. Vestig.* 3. ibique multi *num.* 55. Lugo *disp.* 30. *sect.* 1.

87 Hæc verè est sententia D. Thomæ *opusculo citato de regimine*, licèt trahatur in oppositum ob hæc verba, cap. 13. *Satis apparet quod dominium Christi ordinatur ad salutem animæ, & ad spiritualia bona, licèt à temporalibus non excludatur eo modo, quo ad spiritualia ordinantur.*

Enim verò *cap.* 15. concludit: *Quamuis enim temporaliter esset Dominus orbis, directè tamen ad spiritualem vitam suum ordinauit principatum.* Vbi non vult dicere, regnum Christi directè fuisse spirituale tantùm, vt putat Valentia; sed fuisse
88 temporale; at in actu exercito ordinatum ad bonum spirituale. Ideò & *cap.* 12. dixerat, Regnum Christi esse sanctam Monarchiam, succedentem quatuor celebribus Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum regnis, iuxta vaticinium *Danielis* 7. Certum est autem, quatuor illas Monarchias præcedentes fuisse temporales directè, tametsi de facto Christus eam potestatem non exercuerit, nisi ad regimen spirituale, & hoc tantùm vult D. Thomas. Vide Cardinalem de Lugo, authores referentem *disp.* 30.

Hæc mihi videtur esse sententia etiam D. Bonau: *ad* 4. *Lucæ; ad Ioan.* 6. 12. *&* 19. & aliis in locis, quæ referam in probationibus.

Assero primò, Christum non habuisse ex prosapia Dauidis regiam dignitatem Iudeæ. Videtur sequi ex dictis *disp.* 1. *quæst.* 1. vbi ostendi ex Vaticinio Iacob. *Genes.* 49. Regnum Iuda, ante Christum, successore caruisse, & super Herodem Ascalonitam illapsum. Hoc tamen non conuincit, quia Herodes tyrannicè occupauit regnum. 89

Probatur ergo. B. Virgo non erat oriunda è Dauide per Salomonem, sed per Nathan, vt probat D. Ioannes Damascenus *libro* 4. *de fide, cap.* 15. & Maldonatus *ad primum Matthæi*, & alij; & colligitur ex *Lucæ cap.* 3. idque tanquam certum supponit Caspensis *num.* 11.

Ioseph autem, licet è Salomone oriundus; vt 90
ostendit S. Doctor *ad tertium Lucæ*; non tamen è primo genito ortus: & si è primo genito; attamen non deuoluebat regnum ad Iesum, quia non erat eius Filius verus, sed putatus. Quod si eum adoptasset, non poterat filiorum carnalium præiudicio regnum transferre in adoptiuum, vt notat Caspensis.

Assero secundò, Christum habuisse dominium regium directum temporale.

Vasquez, qui hanc sequitur sententiam dicit, 91
neque è Scripturâ, neque ex Patribus posse probari; sed vnica ratione, quam è D. Bonau. sumpsit *ad* 4. *Lucæ*, vt infrà referam. Illum tamen coarguit Serlog. *numero* 56. afferens Scripturam, & Patres.

Probatur tamen primò à D. Bonauent. *ad* 1. *Lucæ*, nam Christo promissum est regnum temporale, quod fuit Dauid: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Et Psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hierem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit Rex, & sapiens erit.* Vbi obseruandum, Prophetam 92
cap. præcedenti, iurasse Ieconiæ sterilitatem ad regnum: *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda*; intelligit filios ordinarios. Pergit *cap.* 23. improperare principibus illius sæculi, & postea promittit Christum regem in tota terra, vt patet legenti, & vocandum, ait Dominum: Ergo de dominio temporali directo loquitur.

Idem confirmat ibi S. Bonauent. ex *septimo Da-* 93
nielis, vbi dicitur Antiquus dierum dedisse Filio Hominis potestatem, honorem, & regnum succedens quatuor Monarchis, qui sub ferarum figuris offerebantur. Et regnum eius perpetuum iurat: *Regnum eius, quod non corrumpetur.* Et Isaiæ 9. *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit.*

Non ergo solùm super regnum Iudææ habuit dominium, sed super omnia regna, non quidem ex origine, sed ex Dei dono.

Easdem

94 EASDEM ferè Scripturas affert S. Bonauent. *ad 9. Lucæ*, in ea verba: *Christum Dei, &c.* Et ad id 19. *Benedictus qui venit Rex.* Licet aduertat, eos acclamasse, tanquam Regi ex semine Dauid secundùm carnem nato. Has autem acclamationes Christus approbauit addens: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.*

CONFIRMAT verò ex Apostolo *Rom.15.* vbi adducens 11. Isaiæ dicit: *Et rursus Isaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eo Gentes sperabunt.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. *ad 6. Ioan.* ad ea verba: *Iesus autem cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent Regem, &c.* vbi obseruat S. Bonau. cum D. Augustino *Tract.25. in Ioan.* initio, non fugisse, quia ea non Rege nollet esse Rex; sed quia erat quidem Rex, non ab hominibus, sed talis, vt homines reges facere posset.

95 PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *ad 19. Ioan.* ad ea verba, quæ Christus Pilato interroganti: *Tu es Rex Iudæorum?* respondit: *A temetipso hoc dicis*, sed addit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Cui addit illud Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius*, quæ verba ad id confirmandum sumit D. Augustinus *Tract. 115. in Ioan.* dicens: *Dicit quidem prophetia: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum. Vnde hîc non ait; regnum meum non est in hoc mundo: Sed non est de hoc mundo; neque ait regnum meum non est hîc; sed non est hinc. Hic est enim regnum eius, &c. Volens tantùm significare, regnum Christi non esse ad modum aliorum regum temporalium, sed excellentius.* Ità etiam Chrysostomus *homil. 82. in Ioannem.* Et Gregorius *homil. 8. in Euang.* Idem obseruat D. Cyrillus *lib. 12. in Ioan. cap. 10.* qui dicit, Christum asseruisse se Regem, sed non contrarium Cæsari; & cap.11. *Non negat regni sui gloriam, quia Rex verus est.*

96 VASQVEZ hæc omnia de solo regno spirituali intelligit, quia Patres isti aliquid subdunt spirituale, sed non aduertit, eos loqui de exercitio administrationis regni Christi, quæ spiritualis fuit, tametsi potestatem etiam haberet temporalem. Ideò enim ait, in fine sæculi collecturos Angelos de regno omnia scandala, eo puniendos reos, vtique de omni errato, etiam in temporali vita.

97 CONFIRMATVR à D. Bonauentura ad idem cap. Ioan. ad ea verba: *Noli scribere Rex Iudæorum*, vbi adducit D. Augustinum *Tract. 117.* dicentem: *Si corrumpi non potest, quod dixit Pilatus, corrumpi potest, quod veritas dixit? Sed Iudæorum tantùm Rex est Christus; an & gentium? Imò & gentium. Cùm enim dixisset in prophetia: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, &c. continuo subiunxit: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, &c. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, &c.* Certè Pilatus regnum spirituale nesciebat, sed de temporali loquebatur: Ergo secundùm D. Augustinum loquitur de temporali. Ideò ei dixisse obseruat: *Tu dixisti, quia Rex sum Iudæorum.*

CONFIRMATVR à D. Bonauent. *in Apologia pauperum, cap. 3. responsionis tertia*, ante medium; nam Christus acceptauit plausus Regis, Ioan.12. à dicentibus: *Benedictus, qui venit Rex Israel.* Et Marci 11. *Benedictum, quod venit regnum Patris nostri Dauid*, vbi id obseruat etiam Beda; noluisse reprimi voces acclamantium: Ergo erat Rex.

PROBATVR igitur quartò à S. Doctore locis 98
adductis, ex Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius*, vbi, licèt specialiter bonos vocet Christi subditos, quatenus sunt hæreditas Christi, à Patre suo ipsi data, vt exponit ad eundem psalmum, tamen eum Paganorum etiam Regem acclamat.

PROBATVR quintò à S. Doctore ex illo Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius: Gloria, & honore coronasti eum.* Vnde ait, nos celebrare coronationem huius Imperatoris, cùm eius Incarnationem celebremus, & Natiuitatem, sicut Romæ celebrabatur olim Imperatoris coronatio, seu etiam Natiuitas.

PROBATVR sextò à S. Doctore *in 3. distinct. 14.* 99
dub 4. litterali, ex illo Matthæi vltimo: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, vbi notat S. Doctor non de potentia faciendi, seu omnipotentia, sed de potentia præsidendi eum loqui. Hoc testimonio conuictus Durandus ait, esse contra Scripturam, negare Christum fuisse Regem. Hanc verò potestatem habuit etiam mortalis. Ideò ait Ioan.13. *Sciens Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus.*

PROFECTÒ non iuuat Vasquez ad solam spiritualem potestatem hæc restringere, cùm ipse, non gloriabundos, sed veritate sincera dicat: *Omnis potestas.* His ferè vtuntur authores nostræ sententiæ.

PROBATVR tandem ratione Seraphici Doctoris 100
ad 4. Lucæ, quam acclamat Vasquez vnicum fundamentum, desumpta ex dignitate, quam natura humana ex vnione hypostatica adepta est, & ex deificatione ipsa, nam cùm humanitas deitate vncta, & delibuta ad personalem dignitatem Filij Dei sit exaltata, adeo digna reddebatur, vt toti vniuerso, & omnibus regibus, ac populis iure, ac meritò posset, si libêret, imperare, ac leges ferre. Id sæpè accinunt prophetiæ. Psal.71. *Deus iudicium tuum Regi da; & iustitiam tuam filio Regis. Et adorabunt eum omnes Reges terræ: Omnes gentes seruient ei, &c.* Psal. 44. *Eructauit, &c. Speciosus forma præ Filiis Hominum. Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prosperè, procede, & regna. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis, &c. Astitit Regina.*

FATEOR, Christum nunquam vsum sua pote- 101
state regia, quod probat S. Bonauentura ad illud *Lucæ 12.* illis Christi verbis, ad illum hominem, qui eum iudicem arbitrum compellabat: *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Vbi D. Bonauentura ex Glossa: Dedignatur esse iudex litium, aut arbiter facultatum, qui viuorum, & mortuorum habet iudicium, & meritorum arbitrium.

VERVM est vtique, quod sicut dicitur in Psal. 2. *Ipse constitutus est Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius*, & quod in ditione eius cuncta sunt posita: Sed quia Deus miserat eum ad spiritualia communicanda, ideò descendere recusabat ad temporalia diuidenda. Qua explicatione omnia ferè aduersariorum argumenta corruunt.

VALENTIA respondet, omnia data humanitati, 102
non

non immediatè, sed mediatè in Verbo, in quo omnia sunt; alioqui si omnia immediatè illi concedamus, labemur cum Vbiquistis ad concedendam ei omnipotentiam, immensitatem, &c. Sic infertur eo loco *Matth. vltimo.*

Enim verò luce clarius meridiana D Bonauentura *loco citato*, se declarat contra Vbiquistas, eam scilicet potestatem non potuisse esse potentiæ, sed præsidentiæ.

103 Probatvr à S.Bonauentura etiam *ad* 24. *Lucæ*, ex illis verbis: *Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu*, vbi obseruat, antea vocasse Christum Iesum, nunc Dominum Iesum, quia jam impleta erat dignitas *Matthæi* 28. relata: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, quoad exercitium adhibenda, etsi eam haberet ante Ioannis 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.*

Obiicies primò Scripturas, quæ testantur, Christum fuisse Pauperem; nam paupertati dominium repugnat, Psalmi 39. *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Zach. 9. *Ecce Rex tuus, & ipse est pauper.* 2. Corinth. 8. *Propter vos egenus factus est, cum esset diues.* Matthæi 8. *Vulpes foueas habent, &c. Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Alias etiam Scripturas refert S.Doctor *opuscul. contra Guilselmum de Paupertate Christi, art.* 1. *& ad* 9. *Lucæ*, ad ea verba: *Vulpes foueas habent, &c.*

104 Respondetvr, non sequi, Christum habuisse paupertatem omnium, & singularum rerum ex eo, quia ius dominij haberet regalis: Ideò *Ioannis* 21. declarat, Christum quidem aliquarum rerum habuisse dominium, & proprietatem, quod etiam probat Seraphicus Doctor *loco citato, contra Guilselmum.* Ex quo sequitur, non habuisse omnium, hoc tamen, vt dixi, regiæ dignitati non repugnat; nam Reges non sunt Domini omnium bonorum suorum subditorum; alioqui ipsi subditi non essent sui fundi, suæuè domus Domini, quia non possunt eiusdem rei esse duo Domini in solidum, vt habetur *in Leg.* Vt certo, §. *si duobus, ff. Commodati, & contract.*

105 Qvod verò nullius rei dominium vtilitatis habuisset, nil obest, quin potuisset habere dominium excellentiæ, quæ est participatio Dominij Dei, sicut enim dominium illud humanitati proueniret ex vnione cum Filio Dei; ita ad Diuinum Dominium per analogiam reducebatur, neque ob id facio medium dominium inter Dominium excellentiæ, & vtilitaria, vt putaret forsan Vasquez *cap.* 6.

106 Addo, concedi posse, Christum, tametsi dominium habuerit temporale omnium rerum iure regio eo gradu, quo Reges habent, & altiori; tamen voluntariè paupertatem professum quoad vsum, & hoc tantum Scripturæ allatæ probant: Si enim cum Valentia concedamus Christo rigorosam paupertatem, vt prætendit ei adscribere, oportebit ei omnem proprietatem rerum aufferre, quod est contra Ioannem 21. & contra Scripturam *Ioan.* 12. vbi dicitur, loculos habuisse, vt notat D. Bonau. *loco cit.* cum D.Augusti. 12. *quæst.* 1. vt sibi, & pauperibus prouideret.

Obiicies secundò ea loca Scripturæ, vbi Regnum Christi spirituale dicitur *Psal.* 2. *Is.* 9. *Zachariæ* 9. *Ioannis* 19.

107 Enim verò hæc, & similia de regno etiam temporali rectè sunt explicita.

Obiicias tertiò aliquos PP. qui paupertatem Christi commendant, qui sane eo modo, quo Scripturæ, locuti sunt, vt suprà: Eos refert S.Doctor *in Apologia de paupertate Christi.*

108 Obiicit quartò, non fuisse conueniens fini Saluatoris dominium regium, quia debuit nobis præbere exemplum paupertatis, perfectior autem est carère non modò vsu, sed etiam facultate vtendi rebus.

Respondetvr, conuenisse fini Christi; qui debuerat esse exemplar virtutum, & eo modo in se virtutes ostendere, quo nobis magis prodessent: Iam verò Christus cum extra pauper appareret, si supponamus, habuisse Dominium, magis admirabilis apparebat, si rerum vsum nollet adhibere, quàm si paupet, & nudus conspiciatur ex necessitate; debet ergo concedere Valentia, Christum illud dominium habuisse, sed volntaria paupertate se eo expoliasse, alioqui esset in numero pauperum, qui necessariò, non ex electione, tales sunt, & è necessitate virtutem faciunt, vt fertur vulgato sermone.

109 Addo, hoc decuisse dignitatem Christi, vt esset Rex: Tandem quia Scripturæ sic eloquuntur, id nobis asserendum, & id magis conueniens dicendum, quod est factum à Deo: Qua verò ratione Pilato dicetet Christus *Ioan* 19. cum super se habere potestatem, vide *p.p. disp.* 5. *Proœm. quæst.* 4.



DISPVTATIO XXV.

DE FILIATIONE CHRISTI DIVINA.



HÆc est præstans illa Mediatoris nostri dignitas, vnde in alios eius titulos honor summus, valorque eximius in cuncta, quæ fecerat, diffunditur; quam vt nitidè discutiam, in primis assignabitur ratio, sub qua Diuina hæc denominatio Christo conuenit: Deinde diu agitatam illam controuersiam de filiatione naturali, & adoptiua dirimendam aggrediar, in qua par Patrum, & Scholasticorum congressus, cum Hæreticis disceptantium, hanc quæstionem multis ambagibus inuolutam reliquit, donec in Orthodoxo sensu fuerit pro fide definita; Nec etiam iam desunt, qui eam Metaphysicis distinctiunculis truncatam, in pristinam ambiguitatem reiiciant; vt ex infrà dicendis patebit, vbi etiam hæreticos, improbati erroris assertores, cum conciliis, in quibus veritas Catholica fuerit firmata, exquisitè referam: Cùm verò Seraphicus Doctor impensissimè huic Dogmati propugnando studuerit, tum vt veterum aduersariorum obiectiones penitus eneruaret; tum etiam, vt subtilitatibus quibuscumque, de nouo in fidem insurrecturis, pleniùs occurreret; sollicitum me exhibebo in eius argumentis lucidè citandis: Si quæ autem aliæ difficultates restant de CHRISTI filiatione in ordine ad alia à Patre principia, finem versus prosternentur.

QVÆSTIO I.

An CHRISTVS, *in quantum* HOMO, *sit Filius Dei formaliter.*

{ D. Bonau dist 10. quæst.1.

1 ASSERO, non posse dici Christum esse Filium Dei formaliter, in quantum Hominem.

PROBATVR primò à D.Bonauentura *ad* 2. quia particula (*in quantum*) dicit causalem specificationem: at sic non dicitur verè: Christus, vt homo est, Deus: Ergo neque dicendus Filius Dei, qui est Deus. Minor probatur ex dictis *dist.* 18. *quæst.* 9. Hoc argumento vtuntur Caspens. *disp.* 14. *num.* 10. Basilius Legionensis *tom.* 1. *variarum, relect.* 4.

2 RESPONDET Suarez *disp.* 49. *sect.* 1. & Bernal. *dispu.* 66. non posse quidem dici Filium Dei per essentiam, & æternam generationem, sicut est Filius Dei, in quantum est Deus, sumendo propriè formaliter, & specificatiuè particulam (*in quantum*;) nam sic Filius Dei est æqualis Patri: at verò vt homo non est æqualis, sed minor Patre: Alia tamen ratione posse dici Filium Dei per gratiam vnionis, quia per illam effectum est vt humanitas sit substantialis natura Filij Dei naturalis, atque adeò, vt huic debeatur etiam in sua humanitate diuina hæreditas, & ideò, in quantum homo, sit Filius Dei, & hæres.

ENIM verò non ob id est Filius Dei formaliter: 3
Sanè illo sensu ratione vnionis concedam, *quæst.* 2. in calce esse Filium Dei.

PROBATVR secundò, quia Christus in quantum homo, non est Filius Dei naturalis, vt concedit Suarez; neque adoptiuus, vt *quæstione sequenti* ostendemus: Quomodo autem sit Filius, dicam in fine *quæst. sequentis.*

ARGVMENTA Suarez, & Bernali solùm pro- 4
bant, Christum hominem esse Filium Dei per communicationem idiomatum, cuius fundamentum est vnio, vt docent S.Bonau. *loco cit.* & alij *ibidem*, & D.Thom. *quæst.* 23. *art.* 4. *ad* 2. vt ipse Suarez astruit suo dicto secundo: Hinc falsum conuincitur etiam id, quod ait Vasquez *disput.* 99. *cap.* 14. dicens, posse dici Filium naturalem, quia vnitur Filio Dei in substantia: oportet enim loqui formaliter.

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An CHRISTVS *sit Filius Dei naturalis; an adoptiuus.*

D.Bonau.dist.10.art.2. quæst 1.
D.Thom. q.23. art.4.

5 THAODISELVS Episcopus Hispalensis, Isidori successor, docuit, Christum esse Filium Dei adoptiuum, quippè qui, cùm esset Arrianus, filium Dei non naturà, sed solà gratià filium aiebat.

CIRCA annum verò 785. Felix Vrgeli Præsul in Catalonia agnoscens quidem cum Catholicis, Filium Dei incarnatum; tamen Christum secundùm humanitatem Filium adoptiuum asseruit. Hic Elipandum Archiepiscopum Toletanum in suam traxit sententiam: Ita refert Annonius *lib.4. de gestis Francorum, cap.83.*

HVIC se opposuit Beatus, Presbyter, apud Astures, quem adiuuit Heterius Episcopus Vxumensis.

6 INDIGNA id ferens Elipandus conquestus est cum Fideli, Abbate, per litteras de Beato, & Hesterio: Imò ad Carolum Magnum scripsit, qui respondit, libellum eiusdem à Concilio Francofordiensi confutatum, esseque definitum, Christum, vt hominem, non esse filium adoptiuum.

ADHVC tamen aliqui Scholastici dixerunt, Christum vt hominem esse Filium adoptiuum Dei, non tamen simpliciter sine additamento: Ita Durandus *in 3.dist.4. quæst.*1. Huic fauere videtur Richardus 3.*dist*.10.*art*.2. *quæst*.1. Idem tenent Recentiores nonnulli.

7 GABRIAL *in 3. distinct.*11. *quæst* 1. *art.* 3. Almainus, & Maior pluribus dictis asserunt, Christi humanitatem adoptatam (addit Gabriel latiori significatione id verum) quia adoptari est filiorum; humanitas autem non est filia: Addit verò, habere ius ad hæreditatem ex gratia, sicut & nos. Maior verò Christo secundùm humanitatem concedit adoptionem.

VASQVEZ *disputat.* 89. *cap.* 5. refert, Scotum *in 3. dist.*10. *quæst.*1. & *in reportatis, eadem distinct. quæst.*1. dicere, posse asseri Christum Filium Dei adoptiuum, non tamen explicare, an simpliciter, an verò cum illo addito, in quantum homo. Hoc sensu locutum etiam eius discipulum Bassolium *eadem distinct. quæst.* 1. *artic.* 2. & Tartaretum *ea distinct.* ferunt.

8 FAVENTINVS *in 3.disput.*23. *num.*1. conqueritur, Scotum *in* 3. sic adduci à Medina 3.*p.quæst.*24. *art.* 1. *dub.* 3. Idem Faber *num.* 10. conqueritur de Vasquez ob eandem causam.

Et mihi quidem videtur Scotus ab hac sententia recedere, & Seraphico adhærere: semper enim constans negat, Christum adoptiuum, sed difficultatem ponit in medio, quo validè probari queat; nam *in 3. loco citato.* ait, sustinendo filiationem fundari in supposito, non in natura, vt tenent D.Thom. & D.Bonauentura *loco citato in margine*, benè probari, Christum non posse esse filium adoptiuum, quia filiatio adoptiua non conuenit supposito Diuino.

9 ENIM verò addit, sustinendo filiationem fundari in natura (vt ipse tenet *dist.*8.*quæst.vn.* & Fauentin. *disp.*21.) difficilius posse argumentis arceri Christum à filiatione adoptionis, quia sic potest filiatio fundari in natura creata, quæ secundùm esse naturale est imago Dei, & secundùm gratiam est capax hæreditatis æternæ.

10 ATTAMEN etiam iuxta hoc suum fundamentum nititur saluare Christum ab adoptiua filiatione, assumens aliud fundamentum D.Bonau.hic *in corpore.* Vocabulum istud: *Adoptio*, sumptum esse à Iuristis, qui tres conditiones ad adoptionem requirunt: Prima est extraneitas adoptati ad hæreditatem: Secunda est gratuita voluntas adoptantis: Tertia est ius, quod ad hæreditatem acquiritur: Iam verò Christus, secundùm quod homo, non est extraneus ab æterna hæreditate, ideò non est adoptiuus: Hæc ex Legibus habentur, *Leg.* 1. *ff. de adoption.* vbi adoptiuus filius opponitur naturali, vt notat Valentia.

11 In reportatis verò, licèt id asserat, tamen postea diluit eius sententiæ fundamentum, vt videre est in ipso: Id, quod torquet Scotistas, est argumentum in fine quæstionis pro filiatione adoptiua, quod non soluit, sed in hoc mendam irrepsisse ait Ferchius, aut non soluisse, quia ea dictis patebat, vt notat Mastrius *num.*92.

12 VERA sententia, quam insigniores Theologi tradiderunt (tametsi non videantur nouisse definitionem Concilij Francofordiensis) est, Christum nullo modo dicendum Filium Dei adoptiuum: Ita Alens. 3. *part. quæst.*10. *in* 4. D.Thomas, & discipuli omnes hic, Magister *in* 3. *dist.* 10. *cap.* 4. vbi Albertus *art.*13. S. Bonauent. *loco citato*, Argentina *art.*3. Paludanus *in 3. dist.* 4. *art.* 3. & hic quidem definitionem Concilij Francofurd. ex historiis agnoscit: Richardus verò vtranque partem probabilem ait: Sequuntur moderni, sic Valentia *q.*23. *punct.*1. Suarez *disp.*49 *sect.* 2. Fuliens.*cap.* 20. Vasq. *disp.*89. Casp.*disp.*14 Morand.*disp.*51.Basil.Legion. *tom.*1.*variar.relect.*4. Curiel. *lib.* 2. *controu.*2. Lugo *disp.*31. *sect.*2: ac Thomistæ, & Scotistæ communiter apud Mastr. *disp.* 2. *quæst.* 4. referentem multos, clamantes esse de fide.

ASSERO cum hac sententia, nullatenus Christum dicendum esse Filium Dei adoptiuum.

13 Id videtur definitum in Concilio Constantinop. *can.*12. vbi dicitur: *Christus non suscepit gratiam in Baptismo Ioannis, neque Filius Dei adoptiuus factus est.*

PROBATVR à S. Doctore primò fundamento solidissimo, quo nixus est Adrianus I. qui hoc definiuit in Concilio Francoford. vt dicam infrà: Nititur autem scripturis, quæ Christum Filium Dei proprium acclamant, Philip.2. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c. & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus est in gloria Dei Patris.*

14 SECVNDVS locus scripturæ, quem refert Adrianus *loco cit.* & S. Doctor 4. *part. Breuil. cap.* 9. est Rom.15. *Qui proprio filio suo non pepercit*, vbi S. Doctor notat, hunc esse Altissimum Dei Filium proprium per naturam, & hunc traditum ad ponendam animam suam: Idem obseruat Adrianus: at fuit traditus vt homo.

15 TERTIVS locus relatus ab Adriano *loco citato*, & à D. Bonauentura *in Dieta, tit.*8. *cap.*4. Matth.16:

Tu es Christus, Filius Dei viui, vbi Adrianus notat, non dixisse Petrum: *Tu es Christus, qui factus es Filius Dei*, & D. Bonauentura obseruat, vnam è tribus personis Diuinis recenseri, quæ est homo, & in Euangelio labotabat, opera multa faciens.

RESPONDET Vasquez, hæc loca per idiomatum communicationem assetere Christum hominem Filium Dei naturalem: at verò Adrianum prætendere, humanitatem ita vnione præparatam, vt ei adoptio non posset attribui, sed naturalis filiatio: Ideò non conuincere.

16 At si fundamenta Pontificis obseruasset, quæ sunt etiam S. Bonauenturæ, non carperet hæc argumenta: Adrianus enim existimat, implicare, eundem posse dici Filium natutalem, & adoptiuum. Cùm autem in Scriptura dicatur Filius proprius, & sit vna persona, cui sane conuenit filiatio, profectò manet eodens, non posse dici adoptatum: Sciebant enim & Adrianus, & S. Doctor qui in hoc se declatat *loco citato*, Christum hominem dici Filium Dei proprium per communicationem idiomatum.

17 ADDVCVNTVR in Concilio aliæ Scripturæ, vt Ioan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum*, quem locum ponderat S. Doctor *in Commentario*, id probare, non merè negatiuè, vt putat Vasquez, cùm non vocauerit Patrem nostrum, sed Patrem meum, & Patrem vesttum, anthitesim opponendo, vt ootat ex D. Augustino tract. 121. in Ioan. *Non ait, Patrem nostrum: aliter ergo meum, aliter vestrum: naturâ meum, gratiâ vestrum.* Eodem modo explicat Athanasius *libro de Incarnatione Christi* ante medium, & Damascenus *lib. 4. de fide, cap.* 8. & D. Gregorius *homil.* 25. in Euangelia dicens: *Meum per naturam, vestrum per gratiam*, vt refert S. Doctor *dist.* 4. *art.* 2. *quæst.* 1. *ad* 4.

18 MVLTOS etiam PP. affert passim Seraphicus *fundamento secundo negatiuo*, quo vtitur Adrianus Papa, nempè in Scriptura nullibi Filium Dei adoptiuum appellatum: Sic D. Ambrosius ad id Rom. 1. *Prædestinatus est, &c.* ait: *Legi, & relegi Scripturas, Iesum Filium Dei nunquam adoptione inueni*, & D. Augustinus lib. contra Secundinum Manichæum, cap. 5. vbi ait: *Lege itaque Scripturas, nunquam inuenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius Dei.*

19 HINC efficax argomentum desumunt Pontifex, & D. Bonauentuta: Hæc res, cùm adeò grauis est, debuisset in Scriptura, vel traditione inoeniri assertum Christum esse filium adoptiuum, & tamen nullibi inuenitut: Hinc colligit S. Doctor cum Adriano, id non esse asserendum: Quamvis autem argumentum vniuersaliter à negatione sumptum, sit inefficax, tamen in casu, quo res debuit explicari, validum est.

AFFERT S. Bonauentura etiam locum, quod citat Concilium *in epistola ad Episcopos Hispaniæ* sumptum ex *lib. de Ecclesiasticis dogmatibus*, apud Augustin. *cap.* 2. & Isidorum *libro de doctrina, & fide Ecclesiasticorum dogmatum, cap.* 2. vbi dicitur: *Dei Filius factus est hominis Filius natus secundùm veritatem naturæ, ex homine hominis Filius: vt veritas vnigeniti, non adoptione, neque appellatione, sed in vtraque natiuitate Filij nomen nascendo haberet, vt esset verus Deus, & verus homo vnus Filius.*

20 Affert Adrianus etiam alium locum D. Augustini *tract.* 2. *in Ioan. cap.* 1. ad ea verba: *Quot quot autem receperunt eum*, vbi ait: *Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille vnigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius: Ille enim venit vnigenitus, &c. Deus vnicum, quem genuerat, misit in mundum, vt non esset vnicus, sed fratres haberet adoptatos.* Hunc locum affert ad id etiam D. Bonauentura *ad* 1. *Ioannis.*

22 PROBATVR secundò à S. Doctore rationibus, ex quibus hanc solam ad confutandum recenset Vasquez *num.* 71. quam in Scholis frequentem desumptam è S. Bonauentura asserit. Est autem hæc: Vt aliqua persona adoptetur in filium, oportet ipsum alioqui non esse naturalem filium, sed extraneum adoptanti: Sed Christus, vt homo, non fuit Deo extraneus: Ergo non fuit adoptatus: Est autem ratio Adriani *epistola citata, col.* 2. vbi reprehendens eos, qui dicebant, Christum esse adoptiuum, ait: *Quasi alienus à Patre aliquando fuerit, aut per carnis extraneus ab eo factus assumptionem*, & in Libro Sacrosyllabo, edito iussu Concilij, *col.* 8. concludit: *Adoptiuus, non nisi affectata locutionis alienus dicitur filius.* Ex quo concludit: *Vnde eos valdè execramur, qui eum adoptiuum impio grunniunt ore, quia sicut præfati sumus, adoptiuus dici non potest, nisi is, qui prius alienus est ab eo, à quo adoptari desiderat.*

22 Vasquez *num.* 71. carpit hanc rationem dicens, eam non probare intentum, sed solùm ostendere, Christom absolutè non esse filium adoptiuum; at verò secundùm humanitatem, quæ ex se extranea est, negat id demonstrari.

ATTAMAN hæc diloit S. Doctor *in corpore*: Primò quia assumptio humanitatis in vnitatem personæ oppooitur adoptioni, vt habet Liber illo Sacrosyllabus, editus, & approbatus à Concilio illo: Itaque adoptio in vnitatem personæ Diuinæ coalescere neqoit, quod sæpè Liber ille inculcat contra Fœlicem, & Elipandum: Fuit autem Verbo vnita humanitas eo instanti, quo condita est, ita vt nunquam fuerit subsistens sine Verbo, atqoo adeò non potuit esse adaptata cum nullo instaoti illa fuerit extranea, & hæc est ratio Concilij, & illius Libri Sacrosyllabi, quam habet D. Bonau. *in corpore*. Vnde eam decerpsit Scotus, quem refert Fauentinus *num.* 5.

23 QVAMVIS autem cum Seraphico concessero, Christi animam priùs naturâ habitu gratiæ ornatam, non tamen censenda est ob id priùs adoptata, vt putat Faber *loco citato*, & Vasquez adductus *disputatione* 10. *quæstione* 6. quia gratia habitualis data est tantùm, vt ornamentum animæ; effectus verò adoptionis, qui pendet ex beneplacito Dei, vt dixi *prima secunda, tractat.* 5. *de Gratia, disputatione* 3. *quæstione* 3. fuit impeditus: Prætereà nulla res habes ordinem ad operationem, quæ est accidens ante suam subsistentiam, quæ est modus sobstantialis eius: Igitur antequam humanitas esset subsistens, non poterat habere ius adeundæ hæreditatis. Addo cum D. Booauentura, adoptionem respicere personam, non naturam, ex quo fit, vt quamvis anima Christi fuerit priùs naturâ decorata gratia, quàm Verbo vnita, tamen non poterat adoptari: Tandem respondetur, ex vnione prædestinatam habuisse ius ad gratiam præuiam, & ad gloriam.

24 SIC respondetur ad illam dubitationem, quam monet Scotus *loco citato*, & Fauentinus *num.* 6. Humanitas Christi priùs, secundùm naturam fuit creatat

ta, & postea assumpta: Ergo in illo priori fuit extranea, & potuit adoptari.

RESPONDAT Fauentinus, negando consequentiam, sufficit enim, vnionem præcessisse gratiæ habituali, per quam fuit adoptio.

25 CONTRA enim est; nam extraneus est non modò ille, qui contrariè se habet ad gratiam, puta filius iræ, sed etiam, qui se habet priuatiue, nempè cùm gratiam non habet, vt arguit D.Bonauentura *in corpore*, & vterque potest adoptari, vt patet in Angelo creato in puris naturalibus: Igitur in primo instanti naturæ fuit humanitas ante vnionem, quod cum *num.* 5. negasset Faber, postea *num.* 6. concedit: Ergo in eo primo instanti fuit capax adoptionis, quia non adhuc erat vnita, vnde haberet ius ad hæreditatem Filij Dei.

QVAPROPTER Angelus, vel quisquis sit, si fuisset creatus in gratia, fuisset tamen capax adoptionis, quia in primo instanti naturæ haberent suum merum esse naturæ, vt ipse Fauentinus discurrit: Sed per te eodem modo se habuit Humanitas Christi, quia primò formata est humanitas, & in sequenti naturæ instanti vnita, vt ibi fatetis: Ergo per te fuit adoptata: Totum argumentum est tectum.

26 Ex ea tamen præcessione *secundùm naturam*, nonnulli Scotistæ ad Scotum redimendum hanc mediam opinionem ponunt, apud Mastrium *num.* 87. Christum non esse omnino extraneum, & hoc sensu non esse adoptiuum, sed solùm quatenus excludit debitum naturale ad hæreditatem, ad quam habet aliquam congruitatem, quæ est extreitas impropria; vtramque verò extraneitatem habuisse in illo priori naturæ, antequam a Verbo assumeretur.

27 ALIAM rationem habet S. Doctor *in corpore*, quam Vasquez soli D.Thomæ adscribit, eamque cæteris multò antecellere ait: Filiatio propriè conuenit personæ, non naturæ, neque enim natura est filia, sed persona dicitur filius: De ratione autem eius est, vt qui adoptatur, non sit filius per se naturalis: atqui persona Christi est Filius Dei per se naturalis: Ergo nullo modo ei conuenit adoptatio, quæ est filiatio per participationem.

28 Suarez *loco citato*, & Vasquez *num.* 70. hanc rationem euertere conantur: Et quidem Suarez ait, rationem quidem probare, Christum absolute, & simpliciter non posse dici filium adoptiuum; non tamen conuincere, posita determinatione, *in quantum homo*; nam sic est creatura, & est capax entitatis per participationem, seu adoptionem: Ideò huic rationi fulcrum necessarium apponit, nempè aliam rationem, qua vtuntur Concilium, & Adrianus, scilicet de ratione adoptionis esse extraneitatem in adoptando ad hæreditatem, vt suprà dixi, sed hoc è Seraphico *in corpore, loco cit.* didicerunt.

POSTEA monet dubium supra allatum, saltem humanitatem adoptari potuisse, quia prius naturà fuit, quàm vnita Verbo, neque vnio illi fuit debita.

RESPONDET, adoptionem respicere non naturam, sed personam, sicut enim personæ est operari, ita esse hæredem; persona autem Christi non potest adoptari, vt patet.

Hoc saltem sensu rationem D.Thom. etiam D.Bonauentura concedit, nempè, personam, quæ est filius per essentiam, non posse esse per participationem, quæ est filiatio imperfecta: His adde, quæ suprà dixi.

VASQVEZ autem obiicit rationi S.Bonauenturæ *distinct.* 4. *quæst.* 3. *in corpore*, quamvis nomen filij 29
sit nomen suppositi, & non dicantur duo filij in eadem persona, tamen Christus non solùm dicitur Filius æternus Dei ratione personæ, & naturæ Diuinæ, sed etiam Filius Virginis ratione humanæ: Sicut igitur filiatio humana non repugnat cum Diuina, ita neque filiatio adoptionis cum naturali; ob hanc autem rationem ait S. Doctor *dist.* 4. *loco. cit.* argumentum non esse magnæ efficaciæ, si solum maneat. Præterea Christus vt homo, dicitur Filius Trinitatis secundum humanam naturam: Ergo filiatio conuenit ratione humanæ naturæ.

RESPONDET, posse Christum esse Filium ratione naturæ humanæ, attamen ipsa persona denominatur Filius, non natura; concepit enim Filium Dei, & ideò THEOTOCON eam vocant Patres, & illam vocare Matrem præcisè naturæ humanæ Christi, accedit ad Nestorium: Non ergo ratione solius naturæ humanæ est mater.

QVOD verò dicit, Christum dici Filium Spi- 30
ritus sancti, vel Trinitatis, infrà confutabitur *quæst.* 3. & 4.

POTISSIMA ratio (ait Vasquez magno apparatu prostratis omnibus,) qua meo iudicio vsi fuerunt Adrianus, & Patres Concilij, est: Ille, qui adoptatur in filium, non secundùm naturam, sed solo affectu coniungitur adoptanti, vox enim *Adoptio* est desiderantis, quare adoptare in Filium est voluntate, & desiderio loco Filij naturalis subrogare aliquem, qui naturaliter sibi non est coniunctus: At Christi humanitas non fuit Deo coniuncta solo affectu, sed reipsa: Ergo, &c.

ALIO etiam modo hanc rationem conficit: Ille qui adoptatur, ita est ea natura extraneus adoptanti, vt post adoptionem adhuc maneat ipse extraneus, nec vlla naturali coniunctione propinquus: At natura humana post assumptionem mansit vnita substantialiter: Ergo.

HANC rationem ait Vasquez è Scholasticis 31
attigisse Albertum *disput.* 10. *art.* 13. eamque ex Adriano *col.* 4. & *epistola Concilij ad Episcopos Hispaniæ*, *col.* 7. & D. Augustino, *libro de Trinitate, & vnitate Dei*, *cap.* 11. & ea libro Sacrosyllabo allegato *col.* 7.

MIRVM sanè, Theologum istum non vidisse in D. Bonauentura hoc argumentum, quod est secundum, *addito responso*, vbi sic arguit: Filiatio adoptionis fit per affectum, seu Spiritum amoris, vt dicitur Roman. 8. *Accepistis spiritum adoptionis*, & hoc conuenit his, qui sunt extranei, qui postea manent vniti solo affectu, hoc autem non est reperire in Christo: Ergo.

PLANE S.Bonauentura ex eo filiationem adop- 32
tionis remouet à Christo, quia substantialiter secundùm naturam, non solo affectu, est Filius: Eandem maiorem probat S. Doctor *distinctione secunda quæstione vltima, in corpore*, ex quo deducit, non posse Christum dici Filium Spiritus sancti. Idem habet *distinct.* 4. *quæst.* 2. *ad* 5. & *dist.* 10. *artic.* 2. *quæst.* 2. & 3. vbi aduertit cum D.Thom. *quæst.* 23. *art.* 1. adoptionem Diuinam differre ab humana, quia hæc fit per solam extrinsecam acceptationem; at Diuina per inhærentem iustitiam, vt dixi *prima* 2. *tract.* 5. *de Gratia*, *disp.* 3. *quæst.* 2. & *sequentibus* vt dicam etiam *quæst.* 5.

IISDEM ferè verbis Concilium, ait col. 12. *Vni-* 33
tas personæ, quæ est in Dei Filio, & Filio Virginis, adoptionis tollit iniuriam, & col. 16. *Videtur enim*

Nestorium dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem: Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, qua Pater adoptione sibi copulat filium, per quem proprium non habet? Vbi apertè Concilium dicit, adoptionem esse coniunctionem non naturalem, sed medio solùm affectu, cui non nomen *ενωσις Enosis*, idest vnio, sed nomen, quo Nestorius vtebatur *συναφεια Synaphia*, idest, copulatio: At humanitati Christi non copulatio secundùm affectum, sed naturalis vnio conuenit.

34 Clarius verò Liber Sacrosyllabus, præcipuè *col.* 7. D. Bonauenturæ rationem habet, dicens: *Adoptiuus enim non nisi affectata locutionis alienus dicitur filius: Omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem, quanquam ethymologia sua non videatur tribuere similitudinis sonum. Habet namque ex vtraque parte aduerbium* Vtinam, *eleganter insitum, vt si dicas: Vtinam sis mihi in Filium adoptiuum: Perinde enim se habet ille, qui adoptat, ac si diceret: Desidero, vt sis mihi loco filij, & mihi affectu vnitus, qui naturà coniunctus non es: Sicut ergo nullus diceret parti sibi substantialiter coniuncta, vtinam sis mea pars, ac proinde eam adoptare non posset; sic etiam natura alicui substantialiter, & reipsa vnita, ab eo nequit adoptari: cumque Verbum sibi substantialiter, & naturaliter vnierit humanitatem, fieri non potuit, vt eam sibi adoptaret, nec aduerbio.* Vtinam *affectum adoptionis circa illam exprimeret.*

35 Hinc colligit Liber ille, col. 8. *Dei Filius qua ratione credi potest adoptiuus, qui inseparabiliter assumpto homine in vna persona coeunte vtraque natura, non duo Filij, alius Dei, alius hominis,* (sicut ille errando æstimat) *adoptiuus sit hominis Filius, & sine adoptione Dei Filius.*

Hinc verò obiter colligo, Librum hunc supponere, filiationem esse personæ; nam destructo fundamento aduersariorum de pluralitate personarum, infert Christum non esse adoptiuum, quod Vasquez, non aduertens, malè negat nostrum fundamentum.

36 Ex his habemus, Seraphicum ita omnia collegisse ad hoc probandum, quæ in Concilio Francofordiensi, & ab Adriano, & Libro Sacrosyllabo inueniuntur, vt profectò de his notitiam habuisse credendus sit: Timerem, non attulisse, quia forsan tunc non æstimarentur hæc Authentica: Videamus autem qualia sint.

37 Primò Annonius, quem alij Ammonium vocant *libro quarto de gestis Francorum, cap.* 83. tres damnationes erroris Elipandi recenset: Primam factam in Concilio, apud Reginum, vrbem Banariæ in Regio Palatio, vbi Carolus, ter Magnus hyemauerat: Concilium verò conuocatum fuit contra Fœlicem Vrgelitanum Episcopum, diligentià Caroli Magni, cui Regio illa Hispaniæ, quæ Catalonia dicitur, vbi est ciuitas Vrgeli, subiecta erat, vt scribit Ambrosius Morus *lib.* 13. *historia Hispania, cap.* 26. Inde missus est iussu Caroli, Fœlix Romam ad Adrianum Papam, qui eum coëgit in templo D. Petri errorem tetractare, & abiurare, & hæc est secunda condemnatio.

Est autem Reginum Metropolis Banariæ, nunc dicta Ratispona.

Hvivs Concilij Ratisponensis contra Fœlicem meminêre Centuriatores *Centuria* 8. *cap.* 9. Feuardentius *lib.* 13. *aduersus hæreses, verbo* Christus *heresi* 3. Abiurationis verò Fœlicis, præter Annonium, meminit etiam Sigibertus *in Chronico, anno* 793. Ado *in Chronico anno* 792. S. Antoninus 2. *parte histor. titulo* 14. *cap.* 1. §. 6.

Tertia damnatio erroris huius Elipandi facta est in Concilio Francofordiensi, cuius meminere Annonius, Ado suprà, Abbas Vsperg. *in Chronico, anno* 763. Genebrardus *anno* 974. & alij, apud Vasquez *cap.* 7. 38

Omnes autem illi authores planè fatentur, damnatam, aut in Fœlice, aut in Elipando hæresim de adoptiua filiatione: Fuêre autem in eo Concilio 300. Episcopi, vt referunt aliqui ex allegatis Scriptoribus, & quamvis *in epistola ad Elipandum*, fiat mentio solùm Episcoporum Galliæ, & Germaniæ, tamen fuere ibi etiam Itali, ex quibus, Paulinus Aquileæ Episcopus Librum Sacrosyllabum contexuit: Fuerunt autem Legati Pontificis Adriani (vt scribit Ado) Theophylactus, & Stephanus: Epistola verò Adriani, de qua aliqui dubitant, inter Decretales excusa est Romæ, anno 1592.

Vervm enim verò aliqui dicunt, damnatum fuisse Elipandum, non quia dixerit, Christum esse Filium Dei adoptiuum, & naturalem simul in eadem persona, sed quia purum hominem, atque adeò purum Filium Dei adoptiuum cum Nestorio asseruerit, & hoc videtur asserere Concilium *ad Episcopos Hispania*, & in Libro Sacrosyllabo *col.* 8. 39

Vervm tamen multis coniecturis deducit Vasquez, Elipandum non fuisse Nestorianum, præcipuè ex confessione ipsius Elipandi, quæ habetur *in libro Beati, & Hetery*, qui eum impugnarunt.

Respondet igitur Vasquez, Elipandum erroris Nesterij iure insimulari, quia asserebat in Christo, adoptionem, & seruitutem, quæ in eadem natura vnita in vna persona fit, vt qui asserit adoptiuum, & seruum, cogatur ipsum in duos diuidere: Sed de hoc *disp.* 22. *quæst.* 4. & ex allatis Libri illius colligitur testimoniis. 40

Melivs ex D. Bonauentura redditur ratio, quia cum filiatio sit personæ, & persona Diuina sit filius naturalis, non adoptiuus Dei; qui ponit filium adoptiuum, aliam proinde personam apponit extraneam, vt colligit *distinct.* 4. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad vltimum.*

Alii dicunt, damnatum Elipandum solummodo, quia absolutè dixerit Christum Filium Dei adoptiuum: at verò esse adoptiuum cum addito, *secundùm quod homo*, non definiri: Vnde Suarez ait, non videri in hoc sequi de fide; oppositum tamen docent Fanencinus, & alij, apud Mastrium; hanc propositionem: Christus secundùm humanitatem est filius adoptiuus, esse condemnatam; (nam quoad suppositum luce clarius est.) Hoc idem aduertisse Ioannem Aurelianensem *libro primo, de cultu Imaginum*, Annonium *libro quarto, de gestis Francorum, cap.* 83. Adonem Vienens. anno 794. constat. 41

Et quod caput est, Adrianus epistola illa initio dicit, eam adoptionem, quæ damnatur, esse Christi secundùm carnem: Deinde è Scripturis ab eo allegatis colligitur, præcipuè Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit*, vbi notat, proprium dici filium traditum in mortem, profectò autem secundùm humanitatem traditus est. 42

Idem habetur in lib. Sacrosyllabo, longè ab initio

initio. Maximè verò Concilium, ait: *Quam adoptionem pravissimo sensu ad Christi volunt transferre humanitatem.*

43 OBIICIES primò. D. Hilarius *lib. 2. de Trinitate* à medio ait: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur.*

RESPONDET Vasquez, D. Bonauenturam, & D. Thomam dicere, eum impropriè locutum. At quidem S. Bonauent. alio modo soluit argumentum dicens, loqui non de indiuiduo humanitatis assumpto, sed de tota natura humana, quæ in Christo adoptata est. Confirmat S. Doctor *dub. 4. litt. distinct. 10.* sententiam D. Hilarij esse nobiscum, quia *lib. 3. de Trinitate* eadem ait: *Nos sumus Filij Dei, sed non talis hic filius. Hic enim verus, & proprius est filius, non adoptione.* Vide in littera Magistri.

44 ADDIT Vasquez, in quibusdam codicibus legi *adoratur*, non *adoptatur*, & verè magis videtur probabile. Sic enim ait: *Aliud intelligitur, aliud videtur. Parit Virgo, partus à Deo est: infans vagit, laudantes Angeli audiunt: panni sordent: Deus adoratur; ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur.* Secundum argumentum S. Bonau. allatum est suprà cum solutione.

OBIICIAS secundò. Vel Christus est Filius Dei secundùm quod homo, vel non: si secundum: Ergo maioris dignitatis sunt Sancti, qui sunt Filij Dei, vt dicitur *Rom. 8.* Si ergo est Filius Dei, vt homo, aut est naturalis, aut adoptiuus: Non naturalis, quia esset eiusdem naturæ, secundùm quod homo, cum Deo: Ergo adoptiuus.

45 RESPONDET D. Bonauentura, Christum secundum humanitatem esse Filium naturalem Dei, quamvis hoc decus ex vnione habeat, & vnio humanitati sit gratia, & ità sit filius ex dono, & gratia. Quia non quævis gratia facit adoptiuum, sed illa, quæ vnit affectu tantùm, non reipsa. Quare non sequitur: Est filius per gratiam: Ergo adoptiuus, si gratia sit naturalis, & substantialis vnionis. Nam etiam in naturalibus filius generatione productus dono accipit esse filium naturalem à Patre. Ita respondet etiam Vasquez, & Caspensis: sed de hoc latius infrà.

46 OBIICIAS tertiò. Filij Dei per creationem possunt esse, etiam per adoptionem: Ergo & Christus licèt filius naturalis, potest esse etiam per gratiam adoptionis. Si dicas, hoc euenire in nobis, quia sumus extranei, quippè filij iræ, & ideò possumus adoptari; non sic Christus.

CONTRA, nam Angeli sunt filij adoptiui, vt dicitur Iob. 38. *Cum iubilarent omnes Filij Dei*; & tamen non fuêre filij iræ.

RESPONDET D. Bonauentura, Filios per creationem ex vi creationis non fieri Deo coniunctos propriè; sunt enim adhuc extranei, quia non sunt gratiâ insigniti. Deinde possunt extranei esse non solùm priuatiuè, si creentur sine gratia, sed etiam contrariè, quia peccare possunt: at Christus nullo pacto extraneus est, aut esse potest, nec potest magis fieri Deo cognatus, & propinquus.

47 OBIICIES quintò. Qui prædestinatur, adoptatur ad æternam hæreditatem: Christus est prædestinatus, vt dicitur *Rom. 1.* Ergo.

RESPONDETVR, asseri prædestinatum ad gratiam vnionis Filium Dei in virtute, & hæc prædestinatio non est adoptio, licèt sit gratia, vt ait D. Bonauentura *ad 3.* & hoc sensu Irenæus *lib. 3. aduersus hæreses, cap. 21.* & Marius Victorinus *lib. 1. contra Candidum Arrianum, pag. 6. in 5. Tomo Bibliothecæ sacræ*, aiunt, Christum secundum carnem adoptatum, nempè ad vnionem hypostaticam, quæ latissimè dicitur adoptio; adoptio verò propria est assumptio extranei ad coniunctionem meram ex affectu ad hæreditatem, quæ Christo non conuenit. Quamvis enim humanitas illa etiam ad gratiam sit electa sanctificantem, tamen non est extranea, & ideò non adoptata. Vide suprà alias rationes. Ità ferè etiam Fauentinus *cap. 1.*

HVIC quæstioni aliam subsequentes adnectunt aliqui: An Christus secundùm humanitatem sit propriè Filius Dei naturalis. Non est autem quæstio: an Christus, vt est suppositum naturæ humanæ, sit Filius Dei naturalis; certum est enim; suppositum ex vnione adhuc retinere suum esse personæ genitæ à sæculis æternis. Sed quæstio est, an Christus secundùm humanitatem sit Filius Dei naturalis. Hanc indicaui *in responsione ad tertium.* 48

PRIMA opinio est, Christum vt hominem, esse Filium Dei naturalem. Hi tamen non eodem modo declarant. Aliqui enim Christum aiunt esse Filium Dei naturalem ratione solius proprietatis personalis, seu relatione ad primam Trinitatis personam, atque ità, hominem esse filium solius æterni Patris. Pro quo citantur Alensis, D. Bonauentura, Maior, Richardus: & è Modernis Granado, Lugo, Auersa, Amicus *disp. 29.* Gallus, Vulpes *disput. 31. art. 6. &c.* Alij dicunt, dicendum filium naturalem, sumpta denominatione ex vnione hypostatica, ratione sanctificationis per vnionem cum deitate, atque ità non esse Filium solius Patris æterni, sed totius Trinitatis. Ità Suarez *disputatione 49. sect. 1.* Vasquez *disput. 89.* Tannerus, Becanus *cap. 18. quæstione 5.* Arriaga *disp. 45.* Bonacina, & alij apud Mastrium *disput. 295.* Orlandus *disp. 11.* 49

SECVNDA sententia extrema negat, Christum esse Filium Dei naturalem. Citantur plerique antiquorum, & ex iunioribus Lorca, Curiel, Basilius Poncius, Morandus *quæst. 51.* Faber *disp. 23.* Centinus *disp. 10.* & alij. 50

TERTIA sententia media ait, Christum sic nec esse filium adoptiuum, nec naturalem, sed tamen proprium. Ita Bernal. *disp. 66.* Bellut. *disp. 9.* Mastrius *disp. citata.*

HÆC quæstio est ferè de nomine. Inducunt autem authores tertiæ sententiæ mediam filiationem ex Hugone *Tom. 3. in Apologia de Verbo incarnato*, vbi ait: *Filius tribus modis dicitur: Adoptione, vt nos per fidem: Susceptione, vt mediator, scilicet homo assumptus: Naturâ vt Verbum, quod eadem substantia est cum Patre, non persona, & eadem persona cum mediatore, non substantia.* 51

SED hi mutato nudo vocabulo incidunt in secundum modum primæ sententiæ, quod enim illi dicunt filium naturâ ratione vnionis, isti appellant vocabulo filium proprium.

SENTENTIA D. Bonauenturæ expressa est ea, quam sequuntur authores secundi modi pro prima sententia, sic enim ait S. Doctor *distinct. 10. artic. 2. quæstione prima, ad tertium.* Dicendum, quòd secundùm quod homo est filius per gratiam; sed tunc non sequitur: Ergo est filius adoptiuus, quia hoc non est per gratiam adoptionis, sed per gratiam vnionis, quæ multò est excellentior, nec habet repugnantiam ad filiationem naturalem, imò facit illam communicari. 52

ASSERO primò cum primæ sententiæ secundo modo. Christus secundum humanitatem non est filius naturalis.

PROBATVR à D. Bonauentura *argumento citato,*
53 *& loco citando*, *quæst*.3. Filius naturalis est ille, qui oritur viuens à viuente naturaliter principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ intellectualis, vt patet ex definitione generationis explicita *prima primæ*, *Tract*.2. *disput*.2. *quæst*.2. & 5. Sed Christus secundum humanitatem non procedit hoc modo à Deo: Ergo. Minor probatur, non enim est in similitudinem naturæ; nam natura humana non est Diuina; neque producitur naturaliter, sed liberè; neque ex principio coniuncto, non enim productio humanitatis tendit ad communicandam Diuinam naturam Christo; neque id præstat actio vnitiua ad Verbum, quod ad solam subsistentiam communicandam. Hoc argumento vtitur Mastrius *num*.117. & alij.

54 RESPONDET Arriaga *num*.10. ad filiationem requiri duo, scilicet communicationem nati cum parente, & processionem viuentis à viuente secundùm naturam similem; & fatetur, hanc secundam conditionem non conuenire humanæ Christi naturæ. Fatetur igitur, esse Filium solùm ob vnionem hypostaticam.

HVRTADVS *disput*. 83. respondet, non esse necessariam similitudinem in specie; nam & mulus est filius equæ, & tamen diuersæ speciei. Itaque humanitas Christi satis producitur similis, quia est naturæ intellectiuæ; est verò coniuncta physicè hypostasi Verbi.

55 HÆC non ostendunt generationem naturalem ad regulam definitionis; debet enim perfecta generatio filij esse secundùm eandem naturam, hancque conditionem grauitèr Patres iniungunt contra Arrium, eamque ex vi productionis.

DEINDE non producitur à principio naturæ, vt dixi, neque ratione vnionis fit similis in natura.

RESPONDENT Suarez, Cabrera, Orlandus, & alij, hanc non esse propriam generationem, sed solùm analogicam ratione vnionis, quatenus substantialiter vnita accipit ius ad hæreditatem. Hæc autem responsio fatetur nostram assertionem, vt benè aduertunt Bellutus *loco citato*, & Morandus.

56 ASSERO secundò, Christum sic posse dici Filium aliquo modo naturalem ratione vnionis, quem S. Doctor vocat Filium per gratiam vnionis.

PROBATVR, quia ex vi vnionis debetur ei hæreditas naturali consecutione, & cùm in eo reperiatur ratione eiusdem vnionis, etiam amabilitas, sequitur, esse aliquo modo filium per naturam, cùm non sit persona extranea; eo igitur quòd est filius per gratiam vnionis, per quam factum est, vt ipsa humana natura sit substantialis natura ipsius Filij Dei, & illi debetur sedes suprema, & hæreditas; hæc autem aliquo modo est filiatio per naturam. vt arguunt Orlandus *disput*. 11. *quæst*.2. & Arriaga *loco citato*, cum D. Bonauentura *loco citato*.

57 NON renuerem etiam, eum vocare filium proprium. Sic eum vocat etiam D. Paulus Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit*. Et Concilium Francoford. ad Episcopos Hispaniæ his verbis: *Hic est Filius meus dilectus, meus dixit; addiditque dilectus, vt intelligeretur proprius esse filius, sicut Apostolus dixit, proprio filio suo non pepercit*. Et in Libro Sacrosyllabo: *Hic est Filius meus dilectus, ac si diceret: hic est, quem Spiritus sanctus proprium esse meum filium singulariter demonstrauit*.

FALLVNTVR tamen Bellutus *numero* 39. & 58 Mastrius *numero* 122. dicentes, hanc filiationem fundari in gratia habituali, non in gratia vnionis: proprietatem verò huius filiationis fundari vnione hypostatica, multáque alia iuxta sua falsa principia malè deducunt.

SANÈ si essentia filiationis huius stat in gratia habituali, quæ formaliter est adoptiua, iam Christus erit formaliter adoptiuus.

DICERAM melius, esse filiationem nouam, 59 & miraculosam, sicuti miraculosum est principium talis filiationis. Reduco autem eam ad naturalem, vt diuisio illa celebris Filiationis in Naturalem, & Adoptiuam inter Iuristas celebrem, sartamtectam seruemus.

HINC, cùm radix huius filiationis sit vnio hypostatica, non est dicendus Filius Trinitatis, semper enim Christus in Scripturis intelligitur relatiuus ad Patrem solum, vt notat Auersa, & dicitur specialiter ratione Filij incarnati. Vnde neque Filius Spiritus sancti dici potest, vt definit Concilium Toletanum XI. *in professione fidei*, &
docent D. Augustinus *in Enchirid. cap*. 38. 39. 60
& 40. Fulgentius *de fide ad Petrum*, *cap*.2. de quo tamen sequentibus agam quæstionibus, vt nonnulla modernorum obiecta super hac re euacuentur.

QVÆSTIO III.

An CHRISTVS *possit dici Filius Sanctissimæ Trinitatis.*

D. Bonau. dist.4. q.3.
D.Thom. q.32. art.3.

ASSERO, non posse dici. Ità Sancti Doctores, 61 & est definitum in Concilio Toletano XI. *in confessione fidei*, desumpta ex D. Augustino *in Enchirid. cap*. 38. & 39. & 2. *de Trinitate*, *cap*.10. & est primum fundamentum D. Bonauenturæ; sequuntur Lorca *disp*. 34. *memb*. 3. Basil. Legion *Tract*.1. *var. relect*.4. & alij apud Lugo *disput*.31. *sect*.3.

VASQVEZ *disput*. 89. *numero* 87. ait, posse dici Filium Trinitatis, prout Trinitas significat indiuiduum concretum Dei, commune tribus personis, non autem Trinitatis, vt significat personas, alioqui diceretur Filius etiam Verbi, atque adeò sui ipsius, quod est vetitum in Concilio Alexandrino *in epistola*, quæ est 10. D. Cyrilli; sed sumi prout vagè denotat personas.

AD Concilium verò Toletanum respondet, loqui de filiatione secundæ personæ Diuinæ, ratione æternæ generationis: Idem de D. Augustino astruit.

ENIM verò D. Augustinus, ait: *Iesum non esse* 62 *filium*, &c. Ex eo enim desumpsit Concilium Toletanum hanc assertionem: Iesus autem denotat Christum secundùm naturam humanam, secundùm quam fuit Iesus, idest Saluator; vt fatetur Vasquez *disp*. 67. *num*. 9. & notat D. Bonauentura adductus *disp*.18. *quæst*.7.

RESPONDET

RESPONDET Maſtrius *diſputatione* 2. *num.* 134. Concilium loqui de paternitate humano modo per ſeminis commixtionem.

CONTRA, quia hoc erat euidens, & alioqui Filium Patris declarant æterni, ſanè abſque ſeminis mixtione.

63 PROBATVR ſecundò à S. Doctore: Filiatio eſt proprietas perſonalis, vnde reſpicit hypoſtaſim: Sed in Chriſto eſt vna ſola hypoſtaſis, quæ non poteſt diſtingui à tota Trinitate: Ergo. Hanc tamen non admodum efficacem vocat *in corpore*, ob rationem allatam quæſtione ſecunda ſuprà.

NEQVE valet reſponſio Vaſquez, ſumi Trinitatem pro indiuiduo vago, quod ſignificat hanc, vel illam perſonam; nam Trinitas propriè vel dicit Trinitatem perſonarum diſtinctam, vel Deum, qui de tribus indifferenter dicitur, inter quos eſt Filius.

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Chriſtus eſt Filius vnigenitus, vt dicitur *Ioan.* 1. at Sanctiſſima Trinitas non habet Filium vnigenitum, cùm æqualiter comparetur ad omnes: Ergo.

64 PROBATVR quartò à S. Doctore, & D. Thom. Filiatio nititur generatione viuentis ſimilis in ſpecie, at Chriſtus ſecundùm naturam humanam non eſt ſimilis toti Trinitati in ſpecie: Ergo. Imò neque ſecundùm naturam Diuinam id poteſt dici

ALIAM rationem affert S. Bonauent. non eſſe hanc propoſitionem admittendam: *Chriſtus eſt Filius Trinitatis*, quia erroribus appropinquat Sabellij, qui confundit proprietates Patris, & dicit, etiam aliis perſonis attribui poſſe; & ideò, ſi per generationem dicitur Filius; confuſio oritur Sabelliana. Accedit ad Arrium, qui poſuit Chriſtum opus Trinitatis, ſi dicamus Filium per creationem. Ad Neſtorium accedit, qui duas naturas in Chriſto poſuit, & duas perſonas, & quantum ad humanam perſonam vocat Chriſtum Filium Dei per gratiam, ſi dicamus eum Filium per adoptionem.

65 ARGVMENTA ad oppoſitum, quantò ſpecioſa, tantò ſolutu facilia in S. Doctore habentur.

QVÆSTIO IV.

An CHRISTVS *poſſit dici Filius Spiritus ſancti.*

D.Bonau. diſt.4. quæſt 2.
D.Thom. quæſt.32 art.3.

66 ASSERO, non poſſe dici, Chriſtum eſſe Filium ſancti Spiritus.

PROBATVR à D. Bonauent. primò, quia ſola filiatio per naturam Chriſto conuenit: ſed ſecundùm hanc non eſt Filius Spiritus ſancti: Ergo. Minor probatur in ſecundo argumento, quia Chriſtus eſt eius principium.

PROBATVR ſecundò, quia ſic confunderentur Patres in Diuinis.

PROBATVR tertiò, quia ſi Spiritus ſanctus eſt Pater Chriſti, quia operatus eſt eius conceptionem: Ergo & Filius eſt Pater ſui, quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. Sed hoc nec fides, nec ratio dictat, vt idem gignat ſemetipſum; & quidem ratio eſt clara. Fides verò definit hoc in Concilio Alexandrino *in epiſtola*, quæ eſt 10. apud D. Cyrillum.

RESPONDET Maſtrius *diſputatione* 2. *num.* 133. non eſſe abſonum eſſe Filium ſui; ſicuti eſt minor ſeipſo vt Deus. 67

CONTRA, quia filiatio nititur perſona, non ſic æqualitas præcisè, ſed poteſt niti natura.

PRÆCIPVA ratio D.Bonauent. qua vtitur etiam D. Thomas, eſt, quia nomina Paternitatis, & Filiationis generationem conſequuntur, non quamcunque, ſed viuentium, & præcipuè animalium; non enim dicitur: Ignis generatus eſt Filius ignis generantis.

NEQVE tamen omne, quod generatur in animalibus, filiationis accipit nomen; non enim vngues ſunt filiæ Leonis, ſed id, quod generatur ſimile in ſpecie; & ſi quidem perfectiſſima fuerit ſimilitudo, erit perfecta & filiatio. Iam verò Chriſtus eſt imago perfectiſſima Patris, eiuſque Filius, atque ideò non poteſt dici Filius Spiritus ſancti, quia non eſt ſimilis illi, neque eſt capax filiationis imperfectæ, qui eſt filius perfectiſſimus (vt addit D.Thomas.) Argumenta verò ſunt facilia. 68

QVÆSTIO V.

An nos per CHRISTVM *à Deo adoptemur.*

D. Bonau. diſt.10. art.2. quæſt 2.
D.Thom.quæſt.23.art.1.

SVPPONIT S. Doctor ex dictis *quæſt.* 1. conditiones adoptionis. 69

PRIMA eſt, vt perſona, quæ adoptatur extranea ſit, ideſt non habens ex natura illud ius, ad quod adoptatur; vt ſi adoptatur in filium, non debet eſſe filius.

SECVNDA eſt, vt adoptio fiat gratis; nam ſi detur titulo oneroſo, erit venditio, non adoptio. Has duas conditiones poſuit Concilium Francofordienſe *col.* 4. vbi ait: *Adoptiuus non dicitur, niſi qui eſt alienus; & adoptio non datur ex debito, ſed indulgentia*, & has duas conditiones retulit D. Bonauentura *in corpore*.

TERTIA conditio eſt, vt qui adoptatur, conſentiat. Et tunc adrogatur, ſi eſt ſui iuris, vt dicitur *Lege* 2. *ff. de Adoptionibus*; vel ſi ſub patria poteſtate eſt, vel ſub Tutore, debet interuenire eorum etiam conſenſus. *Lege* In adoptionibus, *ff. eodem titulo*, ita vt adoptandus ſimul conſentiat cum illis, ſi habet vſum rationis, &c. Si verò ſit infans, ſufficiet conſenſus Patris, vel tutoris, in cuius poteſtate eſt. *Lege*: Et infantem, *ff. eodem*, & *Lege* impuberem, *Cod. eodem titulo*. Ratio eſt, quia adoptio eſt quidam contractus; ideoquè voluntarius. 70

AFFERT S. Bonau. etiam quartam conditionem, vt ordinetur adoptatus ad hæreditatem, vt patet Lege citata.

HINC deducit S.Doctor cum D.Thoma, Deum adoptare aliquos in filios, quia ex bonitate ſua aliquos ad participationem ſuæ æternæ beatitudinis aſſumit. Hanc autem adoptionem non metaphoricè, ſed propriè docent nos Scripturæ explicare. Ità enim loquitur *Rom.* 8. *Galat.* 4. Addit etiam id Ioan. 3. vbi Baptiſmum dicit eſſe regenerationem; *Niſi quis renatus, &c.* Interueniunt 71

niunt verò conditiones ; nam primò extra illud hæreditatis ius sunt, qui adoptantur à Deo. Sunt enim filij iræ. Secundò adoptantur gtatis. Tertiò voluntariè, iuxta analogiam adoptionis legalis, vt pro infante patrinus consentiat, &c.

72 ASSERO primò, nos in Filios Dei adoptari per Christum.

PROBATVR à S. Doctore primò ex illo Ioan 1. *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Loquitur antem de Verbo Dei. Hic inueniuntur omnes conditiones teqoisitæ. Prima, vt sint extranei, nam omnes sumus de mundo: *In mundo erat, &c. & mundus eum non cognouit.* Deinde libertas, quia dicitur: *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri*; non dixit: fecit eos Filios, vt obseruat D. Bonauent. *in Commentario*, ex D. Chtysostomo *homil. 9. in Ioannem.* Tertia conditio, quæ est vt fiat gratis, adest: *Plenum gratia. Gratia per Iesum facta est.* Tandem ius ad gloriam: *Vidimus gloriam eius, &c.* Præterea in ipsa gratia subintelligitur.

73 PROBATVR secundò à D. Bonau. Galat. 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Hinc non solum effectiuè operatus est adoptionem cum filio, sed etiam pet filium merentem grariam, qua adoptamur in filios.

PROBATVR tertiò à D. Bonau. Omne per accidens teducitur ad per se; sed filij per adoptionem sunt filij per accidens, respectu filij naturalis, qui per se est filius: Ergo omnes per ipsum adoptantur.

74 PROBATVR quartò. Per ipsum effecti sumus filij, pet quem teconciliati sumus per Christum, vt habetur 1. *Cor.* 5. Ergo. Maior probatur: nam adoptio hæc nil aliud est, quàm ipsa iustificatio, vt docet D. August. *epist.* 120. *c.* 4. & *lib. contra Faustum, c.* 3. Est enim iustificatio voluntaria regeneratio, vt sumitur ex 1. *Petri* 1. *Iacobi* 1. & *ad Titum* 3. Ideò *Ioan.* 1. iustificati dicuntur nati ex Deo, & Filij, vt vidimus, etiam Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum*, vbi obseruat S. Bonau. *in corpore*, & *ad primum*, attribui etiam Spiritui sancto adoptionem, prout dicit gratificationem, & donorum effusionem. Attamen meritoriè est per Christum, vt dicitur Ephes. 1. *Gratificauit nos in dilecto filio suo.*

75 VIDE argumenta S. Doctoris *ad oppositum* egregia, & facilia.

ASSERO secundò, adoptari nos etiam per Spiritum sanctum. Patet ex dictis *Rom.* 8.

QVÆSTIO VI.

An simus Filij adoptiui CHRISTI.

D. Bonau dist. 10. art. 2. q. 3.
D. Thom. quæst. 23. art. 3.

76 ASSERO nos esse Christi Filios adoptiuos.

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex modo Christi loquendi in Euangelio, vbi sæpè discipulos, & alios, vocat filios: *Confide fili.* Lucæ 8. Secundò probatur ex Glossa *Ephes.* 4. vbi id asseritur.

PROBATVR deinde ratione communi, quæ est D. Thomæ, quia adoptio fit per gratiam inhabitantem, & sicut per creationem omnes Diuinæ personæ sunt nostrum principium; ita & per regenerationem, quia ambo sunt opera ad extra, & ideò indiuisa.

SEQVITVR alia Seraphici ratio: Vbi est idem 77
filiationis adoptiuæ principium in ordine æquè ad Christum, ac ad patrem cœlestem, ibi est vera adoptio filiorum in ordine ad Christum: Sed tale principium reperitur in nobis; nam amor est, quo clamamus *Abba Pater*; & eodem amore, quo diligimus vnam personam Diuinam, diligimus etiam aliam, vt patet.

NEC dictis obstat, quòd Adoptio succedat in 78
locum generationis; vnde solùm videtur habere locum in illa persona, quæ potens est generare, qualis est sola persona Patris. Respondet enim S. Bonauentura, id verum esse in ea persona, quæ nec pet generationem, nec per creationem nata est Filios obtinere; cum itaque potentia creatiua sit æqualiter in singulis personis Diuinis, vti & recreatiua, per quam potissimum fit adoptio, sequitur nos posse dici Filios adoptiuos Christi.

OBIICIES cum Setaphico *ad* 3. Solent Patres 79
argumentari Christum ideò fuisse incarnatum, non Spiritum sanctum; quia si Spiritus sanctus esset natus de Virgine, darentur in Diuinis duo Filij, vnde proprietatum confusio sequeretur: Sed si Christus dicatur Pater noster, iam dabuntur duo patres in Diuinis, vnde paternitates inter se confundentur: Ergo. Nec est, quod quis tespondeat, dari duas paternitates sub diuerso respectu, quarum altera esset naturalis, altera adoptans. Nam SS. Patres, priori rationi insistentes, nouerant, duas filiationes fore sub diuerso tespectu; quas tamen non admittebant ob dictæ confusionis incommodum: Ergo.

RESPONDET vtrique instantiæ S. Doctor *ad* 2. 80
ideò SS. Patres institisse contra duas filiationes, quia essent duæ personæ ita duo filij, vt posset dici alius, & alius filius, qui modus dicendi reuerà inueheret personalium proprietatum confusionem: sed eo quod pater sit Christus, non poterit dici alius, & alius pater respectu nostri, cum hæc proprietas sit essentialis, æqualiter cuique personæ conueniens: Eodem planè modo, quo Pater est Omnipotens, & Filius etiam Omnipotens, vti & Spiritus sanctus, non tamen est alius, & alius Omnipotens; seu, vt ait D. Athanasius *in Symbolo*, non sunt tres Omnipotentes, sed vnus Omnipotens; ita licèt prima persona sit Pater noster, sicut secunda, & tertia, non sunt tamen tres Patres, sed vnus Pater.

DISPVTATIO XXVI.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI.



RÆDESTINATIONEM, vt est specialis Dei Prouidentia, circa electos in Beatitudinem adducendos, latè discussi, *prima primæ*, *Tomo* 1. *disput.* 21. vnde recolenda sunt, quæ ex communi doctrina huc possunt cum proportione debitâ applicari: Omni autem prædestinato commune est, vt connotet habitudinem effectus ad causam, vt fiat acceptus per infusionem gratiæ, & accipiat esse per inchoationem naturæ, vt disserit S.Doctor vt infrà, *in corpore*; & iuxta hanc triplicem habitudinis connotationem facilè deciditur tota difficultas, hîc occurrens; nam vbi tria illa, iam relata, desunt, succedunt tres repugnantiæ, scilicet Contradictionis, Contrarietatis, & Relationis, quarum quælibet sufficit, vt personæ, de qua agitur, prædestinatio negetur, vti in quæstionum progressu clarius indicabitur. Porro quoniam tota huius loci ratio tantùm postulat, vt omnis loquendi ambiguitas circa Christi, siue vt Dei, siue vt hominis, prædestinationem securè vitetur, tot hic instituentur quæstiones, quot modi dicendi communiter solent controuerti.

QVÆSTIO I.

An CHRISTVS *sit dicendus prædestinatus.*

D. Bonau. dist. 7. art 2. quæst. 1.
D. Thom. q. 24. art. 1.

1 ASSERO primò. Christus, in quantum homo, est ab æterno prædestinatus. Ità D. Bonauent. *loco cit.* D. Thom. *loco cit.* & aliqui Thomistæ *in* 3. *dist.* 7. Alensis 3. *part. quæstione* 3. Scotus *distinct.* 7. *quæst.* 3. & omnes Scotistæ apud Mastriom *disput.* 2. *num.* 328.

PROBATVR à D. Bonauent. initio corporis, ratione. Christus nominat hypostasim in duabos naturis subsistentem, Diuina, & homana; sed hoc ipsum, vt Christos sobsisteret in duabus hisce naturis prædestinarum est ab æterno: Ergo. Hac ratione vtitur Conciliom Toletanom XI. sic de Christo loquens: *Per hoc, quod de Maria Virgine natus est, & prædestinatus esse credendus est.* Ea vtuntur communiter Doctores.

PROBATVR secondò à D. Bonao. *ad argumentum* 5. Christus simpliciter dicitor ornatus gratiâ, glorificatus secundùm homanam natoram: Ergo sic fuit prædestinatus ab æterno: His rationibus vtitur Suarez *disp.* 50. *sect.* 1. 2

OBIICIES. Prædestinatio sopponit existentiam rei, vnde quæ pertinent ad eius constitotionem, non cadunt sub prædestinationem eius; at subsistere in duabus naturis, pertinet ad ipsam constitutiooem Christi: Ergo.

RESPONDET D. Bonauent. primò *quæstione* 2. *distinctione* 7. *ad* 2. præstinationem proprio sermone esse ad dona gratiæ, vnde sopponitur iam sobiectum, quod est res secundùm naturam decreta ad esse. Ideò quando dicitur: Iste est prædestinatos, intelligitur ad grariam, & gloriam; generali tamen significatione posse dici ordinatus ad esse; sic quando constitutio rei est merè naturalis, illa non cadit sub prædestinatione, tanquam eios terminos, quia prædestinatio, vt nunc loqoimur, respicit supernaturalia bona; at verò in Christo eius constitotio, & quasi compositio non est merè nathralis; & ideò verè, ac propriè prædestinata est. & ab illa potest Christus simplieiter prædestinatus denominari. Eodem modo respondet Suarez *loco citato*.

ASSERO

3 Assero secundò, non posse dici absolutè Verbum, seu Filium Dei esse prædestinatum. Est communis Theologorum cum D. Bonauent. *dist.* 7. & D. Thom. quem efferre laniat Vulpes *disput.* 19. *artic.* 1.

Probatvr à D. Bonauentura primò ex Origene *ad cap.* 1. *epistola ad Rom.* Prædestinantur, qui nondum sunt, ad esse, & qui sunt, ad gratiam, & gloriam: at Filius Dei fuit semper in æternitate, & per essentiam beatus: Ergo. Explicatur à Suarez *loco cit.* ex D. Bonauentura *in corpore:* nam prædestinatio, cùm sit actus animæ, cadit super subiectum formaliter; vnde cum de Christo dicitur, cadit in ipsum, vt subsistens in duabus naturis; atque adeò potest dici prædestinatus; at cùm dicitur de Filio Dei, tribuitur illi secundùm se, vt Filius Dei est, & ponit in ea effectum ordinationis Diuinæ, acceptationem ad gratiam, & inchoatio-
4 nem, quantum ad esse naturæ. Ideò Origenes admittit, posse dici *destinatum*, nam destinatur, qui est; non autem *prædestinatum*, quia prædestinatio dicit antecessionem prædestinantis, & posterioritatem in prædestinato. Igitur, si addatur: Filius Dei, secundùm quod homo, est prædestinatus, verè enunciabitur, quia faciet, vt cadat enunciatio super hypostasim filij, non præcisè vt subiectum formale, sed ratione naturæ humanæ, & ita tollentur implicantiæ. Vide S. Bonauent. *ad vltimum*; reliqua sunt clara.

QVÆSTIO II.

An hæc sit vera: Filius Dei *prædestinatus est, esse Homo.*

{ D. Bonau. dist. 7. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. q. 24. art. 2. ad 2.

Advertit S. Bonauentura *in corpore*, quod cùm hoc participium prædestinationis dicat antecessionem, potest hæc cadere, vel super subiectum, & tunc sensus erit: Filius Dei, antequam esset, prædestinatus est esse homo, & hic sensus est hæreticus. Vel potest cadere super prædicatum, & sensus erit: Filius Dei destinatus est esse homo, antequam homo esset; & hic sensus est verus. Tertiò potest cadere particula antecessionis *præ*, super vtrumque, sensusque erit: Prædestinatum est, vt Filius Dei sit homo; & sic vera est.

6 Assero, secundùm hos duos sensus propositionem esse veram. Ità SS. DD. Alens. Scotus, & alij.

Probatvr à D. Bonauentura *in corpore*, quia sic designatur Verbum non adesse destinatum, quæ est prædestinatio simpliciter, sed secundùm quid, vt vniretur humanitati. Confirmatur, nam propriè dicitur Verbum factum homo *Ioan.* 1. vt arguunt etiam Suarez *disput.* 50. *sect.* 1. Vasquez *disput* 90. cum D. Thoma, quos remordet Vulp. *disput.* 19. *artic.* 4.

Probatvr deinde *in fundamentis* præcipuè. Id, quod in tempore fit, fuit ab æterno à Deo præuisum, & si est bonum, etiam prædestinatum, atque decretum: Sed Filius Dei in tempore factus est homo: Ergo.

7 Dices: Prædestinatio dicit ordinationem ad aliquam gratiam: at Incarnatio non fuit gratia Christo.

Respondet S. Bonauentura, prædestinationem importare gratiam respectu eius, respectu cuius importat antecessionem, cùm autem dicitur: Filius Dei prædestinatus est esse homo, non conceditur, secundùm quod prædestinatio importat antecessionem respectu subiecti, sed solùm secundùm quod importat antecessionem respectu prædicati; & ideò non indicatur fieri aliqua gratia Filio Dei, sed Filio Hominis. Eodem ferè modo respondet Suarez.

Hinc ruunt alia obiecta, vt notat D. Bonau. 8
nam omnia arguunt de prædestinatione, vt cadit suprà subiectum. Vide ipsum: Ex quo habes contra Vasquez *disp.* 92. *cap.* 3. Seraphicum explicasse quem sensum propriè reddat ea propositio; nam eam concedendam asserit, ideò sensus eius proprius est hic. Vasquez tandem dicit, hoc sensu concedi præfinitum esse, vt Filius Dei esset homo; non autem prædestinatum ex gratia, quia non fuit Filio Dei gratia esse hominem. Idem habet S. Bonauent. *ad primum, & vltimum.*

QVÆSTIO III.

An possit dici: Christvs homo *prædestinatus est esse Filius Dei naturalis.*

{ D. Bonau. dist. 7. art. 2. quæst. 3.
D. Thom. q. 24. art. 3.

Ortvm accipit quæstio hæc ex Apostolo 9
Rom. 1. vbi loquens de Filio Dei, ait: *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.*

Varii sunt modi hunc locum explicandi. Septem recensentur à Suarez *disput.* 50. *sect.* 2. Vasquez *disp.* 90.

Primvs est Patrum Græcorum, qui non 10
prædestinationem, sed declarationem de Christo factam interpretantur in miraculorum virtute in spiritu sanctificandi homines per doctrinam, & meritum, denique per virtutem mittendi Spiritum sanctum, ac per suam resurrectionem. Non enim legunt: *prædestinatus*, sed *declaratus*. Græca quidem exemplaria non habent verbum, quo vtitur alibi Paulus ad significandum prædestinari προορίζω. *Rom.* 8. *prima Corinth.* 2. *Ephes.* 1. sed verbum ὁρίζω, quod declarare significat.

Vvlgvta tamen editio, quæ summæ est au- 11
thoritatis, legit: *Prædestinatus est.* Eam verò sequuntur PP. Latini, Ambrosius, Hieronymus, Anselmus ibi, Augustinus *lib.* 12. *de Trinitate, cap.* 6. & *de prædestinatione Sanctorum, cap.* 15. *De bono perseuerantia, cap. vltimo,* & *tract.* 105. *in Ioan.* Hilarius *lib.* 7. *de Trinitate,* Irenæus *lib.* 3. *contra hæreses, cap.* 18. quos sequitur D. Bonauent. in ea verba 17. Ioannis: *Clarifica me Pater, &c.* & in hac quæstione, & quidem verbum ὁρίζω propriè significat statuere, proponere, & animo definire, vt habetur *Actorum* 2. & 17. Vnde Tertullianus contra Praxeam legit: *Definitus est.* Eodem modo videtur etiam Origenes interpretari ad eum locum; & sanè id, quod prædestinatur, dicitur definiri. Vnde D. Dionysius Areopagita *cap.* 5. *de Diuinis nominibus,* circa finem ait: *Diuinas voluntates eorum,*

qua

quæ sunt, definitiuas, prædestinationes Theologi vocant. Multis tamen modis exponitur apud Suarez *disp.* 50. *sect.* 2. Vasquez *disp.* 90. *cap.* 1. Valentiam *quæst.* 3. *puncto* 2. Vulp. *disp.* 19. *art.* 3. Lugum *disp.* 32. *sect.* 1.

12 Commvnior expositio Theologorum, quæ ad rem nostram facit, est de prædestinatione Christi ad Diuinam filiationem naturalem. Itaque cùm dicitur prædestinatus Filius Dei, innuitur terminus huius prædestinationis; sensus enim est: Illud subsistens in humanitate, seu illud ens *homo* prædestinatum est, vt sit determinata illa persona Diuina, quæ est Filius Dei, id, quod factum est in tempore per hypostaticam vnionem humanitatis cum Verbo. Additur: *In virtute*, idest potentia Diuina, qua tan-

13 tum est patratum opus: *Secundum Spiritum sanctificationis*, idest, quia conceptus de Spiritu sancto, vt exponit D. August. *lib. de prædestinatione Sanctorum, cap.* 15. & ad sanctificandum homines per abundantem gratiam Spiritus sancti: *Ex resurrectione*, in virtute resurrectionis etiam ipsius Christi. Vnde dicitur Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Et illud Rom 4. *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Ita exponit D. Augustinus *loco cit.* & indicatur *de Bono perseuerantia, cap. vltimo, & in Enchirid. cap.* 40. nempè de illo homine, qui est Christus, dixisse Paulum: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.*

14 Dvrandvs 3. *dist.* 7. *quæst.* 3. *num* 9. negat, posse dici hunc hominem prædestinatum, vt esset Filius Dei, quia *hic homo*, includit suppositum: debuisset ergo præcedere Filium Dei, vt posset dici prædestinatus, vt sit Filius Dei. Sic & Paludan. *ibi, quæst.* 3. sequitur Lorca *disp.* 55. *memb.* 3.

Hanc sententiam Durandi adscribit Vasquez *cap.* 2. Marsilio *in* 3. *quæst.* 7. *art.* 1. *in* 3 *parte articuli, conclusione* 3. & D. Bonauenturæ *hac quæst.* 3.

15 Vera igitur, ac genuina sententia D. Bonau. est, verbum: *Prædestinatus est*, dicere antecessionem: Hæc autem potest cadere, vel super subiectum, vel super prædicatum, vel super totum dictum: Si dicat antecessionem respectu subiecti, vera est locutio, & est sensus: Homo, antequam esset homo, prædestinatus est esse Filius Dei. Si autem notet antecessionem respectu prædicati, falsa est, quia reddit sensum: Homo præuius est esse Filius Dei, antequam Filius Dei existeret. Si tandem notat antecessionem respectu totius enunciationis, vera est, quia facit hunc sensum: Prædestinatum est, vt homo sit Filius Dei. Et hic modus (ait S. Bonauent.) ab omnibus receptus est. Et quia hic modus locutionis est proprius, concedendus est iuxta communem modum loquendi. Et hæc est sententia D. Thom. & Antisiodor. *lib.* 3. *summa, tract.* 1. *quæst.* 8. *cap.* 2. At Scotus *dist.* 7. *q.* 1 *ad* 1. Fauentinus *disp.* 19. *cap.* 2. hoc asserunt verificari de indiuiduo illo humanitatis, nam sola prædestinata est. Vulpes autem rabidos morsus infigit *disput.* 19. sed non iustè.

16 Assero cum hac sententia, posse dici: Hic homo prædestinatus est esse Filius Dei.

Probatvr primò à D. Bonau. ex *primo ad Rom.* Et ex D. August. *lib. de præstinatione Sanctorum, c.* 15. vbi ait: *Eâ gratiâ fit ab initio fidei sua homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus.*

Vasqvez *num.* 20. dicit assumi sæpè à D. Augustino concretum pro abstracto: v. g homo pro humanitate, quam ait esse assumptam.

17 Attamen non aduertit Vasquez D. August. vti concreto, dum opponit prædestinationem aliarum personarum creatarum cum Homine illo, vt ostendat, factam prædestinationem humanitatis subsistentis, quia prædestinatio, licèt sit personæ, non est tamen personalitatis, sed alicuius naturæ; vnde, licet persona Diuina sit æterna, ideò neque prædestinata in se; est tamen prædestinata ratione naturæ, quæ subsistit in ipsa, vt notat D. Bonauent. *ad* 2. & Lugo *num.* 10.

Obiicit Vasquez D. August. qui sic loquitur loco cit. *Qui vt esset Deus, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparasse? Respondetur quæso: ille homo, vt à Verbo in vnitate personæ assumptus, Filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit?* Dicit igitur hominem esse assumptum, profectò solam naturam intelligens, non personam.

18 Hoc testimonium est extra rem adductum à Vasquez, nam vbi loquitur de assumptione, adhibuit concretum, quia planè intelligebatur de natura humana apud Catholicos: at verò *loco* à me *citato*, loquitur de prædestinatione, quia decretus est hic homo ratione naturæ; & ideò propriè concretum adhibet.

19 Probatvr à D. Bonau. etiam aliis rationibus. Præcipua verò, quæ ex corpore, & responsionibus ad argumenta eruitur, est: Quia nomina substantiua concreta naturarum, vt *homo*, directè significant naturam, & connotant indirectè suppositum. Hinc ita arguitur: Sicut id, quod fit tale, debet præcedere formam, per quam fit tale, nempè cùm dicitur homo fieri albus, debet homo priùs esse; eodem modo vt aliquid dicatur ad aliquem finem prædestinari, debet præcedere ipsum finem prædestinationis.

Porro hic homo, qui est subiectum propositionis, intelligitur antequam fiat Filius Dei, nam præintelligitur natura connotans non vagè suppositum hoc, vel illud, vt putat Vasquez, qui hac ratione vtitur à *num.* 22. nam in illo priori natura humana non connotat aliquod suppositum, & vagè; cum ex se non sit indifferens, & vaga ad supposita, sed determinata ad suum, quod non habet; & in Christo

20 determinata ad Verbum, cui adhuc non est vnita, sed præintelligitur, natura humana connotans suppositum Diuinum, in quo prædestinatur. Secundum hanc connotationem prior est natura humana, imò hic homo, quam de facto sit hic Christus personatus in actu. Neque verò prædestinatio est naturæ vagæ ad indiuidua, sed ad hoc; est enim exactissima pars Diuinæ prouidentiæ.

21 Obiicit primò contra suam hanc rationem: Si homo est prædestinatus esse Filius Dei, sequitur, Filium Dei prædestinatum, vt sit Filius Dei, quod est falsum.

Respondet S. Doctor negando sequelam, quia prædestinatio fuit sic, vt humana natura Filio Dei præexistenti vniretur, vt constitueret hic homo Filius Dei, & notat, non esse in prædestinatione hac communicationem idiomatum, vt si præcessit Christum, vt est Filius Virginis, præcesserit etiam, vt est Filius Dei, etenim prædestinatio hæc respexit hanc humanitatem, vt daret ei vnionem cum Filio æterno, & homo factus esset Filius Dei. Hoc autem exprimimus verè nostro asserto, non confusè, vt malè concedit Lugo; sed distinctè connotata hac persona Verbi practicè vnienda, vt fiat hic homo.

22 Obiicit secundò: prædestinatio respicit personam. Hic igitur prædestinatur, vt sit suppositum diuinum hic homo: Ergo prædestinatio præcedit suppositum, quod est terminus.

Respondet S. Doctor, prædestinationem esse personæ, non vt fiat personalitas, sed vt in natura vnita

vnita resultet hic IESVS. Ideò sat est, prædestinationem esse ante Iesum, etsi post Verbum sit: nam prædestinatio includit suppositum, non vt sit, sed vt sit hic homo. Sic ruit argumentum secundum Lorcæ, quo distrahitur Lugo *num.* 15.

23 OBIICIT tertiò. Prædestinatus præcedit terminum, ad quem destinatur: Homo non præcedit Filium Dei: Ergo non est prædestinatus, vt sit Filius Dei.

RESPONDET S. Doctor, prædestinatum eo modo præcedere, quo terminum respicit: vnde si prædestinatio est ad gratiam, & gloriam; earum assecutionem præcedit, licèt ipsæ possent à Deo esse præparatæ, & tunc solam assecutionem præiret, non
24 entitates earum. Cæterum quando prædestinatio dicit antecessionem, respectu vnius extremi, puta subiecti, cui non sit comproducendum prædicatum, sed vniendum, cùm præexistat, non requiritur vt præexistat prædicato, cùm imò per hoc sit in tali statu constituendum, & ita cùm decernatur humanitati creandæ vnio cum Verbo æterno in hypostasi, vt resultet hic homo; non debet is præcedere Verbo; neque Verbum præcedere, nisi vt est Verbum; nam, vt hominem illum constituat, supponit naturâ prius humanitatem, cui vnitum constituit hunc hominem prædestinatum, vt sit Filius Dei; non vt fiat Filius Dei, vt infert Lorca: nam homo ille includit Filij Dei suppositum non factibile.

25 OBIICIT quartò. Cùm dicitur Homo prædestinatus esse Filius Dei, aut intelligitur, vt homo, aut vt Deus. Non vt Deus, vt patet: Si dicatur prædestinatus vt homo; ergo ab æterno fuit prædestinatus ad hoc; sed hic terminus *Homo*, est subiectum verbi de præterito, & pro præterito supponit: Ergo ab æterno fuit homo, & nunc homo, vt homo, esset Deus.

RESPONDET D. Bonauentura, prædestinatum esse vt homo, neque tamen ab æterno fuisse hominem, quia prædestinatio est prædestinantis, & respicit futurum obiectum, neque ponit rem suam in prædestinato, sed in prædestinante, sicut laus ponit, & dicit aliquid in laudante, non in laudato. Cùm autem dicitur: ergo est Deus, negatur consequen-
26 tia, non enim particula *vt*, seu *quantum*, significat rationem formalem, secundùm quam conuenit Christo esse Filium Dei; sed accipitur, vt designat rationem formalem, secundùm quam accipitur extremum hoc: *Christus*, nempè ratione naturæ humanæ. Ita respondet etiam D. Thomas *ad primum*.

QVÆSTIO IV.

An possit dici absolutè CHRISTVS *prædestinatus ad gratiam, & gloriam.*

D. Bonau. dist. 7. art. 2. q. 1.
D. Thom. q. 24. art. 1.

27 PRIMÒ Scotus *dist.* 7. *q.* 3. *§. Respondeo*, docet, non personam Christi, sed eius humanitatem prædestinatam ad gloriam, & ad hunc finem gloriæ præfinitum donum vnionis, sine quo ad tantam gloriam non destinaretur. Vide Vulpem *disp.* 19. *art.* 7. exponentem, naturam singularem, non abstractam, intelligi.

ALII dicunt, dupliciter posse asseri aliquem prædestinatum: Primò absolutè non expresso fine, ad quem destinatur; & sic propriè significat prædestinatum ad gratiam, & gloriam. Secundò potest dici prædestinatus cum addito fine, puta ad Apostolatum. Ita notat D. Bonauentura *dist.* 7 *art.* 2. *quæst.* 2. *ad primum*, vbi Richardus, Alensis 3. *p. q.* 3. *memb.* 2. Altisiodor. *lib.* 3. *tract.* 1. *quæst.* 8. *cap.* 2. initio. Iam verò, si dicatur Filius Dei prædestinatus, (quod significat ad gratiam, & gloriam, cuius præparatio est in prædestinatione) falsa est, quia Filius Dei non recepit gratiam, aut gloriam, dono in se, sed in natura assumpta. Si verò dicatur prædestinatus, in quantum homo; est vera, nam suppositum Christi in natura assumpta recepit gratiam, & gloriam. Ità D. Bonau. *dist.* 7. *art.* 2. *q.* 1. Richard. *art.* 2. *q.* 1. Durandus *q.* 3. Albertus *disp.* 10. *art.* 4. *&* 8. si rectè conferantur inter se. Alens. 3. *p. q.* 3. *memb.* 1. *&* 4. Marsilius *quæst.* 7. *art.* 1. *parte* 1. *concl.* 1.

ADDVNT D. Bonau. *in corpore*, & Richard. *ad primum*, posse dici Christum prædestinatum etiam absolutè, nedum secundùm quod homo possit id dici de Filio Dei, quia nomen Christi dicit suppositum in natura humana: hoc igitur modo Christus dicitur prædestinatus, vt esset, idest, vt hoc veluti compositum esset; vel vt in hoc composito esset gratia, & gloria: Eum sequuntur Scotus 3. *dist.* 7. *q.* 3. & Scotistæ passim apud Mastrium *disp.* 2. *n.* 328. Declinat tamen Centin. *d.* 10. *cap.* 9. quia prædestinatio respicit personam. 28

CAIETANVS *q.* 24. *art.* 1. ait, Christum non dici prædestinatum simpliciter, ad gloriam, sed ad vnionem, cùm hic fuerit finis prædestinationis Christi, aitque falli authores suprà citatos. In quo sanè de- 29
ceptus est Scotus, ponens vnionem medium ad gloriam. Decipitur etiam Vasquez *disp.* 92. *cap.* 2. cum Caietano quoad D. Bonau. non enim docet, quòd cùm dicitur Christus prædestinatus absque addito, intelligatur ad gratiam, & gloriam, sed in genere, cùm aliquis dicitur prædestinatus; & hoc verum est, si considerentur definitiones prædestinationis. Ideò explicandum in Christo, prædestinatus est esse homo, ne modo communi illius propositionis eum cum aliis eodem modo accipiamus. Sic igitur in Christo, si addatur, vt esset homo, dicitur prædefinitio, & præscientia potius, quàm communis vox *prædestinatio*. Addit verò in fine S. Doctor, etiam præordinationem ad vnionem dici rectè prædestinationem, quia non est ordinatio ad esse naturale (quæ impropriè dicitur prædestinatio,) sed ad gratiam vnionis, atque adeò ad esse supernaturale, quod nomine prædestinationis explicatur: nam prædestinatio non est destinatio ad naturam, alioqui etiam elementa essent prædestinata; sed ad esse supernaturale.

VASQVEZ *cap.* 2. asserit, posse dici absolutè Fi- 30
lium Dei prædestinatum ad beatitudinem, & exaltationem nominis, & ad reliqua, quæ secuta sunt vnionem, si proprietatem sermonis attendamus.

CONTRA tamen insto acriter cum Origene ex D. Bonauent. *fundamento primo, & vltimo*, ac *in corpore*, quia hoc nomen *Filius Dei*, simpliciter dicit suppositum Diuinum nudum: Ergo hæc propositio significat, Filium Dei esse prædestinatum ad gratiam, & gloriam ab alio, idest Deo: Ergo est creatura.

PERGIT Vasquez dicere, posse dici etiam eodem 31
modo Christum esse prædestinatum ad gloriam, non tamen sibi placere rationem D. Bonauenturæ, & Richardi, id posse dici, quia Christus significat subsistens in vtraque natura: nam (ait Vasquez) non est idem affirmare de Christo absolutè, & de Christo, vt homo est; nam de Christo cum additamento illo possumus enunciare, quod inceperit esse; at de Christo absolutè non licet.

MIROR

MIROR autem, quomodo arguat Vasquez contra D.Bonauenturam: Quis enim ignorat, Christum dicere compositum ex vtraque natura factum in tempore Incarnationis? Quis igitur scrupulus eum rodit, ne dicat, Christum incepisse? Vide quæ definiui de hoc *disput*.18. *quæst*.7.

32 PROBAT demum Vasquez ex Antisiodorensi hanc propositionem: Filius Dei, seu Christus prædestinatus est, esse veram. Ea, quæ dicuntur de homine per communicationem idiomatum, dicuntur de Filio Dei; atque homo in Christo dicitur prædestinatus ad gratiam, & gloriam: Ergo, & Filius Dei. Hoc autem Syllogismo id colligit: Hic homo prædestinatus est ad gloriam, & gratiam: Hic homo est Filius Dei, & Christus: Ergo Filius Dei, & Christus prædestinatus est ad gratiam, & gloriam.

RESPONDET S.Bonau. *quæst*.1.*ad* 2. idiomatum communicationem non fieri, vbi est repugnantia; hæc autem reperitur in hac propositione, quia vox *prædestinatus*, significat initium durationis, sicut etiam *creatus*. Ita respondet etiam Albertus *art*. 4. *ad* 5. Richardus *loco citato*, *ad secundum*.

33 VASQVEZ instat, se non videre, quæ maior sit repugnantia in communicatione idiomatum huius propositionis: Filius Dei est prædestinatus ad gratiam; quàm in hac: Filius Dei est mortuus; neque verum esse, aut probari, prædestinatum debere incipere esse. Quod si id probaretur, manifesta esset repugnantia, ob quam hoc idioma, *incipit esse*, possit attribui Filio Dei.

AFFERAM igitur argumenta D.Bonauenturæ, vt Vasquez omnino conuincatur. Hæc habet S.Doctor *quæst*.1. *in corpore*.

34 PRIMA quidem ratio est: nam prædestinatio fertur in suum obiectum, tanquam causa in effectum conferendo ei id, quod statutum est ab æterno; ex quo fit, vt prædestinatus secundùm eam rationem sit effectus Dei; at effectus decreti æterni simpliciter est in tempore, atque (vt effugia præcludam) in casu nostro, in quo decretum est hoc pro tempore Incarnationis. Igitur Filius Dei se habet, vt effectus recipiens in se gratiam, & alios effectus in tempore: Ex eo autem quòd Filius Dei simpliciter recipiat in tempore talem perfectionem in se, sequitur, non esse Deum, sed creaturam totam in tempore productam, vel saltem producibilem, quia Filio Dei, vt sic, non potest addi perfectio.

35 Ex hac ratione pullulat alia, quam habet S.Doctor *fundamento vltimo*. Causa, & effectus sunt distincta, & Deus à quocumque distinguitur, vt causa ab effectu, vt Creator à creatura in tempore facta; nam omnia in tempore fecit. Si igitur Filius Dei se habet ad Deum, vt effectus illius, recipiens effectiuè gratiam, & gloriam, oportet vt non sit Deus, sed creatura in tempore perfecta.

SECVNDA ratio allata à D.Bonau. *in corpore*, est, quia prædestinatio ad gratiam dicit acceptationem adoptionis, hæc autem fit à Deo erga creaturam in
36 tempore. Si ergo Filius Dei prædestinatus est ad gratiam adoptionis; sequitur, non esse Filium naturalem æternum, sed creaturam extraneam, solo affectu iunctam Deo, vt optimè deducebat Vasquez *disp*.89. *cap*. 13. & passim *in ea disputatione*, & Concilium Francofordium; quod inferebat contra Elipandum, duas personas induci, quarum altera esset creata, si Filius adoptiuus Christus diceretur.

TERTIA ratio, quam affert S. Doctor, quia prædestinatio componitur ex *præ*, & *destinatio*, & significat destinationem præcedentem entis, quod non est, vt notauit Vasquez *disp*.90.*num*.5. ex Origene. Et quidem cùm hæc sit æterna, & pro tempore facta sit, luce clarius apparet, debuisse in tempore Filium Dei cum aliis prædestinatis incipere esse, deinde accipere dona Dei.

AD illud verò, quod dicebat Vasquez, non magis repugnare, Filium Dei esse mortuum, vel natum, quàm prædestinatum; responderat iam S. Bonau. *quæstione illa prima*, *ad* 3. & Richard. sequitur, magis hoc repugnare, quia, v.g. esse natum, mortuum significat quid temporale naturæ, secundùm quam inneruns est Filius Dei in tempore, neque vllam cum æterno habet repugnantiam; at prædestinatus dicitur ante destinatus, & postea executioni mandatus. Vnde destruit esse æternum. Hæc significatio diuersa refellitur à Vasquez redarguente: Si esse natum, vel mortuum rectè attribuitur Filio Dei, quia significat rem temporalem, quæ ei tribuitur ratione naturæ temporalis; eadem ratione, cum vox prædestinatus denotet initium, & quid temporale saltem in re prædestinata; cùm tribuitur Filio Dei, signum erit attribui ratione naturæ temporalis. 37

RESPONDET D. Bonauentura, hoc ita significare temporale, vt non excludat æternum. Potest enim mortuus esse in tempore, cum ab æterno fuerit; at verò prædestinatus ita significat aliquid temporale, vt excludat æternum; nam prædestinatio est, antequam illa res sit, destinatio, ideò non benè assumit Vasquez vtriusque paritatem ex eo, quod vtrumque fiat in tempore, ex quo sequatur, vtrumque intelligendum de natura assumpta. 38

CÆTERÆ quæstiones de Prædestinatione Christi comparata ad nostram, tractatæ sunt *prima primæ*, *tract*.1.*disput*.21. *in fine*.

AN verò ipsa humanitas dici queat prædestinata. 39
S.BONAV. *dist*.7.*art*.2.*quæst*.3.*ad* 3. dicit, prædestinari esse personæ, non naturæ; & ideo non dici humanitatem prædestinari. Ita etiam D. Thom. *quæst*.24.*art*.1. *ad* 2.

ALII verò asserunt, posse dici naturam abstractè prædestinatam. Ita Durandus *dist*.7. *quæst*.3. *num* 9. Paludanus *quæst*.3. *art*.3. Scotus *quæst*. 3. Richardus *art*.2 *quæst*.4.*ad* 2. Maior *quæst*.1. Gabr.*dist*.10.*quæstione vnica*, *art*.3. Vasquez *disp*. 9. *cap*. 4. Vulp. *disp*.19.

RATIO est Scoti, quia potest Deus largiri etiam naturæ abstractæ dona. Verum neque S. Doctor negat, decreta fuisse dona humanitati, sed quia dona sunt accidentia, quæ sequuntur esse substantiale completum, ideò ait, prædestinatum suppositum, idest IESVM ratione naturæ humanæ. Hæc quidem 40
sunt disceptamenta tantùm in verbis.

DISPVTATIO XXVII.

DE ADORATIONE CHRISTI.

QVæ à Christo sunt exhibita, vt hominem se, ac proinde Deo subditum, demonstraret, præcedentibus disputationibus sat expendi: Nunc quæ ipsi sunt debita, vt Deus agnoscatur, venerabundus exponam; inter hæc eminet Adoratio, quæ terminatiuè quidem superioris, & superexcellentioris est entis, inferioris vero elicitiuè, tantæque est virtutis, vt Diuinum quid, licèt non faciat, supponat saltem, & signet: Vnde fidei, & pietatis origo, & indicium est non minimum in his, à quibus frequentiùs elicitur; ipse enim homo innato conscientiæ magisterio mox redarguitur, si cui adorationem exhibuit, obsequium pariter debitum, & fidem non præstiterit; quamobrem miseri Pagani, opera manuum suarum adorantes, illis morum stupiditate conformantur, conscientia quidem superno lumine irradiatâ, sæpiùs stultitiam istam increpante; verum quia in tenebris volens cæcutit, quem ab errorem sensum recipit, exteriùs exhibendum suggerit: His deteriores dixerim nostri temporis Hæreticos, qui vt omnem pietatis sensum, & fidei scintillam omnimodè extinguant, piissimam praxim, in tota Ecclesia cum tanto virtutum profectu diu seruatam, ipsi abdicantes, aliis dissuadere ità satagunt, vt Sanctis, Sanctorumvè reliquiis, minúsque Sacris imaginibus, honor nullus, sed sempiterna obliuio, prorsus debeatur. Contrà hos Nouatores hìc ex industria agam, vbi idcirco omnem cultum Deo, & Sanctis, eorumque memoriis acceptabilem, sedulò discutiam; Quamvis enim sectatij isti nil solidè dictum, sed dicteria tantùm, in nos iactare soleant; cùm tamen eximiè Seraphicus Doctor controuersiam hanc elucidauerit, & alij post ipsum scriptores non pauci egregiè pro Adoratione Sanctorum dimicuerint, non pigebit prolixiùs solito disputationem hanc protrahere, vt nihil S. Bonauenturæ augmentis indiscussum remaneat.

QVÆSTIO I.

Quid Adoratio, & Quotuplex.

1 SOLENT Vasquez *3. p. d. 93.* Suarez *disp. 51.* & alij quæstiones hic præmittere de Adoratione in genere, sed ego eas supponens ex dictis *2.2. Tract. de Religione, disp. 1. quæst. 2. & seq.* aliqua tantùm necessaria prælibabo.

2 SVPPONO itaque primò, Adorationem significare specialem quendam actum honoris, seu cultum erga superiorem aliquem excellentem, vt docet S. Bonau. hic, *dist. 9.* passim, & *in cap. 4. Ioannis*, ad ea verba: *Adorabunt Patrem in spiritu*, & *in collat. 22. ad cap. 4. eiusdem Ioannis.* Hinc D. August. contra serm. Arrian. cap. 3. *Honorat omnis, qui adorat; non autem adorat omnis, qui honorat.*

SVPPONO secundò, Hebræis non esse peculiare nomen, quo significent cultum religiosum erga Deum: est enim verbum נבר *Gabad*, quod eis est ita commune, sicut *Seruio* Latinis; sed neque Latinis propria aliqua vox est, si enim aliqua esset, ea esset *Religio*. Verùm, vt optimè notat D. Augustinus 10. *de ciuitate, cap. 1.* cui consentit Ionas Aurelianensis 1. *lib. de cultu imaginum*, longè ab initio, cùm Latini authores ea voce significent cultum,

cultum, & honorem etiam consanguineis, & ami-
cis debitum, non est propria ad significandum cul-
tum Deo debitum. Hæc notauit S.. Bonauent. *ad
cap.4. Ioannis*, vbi ait, Paulum *Rom.* 1. expressisse
adorationem, dum ait: *Cui seruio in spiritu meo.* Et
ad 4. Lucæ mox afferendum.

3 Græcis autem sunt quinque nomina, vt refert
D. Augustinus *loco cit.* nempe *Θεοσέβεια Theosebia*,
quæ peculiari ratione cultum Dei significat. Sumi-
tur etiam à D. August. *in Enchir. cap.* 2. pro generali
ratione colendi Deum. Ex ipso verò nomine Dei
componitur, vt notat Suarez *sect.* 2. *disp.* 51. Voca-
tur etiam ab eodem D. August. 10. *de ciuit. cap.* 1.
Pietas, quam sumit pro cultu Dei, vt aduertit
D. Bonau. *dist.* 9. *art.* 2. *quæst.* 1. *argum.* 3. *ad oppositum.*

4 Eadem tamen significatur Pietas in parentes
exhibitum officium. Præterea significat etiam mise-
ricordiam, vt habet idem S. Bonauent. *ad tertium*,
ex D. August. *lib.* 1. *&* 10. *de ciuitate*, *cap.* 1. Pietas,
quæ hæc tria significat, nempè cultum Dei, officium
in parentes, & misericordiam, dicitur etiam Græcè
Εὐσέβεια Eusebia, vt ait Magister *dist.* 9. forsan,
quia talia officia sunt apud Deum loco cultus pecu-
liaris, iuxta id *Osee* 6. & Matth. 9. *Misericordiam
volo, non sacrificium.* Tertium nomen Græcum est
Θρησκεία Threskia, quæ religionem cæremonias, &
cultum significat; at verò accipitur etiam in prauum
sensum pro superstitione. Quarta vox est *Dulia
Δουλεία*, quæ Dulia primo significatu exprimit serui-
tutem: Hanc vocem nullus ex antiquis PP. docet,
vsu Ecclesiastico esse applicitam ad significandum
cultum, Sanctis exhibitum. Sed D. Augustinus
locis citatis, & *lib.* 20. *contra Faustum*, *cap.* 21. & *pri-*
5 *mo de Trinitate*, *cap.* 6. Beda in illud Lucæ 4. *Do-
minum Deum tuum adorabis*, dixêre, significari hoc
nomine seruitutem, non modò quæ Sanctis, sed
etiam quæ Dominis sæcularibus exhibetur. Sic ad
Ephes. 6. vbi dicit: *Serui obedite Dominis*, est ver-
bum, *Duleuo*, ex vsu tamen Scholasticorum *in* 3.
dist. 9. vbi D. Bonau. *quæst.* 5. id exprimit: Hoc ta-
men frustrà carpit Martinus Ayala *opuscul. de tradit.
p.* 3. *consider.* 7. *cap.* 1. non enim significat solam
seruitutem mancipiorum, vt ipse vult, sed etiam
honorarium obsequium. Sic ad Galat. 5. dicitur:
Per charitatem seruite inuicem, vbi Græcum ver-
bum est, *duleuere*. Et quamvis simus destinati con-
cines sanctis, tamen in hac vita sumus eis longè
inferiores, & debemus eos colere. Sic & Christus
de Ioanne viatore, quem inter natos mulierum dixe-
rat maximum, subdit, minimo regnante in cœlis,
eum esse inferiorem.

6 Quintum nomen Græcum est *Λατρεία Latria*,
quod primo significatu exprimit seruitutem. Ex vsu
tamen Scholasticorum, imò & Patrum ad cultum
solius Dei accommodatur. Et quidem hic sensus ni-
titur Scriptura, in qua frequenter, & ferè semper
hoc sensu assumitur, vt aduertit D. August. 10. *de
ciuitate Dei*, *cap.* 1. & in nouo Testamento semper
sic adhibetur, vt adnotauit Athanasius, Episcopus
7 Theopoleos *epistola*, quæ refertur in septima Sy-
nodo *act.* 4. & Tharasius *epistola ad Constantinum,
& Irenem*, quæ habetur *act.* 4. *&* 7. & D. August.
quæst. 6. *in Genes.* qui adnotarunt *in Deuter. cap.* 6.
dixisse Moysen, cuius sententiam Christus as-
sumpsit, Matth. 4. & Lucæ 4. *Dominum Deum
tuum adorabis, & illi soli seruies.* Græcè haberi
λατρεύσεις Latreuseis, idest, illi soli Latriam præ-
stabis; & illi seruies. Dicit autem *illi soli*, quia
soli Deo debetur. Hæc eadem argutè obseruat, at-
que prosequitur S. Bonauentura *distinct.* 9. *quæst.* 1.

argum. 1. *cont.* & *ad* 4. *Lucæ*, ad illa verba, quem se-
quitur Vasquez *disp.* 93. *c.* 1. & Suarez *disp.* 51. *sect.* 2.

Patres verò Græci, & Latini asserunt, no- 8
men Latria in ea significatione sumi. Ita D. Au-
gustinus *locis adductis*, Isidor. *lib.* 8. *Ethymol. cap.
vltimo*. Beda in id *Lucæ* 4. & *homil.* 4. *Quadrage-
simali*, Ionas Aurelianensis *loco citato*, Germanus
Patriarcha Constantinopol. *epistola ad Thomam
Episcopum Claudiopoleos*, non longè à fine: habe-
tur in septima Synodo *act.* 4. Damascenus *oratione
prima, & tertia, de Imaginibus*, & passim septima
Synodus. Quare, vt ait S. Augustinus *quæst.* 61. *in
Genes.* & *primo de Trinitate*, *cap.* 7. & Beda *locis ci-
tatis*, idolatræ dicti sunt, qui Latriam, hoc est
cultum Deo debitum, idolis adhibent, atque adeò
cultus ille idolatria dicitur. Ita etiam D. Bonauent.
dist. 9. *quæst.* 2.

Quid verò sit adoratio, paucis aperiam. Defi- 9
nitur à D. Damasceno, oratione 3. cap. 4. *Animi ce-
dentis, demissi, & humilis significatio.* Clarius sic:
*Adoratio est reuerentia, & honor alicui exhibitus in
protestationem nostræ subiectionis, & excellentiæ illius.*
Vnde requiritur primò actus intellectus cognoscen-
tis excellentiam: Secundò in voluntate actus voli-
tionis se submittendi illi propter excellentiam. Ter-
tiò honoris exhibitio, vt notat Caspens. *disput.* 151.
sect. 1.

An verò consistat in solo actu interiori; an
verò debeat in actum exteriorem prodire, disserui
a. 2. *Tract. cit. disput.* 4. *quæst.* 1. *&* 2. definiens, in
actu exteriori consummari. Ità D. Bonau. *dist.* 9.
art. 2. *quæst.* 3. *in corpore*, *& ad argumenta*, quem
sequuntur plurimi relati à Vasquez *disp.* 93. *cap.* 4.

Quæri autem potest, quæ sit illa nota, quisve 10
gestus corporis, ad rationem adorationis sufficiens.
Hæc variè à Doctoribus assignatur.

Primò Laurentius Valla *lib.* 5. *elegant. cap.* 11.
vocem illam ab orando deriuat, vt id sit adorare, &
ad aliquem orare. Idem sentiunt alij Scholastici,
& videtur D. Bonauenturæ *in* 3. *dist.* 9. *art.* 1. *quæst.* 4.
in corpore, & *ad* 4. *Ioannis*, *collat.* 22. vbi refert
Papiam, & huius in sententia id asserit, vt patet
legenti. Ipse enim postea subdit, adorationem non 11
esse formaliter orationem, sed inclinationem, &
humiliationem, & refert Hugonis definitionem de
Sacram. fidei, lib. 1. parte 12. cap. 6. *Deum adorare,
est ei totam mentem per humilitatem ad deuotionem
substernere, & ipsum principium, & finem omnis
boni credere.* Sic Genes. 18. Abraham: *Loquar ad
Dominum, cùm sim puluis, & cinis*, vt dixi *Tract.
de Religione*, *disp.* 4. *quæst.* 2. Sic 3. *p. Centiloq. sect.* 44.
orationem ponit effectum Latriæ, seu adorationis;
& *in explicatione terminorum Theologia*, luce clarius
adorationem ab oratione distinguit. Quando igitur
ex Ethymone explicat *adorare*, ad alium orare non
significat orationem, vt nimis crassè putat Tannerus
disp. 5. *de Religione*, *quæst.* 2. *dub.* 1. *num.* 4. sed signifi-
cat ad aliquem humiliter supplicem conuerti, vt
ipse S. Doctor se explicat *in quæstione*.

Sanè omnes alij etiam Theologi cum D. Thom. 12
quæst. 83. *&* 84. *secunda secundæ*, orationem, & ado-
rationem distinguunt.

Hæc igitur exprimitur actibus reuerentiæ qui-
busdam, sicuti procidendo, & manibus osculando, vt
ait Iustus Lipsius *lib.* 2. *elect. cap.* 6. & hic mos (ait)
erat Romanis, & Orientalibus. Alludit Iob 31.
*Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem
clarè, & osculatus sum manum ore meo*, idest, si
Lunam adoraui; sic etiam refert D. Hieronymum
ad 3. *Reg.* 19. Omne os, quod non adorauit eum

osculans manum. Qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere, & sæpius in Hebræorum phrasi deosculatio est adoratio. Atque ego Latinis ipsis hinc censeo formatum adorandi verbum, quia manus ad ora admonebant. Ita Lipsius, qui affert etiam modum illum, in aulis frequentem, assumendi vestem, eamque ad os admouendi.

13 Frequens est etiam mos ille prouoluendi se ad adorati pedes. Sic *Genes.* 18. Abraham. *&* 19. Lot, Angelos adorauit, vt refert S. Doctor *in 3. distinct.* 9. *quæst.* 5. Similia habentur *Genes.* 24. 33. 43. *&* 48. *Numer.* 22. *Iosue* 5. *Ruth.* 2. 1. *Reg.* 24. 25. *&* 28. 2. *Reg.* 9. 14. *&* 24. 3. *Reg.* 1. 4. *Reg.* 4. 1. *Paralip.* 21. 2. *Paralip.* 7. *Iob* 1. *Psal.* 94. *Isaia* 46. 47 *&* 60. *Danielis* 3. *Matth.* 2. vt notat S. Doctor *serm.* 2. *Epiph. Ioan.* 9. cæcus est illuminatus, vt obseruat S. Doctor *in comment.* vbi notat etiam id Apoc. 4. *Procidebant seniores*, vbi iterum ex Papia obseruat, adorare, esse supplicem precari.

Hinc Barnabas Brissonius in suo Lexico naturam adorationis exprimit sic: *Adorare est procumbendo venerari.*

Enim verò non explicat adæquatè externum adorationis actum, nam sæpè sola capitis, aut ge-
14 nuum inflexione adoratio perficitur *Genes.* 24. 33. *&* 37. *Exodi* 12. 3. *Regum* 1. *&* 8. 4. *Reg.* 5. *&* 5. 2. *Paralip.* 29. *Esther* 3. 1. *Esdra* 9. *Dan.* 6. *Marci* 15. *Isaia* 45. *Philip.* 2. Refert autem S. Doctor *serm.* 2. *de decem præceptis*, Quod dum incantator simul cum Dæmone agerent, venit Sacerdos portans augustissimum Christi corpus, & dæmon inclinans se adorauit. Stupens autem Magus ait: Quidni? Tu adoras, & me adorare prohibes? respondit dæmon. Inuitus adoraui, nonne scriptum est: *In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum?* Quem adorationis modum refert etiam D.Thom. 2.2. *quæst.* 84. *art.* 2. *cit.* osculo, & genibus adorabatur, vt ait Plinius lib. 11. cap. 45. *Hominis genibus quædam religio inest, obseruatione gentium.* Hæc supplices atringunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant.

15 Inclinatio etiam capitis est signum adorationis, vt admonet S. Bonau. ad ea verba Lucæ. 20. *Amant salutationes in foro*, vbi salutationem inclinationem explicat, & adorationem, sicuti explicuit etiam Macarius in septima Synodo *epistola Synodali ad Imperatorem*, *act.* 7. vbi ait: *Certum est, salutationem hoc loco à Domino appellari adorationem: Pharisæi enim glorioso animo præditi, ab omnibus adorari studebant.* Tandem verbum Hebræum *Sahah*, quod Latinè vertitur *adoro*, indifferenter significat reuerentiam, & honorem, qui per exteriorem corporis motum, hoc est, inclinationem capitis, & pectoris, vel reiectionem capitis, vel procubitum in genua, aut in terram exhibetur cuicumque personæ excellentis dignitatis, aut potestatis, vel humanæ, vel Angelicæ, vel Diuinæ, vt notauit Pererius *tomo* 3. *in Genes. cap.* 23. *&* 25. & *cap.* 17. *num.* 7. Consentiunt omnes Theologi cum D. Bonau. 3. *dist.* 9. & *allegatis locis*, & D.Thom. *loco cit.* Hinc Anastasius Episcopus Theophos in septima Synodo *act.* 4. generatim ait, Adorationem esse honoris alicui cum submissione exhibiti, veluti emphasim.

16 Examinandum est etiam, quibus adhibenda sit adoratio. Certum est primò, per antonomasiam adorationem Deo deberi. Hoc sensu, Deuter. 6. & Matth. 4. dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, vt notant Valentia *quæst.* 3. *punct.* 1. Vasquez *lib.* 1. *de Adoratione*, *n.* 153. cum D.Bonau. *serm.* 2. *in decem præcepta*, ad ea verba Decal. *Non habebis Deos alienos coram me*, & hoc sensu locuti sunt sæpè etiam prophani Scriptores, Lampridius *in Alexandro*, Eutropius *lib.* 9. *de Diocletiano.* Dio *l. penult.* Aurel. Victor *p.* 2. *n.* 39. qui adorationem pro cultu Deo debito accipiunt.

Secundariò autem adoratio creaturis conceditur, non tamen Latria, sed Dulia, quæ itidem à D.Bonau. tripliciter sumitur 3. *dist.* 9. *art.* 2. *quæst.* 4. Vno modo, secundùm quandam analogiam. Alio modo secundùm antonomasiam: Tertio modo secundùm significationem propriam. Hoc itidem de voce adorationis dici potest. Secundùm propriam significationem dicere actum voluntatis, quo quis per aliquem corporis gestum exhibet notam submissionis alteri, ob eius excellentiam. Secundùm Analogiam significat quamlibet notam submissionis ergà alterum. Secundùm Antonomasiam significat solius Dei adorationem. 17

Remanet videndum, quæ sit excellentia illa, ob quam adoratio propriè defertur.

Respondetur cum D. Bonau. *dist.* 9. passim, eam esse excellentiam intellectualis substantiæ: ex quo apparebit, irrationalia non esse terminum adorationis. Excellentia porrò intellectualis substantiæ alia est Infinita Increata Dei, & huic debetur summa submissio interna; creaturis verò, limitatis bonis, inferior reuerentia debetur interna, & externa. Ita Deo genuflexio, summa demissio, & prostratio debetur; minor verò creaturis, siue Hominibus, siue Angelis. 18

Ex his etiam habes, à quo deferenda sit adoratio, nempè à creaturis intellectualibus tantùm. Quatuor autem exigit adoratio. Primò iudicium speculatiuum de alterius excellentia. Secundò iudicium practicum dictans, ei excellentiæ reuerentiam exhibendam. Tertiò actus voluntatis huic iudicio consentientis, ac simul actum aliquem eligentis, quo talis protestatio submissionis fiat, qui actus in adoratione præcipuus est. Quartò est actus externus, qui est nota submissionis, vt notat Bellarminus *lib.* 1. *de Sanctis*, *cap.* 12. Tanner. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 2. *dub.* 1. *n.* 29. 19

Hinc habes, etiam adorationem non satis rectè diuidi in internam, & externam, non enim externa est completa adoratio, vt putarunt aliqui apud Vasquez *de ador. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 190. dicentes, adorationem pro obiecto habere etiam cultum interiorem, qui fide, spe, & charitate Deo exhibetur. Quod si D.Bonau. alicubi eam sic accipit, loquitur initiatiuè, nam apud eum adoratio completur aliquo externo gestu, vt obseruauit Tanner. *num.* 30. sic enim clarè loquitur *in* 3. *dist.* 9. *art.* 2. *q.* 3. & alibi, quem sequitur ipse Tannerus cum Vasquez *cap.* 4. 20

Potest sanè diuidi in absolutam, quæ alicui defertur ob aliquam eius excellentiam absolutam; & in relatiuam, quæ defertur in ordine ad aliud, vt de Imaginibus dicam.

Diuiditur verò in Latriam, quæ est soli Deo debita, in Duliam, quæ creaturæ intellectuali, & Hiperduliam, quæ alicui excellenti vicinori Deo defertur, vt dicam infrà, & hæc distinctio est à priori ex obiecto, vt notat D.Thomas 2.2. *quæst.* 25. *art.* 1. 21
& *quæst.* 85. *art.* 4. & *quæst.* 103. & communiter.

Quæstio

QVÆSTIO II.

Quomodo CHRISTVS *adorandus, vt Deus est.*

22 NVSQVAM visum esse controuerti, Deum adorandum, supponit *hac distinctione* Seraphicus, quod tamen alibi probatur: Sic probauit *ad* 4. *Lucæ, loco allegato*, superiori quæstione: *Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Deuter. 6. Iure quidem, ac meritò maxima submissio est Deo Opt. Max. exhibenda, qualis nulli creaturæ est exhibenda, & hæc est Latria, de qua Patres septimæ Synodi, & Augustinus intelligunt id Deuter. Ex quo etiam patet, hanc adorationem Filio Dei exhibendam, cùm sit Deus.

23 QVÆSTIO verò est: an vt Deus cum Patre, & Spiritu sancto vna adoratione sit colendus, vel an, ratione plurium attributorum, & personarum, vel beneficiorum, sit pluribus Latriis honorandus.

Antonius Corduba *lib.* 1. *quæst.* 5. *dub.* 2. videtur asserere, ob diuersa beneficia diuersum quodque modum adorationis intra eandem tamen speciem Deo deberi: Refert etiam Scotum differentem de hoc *dist.* 9. *quæst. vnica*, vbi quo ad essentiam & attributa, atque personas est problematicus; quoad beneficia verò non determinat, vt notat Fauentinus *disp.* 22. *à num.* 11.

COMMVNIS verò Theologorum opinio est, vnicam Deo Latriam deberi ob quamcunque rationem: Ita Alensis 3. *part. quæst.* 30. *in* 1. *art.* 4. §. 2. & 3. Gabriel. *super canon. lect.* 49. *littera. M.* D. Bonauentura *dist.* 9. *dub.* 2. *litt.* quos sequuntur omes alij.

24 ASSERO primò cum hac sententia, Deum vna adoratione colendum.

PROBATVR à S. Bonauentura ratione, qua nituntur Vasquez *num.* 5. & 7. Faber *num.* 1 a. Caspens. *num.* 15. qui eam Vasquio adscribit, Suarez, *disp.* 51. *sect.* 3. & alij, eam verò adhibet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 3. & Ales. §. *illo secundo*, & §. 3. sumitur autem ex natura adorationis, prout fertur in obiectum: Adoratio enim est nota submissionis, quæ respicit superioris in dignitate excellentiam, & maiestatem, ipsa ergo excellentia, & Maiestas est, in quam fertur Adoratio, nec aliam rationem respicit in re, quam adoramus: Latriæ ergo adoratio fertur in Dei excellentiam, quæ cùm vna sit, sine in se, quia est vna infinita perfectio Diuinæ essentiæ, & attributorum, atque personarum; atque est vnum primum principium omnium beneficiorum, ac rerum omnium, ad quod constituendum attributa concurrunt, potentia, sapientia, bonitas, intellectus, voluntas, &c. Ergo, &c.

25 Ex his etiam deduco, varios actus exhibitos in honorem huius excellentiæ esse eiusdem rationis sub hoc respectu Latriæ, vt notat etiam Suarez *disput.* 51. *sect.* 3.

HIC autem cultus soli Deo debitus, consistit in actu interiori, vt solus adoretur, vt Deus; quoad exteriorem verò oportet, vt exprimant eum summum, v. g. nominando illum Deum Primum Principium, offerendo ei sacrificium, quod ex vsu antiquo est honor Deo soli debitus; vt colligitur *ex cap.* 14. *Act.* vbi Laodiceni credentes, Paulum, & Barnabam esse Deos, voluerunt eis offerre sacrificia, vt notat S. Doctor *dist.* 9. *dub.* 1 *litt.* & *q.* 1. *ad* 3.

ASSERO, Christum hunc in diuina, & humana natura subsistentem, adorandum Latria: Est absque controuersia, vt monet Lugo *disp.* 34. 26

PROBATVR primò à Seraphico Doctore *in* 3. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *ad* 5. ratione, quæ est fidei fundamentum. Adoratio enim Latriæ tendit in Deum: sed Christus est Deus, nempè secunda persona Diuina, vt dicitur Ioan. 1. *VERBVM CARO FACTVM EST.* Ideò hæc veritas definita est in Concilio Ephes. *can.* 6. & in epistola Concilij Alexandrini ibi recepta, & in quinta Synodo *collat.* 8. *can.* 9. & in septima Synodo *act.* 6. *tom.* 5. Quare Concilium Ephesinum *anathemate* 8. eodem Seraphici fundamento definit: *Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari oportere Dei Verbo, quasi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificat Emmanuelem, secundum quod est factum caro Verbum, anathema sit.*

PROBATVR deinde multis Scripturis à D. Bonauentura. 27

PRIMA est Ioan. 5. *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Vbi S. Doctor ex D. Augustino tract. 29. in Ioan. ait: *Eum honorificari sic exhibendo & honorem æqualem Patri, quia æqualis est ille.*

SECVNDA *Ioan.* 9. vbi Christus dixit cæco illi Celidonio iam illuminato: *Credis in Filium Dei? Respondit ille: Quis est, Domine: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est: Ille procidens adorauit eum.* Vbi S. Bonauentura luta facie cordis scilicet in Siloè, & mundata conscientia agnoscens illum, non Filium hominis tantùm, sed & Filium Dei, qui carnem susceperat, adorauit: Ità S. Doctor ex D. Augustino *tract.* 44 *in Ioan.*

TERTIA est *Ioan.* 20. Confessio Thomæ: *Dominus meus, & Deus meus*, vbi allegat Chrysostomum ibi exponentem, & D. Augustin. *tract.* 121. Gregor. *homil.* 26. *in Euang.* Ipsum vide. 28

QVARTA est Hebr. 1. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*, quæ S. Doctor in *Medit. vitæ Christi*, *cap.* 7. id probat, & *cap.* 9. affert adorationem Magorum.

Ex his deduco cum D. Bonauentura *loco citato*, & *in corpore*, etiam Christum hominem hunc adorandum Latria, continet enim suppositum Diuinum, & hoc definitum est in CC. citatis contra Nestorium, qui duas personas faciebat, & quidem humanam coadorandam: Concilia verò negant, illam personam coadorandam, sed illam esse, quæ est adoranda, cùm sit vnica Diuina substantialiter. 29

QVÆSTIO III.

An Sanctissima CHRISTI *Humanitas in Verbo adoranda sit Latria.*

D. Bonau. dist. 9 q. 1.
D. Thom. q. 25. art. 2.

OPORTET prælibare ex D. Bonauentura *in corpore*, quem imitatur Marsilius *in* 3. *quæst.* 8. *art.* 2. Vasquez *disput.* 95. *cap.* 1. hanc quæstionem non esse: an per communicationem idiomatum adoranda sit humanitas Latriâ; non enim de naturis in abstracto fit communicatio idiomatum, neque in hoc sensu locuti sunt PP. & CC. vt putaut Mo- 30

dernorum nonnulli, atque infrà ostendam : Est igitur quæstio : an humanitas in Verbo sit adoranda Latriâ.

OMITTO errorem Vviclephi, quem refert Vvaldensis *tom.1. doctrinalis fidei, art.3. cap.99.* dicentis, Christi humanitatem, etiam dimissam, adorandam fore Latriâ.

FVIT Lambertus Daneres Calvinista, negans humanitati Christi, vnitæ Verbo, adorationem Latriæ, quia scilicet creatura est.

31 INTER Catholicos verò opinio est, humanitatem Christi adorandam Latria latiori : Ita Alensis *3.part. quæst.30. art. 2.* & citat Rabanum : Idem Alens. *4. part. quæst.2. memb. 3. art.1. ad vltimum,* adorationem debitam humanitati appellat Hyperduliam : Cum eo sunt Gabriel. *3.dist.9.quæst.1.art.2. concl.3. & 4.* & *in can. lect.50.* Corduba *lib.1.q.5. dub.3.* Paludanus *in 3.dist.9. quæst.1. art.3.* eam refert S. Bonauentura *in corpore.* Citantur à Mastrio, alij antiquiores, sed immeritò.

32 VERA sententia est, humanitatem pretiosissimam Domini Iesu adorandam esse Latriâ : Ita D. Bonau. & D.Thom. *loco citato*, vbi Thomistæ, Henricus *quodl.10. quæst.6.* Magister *in 3.dist.9.* vbi Albertus *art.9.* Richard.*art.2. quæst.1.* Scotus *quæst.1. §. De tertio articulo,* Durandus *quæst. 2.num.7.* Argentina *art.1.* Capreolus *quæst.1. art.1. concl.1.* Almain.*q.1.* qui sententiam Alensis, & Gabrielis in bonam frugem reuocat, Maior *quæst. 1. concl. 4.* Marsil. *in. 3. quæst. 8. artic. 2.concl. 1. & 2.* Thomas Vvaldensis *tom.3.cap.119.* Suarez *disput. 53. sect.2.* Valentia *quæst.24. punct.1.* Vasquez *disp. 95. cap. 2.* Fauentinus *in 3. disputat. 22. cap.3.* Morandus *quæst. 54.* Caspens. *disp.15. sect.3.* Tanner. *disput. 7. quæst.7.* Matthæus Ferchius *in 3. dist. 9. in quæstione,* Mastr. *disput. 2. quæst. 9.* allegans Scholas Thomistarum, Scotistarum, & Neutralium, Tanner. *2. 2. disp. 5. quæst.2. dub.1.*

33 ASSARO cum hac sententia, Christi Sanctissimam humanitatem esse cultu Latriæ adorandam.

HANC dicit, & probat S. Doctor esse Patrum sententiam : Eos refert Mærac. *disput.53. sect. 2.* Primò quidem Concilium Alexandrinum *epistola ad Nestorium,* quæ approbata est in Concilio Ephesino, estque decima inter epistolas Cyrilli, reprehendit asserentes : *Propter eum, qui hominem induit, veneror eum, qui indutus est*, & subdit : *Sed vnus intelligitur Christus Iesus Filius vnigenitus, qui vna adoratione cum carne propria adoratur.* Id, quod in octauo anathematismo definitur, quem explicans Cyrillus *in Apologetico*, & *in libro declarationum,* ait : *Vtpote vnus existens filius, idest Verbum Diuinum, non absque sua carne, sed illa potius adorandus est.* Idipsum clarius dicit circa finem : Idem definitur in quinta Synodo Constantinop. *coll. 8. cap.9.* in Concil. Trident. *sess.13. cap.5. & can.6.* vbi decernitur, Sacramentum Eucharistiæ Latria adorandum esse ob præsentiam Diuinitatis.

34 HOC fundamentum iacit D. Bonauentura *in corpore*; nam diuersus est modus proprietatum, & honoris, Christo exhibiti; nam proprietates, cum sequantur naturam, manent distinctæ, sicuti distinctæ manent in Christo naturæ : honor verò non respicit hanc partem, vel illam, sed respicit ipsam personam. Vnde quamvis purpura non habet proprietates Regis absolutè, communicat tamen in honore, & reuerentia, vt ait D.Augustinus *serm.58. de verbis Domini*, & Magister *in littera.* Vnde quia vna est persona Christi sustentans vtramque naturam, vna adoratione Latriæ est adoranda, sicut in vno homine adoratur caput, & manus, ac pedes.

35 Ex quo habes, alio modo humanitatem requirere adorationem Latriæ : alio modo ipsum Verbum; nam Verbum exigit Latriam per se, humanitas autem ratione Verbi, vt docet Damascenus *lib.4. de fide, cap.3.*

PROBATVR deinde ex PP. D. Athanasius *oratione 5. contra Arrianos.* & *lib. de Incarnatione Verbi,* post primum folium de Christi corpore ait, illud adoratione diuina coli.

36 EPIPHANIVS *in Ancorato,* post septem folia ait: *Adoras Saluatorem incorporatum, aut non adoras? Quomodo verò non adorauero? Si enim non adorauero, non habebo vitam : Ecce igitur creaturam adoras ipsum corpus. Ingens autem vesania est eorum, qui talia dicunt : Nam Rex purpura indutus ab omnibus adoratur : Nunquid ergo purpura adoratur, aut Rex? Manifestum est quod Rex; coadoratur autem cum ipso etiam purpura, quam gestat; vbi autem Rex hanc exuit, & in locum reposuit, non amplius vestis purpura adoratur.* Hæc ferè recitat S. Bonauentura *in corpore*, etiam ex D.Augustino *serm.58. de Verbis Domini.*

SANTENTIAM Epiphanij mutuatis ferè verbis desumpsit Damascenus *lib.3. de fide, cap. 8.* quem refert S.Doctor fundamento primo : *Christus* (ait) *est perfectus Deus, & perfectus homo, quem adoramus vna adoratione cum Patre, & Spiritu sancto, & incontaminata carne eius,* & lib. 4. cap.3. *Et oratione 1. de Imaginibus,* idem docet.

37 AFFERT autem aliud appositissimum exemplum ferri igniti, quod (inquit) timeo tangere propter ignem coniunctum, atque simul fugio ferrum, & ignem : Ferro comparat ipse humanitatem; igni verò Deitatem : Hoc affert S Doctor *fundamento tertio.*

OPPORTVNE autem D. Bonauentura cum Damasceno vtitur verbo timoris in adoratione Latriæ explicanda; nam Latria componitur ex λà quæ in compositione significat vehementiam, & verbo τρέω *Treuo*, quod tremo, aut metuo significat, vt notant aliqui apud Vasquez *disp.93. num.5.*

IDIPSVM docet Cyrillus in Scholiis de Incarnatione *cap. 49. & lib. 1. ad Reginas*, paululum à principio, vbi ex Athanasio *libro de Incarnatione*, refert hæc verba, quæ modò non reperiuntur : *Confirmatur, etiam ipsum* (nempè Christum) *esse Filium Dei, & Deum secundùm Spiritum, & Filium hominis secundùm carnem, non duas naturas vnum Filium; vnam, qua adoratur, & vnam, qua non adoratur, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorabilem cum carne sua, vnâ adoratione.*

38 Ex PP. Latinis, D.Augustinus in id Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius*, & ibidem Cassiodorus, qui per scabellum intelligentes Christi humanitatem, dicunt, propter vnionem, quam habet cum Verbo ipso, & deitate simul eadem adoratione esse venerandum : Eum refert S. Bonauent. *in 2. fundam.* Idem habetur in D. Ambros. *lib.3. de Spiritu sancto, cap.12.*

RESPONDET Gabriel, ideò Damascenum, & alios dixisse, vna adoratione humanitatem cum Verbo colendam, non quod ipsa quoque adoretur, & cum eo sit terminus adorationis, sed quia vna, & eadem persona, subsistens in natura humana, & Diuina, adoratur vnâ adoratione.

39 CONTRA; nam PP. clarè asserunt, non tantùm personam in duabus naturis, sed naturam, carnemque simul cum Verbo adorari : Addunt etiam, adorari

tari sicut purpuram, & thronum Regis, quæ coniuncta Regi adorantur: separata verò, non amplius coluntur: Ex quo etiam patet, non loqui Patres de adoratione per communicationem idiomatum; nam purpura hoc modo non adoratur in Rege, eò quòd Rex adoretur, sed adoratur tanquam aliquid illius.

Recentiores aliqui dicunt, hoc non esse definitum à CC. & PP. quia solùm contendebant contra Nestorium, non esse diuidendum Christum in duas personas, non autem non esse adorandam in ipso vtramque naturam eâdem adoratione.

40 Falli eos tamen, ait Vasquez *num.* 11. quia Nestorius duo dicebat, nempè in Christo esse duas personas: Secundò duas adorationes ei exhibendas: Ideò in Concilio Ephes. *anathemat.* 8. illius epistolæ decimæ Cyrilli damnatur; qui dixerit (scilicet cum Nestorio) vnum cum alio adorari, & qui non vna adoratione adorat Verbum cum carne sua: Itaque Concilia definiunt & vnitatem personæ in Christo, & vnitatem adorationis.

41 Hic obserua in PP. & Conciliis allegatis, non admittere in Christo ratione personæ coadorari, ne cum Nestorio appareant duæ personæ: Altera diuina adorata: altera Humana coadorata; at verò in humanitate admitti humanitatem coadorari cum Verbo, quia adoratur, vt cum Verbo est coniuncta: Ita etiam D. Bonauentura *distinct.* 9. *quæst.* 1. *ad* 5. quem sequitur Mastrius *num.* 213. Tannet. 2. 2. *d.* 5. *quæst.* 2. *dub.* 2. Suarez *disput.* 55. *sect.* 2. aduertentes, hunc modum non damnari in Concilio Ephes. *cap.* 8. vt malè putat Faber *disput.* 22. *cap.* 3. solùm enim damnat in sensu Nestorij, volentis, coadorandam aliâ adoratione, vt personam distinctam à Verbo, & solùm per gratiam vnitam, ait enim: *Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari oportere Dei Verbo, quasi alterum alteri, & non potius vnâ adoratione honorificat Emmanuelem, secundùm quod caro factum; anathema sit.* Imò in nostro sensu idem tenet Epiphanius *in Anchorato*, circa medium, & communiter TT. vt ait Mastrius *num.* 214.

42 Tandem Scripturæ allatæ *quæstione præcedenti*, hoc probant, nempè humanitatem adorari Latriâ; nam Cæcus, Magi, & alij adorarunt etiam hominem illum, carnem illam, illamque animam, vt Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 5. indicauit, tametsi apertè de persona loqui videatur: Licèt autem primaria intentione adoratio tenderet in personam, tamen consequenter tendebat in humanitatem; ordine verò executionis circa ipsam humanitatem proximè versabatur adoratio, sicut fertur in purpuram Regis.

43 Hinc S. Bonauentura *in corpore*, elicit rationem: Adoratio est exhibitio reuerentiæ erga personam ob aliquam excellentiam; ita tamen, vt partes eius eâdem veneratione colantur, non per accidens: Sic adoramus Pontificem deosculando pedem, & calceum, quo actu coadoramus cum persona Papæ primò pedem, imò & secundò calceum, sic igitur qui adorat Christum, vt Deum hominem, eadem ratione adorat humanitatem eius.

Incautè tamen, vt monet Suarez, locutus est Durandus dicens, adorandam humanitatem per accidens, sicut censuit, per accidens vnitam Verbo, est enim adoranda per se, vt substantialiter vnita, & altiùs, quam purpura Regis accidentaliter coniuncta.

44 At Vasquez *num.* 14. licèt cum omnibus Theologis reprehendat modum dicendi Durandi quoad vnionem, quæ substantialis est, tamen dicit, non ob id eum asserere humanitatem per accidens adorandam Latriâ; nam idem sentit de partibus substantialibus, vt pede, &c. Neque enim ea sola mouentur per accidens motu alterius, quæ illi sunt vnita accidentaliter, vt Musica ad motum Petri, sed etiam partes substantiales Petri, vt manus, &c. vt habet Aristot. 5. *Phys. cap.* 1.

Quamuis autem hæc admitterentur, tamen cautius loquendum, & potius dic adorari humanitatem ex consequenti, vt loquitur S. Doctor *ad* 5. Richard. *ad* 1. Argentina suprà.

Neque verò admitto comparationem illam Vasquez; nam pes, & manus mouentur per accidens tantum denominatiuè, non autem formaliter; nam is, qui currit, dicitur persona Petri, attamen etiam pes mouetur, non per accidens: Esto autem; attamen non benè applicatur humanitati, vt putat etiam Vasquez; nam humanitas adoratur sub ea ratione, sub qua habet ordinem ad Verbum; hunc autem ordinem dicit substantialem, & per se: Quin etiam, cùm adoratio tendat primò in personam, quæ est insignita excellentiis; persona autem totum continet, vt obiectum illius reuerentiæ, & hoc per se, sic in Christo adoranda; nam ideò dicitur à PP. humanitas coadorari cum Verbo, tanquam sanè pars, non quidem integralis, sed constitutiua essentialis Christi, qui intrinsecè dicit duas naturas in vna persona, vt docet S. Doctor, & tandem fateri cogetur Vasquez inuitus *cap.* 3. 45

Hoc autem argumento, quod est vltimum Seraphici fundamentum, vrgeo: Non minus intimè vnitur Verbum carni Christi, quàm ipsa anima vniatur eidem carni Christi: sed ea vnione animæ cum carne adoratur caro, animæ vnita eâdem adoratione, qua adoratur & anima, & hoc non adoratione per accidens: Ergo eodem modo & adoratur caro vnita Verbo. 46

Hoc argumentum est D. Cyrilli *in defensione* 8. *anathematis*, circa medium, vbi ait: *Dei Verbum ita adorari cum carne sua, sicut animam hominis cum corpore suo*, & subdit: *Vna autem appellatione, quod ex vtrisque constat, appellatur animal.* Ac si diceret: Illud vnum animal rationale est totum, quod adoratur; corpus verò illius adoratur, vt pars illius simul cum eo, vt notat etiam Vasquez *num.* 14.

Respondet Vasquez *num.* 17. rectè quidem adorari per se, non modò totum, sed illam partem, cui primò conuenit excellentia, quæ est ratio adorationis exhibendæ, & ita Deitas est per se adorabilis in Christo; sicut anima in corpore in adoratione totius; at verò in Christo ratio huius adorationis est ab excellentia Deitatis, non autem humanitatis, ideò non est par. 47

Enim verò D. Cyrillus ponit comparationem animæ, & corporis cum Verbo, Deitate, & Humanitate, & dicit, eodem modo simul coadorari vnum, sicut & alterum ratione vnionis, quæ arctissima est etiam in Christo cum carne, licèt sit alterius rationis ab vnione animæ cum corpore: Ideò enim dicitur, Ioan. 1. *VERBVM CARO FACTVM EST*, vt docet D. Bonau. *ad eum locum.* Et in symbolo Athanasij dicitur: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo, vnus est Christus.*

Quod autem Verbum habeat eam excellentiam, non obest; nam ex vnione communicatur Humanitati, non enim necessarium est, vt formaliter sit in humanitate: honor enim non habet obiectum Physicum nudum, sed morale: Sicut igitur meritum 48

humani

humanitatis ex vnione ad Verbum est infinitum, & eius operationes dicuntur per se infiniti valoris; ita & infinitum honorem ex eadem vnione per se exiget. Comparatio autem est bona in via Vasquez, qui ex anima, & motu arguit idem in casu nostro, vt vidimus. Quamvis hæc similitudo sit manca, nam possemus sic arguere ad hominem contra illud: Ita se habent partes ad totum in motu, sicut in adoratione, ex Vasquez *num.* 13. Sed omnes, & singulæ partes in motu mouentur per accidens ad motum totius, ex Aristot. 5. *Physic. cap.* 1. Ergo & in adoratione omnes partes ita se habent; Ergo in adoratione hominis adorabitur per accidens etiam anima; sicut per accidens mouetur ad motum totius.

49 OBIICIES primò, Lucæ 4. ex Deuter. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*: Ergo cùm humanitas non sit Deus, non est adoranda Latriâ. Hic est aduersariorum Achilles.

RESPONDET D. Bonauentura, non excludi humanitatem Christi, quæ est pars Christi Dei hominis; sicuti cùm dicitur, solus Petrus est in hoc cubiculo, non excluditur eius manus, vel brachium; sic cùm dicitur, solus Deus est adorandus Latriâ, non excluditur Humanitas, quia humana natura, & Diuina in vnam concurrunt personam. Vnde hæc adoratio non ponit adorationem discretam ab illa, vt dicunt CC. & PP. Hoc sanè id solùm efficit, vt docet S. Doctor *in corpore*, & post eum Vasquez *num.* 21. vt ea adoratio ex affectu Latriæ profecta non feratur primò in humanitatem, sed in Deitatem, & in personam Verbi. Nihil tamen obest, quin consequenter in eam tendat, tanquam in partem Christi.

50 OBIICIES secundò D. August. *lib.* 10. *de ciuit. cap.* 20. vbi loquitur de Christo: *Cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & vnus est Deus, tamen in forma serui maluit sacrificium esse, quàm sumere.* Et ibidem: *Quis sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum, aut sciuit, aut putauit, aut finxit?* at humanitas non est Deus: Ergo illi non est sacrificandum.

RESPONDET S. Doctor, hinc argui, non esse sacrificandum humanitati per se, sed prout est vnita Verbo, quia toti Christo sacrificandum est. Vbi particula *per se* non negat id, quod suprà diximus, nempè adorandam per se, idest non per accidens, nam hic sumitur per se humanitas, prout esset diuisa à Verbo, non prout *per se* distinguitur à *per accidens*.

51 AD id, quod dicitur, Christum maluisse fieri sacrificium, quàm recipere.

RESPONDET, id quidem maluisse Christum, ne hinc erroris ansam arriperent exhibendo sacrificium etiam aliis creaturis, dum viderent exhiberi illi homini, quem ignorabant Deitati vnitum. Cæterum humanitas ipsa merebatur sanè Latriam, & sacrificia. Hoc quidem negat Vasquez *disp.* 96. *cap.* 8. Suarez verò *disput.* 53. *sect.* 2. melius ait, offerri quidem sacrificium Deo, sed in humanitatem redundare, vt vnitam. Quod verò ait Mastrius *num.* 219. posse offerri humanitati sacrificium latè, vt incensum; non strictum, vt Missam; Iudicio legentis remitto, mihi sanè non probatur; nam dum humanitas vnà cum Verbo sumitur, debetur ratione eius sacrificium proprium.

52 OBIICIES tertiò Glossam quandam ad id Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius. Caro Christi non est adoranda illa adoratione Latria, quæ soli Deo debetur, sed Duliâ illâ, quæ dignior est.*

FATEOR, me hanc Glossam non inuenire. Imò Interlinearis, & ordinaria pro nobis sunt, ideò Recentioris alicuius putatur, nec multum æstimanda est, vt ait Vasquez *num.* 22.

RESPONDET tamen S. Bonauent. eam Glossam asserere, nudam humanitatem non esse sic adorandam, & hoc esse, quod dicit D. August. serm. 58. citato: *Si hominem separaueris à Deo, illi nunquam credo, nec seruio*, hoc autem non obstat, quin vt vnita adoranda sit Latriâ. Vnde Damascenus lib. 4. fidei, cap. 3. ait: *Non nudam carnem adoramus, sed vt vnitam Deitati, in vnam hypostasim Dei Verbi.*

OBIICIES quartò. Humanitas, licèt vnita, non exit terminos creaturæ: Ergo nec reuerentia ei debita debet erumpere è finibus eius, quæ creaturæ exhibetur. 53

RESPONDET S. Doctor, humanitatem non exire vltra terminos creaturæ ratione sui, sed quia vnitur hypostasi Verbi, cui debetur vnicus honor in quacumque sit natura, ideò Latria est ei exhibenda, vt associatiuè. Ita respondent etiam Scotus *loco cit.* & Mastrius.

OBIICIES quintò. Minori minor est reuerentia exhibenda; sed Humanitas est minor Deo: Ergo. 54

RESPONDETUR, Maiorem esse veram, dum ij, quibus exhibetur reuerentia, sunt diuersæ personæ distantes dignitate, tunc enim sunt diuersorum honorum susceptibiles; iam verò *hic* est vna persona in duabus naturis, ideò vnicus ei honor debetur in quacumque natura sit; sicut honor Regi debetur in quocumque sit indumento. Honor enim naturam respicit digniorem, & per consequens illud, quod est sibi adnexum: Sic caro viri sancti honorari debet secundùm dignitatem animæ, non secundùm ignobilitatem propriæ naturæ.

OBIICIES sextò. Nullius est adorari Latriâ, cuius est adorare alium: sed Humanitas adorat Deum: Ergo. Maior probatur, quia Latria dicit seruitutem Domino supremo. 55

RESPONDET D. Bonauentura, Christum non esse mancipium: vide *disp.* 22. *quæst.* 4. Deinde, licèt ipsa adoraret, tamen, vt vnita Verbo, exigit ratione dignitatis vnionis illam Latriam.

OBIICIES vltimò. Humanitas dicenda non est æterna ex eo, quod est vnita Deitati: Ergo nec adoranda Latriâ ex vnione.

RESPONDET S. Bonauentura *in corpore*, diuersam esse rationem, nam prædicatio abstracta dicit formaliter esse naturæ talis; at adoratio est honor moralis, qui datur vni propter aliud. 56

QVÆSTIO IV.

An Humanitati CHRISTI *solitaria cultus adorationis sit exhibendus.*

D. Bonau. loco cit.

THEOLOGI adeò calamos ad lineolas acuerunt, vt crinem, etiam filo graciliorem, diuidant. Quamvis igitur Humanitas Christi Latriæ cultu sit excolenda in Verbo, nec ab eo sit separabilis; tamen Metaphysicè eam abstrahentes, considerant, & disputant: an aliquo adorationis cultu sit decoranda præcisè. 57

PRIMA

PRIMA opinio asserit, posse cultu inferiori ipsâ Latriâ sic coli: Ità Scotus *in 3. distinct. 9. quæst. 1. §. Præstat vna, & §. sequenti*, Durandus *quæst. 3. num. 7*, Paludanus *quæst. 2.* Almainus *quæst. prima concl. 4.* Henricus *quodl. 10. quæst. 6.* Picus Mirandul. *in Apologia, quæst. 3.* Canisius *lib. 5. de B. Virgine, cap. 15. §. Verum ad hyperduliam*, Corduba *lib. 1. quæst. 5. dub. 3. p. 4.* Gabriel. *locis adductis* initio quæstionis superioris, quos sequitur Suarez *disp. 53. sect. 3.* adducens D.Thom. *quæst. 25. artic. 2. ad 3.* Fauentinus *dispu. 22, cap. 4.* Mastrius *disp. 2. num. 2.* adducens Tannerum 2.2. *disp. 5. quæst. 2.* Mæracium *disput. 52. sect. 3.* Morandum *quæst. 54.* Amicum, Arriagam, Auersam, Granadum, D.Thom. *loco cit.* S.Doctor *dist. 9. quæst. 1.* Scotum *ibi, quæst. vnica*, eiusque expositores veteres, & modernos: Subscribit Fuliens. *cap. 20. resol. 3.*

58 HI tamen variè explicant sententiam istam: Caietanus, Corduba, & Canisius dicunt, Ecclesiam quidem meritò abstinere ab hoc modo adorationis externo, ne detur occasio Nestorianis diuidendi Christum; nil tamen obesse, quin interiori affectu eam oremus, inuocemus, adoremus, & hoc ferè ait etiam Tannerus *dub. 2. num. 15.*

ALII verò penitus asserunt, posse humanitatem Christi, peculiari adoratione excludente Verbum, coli: Ità Paludanus, Henricus, & Almainus.

ALII verò dicunt, Humanitatem Christi speciali cultu posse honorari, si consideretur solùm sanctificatâ gratiâ habituali, & aliis donis creatis, non tamen vnione: Ità Scotus, Durandus, Marsilius, & Gabriel. Hi tamen modi in re idem sentiunt, & vix primus modus aliqualiter recedit, vt patet.

59 SECVNDA sententia negat, adorationem Humanitati præcisè exhibendam: D.Bonau. *dist. init. 9. quæst. 1. in corpore*, vbi docet Humanitati Christi secundùm se cum donis aliis gratiæ consideratæ debere Duliæ tantùm adorationem; si tamen esset reipsa separata à Verbo: at quia coniuncta semper est; sic eam esse perpetuò apprehendendam, & simul cum Verbo Latria adorandam: Sequuntur Vvaldensis *tom. 3. cap. 119.* prope finem, Catherinus *opusculo de adoratione Imaginum, col. 4.* Claudius Sainctes *de rebus Eucharistiæ, repet. 9. cap. 3.* multò antemedium, Clictoveus *lib. 2. de Eucharistia, cap. 10. n. 5. & 6.* Vasquez *disp. 96. cap. 4.* qui addit, sibi fauere etiam Maiorem *eadem dist. 9. quæst. 1. ad 4. cont. 4.* Richard. *art. 2. quæst. 1. ad 2.* Albert. *eadem dist. 9.* sequuntur Valentia, Ragusa, Lugo, Pasqualigo, *disp. 102.* Orlandus, Caspens. & alij.

HI omnes, præcipuè S.Bonauentura, non dicunt tantùm, frequentius humanitatem Christi adorari solâ Latriâ cum Verbo, vt aliqui moderni opponunt; sed asserunt omnino, solâ Latriâ adorandam, quia vnita: Et concludit S.Doctor in hoc totam quæstionem resolutam esse.

60 ASSERO cum hac sententia, nunquam Christi Humanitatem esse solitariè adorandam, sed semper cum Verbo cultu latriæ.

VASQVEZ enititur, vt ostendat id à Conciliis & Patribus assertum esse.

Hoc sanè videtur asseri In Concilio V. Constantinopol. *collat. 8. can. 9.* vbi definitur: *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducit separatim Deo Verbo, & separatim homini, sed non vna adoratione Deum Verbum incarnatum cum sua carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesia traditum est, talis anathema sit.*

HVIC respondent aduersarij, Concilium agere contra Nestorium, qui duas personas inducebat adorandas, & negabat, posse vna adoratione coli, sed alteram, nempe Diuinam, Latriâ: Alteram, nempe humanam, Duliâ colendam. 61

HOC tamen effugium refellitur à Vasquez; nam Concilium damnat adorationes duas, duabus exhibitas naturis, & ideò cum damnat geminam adorationem separatam, Deo scilicet Verbo, & separatim homini exhibendam, intelligit pro homine naturam supra relatam: Multa alia vide in Vasquez, quæ non admodum efficaciter probant hanc nostram assertionem, sed solum contra Nestorium, vt patet, & monent Doctores allati *quæst. præcedenti.*

PROBATVR secundò à D. Bonauentura *quæst. hac, ad 3.* ex D.August. de Verbis Domini, serm. 58. vbi ait: *Si hominem separaueris à Deo, illi nunquam credo, nec seruio.* Vbi aduerte, negari illi omnem adorationem, quæ sub nomine seruitutis Græcè conuenit, vt initio disputationis dixi: Alios PP. vide in Vasquez *cap. 6.* 62

PROBATVR tertiò ratione S.Bonauenturæ, quæ habetur *in corpore.* Quando humanitas præcisè adoratur, non adorato Verbo, aut cogitatur sine illo 63
cum solis donis gratiæ habitualis, & similibus; aut cum illo coniuncta: Si coniuncta; cùm hoc pacto apprehendatur tanquam pars, adoratio respicere debet totum suppositum, & ratione ipsius etiam humanitatem, vt aliquid ipsius: Si verò apprehenditur seiuncta à Verbo, incongruè sanè, & chimericè adoratur, quia licèt habeat naturam suam realiter distinctam; tamen, cùm excellentia eius realis maxima sit in vnione ad Verbum, inhonorata relinquitur, si nuda honoretur titulo inferiori, sicut si quis Regem, qui est etiam Comes, honoraret solum vt Comitem: Ergo cùm humanitas sit Verbo coniuncta, vnde suam maximam trahit excellentiam, hoc pacto semper est adoranda.

HAC ratione latè Vasquez *cap. 7.* qui aliam addit ex verbis S.Doctoris deductam; nam cum apprehendimus humanitatem, non possumus eam non considerare vnitam Verbo: Ergo non possumus non venerari vnitam Verbo.

OBIICIVNT verò: Humanitas Christi, præcisa à Verbo, est excellentior omnibus Sanctis: sed his debetur Dulia: Ergo illi humanitati perfectissima, quæ est Hyperdulia. 64

RESPONDET Vasquez *num. 65.* ex D. Bonauentura *in corpore*, licèt humanitas sit excellens, tamen non potest separari à Verbo, ideò neque sine eo adorari.

Mastrius insistit, posse; sicut laudatur, vt creatura est, & illi distincta munera Magi obtulere: Fateor cum S.Bonauentura, posse præscindi metaphysicè, non tamen id fieri debere practicè.

OBIICIT deinde Scotus *dist. 9. quæst. vnica*, & Faber *disput. 22. num. 26.* Pura creatura non potuit reparare hominem, quia non potuisset illum restituere ad illam excellentiam, quàm prius habuit, quod si id præstitisset, teneretur seruire etiam illi creaturæ, quæ se redemisset, & sic post redemptionem, teneretur seruire duobus, idest, Deo, & Creaturæ illi, quæ se redemit, cùm ante reparationem teneretur seruire Deo soli, & esset peioris conditionis: Arbitrantur verò esse argumentum S.Bonauenturæ. 65

HÆC ratio (ait Scotus, & Faber) si concludit, infert ipsi humanitati deberi cultum Latriæ, qui & Deo exhibetur.

RESPONDET Scotus, hanc rationem non concludere 66

cludere, necessarium fuisse, vt Deus incarnaretur, vt perfectè salvaret hominem: Probatur, quia si pura creatura nos redemisset meritoriè, ei deberemus venerationem Hyperduliæ: Vnde modò non sequeretur, nos magis esse depressos, & peioris conditionis, quàm ante, sicuti nunc redempti à Filio Dei contraximus obligationem seruiendi Humanitati Christi, & B. Virgini adoratione Hyperduliæ: Essemus autem peioris conditionis, si teneremur seruire Latriâ illi creaturæ.

67 Hæc tamen friuola sunt; nam S. Doctor non arguit eo modo: Quærit enim, an aliqua pura creatura potuerit satisfacere pro toto genere humano; & respondet, non posse: Hoc autem postquam probauit. Tandem *in corpore*, dicit: *Aut, si hoc posset, non deceret, eò quòd naturam humanam in statum pristinum non reuocaret; esset enim ex hoc subiecta alij generi creaturæ.* Ecce S. Doctor non assumit hoc medium ad probandum necessitatem Incarnationis, sed solam decentiam, quam hinc etiam Scotus fatetur colligi, quia conueniens fuit, vt debeamus seruitutem ex redemptione, quæ esset Hyperdulia, eidem
68 personæ, cui debemus etiam seruitutem ex creatione: Et hoc argumentum assumit etiam vltimo loco *in fundamentis*, cùm enim ex insufficientia creaturæ ostendisset, puram Creaturam non posse satisfacere perfectè, atque adeò necesse esse, vt Deus incarnaretur, tandem assumit hoc medium, quia teneremur æqualiter diligere creaturam illam ob beneficium redemptionis, sicut teneremur diligere Deum ob creationem: Impossibile autem est, nos ad hoc obligari: Ergo impossibile fuit puram creaturam satisfacere. Vbi nil de adoratione infert, sed de obligatione quoad quantitatem beneficij; possemus autem æqualiter ob duo beneficia obligari duobus, quorum alter tamen sit altero honorabilior: Præterea *in corpore*, explicat quomodo hoc fundamentum acceptetur, non enim omnia, quæ in argumen-
69 tis præmittit, acceptat *in corpore*: Sed fundamenta corrigenda sunt ad metam resolutionis corporis: in corpore autem acceptat solùm ad probandam decentiam: Quare frustra Scotus, & Faber carpunt D. Bonauenturam.

QVÆSTIO V.

An Sancti, & Angeli adorandi sint.

D. Bonau. dist. 9. quæst. 5.
D. Thom. quæst. 25 art. 6.

70 PERANTIQVAM hæresim negantium Sanctis, & Angelis sacrum cultum recensent Controuersistæ, eamque adscribunt Eustatio Episcopo Sebastiæ, Alphonsus de Castro *lib. aduersus hæreses*, verbo *Sancti*, Prateolus verbo *Eustachius*: Sed perantiquior fuit hic error, hunc enim Irenæus *lib. 3. cap. 20.* Gnosticis adscribit, quos secuti sunt Eunomius, apud Lindanum *dialogo* 2. & alij, quos refert Vasquez *disput* 97. *cap. 1.* Suarez *disput. 52. sect. 1.* Certè multi tyranni cultum Sanctorum insectati sunt, ex quibus primus fuit Iulianus Apostata, vt referunt Cyrillus *lib. 6. cont. ipsum*, Nazianzenus *oratione* 3. mox Leo Isauricus, quem secutus est Constantinus Copronymus, qui publico edicto omni cultu Sanctorum populum interdixerunt, vt refert Cedrenus in vitis ipsorum, & est apud Nicephorum *lib. 18.* in fine, è Suida.

HVNC errorem iam orco tumulatum excitauit
Vviclephus, vt refert Vvaldensis *tom. 3. cap. 103.* 71
Eum secutus est Calvinus *lib. 1. Instit. cap. 1. §. 11.* & *cap. 12.* cum suis, & Centuriatores *Centuria 1. lib. 2. cap. 4.* qui Sanctorum cultores esse Idolatras conclamant, in quo habuêre Magistros Isauricum, & Copronymum suprà, ac Mahumetanos.

ASSERO tamen cum Ecclesia Catholica, Sanctos esse Duliâ adorandos.

PROBATVR à D. Bonauentura primò hîc, *& in* 72
sermone de decem præceptis, è Scriptura, qua recensentur homines adorasse Angelos, vel iustos: Sic *Genes. 18. & 19.* Lot, & Abraham adorauerunt Angelos, & Iosue 5. Angelum adorauit, *Iudicum* 13. Manue, & vxor eius. *Numer.* 22. Balaam Angelos adorauerunt: Sic 1. *Reg.* 25. Saul adorauit Samuelem, *& 3 Reg.* 18. Abdias adorauit Eliam, *& 4. Reg.* 1. Quinquagenarius Eliam eundem adorauit, & hic erat vir timens Deum, vt patet: *& 4. Reg.* 2. Filij Prophetarum adorauerunt Elisæum.

HÆC assertio definita est à Fœlice primo cum Concilio Romano *in epist. 2. decretali*, & in Concilio Gangrensi *can* 20. vbi definitur: *Si quis Sanctorum memorias contemnendas putauerit; anathema sit*, & in septima Synodo Nicæna II. *actione* 2, in epistola Adriani I. ad Constantinum, & Irenem. *& act. 3.* in epistola Theodori: *& act. 4.* in dialogo Leontij, *& in epistola Germani Patriarchæ, & act. 7. in definitione fidei*, & in Concil. Tridentin. *sess. 25. cap. de Inuocatione, & Veneratione Sanctorum.* Denique Concilia illa, quæ referam pro cultu Imaginum, *quæstione* 15. à fortiori cultum Sanctorum astruunt.

TANDEM Patres id acclamant.

Ex Græcis Iustinus *in 2. Apologetico, pag. 2.* Ori- 73
genes *homil. 3 in diuersos*, Eusebius *lib. 13. de præpar. Euang. cap. 7.* Athanasius *lib. de Virginitate*, circa finem, Basilius *Oratione in S. Mammantem*, & *Oratione* 40. *Martyrum*, Nazianzenus *Oratione* 3. Nyssenus *Oratione de S. Theodoro martyre*, Epiphanius *hæresi* 79. Chrysostomus *homil. de sanctis Iuuentio, & Maximo*, Cyrillus *lib. 6. in Iulianum*, Theodoretus *lib. 8. Græcanicarum affect.* Damascenus 4. *de fide, cap. 16. & 17.*

Ex Latinis verò Tertullianus *lib. de Corona militis*, Cyprianus *epist.* 34. Ambrosius, Hieronymus *epistola* 53. Augustinus *serm. primo de Sanctis, Petro, & Paulo*, & *epistola* 4. & *libro 20. contra Faustum, cap. 21.* Bernardus, sermone in Apocal. 12. ad ea verba: *Signum magnum apparuit.* Vide Vasquez *cap. 2. disp.* 97.

PROBATVR tertiò ratione D. Bonauenturæ *serm.* 74
2. *de decem præceptis*, & *ad cap. 12. Ioan.* ad ea verba: *Honorificabit eum Pater meus*, & serm. de SS. Philippo, & Iacobo Apostolis, vbi vtitur themate, Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*, & serm. de vno Martyre, vbi adhibet id psal. 8. *Gloria, & honore coronasti eum*, & id 1. Reg. 2. *Qui honorificabit me, glorificabo eum.* Honor debetur virtuti ex Aristot. 1. *Eth. cap. 5. & lib. 4. cap. 3.* & aliis etiam excellentiis: præcipuè enim colitur Potestas, Sapientia, & Sanctitas: Sed Sancti in his fuere excellentes: Ergo honorandi.

VRGET verò *sermone prædicto de vno Martyre.* 75
Quantò altioris ordinis est excellentia personæ, tantò excelsior illi cultus debetur; at Sancti sunt altioris ordinis excellentiâ præditi, quàm Reges, cùm sint Principes in cœlo, vel Filij Dei, & hæredes regni cœlestis, si inter nos degunt: Ergo altior cultus eis exhibendus illo, qui exhibetur Regibus: At

Regibus

Regibus exhibetur cultus ciuilis ob terrenam excellentiam : Ergo sanctis sacratior cultus exhibendus, nempè sacra Dulia : Hoc argumentum habet D.Bonauentura etiam in aliis locis in sermonidus Sanctorum : Eo vtuntur Suarez *disp.*52.*sect.*1. Vasquez *disp.*97.*num.*11. Caspens. *disp.*15.*sect.*5. Faber 3.*disp.*22.*num.*38. & alij.

76 HINC habes contra hæreticos nostri sæculi, deberi sanctis non solum cultum ciuilem, sed Duliam sacram religiosam.

ASSERO secundò : Sancti, & Angeli non sunt colendi adoratione Latriæ : Hoc specialiter definit S.Bonauentura *dist.*9. *quæst.*5.

PROBATVR ab eo præcipuè, quia cultus soli Deo debitus non est creaturæ exhibendus : At Latria est cultus huiusmodi, vt dixi initio disputationis, & omnes concedunt : Ergo.

77 OBIICIES primò contra primam assertionem, Deuter.6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Hoc verò adducit Christus contra Sathanam pellicientem ad eum adorandum adoratione ordinariâ, non Latriâ, vt habetur ex Græco.

RESPONDET S.Doctor *ad* 4. *Lucæ*, solam Latriam esse Deo sacram; & hanc exegisse diabolum, vt constat ex responsione Christi : *Et illi soli seruies,* vbi Græcè est *Latreusis*, quod seruitutem Latriæ sonat, vt indicat S. Doctor ibi : Eo responso vtitur Vasquez *num.*14.

IDEM colligitur de illo, 1. Tim. 1. *Soli Deo honor, & gloria*, vt docet D. Bonauent. *in* 1. *dist.*21. *dub.*1. *litter.* & *in Diæta, tit.*10. *cap.*6. Ibi loquitur de honore Latriæ, & gloria, debitis ob misericordiam redemptionis; nam in eo loco gratias agit Christo, quod venerit peccatores saluare : Ita Vasquez *num.*15. cum S.Bonauentura.

78 OBIICIVNT secundò : Mardochæus *Hester*.3. noluit genu flectere coram Amano, *& cap.*13. protestatur, se id non facere, ne honorem debitum Deo impendat creaturæ, *Act.* 10. Petrus noluit à Cornelio adorari : sic *act.*14. Paulus, & Barnabas recusarunt à Lycaonibus adorari, & *Apoc.*19. Angelus Ioanni, volenti adorare, ait : *Vide ne feceris, conseruus tuus sum.*

RESPONDET Vasquez, recusasse Mardochæum exhibere illam reuerentiam, quia communiter non exhibebatur regibus, aut principibus, sed ex consuetudine soli Deo reseruata habebatur.

HÆC responsio mihi non probatur; quonam etenim pacto cultus Deo reseruatus, exhiberi poterat (esto & rarò) Principibus ex graui causa?

79 MELIVS igitur D.Thomas 2.2. *quæst.*84. *art.*1. Lyranus *in eum locum*, allegans Glossam Græcam aiunt, Aman prætendisse Latriam : hæc enim est ille honor Deo soli debitus, quem negat exhibere.

INSTAT Vasquez primò, quia incredibile est, Amanum aulicum prætendisse Diuinos honores, quos neque Rex Assuerus exhibendos sibi præcipiebat : Deinde Mardochæus exhibuit se ad maiorem adorationem Amano exhibendam : Ergo illa, quam negauit, non fuit Latria, quæ est summa.

80 HÆC tamen friuola sunt, Aman etenim, cùm esset superbus, potuit eo peruicaciæ peruenire; Mardochæus verò *cap.* 13. protestatur, se non ex fastu negare illum cultum Amano superbissimo, sed ne transferret honorem Dei in creaturam : *Et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo*, de extero, se paratum osculari etiam vestigia pedum eius, hanc autem submissionem non asserit adorationem perfectiorem prætensa, imò ab adoratione excludit, vt patet ex verbis : *Et ne quemquam adorarem excepto Deo.*

AD secundum respondetur cum Chrysostomo, 81
Petrum recusasse ex modestia eum honorem; Paulum verò respuisse Latriam, & sacrificia.

AD locum Apocalypsis respondet Alanus Copus *dialogo*, *cap.* 3. & 7. cum D.August. *quæst.*91. *in Genesim*, talem apparuisse Angelum, vt pro Deo adorari posset. vnde corrigendus fuit Ioannes.

RESPONDET secundò melius ex D.Bonau.*dist.*9. *q.*5. *ad* 1. quem sequitur etiam Vasquez *num.* 23. Suarez *disp.*52.*sect.*1. Faber *num.*40. *d.* 22. & alij, Ioannem verè cognouisse Angelum illum non esse Deum, qui loquebatur de Deo, tanquam de alio dicens : *Hæc verba Dei vera sunt.*

DEINDE id probatur; nam *cap.*21. apertè dixit, eum esse Angelum, tamen *cap.*22. rursus adorare voluit, & iterum prohibitus est : Igitur non fuit Ioannes deceptus.

RATIO igitur, ob quam prohibitus fuit, vt 82
egregiè edisserit S.Bonauentura cum Beda, Richardo de S.Vict. Anselmo, & Ruperto in eum locum, ea est, vt indicaret quanti ab Angelis homines fierent ob dignitatem naturæ ipsorum, assumptæ à Deo, præsertim verò Apostoli ipsius Christi, & Principes Ecclesiæ, qualis erat Ioannes, qui plurimis Angelis, vberiori gratiâ antecellebat.

OBIICIVNT hæretici etiam PP. qui dicunt, nec homines, nec Angelos adorandos : Athanas. *serm* 3. *cont. Arrianos*, Ambros. *in cap.*1. *Rom.* August. *lib. de vera, & falsa religione, cap.*55. Leonem *serm.*2. *de Natiuitate*, Epiphanium *heresi* 79.

RESPONDETVR ex D. Bonauentura hic, eos 83
loqui de adoratione Latriæ; nam Græcum nomen *Hymisis*, Latinè *Adoratio*, apud Patres, & Scripturam, non tantùm communem cultum, sed Latriam quandoque significat : Atque in hunc sensum Damascenus *lib.* 4. *de fide*, *cap.* 3. dixit humanitatem Christi, si cogitatione à Verbo separetur, esse inadorabilem, vt notat S.Doctor *dist.* 9. *q.* 1. *ad* 3. Vbi addneit ad id etiam D. August. *serm.* 58. *de Verbis Domini.* Et Concilium Antiochenum *in confess. fidei*, quæ habetur in Conc.Ephes. *tomo* 6. *cap.*1. in fine, de Christo, sic ait : *Totum rursus adorabilem etiam cum corpore, sed non secundùm corpus adorabilem.*

OBIICIVNT hæretici Canonem Concilij Laodiceni *cap.*35. vbi cultum Angelorum damnat.

RESPONDETVR, cultum Angelorum malorum tantùm, quo aliqui ad Magiam vtebantur, damnari; nam *can.* 34. cultum Sanctorum Martyrum admiserat.

OBIICIVNT etiam verba Adriani *epist. ad Con-* 84
stantinum, *& Irenem*, vbi ait : *Qualis verò est iste adorationis honor? profectò non alius, quam is, quo nos peccatores quoque inuicem prosequimur, salutantes nos per honorationem, & dilectionem* : Ergo cultu merè ciuili sunt honorandi.

RESPONDET Vasquez, paulò superiùs dixisse, Sanctos colendos ob eorum sanctitatem : Itaque cultum supernaturalem correspondentem eis concedit, non merum naturalem : In hoc igitur solum comparat eorum cultum cum ciuili, vt Latriam Deo exhibitam excludat, & ostendat eos adorandos vt conciues, non vt Regem.

Ex his solutæ iacent etiam rationes Calvini, qui 85
instat, Duliam esse cultum ciuilem, quem exhibemus etiam inter nos, qui contraponitur religioso cultui, qui est Latriæ.

RESPONDETVR enim, Duliam esse aliam religiosam;

ſam ; aliam ciuilem , & hanc non eſſe illam , quæ exhibetur Sanctis.

INSTAT, Duliam ſignificare cultum , & ſeruitutem ; Latriam verò cultum ſolùm : ergo eſt minor.

RESPONDETVR ex dictis initio diſputationis etiam Latriam ſignificare ſeruitutem.

OBIICITVR contra ſecundum aſſertum *Geneſ* 18. Abraham vidit tres viros , & illi fuerunt Angeli , vt exponit D. Auguſtinus *libro* 11. *de Ciuitate Dei*, *cap*.8. & *lib*.16. *cap*. 29. ex his vnum adorauit Latriâ.

RESPONDET D.Bonauentura , adoraſſe eos Angelos Latriâ ; quatenus repræſentabant Deum , ſeu Trinitatem.

86 OBIICIES ſecundò : Membra Chriſti adoranda ſunt,ſicut & Chriſtus : at ſancti ſunt membra Chriſti. *Corinth*.6. Ergo.

RESPONDET S.Bonauentura , membra Chriſti vera , quæ Deitati vnita ſunt,adorari eadem adoratione, non ſic membra corporis myſtici. Vide S.Doctorem, qui facilè ex his cætera ſoluit.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Adoratio Sanctis debita, ad Religionem ſpectet.

D.Bonau.diſt.9.art.2.q.4.
D.Thom. 3.d.3.q 1.art.1.q.3.

87 SVPPONO ex dictis *quæſtione præcedenti*, Sanctos non ob excellentiam aliquam ciuilem coli, ſed ob ſupernaturalem præſtantiam : Ideò ſeptima Synodus *act*. 4. ore Leontij effatur : *Sanctos veneramur vt amicos Dei , & honor , qui ſanctis impenditur , in Deum recurrit* , & multi Patres dicunt , adorari ſanctos , vt templa Dei. Athanaſius *libro de Virginitate circa finem* , Baſilius *oratione in quadraginta Martyres* , Damaſcenus *libro* 4. *cap*.16. Hieronymus *epiſtola ad Riparium* , Ambroſius *ferm*,6. & notat D. Bonauentura *diſt*. 9.*quæſt*.5. *argumento* 3. *addito reſponſo* , in quo aduertit , templa materialia coli veneratione tantùm extrinſeca reſpectiua , cùm in ſe non habeant quid abſolutum , vnde coli mereantur ; at verò Sancti , licèt adorentur vt templa Dei , habent tamen intrinſecè excellentiam, venerabilem : Ita docent S.Bonauent. *loco cit*. D.Thom. *quæſt*. 25. *art*. 3. *ad* 3. & *art*.5. ac communiter Theologi.

88 COLLIGITVR etiam ex Adriano Papa *in epiſtola ad Conſtantinum , & Irenem* , vbi ait : *Sanctos à nobis venerari , & coli , quod ſerui Dei ſint, & apud Deum pro nobis intercedant* , & habetur in ſeptima Synodo *act*. 2. Sic etiam Euſebius *lib. de præpar. Euang. cap*. 7. ait , nos venerari ſanctos , vt veræ pietatis milites , Deique amicos : Quamvis autem poſſint adorari,vt templa Dei, adoratione reſpectiua , aduertit tamen Suarez *diſp*.53. *ſect*.2. allegans D.Bonauenturam , & D. Thomam, non eſſe vſurpandum.

HÆRETICI clamant , honorem ſanctis exhibitum non ſpectare ad religionem,ſed eſſe actum merè ciuilem.

Marſilius *in* 3. *quæſtione* 8. *art*. 1. ſentit habitum Latriæ , & Duliæ eſſe vnum , & eundem religionis.

89 VERIOR tamen ſententia hos habitus diſtinguit: Ita D.Thom. 2. 2. *quæſt*. 81. vbi ſolum Deum conſtituit Religionis obiectum, *quæſt*. 102.& 103.ponit alias virtutes ad homines colendos : Idem docet D.Bonau.*diſt*.9.*art*.2.*q*.4. quos ſequuntur ferè omnes recentiores, vt refert, & ſubſcribit Suarez *diſp*. 52.*ſect*.3. Vaſquez *diſp*.98.

An verò ſit vna virtus , quæ reuerentiam exhibet Sanctis , & aliis in dignitate poſitis ; aliqui dicunt , eſſe eandem , pro qua citantur à Vaſquez Albertus *in* 3. *diſtinct*.9. *art*.6. *in corpore* , *ad* 3. & *art*. 7: Gabriel. *quæſt*. 1. *art*. 1. *notab*. 1. & S. Bonauentura *hic*.

90 AT TAMEN non video quo pacto id deducat Vaſquez : nam S. Doctor hic ſolùm intendit , diſtinguere Latriam , quæ ad Religionem ſpectat , à Dulia ſacra : Si enim attentè legatur, inuenies, loqui de ſola Dulia erga Sanctos ; nam de ea, quæ eſt inter ciues , non erat in quæſtionem reuocandum, an ſit Latria , & ſpecies Religionis : Quis enim ignorat, eſſe diſtinctam ? Solùm ergo quærit de Dulia erga ſanctos, & ideò eam comparat charitati, vt mox dicam, quæ eſt virtus ſupernaturalis : Ex quo deduco, eum potius credere eam eſſe diſtinctam, ſicuti diſtinctum eſt obiectum , nempè excellentia ſupernaturalis , quæ actus altiores exigit ab excellentiis ciuilibus , quæ ciuili cultu ſunt contentæ.

ASSERO primò à Dulia Latriam diſtingui.

91 PROBATVR à S. Doctore præcipuè , quia habitus diuerſificantur per actus,& actus, per obiecta: Sed Latria eſt cultus exhibitus ſoli Deo ; Dulia creaturæ : Ergo, ſicut igitur alius eſt cultus Dei, alius creaturæ ; ita diuerſi debent eſſe habitus dirigentes. Vide Seraphicum.

ASSERO, Duliam eſſe diſtinctam ab habitu,quo ciuiliter honoramus ciues.

PROBATVR, quia diuerſum eſt obiectum, & diuerſi actus, vt dixi : alterum enim naturalis ; alterum ſupernaturalis excellentia eſt.

92 CONTRA prius aſſertum vnum libet referre, quod ſibi obiiciunt SS.Doctores, idque vrget Marſilius , & videtur difficilè. Sicut eadem charitate diligitur Deus propter ſe , & proximus propter Deum ; ità eadem virtute poteſt coli Deus per ſe,& ſancti propter illum : Ergo fruſtra diſtinguimus Latriam, & Duliam.

CIRCA hanc rationem laborat vſque ad ſudorem D.Thomas tribus locis : Primus eſt 2. 2. *q*.103. *art*.3. Secundus eſt , 3. *part*. *quæſt*. 25. *art*. 1. *ad* 2. Tertius eſt,*quæſt*.81.*art*.4.*ad* 3. vti & Caietan. ibi, Suarez *diſput*.52. *ſect*.3. Vaſquez *diſput*. 98. *cap*.2. & Thomiſtæ : Eas omnes ſolutiones , ait Vaſquez facilè refelli, & nullam ſatisfacere.

93 SOLVTIO Vaſquez eſt ; quoties volumus proximo bonum , vt bonum ipſius,non diligere è ſpeciali virtute charitatis Theologicæ , ſed ex generali quadam charitate, quæ beneficentia dicitur ; ſpecialis namque virtus Theologica ſolum Deum reſpicit , vt amicum ; cùm verò diligimus proximum, vt bonum Dei eſt , tunc tantùm virtute Theologica diligimus : Sic igitur variæ etiam ſunt virtutes, quibus colimus Deum , & proximum : Hanc reſponſionem Vaſquez à Suarez hauſit , tametſi nullam recentiorum reſponſionem , præcipuè Suarez, quem hoc nomine ſemper compellat , validam eſſe dicat.

94 REMANET ſola reſponſio D. Bonauenturæ , quæ eſt aurea : Sic igitur *ad tertium* ait , Vna quidem charitate Theologica diligi Deum , quod eſt obiectum principale illius virtutis ; & diſſ-

gi proximum propter Deum ; hoc autem vnico habitu fit, quia respicit summum bonum, in quod fertur siue diligendo Deum in se, siue volendo bonum illud proximo, qui est imago Dei : Quia ergo quando duo sunt, vnumque est propter aliud, censentur esse vnum, taleque est obiectum charitatis : Ideò eodem habitu vterque diligitur; at verò adoratio fertur in excellentias, & quia diuersa sunt obiecta diuersæ sunt toto cœlo in infinitum excellentiæ, nempè Diuina, & humana, neque altera in ordine ad alteram honoratur, sed præcisè excellentia Diuina, vt talis est, colitur Latria : & ex altera parte excellentia creata etiam supernaturalis, licèt agnoscatur manare à diuina gratia, non tamen consideratur, & colitur in ordine ad excellentiam Diuinam : Ideò diuersos modos exigunt cultus, & honoris : Hæc autem confundit Vulpes *disp.* 38. *art.* 1.

95 ALIVD quoque opponi potest; nam *Danielis* 2. Nabuchodonosor, audita Danielis sapienti explicatione illius somnij, eum adorauit, & præcepit, ei sacrificia offerri, quod ipse Daniel non recusauit, cùm tamen esset sanctus; at sacrificium soli Deo debetur, vt dixi initio disputationis cum D. Bonauentura *in hac distinctione* passim : Ergo creatura colitur religione, ac Latria.

RESPONDETVR cum D. Hieronymo ad hunc locum, causam offerendi hostias ibi exponi, cùm ait : *Vere Deus vester Deus Deorum est.* Itaque non Danielem, sed in Daniele Deum coluit reuelatorem, quem profectò astruit, non esse ipsum Danielem, vt patet ex verbis: Vel dic, Nabuchodonosorem stupore percitum in hæc erupisse; non tamen Daniel permisisset, si hæc voluisset facere, vt notant Carthusianus, & Lyra.

96 THEODORETVS exponit iuxta LXX. Interpretes : *Et bonum odorem dixit libare ei, id est Thus* : Vbi enim Vulgata habet *Hostias*, LXX. habent *Mannaa* Thus ; & Hebræa habet מנחה *Minchah* munera, non זבח *Debah*, quod significat sacrificium. Obtulit igitur ei munera.

QVÆSTIO VII.

Quo cultu sacro BEATA VIRGO *sit colenda.*

D.Bonau. dist. 9. q. 3.
D.Thom. q. 25. art. 5.

97 EX dictis *quæst.* 4. habemus, Beatissimam Virginem Dominam nostram cultu sacro eximio inter Sanctos colendam, contra hæreticos negantes Sanctorum cultum, & venerationem, qui nec Reginæ cœli pepercerunt : è contra enim Ecclesia semper venerata est suam Imperatricem, vnde septima Synodus *act.* 4. 6. *&* 7. & Concilium Trident. *sess.* 25. *in decreto de reliquiis, & veneratione Sanctorum*, primo loco docent exhibendam Deiparæ adorationem.

Et quidem ab initio promissa Adæ fuit per traditionem, & reuelationem, Patriarchis atque Prophetis in magna veneratione, vt docet Suarez *tom.* 2. *in* 3. *partem*, *disputatione* 22. *sectione* 1. & indicat S. Bonauentura *sermon.* 1. de B. Virgine : Post Incarnationem verò semper in veneratione est habita : Vide de hoc Suarez *loco. citato*, qui antiquitatem Festorum, atque Templorum B. Virginis recenset.

NOTANDVM insuper, triplex esse genus excellentiæ, propter quam Beatissima Maria Virgo est colenda. 78

PRIMVM est contactus Filij Dei, quem nouem mensibus in vtero tenuit, ex quo magnus ei honor debetur, magis, quàm Cruci, aut vestibus, quæ illum tetigerunt, & hæc dicitur extrinseca excellentia.

SECVNDVM est intrinseca eius excellentia gratiæ sanctificantis, & aliorum habituum.

TERTIVM est dignitas veræ Matris Christi : Hæc prosequitur D. Bonauent. *ad* 1. *Lucæ*, exponens Canticum *Magnificat*. Vide etiam Suarez *disp. citata, sect.* 2.

ASSERO primò, non esse B. Virginem adorandam Latria, contra hæreticos Collyridianos. 79

PROBATVR à S. Bonauentura, quia id, quod est proprium Dei, non est creaturæ simplici adscribendum; at Latria soli Deo conuenit ex dictis : Ergo.

ASSERO secundò, adorandam adoratione Duliæ excellentis, quæ à Theologis dicitur *Hyperdulia*.

DIFFERT autem à Dulia ordinaria in æstimatione ob summam dignitatem, atque in exhibitione honoris ex voluntate reuerentiori, & ideò potest habitum exigere, distinctum à Dulia, vt notat Suarez, *sectione vltima disputationis citata*, maximè verò illa, quæ exhibetur ex tertio capite Maternitatis Dei, in qua non habet similitudinem inter creaturas : Sicut igitur diuersum est obiectum, ita diuersi habitus diuersi erunt actus : Per maternitatem enim Dei super omnes creaturas exaltata ab omnibus adoratur, tantò melior Angelis effecta, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit : Cui enim Angelorum, vel Sanctorum dixit : Tu es Mater mea secundum carnem? Ideò primitas præsidentiæ suprema postulat etiam adorationem distinctam, vt notat Lugo *disputatione* 45. *sectione* 2. Tanner. *disput.* 7. *quæst.* 7. Suarez *loco cit.* Morand. *quæst.* 55. post S. Bonauenturam *ad* 2. 80

HANC singularem adorationem indicant Patres, qui asserunt, B. Virginem, vt Matrem Dei venerandam; sic Athanasius in Euangelio de sancta Virgine, Damascenus *libro* 4. *de fide, cap.* 15. Germanus Patriarcha *epistola ad Ioannem Synnadon*, quæ habetur, *act.* 4. *septima Synodi*, Augustinus *sermon.* 35. *de Sanctis*, Bernardus *sermon. primo de Assumpt.* Petrus Damianus *sermone primo de Natiuitate Beata Virginis*, Rupertus *libro* 3. *in Cant.* Anselmus *opusculo de excellentia Virginis*, *cap.* 8. Gregorius Magnus, *epistola ad Germanum*, quæ habetur in septima Synodo *act.* 4. qui omnes cum Athanasio vocant eam Dominam, & Reginam, ideoque grandem honorem ei deberi : Idipsum prosequitur Nazianzenus in Tragædia de Christo patiente, & Ioan. Cantacuzenus *Apol.* 3. *&* 9. *cont. Mahumetanos*, & Epiphanius *hæresi* 79. 81

OBIICIVNT primò hæretici Epiphanium, qui *hæresi* 78. narrat, mulieres in Syria circumtulisse statuam B. Virginis, offerentes ei munera, easque acriter reprehendit. 82

RESPONDET Canisius *lib.* 5. *de B. Virgine, c.* 16. meritò reprehendi mulierculas, quæ sacerdotio fungebantur, & quia B. Virgini sacrificium offerrent, quod soli Deo debetur; offerebant autem collyrida, seu tortam panis, vnde sint dictæ collyridianæ.

OBIICIVNT secundò, Nos exhibere B. Virgini honorem soli Deo exhibendum; nam Athanas. *serm. de sanctis. Deipara*, vocat eam Regeneratricem: Bernard. *epist.* 164. Reparatricem: & *serm. de Natiu. B. V.*

& primo Assumpt. Aduocatam appellat, & Ecclesia *in Salue Regina*, Spem suam vocat.

83 RESPONDET Canisius *cap. illo* 12. titulos hos adscribi B. Virgini ad ostendendum beneficium, nobis ex suo partu collatum, & aduocationis eius apud Deum efficaciam.

QVÆRES, an ratione contactus sit B. Virgo colenda Latriâ, sicut colitur Crux.

RESPONDETVR, posse; quia tamen habet suam præclaram per se Hyperduliam, qua caret Crux, ideò hæc est illi tribuenda, non alia.

OBIICIES contra secundum assertum : Imago
84 Christi adoratur Latriâ ; at B. Virgo est Imago
Christi, quem sibi similem genuit : Ergo.

RESPONDET D. Thomas *artic.* 3. *ad* 2. & D. Bonauentura, diuersam esse rationem; nam cultus, qui fertur in imaginem, transit ad prototypum, & ideò Imago Christi non adoratur, vt subiectum Latriæ : Cultus verò, qui exhibetur Matri Christi, fertur in eam tanquam in subiectum, licèt transeat ad Christum, vt ad finem, & ideò debet ei exhiberi qualem capacitas subiecti exigit; habet enim, vt sic, dignitatem distinctam à filio, infe-
85 riorem ipso; ideò non est colenda Latriâ : Ex quo
fit, vt non sit colenda ea virtute religionis, quæ est Latriæ, Deo tantùm exhibendæ.

QVÆSTIO VIII.

An licuerit in veteri Testamento Statuas, & Imagines compingere.

86 OCCASIONEM nacti ex Imagine Christi intentant Scholastici amplam de omnibus sacris imaginibus disputationem, quæ, quia cum hæreticis est admodum controuersa, latius excutienda est; & quia hæretici nos vrgere nituntur ad abolendas sacras Imagines, ex eo, quòd in veteri Testamento fuerint omnino vetitæ; oportet hoc ante omnia examinare.

87 PRIMA opinio est, omnem vsum Imaginum, ac statuarum iure Diuino positiuo vetitum esse, *Exodi* 20. Ita Richardus *in* 3. *distinct.* 9. *art.* 2. *quæstione* 2. *ad* 1. Paludan. *quæst.* 1. *art.* 2. Henricus *quodlib.* 10. *quæstione* 6. Catherinus *in opuscul. de adoratione imaginum*, parum ab initio, Martinus de Ayala *tractatu de traditionibus*, 3. *parte*, *corol. de Imaginibus Sanctorum.* Dominicus Sotus, *libro de Iustitia*, *quæstione* 4. *artic.* 2. Franciscus Horantius, *libro secundo*, *locorum Cathol. cap.* 22. Alanus Copus *in* 4. *Dialogo*, *cap.* 15. post medium, Clictovæus *in capite* 17. *libro quarto*, *de fide*, *Damasceni*, Vasquez *disputatione* 104. Hæc fuit perpetua Iudæorum sententia, qui ideò postquam sub potestate regum deciderunt, toto conatu restiterunt, ne Imagines in templo collocarentur, vel Hierosolymam inferrent, vt refert Iosephus *libro* 17. *antiquitatis*, *cap.* 8. & *lib.* 18. *cap.* 3. & 4. & *lib. de bello Iudaico*, *cap.* 8.

88 SECVNDA opinio extrema est, nullam imaginem, esse lege veteri prohibitam : Ita Beda *libro de Templo Salomonis*, *cap.* 19. & eam indicat Ionas Aurelian. *lib.* 1. *de Imaginibus*, *in* 5. *tomo Bibliothec. Sacræ*, Burgensis *in* 2. *addit.* ad Lyram. in illud Exodi 20. *Non facies tibi sculptile*, quamvis in fine, in contrarium aliquantò inclinet : Vvaldensis *tom.* 3. *cap.* 152. Caietan. *in id Exodi* 20. Alanus Copus *Dialogo* 4. *cap.* 21. Sanderus *lib.* 1. *de imaginibus*, *c.* 7. Alphonsus de Castro *contra hæreses*, *verbo* Mago *hæresi* 1. circa finem, Franciscus Turianus *lib.* 3. *de characteribus dogmaticis*, longè ante finem, Pamelius *in adnot. ad* 2. *lib. Tertulliani*, *contra Marcionem*, *num.* 104. Suarez *disp.* 54. *sect.* 2. Bellarminus *tom.* 2. *lib.* 2. *de imaginibus Sanctorum*, *cap.* 7. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 11. *p.* 6. circa medium, Caspensis hîc *disp.* 15. *sect.* 6. Fauentinus *in* 3. *disp.* 22. *num.* 52.

TERTIA sententia est Alensis 3. *part. quæst.* 30. 89
memb. 3. *art.* 3. §. 1. Alberti *in* 3. *distinct.* 9. *art.* 4. D. Bonauenturæ *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. Marsilij *in* 3. *quæst.* 8. *art.* 2. ad secundam obiectionem contra tres conclusiones Abulensis *in c.* 4. *Deuter. quæst.* 4. & 5. solas imagines Dei vetitas; ex his, solus Abulensis asserit iure naturali non fuisse permissum, imagines Dei fingere : Cæteri verò sola lege diuina dicunt esse ablatum vsum illarum : Cum enim S. Bonauentura, Albertus, & Alensis dicant, Deum esse spiritum, ideóque non posse fieri eius imaginem corpoream, solùm finem, & rationem legis ostendunt; non tamen ob id iure naturali vetitum astruunt.

ASSERO primò, non omnes imagines fuisse vetitas in lege antiqua.

PROBATVR primò à S. Bonauentura *ad* 3. *Ioan.* 90
ad ea verba : *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c.* ex cap. 21. Numer. vbi Deus præcepit, fieri serpentem æreum, atque super lignum erigi, & populo exponi, vt morsi à serpentibus, intuentes sanarentur : Hoc autem factum est post latam legem Moysi, vt patet: Hoc argumento vtitur Beda: Et Tertullian. *lib. de idolatria*, *cap.* 5. cùm acriter in idolatriam inueheretur, obiicit sibi Serpentem Æneum.

RESPONDET primò, figuram factam ad significandam Domini passionem, non ad adorandum, & hoc astruit S. Doctor, egregiè paralellos exponens inter Serpentem, in ligno fixum, & Christum Cruci confixum : Ipsum vide, ex quo sententia nostra confirmatur : Signum enim est, illum serpentem fuisse sacrum Mysterium sacratissimi Christi crucifixi.

RESPONDET secundò, Moysen planè fecisse 95
serpentem æneum iussu Dei dispensantis in lege, lata *Exodi* 20. Ità respondet etiam Vasquez.

At verò non est credibile, Deum prohibuisse illum populum, ad idola procliuem, omni imaginum vsu, & tamen dispensasse eo modo exponendi publicè statuam serpentis, in qua salutis summam reponerent : Vide S. Doctorem ibi ex PP. dicentem: Figura præstabat salutem temporalem : Christus æternam.

PROPOSITVM verò serpentem illum ad ali- 92
quem cultum ei exhibendum, tanquam Christi figuram, indicat S. Doctor ibi: Sequuntur Catherinus, & Sanderus suprà; & quidem spes recipiendi ab eo, seu per illum serpentem corporis salutem aliquam reuerentiam prætendebat; & colligitur ex D. Aug. 3. *de Trinitat. cap.* 10. vbi serpentem illum connumerat signis Sacris, quæ venerationem merentur, & sacrum cultum.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *in itinerario men-* 93
tis in Deum, *cap.* 6. & *p. p. de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 3. nam suprà Arcam Deus præcepit fieri Cherubim aureos, vt dicitur *Exodi* 25. & 3. *Regum* 6. Salomon duos alios Cherubim è lignis oliuarum posuit in Oratorio : Et *capite* 7. posuit in Templo figuras Cherubim : Et 3. *Regum* 10. posuit figuras Leonum. Hæc autem Deo placuêre : Ideò enim

apparuit

apparuit ei Dominus, & Templum sibi in domum consecrauit.

RESPONDET Catherinus, ibi Deum dispensasse in præcepto suo positiuo.

94 VERVM refellit cum Vasquez *num.* 30. quia cùm multæ fuerint imagines factæ absque Dei præcepto, vt testatur Leontius *in* 5. *lib.* seu *Dialogo Apol. pro Christianis*, qui refertur in septima Synodo *act.* 4. & lectus fuit à Stephano Diacono, patet hac ratione argumentum non solui, vt vidit etiam Tanner. *disp.* 5. *quæst.* 2. *dub.* 3. *num.* 98.

RESPONDET Burgensis, imagines vetitas illi populo ob periculum Idolatriæ, & quia in *SANCTVM SANCTORVM* solus Pontifex intrabat, qui non poterat in hoc decipi, ideò facti sunt Cherubim.

VERVM multæ aliæ figuræ, vt vidimus, extra Sanctum Sanctorum in facie populi vniuersi eminebant.

95 RESPONDET Vasquez, non fuisse vetitas imagines simpliciter, sed cultum earum, atque adeò omnem modum accommodatum cultui: Iam verò Cherubim penduli è fornicibus, & in Arca ad merum ornamentum deseruiebant, neque posse aliquem nisi ex cerebro suo aliter affirmare, concludit.

96 VERVM sollido fundamento ego ostendam oppositum: Et quidem quoad Cherubinos Arcæ, siue sustinerent propitiatorium super se eleuatum; siue sederent super illud, efformabant thronum Dei adorandum, non quatenus thronum ordinarium, sed quatenus Deus, qui sedet super Cherubim ex eo throno adorandus, ipsum thronum ipsosque Cherubinos exemplares adorandos proponebat, vt Angelos: Ideò Damascenus 4. *de fide*, *cap.* 17. ait contra eos, qui Christianos insimulent, quod imagines adorent: *Quid ergo causa fuit, quamobrem Mosaycus populus tabernaculum illud, quod cœlestium rerum figuram gerebat vndique, adoraret? Quid Cherubim illa, quæ propitiatorium obumbrant? an non humanarum manuum opera erant?* Et D.Hieronymus habet epistolam Paulæ ad Marcellam, vbi ait: *Venerabantur quondam Iudæi Sanctum Sanctorum, quia ibi erant Cherubim.*

97 RESPONDET Vasquez, Cherubinis honorem exhibitum, non præcisis, vt Angeli sunt, sed vt thronum Dei; & hoc solum voluisse Damascenum, & Hieronimum, qui ideò addit etiam Propitiatorium, Arcam, Mannam, & Virgam Aaron.

VERVM cùm primò loco ponat Cherubim, non est cur eos confundat in communi cultu Propitiatorij; neque verò thronum Dei solum, aut tabernaculum, sed distinctè etiam Arcam, & Vrnam, & Tabulas colendas proponit.

98 Alanus Copus *loco allegato, cap.* 2. & alij Recentiores hoc argumentum vrgent ad probandum lege veteri vsum imaginum non fuisse vetitum *Exod.* 20. Nam præcepta Decalogi ex ipso nomine, quod sonat decem verba, decem continentur: Ita *Exodi* 31. *&* 34. *Deuter.* 4. 9. *&* 10. si autem illis verbis: *Non facies tibi sculptile*, prohibuisset imagines, iam præcepta essent vndecim: Primum, non habebis Deos alienos: Secundum, non facies tibi sculptile: Tertium, non assumes nomen Dei in vanum: Quartum, Sabbatha sanctifices: Quintum, honora parentes: Sextum, non occides: Septimum, non Mœchaberis: Octauum, non furaberis: Nonum, non dices falsum testimonium: Decimum, non concupisces vxorem proximi tui: Vndecimum, non concupisces rem alienam: hæc enim duo vltima distinguntur à PP. Clemente Alexand. *lib.* 6. *Stroma-*

tum, Augustin. *quæst.* 71. *in Exodum*, & *in epist.* 119. *cap.* 11. & à Scholasticis communiter *in* 3. *dist.* 37. vbi D.Bonauentura *art.* 2. *quæst.* 1. id probat, vt vidimus *prima secundæ, tract.* 4. *disp.* 10. *quæst.* 3.

HOC argumentum ferire videtur Seraphicum, qui imagines Dei vetitas illo præcepto asserit, & tamen *in serm.* 2. *de decem præceptis*, vnum statuit: *Non habebis Deos alienos; & Non facies tibi sculptile.*

RESPONDERI potest cum S. Bonauentura *distinct.* 37. *dub.* 1. *litter.* quem sequuntur Vasquez *disput.* 105. *num.* 45. & alij, esse vnum præceptum ex illis verbis conflatum: Ibi enim prohibetur Idolatria, & fabricatio Imaginum Dei, quæ populum illum ignorantem poterant decipere, & ad Idola trahere: Cùm igitur ad Latriam Deo reseruandam necessaria fuerit euitatio occasionis, eam ad idem præceptum reuocat, quod ad religionem spectat, & oppositum damnat eodem præcepto: Quæ enim Lex positiua præcipit, in materia necessaria illius virtutis ponit id, cuius intuitu iubet: id verò, quòd prohibet, ponit in materia oppositi peccati: Itaque præceptum illud vetat pictoribus, fabrisque facere Dei Imagines, vt occasiones Idolatriæ vitarentur. 99

VIDENTVR his tamen repugnare, quæ dixit S. Doctor *sermone allegato secundo de decem Decalogi Præceptis*, vbi ait, illis verbis prohiberi varietatem idolorum, & ait: *Non habebis Deos alienos*, prohibet idolatriam respectu creaturæ intellectualis. Deinde illis verbis: *Non facies sculptile*, prohibet idolatriam respectu figmenti humanæ effigiei. Mox illis verbis: *Non facies tibi similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt, neque quæ in terris, neque eorum, quæ in aquis sunt*, prohibetur idolatria respectu naturæ corporalis, siue cœlestis, vt sunt astra, & aves; siue maris, vt sunt pisces; siue terrestris, vt sunt quadrupedia, & serpentia. 100

RESPONDETVR tamen primò, ibi includi, ne fabricentur Imagines Dei.

RESPONDETVR secundò meliùs, illo præcepto Decalogi omnia illa vetari in ordine ad idolatriam, nempè, ne imagines adorentur vt Deus, & ad hunc finem prohiberi, ne fabrefiant: Præceptum verò specialius de non fabricanda imagine Dei habetur. Deuteron. 4. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem, in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, &c.* Quare non rectè marginista in editione Vaticana S. Bonau. apposuit cætera loca *Exodi* 20. *Deuter.* 5. vbi in primo præcepto vetantur sculptilia, ibi enim solùm vetantur in ordine ad idolatriam, nempè ne fiant, vt adorentur. 101

ASSERO secundò, solam imaginem Dei in lege veteri fuisse prohibitam. 102

PROBATVR ex dictis; nam solus, *Deuter.* 4. videtur absolutè prohibere fabricationem simulachri Diuini.

PROBATVR secundò à S. Doctore ex D.Damasceno *lib.* 4. *cap.* 17. Vbi ait: *Magnæ impietatis, & insipientiæ est figurari, quod diuinitatis est.*

REDDIT verò S.Doctor rationem loco illo assignatam, *quæstione citata, distinctione nona, ad primum*, tunc vetitum fuisse simulachrum Dei facere, quia Deus erat omninò spiritus, & pro eo tempore locutum Damascenum; pro nunc verò postquam humanam naturam assumpsit, Ecclesia decreuit ad memorandum Diuina

 beneficia

beneficia, pro nescientibus litteras, exponere Imaginem.

103 HINC tamen videtur sequi, pingi quidem posse Filium, qui solus incarnatus est; non autem Patrem, vel Spiritum sanctum, quia adhuc viget antiqua ratio; sunt enim purus Spiritus.

RESPONDETVR tamen primò, simul cum Filio manifestatas in corporibus alias personas. Patrem in Nube, & Spiritum sanctum in Columba ad ripam Iordanis: Ideò tres personæ pinguntur.

RESPONDETVR secundò, postquam cognita est vnio hypostatica, percipi posse Deum Spiritum, & tamen vniri corporibus etiam substantialiter, nedum in simulachris hominum, vel aliarum rerum corporearum; ideò cessasse periculum idolatriæ, maximè iam instructo populo Christiano ab Ecclesia, vt docet D. Bonauentura *distinctione eadem 9. quæst. 2.* Hæc est sententia etiam D. Thom. quam nullus in Scriptura mediocriter instructus negare potest, vt ait Vasquez *num.* 10.

104 QVONIAM verò hic author refert PP. vt probet, omnem imaginem tunc vetitam: Primò quidem Iosephum more Hebræorum id tenuisse non inficior: Similiter Origenes *libro 4. contra Celsum*, post quatuor folia loquitur ex sensu Iudæorum ita fuisse: Tertullianus verò *lib. 4. contra Marcionem, cap. 22.* vbi probat, Petrum non cognouisse Eliam, aut Moysen in Thabor ex eorum aliqua imagine visa, ait: *Nec enim imagines eorum, vel statuas populus habuisset, & similitudines, Lege prohibente.*

105 RESPONDETVR horum vetitas fuisse imagines, non explicitè, in lege; siquidem nulla de hoc fit mentio, sed implicitè, quia cùm essent præcipui, credebantur à multis Dij.

QVÆSTIO IX.

An liceat in Nouo Testamento, DEI pingere Imaginem.

{ D Bonau. dist. 9. q. 2.

106 IOANNES Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 11.* secutus Ioannem Vvicleph. nefas clamat Imaginem Dei pingere.

EAM esse illicitam dixêre etiam ex Catholicis Henricus *quodlib. 6. quæst. 10.* Abulens. *in cap. 4. Deuteron. quæst. 5.* Durandus *in 3. dist. 9. quæst. 2. ad 4.* Martinus Ayala *de traditionibus, 3. parte, tract. de Imaginibus, cap. de earum antiquitate*, circa finem.

CLICTOVÆVS *in cap. 17. lib. 4. de fide Damasceni*, asserit, in veteri testamento ex natura rei illicitum fuisse fignrare Deum, quia licèt apparuerit in forma visibili, apparitiones tamen fiebant ministerio Angelorum: In nouo verò Testamento licere pingere Spiritum Sanctum in specie columbæ, quia in eo apparuit.

107 COMMVNIS, & vera sententia est, licere Trinitatem pingere: Ita D. Bonauentura *loco citato*, Paludanus *3. distinct. 9. quæst. 1. artic. 2.* Caietanus *ad quæst. 25. art. 3. circa solut. 2.* Vvaldensis *3. tomo cap. 155.* Catherinus opusc. de adoratione Imaginum non longè ab initio *concl. 1.* Didacus Paiua *libro vltimo*, contra Kemnitium, Sanderus *libro primo de Imaginibus, cap. 4.* Turrianus *lib. 3. de Characteribus dogmaticis*, & omnes alij, qui superiori quæstione docuere, non fuisse vetitas Imagines vllas in veteri Testamento.

NOTANDVM ex S. Bonauentura *distinctione 9.* 108
& 37. dubio primo, & *distinctione 39. articul. 2. quæstione 3. ad 4.* & *in 2. distinctione 37. quæst. 3. ad 1.* quem sequuntur Bellarminus *tomo 2. libro 2. de Imaginibus, cap. 5.* Vasquez *disputatione 101.* Suarez *disputat. 54. sect. 7.* maximam esse differentiam inter simulachra, seu similitudines, & Imagines ex vna parte, & Idola ex altera, vt confundi necesse sit hæreticos, qui nos idolatras proclamant, quia colimus Imagines Sacras; vnde meritò in septima Synodo *act. 7.* circa finem præceptum sit, ne Imagines idola nuncupentur: Idolum enim falsam imaginem significat, quæ vel repræsentat, quod non est, vel quale non est, puta vt Sanctum, quod Sanctum non est: Ideò *prima Corinthior. 8.* Idolum dicitur esse nihil in mundo, quia non repræsentat aliquid, quod verè ita sit.

PROPTEREA *Osea 7.* exponente D. Hieronymo, 109
de idolatris ait: *Operati sunt mendacium, idest, idolum.* Hierem. *cap. 2.* vocat idola Vanitatem: *Abierunt post vanitatem.* Itaque Idola sunt falsa simulachra: Ita Theodoret. *quæst. 38. in Exod.* Oecumenius ad locum citatum Apostoli, Athanas. *Oratione contra Idola:* Addit Vasquez *num. 4.* sibi videri Idolum à Paulo dici nihil, quia nullius est potentiæ; Equidem propter vtramque rationem arbitror vocari nihil: tum quia est fictum simulachrum Deitatis, quales sunt Deorum statuæ, Iouis enim statua falsum Deum iuvantem exprimit, sicuti ait D. Augustinus *quæst. 41. veteris testam.* & Tertullian. *lib. de Idolatria, cap. 4.* tum quia nullius est potentiæ, aut virtutis: Sic explicat vtrumque sensum egregiè, atque diffusè S. Doctor *ad 14. Sapientiæ*, in ea verba: *Initium fornicationis est exquisitio idolorum.* Ideò aliqui Idolum putant ab *Idos*, quod formam significat, deriuari, vt paruula forma sit, & virtute, & entitate, vt docet Tertullian. *de Idolatria, c. 3.* Isidorus *lib. 8. Ethimol. cap. vltimo.*

E regione verò Imago, Similitudo, & Simula- 110
chrum significant rei repræsentationem: Fateor, aliquando Idolum confundi cum simulachro: Vide Vasquez *disput. 101. cap. 3.* Sic accipitur à D. Aug. *lib. 10. contra Faustum, cap. 5.* & *quæst. 61. veteris testamenti*, & *primo de Trinitate, cap. 6.* Beda in id Lucæ 4. *Deum tuum adorabis*, Athanasius *oratione contra Idola.*

ENIM verò non confunditur Idolum cum Imagine, quia Imago est alicuius veri Imago vera, & dicitur Imago, quasi imitago, vt ait Sanderus, qui id confirmat è septima Synodo *act. 6. tom. 6. in confut. 13. definitionis.*

IVRA autem Simulachrum confunditur cum Idolo, quia licèt secundùm Lactantium *lib. 2. cap. 2.* dicatur à similando; tamen Vvaldensis *tom. 3. cap. 157.* & Sanderus *loco cit.* denominant à simulando: Quare in Scripturis pro Idolo ponitur, *Psal. 113. act. 15. prima Ioan. vltimo*, & alibi, vbi Græcè est *εἴδωλον Idolon*, Latinus Interpres vertit *Simulachrum.*

ASSERO, posse adhiberi Imagines Dei.

PROBATVR à D. Bonauentura *distinct. 9. q. 2.* 111
argumento 2. quia in antiquo testamento apparuerunt Angeli exprimentes Sanctissimam Trinitatem, *Genesis 18.* Tres viri, quos vidit Abraham, & ex quibus vnum adorauit: Sic *Genes. 3.* visus est ambulans Deus ad auram, *Genes. 28.* Sub figura corporea visus est, *Exodi 33.* & alibi, loquens

quens cum Moyse, vt notat D. Bonau. *in opusc. Summa de essentia.*

112 Deinde *Matth. 3.* Spiritus sanctus in Columbæ specie significatus est visus, vt innuit S. Bonau. *distinct. 1. dub. 4.* & latius *Lucæ 3.* ad ea verba: *Descendit Spiritus sanctus corporali specie super ipsum,* vbi obseruat, in Voce Patrem, in Luce Filium, in Columba Spiritum sanctum expressos. Deinde obseruat, Spiritum sanctum apparuisse in specie Columbæ, nubis, & ignis, vt ostenderet se incipientibus tanquam columbam dare gemitum; proficientibus, vt eleuentur sicut nubes; & perfectis in igne inflammando. Primò enim purgat, deinde illuminat, mox inflammat.

Hinc Antonio in septima Synodo *act. 5.* non longè à medio, legenti historiam, qua dicebatur Seuerus abstulisse à Fontibus Baptismi columbas argenteas, ibi positas in memoriam Spiritus sancti, (nam dicebat, non debere Spiritum sanctum sic repræsentari); Respondet Tharasius, meritò receptas à Patribus columbas illas; & potiori ratione Verbum incarnatum figurari posse.

113 Probatur deinde diuinitus à D. Bonauent. *in opusculo,* cui titulus *Summa de essentia, Tom. 7. in Append.* incipiente, vbi latè refert, qua ratione singula membra humana Deo adscribantur; mox infert, pingere, & adscribere propriè illa, esse idolatriam, & deducit, posse adscribi metaphoricè. Si igitur Scriptura attribuit Deo membra, cùm sit incorporeus, vt varias illius perfectiones significet, quod humanum ingenium tale sit, vt ex rebus corporalibus incorporeas naturas, & perfectiones intelligat; cur quæso corporea similitudine, & pictura idipsum fieri non poterit, quæ, teste Gregorio, rudioribus est veluti Scriptura quædam, & historia, vt docet etiam idem D. Bonau. hic *in quæstione:* vt sicut illa, quæ in Scriptura, membra corporis

114 de Deo enunciamus, metaphoricè sunt accipienda: eodem pacto, & figuræ factæ intelligantur; secluso tamen imperiti vulgi periculo, id quod prælatorum, & concionatorum sollicitudine fieri potest, & debet, vt admonet Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 2.* Hanc rationem optimam Turriani acclamat Vasquez *num. 19.*

Tandem ex vsu Ecclesiæ manifestum est, quæ tales exhibet imagines. De hoc nil Concilium Tridentinum statuit *loco citato,* sed solum admonet, vt explicetur populo, illas imagines exponi solùm, vt humano more percipiatur mysterium Sanctissimæ Trinitatis, non quia oculis corporeis sit exposita.

115 Obiiciunt primò hæretici *Exodi 20.* Imago Dei pingi prohibetur, & *Deuter. 4.* dicitur: *Memento quod Dominus locutus sit tibi in monte Horeb: vocem verborum audisti, imaginem nullam vidisti. Obserua ergo teipsum, ne fortè deceptus facias tibi similitudinem,* & Isaiæ 40. *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Idem innuit, *cap. 46.* & *Actorum 17.* & *Sap. 15.*

Respondet D. Bonauentura *dist. 9. quæst. 2.* illis, *Exodi 20.* & *Deuter. 4.* Deum prohibuisse quidem illi populo omnem imaginem Dei, quia cùm adhuc Deus, nec manifestè apparuisset, nec esset incarnatus, poterat ille populus, ad idola propensissimus, facilè in errorem induci. Cæteris verò in locis, præcipuè *Sapientia 15.* ait S. Doctor *in Commentario,* solùm exprimi, non posse formari imaginem Dei, vt in se est, sed solùm exterioris alicuius repræsentationis. Et hoc sensu locuti sunt etiam Patres nonnulli, vt notat D. Bonau. *in 3. dist. 9. quæst. 2. ad 2.* & post eum Vasquez *disp 103. cap. 4.*

Certum est enim ex fide, non posse imaginem Dei propriam fieri, vt habet Theodoretus Patriarcha Hierosolymitanus *epistola Synodali,* quæ habetur in septima Synodo *act. 3.* dicens: *Inuisibilis est, nec figurari se permittit.* Et idem habet Gregorius Papa *epistola ad Germanum,* & Germanus *epistola 1. ad Ioannem,* in eadem Synodo *act. 4.* Ratio D. Bonau. *ad 1.* est, quia cùm Deus sit incircumscriptibilis, & incorporeus, non potest figurari. Idem habent alij Patres apud Suarez *disp. 54. sect. 2.* 116

Obiicit secundò Caluinus ex periculo erroris. Licet enim ex sententia Græcorum imagines sint libri ignorantium; è contra tamen Scriptura *Hierem. 10.* Imaginem ligneam vocat doctrinam vanitatis. *Habacuc 2.* Conflatilem appellat Doctorem mendacij. Hinc satyricè infert Caluinus: Si Gregorius in schola Spiritus esset edoctus, nunquam dixisset, imagines esse Spiritum idiotarum. Confirmatur: nam ideò pictura dicitur Sap. 15. *Mala artis excogitatio.* 117

Respondet D. Bonauent. *ad 15. Sapientiæ,* Scripturam ibi loquutam de simulachris falsorum Deorum, non de imagine veri Dei. Diuus autem Gregorius ait, imagines esse libros idiotarum, quod asseruit etiam Beda *lib. 8. de Templo Salomonis, c. 19.* Damascenus *lib. 1. de imaginibus,* & D. Bonau. *in 3. loco cit.* nam simplices, qui nesciunt legere, intuentur in eis sacras memorias, & nostræ fidei Sacramenta, humanæ aptatas capacitati, atque inde excitantur ad deuotionem, ac tandem mysteria illa firmius memoriâ retinent, vt notat Vasquez *num. 28.* post D Bonau. *loco cit.* Neque S. Gregorius spiritum à Caluino indiget haurire. 118

QVÆSTIO X.

An liceat Angelos *pingere.*

Præter alios hæreticos Iconomacos, ac Iudæos, atque Mahumetanos, qui omnes Imagines execrantur, fuit quidam Xeneus Hieropolitanus, quem Nicephorus *lib. 16. cap. 2.* vocat Xenaiam, qui peculiariter imagines Angelorum è medio tollendas aiebat, vt refertur in septima Synodo *act. 5.* 119

Asserro tamen, imagines Angelorum posse pingi. Ita habetur in septima Synodo *act. 2. & 5.* vbi Ioannes Episc. Thessal. in quadam epistola dicebat, Angelos pingendos, quia corporei; at vera Tharasius assertionem recipit, non rationem, dicens: *Ostendit autem Pater, quod & Angelos depingere oporteat, quando circumscribi possunt, & vt homines apparuerunt: Sacra Synodus dicit etiam Domine,* &c. De hoc egi exactè *prima prima, tract. 4. disp. 1.* 120

Probatur ex dictis cum S. Doctore *quæst. 7.* quia Cherubim sculpti sunt in veteri Testamento.

Præterea altera septimæ Synodi ratio optima est, quia scilicet apparuerunt in specie verè, vt notat D. Bonau. *ad 24. Lucæ, & dist. 9. quæst. 2. argum. 2.* referens eos, qui Abrahæ apparuerunt *Genes. 18.*

Aliam rationem affert D. Dionysius de cœlesti Hierarch. *cap. 2.* quam innuit S. Doctor *quæst. citata, in corpore;* quia similitudine corporea, instar rerum corporearum, res incorporeas facilè percipimus modo nobis apto. 121

QVÆSTIO XI.

An liceat CHRISTVM *pingere sub Imagine Agni.*

122 IMAGINES huiusmodi vetitæ sunt in septima Synodo *act.6.* Ibi tamen id solum indicatur, vetitas esse imagines Christi in figura Agni, quia ex eo modo figurandi, sæpiùs Christum in ea imagine, quam in propria humana pingerent; nam cùm Agnus esset figura veteris Testamenti referens Christum, videbatur nimis vmbraricè adhuc Christus describi, cùm iam veritas aduenisset. Vide Vasquez *disp.*103. *cap.*2.

QVÆSTIO XII.

An Imagines sacræ sint adorandæ.

123 GRAVEM ab Iconoclastis, seu Imaginum contemptoribus passa est Ecclesia molestiam.

ANTIQVISSIMI Iconomachi referuntur à Sandero *lib. citato de Imaginibus, cap.vlt.* Marcionistæ, quos secuti sunt Manichæi, & Eutychiani. De his septima Synodus *act.*5. non longè à principio. Imitati enim Hebræos, Saracenos, Gentiles, Samaritas, item Manichæos, Phantasiastas, & Hæreticos, Sanctarum imaginum vsum prohibere voluerunt. In eodem errore fuit etiam Faustus ille apud D. Augustinum *lib.*20.*cap.*3. Iudæos verò refert S. Bonau. *sermone secundo, de decem præceptis.*

124 Ex Imperatoribus primus eas impugnauit Philippicus post ætatem D. Gregorij centum ferè annos. Deinde Leo Isauricus, vt referunt Paulus, & Zonaras in eius vita. Huic similis fuit Constantinus V. dictus Copronymus, qui, dum, baptizaretur, sacram Vrnam stercore fœdauit, quippè qui sacrorum contemptor erat futurus, id tam fœtido signo prænunciauit. Huius impietatem acriter Sanderus insectatur.

125 POSTEA verò *anno* 900. eundem errorem excitauit Leo Armenus, & post eum Michael Balbus, & Theophilus, vt testantur Cedrenus, & Zonaras *in vitis Imperatorum ipsorum.*

POSTMODVM Claudius quidam, origine Hispanus, discipulus Fœlicis Vrgelitani, contra imagines pugnauit, regnante Ludouico Pio, Caroli Magni filio, vt refert Ionas Aurelian. *lib.*1. *de cultu imaginum.* Deinde sub Alexandro Papa III. & Federico Imperatore I. Bogomili imagines Idola appellabant. Postea sub Innocentio III. & Federico II. Imperatore Albigenses noui Manichæi imagines Sanctorum deformabant, vt refert Lucas Episcopus Tudensis *lib.* 2. *contra Albigenses, cap.*9.

126 IAM verò circa annum 1372. Ioannes Vviclephus, vt refert Vvaldensis *Tom.* 3. *cap.*150. multa locutus est contra ornatum imaginum. Quas eius discipulus Hieronymus Pragensis fœdauit, vt refert Coclæus *lib.*3. *hist. Hussitarum.* Eundem errorem tribuit Vvaldensibus Claudius Caussodius *lib. contra Vvaldenses, cap. vltimo.* His denique temporibus hunc errorem suscitauit Carolus Stradous, vt est apud Coclæum *in vita Lutheri*, quod factum non improbauit Lutherus, sed solùm conqueritur, quod propria id fecerit authoritate, nulla ab eo petita facultate.

POSTEA teste eodem Coclæo secuti sunt Zuingliani, maximè Calvinus *lib.*1. *Institut. cap.*11. & alibi.

ALIIS etiam adscribitur hic error, quos redimere conatur Vasquez *disp.*102.*cap.*3.

CALVINISTÆ quidem concedunt, asseruari posse Imagines, non tamen in templis collocari.

LVTHARANI verò quidam etiam in templis ad ornatum merum eas non renuunt admitti.

NOTANDVM primò contra Calvinum, Imagi- 127
nes ante primos 500. annos ab Incarnatione, in templis fuisse, vt probat S. Bonauentura *distinct.* 9. *quæst.* 2. *ad vltimum*, & *in caput* 4. *Ioannis*, ex traditione Patrum, & Apostolorum, quas obseruandas tradit Apostolus 2. *Thessal.* 2. Nicephorus refert *lib.*10. *hist. cap.*30. & Sozomenus *lib.*5. *cap.*20. mulierem Hemoroissam, quæ à fluxu sanguinis fuerat à Christo sanata, statuam Saluatori erexisse apud Paneadem, ex cuius basi, vt refert Eusebius *lib.*7. *cap.*19. pullulabat herba, quæ cum ad fimbriæ contactum peruenisset, magnam virtutem ad morbos curandos obtinuerat. Eam verò tempore Iuliani ex eo loco remotam, & in templum solemniter asportatam referunt iidem, Sozomenus, & Nicephorus *locis allegatis.*

MEMORABILA verò est, quod narrat Sozome- 128
nus *loco citato*, & Theophylactus *in cap.* 9. *Matth.* Cùm Iulianus Apostata statuam illam inde amouisset, suamque ibidem imposuisset, illicò igne de cœlo demisso, statuæ caput amputatum est. Tertullianus *lib. de pudicitia, cap.*7. & 10. mentionem facit Imaginis Saluatoris, in figura pastoris depicti in ipsis calicibus, quibus vinum in sanguinem Christi consecrabatur: Eusebius *lib.*3. & 4. *de vita Constantini*, refert in templis extructis à Constantino in Palæstina, multas imagines aureas, & argenteas fuisse.

DAMASVS *in vita Syluestri*, narrat, in loco Baptisterij, vbi Constantinus aqua Baptismi fuerat aspersus, propè Ecclesiam Lateranensem, Imaginem argenteam agni, & Ioannis Baptistæ digito demonstrantis illum ab eodem positam: in ipsa
verò Ecclesia Lateranensi Imagines duod.cim Apo- 129
stolorum argenteas fuisse collocatas: Imaginem etiam Saluatoris tunc apparuisse in muro refert Breuiarium 9. *Nouembr.* Naaianaenus *epist.* 29. Nyssenus *oratione in Theodorum*, Basilius *oratione in S. Barlaam*, Missa Chrysostomi, quam Erasmus Latinam fecit, Euodius *lib.* 2. *de miraculis S. Stephani.* Prudentius *in lib. de S. Cassiano*: Paulinus *epistola* 12. Augustinus *lib. de consensu Euang. c.*10. Gregorius *lib.*9.*epistolarum, epist.*9. mentionem faciunt imaginum in templo positarum.

DEMVM Adrianus in scripto pro imaginibus propè finem testatur, Syluestrum, Damasum, Cœlestinum, Sixtum, Leonem, Ioannem, Pelagium, Pontifices imaginibus templa ornasse. Vide Bellarminum *Tract.*2.*lib.*1.*de Imaginibus, cap.*9.

TANDEM in Concilio Eliberitano, quod in 130
Hispania fuit celebratum, ante Concilium primum Nicenum, Imagines in templis ponebantur.

HOC sanè Concilium affert pro se Caluinus, quia *can.*36. habetur: *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Cui respondent variè Catholici. Baron. *Tom.*5.*Annal. fol.*348. suspicatur hunc canonem suppositum esse.

ALIQVI dicunt, fuisse Concilium Prouinciale tantùm,

tantùm, nec à Pontifice confirmatum, sed frustra contemnunt Patres, vt notat Vasquez *lib.2. de ador. num.121.* Tannet.2.2.*disp.5.quæst.2.dub.3.*

131 ALANVS Copus *dialogo 5. cap.16.* sic explicat ex Iuone Carnot. *in decreto,p.3.c.40.* veritas pro eo tempore, quo erant Gentes ad idola procliues. Sic exponunt & Ayala *de tradit. p.3. cap. de antiquit. Imaginum*, circa finem, & Sixtus Senensis *lib.5. Biblioth. sancta, annot.247.*

ALIAM affert idem Alanus, quam sequuntur Sanderus *lib.2. de ador. imaginum, cap.4.* Turrianus *lib.3. de dogmaticis characteribus*, ante finem; Fuisse conueniens, eo tempore, vt non exponerentur imagines ludibrio gentilium persecutorum, id autem potuisset fieri, si in parietibus templi essent depictæ. Ita etiam Turrianus *lib.3. de dogmat. charact.* Ayala *de tradit.3.p.tract.de Imag.* Tanner.2.2. *loco cit.num.81.* Bouet. *censura* 18.

VASQVEZ *disput.105.num.66.* ex Ayala explicat sic, Non esse pingendas imagines Sanctorum in parietibus, tum quia facilè decrustantur, fœdantur, & sæpe ingruentibus bellis stabula equorum adornant. Ex his verò deducitur, tunc temporis in Ecclesia imagines fuisse.

132 NOTANDVM secundò, toto illo tempore, ante 500. annos, Imagines coli solitas, vt admonet D. Bonauentura *loco citato, ad vltimum*, & ita Damascenus *lib.4. cap.17. de fide*, ait, esse traditionem Apostolorum, vbi etiam refert duo insignia: alterum de Imagine Saluatoris, quam ipse Christus formauit veste ad faciem applicita, & effigie impressa, eamque dedit pictori, misso à Rege Abagaro, cùm non potuisset ob fulgorem, è vultu coruscantem, illum pingere, & ita eam Regi misit. Idem refert D. Bonauentura *opusc. de septem donis, de dono pietatis, cap.2.* post medium.

ALTERVM est de Imaginibus multis Christi, & B. Virginis, pictis, & sculptis à Beato Luca Euangelista, quarum vna Romæ, alia Laureti, alia Brixiæ extat, & miraculis florent. Hæc, & alia refert S. Doctor ex Eusebio *lib.1.hist.* & Nicephoro *lib.2. historia.*

133 ASSERO itaque primò, Imagines esse adorandas.

PROBATVR primò à D. Bonauentura ex dictis *quæst.7.* vbi Imagines Cherubinorum *Exodi* 25. & Serpens Æneus *Numer.* 21. expositi sunt ad cultum.

PROBATVR secundò à S. Doctore *ad cap.4. Ioan.* & *serm.1. Dedicationis*, ex illis Scripturis, quæ asserunt, adorata esse aliqua loca sancta, Isaiæ 60. *Adorabunt vestigia pedum tuorum.* Psal.98. *Adorate scabellum pedum eius; quoniam sanctum est.* Psal.131. *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes*

134 *eius.* Arca enim sancta sanctificabat Templum, vt dicitur 3. *Reg.* 8. vbi describitur posita in templo, veluti reliquia, vt notat D. Bonau. *sermone citato.* Ideò 1.*Reg.6* describuntur ad internecionem puniti Bethsamitæ, eò quòd ausi sint aspicere Arcam, & Oza cecidit mortuus 2.*Reg.6.* eò quòd eam tetigisset, vt ait S. Bonau. *in 4.dist.9. art.2. quæst.* 2. cum septima Synodo *act.6.ad finem.*

RESPONDIT Calvinus, & Bucerus, nunquam præceptum fuisse adorari Arcam, sed in templo Deum ipsum. Omitto alia, quibus eruditè Vasquez *disput.104.cap.4.* & alij retundunt hæreticos.

EQVIDEM historiis ipsis Scripturarum conuincam; quibus testatum habemus, Sanctuarium, & Templum ob Arcæ venerationem ædificata, in eiseisque magna religione exculta, & fuisse loco Sanctarum Reliquiarum, ob quas dicitur Ecclesia in dedicatione ab Episcopo sanctificari, & consecrari. Hoc enim est argumentum S. Bonauenturæ *sermone adducto.*

EXODI 25. vbi Dominus præcepit Moysi Arcæ constructionem: *Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum: iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi: sicque facietis illud: Arcam de lignis Setim compingite.* Ecce Arcam Sanctuarium, vel Sanctuarij consecratricem reliquiam accinit. Ibi verò ad templum ait: *Tabernaculum facies, &c.* 135

IOSVE 3. Præcepit Deus, transferri Arcam per Iordanem, & aquæ recesserunt: & *cap.6.* Instituta supplicatione circum muros Hierico, Arcam Domini sequentium, atque præcedentium vocibus muri Hierico corruère.

QVANDO agitur de Sanctuario Hebræorum, recensetur Arca Dei, vbi etiam *Iudic.20.27.* 2.*Reg.3. & seqq.* Quandò Iudæi volebant exaudiri in bello, asportabant Arcam *cap.4.* 136

INSTITVTA est translatio solemnis sacra Arcæ 2.*Reg.* 8. ante eam obtulerunt sacrificia Deo: *Surrexit Dauid, & vniuersus populus, vt adducerent Arcam Dei, super quam inuocatum est nomen Domini exercituum, sedentis super Cherubim.*

SECVNDO Reg.7. Deus conqueritur: *Vides, quod Arca sit in medio pellium?* quasi dicat, dedecere, atque ideò augusti Templi fabricam indicit. Et *secundo Paral.* maxima, solemnissimáque supplicatio instituta est cum Arca; ante eam innumeræ hostiæ Deo offerebantur. Et sequentibus diebus maximæ solemnitates coram Arca factæ sunt; & Salomon, dum eleuabatur Arca, dicebat: *Surge Domine in requiem tuam, Tu & Arca sanctificationis tua.*

Ex quibus deducitur, si creaturis inanimatis sacra veneratio, atque adorationes exhibitæ sunt; neque imaginibus Sanctorum sunt denegandæ, Hoc argumento nititur Alanus Copus *dialogo 3. cap.8.* & Vasquez *disp.106. cap.2.* 137

PROBATVR deinde à Seraphico *in corpore*, ex definitionibus Conciliorum, vt habetur ex margine. Primò quidem extat Canon Apostolorum pro Imaginibus, de quo vide Turrianum *lib.1. de epistolis canonicis, cap.25.* Feuardentium *lib.1.* Irenæum *cap.24.annot.15.* Deinde *can.82 sexta Synodi*, Imagines recipiuntur.

EADEM veritas definita est in Concilio Romano sub Gregorio III. vt refert Sigibertus *in Chronico, anno 733.* In quo asserit, ferè mille Episcopos fuisse congregatos. 138

IDEM sub anno 766. & Paulus Æmilius *lib.2. de gestis Francorum*, scribunt sub Pipino Rege coactam Synodum in villa Gentiliacensi, in qua Imaginum quoque adoratio definita est. Aliam deinde habitam fuisse Romæ sub Stephano III. pro cultu etiam imaginum, narrat Sigibertus sub anno 768. Paulus Æmilius *lib. illo secundo.* Blondus *Ænead.2.lib.1.* eiusque sæpè meminit Adrianus in Scripto illo de Imaginibus.

POST hæc omnia celebratum est Concilium Nicænum II. quod septima Synodus Vniuersalis appellatur post annum 788. vbi ex Cedreno, & Sigiberto fuère 350. Episcopi: licèt Photius Patriarcha epistola ad Michaëlem, Principem Bulgarorum, numeret 367. In eo verò Concilio *act.7. in definitione fidei.* hæc veritas Catholica traditur. 139

TANDEM *sess.25.* id definit Sanctum Concilium Tridentinum.

PROBAT

140 PROBAT verò adhuc S. Bonauent. *citatis locis, in 3.distinct.9.quæst.2.* & *ad cap. 4. Ioannis*, ex Patribus plurimis, quos refert, cum S.Damasc. *oratione prima, secunda, & tertia de Imaginibus:* Et septima Synodus multa ad hoc confirmandum adducit. Inter hos sunt Basilius in Iulianum, vt refert Adrianus Papa *in epistola ad Imperatores*, in septima Synodo, act. 2. *Historias (inquit) imaginum illorum honoro, & palam adoro; hoc enim traditum nobis à Sanctis Apostolis non est prohibendum, &c.* Et ideò S. Bonau. *ad vltimum*, ait cum Damasceno *lib.4. cap.17.* hanc esse traditionem Apostolicam. Idem asserunt de ordinatione imaginum Chrysostomus *in Liturgia*, Ambrosius *serm.10. in psal.118.* Au-
141 gustinus *lib.3. de Trinitate, cap.10.* & *lib.2. de doctrina Christiana, cap. 25.* Paulinus *in natali Sancti Fælicis*, Gregorius *lib.7. epistola 3.* & *epistola 33.*

CONFIRMATVR ex dictis in geminis notandis, vbi etiam ex miraculis habetur argumentum, quo nituntur Bellarminus, Vasquez, & alij. Præclarè hanc agit controuersiam P.Zacharias Bouerius noster *Examine 4. Luth. censura 18.*

PROBATVR tertiò rationibus à D.Bonauentura. Prima est Damasceni *lib.4. cap.17.* quam adhibet Bellarminus *cap. 12.* Vasquez *cap. 3.* Caspens. *disput.15. sect.6. num. 48.* Honor imaginis redundat in prototypum. Vnde si imago Regis honoratur, censetur Rex honorari; & è contra, si inhonoratur, profectò Rex eam sibi adscribit iniuriam. Sic Theodosius Imperator ob suam imaginem deiectam, voluit ferè totam delere Antiochiam. Vide secundam, & tertiam Orationem Chrysostomi ad populum, & Thodoretum *lib.5. cap.19.* Ideò Iulianus Apostata statuam Christi deiecit, & Christus fulmine statuam Iuliani percussit, vt dixi suprà.

142 RESPONDANT hæretici Centuriatores, statuas Martyrum, quia vbique esse nequeunt, adorari. Deus autem vbique est præsens, ideò eius imago amouenda.

AT sic concedunt nobis Christi, & Sanctorum adorationes. Imagines autem Dei conficiuntur, quia Deus ita est præsens, vt sit à sensibus abstractissimus.

RESPONDENT deinde hæretici, cultum debitum statuæ Regis esse eiusdem; talemque etiam Sanctis solummodò concedi.

AT non percipiunt vim argumenti: deducimus enim à simili proportionali, vt sicut Regi ob excellentiam naturalem, vel fortuitam debetur cultus ciuilis; Ità Sanctis ob excellentias supernaturales cultus sacer, vt ostendi *quæst.5.*

143 OBIICIVNT primò Calvinus, & alij vetus Testamentum, in quo omnis adoratio imaginum prohibetur; neque enim aut Iudæi, aut Gentes adorabant statuas, tanquam Deos, non enim adeò stolidi fuêre Iudæi, vt ignorarent, vitulum illum, conflatum è suis monilibus, non esse Deum, qui eos eduxerat ex Ægypto, sed imaginem visibilem postularunt, in qua Deum inuisibilem colerent. Ita etiam Gentiles sapientes.

RESPONDET S. Doctor *ad 12. Sap.* magnum esse mendacium, quod affertur; nam ibi dicitur: *Appellauerunt Deos opera manuum suarum.* Quo nihil clarius ad Calvini temeritatem retundendam potest proferri.

144 ALIVD quoque mendacium Calvini redarguit acutè D. Bonauent. *ibi*, ex ipsa Scriptura, Psal.105. *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti sunt Deum, qui saluauit eos, &c.* Vbi aduertit S. Doctor, non vitulum, sed similitudinem vituli auream fuisse, cui gloriam dederunt Iudæi. Idem probat ex Iudæis *Genes. 21.* qui testantur, Ismaëlem docuisse Isaacum adorare statuas, tanquam Deos. Neque verò vitulus erat imago apta ad Deum repræsentandum verum; erat enim simulachrum Dei Ægyptiorum, qui erat Bos maculosus, & dicebatur *Apis*, de quo Cicero *lib.1. de natura Deorum*, Augustinus *lib.18. de ciuitate, cap.5.* Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius, & alij omnes Scriptores. Multa alia cum his addit Bellarminus *cap.13.*

AT inquies, quomodo ibidem dicitur de vitulo: 145
Cras solemnitas Domini יהוה, hoc enim est nomen solius Dei veri?

RESPONDET S. Doctor *ad 14. Sapientiæ*, illis verbis ibi: *Incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* Perperam igitur nomen Dei proprium IEHOVAH, creaturis communicarunt.

IDIM putabant Gentiles, qui ideò à prophetis coarguuntur *Isaia 46. Psal.113.& 134. Habacuc 2. Baruch 6. Actorum 9.* vt notat D. Bonauent. *opusc. Terminorum Theologiæ*, circa finem, & *prima parte Centiloq. sect.26.* & *in Biblijs pauperum, cap.22.* vbi contra Calvinum affert Scripturas asserentes, Hebræos, & alios Idolatrantes non sacrificasse Deo in illis statuis, Iudicum 2. *Feceruntque filij Israel malum coram Domino, & seruierunt Baalim, & Astaroth: Et dimiserunt Dominum Deum Patrum suorum.*

OBIICIVNT nobis hæretici aliquos Patres, 146
quos vide explicitos in Bellarmino *cap. 16.* & Vasquez *disput.106. cap.5.* Sic enim Irenæus *lib.1. cap.4.* carpit colentes Imaginem Christi more gentilium Idolorum, vt clarius explicant Epiphanius *hæresi 27.* Augustinus *hær.7.* Idem vult Hieronymus *in cap.3.Danielis.* Augustinus verò *de moribus Ecclesiæ, cap.36.* reprehendit eos, qui non sanctos, sed formaliter picturas colebant, vel colentes, vt Deos. Idem sentit Gregorius *epist.53.lib.7.*

AFFERVNT etiam Epiphanium, qui *in epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum*, dicit, se ob zelum confregisse imaginem Christi, vel Sancti.

RESPONDATVR facilè, Epiphanium testari se confregisse imaginem cuiusdam ignoti, quæ aliquo modo videbatur repræsentare Christum, vel Sanctum; sed non erat talis. Ita Suarez *3.p. disput.54. sect.1.* Vasquez *lib.2. à num.148.* Tanner. *num.84.* post Marium Victorinum.

ADDA multa ab Iconomachis supposita fuisse in 147
operibus Epiphanij, vt patet ex septima Synodo *act.6.* & hoc additum credunt Alanus *dialogo 5. cap. 21.* Sanderus *cap. 4. de Imaginibus*, Suarez *lo.o cit.* Bellarminus *lib.2. de Eccl.triumphante, c.9.* Baronius *Tomo 4. anno 300.num.92.*

PRÆCIPVÈ verò Calvinus arguit *lib.1. Instit. c.11.* & Centuriatores *Centur.8. c.9.* ex Libris Carolinis, qui anno Domini 1549. editi sunt, quos à Carolo Magno contra septimam Synodum compositos asserunt, quibus Iconomachia pro viribus defenditur. Allegant igitur ipsi Carolum Christianissimum contra Imaginum cultum.

RECTÈ verò mentiti sunt in caput suum men- 148
daces isti, eos enim libros non fuisse Caroli Magni ostendunt Sanderus *lib. 2. de Imaginibus, cap.5.* Alanus Copus *dialogo 4. cap.19.* Bellarminus *cap.15.* Vasquez *disput.106. cap 6.* fuêre enim missi à Carolo Magno piissimo ad Adrianum, vt confutarentur.

PRIMÒ

PRIMÒ quidem extat Liber Adriani Papæ I. ad Carolum, in quo isti Libri confutantur, & habetur *Tom. 3. Conciliorum*, post septimam Synodum: ex quo patet, Libros illos missos à Carolo Magno ad Pontificem, vt eos confutaret, atque damnaret; sciebat enim Imperator, septimam Synodum ab Adriano confirmatam. Quare non misisset eos libros ad Pontificem, si voluisset septimam Synodum refellere.

149 DEINDE mortuo Adriano, Leo III. reiectis Imperatoribus Græcis ob Iconomachiam, & priuatis, creauit Carolum Imperatorem, vt scribunt Zonara, & Cedrenus: Ergo signum est, eum non fuisse Iconomachum.

PRÆTEREA, vt notat Sanderus ex nullo Scriptore potest probari, eos Libros esse Caroli, nec vlla commotio Iconomachiæ tempore Caroli inuenitur. Imò Claudius, qui euulsit imagines tempore Ludouici Pij, non fuit ausus vnquam tempore Caroli Patris id facere, quia eius pietatem optimè nouerat, vt testatur Ionas Aurelianensis, eius temporis author, in epistola ad Carolum Caluum, filium Ludouici Pij, quæ habetur ante Libros eius *de cultu Imaginum 5. Tomo Biblioth. sacræ*, qui subinde laudat Ludouicum Pium Imperatorem, quia imitatus parentis sui Caroli Magni pietatem, damnauit Claudij Taurinensis Librum; & ipse Ionas accepit à Ludouico Pio Librum Iconomachiæ, vt eum confutaret, quem mortuo Ludouico confutauit, & confutationem misit ad Carolum Caluum filium, ex quo etiam mentiri deprehenduntur hæretici, qui Ludouicum Pium Iconomachum audent proclamare, vt notant graues authores. Vide Tannerum *num.85*.

150 OBIICIVNT etiam Concilium Constantinopolitanum sub Leone Imperatore Iconomacho, & alterum sub Copronymo: Sed isti fuerunt Conuentus illegitimi ferè Laicorum, vi adunati, neque vllo modo Ecclesiæ in morem facti. Ideò reprobantur, ab omnibusque vituperantur: & primum quidem à Zonara *3. Annal.* & Cedreno *in vita Leonis, sub anno 703*. Secundum verò etiam à septima Synodo *act.6.* execrabile vocatur.

OBIICIVNT verò Calvinus, Illyricus, & Cen-
151 turiatores, Concilium Francofordiense, in quo aiunt, damnatam esse septimam Synodum; atque adeò cultum Imaginum.

VASQVEZ *lib.2. de adorat. disput.7. cap.5. & seqq.* totam hanc narrationem, quod in Concilio Francofurti damnata sit Synodus illa Nicæna, niti ait partim mendaci, partim fucata relatione præfationis Librorum Carolinorum, imponentes Synodo Nicænæ, decreuisse eam imaginibus Latriam, soli Deo debitam. Ex qua primò Hincmarus, deinde alij posteriores historici, nullo fidei, sed facti errore decepti fuerint; damnationem enim illam non à Concilio Francofurtensi, sed à conciliabulo quodam eiusdem temporis, & fortè loci, cuius etiam operâ libri Carolini sint editi, emanasse constat.

MVLTI etiam existimant errore facti deceptum
152 Concilium Francofurti, in Nicæna secunda Synodo, statutam imaginibus Latriam reprobasse, & fuisse errorem facti, non iuris. Sic Genebrardus *in Chron. anno 794*. Bellarm. *lib.2. de Imag. cap.14.* Baronius *eodem anno 794. num.35.* Neque verò Concilium Prouinciale potuit Generali detrahere, si id præstitit, vt admonet Tanner. *num.90.*

CÆTERVM in authenticis actis Concilij Francoford. hac de re, cùm nihil extet, neque vllus Catholicorum se quidquam in his vidisse testetur, neque Adrianus Papa, neque Ionas Aurelianensis, qui illis temporibus rem hanc tractarunt, aut Vualfridus eiusdem ferè ætatis author, nec Paulus Diaconus, Sigibertus, Zonaras, aut Cedrenus vllum de hoc verbum mussitent: cæteri verò historici non consentiant; neque noua illa acta Concilij Francofurti à sectarijs edita, vllo authore, vel exemplari certo probentur; dici potest cum Binnio, Suarez, & Tannero nil circa imagines in eo Concilio fuisse decretum.

MVLTÒ minus est verum, Libros Carolinos edi- 153
tos esse ab eo Concilio Sancto, vel à Carolo Magno, de quo D. Bonauentura *serm. 16. Hexaëmer.* ait: *Tempore Adriani per Carolum, qui miraculosè fecit triumphos, quasi missus Angelus à Domino, & Sol, idest æstus tribulationis, abiit retro, & facta est pax Ecclesiæ. Hoc tempore fuit claritas doctrinæ, quia Carolus vocauit clericos, & scripsit libros, vt in S. Dionysio Biblia, & inceperunt legere, &c.* En Imperatorem hunc, ter magnum, Angelum Dei ad Ecclesiam doctrinâ, nedum armis defendendam, missum conclamat, quod idem ait Lyranus ad ea verba Apoc. 16. *Æstus, &c.* Ex his omnibus colligitur, inania esse sectariorum figmenta, quæ contra nos moliuntur.

ALANVS Copus *dialog. 4. cap.18. & 19.* res- 154
pondet, in Concilio Francoford. reprobatam fuisse non septimam Synodum veram, quæ fuit secunda Nicæna, sed eam, quæ Constantinopoli sub Constantino Copronymo acta est; de hac enim loquuntur Annonius in Annalibus Francorum, sub anno 704. Abbas Vspergensis, anno 793. illa verò septima vera Niceæ acta est. Ad hoc alludit Ado *in Chronico*, anno 792. dicens, esse eam, quam Græci Septimam vocant. Hæc resolutio admodum probatur Sandero *lib.1. de Imag. cap.5.*

IN hunc modum antiquos Scriptores historiæ, 155
Recentiores secuti sunt. Paulus Æmilius *lib. 2. de gestis Francorum*, inquit, definitionem Concilij Francofordiensis fuisse contra Græcos Augustos, imagines Sanctorum peruicaciter damnantes. Platina *in Adriano I.* ait, in eo Concilio abrogatam esse septimam Synodum, apud Græcos numeratam, & hæresim de tollendis imaginibus fuisse ablatam. Idipsum asserunt Sabellicus *Æneade 8. lib.8.* Blondus *Æneade 2.* Petrus Galilardus *in Chronographia sub anno 816.* Anselmus Riddus *in catalogo annorum, & Principum*, quem refert Alanus, imò & Senonense Concilium anno 1523. *cap.14.* & Laurentius Surius *in præfat. ad Concil. Francof.* Suarez *disp. 54. sect. 3.*

VASQVEZ *cap.2.* hanc expositionem euertere 156
satagit. Primò quia Annonius, & Abbas, tametsi Constantinopolitanam Synodum scribant, tamen dicunt, eam celebratam fuisse sub Constantino, & Irene; at Pseudosynodus sub Constantino Copronymo, & vxore eius Irene fuit celebrata.

DEINDE quia Reginonis, Adonis, & Auentini historia dicit, eam fuisse, quæ pro adorandis Imaginibus coacta est.

HÆC tamen friuola sunt; nam præcipuum, quod 157
spectare debemus, est, vbinam celebrata sit Synodus: Sic enim differentiam Synodi à Pseudosynodo habemus: Quod verò dicatur sub Constantino, & Irene, facilius potest erroris conuincei; nam sub Constantino Copronymo, & Irene facta est Pseudosynodus: Quod verò dicatur illa, quæ pro adorandis Imaginibus: Ado sic habet: *Pseudosynodus, quam Græci Septimam appellant, pro adorandis imaginibus abdicata est*; idest ad tuendam adorationem imaginum,

num, vt notat Alanus: Reginonis autem verba sunt aliquantò difficiliora, dicit enim: *Pseudosynodum Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant, fuisse abrogatam.* Similia habet Auentinus.

558 Respondetvr tamen ex Alano, expunctum fuisse *non*, idest pro non adorandis: Multi dubitant, istos deceptos circa septimam Synodum; vt putarent, ibi definitum esse cultum terminantem in Imagines, tanquam Deitates, hic enim error circumferebatur, vt notat Genebrardus *in Chronicis*, sub anno 794. & hic error etiam in Libro Carolino refertur, in cuius præfatione septima Synodus decepta dicitur. Non admitto tamen hanc ignorationem in Concilio Francoford. in quo erant legati Adriani: Hunc verò errorem in Libris Carolinis appositum video, qui non à Concilio Francofordiensi editi sunt, vt putauit deceptus Hincmarus *lib. contra Laudun. Episcop. cap.* 20. (Si tamen ea Hincmaro non sunt supposita ab hæreticis, vt dubitant multi:) Sic & Liber Carolinus in præfatione ait, adductam in medium à Sanctissimis PP. hanc quæstionem de Imaginibus adorandis, eosque contempsisse: Verum non fuit adducta in Concilio Francofordiensi, sed in Conuentu Iconomachorum, ibique contempta.

559 Qvapropter inniai illi authores, qui omnes fuêre occidentales, nec benè præcepta habuerunt acta secundæ Synodi Nicenæ, nimis creduli illis Libris Carolinis, & Hincmaro dixerunt, in Concilio Francofordiensi actum contra illam septimam Synodum, quæ est secunda Nicex. Vide Vasquez.

Addvcvnt etiam Librum Parisiensis Synodi; sed hunc Librum confictum ostendunt Bellarminus *lib. contra Synodum Paris.* Baron. *tom.* 9. *anno* 700. *n.* 94. & *anno* 800. *num.* 25. & monet Tanner. *num.* 92.

Obiicivnt etiam aliquas rationes; nam imago, cùm sit inanis, non est capax honoris: Præterea homo est imago Dei rationalis, & tamen non solet adorari; quantò igitur minus ligna, & lapides.

560 Respondit iam D. Bonauentura *quæst.* 2. *ad* 2. *&* 3. & *quæst.* 5. *ad* 6. creaturam viuentem esse nobiliorem non viuente, nobilitate reali, non nobilitate significationis, quia res parui valoris potest significare rem nobilem: Iam verò non adoratur imago ob innatam nobilitatem, sed ratione rei significatæ. Quoad Hominem, respondet, ipsum esse imaginem Dei venerandam, vt in se est, ob propriam excellentiam, vt ait D Cyrill. *Catbec.* 12. & D. August. *epistola* 203. vnde honor, qui ei defertur, non omninò refertur ad prototypum, sicut honor, qui defertur imagini pictæ: Si autem aliquis coleret ipsam figuram, tanquam rem, magis erraret, quàm qui coleret creaturam rationalem. Vnde D. Augustinus, *lib.* 3. *de doctrina Christiana, cap.* 7. ait: *Fateor, altius esse demersos, qui opera hominum pro Deo colunt, quàm qui opera Dei, vt* verbi gratia,
561 *statuam, quàm stellam.* Igitur homo non proponitur ab Ecclesia colendus, vt imago Dei, quia periculum esset, ne homo propter se coli putaretur: nam etiam propter se est capax honoris: Ita respondet etiam Vvaldensis, *tomo tertio, titulo* 19. *capite* 154. Bellarminus *libro* 2. *de Imaginibus, cap.* 19.

QVÆSTIO XIII.

Quo modo, & ordine Imagines Sacræ sint adorandæ.

{ D. Bonau. in 3. d. 9. q. 2.

HÆc quæstio ardua quidem, sed admodum est necessaria, vt calumnias hæreticorum vitemus 562
qui nos idolatras acriter conclamant: Quæstionis autem cardo eo vertitur, vt definiamus, an Imagines præcisè secundùm se sint adorabiles; an verò in ordine ad exemplar solum.

Prima opinio est Catherini *opusculo de adoratione Imaginum, concl.* 6. *&* 7. Martini de Ayala *lib. de traditionibus, 3. parte.,* vbi *de Imaginibus*; Imagines quidem in ordine ad exemplaria adorari; attamen propriam etiam eis deberi, tanquam termino proprio, adorationem, quam Venerariam appellant, inferiorem adoratione exemplaris: Pro hac sententia Bellarminus *lib.* 2. *de Imag. cap.* 20. refert Sanderum *lib.* 2. *cap. vltimo de Imaginibus*, Gabrielem *in* 3. *dist.* 9. *quæst. vn.* & *in Can. Missæ, lect.* 49. sed immeritò, allegatur ab aliis & Henricus *quodl.* 10. *quæst.* 6. qui tamen stat cum Seraphico, vt infrà: Hanc sententiam sequuntur Suarez *disp.* 54. *sect.* 5. quem Cardinalis de Lugo Antesignanum huius agminis acclamat. 563

E modernioribus Tanner. *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 2. *num.* 202. referens multos, Cardinalis Lugo *disput.* 36. *sect.* 3. Arriaga *disp.* 56. Amicus *disp.* 32. Faber *disp.* 22. *cap.* 6. Caspens. *disput.* 15. *sect.* 6. eamque probabilem censet Azorius, apud Tannerum, & alij referendi, *quæst. sequenti*, & Faliens. *cap.* 20. Quoniam verò hanc definitam in septima Synodo clamant, libet ab ea me expedire. 564

Primò enim ait Tannerus, septimam Synodum *act.* 4. eodem modo de reliquiis definire, atque de Imaginibus; illis verò concedere, præter adorationem propriam, etiam venerationem honorariam: Illustrem autem locū ait esse *act.* 6. vbi dicitur. *Quapropter non indignas habebimus imagines honore, salutatione, & veneratione, debitamque illis adorationem dare debemus, siue igitur placebit salutationem, siue adorationem appellare, idem profectò erit, modò sciamus excludi Latriam, hæc enim est alia a simplici adoratione, vt sæpè alibi est dictum.* 565

Arbitror, ibi germanum sensum esse patentem: Sic enim videtur excludere adorationem Latriæ, seu seruitutis, soli Deo debitæ; nam si Dei imagines sunt venerandæ, non aliter quàm Latriâ sunt venerandæ, sed relatiua tamen, & terminata ad Deum: Si verò Sanctorum adorandæ, Duliâ, sed relatiua: Hunc autem sensum colligo ex antedictis Insistit enim, vt sanctam imaginum venerationem teneamus, quia per eam recordamur Dei, adducitque id, Psal. 76. *Recordatus sum Dei, & exultaui.* Itaque semper per eam recordari possumus Dei: omne enim, quod in Dei recordatione exigitur, acceptum illi esse constat. 566

Sic & Tharasius ibi, exponens Leontij effatum: *Sancta Synodus dixit, Differentiam adorationis exhibuit: Dixit enim: Dominum tuum adorabis, & illi soli Latriam præstabis.* Quare adorationem concedit imaginibus, non seruitutem, cùm hæc soli Deo immediatè debeatur: Concedit igitur Latriam, vt est adoratio, non vt propriè, & adæquatè intellecta, claudit enim seruitutem.

167 Opponvnt etiam reuerentias varias fieri cru-
ci, & Christo, nam huic genuflectitur; at Cru-
ci caput inclinatur tantùm, iuxta rubricas Missalis,
nempe quia imagines cultu aliquo per se honoran-
tur, distincto ab eo, quo Christus colitur; alioqui si
solum in ordine ad Christum Crux colitur, eadem ei
debebitur genuflexio, quæ Christo.

168 Respondetvr ex dictis, externam demissio-
nem non dare distinctionem adorationis formalem,
vt dixi *quæst.* 1. genuflectitur autem Christi san-
ctissimo corpori, quia immediatè, & per se ter-
minat adorationem, simul cum exhibitione seruitu-
tis, in qua præcipuè consistit Latria, vt dicebat san-
cta Synodus.

Qvod verò supra dicebat, Imagines adnume-
rari reliquiis, concedo; at non sequitur, eodem
modo ex omni capite colendas, nisi illæ sint, quæ
ex alio capite habent quid sacri, vt dicit S. Doctor.

169 Perantiqva & celebris sententia Theolo-
gorum est, adorationem in Imaginem ita in Proto-
typum tendere, vt nec sola cogitatione imago per
se sine illo, vel ab eo separata, adorari possit: &
ita non modò exemplar, vt terminus remotus at-
tingitur, sicut Rex per Legatum colitur, sed etiam,
vt terminus proximus. Citantur Alensis 3. *parte*,
*quæst.*30. *memb.* 3. *artic.* 3. §. 1. S. Thom. *quæst.*25.
art. 3. 4. *&* 5. Caietanus, & Recentiores permul-
ti ibidem, Albertus *in* 3. *dist.* 9. *artic.* 4. Richardus
artic. 2. *quæst.* 2. *&* 3. Paludanus *quæst.* 1. §. *Inqui-
rendo tam de his.* Capreolus *quæst.* 1. *artic.* 1. *concl.* 2.
& 3. *artic* 3. *ad argumenta*, Almainus *quæst.* 1. *con-
clus.* 5. Maior *quæstione* 1. Marsil. *in* 3. *quæstione* 8.
artic. 2. *dub.* 2 *conclus.* 3. Vualdensis *Tom.* 3. *cap.* 156.
num. 6. *&* 7. Ferrar. 3. *contra gent. cap.* 120. §. *cir-
ca Latria adorationem*, Sotus *libro* 2. *de iustitia, quæ-
stione* 4. *artic.* 2. in fine, Turrecremmata *in cap.* Ve-
nerabiles *de consecr. dist.* 3. D. Antoninus 3. *parte*,
titulo 12. *capite* 9. §. 4. Hieronymus Angestus *con-
tra Lutherum*, *cens.* 10. *ad tertiam obiectionem hæ-
reticorum*, Clictouæus *in propugnaculo Ecclesiæ, libro
primo, capite decimo*. Iacobus Paiua *libro nono, ortho-
doxarum explicationum*, §. *At Kemnitius.* Francis-
cus Turrianus *libro primo*, *pro canonibus Apostolo-
rum*, *capite* 25. & *libro tertio*, *de dogmaticis Chara-
cteribus* satis ante medium, Alphonsus d. Castro
aduersus hæreses, verbo *Adoratio*.

170 Facit cum his Henricus *quodlibet* 10. *quæst.* 6.
Gabriel *loco citato*, Corduba *libro* 1. *quæst.* 5. *dub.* 4.
Holcot. *in librum sapientiæ*, *lect.* 157. Durandus *in*
3. *distinctione* 9. *quæst.* 2. *numero* 8. 9. *&* 10. Picus
Mirandulus *in sua Apologia quæstione tertia*, quos
aliqui cum Alensi, & Castro inuoluere conati
sunt cum Iconoclastis; sed immeritò, vt ostendit Vas-
quez *disputatione* 106. *capite primo*, Valentia *quæ-
stione vigesimaquarta*, *puncto secundo*, Fauentinus
disputatione vigesimasecunda, *numero quadragesimo-
nono*, sequuntur etiam Morandus *quæst.* 54. *&* 55.
Lugo autem *disp.* 36. etiam videtur pro hac. Tan-
dem id habet Bouetius *epistola* 4. *censura* 18.

171 Seraphicvs ab omnibus ferè pro hac senten-
tia refertur 3. *dist.* 9. *quæst.* 2. Idem colligitur *ex
eadem dist. quæst.* 1. *argum.* 6. *addito responso*, & d.
39. *art.* 2. *quæst.* 2. *corpore*, & *in primo, dist.* 31. *par-
te* 2. *quæst.* 3. *ad* 2. & *serm* 2. *de decem præceptis* ad
finem, & *opuscul. de septem donis: de dono Pietatis*,
cap. 2. ad finem, & ad ea Ioannis verba, *cap* 4. *Eos
qui adorant, in spiritu, & veritate adorare oportet.*

Vervm tamen grauiter obserua in S. Doctore
singulare, ex quo grauissimæ oppositiones Vas-
quin, & aliis factæ, sanè molestissimè, nec solu-
biles, doctrinâ istâ S. Doctoris soluuntur facilè; Duo
esse genera Imaginum. Aliæ sunt nudæ, nil am- 172
plius habentes, quam esse artis, & repræsentare
Prototypon; tales sunt Icones ordinariæ, & hæ nul-
lam habent venerationem propriam, sed solam re-
latam Prototypo Duliam Sancto; Latriam Deo;
Virgini Sanctissimæ Hyperduliam. Aliæ sunt, quæ
habent aliquid in se sacrum, vt quod à B. Luca sint
factæ, quòd instar reliquiæ corpora Sancta tetige-
rint, & hæ habent rationem quandam sacri ad mo-
dum, quo Liber Euangeliorum, atque his aliquam
venerationem assignat septima Synodus venerariam,
adducens in exemplum Crucem Christi, de qua
quæstione sequenti. Sed quia illa relatio non est adeò
completa, sicut ratio imaginis, ideò remanet his
aliqua veneratio.

Assero cum D. Bonau. Imagines non esse per 173
se adorandas, sed solùm in ordine ad Prototypon.
Cum S. Doctore profitetur se incedere Mastrius
disp. 2. *quæst.* 20. qui tamen declinat à S. Doctore.

Plvrimos autem pro hac sententia *quæst. se-
quenti* recensebo.

Probatvr primò à S. Doctore *quæst.* 2. ratio-
ne ducta ex D. Damasceno *lib.* 4. *de fide*, *capite* 17.
qua vtitur Concilium Trident. *sess.* 25. *in decreto de
sacris Imaginibus*, vbi habetur: *Imagines porro Chri-
sti, &c. in templis præsertim habendas, & retinen-
das, eisque debitum honorem, & venerationem imper-
tiendam; non quod credatur inesse in his diuinitas, vel
virtus, propter quam sint colendæ, sed quoniam ho-
nos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ
repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur, &
coram quibus caput aperimus, atque procumbimus,
Christum adoremus: & Sanctos, quorum illæ similitu-
dinem gerunt, veneremur.*

Vbi Concilium agit de omni veneratione debi- 174
ta imaginibus, nec aliam agnoscit, quam illam,
quæ ex Prototypo aduenire potest. Negat autem
Imagini omnem adorationem, præter eam, quæ
ad exemplar refertur, & ratio est, quia in eis nulla
præcise est virtus.

Hinc verò ratio Concilij est ponderanda, quæ
est Damasceni, & S. Bonauenturæ, fundamento pri-
mo. *Quoniam honos, qui imaginibus exhibetur, re-
fertur ad prototypa, vt per imagines, coram quibus
procumbimus, Christum adoremus, & sanctos.* Hanc
rationem indicant etiam Gabriel, Almainus, Cordu-
ba, Morandus, & alij allegati.

Respondent aduersarij, Prototypon adorari 175
cum imagine, vt terminum remotum adorationis,
seu in obliquo; at verò Imaginem esse terminum
proximum cultus illius, in recto.

Vervm ex Damasceno, & Concilio Tridenti-
no habetur, nullam venerationem absolutam debe-
ri imagini, sed omnem relatiuam in prototypon.
Eandem esse definitionem septimæ Synodi *sect.* 7.
protestatur sacrum Concilium Tridentinum. Idem
habetur in Concilio Senonensi *cap.* 14. vbi defini-
tur, Imagines adorari, non quia aliquid in eis Nu-
minis putetur esse, sed ob recordationem exempla-
ris: Et Concilium Moguntinum *cap.* 41. *de vsu Ima-
ginum* dicit, non adorari Imagines, sed ad hoc po-
ni, vt exemplaris recordemur: Sic autem ait §. 1.
*Non enim proponuntur imagines in Ecclesia, vt adore-
mus eas, & colamus, sed vt per eas quid orare, colere,
& venerari, & imitari debeamus, admoneamur.* Id
autem explicat §. 2. sic: *Codicem oculis perlustrans,* 176
cùm ad venerabile, & tremendum nomen Iesu deuenerit.

caput aperit, inclinatur, & suspirans in cælum oculos attollit, & ob id omni reprehensione, & idolatria suspicione caret, si quidem non litteras, quæ vili atramento pinguntur, sic honorat, sed cogitatione, & veneratione mentis sua ad eum venerandum, & adorandum rapitur, cuius memoriam hæ litteræ ei suggerunt. Cur ergo superstitionis, aut idolatriæ reus peragitur, qui ante imaginem crucifixi Domini caput aperit, aut procumbens adorat, cùm nequaquam imaginem putet adorandam, sed eum corde veneretur, & adoret, quem pro se natum, passum, &c. recordatur? Atque hic est imaginum vsus sine omni superstitione, & non sine piecatis fructu in Ecclesia obseruatus.

177 PROBATVR etiam ex Patribus. Primus sit D. Basilius *libro de Spiritu sancto ad Amphilochium, capite decimooctauo*, cuius sententiam repetit Damascenus 4. *de fide, capite decimoseptimo*, relatus à D. Bonauentura, omnibus ferè locis allegatis, tanquam testimonium præclarissimum. Idem testimonium recitat Ioannes, tenens locum Episcoporum Orientalium in septima Synodo, *act.* 4. vbi ait: *Falsa Synodus* (id est sub Coptonymo Constantinupolitana) *sparserat hoc axioma: Quicunque imaginem Christi adorat, in duo Christum diuidit: & quicunque imaginem aspiciens dixerit, aut inscripserit ei, hic est Christus. Christum diuidit; stultum id sanè est.* Confirmat deinde testimonio Basilij, quod ita habet: *Quia Rex etiam dicitur Regis imago, & non duo Reges: neque enim imperium scinditur, neque gloria diuiditur, quemadmodum principatus, & potestas vna est, quæ nobis dominatur; sic etiam, & glorificatio à nobis vna est, & non multa, propter quod imaginis honor ad exemplar transit:* Vbi adorationum multiplicatio exploditur.

178 SECVNDVM testimonium est Damasceni, qui *libro primo, de Imaginibus* ait, commentatus dictum Basilij: *Quemadmodum purpura, & sericum, & quod ex his vestimentum conficitur, per se nihil aliud sunt, nisi tenue quoddam operimentum, quod tamen si Rex induerit honoris, quo præstat Rex, ipsum quoque particeps fit: ita res ex materia constantes per se quidem adoranda non sunt; at si gratia plenus sit is, quem illa referunt pro fidei proportione, ipsa quoque participes fiunt.* Vbi comparat Imaginem purpuræ Regis, quæ per se nullo est digna honore, cuius rationem reddit S. Bonauentura *distinctione nona, quæstione prima*, quia honor est personæ. Multos alios Patres refert Vasquez, scilicet Leontium *dialogo* 5. *contra Iudæos*, qui refertur in septima Synodo *act.* 4.

ATHANASIVS *in quæstionibus ad Antiochum, quæstione trigesimaoctaua*, & *libro contra Arrianos*, vt refert Damascenus *oratione tertia, de Imaginibus*, quem vnicum ferè affert S. Bonauentura, quia apud eum allegantur alij. Sunt etiam Patres, qui affuere septimæ Synodo, relati à Vasquez *cap.* 6.

179 HIS testimoniis respondent aduersarij, Imagines dupliciter considerari: Primò vt exercent actu officium imaginis, & hoc pacto non adorari absque Prototypo: Secundò prout sunt res sacræ, & sic coli per se proximè; exemplar autem remotè, sicuti cum veneramur Sanctos, colimus etiam Deum. Itaque Patres & Concilia de Imaginibus primo modo loqui.

ENIM verò non potest Soli tenebra apponi. Nam Concilia allegata nullam aliam venerationem concedunt imaginibus, quam eam, quæ ad exemplar refertur. Idem etiam dicunt Patres. Vide Vasquez *cap.* 7.

OMITTO tamen ea, quæ Vasquez, & alij tertiæ sententiæ Theologi dicunt de Cruce Christi, de qua alio modo definiendum erit cum Seraphico *quæst.* 4. 180

PROBATVR deinde à D. Bonauentura, *fundamento tertio.* Imago se offert nobis pro se, & pro exemplari, quatenus illud repræsentat, neque aliquid habet proprium, nisi materiam, & formam artefactam; totam autem rationem habet imaginis ad exemplar: Ergo nullam per se habet sacram excellentiam, ob quam veneretur: Ergo pro illo, & cum illo, & nullo modo ab eo diuisa debet adorari. Hanc rationem sumpsit S. Doctor ex D. Athanasio *contra Arrianos*, non longè à principio, vt refert etiam Damascenus *oratione tertia, de Imaginibus*, ait autem: *In imagine species, & forma* 181 *Regis, & in Rege species est Imaginis: & expressa est in imagine Regis similitudo, vt qui videt imaginem, in ipsa Regem aspiciat; & qui Regem videt, intelligat, hunc esse illum, qui in ea sit expressus Imagine; & quia non differt similitudo, idcircò post conspectam imaginem, & volenti Regem intueri, imago dixerit: Ego & Rex vnum sumus.* Postea addit: *Qui enim adorat imaginem, is Regem adorat; nam illius formam, & speciem imago continet.* Sic recitatur testimonium hoc à Damasceno paucis verbis mutatis, non sensu læso. Illud testimonium affert, etiam Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, vt refert Turrianus *libro tertio, de Characteribus dogmaticis.* Idem citat Epiphanius in septima Synodo *act.* 6. *Tomo quinto*, & postquam à Petro Lectore *act.* 4. lectum fuit, dixit Tharasius: *Hæc sanè rerum natura docet, quod honor imagini exhibitus, ad ipsum fontem primum referatur; quomodo & contumelia.* Idipsum notauit Epiphanius Diaconus in septima Synodo *act.* 6.

EANDEM rationem deduxit S. Bonauentura, ex Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano *in dialogo*, cui titulus est *Orthodoxus*, quem refert Turrianus *libro primo*, pro Canonibus Apostolorum, *capite vigesimoquinto. Liquet, Christum, vt pote, qui debuit per omnia fratribus assimilari, prototypon esse imaginis suæ, tametsi verbis scriptum non sit. Quare cùm quærit hæreticus, vbi scriptum sit de adoranda Christi imagine, respondendum est, ibi scriptum esse, vbi scriptum est, adorandum esse Christum, siquidem inseparabilis est à prototypo effigies eius.* 182

HANC rationem desumpsere è Seraphico Marsilius, Paludanus, Bonetius, & alij.

VASQVEZ *capite octauo*, hanc solam rationem profitetur inuenisse in Bonauentura, cùm tamen omnes in ipso inueniantur, quas ipse adducit, vt apparebit. 183

HANC porrò infirmam ex more dicit Vasquez, quia possent respondere aduersarij, Imagines coli etiam vt res sacras; non autem cum exemplari.

HÆC tamen responsio friuola est, quia, vt arguunt Patres, ex quibus sumpta est ratio: Sacratio imaginis non est à toto, quod habet à natura, puta ligno, tela, lapide, coloribus, &c. vel ornamentis; vel à toto, quod ab arte, puta à pictore egregio, sed à sola repræsentatione exemplaris; quare ergo datur ei aliqua propria consecratio, cui adoratio sit debita?

ALIAM

184 Aliam rationem celebrem indicat D.Bonauent. *fundamento vltimo*, quæ sumitur etiam à D. Thoma, ex Aristotele lib. de memoria, & reminiscentia, cap.2. *Idem est motus in imaginem, & in id, cuius est imago*: Ergo idem est adorationis motus in imaginem depictam, exempli gratia, B. Virginis, & in B. Virginem, in imaginem Christi, & Christum.

185 Qvarta ratio sumitur ex D. Bonauent. *dist. 9. quæst. 1.* Imago confertur cum exemplari, vt comparatur pars cum toto, sicut purpura cum Rege, sic enim à Patres comparantur supra relatis, quibus adde Theophanem Episcopum Niceæ, relatum à Turriano *lib. 3. de Characteribus dogmat.* Sed pars cum toto simul adoratur, non separata: Ergo & imago cum exemplari. Hanc rationem habet etiam S.Thomas, & Caietan. Ea tamen non est peculiaris de imagine, sed de quacunque re sacra inanimi, quæ religioso cultu adoratur.

Vasqvez carpit hanc rationem, quia, licèt valeat de partibus realibus; tamen de his, quæ sunt partes solum secundùm intellectum toti coniunctæ, adhuc probandum restat, quomodo sub eodem motu adorationis cum exemplari cadant.

Deinde adhuc hoc probato, non satis manet confirmatum, non posse has res, vt sacræ sunt, præcisas adorari.

186 Verum, cùm imago dicat relationem realem similitudinis ad exemplar, & cum tota sit relatiua, non potest seipsa terminare secundùm esse absolutum adorationem; totam enim considerationem habet per ordinem ad exemplar.

Vasqvez *cap. 9.* cæteris rationibus explosis, vnicum dicit esse huius veritatis fundamentum, & est ratio desumpta ex natura adorationis, qua vtuntur S. Thom. Alensis, Durandus, Almainus, Vualdensis, Gabriel, Holcoth, Picus, & Corduba, supra relati. Potuisset dicere rationem esse D. Bonau. *in primo, dist. 31 parte 2. quæst. 3. ad 2.* & *in 3.d.9. quæst 2. argum. 3. ad oppositum, addito responso*, & *quæst. 4. in corpore, & ad 4.* vt sequitur.

187 Nvlla res inanimis, aut irrationalis sine rationali est capax honoris secundum se: sed imago est res irrationalis: Ergo secundùm se siue exemplari, non est digna adoratione. Maior probatur, nam adoratio est exhibitio submissionis excellentiæ alicuius superioris; irrationalia autem omnia sunt homine inferiora. Hunc esse Hectorem nostrum ait Lugo *numero* 49.

Respondet, negàns Maiorem, quia potest quis prudenter se submittere rei inanimi secundum se acceptæ, etsi non propter se. Ità subiicitur Sacramentis ex D.Thom. *quæst. 61. art. 1.* Sic amatur homo indignus, eique seruimus. Sic adoratur caro Christi, & homo, vt Dei imago, ita possum adorare Imaginem in se, sed relate ad exemplar: Sic enim (aiunt alij) adoratur Legatus, *vt quod*; & si propter Regem colitur, nec tamen adoratur Rex.

188 Hæc tamen demolitur S. Bonau. *dist. 9. artic. 1. quæst. 2. ad 4.* ex D.August. *lib. 3. de doctr. Christ. cap. 7.* ea enim, quæ in se nobilia sunt, qualia affert Lugo, habent rationem magis obiecti, quàm signi, & ideò nil mirum, ea coli etiam secundùm se. Sacramenta verò, etsi non signa nuda, sed gratiæ instrumenta, non coluntur in se. At imago in se habet in sua entitate absoluta solum, artis prolem esse è coloribus in tabula; Ideò nil habet nobilitatis, præter esse signum, quod totum ad aliud habet esse. Ideò in se cultum nequit terminare. Hinc D. August. ait altiùs mersos, qui statuas hominum opera adorarunt, quàm qui homines, & Angelos, & vt dicitur *Sap. 13.* minor est querela, qui nobiliora Dei opera coluêre, vt notat ibi S.Doctor, & D. Thom. 2. 2. *q. 103. art. 3. ad 3.* & Vasquez *num.* 89. Quod etiam ait Lugo, adorationem terminare ad solam imaginem, nec adorari Sanctum, & tamen esse relatiuam ad Sanctum (sanè vt terminum, more relatiuorum) implicat.

Porrò inter Legatum, & imaginem agnouit 189
Lugo allatam differentiam *num.* 56.

Vltima ratio, quam non minus efficacem acclamat Vasquez *cap. 10.* ab opposito desumitur. Est autem ratio S. Bonauent. *dist 9. quæst. 4. in corpore*, quam desumpsit ex Epiphanio in septima Synodo *act. 6.* & Tharasio *act. 4.* qui post lectum testimonium Athanasij contra Arrianos, addit: *Hæc sanè rerum natura docet, quod honor imagini exhibitus, ad ipsum fontem primum referatur, quomodo etiam contumelia.* Sumitur etiam ex Adriano *epistola ad Imperatores*, qui in *act. 2. septima Synodi*, refert Chry- 190
sostomum, qui in homilia parabolæ sementis eandem rationem his verbis expressit, dicens: *Nescis quod quicunque ex ligno, vel coloribus imagini conuitia dicit; illum non damnari, veluti in rem inanimatam, sed contra Regem ipsum dixerit.* Damascenus quoque *oratione tertia, de Imaginibus*, refert testimonium Basilij *in cap. 13.* Isaiæ ad ea verba: *Perdam superbiam*, vbi ait: Si quis homo Regis imaginem lapidibus petat, quia Regem ipsum non possit, atque ita lignum, Regis effigiem referens, verberet; sic quicumque veneratur imaginem, ipsum nimirum veneratur exemplar.

Idem Adrianus *in scripto de Imaginibus* finem 191
versus, *capite octauo*, ait: *Nescis quia, si quis imaginem Imperatoris iniuriauerit, primæ formæ dignitati affert iniuriam? Nescis, quoniam, si quis imaginem, quæ à ligno detrahit, non sicut in inanimatam materiam accedens, sic iudicatur; sed sicut, qui aduersus Imperatorem manus extendens, fœdat materiam sine anima Imperatoris, segregatam ab Imperatore? Imago enim omnino, si feriatur, eius iniuria Imperatorem attingit.*

Ratio igitur est hæc: Imago, & quævis res, 192
etiam irrationalis secundùm se, non est capax iniuriæ: Ergo neque est capax adorationis, nisi coniuncta cum rationali; nam contrariorum eadem est ratio; quod enim vnius contrarij capax non est, non potest esse capax alterius contrarij. Porrò nullam rem inanimem esse capacem iniuriæ probatur; nam sicut non est capax iniustitiæ, & ob id, cùm quis malè tractat rem, puta equum, non infert iniuriam bestiæ, sed domino; sic in proposito, non imagini, sed Sancto illuditur; nec est simile de Prorege, qui, vt ait Lugo, est capax iniuriæ. Ideò respondet, eodem actu adorari in obliquo exemplar, & hoc sufficere, vt inhonoratio imaginis transeat in iniuriam exemplaris.

Porrò id in obliquo nil iuuat; nam imago dicit relationem formaliter ad terminum in recto.

Obiicies primò. Septima Synodus, *act.* 193
septima, ait in Definitione fidei: *Definimus, cum omni diligentia, & cura, venerandas, & Sanctas imagines ad modum, & formam veneranda, & viuificantis Crucis dedicandas, & collocandas in templis*; & addunt: *Quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes qui contemplantur; ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant, illisque salutationem, & honorariam adorationem exhibeant, non secundum fidem nostram veram Latriam, qua so-*

li natura Diuina competit, sed quemadmodum typo veneranda, & viuificantis Crucis, & Sanctis Euangeliis, & reliquiis Sacris oblationibus suffitum, & luminarium reuerenter accendimus. Cùm igitur Synodus neget Imaginibus, etiam Christi, Latriam, at concedat honorariam salutationem, qualem Euangeliis exhibemus; sequitur, eas obtinere distinctum cultum per se inferiorem.

IDEM habet Adrianus *scripto de Imaginibus*, & habetur *Tom. 2. epistolarum Pontificum*, inter epistolas Adriani *in responsione ad reprehensores, ex capite nono.*

194 IDEM habet *act. 1. septima Synodi*, Tharasius Patriarcha post lectam epistolam Adriani: Clariùs verò *act. 6.* Epiphanius Diaconus, & D. Augustinus *epist. 119. cap. 11.* Damascenus *oratione prima, & tertia de Imaginibus.*

MASTRIVS *num. 260.* respondet, Concilium loqui de quodam modo adorationis, quo vel diuersis actibus, vel si eodem actu, non adorantur per modum vnius adæquati, vt cùm adorato per imaginem prototypo, in hoc insisto absoluiè venerando, vt obiecto ab Imagine distincto, tamquam fine, quo casu Imago terminat venerationem tantùm respectiuam, quæ minor est, & de hac loqui Concilium, eamque honorariam vocare.

195 VASQVEZ amplo apparatu *à cap. 13. vsque ad 16.* molitur respondere. Multa præmittit, plurima constituit; sed fateor, eum non satisfacere, vt patet legenti, tametsi luce clarius meridiana apparere acclamet veritati consonum, quidquid affert. Negat ipse duplicem illum cultum distinctum, quem Synodus, & PP. allegati luce clariùs distinguunt. Igitur dicit, negari Imaginibus latriam in spiritu, & veritate, idest, affectum seruitutis, & subiectionis; hic enim non potest respicere imagines solas secundum se; sed totus fertur in exemplar, in quo est excellentia. Sentiunt igitur (ait) imaginibus secundùm se exhiberi ex voluntate adorationem in signo, sed non seruitutem in spiritu; non ergo sequitur, imagines secundùm se adorari. Inclinat Bouerius in calce.

196 ENIM verò Epiphanius in septima Synodo attribuit Imaginibus simplicem adorationem, à qua dixit, Latriam differre, eamque dicit posse vel salutationem, vel venerationem vocari, dummodo eam à Latria distinguamus.

ILLA verò adoratio in signo non est alia ab adoratione, quæ refertur ad prototypum; est enim illa relatiua Imaginis, vt imago est, non alia distincta, quam Synodus profitetur. Præterea, si Imagini præcisè concedatur sola externa subiectio sine affectu interno, hæc non erit adoratio, quæ ex interno, & externo componitur, vt tenet Vasquez *disp. 95. cap. 4.*

RESPONDET Vasquez, Imagines honorari nota subiectionis externa, coniuncta cum interna, quæ oritur ex affectu exemplaris. At si ita est, non est duplex adoratio septimæ Synodi.

197 EQVIDEM video, Seraphicum satis superque fecisse difficultatibus, ita vt ex *quæst. 4.* deducam, eum perlegisse septimam Synodum, etiam Græcè excusam (fuit enim Græcæ linguæ gnarus, vt patet ex eius operibus.) Hanc verò Synodum ait Suarez *loco citato* initio *sect.* non fuisse à D. Thoma perlectam, quia fortasse eo tempore non erat facta Latina, aut ad illius manus non peruenit. Equidem arbitror, D. Thomam in Græca lingua instructum.

IAM verò D. Bonauentura *quæst. 4. in corpore*, obseruat ex D. Damasceno *libro 4. de fide, cap. 12.* aliquas esse Imagines, quæ sunt meri typi, vt sunt 198
picturæ factæ à Tintoreto, Vido, Rheno, Michaële Angelo; & his veluti meris typis nil sacrum conuenit, nulla excellentia, nullaquè dos, reuerentiâ digna, præter id, quod habet in ordine ad exemplar. Aliæ sunt Imagines, quæ præter repræsentationem habent etiam aliquid sacrum, vt sunt Crux, in qua Christus pependit, & alia passionis instrumenta, vt claui, lancea, & his similia; hæc verò ex contactu Christi, ex sanctificatione per sanguinem, &c. sacra iam facta sunt, vt omnes fatentur, qui rectè sapiunt.

IGITVR septima Synodus vult proportionaliter 199
offerri cultum Imaginibus, sicuti cruci Christi, quam semel viuificam Crucem, semel typum viuificæ crucis nominat, vt sicuti typo crucis, qui est merum signum, nulla datur adoratio, quàm, quæ est in ordine ad exemplar; Cruci verò ipsi, in qua Christus pependit, præter cultum ad exemplar, debetur etiam quædam honoraria veneratio, qualis debetur etiam multis rebus sacris, puta Sacramentis, Euangelio, &c. Ita etiam Imaginibus, quæ sunt meri typi exemplarium, nulla debetur adoratio per se; sed sola adoratio in spiritu, ad exemplar terminata; at verò quibusdam aliis, quæ habent præter esse typi etiam aliud in se sacrum, puta, quia à D. Luca depictæ, quia vultum Christi contigerunt, & ex illo formatæ sunt, qualis est ille ad Abagarum missa, & Vultus S. Veronicæ, & Syndon Taurini; non solùm respectu sanguinis, vel sudoris, qui potuit in eis esse effusus, cui debetur veneratio; & adoratio propria; sed etiam ratione sacræ configurationis, debetur eis honor, quem Seraphicus ait, non esse Latriam, vel duliam, qui non est species adorationis, sed potest vocari honor venerationis, seu veneratio honoraria, vt habet septima Synodus.

HOC sensu D. Augustinus, & D. Damascenus, 200
allegati dicunt, soli Verbo filio, comprehensiuæ Imagini Patris, deberi propriè Latriam, per se ad eum terminatam; cæteris autem, quæ sunt typi, in ordine ad prototypum; ipsis verò seorsim imaginibus aliam inferiorem venerationem, si sacræ sint, vt dixi. Damascenus quidem consonat sibi, & conscius loquitur, sic & D. Augustinus, à quo Damascenus habuit dictum.

PER hæc satisfacit etiam argumentis secundæ sententiæ, ab authoritate sumptis.

OBIICIES secundò cum prima sententia. Ima- 201
go, quoquomodo considerata, est res creata; at Latria est summus cultus, qui Deô debetur: Ergo non potest Creaturæ deferri.

RESPONDET Vasquez, non exhiberi Imagini cultum Latriæ, prout est res inanimis, nec exemplari animata, sed aliquam venerationem, puta genuflectionis, &c. non tamen exhiberi imagini per se, non adorato exemplari.

HÆC tamen responsio est nulla, quia, vt dixi, quidquid venerationis transit ad exemplar, est Latria, si sit Deus, vel Christus; aut Dulia, si Sanctus.

RESPONDETVR ergo, Imaginibus, quæ me- 202
ri typi sunt, nullam venerationem præcisè deberi, sed solùm quibusdam sacris, vt dixi: Sic corruunt aliæ rationes etiam secundæ sententiæ, si supradicta attendantur.

MASTRIVS *numero 246.* assertum aliud ponit, quod licèt non possit adorari imago, non adorato exemplari, non est tamen necesse, vt hoc adoret, *vt Quod*; sed sufficit, si adoretur, *vt Quo.*

PROBAT,

PROBAT, quia quando ratio formalis, ob quam potentia fertur in obiectum materiale, extrinseca est
203 obiecto non necessario, potentia fertur in eam directè; at ratio, ob quam voluntas fertur in imaginem, est ei extrinseca: est enim excellentia exemplaris: Ergo adorans imaginem ob exemplaris excellentiam, non tendit in exemplar, *vt quod*. Sic enim amans proximum propter Deum, non illicò tendit in Deum, *vt Quem*. Sed non videtur consonum Conciliis, & Patribus, transferentibus totam adorationem ad exemplaria.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum CRVX CHRISTI *sit adoranda, & quomodo.*

D. Bonauentura distinct. 9. quæst. 4.
D. Thom. quæstione 25. articulo 4.

204 HÆc nobis Controuersia cum hæreticis est, quoad primum punctum, quam eruditè tractant Vualdensis *tom. 3. cap.* 158. Alphonsus de Castro *contra hæreses* verbo *Adoratio*. Demochar. *l.* 4. *de sacrificio Missæ, cap.* 28. Alanus Copus *dialogo* 4. *cap.* 3. *& sequentibus*, Pamelius *in Apolog. Tertullianі, à numero* 238. Bellarminus *lib.* 2. *de Imaginibus, à cap.* 26. Suarez 3. *parte, disputatione* 56. Vasquez *disputatione* 111. & alij.

HÆRETICI plurimi omnem cultum non modò signi Crucis, sed etiam Ligni Sancti, in quo Christus pependit, euertere nituntur.

205 PRIMVS videtur fuisse Claudius Taurinensis circa annum 800. quem secutus est Petrus Bruis, circa tempora D. Bernardi. Hos imitantur Vuiclephistæ apud Vualdensem *tom. 3. tit.* 20. Caluinus *l.* 1. *Instit. cap.* 11. §. 7. Magdeburgenses *centuria* 4. *c.* 4. *col.* 302. *cap.* 6. *col.* 458.

ALIVS error fuit Armenorum, qui non venerabantur Crucem, nisi priùs eam lauarent, & sanguine sacrificij vngerent, atque clauum in ea figerent: Eos refert Euthymius, *titulo* 20. *Panopliæ, capite* 14.

QVOAD Catholicos, prima opinio est apud D. Bonauenturam, Crucem per se adorandam Hyperdulia, est D. Thom. *in* 3. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *art.* 2. *qu.* 4. Marsil. *quæst.* 8. *art.* 2. Henrici *quodlibet* 10. *quæst.* 6. Caspens. *d.* 15. *sect.* 7.

206 SECVNDA opinio est, eam adorandam Latriâ perfectâ, ratione tamen ipsius Christi. Ita D. Thom. hîc, & omnes discipuli; Corduba *lib.* 1. *qq. Theol. quæst.* 105. Vasquez *disput.* 112. alios referens, Viguer *Lib. Inst. Theol. cap.* 5. §. 5. Cabrera 3. *parte, tom.* 2. *quæst.* 25. *art.* 3. Tapia 3. *parte, quæst.* 25. *articulo* 3. Lessius *l.* 2. *cap.* 63. Idem censent authores *quæst. præcedent.* relati, asserentes idem de reliquiis, & imaginibus, scilicet non esse eis aliquem cultum tribuendum, nisi in ordine ad exemplar, vel ad sanctum, cuius sunt reliquiæ.

207 TERTIA sententia est D. Bonauenturæ hîc, distinguens inter Lignum Crucis, in quo Christus pependit, & signa crucis confecta ex materia externa; & quidem Ligno Crucis Christi, cæterisque reliquiis, præter adorationem relatiuam ad Christum, vel sanctos, quæ est eadem, quæ ipsi Christo, vel sancto defertur, ait debitam esse venerationem honorariam; sic autem loquitur S. Doctor: Duplici modo exhibetur alicui honor; Aliquando in obsequium reuerentiæ, & iste est honor venerationis: Aliquando in testimonium virtutis, & famulatum complacentiæ, & iste est honor adorationis.

VTRAQVE autem honorum istorum tribuitur ipsi Cruci, nam Crucem adoramus, & Crucem veneramur; sed in hoc est differentia, quia honor venerationis exhibetur ipsi Cruci, tanquam instrumento nostræ salutis (nimirum in se, & per se spectatæ, vt infrà ostendam.) Vnde sicut exhibemus reuerentiam Sacramentis, quia est in eis aliquo modo nostræ salutis causalitatis; sic Cruci Christi, & clauis eius aliqua reuerentia est exhibenda. Et respectu istius honoris habet Crux in se aliquid propter quod habet honorari: Honor autem adorationis defertur ipsi Cruci Christi ratione crucifixi, &c.

ENIM verò quia Vasquez, & alij moderni nituntur ostendere, hanc sententiam esse contra communem veterum, & recentium Theologorum. Ideò Tannerus triginta Doctores refert pro hac veneraria reuerentia, sanctæ Christi Cruci, & Sanctorum reliquiis exhibenda. 208

EX his sunt Richardus 3. *dist.* 9. *artic.* 2. *quæst.* 3. Paludanus ibi *quæst.* 1. *artic.* 1. Tartaret. *eadem di. epilogo de adoratione, quæst.* 4. Aureolus *articulo* 3. Bassolis *quæst.* 1. *articulo* 2. Gabriel *quæstione prima*, Brulefer *quæstione* 4. Magistri sui D. Bonauenturæ, quem Commentario illustrauit, referens sententiam, Petrus de Aquila *quæstione prima*, Vorrilong. *eadem distinct.* Palac. *d.* 1. *eadem distinctione* Marsil. 3. *quæstione* 8. *articulo* 2. Henricus *quodlibet* 10. *quæst.* 5. Palanterius 3. *sect.* 36. Gregorius de Valentia *d.* 6. *quæst.* 11. *p.* 6. Corduba *lib.* 1. *qq. Theol. quæst.* 5. *dub.* 4. *articulo* 2. *ad* 4. *&* 6. *dub.* 5. *p.* 1. 2. præcipuè 5. *ad* 1. Paulus Cortesius 3. *disp.* 3. Iodochus Lorichius *d. de vsu imaginum capite* 4. Petrus Tyreus *d. de Imag.* edita Herbipoli, anno 1597. *thesi* 115. Anton. Perez *in Laurea Salmat. p.* 1. *cert.* 2. Barthol. Medina 209
3. *parte, quæst.* 5. *articulo* 4. Dionysius Carthus. 3. *d.* 9. *quæst.* 1. & *in summa fidei, lib.* 4. *art.* 34. Clictouæus *in Propugnaculo Ecclesiæ, lib.* 1. *cap.* 10. Adde Cardinalem de Lugo *disp.* 37. Albertum Pigium Comitem Carpi *lib.* 8. *contra Erasm.* Bellarminum *lib.* 2. *de Ecclesia triumph. cap.* 23. Suarez 3. *parte, tom.* 1. *disp.* 54. *sect.* 5. *& tomo* 3. *d.* 81. *sect.* 8. dicentes, posse hanc venerariam honorationem sanctorum reliquiis, atque adeò etiam Christi Cruci exhiberi absolutam, sed non necessariò debere, cùm possint etiam simul cum Prototypo adorari.

HIS adiungit D. Thomam 3. *d.* 9. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 4. 210
vbi ponit Crucem Hyperdulia adorandam, etsi autem Vasquez, *n.* 128. Durandus, & Caspensis dicant, D. Thomam hanc sententiam retractasse; attamen oppositum aiunt Caietanus *l. c.* Barthol. Medina 3. *p. loc. cit.* Petrus Bergomas *in Concordantia locorum D. Thomæ, dub.* 83. & Suarez *sect.* 5. *cit.* neque enim vllum verbulum de hoc habet Angelicus. Adde, idem asserere 2. 2. *q.* 99. *art.* 1. *&* 3. vbi ait: *ex hoc, quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam diuinum, & sic ei quædam reuerentia debetur, quæ refertur in Deum*, & inferiùs, ait: *In eiusmodi rebus personas sanctorum quodammodo venerari, & dehonorari.* Vbi illa verba: *Quædam reuerentia, quæ refertur in Deum, & quodammodo venerari*, apertè indicant, eum loqui de honore, quo Deus ipse, & Sancti directè non coluntur: Idem de Imaginibus habet 2. 2. *quæst.* 103. *art.* 3. *ad* 3.

ASSERO primò, Crucem, in qua Christus est fixus, esse adorandam.

PROBATVR à D.Bonauentura *incorpore*, quia Christus in ea, & per eam operatus est Redemptio-
211 nem, & in ea tanquam altari se Deo Patri obtulit, *Hebr.*7. *& Coloss.*2. dicitur: Cruei affixisse Chirographum decreti, & in ea vicisse, & expoliasse Principatus dæmonum, & *ad Coloss.*1. Pacificasse omnia sanguine crucis suæ, idest mortis; quia in Cruce passus est, & *prima Petri* 2. dicitur Peccata nostra pertulisse super lignum: Cur ergo ipsa Crux non erit in veneratione, tanquam sacrum Altare sacrificij, atque instrumentum tanti triumphi, & Redemptionis? Si enim ex sententia Leontij *dialogo* 5. *contra Iudaos*, cuius meminit Damascenus *Oratione* 3 *de Imaginibus*, & refertur in septima Synodo *act.*4. quæcunque res patris, aut amici, quem videre cupimus, in veneratione nobis est, & eum lacrymis osculamur; cur lignum, quod nostræ redemptionis instrumentum fuit, cum lacrymis, & reuerentia non suspiciemus? Hac ratione vtitur Vvaldensis *tom.* 3. *cap.* 158. contra Vviclephistas, Vasquez *cap.*2. & alij.

PROBATVR secundò à S.Bonauentura *in corpore*, ex præclara inuentione, & læta exaltatione sanctæ Crucis, quas sancta Ecclesia celebrat: Hæc festa indicant reuerentiam sanctæ Christi Cruci exhi-
212 bitam.


INVENTIONIS meminêre Cyrillus Hierosolymitanus *epistola ad Constantinum Augustum*, Ambrosius *de obitu Theodosij*, Chrysostomus *homil.*84. *in cap.*19. *Ioan.* Ruffinus *lib.* 12. *histor. Ecclesiastica, cap.*7. Eutropius *lib.*11. *rerum Romanorum*, Paulinus *epistola* 11. *ad Seuerum*, Sulpicius *lib.*2. *Sacra Historia*, Socrates *lib.*1. *cap.*17. Theodoretus *lib.*1. *histor. cap.* 18. Sozomenus *lib.*2. *cap.*1. Iustinianus Imperator *in nouella, constit.* 28. Nicephorus *libro* 8. *cap.*29. *histor.* Cassiodorus *lib.*2. *cap.*18. *Tripartita historia*, Surius *tom.*3. *die* 3. *Maij*, quos refert S.Doctor *sermone* 2. *de Inuentione sancta Crucis*,

HISTORIAM hanc conantur euertere Centuriatores *cent.*4. *cap.*10. quia Eusebius eius non meminit, sed mentiuntur; nam *in ap.*29. refert epistolam Constantini ad Macarium, in qua habetur
213 mentio Inuentionis Crucis, *& in suo Chronico, anno Domini* 325.

EXALTATIONEM verò Crucis, & victoriam Heraclij recensent Cassiodorus *in historia tripartita, lib.*1. *cap.*4. Nicephorus *lib.*8. *cap.*3. *& lib.*2. *c.*47. *Ecclesiastica histor.* vt refert S.Doctor *in Exaltatione sancta Crucis.*

CONFIRMATVR miraculis ibi patratis, quæ sanè arguunt, Deo placuisse Ligni sancti adorationem: Ea referunt Patres, & D. Bonauentura *sermone primo, de Inuentione Crucis*, & *sermone de*
214 *Exaltatione Crucis.* Vide Vasquez, *disputat.* 109. *cap.* 4. vbi Labari figuram tradit, cuius meminit S.Bonauentura; erat enim Vexillum Imperiale, quod gestabatur in prælijs, in quibus is, qui id gestabat, seruabatur ab armis illæsus: Vide Seraphicum Doctorem, qui *dictis sermonibus*, plures ex variis authoribus refert historias, quæ fidem, & fiduciam salutarem in sanctam Crucem enarrant: memorabile autem est illud quod è Nicephoro memorat, Virum quemdam: Hoc vexillum gestantem, & inimicorum timore perculsum, se prælio subtraxisse, aliique intermedios hostes hoc salutis signum tradidisse: euenit verò, quod ille extra omnem telorum iactum periit, dum alter inter arma, & sagittas tutus triumpharet.

HÆC est figura illa Labari ex Onuphrio *in Commentariis festorum, lib.* 2. & Eusebio *lib.* 1. *de via Constantini, cap.*25.



XPS.

PROBATVR tertiò à D.Bonauentura ex Damas- 215
ceno 4. *de fide, cap.*12. vbi fusius probat, Crucem Christi, aliasque eius reliquias, vt Lanceam, Clauos, & spineam Coronam colenda: *Ipsum* (inquit) *pretiosum lignum Crucis venerabile, in quo seipsum pro nobis Christus obtulit, vt sanctificatum tactu corporis, & Sanguinis, decenter est adorandum.* Et mox: *Si autem ex alia materia facta est, ideò materiam adoramus? absit: sed typum. Vnde etiamsi aurum, & pretiosi lapides fuerint, post typi dissolutionem, non sunt adoranda.*

PROBATVR etiam à D.Bonauentura *lib.*1. *Pharetra, cap.*4. ex aliis Patribus, qui Crucem Christi ex Redemptione in ea peracta, & ex miraculis per eam patratis arguunt, eam esse colendam.

D.AMBROSIVS in Psal. 118. octonario 21. in 216
fine ait: *Crux est opprobrium perfido; fideli autem gloria, Redemptio, Resurrectio est: quia pro nobis passus est Dominus: ille nos redemit sanguine; illa ad Paradisum resurrectione vocauit.*

S.CHRISOSTOMVS homil. de Cruce, sic loquitur: *Crux spes Christianorum; Crux resurrectio mortuorum; Crux cacorum dux; Crux desperatorum vita; Crux claudorum baculus; Crux consolatio pauperum.* Et post pauca: *Crux adolescentium padagogus; Crux sustentatio inopum; Crux spes desperatorum; Crux nauigantium gubernator; Crux periclitantium portus; Crux obsessorum murus.* Et infrà: *Crux insensatorum*
sapientia; Crux libertas seruorum; Crux imperitorum 217
Philosophia; Crux lex impiorum; Crux Prophetarum praconizatio; Crux annunciatio Apostolorum; Crux Martyrum gloriatio; Crux Monachorum abstinentia; Crux virginum castitas; Crux gaudium Sacerdotum; Crux Ecclesia fundamentum.

D.AVGVSTINVS in psal.36. conc.2. *Crux finita est in pœna; sed infinita semper manet in gloria, à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid*

seruat

seruat fidelibus suis? Alios Patres vide ibi, vbi Lignum ipsum Crucis, & typum laudant.

218 EAM, veluti Philomena, versibus exaltat D.Bonauentura *in opusculo Philomena*, & prosa *lib.4. Compendij Theol.cap.16.* eam verò non vt, T, sed extento desuper brachio describit: sic enim tenent etiam D.Augustin. *epistola 120. cap.26.* quod probabilius acclamat Bellarminus *cap. 27.* nam est conformius etiam Irenæo *lib. 2. cap.24.* vbi ait: Habitus, idest figura Crucis fines, & summitates habet quinque, duas in longitudinem, duas in latitudinem, vnam in medio, in qua quiescit, qui clauis affigitur: Idem habet Iustinus, *in Dialogo cum Tryphone*, vltra medium.

Hoc innuit Apostolus *Ephes. 3.* vbi alludens ad Crucem nominat sublimitatem, profunditatem, longitudinem, & latitudinem, vt notat Bellarminus ex S.Bonauentura *loco citato*.

219 SCRIBIT autem Beda *in suis collectaneis, & floribus*, & Magister historiæ, Crucem factam fuisse ex quatuor generibus lignorum, vt pes fuerit è Cedro; stipes è Cypresso; transuersum ex Palma; Tabula ex Oliua: Hoc refert S.Doctor *loco citato*; at Bellarminus non putat probabile: Idem censet de Ligno, eruto è piscina, quod refert S. Doctor, *serm. 1. de Inuentione Crucis*, & profitetur, se id recitare ad conciones, tanquam ad Mysteria eruenda; Et D.Vincentius Ferrerius *serm. eius feria*. Equidem reor, totam esse è quercu factam: Vide Gretserum, Bossium, & Paciuchellum.

ASSERO secundò etiam signum Crucis, & eius imaginem esse adorandam: Ita definitur in septima Synodo *act.7. in definitione fidei*.

220 PROBATVR à D.Bonauentura primò *in corpore*, ex his, quæ habet Damascenus *lib.4. de fide, c.12.* quem locum etiam alij allegati DD. referunt. Primò quidem ibi affert id Matth. 24. *Tunc parebit signum Filij Hominis*, quod de signo Crucis Patres intelligunt, Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, Hilarius, Hieronymus, & Beda *ibidem*, Cyrillus, Hierosolym, *Catech.15.* Augustin. *serm. 130. de tempore*. Ideò Ecclesia canit: *Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.*

CALVINVS, Musculus, & alij, quos refert Maloratus *in sua Catena*, ad hunc locum exponunt: Apparebit signum Filij Hominis, id est, Filius Hominis ita clarè, ac si edito signo: At verò omnes PP. id de Cruce explicant, vt vidimus, & notat Bellarm. *cap.28.* Sed his animarum prædonibus nimis horrenda erit Crux.

CONFIRMATVR à S.Bonauentura, ex Patribus in Pharetra *loco citato*, Plurimos refert Vasquez *cap.4. & 5.* & Bellarminus *cap.28.*

TANDEM probatur miraculis, quæ refert S. Doctor, *in sermonibus allegatis*, & Vasquez *num. 7.*

221 ASSERO tertiò: Cruci præcisæ non est debita Hyperdulia.

PROBATVR à S. Doctore *in corpore*, ex natura adorationis, quæ est velut oratio ad alium in obsequium, & reuerentiam, huiusmodi autem obsequij non est capax res inanimis.

ASSERO quartò: Cruci, vt refert Christum, debetur Latria.

PROBATVR à S. Doctore *in fundamentis*: Primum est. Adoratio, & exoratio est ad aliquam personam: Quod si sit exoratio, & postulatio donorum supernorum, est ad Deum: at Crucem sic exorat sancta Ecclesia.

O Crux aue spes vnica,
Pijs adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

222 PROFECTO Crux solitaria non potest audire preces nostras, nec exaudire, ac dare vitam, nec esse spem nostram: Oratio enim solùm ad intelligentem dirigitur; & postulatio salutis ad Deum immediatè, vel per Sanctorum orationes, quarum Crux non est capax: Ideò enim decretum est in Concilio Tridentino *sess.25. de imaginibus*, nullam ipsis inesse virtutem, ob quam sint colendæ, vel ab eis aliquid petendum, vel in eis spes collocanda, vt notat D. Bonauentura *in corpore*, & cum eo Vasquez *disp.109. cap.4.*

Igitur sermo hic precatius per Crucem dirigitur ad Christum, qui in ea exprimitur, non per figuram Methonimiam, vt putat Vasquez, sumendo Crucem pro Christo; continens pro contento; sed Christum in Cruce per Synecdochen, idest partem pro toto.

PROBATVR secundò à S. Bonauentura, quia Crux magis Christum exprimit, quam Imagines; at Imagines Christi adoramus Latriâ: Ergo & Crucem. 223

OBIICIVNT primò hæretici: Crux fuit instrumentum dolorum, & mortis Christi: Ergo non est honore colenda.

RESPONDET Vasquez *cap.6.* cum S Doctore *in corpore*, coli, vt fuit instrumentum dolorum Christi ad nostram salutem.

OBIICIVNT secundò: Si imago Crucis Christi est adoranda, quia Christus in cruce perfecit redemptionem: Ergo adorandi sunt omnes claui, omnia spineta, omnes lanceæ, omnia præsepia, quia repræsentant nobis ea, quæ Christus adhibuit in nostra redemptione.

RESPONDETVR ex S. Doctore *in fundamentis*, Crucem, iuxta communem conceptum, facilius, & clarius exprimere Christum, quàm alias imagines, non modò lancearum, sed etiam aliarum rerum, quæ propius Christum referunt: Ratio, vt reor, est, quia ea fuit principale instrumentum salutis, & nunc ad nihil inseruit, nisi ad memoriam passionis, non enim ad supplicium, nec ad risum, sed ad passionem Christi exprimendam tantùm adhibetur: At lanceæ ad bellum, & spongiæ ad vsum adhibentur. 224

Est autem obseruanda doctrina Seraphici, *in corpore*, sumpta ex Damasceno *libro 4. capite 17. de fide*, & ex D. Athanasio *in operibus ad Antiochum, quæstione 16.* quam desumit Vasquez *num.25.* vbi quærit: quare crucis faciamus imagines; Lanceæ verò, spongiæ, vel arundinis non faciamus imaginem. 225

RESPONDET ipse, figuram crucis ex duobus lignis compingentes conficimus, vt si quis infidelium reprehendat nos, quod lignum veneremur, possimus ei suadere, ligna illa dissoluendo, & inutilia reputando, nos non colere lignum, sed figuram; in aliis verò id ostendere non possumus.

CONTRA verò quartum assertum obiicit sibi S.Doctor primò: Crux Christi est pura creatura, non vnita Verbo: Ergo non debetur ei Latria. 226

RESPONDET, non exhiberi ei Latriam per se, sed vt refertur ad Crucifixum.

OBIICIT secundò. Mater Christi expressiùs eum refert, quàm Crux, & tamen Matri damus solam Hyperduliam.

RESPONDET S. Doctor, ei dari propriam ad eam terminantem; Cruci verò solam relatiuam, vel Latriam, quæ, vt sic, minor est.

217 Obiicit tertiò. Si Crux est adoranda, quia in ea resedit Christus: Ergo & cœlum, quod sedes Dei est; & terra, quæ est scabellom pedum eius, vt ait Isaias.

Respondet, negando paritatem, qoia cœlum, & terra dueunt in Deum generali modo, quo crearura ducit in Creatorem; at Crux modo singulari.

Obiicit qoartò. Crux nil meruit, nec sentit laudem, aot vituperium, honor autem debetur rei laude dignæ, non insensatæ.

228 Respondet, honorem ptoprium exhibitum virtuti, tanquam eius testimonio, non ferri in Crucem, sed in Christum; honor verò, qoi dicit exhibitionem obsequij rei ob aliquam excellentiam debetur cruci Chtisti veræ, quia in ea Christus operatus est nostram salurem, & eam laudamus, & multa per eam miracula patrata sunt. Hæc aotem veneratio, quæ ligno Sacrosancto, in quo Christus pependit, exhibetur, non est Dulia, aut Latria, sed veneratio honorum, vt ait septima Synodus suprà citata.

Reliqva, quæ ad hoc spectant dicentur *q.15.* de propria adoratione Crucis Chtisti.

QVÆSTIO XV.

An Sanctorum Reliqviæ *sint adorandæ.*

229 CVltvm Reliquiarum Saoctorum euertere conati sunt multi antiqui hæretici, quos referuut Bellarmin. *lib. 2. de Reliquiis Sanctorum, cap. 1.* Vasquez *disp.* 110. Hi fuère Eunomius, & Vigilantius, vt testatur D. Hieronymos contra hunc. Postea Copronymus, & Leo Isauricus Imperatores, vt referunt Zonaras, & Cedrenus in eorum vitis, & alij multi, quem errorem eum reliqois ab Orco reuocarunt Vuiclephistæ, Lutherus *serm. de Cruce*, Magdeburgenses *Centur. 4. cap. 6. colum. 456.* Caluinus *de formanda Ecclesia necessitate*, & *in admonitione de Reliquiis.*

230 Mvlta in sanctas Reliquias congerunt conuitia Centuriatores, qui ebriorum more, plurima secum pugnantia conclamant, vt refert Bellarminos *cap. 2.* Caluinistæ verò post conuitia audita soi magistri, armis, & focis bacchaotes, ad eas destruendas itruperunt. Ità anno 1562. Corpora Sanctorum Irenæi, Hilarij, & Martini effosa, & cremata, io profluentem proiecerunt, vt refert Sorius. Sic & Henricus VIII. Angliæ, Apostata à fide, combussit corpus D. Thomæ, Archiepiscopi Cantuar. Ante annos verò plurimos idem præstitere Ethnici, vt refert Eusebius *libro quinto hist. capite tertio.*

231 At Sancta Mater Ecclesia religiosè semper venerata est Sanctorum reliquias, easque venerandas ex fide assero.

Hæc veritas definita est in Concilio Gangrensi *can. 5.* In septima Synodo *act. 7.* In Concilio Africano V. *can. 14.* vbi definitur, non esse Altaria absque reliqniis Sanctorum consecranda, vt innuit S. Bonauentura *sermone primo Dedicationis.* In Concilio Brachat. III. *can.* 5. In Epannensi *can.* 25. In Mogontino, tempore Caroli Magni *can.* 51. In Later. sub Innocentio III. *cap.* 62. Idem habet S. Clemens Papa I. *lib. 6. constit. cap. 6.* Definit Felix I. in Concilio Romano *epist. 2. Decret.* & Concilium Tridentinum *sess.* 25.

Probatvr primò à D. Bonauentura *ad* 23. *Lucæ* ex illo Isaiæ II. *Ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Quod ex Pauli sententia *Rom.* 15. de Christi sepultora intelligitur. Quare Hieronymus *epist.* 17. affirmat, ibi Isaiam prædixisse id, quod modo à Christianis vniuersi orbis visitantibus sacrum Christi sepulchrum magno religionis affectu fieri videmus.

Probatvr secundò à S. Doctore *serm. primo*, 232
de S. Iacobo ex miraculis, qoæ ex reliquiis, & ad sepulchra Sanctorum, Deus operatus est, quibus applicat per participationem illud idem Isaiæ 11. *Erit sepulchrum eius gloriosum.* Sic 4. *Reg.* 13. cadauer tangens ossa Elisei reuixit. *Actorum* 19. Reliqoiæ Pauli salutares erant. Profectò autem Deus non decipit, faciendo miracula ad superstitionem commendandam.

Addit honorem, quo sepulchra Sanctorum honorata sunt. Sic *Deuter. vltimo*, Moyses ab Angelis honesto sepulchro conditus est. Ecclesiastici 49. dicitur: *Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo*, idest, reuiuiscant in memoriis hominum. *Exodi* 13. Asportata sont ossa Ioseph honorificentissimè. *Quarto Reg.* 23. Iosias combustis tot cadaueribus sartatecta seruauit ossa Elisei, & alterius prophetæ.

Probatvr tertiò à D. Bonauentura *ad* 8. *Lu-* 233
cæ, ex facto mulieris, quæ tangens fimbriam vestis Christi, sanata est à fluxu sanguinis, & *Actor.* 19. sudariis, & semicinctiis Pauli sanabantur ægroti.

Plvrimi Patres perpetuam huios rei traditionem explicant apud Vualdensem *Tom. 3. cap. 14.* Ayalam *tract. de Traditionibus, 3. parte, cap. de veneratione reliquiarum.* Osium *in confess. Polonica, cap. 58.* Alanum Copum *dial. 3. cap. 12.*

Ratio verò sumitur à D. Bonauentura *dist. 9. quæst. 1. ad 5. serm. 2. de decem præceptis*, & *serm. primo Dedic.* & alibi suprà allegatis locis ex ratione, qua imagines coluntur, quia scilicet sic reliquiæ repræsentant Sanctos, imò aliquid amplius continent, vt dixi *disp. 9. quæst. 4.* Hanc rationem manifestam acclamat Lugo *disp. 37. num. 13.*

Obiicivnt hæretici primò illud *Lucæ* 11. vbi 234
ait Christus: *Væ vobis, qui ædificatis sepulchra Prophetarum*, quod habetur etiam *Matth.* 23.

Respondet Vasquez *disp. 113. cap. 3.* Bellarminus *cap. 4.* Suarez *disp. 59. sect. 1.* Valentia *Tom. 3. disp. 6. quæst. 11.* Maldonatus *ad 25. Matth.* & alij ferè omnes ex D. Bonauentura, ad eum Lucæ textum, non reprehendi Hebræos, quia ædificarent sepulchra Sanctorum, (neque enim est vllus Patrum, qui hoc dicat, vt optimè vidit Vualdensis) sed reprehendi hypocrysim eorum, quia cùm ædificarent sepulchra prophetarum, & iocusarent suos atauos impietatis in eis occidendis, & protestaren-
tur, se aliàs non futuros fuisse consortes delicti; in- 235
tus attamen pleni dolo molirentur Domino prophetarum insidias, mortemqoe struerent illi, quem adeò commendarat Moyses: *Prophetam de fratribus vestris suscitabo, &c.* Propter hæc conclusit Dominus: *Implete mensuram Patrum vestrorum*, quæ verba permissiuè sunt intelligenda amaro Carientismo, veluti cùm ait Virgil. *Æne.* 4.

I, sequere Italiam ventis.

Idipsvm habet Lucas: *Profectò testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum*, non quidem ædificando sepulchra Prophetarum (ipsi enim non ædificarunt,) sed homicidia eorum imitando,

quando

quandoquidem intentatis me occidere, quia verita-
236 tem dico, sicut Prophetæ dicebant: Hoc significat Lucas dicens: *Quoniam ipsi quidem occiderunt eos.* Quibus reddit causam, quare Pharisæi ostendebant se consentire operibus proauorum suorum: Quod autem addit: *Vos autem ædificatis sepulchra eorum,* non est coniungendum illis verbis: *Consentitis operibus eorum*, sed est repetitio prioris dicti, quod simulata sanctitate, interim praua molirentur: Sic indicant Ambrosius *lib.6. in Lucam, cap.7.* Hilarius *in Matth.can.23.* Chrysostomus *homil.75.in Matth.* Hieronymus, & Theophilactus in eum locum Matthæi, Beda in illud *Lucæ 11.*

237 ALIAM expositionem annuit D. Bonauentura istis verbis postremis; nempè ædificando ad fastum sepulchra iustorum, occisorum à Patribus vestris, consentitis eorum necibus, quasi trophæa crudelitatis Patrum vestrorum exponentes. Hæc expositio est Chrysostomi *homil.75.in Matthæum.*

238 CARDINALIS de Lugo *disputatione 37. sectione 2.* locum Matthæi sic explicat. Vos dicitis: Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non fuissemus socij in sanguine: Ex hoc solum habeo homicidas illos fuisse patres vestros: *Implete ergo,&c.* idest: Non ergo mirum, si eorum facinora impleatis, qui estis eorum filij: At non rectè inferri immediatè malum animum in Christi vitam, vt exponunt suprà citati; imò elici contrarium, dum protestantur: *Si fuissemus, &c.*

At S.Bonauentura infert quidem immediatè eorum ex homicidis originem, sed ex intentatis Christo insidiis detegi eorum hypocrisim occultatam in facto honoris, exhibiti sepulchris Prophetarum Christi, occisorum à suis atauis; & verbo illo: *Si fuissemus, &c.* latentem.

239 TEXTVM verò Lucæ sic exponit Lugo ex Maldonato: Vos colorato pietatis facto sepulchra Sanctorum à vestris proauis occisorum extruitis, & ornatis; at deprauatè viuentes indicia, & coniecturas exhibetis suspicandi, vos non pietate, sed ad fastum priscæ crudelitatis hæc agere.

At Christus non coniecturis, sed certò asserit, profectò testificari non sola generalitate vitæ prauæ, sed crudelitate sacrilega mortem sibi prophetarum oraculo struentes, etiam eorum neces à maioribus sui generis inflictas approbare, & Mausoleis ostentare: Ob id eos dictis, & factis hypocritas clamat iam patentes: Ideò amarè subsannat: *Implete, &c.* Ità optime conuincit, vt notat S. Doctor obseruans eodem medio Stephanum, *Act. 7.* solidè hoc ipsum demonstrasse: Quod si debili ea coniecturâ liceret arguere, quia non est bonæ vitæ necibus Martyrum delectari; possemus de omnibus malis Christianis, qui memorias Martyrum à Paganis nostris maioribus occisorum honorant, idipsum indicare, aut conicere.

OBIICIVNT secundò: Deus abscondit Moysis
240 corpus, ne adoraretur, *Deuter. vltimo*: Quare in epistola Iudæ habetur disceptatio diaboli cum Michaële circa hoc; enitente Archangelo sepelire, & diabolo illud exponere volente adorationi.

RESPONDETVR etiam hoc concesso factum esse, ne populus ad idola pronus Moysen, vt Deum coleret, licèt autem viuentē non adoraret, quia tunc eos remouebat, & instruebat; tamen postea falli poterant: Hic autem ait Vasquez eum D.Bonauentura *in 4. distinct. 18. parte 2. quæst. 2. ad 4.* notandam Archangeli modestiam, qui diabolum iniquè contendentē de Moysis corpore, non vituperauit, sed modestè ait: *Imperet tibi Dominus*, vt inde erubescant Calvinus, & asseclæ, qui Mysteria, sibi non perspecta, licèt Diuina, vituperant.

OBIICIVNT tertiò, *secunda Corinthior. 3.* di- 241
cit Paulus, se iam non nosse Christum secundùm carnem.

RESPONDENT Patres septimæ Synodi, & Adrianus *epistola ad Episcopos Hispaniæ*, dicere Paulum, se cognoscere Christum impassibilem; licèt ante resurrectionem in diebus carnis nouerat passibilem: Ita intelligunt etiam Christus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenus, Ambrosius, Hieronymus, ibidem Cyrillus, Alexandrinus, relatus à septima Synodo *act.6.*

OBIICIVNT quartò, *Coloss. 2.* damnatur cultus 242
voluntarius.

RESPONDET Turrianus, damnari cultum voluntarium sanè Iudæorum in quibusdam cæremoniis, ab ipsis excogitatis, in cibis, potibus, &c.

OBIICIVNT quintò, Concilium Elibertinum *can. 34.* vbi prohibentur cerei accendi, ne spiritus defunctorum inquietentur: Idem habetur in D. Hieronymo post *epistolam 53.* contra Vigilantium *num.17.* Gentiles sanè putabant, sic euocari manes, vt notat etiam Lugo *disp. 37. num.21.*

RESPONDETVR ergo, solùm prohiberi quosdam ritus Gentilitios in cereis: Vide Bellarminum, & Vasquez.

OBIICIVNT sextò: Si liceret corpora Sancto- 243
rum in pulveres redacta adorare, licebit etiam vermes indè scatentes adorare.

RESPONDETVR ex D.Bonauentura *dist. 9. q.1. ad 5.* carnem viri sancti adorari adoratione duliæ, non ratione ipsius naturæ carnis, sed ratione animæ, & ita etiam dicendum de pulveribus, &c.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum RELIQVIÆ *possint esse tota materia adorationis.*

D.Bonau. dist. 9 q.4.
D.Thom. q.25. art.4.

SICVTI de Imaginibus disseruimus non modò; 244
an sint adorandæ; sed etiam, an possint præcisè esse terminus alicuius adorationis; ita etiam de reliquiis disputandum cum Catholicis, & eò magis, quò reliquiæ præter rationem repræsentationis habere videntur aliquid sacrum in se, vt dixi de Cruce Christi *quæst.13.*

PRIMA opinio est, Sanctorum reliquias nullam seorsim mereri venerationem, sed omnem esse debitam in ordine ad eum Sanctum, cuius sunt reliquiæ: Et quidem de Cruce, & de reliquiis Christi id sentiunt D. Thomas hîc, vbi Caietanus, Capreolus, *in 3. dist. 9. quæst.1. art.1. concl. 3.* Maior *quæst. 1. concl.5.* Almain. *quæst.1. concl. 6.* Antonin. *3.parte, tit.12. cap.9. §.5.* Vvaldens. *tom.3. cap.120.* Atque eadem propositione de reliquiis Sanctorum docere debent, imò multò magis.

CONSENTIT Henricus *quodlib. 10. quæst. 6.* 245
Gabriel. *disp.9. quæst. 1. artic.2. concl. 6.* & *lect.50. super Canon.* Corduba *lib. 1. quæst. 5. dub. 5.* faciunt cum his Durandus, Holchotus, & Picus Mirandulanus, quos adducit, & sequitur Vasquez *disp.113.*

CÆTERI verò authores primæ, & secundæ sententiæ relati pro cultu Imaginum *quæst.12.* idem de reliquiis

reliquiis astruunt, vt notat Suarez *disp. 16. sect. 2.* Fuliens. *cap. 20.*

246 SENTENTIA D. Bonau. *q. 4.* est, alio modo loquendum de Imaginibus nudis, deque signis Crucis, alio de ligno Crucis, in quo Christus pependit, & consequenter de aliis reliquiis: nam Imagines meræ, & cruces, nullam habent in se excellentiam, ob quam seorsim sint colendæ: at verò Crux Christi, atque reliquiæ Sanctorum habent aliquam excellentiam contractam ex contactu, vel ex vsu ad opus Sanctum, puta redemptionis nostræ, propter quam, non Duliam, non Latriam, quæ solis personis exhibentur, sed venerarium cultum exigunt.

HANC sententiam sequuntur etiam D. Thom. *distinct. 6. quæst. 1. art. 1.* Richardus *art. 2. quæst. 3.* Paludanus *quæst. 1. art. 3.* Imò addit Vasquez eandem tenere cogi, quotquot primam, & secundam sententiam de cultu imaginum docuere *q. 12.* nempè etiam reliquiis distinctum cultum deberi; varium tamen pro opinionum varietate de imaginibus: Authores verò tertiæ sententiæ, pro varietate fundamentorum, variè hic etiam loqui.

247 QVOAD S. Bonauenturam, ait Vasquez *cap. 3.* eum cum Richardo, Paludano, & Marsilio separatum cultum reliquiis excogitasse, qui ob hanc solam rationem probant, Imagines vnica adoratione coli, & hac relatiua ad exemplar, quia Imago semper colitur simul cum exemplari. Hanc autem repræsentationem cùm in reliquiis non viderint, aliam in ipsis rationem venerationis posuêrê, nempè, aut contactum, aut aliquam affinitatem cum eo, cuius sunt reliquiæ; è contra verò ait, Capreolum, Amicum, Vualdensem, Gabrielem, & Cordubam, qui tertiam sententiam de adoratione imaginum tenuere, ob eam rationem, quia imagines, cùm sint res inanimes, præcisè ab exemplaribus, nullam merentur adorationem, cùm nullam habeant præcellentiam, vnde neque ignominiæ sunt capaces; idem cogi etiam de reliquiis asserere.

248 CÆTERVM fallitur Vasquez; neque satis percipit fundamenta Seraphici.

PRIMÒ quidem, non ea sola ratione nixum esse, ostendi satis *quæst. 12.* quin etiam rationibus aliis suam probasse sententiam: Quoniam verò sciebat inde apparenter sequi, nullum cultum Cruci Christi veræ, aut reliquiis posse dari seorsim, vtpore rebus insensatis, atque hoc sibi argumentum obiecisset; prius in corpore prænotauit, duplici modo exhiberi alicui honorem; aliquando in obsequium reuerentiæ, & iste est honor venerationis: aliquando in testimonium virtutis, qui est honor propriè; & iste est honor adorationis: Vterque autem honor offertur Cruci.

249 HONOR igitur venerationis exhibetur Cruci, tanquam instrumento redemptionis nostræ, vnde sicut exhibemus reuerentiam Sacramentis, quia sunt instrumenta nostræ salutis: sic Cruci Christi, & clauis eius, aliqua reuerentia est exhibenda, & hæc est excellentia Ligni Crucis: Honor verò adorationis offertur Cruci ratione Christi in eadem crucifixi; nullus enim intendit ei placêre, ab ea impetrare; sed eum adorare, & obsecrari, qui in ea pependit, & sic adoratur Latriâ: E contra verò illa veneratio honoraria, neque est dulia, neque latria, sed veneratio his inferior: Hanc optimam doctrinam Lugo, *disputatione 37. sectione 3.* frustraneam frustrà mussitat; confert enim ad rem, vt dixi.

250 HIS igitur positis, respondet argumento, cultum, & honorem, qui debetur virtuti, non posse rei inanimi exhiberi, & ideò neque Latriam, neque Duliam posse offerri ipsi Cruci seorsim, at verò honorem venerarium, qui debetur ob aliquam excellentiam: neque requirit meritum ex virtute, posse Cruci exhiberi, quippè quæ nobilitata est, & decorem de membris Domini suscepit, vt dicebat D. Andræas Apostolus, & sic obsequiis est colenda: Quare non rectè Vasquez fundamenta Seraphici perducit.

ASSERO, reliquiis Christi, & Sanctorum deberi 251
cultum honorarium præcisum.

PROBATVR à D. Bonauentura primò ex D. Damasceno *lib. 4. de fide, cap. 12.* vbi ait: *Ipsum quidem pretiosum Lignum venerabile, in quo seipsum pro nobis Christus obtulit, vt sanctificatum tactu corporis, & sanguinis, decenter est adorandum:* & subdit: *Si autem ex alia materia facta est, ideò materiam adoramus? absit, sed typum. Vnde & si aurum, & pretiosi lapides fuerunt, post typi dissolutionem non sunt adoranda.* Præclarè hic Damascenus testatur, Crucem ipsam, tanquam reliquiam iam consecratam, & nunc sacram, venerandam esse per se.

RESPONDET Vasquez in fine, Crucem dici ve- 252
nerandam, non præcisè, sed ea communi ratione, qua non solùm ob contactum, sed ob repræsentationem veneranda vocari posset; & omnes imagines à septima Synodo *act. 7.* venerandæ dicuntur, non quia adoratio ex affectu seruitutis circa ipsas compleatur; sed quia ex affectu submissionis erga exemplaria, exhibemus ipsis signum venerationis.

HÆC tamen inania sunt: S. Damascenus apertè excludit ab hoc cultu alias cruces, quæ totam rationem habent in repræsentatione, & distinguit cultum debitum Cruci in ordine ad Christum, ab eo, qui Ligno Sancto ex contactu obuenit: Itaque si verba Damasceni consideremus, vt notat S. Bonauentura, futilis, & ad effugium cogitata responsio elucescet.

PROBATVR secundò à S. Doctore ratione de- 253
ducta ex D. Damasceno in verbis allegatis: Quandocunque sunt duo, & alterutri attribuitur aliquid, neque apparet vtrinam attribuendum sit, optimè inuenietur, si separentur; & si adhuc post separationem alteri remanet; signum est euidens, neque alteri, neque huic propter alterum conuenire: Do exemplum, si sint duo liquores mixti, vel duo pharmaca, quæ applicita, curent mirabiliter, & ignoretur vtri sit adscribendus effectus, optimè id dignoscetur, si separatim applicentur.

IAM verò Sanctorum reliquiis debetur honor 254
relatiuus ad eum, cuius sunt; & signum aliquod obsequij ob contactum; vtrumque autem dicitia relatiuum ad personam, cuius sunt reliquiæ, & vtrumque ab ea deriuari: Iam separetur ratio repræsentationis, & dissoluatur Crux, & maneat seorsim frustulum ligni; adhuc ex Damasceno debebitur ei cultus, non ratione typi, sed ratione instrumenti salutis; è contra verò aliæ cruces, si dissoluantur, non amplius habent in materia illa excellentiam, ob quam honorentur: Ergo signum est, eam non esse sumendam relatiuè ad eum, cuius fuit instrumentum, seu à quo fuit tacta, sed per se.

DICES cum Vasquez: Manet adhuc relatio instrumenti ad causam principalem.

RESPONDETVR, rationem instrumenti, vt dicit actionem, referri ad causam principalem physice;

sicè; at verò postquam adhibitum est, manet sola denominatione, cùm amplius non agat, & si quid morale obtinet ex præterito, non est causæ principalis, seu ad eam, imò est instrumenti, ad quod reducitur, vel refertur moralitas, quæ remansit.

255 Obiiciunt primò ex Hieronymo *epist.* 27. vbi Paula dicit, se adorasse Præsepium aspiciendo ad infantem.

Respondetur, per hoc non excludi, quin & præsepe seorsim sit dignum aliqua veneratione.

Obiiciunt secundò, Damascenum 4. *de fide, cap.* 12. Attamen loquitur de adoratione propria, quæ transit ad sanctum; non tamen renuit cultum specialem reliquiis seorsim exhibendum, imò ibi id asserit.

Obiiciunt tertiò Leontium relatum in septima Synodo *act.* 4. vbi ait; nos rectè adorare loca, in quibus fuit Christus, non lapides adorando, sed illum, qui in illis apparuit.

256 Respondetur cum D.Bonauentura, verè adorationem propriam non sistere in illis reliquiis: Aliquam verò venerationem concedit septima Synodus, vt ostendi *qq. superioribus.*

Obiicit quartò Vasquez: Reliquiæ sunt res inanimes: Ergo non sunt capaces honoris.

Si Vasquez legisset Seraphicum, vidisset responsum suprà relatum, ad quod ipsum remitto.

QVÆSTIO XVII.

An liceat adorare res non sacras, vt relatas in Deum.

257 Prima opinio est negatiua: Ita Alens. 3. *parte, quæst.* 30. *mem.* 3. *art.* 2. §. 2. Vualdens. *tom.* 3. *cap.* 156. *num.* 6.

Secunda opinio est affirmatiua: Ità Caietan. 2.2. *quæst.* 103. *art.* 3. *ad* 4. *dubium*, Vasquez *disp.* 110. *cap.* 2. Lugo *disp.* 37. *sect.* 1.

Quoad D.Bonauenturam *dist.* 9. *quæst.* 4. *argumento* 3. *ad oppositum*, sic arguit: Si Crux Christi adoranda est Latria, quia fuit lectus Christi: Ergo adorandum est cœlum, quod est sedes Dei; & terra, quæ est scabellum pedum eius, vt ait Propheta.

Respondet, negando consequentiam, quia terra, & cœlum ducunt in Deum secundùm generalem modum, quo creatura ducit in Creatorem; non sic autem est de Cruce, imò est specialissimum Christi memoriale: Itaque S.Bonauentura videtur ad priorem sententiam accedere.

Assero, non ita aptè adorari quasvis creaturas, sicut res sacras.

258 Probatur primò ex D.Augustino *in Psal.* 10. *concione* 3. vbi negat, adorandum Solem, quia sit imago Christi, & infert: *Adora ergo & petram, quia Christum significat.*

Respondet Vasquez *num.* 12. Augustinum negare Soli adorationem secundùm se.

Attamen S.Augustinus clarè loquitur de adoratione relatiua Solis, vt imago est, quæ profectò ad exemplar transit.

Probatur secundò ratione S. Bonauenturæ: Adoratio rerum debet talis esse, vt ad Deum ex se transeat, modo speciali proportionato actui religionis; at res omnes non sic referuntur in Deum: Ergo.

Obiicit primò Vasquez Leontium *dialogo* 5. *contra Iudæos*, vt refertur in septima Synodo *act.* 4. 259

Hoc tamen attente legenti solùm probat, non esse superstitiosum colere creaturas in ordine ad Deum; non tamen ita decere, vt imagines, quæ peculiari ratione Deum, & Sanctos referunt.

Obiicit secundo: Si imaginem pictam adoramus, vestem, &c. cur non & creaturas? Sic Iacob, *Genes.* 28. erexit lapidem in titulum, & adorauit.

Respondet S.Doctor *loco cit.* diuersam esse rationem; nam hæc generali ratione exprimunt: at imagines singulari ratione.

Addit D.Bonauentura *dist.* 9. *quæst.* 2. *argum.* 3. & *responsione*, creaturas non esse ordinatas indifferenter, vt in eis adoretur Deus: Vnde si quis Talpas, & Vespertiliones exponeret, periculum admoneret: Similiter Ligna, & saxa non sunt ad hunc finem ordinata, & ideò incongruè proponuntur adoranda: In his etiam exhibere Deo submissionem, puta in Talpa, indecens videtur. 260

Quare sapienter Thomas Vualdensis cum S.Bonauentura *distinct.* 9. *quæstione* 4. *ad* 3. ait, Signum solum euidens sensui in ratione signi exponendum ad adorandum, quod tandem Vasquez *numero* 11. fatetur. 261

QVÆSTIO XVIII.

An liceat adorare Hominem, vt Imaginem Dei.

D. Bonauentura *dist.* 9. *quæst.* 2. *argum.* 4. *addito responso*, difficultatem exponit in homine adorando, quia ipse per se ratione suæ excellentiæ potest adorationem aliquam terminare, vnde non refertur ad Deum veneratio. 262

Non tenuo, posse hominem considerari, vt imaginem Dei, more rerum inanimatarum, & adorari: Sic sentiunt Alensis, S.Thomas, Vualdensis, Caietanus, & alij adducti *quæstione præcedenti*: Si enim in picturis possumus Deum concipere, multò magis in homine, vt arguit S.Bonauentura *loco cit.* & cum eo allegati, & Vasquez *disputat.* 110. *num.* 17. Hunc modum adorandi Deum in homine aliqui probant ex PP. Nysseno *lib. de opific. hominis*, c.4. Cyrillo, Hierosol. *Catech.* 12. Augustin. *epist.* 203. Damasceno *lib.* 4. *de fide*, *cap.* 17. melius ex Leontio, suprà relato.

Potest etiam adorari Deus in homine, sumpto, & considerato in sua naturali excellentia, communicata à Deo: Quædam enim indita est à Deo in creatione, cui debetur honor ciuilis: altera est supernaturalis ex gratia, cui debetur cultus supra ciuilem, quia est excellentiæ supernaturalis: De hac locuti sunt Patres relati. Vide Vasquez *disputat.* 108, *cap.* 4. 263

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIX.

An sit illicitum adorare speciem praeclaram, sub qua Dæmonium latet.

D.Bonau. 1 st.9 quæst.6.
D.Thom. d.9. q 2. art.1.
quæstiunc. 5.

264 ANTISIODORENSIS *lib. 3. summæ, tract.8. cap. 4 quæstione 5. in corpore*, & *ad 3. & 4.* & *quæstione incidenti*, Alensis *3. parte, quæst. 30. membr. 3. artic. 1. §. 3.* Marsilius *in 3. quæstione 8. artic. 2. ad 5. dubium*, Adrianus *quodlib. 4. artic. 1.* principaliter *in tertio puncto* affirmant, nullum posse à peccato idolatriæ excusari, qui his apparitionibus cultum absolutè, & non sub conditione defert.

CVM his recenset Vasquez *disput. 108. cap. 5.* etiam D. Bonauenturam hic: Et eorum sententiam proclamat falsam explodendam, quod tam leui fundamento, tam seuerè simplices, & ignorantes condemnent, vt nollam eo casu inuincibilem ignorationem admittant.

265 QVARE ipse cum Adriano *in 4. post quæstionem quintam, de Confess. dub. 7.* admittit in eo casu ignorantiam inuincibilem, potest enim esse, vt nulla occurrat ratio dubitandi, aot credendi oppositum, nec aduertentia, vnde non detur locus consultationi contrariæ partis, atque adeo ignorantia illa erit inuincibilis: Idem habet Caspens. *disputat. 15.* in fine.

266 ENIM verò, S. Bonaoentura, si attentè perlegatur, supponit, adesse aduertentiam facti cum periculi cognitione, & eruditione ex Scriptura, quæ docet, Lociferum transfigurari in Angelum lucis *secunda Corinthior. 11.* Et quod multi in nomine Christi venturi sont mendaciter, *Matthæi 24. Marci 16.* Similiter id supponit, dum ait, recurrendum ad orationem, vt à Deo, si qoæ sunt insidiæ, detegantur; cùm enim res sit grauissima, & occulta, non debet, cultus semper exhiberi: Quando autem *ad 1.* ait, cùm Lucifer adoratur, nunquam debitam diligentiam adhiberi, quia triplex remedium est præparatum: Primum Scripturæ mooentis: Secundum orationis instruentis: Tertiuo suspensionis actus retinentis; intelligendus autem est, vt supra.

ASSERO primò, adorantem, vt Deom, apparitionis Locem, in qua diabolos adest, peccare.

PROBATVR quia cultum, Deo soli propriom, exhi- 267
bet creaturæ.

ASSERO secundò, posse interuenire ignorantiam inoincibilem. Patet ex dictis: Potest etiam excusari, quia sicut, cùm adorat imaginem, fertur in prototypum; ita ione ex ea luce fertor ad adorandum ex intentione recta ipsom Deom: Quare videtur sufficere conditio implicita, licèt probabilius sit, requiri explicitam.

MVLTÒ verò minus necessaria est conditio, quan- 268
do Eucharistiam adoramus, vt optimè docent Alensis *3. parte, quæstione 30. in 3. art. §. 3.* D.Thom. *in 3. distinct. 9. quæstione 1. artic. 2. quæst. 6. ad 2.* D.Bonauentura *loco citato, in corpore*, Gabriel. *in can. lect. 50.* Imò addunt Caietanus *2. 2. quæst. 1. art. 3.* Ioannes Hesselanus *in lib. de Eucharistia*, Claudiua Sainctes *libro de Eucharistia, repetitione 9. cap. 4.* malè facturum qui conditionem in adoranda Eucharistia apponeret, si consecrata est: Nollmo verò ex opposito est periculum, quia affectus submissionia
internæ fertor in solum verum Christum; vnde, li- 269
cèt ibi non existeret, adoratur tamen, & terminat illum actom inferiorem, neque est ibi ratio probabilis dubitandi, cùm sit res in Ecclesia ordinaria sanctissimè adhibita, vt ait Caspensis *loco citato*, & ex parte Vasquez, cum Diuo Bonaoentura *in corpore*.

DISPVTATIO XXVIII.

DE BEATISSIMA VIRGINE DEIPARA.



GRATVLABVNDVS ſanè de Sacratiſſima Virgine, Dei, & Domini noſtri Diuina propè Matre, diſputationem exordiar, vt in huius Tomi Apparatu ſum pollicitus; Nec quiſquam fruſtrà obtendat, hæc piæ potius meditationis, quàm Theologicæ diſcuſſionis intereſſe; ſi enim de Deo difficilè diſſeritur, ni etiam ignobiliora, quorum Creator eſt; ad ipſum referas; quomodo Theologus erit, qui nobiliſſimam, & ſpectatiſſimam Creaturarum prætermittet, cuuius panegyrim ipſe Deus ab emergentis adhuc mundi crepuſculo celebrauit, vt iuxta receptiſſimam Patrum expoſitionem patet ex illo Geneſis: *Inimicitiam ponam inter te, & mulierem; Ipſa conteret caput tuum*: Quam quoque toto Canticorum Libro, Regum Sapientiſſimus Salomon deſcripſit, in cuius etiam Laudes tot deſiere Patriarcharum repromiſſa, tot Prophetarum prænunciata oracula, tot veteris legis præfigurata miracula, tot denique Patrum exhauſta volumina, vt Diuinorum oraculorum Summam, & Prophetarum Vaticinium eam vocare non dubitarent Andræas Creteſ. *in ſermone de Aſſumpt.* cum D. Hieronymo, *Mich. 6.* vt notat Suarez *in præfat. tomo 2. 3. part.* Verùm his miſſis, quis increatum Dei Filium internoſci dixerit, niſi de Patris perſona propiùs percontetur? Quanto magis Matris Perſonam, Dignitatem; cæteraque ipſi ſpecialia perſcrutari tenebitur, qui incarnatum noſſe ambiuerit, Nec niſi ingratam, & mutilam dicerem Theologiam, quæ Angelorum, hominumque ſtatum complectens, horum meritiſſimam Reginam ſilentio obuolueret. Agam itaque hìc primò, & audacter contra Sectarios qui intemeratam Virginem, vel exoſa taciturnitate deſerunt, vel maledicis linguis inſectantur; Deinde Sacroſanctam Chriſti Conceptionem, Vitam, Mortem, & Gloriam ad finem vſque proſequi perſiſtam.

QVÆSTIO I.

An B. VIRGO MARIA *verè, ac propriè ſit Mater* DEI.

D. Bonau. diſt. 4. q. vlt.
D. Thom. quæſt. 35 art. 4.

1 HÆc quæſtio verſari cœpit potiſſimum poſt annum 400. tempore Concilij Epheſini.

INTER hæreticos, qui Beatam Virginem Matrem Dei eſſe negarunt, præcipuus fuit Neſtorius, vt refert Suarez *tom. 2. diſp. 1. ſect. 1.* ex D. Bonau. hic ex hiſtoria Concilij Epheſini, ex Vincentio Lyrinenſi *libro contra prophanas vocum nouitates*, Caſſiano *lib. 1. & ſecundo de Incarnatione*, & Theophylacto *Ioan. 9.* In hoc errore aliquos horum temporum hæreticos deprehendit Caniſius *libro 5. de B. Virgine, cap. 22.*

2 PRÆCLARE tamen tota Eccleſia conclamat Inclytam Virginem MARIAM eſſe Matrem Dei; Sic de-

finitum est in CC. Ephesino, & Chalcedonensi: In sexta Synodo *act*.4. & 10. habetur, & in septima Synodo *act*.4. & 7. & in Conc Lateran. sub Innocentio III. *can*.3.

SVPPONO primò, B. Virginem verè esse Matrem huius hominis Iesu Christi: Ita colligit in Commentariis Lucæ, cap. 1. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me*, & cap. 2. *Simeon dixit ad Mariam Matrem eius*, & in commentariis Ioan. ad ea verba, Ioan. 2. *Et erat Mater Iesu ibi.*

3 SVPPONO secundò, humanitatem Christi eodem instanti, quo formata est, fuisse vnitam Verbo, vt ostendi *disp*.10.*quæst*.1. Vnde infertur, hunc hominem semper fuisse Deum.

ASSERO, Beatam Virginem esse Matrem Dei.

PROBATVR à D Bonauentura cum Damasceno *lib. 3. de fide, cap*. 12. nam in Concilio Ephesino contra Nestorium acclamata est THEOTOCOS, idest, Mater Dei: Vide S. Bonau. *ad* 11. *Lucæ*, ad id: *Beatus venter, qui te portauit.*

4 PROBATVR à S Doctore secundò *ad* 1. *Lucæ* ex illis verbis: *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Addit illud Isaiæ 9. *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Deus fortis.* Et id Marci 9. Math 18. vbi Pater intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Matth. 16. *Tu es Christus Filius dei viui.* Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* Matth. 27. *Verè Filius Dei erat iste.* Idem probat ibi ex illis verbis: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me.* Illa enim vox DOMINI Diuinam indicat personam, vt ait Damascenus *lib*.3. *de fide, cap*.12. vnde eam acclamant THEOTOCON.

5 TORRENS Sanctorum Patrum huc confluit. Vide Suarez, Canisium, & alios.

PROBATVR tertiò à S. Doctore: Quidquid dicitur de illo homine, dicitur de Filio Dei: Sed Iesus fuit filius B. Mariæ Virginis: Ergo Deus fuit Filius B. Virginis.

PROBATVR quartò: Sic se habet Filius Dei ad Virginem Matrem, sicut se habet Filius Hominis ad Deum Patrem: Sed Iesus est Filius Dei Patris: Ergo Deus est Mariæ Filius.

PROBATVR quintò *in corpore*, quia ille homo conceptus est, & simul fuit Deus, nam humanitas fuit in primo instanti vnita Verbo: Ergo concipiens illum hominem, concepit personam Filij Dei.

6 DIFFICVLTAS est aliqua, quia illa actio B Virginis terminata est in productione humanitatis, priusquam vniretur Verbo, & ex illius conceptionis vi non est secuta vnio, sed ex voluntate Dei: Ergo non potest dici Mater Dei.

RESPONDETVR cum D. Bonauentura, & D. Thoma, satis esse, quod persona illa fuerit vnita eodem instanti, quo concepta est humanitas, quia sicut nasci, ità & generari est proprium suppositorum.

7 DICES: Christus non est consubstantialis secundùm naturam Diuinam matri: Ergo non est Filius.

RESPONDET S. Bonauentura, esse Filium per communicationem idiomatum. Vide S. Doctorem in his resoluendis facilem.

8 DOTES egregias B. Virginis propter Maternitatem prædestinatas recenset S. Doctor *in sermon. de B. Virgine*. In speculo B. Virginis, & in opusculis aliis, quas nimis prolixum esset recensere. Vide etiam Suarez *disputatione citata*.

QVÆSTIO II.

An BEATISSIMA VIRGO *fuerit sancta, & Immaculata in Conceptione.*

{ D. Bonau. dist. 3.

FVIT celebris sententia antiquorum, B. Virginem fuisse in originali conceptam, sed mox sanctificatam: Ita Scholastici plurimi *in* 3. *dist*. 3. vbi Albertus, Alensis, D Thomas, D. Bonauentura, Richardus, Durandus, Paludanus, Capreolus, Henricus, Gregorius *in* 2. *dist*.30. *quæst*. 2. Antoninus *p. p. tit*.8. *cap*.2. Turrecremata *opusc. de hac re*, Caietanus *proprio opusculo*, & Ferrariensis 4. *contra Gentes, cap*.50. 9

TAMEN secunda est sententia piissima, B Virginem ab originali labe fuisse præseruatam: Ita *in* 3. *dist*.3. Scotus, Aureolus, apud Capreolum, Gabriel. Thomas Argentina, Almainus, Dionysius, Carthusianus, Ioan. Baccomius, Franciscus Mayro, qui referunt, Alensem in fine vitæ mutasse sententiam, Marsil. *in* 2. *quæst*.20. & *in* 3. *quæst*.4. Abul. *paradoxo* 1. *cap*.21. & *in Prol. Bibliæ, cap*.6. *Exodi* 34. *quæst*.8. Gerson *opusc. de Conceptione*. Lippomanus *in Cat. Genes*.15. Driedo 3. *de dogm. tract*.2.*cap*.4. *fol*.127. Rofensis *d*. 2. *contra Luther*. Clictouæus *opusc. de puritate Virginis, cap*. 5. & 6. Galatinus *cap*.5. Nicolaus Causinus *lib*. 5. *exercit*. Iacobus de Valentia *in Psal*.13. Viguer. *cap*.8.§.5. Castro *verb. peccatum, heresi* 9. Vega *lib*. 2. *in Conc. Tridentino, cap*.5. Corduba *lib*. 1. *quæst*. 44. Catharinus *opusc. de hoc*. 10

Et ex Canonistis aliqui, Couar. *in can. Alma Mater, p*. 2. §. 5. Nauar. *prал*.8. *num*. 9. Suarez *tom*.2. *disp*.2, *sect*. 5. Gregorius de Valentia *disp*.2.*quæst*.1. *puncto* 2. qui multos alios refert Fauentinus *in* 3. *dist*.10. iamque omnibus in Scholis in suggestis acclamatur, ac meritò prædicatur: De hac egregie Salazar agit, recensetque per omnia sæcula Patres, & Theologos asserentes.

GAVDEO, me iam inuenisse Seraphicum meum Bonauenturam à priori sententia recedentem, & ad hanc apertè complectendam descendisse, postquam Libri sententiarum in iuuentute editi, non poterant ampliùs reuocari, in quibus, quid alij tunc senserint, potiùs elucidauit, quàm propriam mentem declarauit, vti fidi commentatoris munus est. 11

PRIMÒ quidem *in serm*.2. *de B. Virgine*, id asserit, & probat luculenter: Quoniam verò aliquis absque fundamento dubitauit: an ille sermo sit Seraphici, ostendam ex alio contextu, vbi de eadem re agit, idem sentiens: Præter quam quod ille sermo, iussu Sixti V. inter opera D. Bonauenturæ editus est, & eodem stylo S. Bonauenturæ formatus. 12

IGITVR Seraphicus *in speculo B. Virginis*, quod opusculum eius esse nemo inficiatur, exponens salutationem illam Angelicam AVE, *lect*. 2. quàm etiam in sermone exponit, dicit, B. Virginem immunem fuisse à Væ omni: Et ideò meritò dici ei AVE: *Ecce charissimi* (ait) *Sanctissima Virgini Mariæ, propter omnimodam culpæ carentiam, & immunitatem, meritò in principio salutationis:* Aue *dicitur. Aue vtique, & absque væ culpæ, væ miseriæ, væ gehennæ: Est autem væ culpa actualis, væ miseria originalis, & væ pœna gehennalis.* Explicat postea quomodo à Væ miseriæ culpæ originalis

fuerit

fuerit immunis, quam miseriam vocat comparatione culpæ actualis, quæ magis propriè est culpa, cùm sit voluntaria in ipso quocumque reo. 13 Et dicat, Nos nasci filios iræ, intellige in conceptione, quæ est prior natiuitas, de qua Matth. 1. ait Angelus: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et subdit: *O quam immunis ab ista va nascentium fuit sanctissima Natiuitas Matris! quæ non solum ab originali culpa, sed etiam à fomitis miseria sic liberata creditur per sanctificationem in vtero, vt nunquam ad peccatum inclinata fuerit in hoc mundo.*

Hæc eadem iisdem verbis habet in illo *sermone* 2. *de B. Virgine*, vbi nomine sanctificationis in vtero vtens, dicit: *Domina nostra fuit plena gratiâ praueniente in sua sanctificatione, gratia scilicet præseruatiua contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi* 14 *speciali gratia præuenta, præseruatáque fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa Mater eius Virgo. Credendum est enim quod nouo sanctificationis genere in eius conceptionis primordio, Spiritus sanctus eam à peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia præseruauit.* En quomodo sanctificationem intelligit præseruationem, & liberationem non à culpa iam incursa, sed incurrenda, nisi fuisset præseruata.

15 Prætereà initio lectionis secundæ, ait: *Ecce charissimi, sicut supradictum est, Sanctissima Virgini Maria propter omnimodam culpæ carentiam, & immunitatem, meritò in principio salutationis* Ave *dicitur, absque væ.* Postea circa medium luce clarius sententiam hanc asserit dicens: *Nota, nec corde, nec ore, nec opere maculam peccati habuit, nec contraxit, vt verè ei Dominus dicere posset: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quid clarius? Vnde cùm iam dixisset, non contraxisse culpam, profectò originariam, pergit probare, eam nec miserias originales habuisse contractas.

16 Videamvs quid suprà dixerit, lectione prima speculi: *In hac salus insinuatur, quàm purissima fuerit Maria, cum dicitur* Ave, *quæ ab omni va culpa immunissima fuit; sic vtique Matrem Dei decuit, Anselmo teste*, de conceptu Virginali, & peccato originali, cap. 18. qui ait: *Decebat vt hominis illius conceptio de Matre purissima fieret, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium, quem de corde suo æqualem sibi genuit, ita dare disponebat, vt esset vnus, atque idem Dei, & hominis Filius.* Hoc testimonium vrget S. Doctor *serm.* 1. *de B. Virgine*, ad hoc ostendendum, nam si fuisset B. Virgo maculata, non niteret puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi; vnde nititur conformare id Cant. 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te.*

17 Inso retractat responsionem latam in iuuentute 3. *sentent.* Hinc etiam collige sermonem secundum esse D. Bonauenturæ; nam idem asserit in primo sermone, de quo non dubitatur, fateor S. Doctorem *in speculo, lect.* 11. oppositum dixisse; timebat enim censuram D. Bernardi.

Prætereà *in quæstione* hanc opinionem asserit esse multorum, & fatetur eam rationabilem, securam, & communem: Licet oppositam rationabiliorem, securiorem, & communiorem pro

tunc non neget. Ex quibus patet, falsum esse quod Scotistæ aliqui iactant, & Bartholomæus Medina *tertia parte, quæst.* 17. *art.* 2. Scotum fuis- 18 se Antesignanum Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis; nam D. Bonauent. eam tenuit, qui fuit Scoto antiquior, vt notat Gregorius de Valentia *loco citato.*

Addit Scilogus *antileq.* 11. *sect.* 2. D. Thomam in libris sententiarum retractasse, quod Iunior contra Immaculatam Conceptionem scripserat.

Nec id mihi difficile est creditu, nam nemo è modernis Diuæ Virginis propugnatoribus potuit clariùs, & expressius omnem ab ea culpam remouere, quam id Angelicus Doctor præstiterit 1. *distinctione* 44. *quæstione* 1. *artic.* 3. *ad* 3. cuius integram periodum, satis liquidam, ad apicem referam. Loco igitur citato *col.* 5. *initio*, sic habet: *Ad tertium dicendum, quod puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquod creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ peccato originali & actuali immunis fuit.*

Assero, B. Virginem, in Conceptione Immaculatam, ab omni labe culpæ originalis fuisse immunem.

Probatvr à D. Bonauentura *serm. citato se-* 19 *cundo*, & *lect. prima, & secunda speculi B. Virginis*, ex illis verbis Angeli, Lucæ 1. *Aue gratia plena: Dominus tecum.* Hunc locum firmum ad hoc probandum asserunt Turrianus *epistola ad Iacobum Amiotum*, & S. Augustinus *sermone* 11. *in Natali Domini*, vbi ait: *Cùm dixit Angelus: Aue gratia plena, ostendit, ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Quæ luculenter S. Bonauentura prosequitur vtroque loco.

Ponderat autem primò illud Ave, quod significat exclusionem omnis væ culpæ, & pœnæ. Deinde illud *Gratia plena*, quod significat eam fuisse omni gratiâ summè refertam, vt notat S. Doctor *sermone* 2. *de B. Virgine, in fine*, iuxta id Ecclesiastici 24. *In me omnis gratia viæ, & veritatis.* Tertiò considerat id: *Dominus tecum:* Hæc latè prosequitur S. Doctor *lect.* 5. *Speculi, & sequentibus*; & quidem ibi refert D. Hieronymum *sermone de Assumptione*, quæ est epistola 10. *Quidquid in Maria gestum est, totum puritas, & simplicitas; totum gratia, & veritas, totum misericordia, & iustitia fuit, quæ de cælo prospexit.*

Deinde *lect.* 6. affert illud Ecclesiastici 24. 20 *In me omnis gratia*, & non mirum, ait, nam est Mater eius, quem *vidimus plenum gratia, & veritatis.* Ioan. 1. Idem repetit *lect.* 7. vnde ait: *Congregationem aquarum vocatam esse Maria.* Genes. 1. & Ecclesiast. 1. *Omnia flumina intrant in mare.*

Ex his sic formatur argumentum: Si B. Virgo in omni genere gratiæ præcelluit aliis: Ergo & in præseruatione ab originali, nam quoad sanctitatem post lapsum, concessa est etiam aliis multis.

Probatvr secundò à Seraphico Doctore 21 *sermone illo secundo*, ex Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, quod Ecclesia Beatæ Virgini adscribit. Affert ibi; etiam Diuum Hieronymum, cuius præclarum

Ii 2 testimo

testimonium recitamus in die Immaculatæ Conceptionis, & in Antiphona ad secundas Vesperas: *Nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est virtutis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa*, vbi etiam affert illud: *Aue gratia plena*; & *Benedicta tu in mulieribus*. Idem testimonium affert *serm.2. citato*.

PROBATVR tertiò ex illo psal.77. *Eduxit eos in nube diei*, quod de B. Virgine intelligit S. Bonauent. *in speculo, lect.3.* vbi D. Hieronymus ait: *Pulchrè dixit diei, quia nunquam fuit in nocte, sed semper in die.*

PROBATVR quartò ex S. Doctore ad *psal.88.*
22 ad ea verba: *Thronus eius sicut Sol*, quod de B.Virgine exponit S. Doctor cum Damasceno *lib. quarto, cap. decimo quinto*, & Petro Damiano *sermone de Assumptione*.

PROBATVR quintò à D. Bonauentura *serm.2.* ex D.Augustino *lib. de natura, & gratia, cap.36.* vbi ait: *De Matre Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem.* Ibi autem loquebatur de peccato originali contra Pelagianos. Et *lib.5. in Iulianum, cap.9.* dicit, eum, qui habuit originale, habere etiam aliquod actuale, quod absit à B.Virgine.

PROBATVR sextò à D.Bonauentura ex dignitate Matris, argumento Damasceni 4. *de fide, cap.17.* Illa, de qua formandus erat Fons gratiæ, plenus gratiæ, & veritatis; debuit esse semper plena gratiâ, vt supra vidimus, argumento primo.

RVRSVS ea, ex cuius ossibus nouus Adam
23 efformandus erat, debuit esse semper, & vndequaque beatissima, vt habet D. Athanasius *serm. in Euangelium de Sanctissima Deipara*.

INSVPER illa, quæ debebat exhibere carnem vniendam Verbo, debuit esse Sanctissima, & carnem sanctitate compactam subministrare, vt ait S. Basilius *conc. in sanctam Christi natiuitatem*: & Sophronius Patriarcha Hierosolymit. *epist.ad Sergium Archiepiscopum Constantinopolitanum*, lecta in sexta Synodo generali *act.11.* & approbata *act.13.* D. Gregorius *in cap. 1. Regum, lib.1. cap.1.* S. Petrus Damianus *serm.3. de Maria Natiuitate*. Præcipuè verò D. Anselmus supra relatus à D. Bonauentura.
24 Si enim Christus fuit Pontifex innocens, segregatus à peccatoribus: ergo Maria, quæ illi Mater conuenientissima fuit, nunquam peccatum habuit, alioqui qua ratione segregatus fuisset à peccatoribus, si Mater coniunctissima fuisset peccatrix? & quidem peccato mortali? Debet autem inter Filium, & Matrem esse maxima similitudo, & honor Matris in Filium redundat, vt habetur Prou.9. *Gloria Filiorum, Patres eorum.*

PROBATVR septimò à S. Doctore: Vbicumque dantur extrema, datur etiam medium; at dantur duo extrema, nempe aliqui in carne, & anima
25 conspurcati labe originis, vt sunt filij Adæ ab eo propagati vi generatiua; datur etiam Christus in vtraque immaculatus: Ergo debet dari & medium, quod non sit maculatum secundum vtrumque, sed secundùm alterum immaculatum; non quidem secundum carnem, quia labes à carne oritur, quam seminalem ex Adam accepit; sed immaculata per præseruationem. Hoc sanè debetur illi, quæ est proxima Christo, mediatrix inter Deum & Nos. Idem habet *in corpore*.

26 PROBATVR octauò à D.Bonau. Quantò dignitas Matris Dei præcellit dignitati seruorum, tantò gratiæ, collatæ S. Virgini, superant gratias omnium Sanctorum, maximè sanctificationem: Sed dignitas Matris propemodum infinitè superat dignitatem Sanctorum: Ergo & Sanctificatio eius: sed multi, inter quos sunt Hieremias, & Ioannes, sanctificati sunt in vtero post lapsum: Ergo B.Virgo ante lapsum in primo instanti. Idem habet *in corpore*, & *serm.2. de B.Virgine*.

HOC est argumentum Theodoreti *lib.3. in Cant.* ad illud Cant.6. *Sexaginta sunt Reginæ, &c. Vnica est columba mea*, vbi ait: *Prospiciens Salomon, & Diuino afflatus Spiritu, tantò ante cernens verbis sponsi purissimi Incarnationem, & quæ ipsum sine semine genuit, sanctissimam illam Dei genitricem Mariam, illam immaculatissimam, quam omnes omnium hominum generationes vocibus nunquam cessantibus beatissimam prædicant, quia totius mundi peperit Saluatorem: hoc in sponsi persona Canticum cecinit.*
Et infià: *Inter tot animas omnium hominum, qui* 27
saluantur, &c. vt electa columba est vna illa sola, quæ Christum genuit, Virgo Mater, puella Maria, quæ puritate profectò Cherubim, & Seraphim antecellit.

HOC est argumentum etiam D. Bernardi *epistola 174.* apud D. Bonauenturam *sermone illo secundo*, est enim D. Augustini *lib. de natura, & gratia, cap.36.* relati à S. Doctore serm.2. de B. Virgine: *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus habere volo quæstionem, cùm de peccatis agitur: inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincen-*
dum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac pa- 28
rere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos, & sanctas possemus interrogare, vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? &c. Quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne vna voce clamassent illud, quod ait Ioannes Apostolus: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus? Agit autem S. Pater ibi de peccato originali contra Pelagianos, vt notant multi apud Salazar *sect.5.* Ibi idem confirmat illo psal.92. *Domum tuam decet sanctitudo.* Quis enim domum Regis non pararet mundam?

EST pariter argumentum etiam D. Gregorij *in* 29
cap.1. Reg. lib.1. cap.1. accommodans B. Virgini vaticinium illud Isaiæ 2. *Eris in nouissimis præparatus mons, domus Domini in vertice montium*, ait: *Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes sanctos refulsit. Nam sicut mons altitudinem; ita domus designat habitationem. Mons quippe, & domus aptè dicitur, quæ incomparabilibus est illustrata meritis, & Dei vnigenito, in quo recumberet, sacrum præparauit vterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinem hanc diuina fœcunditas non leuaret.* Alludit ad illud *Hebr. 1.* 30
vbi Apostolus exaltans dignitatem Christi super omnes Angelos: *Tantò (ait) melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Igitur, & Maria tantò melior Angelis effecta, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit: Cui enim dixit aliquando Angelorum: Mater mea es tu, tu me concepisti, & peperisti in carne?

EST denique argumentum D. Anselmi de concepto virginali, cap.18. vbi ait: *Decebat, vt conceptio illius hominis intelligi.* Hinc aliud argumentum format

mit D.Bonauentura *serm. primo de B.Virg.* Si Beata
Virgo fuisset concepta in peccato originali, ea pu-
ritate non niteret, quâ maior sub Deo nequit intel-
gi, vbi retractat id, quod iuuenis docuerat *in tertio*
sententiarum suprà citato.

PROBATVR nonò à S. Doctor: Quod non
31 implicat, est Diuinæ Omnipotentiæ, ac Mariæ di-
gnitati concedendum; at non implicat, B. Vir-
ginem in primo instant.i creationis sanctificari:
Ergo.

QVOD autem decens fu rit, probat *in corpore*,
quia decuit ea puritate Sanctis altissimè emmere,
quia enim: *Omnium mobilium mobilior est sapientia*,
vt habetur Sapient. 7. *Et non introibit in corpus co-*
inquinatum, vt ait Ambrosius in 1. Lucæ, tom. 3. *Nescit*
tarda molimina Spiritûs sancti gratia, & multò po-
tentior est gratia, quàm natura; hinc est quod effe-
ctus sanctitatis præualuit.

ADDIT S. Bonauent. *in corpore*, figuras, quibus
32 B.Virgo fuit adumbrata: Fuit enim terra illa, de qua
sumptus est secundus Adam. De qua ait B. Andreas
Apostolus, vt referunt Præsbyteri Achaiæ: *Sicut*
ex terra immaculata primus homo factus fuerat, ita
necesse fuit, vt Christus nasceretur ex Virgine imma-
culata. Igitur sicut corpus primi Adæ sumptum est
ex terra ante maledictionem; ita corpus secundi Adæ
ex Virgine immaculata.

DEINDE, Paradisus fuit B. Virginis figura, vt
refert S. P. Damianus *serm. de Annunciatione B. V.*
in quo nihil erat plantatum noxium: *sed fons ascen-*
debat, irrigans vniuersam superficiem terræ.

FVIT etiam eius figura insignis Arca de lignis
33 imputribilibus fabrefacta, *Exod.* 36. in qua erat asser-
uandum manna, fuit autem in vrna priùs positum
manna, quàm vrna in arca: Sic priùs fuit anima
Mariæ plena gratiâ, quàm carni vnita; intellige prius
sanè naturâ, non tempore.

FVIT etiam figurata in Throno Salomonis, 3.
Regum 10. ex ebore mundissimo, vt edisserit
S. Doctor *in speculo Beatæ Virginis, lection.* 2. circa
finem.

PROBATVR deinde à D.Bonauentura, *quæst.* 1.
34 *distinctionis tertiæ, ad* 4. ex antiqua consuetudine ce-
lebrandi Conceptionem B.Virginis, quam S. Bona-
uentura non reprehendit, quia refert ex reuelatio-
ne fuisse institutam: *Quod si verum est* (inquit)
Bonum est solemnizare in eius Conceptione. Et subdit:
Credo autem, & confido de gloriosa Virgine, quod si
quis hanc solemnitatem celebrat ex deuotione Virgi-
nis, non credens esse contra illud, quod potest elici
ex Scriptura Sacra, quod benedicta Virgo deuotio-
nem eius acceptat. Addit etiam: *Id reprehenden-*
tes, esse minus, quàm decet, deuotos B.Virginis.

FVISSE autem autheuticam institutionem il-
35 lius solemnitatis, probatur; nam in Ecclesia Græ-
ca ante mille annos celebrari cœpit, vt refert Ga-
latinus, *lib.* 7. *cap.* 4. & in Kalendario Græcorum
signatur hoc festum *die* 9. *Decembris*, vt videre
est *in* 4. *tom. Bibliotheca Sancta.* In Latina verò
inducta est ante 600. annos, vt ex epistolis Ber-
nardi constat, & ex quadam epistola D. Anselmi
ad Episcopos Angliæ, in qua scribit, non esse ve-
rum amatorem B.Virginis, qui hoc festum non
celebrat. Fuit sanè, fateor, mos ille à D.Bernar-
do reprehensus, quia non erat satis confirmatus,
36 tamen ante D. Bonauenturam cœpit florere: Mox
verò Sixtus IV. instituit hoc festum in Extraua-
ganti. *Cum præcelsa*, atque concessit Indulgentias
huic solemnitati, quas confirmauit Pius V. Imò
Sixtus IV. & Concil. Tridentin. *sess.* 5. dissuadere
videntur oppositam sententiam.

Hoc idem declarat Concilium Basileæ *sess.* 13.
esse pium, & consonum Scripturæ: Scio hoc Con-
cilium non esse authenticum ob schisma: attamen
in cæteris est magnæ authoritatis.

TANDEM Concilium Tridentinum *sess.* 5. à de-
creto generali peccati originalis beatam Virginem
excipit, eamque IMMACVLATAM vocat, & de-
cretum Sixti IV. confirmat, declarans, non obsta-
re Scripturas Apostoli dicentis, *Roman.* 5. Omnes
in Adam peccasse, *Coloss.* 1. Omnes reconciliatos
per Christum. Per quod responsio patet ad authori-
tates Scripturæ.

Hinc verò deducit S.Doctor *distinct.* 3. *part.* 1. 37
quæst. 1. *ad* 4. potentissimam rationem, quam tunc
sanè timidus, nunc autem alacer ederet: Quæcunque
festa, ab Ecclesia celebrata, sunt sancta: Ideò enim
Natiuitatem sanctam acclamat *quæstione* 3. cum D.
Thom. *quæstione* 27. *artic.* 1. Iam verò sancta vni-
uersalis Ecclesia celebrat Festum Conceptioni B.
Virginis: Ergo Beata Virgo in Conceptione fuit
sancta.

AFFERT D.Bonauentura *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 2.
quæst. 1. *in corpore*, & illud Dei vaticinium *Genes.* 3.
vbi cum esset maledicturus terræ, & fulminaturus
fulgure Adamum, & Euam, priùs serpenti indixit
futuram mulierem, quàm inimicam insectaretur,
cuique insidiaretur; at verò ab ea caput conteren-
dum conclusit: Hunc locum explicat ad mentem
D. Augustini, & D. Bernardi, & aliorum PP. Per
caput autem serpentis intelligitur potestas diaboli,
vel peccatum originale, & de peccato originali ex-
plicant multi, inter quos est Pepinus Dominicanus
in Genes. cap. 3.

AFFERT S.Bonauentura *in Pharetra, lib.* 1. *cap.* 5. 38
illud Cant. 4. *Hortus conclusus, fons signatus*, & il-
lud Isaïæ 11. *Egredietur virga de radice Iesse.* Pro-
fectò recta oratio, vbi ex D.Isidoro *de vita, & morte*
Sanctorum noui testamenti, cap. 68. Maria, quæ in-
terpretatur Domina, siue illuminatrix, clara ex stir-
pe Dauid est virga Iesse, hortus conclusus, fons
signatus, Mater Domini, Templum Dei viui, Sa-
crarium Spiritûs sancti: Hæc ferè desumunt Recen-
tiores ad hanc sententiam, pietate plenam, com-
probandam.

TANDEM vetitum est à Gregorio XV. 1622.
contrariam opinionem tenentibus, hanc nostram sen- 39
tentiam quoquomodò verbis, aut scriptis impugna-
re, & ne Sanctificationis, quippè culpam præsup-
ponentis, nomine vtantur, sed omnibus præcepit
CONCEPTIONEM celebrare. Idem præci-
pit SS. Alexander VII.

NON adsunt obiectiones soluendæ ex decreto
Gregorij XV. Vide Dianam *part.* 4.

QVÆSTIO III.

An B.VIRGO *fuerit immunis etiam ab omni culpa actuali.*

D.Bonau. dist. 3. part. 2 art. 2. quæst. 1.
D.Thom. quæst. 27. art 4.

SECTARII, fronte enufricatâ, ausi sunt 40
culpas actuales Beatæ Virgini inurere: Ita

Calvinus circa *caput primum Lucæ*, & *in Antidoto Concili Tridentini*, Kemnitius *in Examine eiusdem Concilij*, *sessione quinta*, Brentius *in duodecimum Matthæi*, & Magdeburgenses, *Centuria prima*.

ASSERO tamen cum Ecclesia Catholica, B. Virginem nulla, etiam veniali, labe unquam fuisse tactam.

PROBATVR à S. Doctore primò ex Patribus, D. Augustino *de natura, & gratia, cap. 36.* suprà relato *quæst. 2.* vbi, cum de peccatis agitur, nullam admittit de Beata Vigine quæstionem: Deinde ex D. Bernardo *epistola 174.* vbi idem omnino asserit: Idem habent alij Patres, apud Valentiam *disputatione 2. quæstione 1. puncto 3.* Suarez *disp. 4. sect. 4.*

41 PROBATVR tertiò à S. Doctore: Sanctificatio B. Virginis fuit eminentior, atque perfectior sanctificatione aliorum: At de Ioanne canit Ecclesia:

Ne leni saltem maculare vitam,
Famine posses.

PROBATVR quartò à D. Bonauentura ex illo Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

PROBATVR etiam à S. Bonauentura ex illo Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum*, vt suprà retuli *quæst. 2.*

TANDEM probatur ex Ecclesiæ Catholicæ sensu, quem exprimit Tridentinum Concilium, *sess. 6. can. 23.* Loca Scripturarum generaliter omnes peccatores asserentia iam diu à multis expositoribus de lege ordinaria, seu de communi multitudine, cui non obstat exceptio particularis, saltem suprà naturam, explicata sunt.

42 OBIICIVNT Sectarij aliqua loca Scripturæ, quibus videtur B. Virgo errasse: Sic *Lucæ 1.* dicunt dubitasse de promissione Angeli, dicendo: *Quomodo fiet istud?*

RESPONDET D. Bonauentura ibi *in Commentario*, B. Virginem non incredulam, sed prudentem quæsiisse, non dubitantem de Diuino Oraculo, more Zachariæ; hoc verò argutè deducit, quia non est reprehensa, vt olim Zacharias, sed congruentem eius interrogationi dulcem obtinuit responsionem: *Spiritus sanctus superueniet, &c.*

OBIICIVNT secundò, *Lucæ 2.* B. Virginem oscitanter amisisse Filium; nimis anxiè postea quæsiisse; nimis acriter expostulasse: *Fili quid fecisti nobis sic?*

43 RESPONDET S. Bonauentura, ibi Christum cum cautione, & prudentiâ effugisse à parentibus, existimantibus illis eum esse in comitatu, quia Ioseph probabiliter putauit, eum esse cum Matre; & Mater cum Ioseph, eò quòd viri seorsim à mulieribus ibant ad orandum; Porrò non desperata quæsiuit, sed honestè dolens, sicuti Tobias *cap. 10.* plorabat Filium: Neque insolens conquesta est, sed affectu materno confidenter quæsiuit: *Fili, &c.* sciens Filium erga se pium, iuxta præceptum Domini: *Honora Matrem.*

OBIICIVNT tertiò, eam inani fuisse gloriâ captam *Ioan. 2.* dicendo: *Vinum non habent.*

44 RESPONDET D. Bonauentura ad eum locum; modestissimè ex pietate B. Virginem postulasse miraculum; Christum verò ita respondisse, vt innueret, non esse miraculum ex his, quæ humana reuerentia erga Matrem exposcit, sed opus diuinitatis; neque tamen sponte faciendum, vt exponit D. Augustinus, *tractat. 8. in Ioan.* & Chrysostomus, *homilia 20. in Ioan.* Igitur sic voluit Mysterium soæ Deitatis innuere, quæ non pendet à matre, vt notat etiam Valentia *loco citato*: tamen S. Pater Chrysostomus in his explicandis excedit: Ideò S. Doctor *ad 2. Ioan.* ait, non tenere dictum eius, quod videtur annuere aliquam inanem gloriam.

RESPONDET tamen S. Bonauentura secundò, Chrysostomum id solùm velle, quod appetebat Miraculum, ex quo potuit oriri gloria humana, sicut cùm de recipientibus mercedem in gloria inducitur murmur, quod in gloria non potest esse, sed quia ibi erat defectio, vnde posset oriri, vt ait ipse Chrysostomus *homilia 65. in Matthæum.*

OBIICIVNT quartò: Maria *Matth. 12. Lucæ 8.* publicè est reprehensa, vt importuna, & ambitiosa, illis verbis: *Quæ est Mater mea?* 45

RESPONDET S. Doctor *ad 8. Lucæ*, ibi non reprehendi B. Virginem, sed nos instrui de eo, quod infrà *cap. 14.* docturus erat, segregandum esse cor à parentibus, neque propter carnaliter coniunctos opus Dei esse intermittendum, vt notarunt Augustinus *libro de fide, contra Manichæos*, & Bernardus *sermone secundo, Dominica prima Epiphaniæ*: Vel docêre voluit, coniunctionem Sanguinis cum Christo sine spirituali non prodesse; hanc verò per se multum valere: Ita D. Augustin. *serm. de Virginitate, cap. 3.* Tertullianus *lib. de carne Christi, cap. 7.* & indicat Hilarius *can. 22. in Matth.* Vide alia in Seraphico Doctore *ll. cc.*

OBIICIVNT quintò Patres, qui dicunt B. Virginem ad peccatum vincendum, & animam purificandam fuisse à Spiritu sancto adiutam: Sic Glossa ad id, Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Et Magister ex Damasceno, *libro quarto, cap. 15. de fide*, & D. Augustino, *libro de natura, & gratia* suprà citato, *cap. 36.* Hoc argumentum vrget Kemnitius. 46

RESPONDETVR ex D. Augustino, *in corpore*, B. Virginem superasse peccatum, & diabolum, iuxta id Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Ridiculè autem infertur, prius debuisse succumbere; imò victoria est simpliciter, dum non priùs succumbitur, vt ait etiam Valentia: Quod verò dicitur purificata, intelligitur, quoad aliquas sequelas originalis pænalitatis, vt ait S. Doctor *ad primum, & tertium.*

OBIICIVNT sextò: D. August. lib. de perfectione iustitiæ, ait: *De solo Dei vnigenito dici, esse sine peccato.* 47

RESPONDETVR, non excludi B. Virginem, vt dixi initio quæstionis cum eodem D. Augustino: Fateor soli Christo per naturam id conuenire.

OBIICIES septimò: B. Virgo poterat dicere: *Pater noster dimitte nobis, &c.*

RESPONDET S. Doctor, id potuisse dicere pro aliis, non pro se, vt dixi cum D. Augustino *quæstione 2.* Restat aliud argumentum soluendum *quæstione sequenti.* 48

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Vtrum B. VIRGO *in primo instanti fuerit ità confirmata in gratia, vt peccare non posset.*

D. Bonau. 3. dist. 3. art. 2. quæst. 1.
D. Thom. quæst. 27. artic. 4. ad 1.

49 IAM ostendi de facto, B. Virginem nunquam peccasse; videre libet, an potuerit peccare.

AFFIRMANT Gabriel *in 3. distinctione tertia, quæstione secunda, articulo tertio,* Ocham, & A. main *dist. 12. quæst. 2.*

ALII verò dicunt, in prima sanctificatione datum esse illi, vt nunquam peccaret; in secunda verò, idest in filij conceptione, additum esse, vt neque posset peccare. Ità D. Thomas, & D. Bonauentura hîc, Alensis *tertia parte, quæstione nona, memb. tertio, articulo secundo,* §. 2. & fuit Richardi Victorini *in Cant. cap. 26.*

50 SVAREZ *disputatione quarta, sectione quarta,* ait, non esse definitum, quoad rem, inter has opiniones.

ASSERO, B. Virginem fuisse ita confirmatam in gratia, vt labi non posset.

PROBATVR à D. Bonauentura, ex honore Matris Dei supra Angelos; Angeli autem ab instanti, quo receperunt gratiam, fuêre in ea confirmati.

51 OBIICIVNT hæretici, B. Virginem in morte filij defecisse, & de eius diuinitate dubitasse, sicut prædixerat Simeon: *Tuam ipsius animam, &c.* Id enim de gladio dubitationis, intelligunt Origenes *homil. 17. in Lucam.* & insinuat Hilarius in id psalmi 118. *Concupiuit anima mea desiderare, &c.* Author libri quæstionum noui, & veteris testamenti, inter opera D. Augustini *quæstione septuagesimatertia,* Basilius *epistola ad optimum.* Theophylactus *Luca 2.* Citantur etiam à quibusdam Chrysostomus *enar. in psalmi 13.* Euthymius *Luca 2.* Tertullianus *libro de carne Christi, capite 7.* eò quod dicant, matrem Christi incredulam fuisse, & apud Surium in Homiliis Chrysostomi, & Amphilochij habemus, B. Virginem dubitasse de filij resurrectione.

52 RESPONDET D. Bonauentura *ad primum,* Simeonem loqui de gladio doloris, quem in morte Christi sensura erat: Ità Ambrosius, Beda, Oecumenius, Euthymius *in Lucam,* Damascenus *libro 4. fidei, cap. 15.* Cassiodorus *in psalmum 104.* Paulinus ad Augustinum, & Augustinus ad ipsum *epistola 58. & 59.* inter epistolas Augustini, Nyss. *oratione secunda, de resurr.* Bernardus sermone, *Signum magnum,* Sophronius, vel Hieronymus *sermone de Assumptione,* Ephrem *in lamentatione Virginis.* Rupertus *libro decimotertio, in Ioan.* vbi cum Damasceno *loco citato* ait, Virginem sensisse dolores, quos in partu effugerat, per æquiualentiam.

53 TANTVM verò fuisse B. Virginis dolorem, vt spasmo extra se acta sit, asseritur à D. Bonauentura *libro de vita Christi, capite 77. 79. & 80.* post D. Bernardum *opusc. de lamentatione Virginis* (si tamen est opus eius) & Laurentium Iustinianum *de triumphali Christi agone* circa finem, quos sequuntur Lodulphus *de vita Christi, parte secunda, capite 64. & 70.* Dionysius Carthus. *Ioan. 18.* Sixtus Sen. *libro sexto, annot. 126.* Hoc verò reprehendit Caietanus *opusc. de hac re.* Suarez *disputatione quarta, sectione tertia,* quia fuisset magna imperfectio derogans dominio, quod habebat B. Virgo super actus suos, & motus; nam *Ioan. 19.* refertur quod
B. Virgo, *stabat iuxta crucem.* Vnde Ambrosius 54
de obitu Valentini, ait: *stantem legi, flentem non lego,* & tunc ibi magnam constantiam ostendit ex fide exquisita, vt habet Bernardus *concione* ad id: *stabat autem iuxta crucem,* Ambrosius *de Institutione Virginum, cap. te septimo,* & *epistola 82.* Imò addunt Patres, B. Virginem tunc ibi exercuisse actus insignes obedientiæ, & charitatis erga homines, offerendo filium pro eis magna fortitudine, quo actu ait D. Bonauentura *in primo, distinctione 48. quæst. vltima,* & eam Deum, & homines sibi maximè deuinxisse. De quo benè etiam Abulens. *quæstione decimaquarta, Prol. Matthæi,* & Gerson *Tractatu secundo, de Cantico decachordo.* De quo mira vide in D. Bonauentura ad eum Locum *Luca 2. & Ioan. 19.*

RESPONDETVR igitur cum D. Bonauentura *ad primum,* fuisse vehementissimum dolorem, & turbationem sensibilem, qualis admittitur etiam in agonia Christi, & sudore sanguineo, non tamen animam fuisse perturbatam quoad rationem. Addit Suarez cum S. Bonauentura *ad secundum,* perturbationem illam fuisse ex admiratione, & stupore ob grande factum.

AD Patres respondetur cum D. Bonauentura, eos 55
de admirationis excessu, quo res magna videtur incredibilis, intelligendos, præcipuè D. Augustinum. Addit tamen S. Doctor, non censeri eum Librum D. Augustini, se tamen respondere, ne fugam meditari videatur. Itaque indubitanter ait asserendum, B. Virginem in fide stetisse; imò inter omnes solam constantiùs; & ideò Ecclesiam eius nomine Sabbathum celebrare. Vide Seraphicum: Sic intelligendus etiam Hilarius; Basilius autem non habet inter sua opera epistolam citatam à D. Thoma, vt notat Suarez. Origenes corruptus est. Similiter neque Chrysostomi inuenitur expositio illa *in psal. 23.* Euthymius verò, Tertullianus, & Theophilactus falsò citantur.

OBIICIES tertiò. Si potuit B. Virgo mori: Ergo & peccare.

RESPONDET S. Bonauentura, negando pari- 56
tatem, nam mors non dedecet matrem eius filij Dei, qui mortuus est; dedeceret verò peccatum in Matre Saluatoris. Quamvis verò parentes remoti aliqui fuerint peccatores, vnde ait D. Hieronymus super *capite primo Matthæi,* in Genealogia Christi ob humilitatis condescensionem recenseri mulieres peccatrices; non tamen deceret matrem esse tam turpi nomini obnoxiam.

DICAS: Non posse peccare est Comprehensoris; at B. Virgo fuit viatrix.

RESPONDET S. Bonauentura, ex priuilegio posse concedi etiam Viatori tantum gratiæ, vt peccare non possit.

NON tamen hînc læditur libertas, quæ eò est 57
excellentior, quò à peccato immunior, vt dictum est de Christo, *disput. 20.*

QVÆSTIO V.

An in B. VIRGINE extinctus fuerit fomes.

D. Bonau. dist. 3. parte 1. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. quæst. 27. art. 3.

58 FOMES peccati est potentia quædam proxima, siue procliuitas per modum habitus in sensualitate, ad obiecta sensibilia, contraria rectæ rationi, vt existens ex priuatione iustitiæ originalis. Dicitur autem Fomes peccati, quia est ad peccandum incitamentum, seu quòd peccatum foueat, iugiter ei materiam ex praua propensione subministrando.

PRIMA opinio est, nunquam fuisse extinctum fomitem in B. Virgine, sed solùm consopitum. Eam refert S. Bonauentura.

SECVNDA opinio est, extinctum fuisse in prima sanctificatione in vtero Annæ. Ità Marsilius *in 3. quæstione 4. articulo primo*, Alensis *3. parte, quæstione 9. memb. 2. artic. 1.* Scotus, Gabriel, Almainus, Maior, & alij plurimi, ex his, qui B. Virginem in conceptione asserunt intemeratam; eos refert, & sequitur Suarez *disp. 4 sect. 5.*

59 TERTIA opinio est, fomitem fuisse in prima sanctificatione in vtero consopitum, sed in secunda sanctificatione, quando Spiritùs Sanctus super eam venit, atque fœcundauit, fuisse penitùs extinctum. Ita D. Bonau. & D. Thom. hic, Albertus Magnus *in 3. dist. 3. art. 6.* Richardus *art. 1. quæst. 3. & 4.* Durandus *quæst. 3. num. 10.* Valentia *disp. 2. quæst. 1. puncto 4.*

ASSERO cum hac sententia, tunc fuisse fomitem penitùs extinctum, quando è Spiritus superadueniu fuit facta fœcunda, fuisse tamen in prima sanctificatione sopitum.

60 PROBATVR à D. Bonauent. primò ex Patribus, Cyprianus *serm. de Natiuitate Christi*, ait de Virgine: *Legem mentis lex carnis non infestabat, rebellio nulla spiritùs quietem affligebat.* Loquitur autem de secunda sanctificatione in Annunciatione, & in lib. de Cardinalibus Christi operibus, *cap.* de Natiuitate Christi ait: *In Christi conceptione, Spiritu sancto obumbrante, originale incendium extinctum fuisse.*

RESPONDET Suarez, Cyprianum non de fomite loqui, sed de sensibili voluptate, quam B. Virgo, obumbrante Spiritu Sancto non sensit.

ENIM verò originale incendium latiùs patet, quàm vt solam voluptatem significet, & in priori loco clariùs loquitur de fomite.

61 D. CYRILLVS Hierosol. *Catech. 17.* ait, Spiritum Sanctum in Virginem veniendo, & eam obumbrando, sanctificasse eam, quo posset eum, per quem sunt omnia, suscipere.

RESPONDET Suarez, eum velle B. Virginem mundam fuisse ab omni carnis immunditia, & ab omni indecentia.

CONTRA, nam sanctificatio non dicit aliud, quàm purificationem à peccato, vel ab iis, quæ ad peccatum referuntur; at sordes præcisè puerperij non sunt tales, vt notat S. Bonauentura *fundamento primo*. Confirmatur à S. Doctore *quæstione præ-62 cedenti*, ex illo: *Spiritus Sanctus superueniet*, Lucæ 2. vbi Glossa *superueniens Spiritus Sanctus in Virginem, eam ab omni sorde vitiorum castificauit.* Vitium autem dicit aliquid, cum peccato habens connexionem, & cùm non intelligat ipsum peccatum, vel habitum peccati, debet intelligere potentiam pronam ad peccatum, quæ est etiam effectus peccati originalis ad modum habitùs vitij. Est autem ea glossa ordinaria ex Beda super *Missus est*.

D. NAZIANZENVS oratione 38. & 42. ait, *Spiritum Sanctum in anima, & corpore purgasse Virginem, vt filium conciperet.*

NEQVE de sola immunditia carnis loquitur, vt 63 putat Suarez, nam dicit, purgasse in anima, & corpore: Ergo erat aliquid ordinatum ad actus animæ; at non erat peccatum: Ergo fomes ad illud.

D. DAMASCENVS lib. 3. de fide, cap. 2. *Post consensum autem Sanctissimæ Virginis, Spiritus Sanctus superuenit in eam, purgans ipsam, & potentiam Deitatis receptiuam præparans, simul autem & generatiuam.* Idem habet Magister *dist. 3.*

D. BERNARDVS homil. 3. in Missus est: *In proposito Virginis erat omnium hominum frequentiam fugere, ne perturbaretur orantis silentium, aut Virginalis castitas tentaretur:* Ergo accepta occasione ab extrinseco, potuit accendi fomes concupiscentiæ: Ergo non erat omnino extinctus.

PROBATVR secundò à S. Doctore *fundamento* 64 *vltimo*. Si Beata Virgo fuisset in vtero sanctificata omnibus modis, non remaneret locus, & opus sanctificationi celeberrimæ apud Sanctos Patres in Annunciatione.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura. Tunc debuit sanctificari euulsione totali fomitis in carne, quando Virginem Beatissimam decuit, secundùm carnem esse mundam; sed hoc fuit, quando concepit filium Dei: Ergo. Hoc est argumentum Sanctorum Patrum, quos retuli.

CONFIRMATVR ratione D. Thomæ, quam 65 innuit D. Bonauentura. Tunc facta est ista emundatio à fomite, quando tempus opportunum fuit, vt fieri posset, ipsaque disposita; at hoc fuit, cùm ipse Filius Dei assumpsit carnem sine fomite: Ergo. Minor probatur, quia non decuit carnem alicuius prius esse à fomite peccati exemptam, antequam hoc priuilegium haberet ipse Christus, sicuti nullus ante eum habuit immortalitatem eiusdem carnis.

RESPONDET Suarez, non derogare dignitati Christi hoc priuilegium B. Virginis; nam ipse hoc habebat à se, Maria autem inferiori modo per ipsum. Vnde sicut non derogatur Christo ex eo, quòd aliæ animæ ante animam eius fuerunt sanctificatæ, ita neque in hoc. Neque est simile de immortalitate carnis per gloriam; nam hæc est perfectio pertinens ad terminum, in quo nullus debet constitui ante Christum, hæc autem est perfectio communicabilis viatori.

HÆC tamen parui momenti sunt, nam cùm sit 66 priuilegium singularissimum supra cursum, & contra ordinarium Sanctorum, debuit primò communicari Sancto Sanctorum, qui sicut in dotibus patriæ, ita & in aliis omnibus gratiis viæ debuit esse, & fuit primus omnimodè.

Na tamen quis inferat de peccato originali, dico; ad præparandam sanctissimam Matrem hoc decuisse, dum interim custodiretur à fomitis effectu, donec Verbo assumente carnem, tolleretur.

Ex quibus patet falsitas primæ sententiæ, nam 67 cùm caro Virginis in conceptione filij debebat assimilari carni, quam ex ipsa sumebat filius; sicuti ipse filius sine fomite habuit carnem, ita etiam debuit & mater; neque tamen hoc fuit necesse,

cesse, priùs esse in Matre, non enim ipse immunem carnem habebat Physicè dependentem à Matre in hoc priuilegio, sed quia carnem de Matre non per generationem naturalem, neque ex Adamo seminaliter sumens concipiebatur more aliorum, sed Spiritu sancto agente.

68 Vt autem intelligas, quid sit ligare fomitem, & quid extinguere: Scias ligari fomitem, cùm impediuntur eius effectus; tunc extinguitur, cùm omnis etiam causa aufertur. Hoc à simili exponitur: Tollitur ignis, cùm aufertur focus; ligatur, cùm impeditur ne vrat, sicuti Babylone impeditus est. Et quidem vtrovis modo fit, non potest fomes habere suum effectum, quia si extinctus est, iam non est; & ideò non potest operari; si verò ligatus, oportet vt habeat aliquam causam impedientem, ne in effectus prodeat, siue ista causa sit intrinseca, siue extrinseca; alioqui cùm fomes sit potentia naturalis, necessariò in effectum erumpet.

69 Tribvs autem modis potest impediri. Primò per solos habitus, seu qualitates inhærentes, quæ informando contineant appetitum, ne insurgat.

Ait tamen Suarez, non posse per solos habitus hunc effectum fomitis tolli sine alia actuali, & extrinseca Prouidentia Dei, vel clara eius visione, quia illæ qualitates, quæ solùm existunt per modum actus primi, non possunt efficere, vt existens obiectum, & applicitum appetitui, illum non moueat, quia appetitus naturaliter operatur circa obiectum applicitum, nisi per actualem motionem à superiori potentia contineatur. Nam sicut vitia non sufficiunt ad tollendam inclinationem ad bonum; ità nec virtutes ad malum.

70 Secvndò potest tolli hic effectus per solam extrinsecam prouidentiam, vel impedientem obiecta, ne moueant, vel negantem concursum potentiæ ad eosdem: & hoc modo ligaretur fomes.

Tertiò potest intelligi fieri partim per habitus virtutum, partim per Diuinam gratiam mouentem, & hunc modum ait Suarez esse propriè extinctionem fomitis, nam includit gratiam, & heroicas virtutes, & auxilium necessarium, ne ratio præueniatur.

71 Hvnc modum assignat S. Bonauent. & quidem *fundamento tertio*, existimat ex D. Bernardo, non sufficere virtutes, & gratiam, vt omnino euellantur seditiones carnis, esto ligatæ iaceant, sed requiri etiam, ne ab extrinseco obiecta excitent potentiam; hoc autem fit nobis occasiones vitantibus ex Diuina prouidentia, & Deo obiecta remouente, vt ait S. Doctor *ad secundum*. Gratia enim sola sanctificans, licèt minuat fomitem quoad inclinationem; etsi directè sit ad hunc effectum, liget; tamen non euellit radicitus, vt ipse S. Doctor *ad quartum* docet. Itaque ad radicem euellendam requiritur intrinsecus habitus oppositus fomiti, vt dicam.

72 Hic verò modus, quo euulsus est fomes, concessus est B. Virgini in conceptione Filij, non in creatione; licèt enim modus ille, quo ligatur fomes, idest impeditur ab extrinseco, vel à solo habitu intrinseco virtutis minuitur, sit minus perfectus, non tamen sequitur, quod infert Suarez, non esse datum B. Virgini, quia etiam in aliis dotibus perfectissimum acceperit, sed sequitur solum, modum perfectissimum extinguendi fomitis per intrinsecum habitum, non quemcumque, sed oppositum è diametro fomiti, & per auxilia extrinseca perpetuò assistentia, fuisse aliquando concessum B. Virgini, & hoc ostendi opportune concessum in conceptione Filij.

Dixi autem, necessarium fuisse habitum è diametro oppositum, nam gratia ordinaria non opponitur hoc modo, vt patet in renatis, & in omnibus Sanctis ordinariis, qui fomite laborant, vnde neque sufficit ad eum reprimendum; sicuti neque virtutes habent hanc oppositionem, vnde non tollunt omnino, eodem modo, quo nec vitia tollunt inclinationem ad bonum, quia licèt inclinent ad aliquod malum singula, non tamen inclinant ad omne malum; si verò omnia habeantur vitia, adhuc non tollent inclinationem omnem ad bonum, quæ in naturæ essentia rationalis radicatur; hæc enim habet pro obiectu bonum in genere; & ideò quamdiu manet, appetitus rationalis præualet, cùm eius tendentia sit maior, quippe essentialis, & vniuersalis. 73

Iam non benè arguit Suarez ad probandum, habitus intrinsece informando non posse continere fomitem, seu inclinationem ad malum, eò quòd virtutes non auferant inclinationem ad malum in genere; sicuti nec vitia ad bonum. 74

Dicimvs enim, datum in Annunciatione habitum è diametro fomitis tendentem ad totum bonum, qui ideò est aptus, non commentitius, vt fingit Suarez; eo autem reprimebatur fomitis adæquata propensio.

Et quidem modus ille Suarez sic impugnatur: Ait enim ad extinctionem fomitis requisitas virtutes esse omnes heroicas in summa perfectione: at quis ignorat, B. Virginem, vt dicam *disp.* 28. *quæst.* 14. in virtutibus profecisse? Ergo non habuit eas ab initio perfectissimas: Ergo non sufficiebant initio ad fomitem extinguendum. 75

Nec satisfacit Suarez dicens, eam fuisse plenam gratiâ, quia cùm gratia non opponatur physicè fomiti, sicuti neque virtutes præcisè, non tollunt eius radicem, vt arguit S. Bonauent. *ad vltimum*.

Neqve satis probat Suarez suam sententiam, authoritate Patrum initio sectionis, vt profitetur referens suam sententiam, nam illi Patres solùm aiunt, B Virginem non habuisse vnquam actum secundum fomitis, idest rebellionem insurgentem, vt ipse Suarez fatetur *in primo fundamento*, & eleganter edisserit S. Doctor *in speculo*, *lect.* 2. post medium, & *lect.* 6. ante medium in primo Priuilegio. 76

Ratio verò eius, scilicet, Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi, Resoluitur ex dictis *quæst.* 2. puritatem illam esse, quæ opponitur cuique impuritati propriè dictæ, oppositæ sanctitati; hæc autem est immunitas à quavis culpa: quoad fomitem verò non intelligitur.

Addo probabile cum D. Bonauent. post assertam ab eo Conceptionem Immaculatam, etiam fomitem ex tunc fuisse oppressum. 77

Qvæstio

QVÆSTIO VI.

An B. VIRGO *à primo instanti sanctificationis habuerit vsum rationis.*

78 ASSARO, Beatissimam Virginem ab illo instanti, rationis vsum obtinuisse. Ita docent S. Bernardinus Senensis *serm.* 51. *de B. Virgine, cap.* 2. *art.* 1. Caietanus *quæst.* 27. *art.* 3. Viguer. *Instit. cap.* 5. §. 3. *vers.* 9. Suarez *disp.* 4. *sect.* 7.

PROBATVR argumento D. Bonauenturæ relato *quæst.* 2. *in fine*. Priuilegia gratiæ, aliis concessa, non sunt negata Matri Dei; at sanctificatio in vtero cum vsu rationis concessa est Ioanni: Ergo. Minor probatur ex illo Lucæ 1. *Exultauit præ gaudio infans in vtero meo.* Hæc autem exultatio in gaudio fuit ex cognitione, vt notat D. Bonauentura ad eum locum, post omnes ferè PP. Græcos, & Latinos. Ambrosium *lib.* 1. *in Lucam*, & *de Instit. Virg. c.* 13. *lib.* 2. *de Virginibus, lib.* 4. *de fide ad Gratianum, c.* 4.
79 Leonem Papam *serm.* 10. *de Natiuitate*, Hieronymum *epist.* 7. Bedam *Lucæ* 1. Petrum Chrysologum *serm.* 88. Augustinum *lib.* 2. *de consen. Euang. cap.* 15. & (si illius opera sint) *oratione de quinque hæresibus, cap.* 14. & *de mirab. Sacræ Scripturæ, lib.* 3. *c.* 1. Origenem *homil.* 4. *in Lucam*, & *homil.* 7. & *homil.* 2. ex variis. Chrysostom. *homil.* 1. *in Lucam*, Theophyl. *Lucæ* 1. Cyril. Hierosol. *catech.* 3. Nicephor. *lib.* 1. *hist. cap.* 8. Metaphrasten *oratione de dormit. Deiparæ*, apud Surium *Tomo* 5. Concilium Basileense *sess.* 43. Vnde Ecclesia canit:

Senseras Regem thalamo manentem.

Licèt videatur de hoc dubitare solus D. August. *epist.* 57. *ad Dardanum.*

80 ADDO, hunc vsum rationis semper in ea durasse. Ita D. Bernardinus Senens. *loco cit.* Suarez *sect. cit.*

PROBATVR, quia multi PP. idem concedunt Ioanni, Ambrosius *lib.* 2. *in Lucam.* Origenes *hom.* 8. & 9. *in Lucam.* Confirmatur; nam B. Virgo tertio anno fuit oblata templo à parentibus ipsa consentiente, & semper ab ea die operibus sanctis, & actibus virtutis intenta, vt refert S. Bonau. *Meditationibus vitæ Christi, cap.* 3. ex reuelatione facta Sanctæ Elisabethæ, & ex Damasceno *lib.* 4. *de fide, cap.* 55. Nicephoro *lib.* 1. *Eccl. hist. cap.* 7. Nysseno *orat. de Christi Natiuit.* Euodio, & aliis. Idem clariùs habetur in historia, quæ nomine Hieronymi circumfertur ex D. Antonino 1 *parte, hist. tit.* 4. *c.* 6. §. 10. Carthus. 1. *parte vitæ Christi*, §. 2.

81 HINC verò non deduco, B. Virginem propriis actibus, se ad gratiam suæ conceptionis præparasse, vt vult Suarez *disp.* 4. *sect.* 8. nam vt dixi *p. p. tract.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 5. circa finem priùs Esse debuit, quàm operari. Cùm ergo in primo instanti habuerit gratiam, non potuit ante illud instans se præparare; opus autem erat præcedere cognitionem plurium, & postea electionem, vt ibi dixi: Quomodo enim ex propria dispositione se præparauit ad eam gratiam per actum, procedentem ab eadem gratia, iam in anima hærente? Hanc autem rationem vellem à Suarez solui.

QVÆSTIO VII.

Quanta fuerit perfectio Natalis B. VIRGINIS.

{ D. Thom. q. 31. art. 4.

PRIMÒ quidem quoad Dotes naturales, corpus 82
B. Virginis fuit perfectissimum, vt docent omnes Patres, qui hac de re loquuntur. Neque id potest sine temeritate negari. Vide D. Bonau. *in primo, dist.* 44. *dub.* 3.

HOC verò fuit consentaneum eius officio Matris Dei. Primò quidem, quia ex eius corpore formandum erat Sanctissimum Christi corpus. Fuit ergo conueniens Diuinæ prouidentiæ aptare medium fini, & materiam effectui aptam præparare, vt arguit Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. post D. Bonau. *loco cit.*

HINC colligitur, B. Virginem præditam fuisse 83
insigni pulchritudine, vt docuit S. Antoninus 4. *tit.* 15. *cap.* 10 §. 2. & colligitur ex Richardo Vict. *cap.* 26. *in Cant.* vbi dicit, eam fuisse vultu Angelico; ei accommodans illud: *Tota pulchra es amica mea.* Idem habet D. Bonau. *serm.* 1. & 2. *de B. Virg.* cum Gregorio Nazianzeno *in Christo patiente*, Andræa Hierosol. *serm de Assumptione.*

ADDVNT verò grauissimi Theologi, talem fuisse Virginis pulchritudinem, vt eam intuentes nonnisi ad castitatem, & pudicitiam excitaret, vt notat Suarez *loco citato*, post D. Bonauent. *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. D. Thom. *in eadem dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncula* 1. *ad* 4. Alens. 3. *p. quæst* 9. *memb.* 3. *art.* 1. post D. Ambrosium *lib. de Instit. Virg. cap.* 7. vbi ait: *Tanta erat eius gratia, vt non solum in se virginitatem, sed etiam, si quos inuiseret, integritatis insigne conferret.*

DEINDE verò B. Virginem habuisse perfectissi- 84
mam animam certum est, vt docet D. Bonau. *locis adductis*, & *in speculo* passim. Ratio congruitatis est finis, qua sic Matrem Dei decebat.

TERTIÒ dico, B. Virginem è serenissima Dauid stirpe ortum habuisse.

ID probat S. Bonauentura *primo Lucæ*, ad ea verba: *Dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius.* Cui addit id psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et Hierem. 23. *Ecce dies veniunt, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit, &c.* Et Isa. 9. *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit.* Cùm igitur Christus ex sola Matre acceperit corpus; signum est, eam è stirpe Dauid fuisse ortam.

LATIVS idem probat S. Doctor ad 20. *Lucæ*, 85
ad ea verba: *Quomodo dicunt Christum Filium esse Dauid*, vbi ait S. Bonauent. Hoc communiter dicunt Iudæi, & etiam omnes viri Christiani, nam ipsi Dauid facta est repromissio, sicut in psal. dicitur 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et 2. Reg. 7. *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.* Hoc autem de solo Christo posse dici, ait D. Bonau. & probat ex illo Lucæ 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Ideò rectè ait clamasse turbas, Matth. 21. *Osanna Filio Dauid*, & Apost. 2. Tim. 2. ait: *Memor esto, Dominũ Iesum Chri-* 86
stum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid secundum

Euangelium

Euangelium meum. Et Act. 2. ait Petrus: *Propheta igitur cùm esset Dauid, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione.* Idem probat S. Doctor *ad cap. 7. Ioan.* illis verbis: *Non ne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, &c.* Addit *cap. 5. Michaeas*, quo astruitur è Bethlehem oriundus. Adde cum S. Doctore *ad 3. Lucæ* genealogiam IESV ibi, *& Matthæi primo*, quæ sanè per Iosephum ex eadem stirpe, acceptum à Virgine coniugem, ducitur.

87 ADVERTVNT autem sacri Commentatores, morem Scripturæ esse, non fœminarum, sed masculorum tantùm genealogias enarrare.

AT cùm S. Ioseph ad generationem Christi è purissimis intemeratæ semper Virginis concepti sanguinibus de Spiritu sancto, nil spectet; neque ex coniugio probetur, de eo Dauidis ramo, esto de eodem Iudæ stipite, quod neque probatum relinquitur, non apparet, quam solidè gemini isti Spiritus Dei calami generationem IESV e Regio Dauidis cespite nobis testatam descripserint.

88 RESPONDENT communiter Patres, id opportunè factum esse etiam hic, nam cum apud Hebræos mos, & Lex Diuina vigeret, vt vir coniugem ex eadem Tribu acciperet, vt habetur *Numer. vltimo, Deuter. 25. Ruth. 3. & 4.* & Ioseph esset iustus, vt dicitur *Matthæi primo*; certum erat, eum obedire legi; & sumere vxorem de sua stirpe, atque adeò narrata genealogia Ioseph, supponitur eadem etiam Mariæ.

CONTRA, quia mos ille erat ex alia quoque tribu posse sumi, vt patet *primo Reg. 18.* vbi Dauid sumpsit Michol filiam Saul Beniamitam, & *Iud. 21.* Iurarunt filij Israël, se non daturos filias suas ampliùs vxores filiis Beniamin ob scelus commissum, quod indicat, solitos esse dare. Et *Exodi 6.* Aaron Leuita accepit vxorem Elisabeth ex tribu Iuda, & *2. Paralip. 2.* Ioiada Pontifex habuit vxorem Iosaber filiam Regis Ioram de tribu etiam Iuda.

89 AT, esto Ioseph legem seruaret, satis erat accipere vxorem contribulem, atque adeò poterat ex alio ramo tribus Iudæ vxorem habere, quæ ex Dauide non emanaret.

RESPONDETVR igitur legem *Numer. vltimo* præcipere, vt accipiatur maritus ex eodem proximo stipite ab illa puella, quæ esset vnica hæres, ne hæreditas extra familiam exiret. Idem colligitur *Tobiæ vltimo*, & ideò *Numer. vltimo* dicitur: *Ducent vxores de tribu, & cognatione sua*, vbi LXX. & Chaldea Paraphrasis habet: *Omnis filia hæres.* Et infra: *Vt hæreditas permaneat in familiis.* Hebræa autem lectio habet: *Omnis filia hæres hæreditatis ex tribubus filiarum Israël vni ex familia tribus Patris sui erit in vxorem, vt possideant filij Israël vnusquisque hæreditatem Patrum suorum.* Ità refert Maldonatus *ad 1. Matthæi*, post D. Bonauenturam *in 4. dist. 30. quæstione 2.* in fine.

90 ET simile colligitur ex *Deuter. 25. Ruth. 3. & 4.* Virgo autem Maria erat vnica filia Ioachim, & vnica hæres, vnde concluditur, acceptam à Ioseph, quia propinquissimus ex eadem familia Dauid, vt latè declarat Eusebius Emissenus *homil. de natiuitate Beatæ Virginis.* De his vide assertores apud Serlogum *Anteloq. 5. sect. 2.*

HÆC autem, cùm apud Iudæos nota essent, sunt à Matthæo potius supposita, quam probata, quippe qui Iudæis historiam enarrabat.

91 PRÆTEREA Lucas *cap. 2.* refert, ascendisse Ioseph cum Beata Virgine Bethleem, ciuitatem Dauid, vt describerentur, tanquam geniti ex eadem progenie, & habentes in eodem territorio hæreditatem; nam illa descriptio magis fiebat intuitu facultatum, vt habet Iosephus *lib. 18. antiquitatum, cap. 1.*

CERTVM est autem, Dauid fuisse Bethleemitem, vt dicitur *primo Reg. 16. Ioann. 7.* vt rectè aduertit S. Bonauentura *ad 2. & 3. Lucæ & 7. Ioannis.*

DICO quartò, B. Virginem descendisse ex Dauid per lineam paternam. Sic Apostolus *Hab. 7.* affirmat, Christum esse ex tribu Iuda, & negat esse ex Leui. Quod si B. Virgo e Patre Leuita orta esset, sequeretur etiam Christum e Leuitis oriundum. Ità D. Bonauentura *in 4. distinctione 30. quæstione 2. ad 5.* 92

QVOD verò è stirpe Dauid, probatur illis locis, quibus dicitur filius Dauid, vt *Lucæ 1. 2. & 3. 18. & 20.* & *Ioan. 7.* Vide D. Bonauenturam *in Commentariis.*

IO verò conatur Suarez probare ex illo Lucæ 3. *Ipse IESVS erat incipiens annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, &c.* vbi ait, recenseri lineam, ac genealogiam Virginis, non autem Ioseph; ita vt sit parenthesis in illis verbis (vt putabatur filius Ioseph) & relatiuum, *qui fuit Heli*, significet Christum, qui fuit nepos Heli, idest Ioachim. Sequitur in hac expositione Caietanum, Iansenium, Dionysium Carthusian. Arriam montanum, Gagneium, Palatium, & alios expositores *Matthæi 1. Lucæ 3.* Galatinum *lib. 7. cap. 12.* Ioan. Dried. *lib. 4. de dogm. cap. 5. puncto 4.* Ioan. Liciadum *lib. 3. de emend. temporum, cap. 1.* Cano *11. de locis, cap. 5.* Soto *in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1.* Canis. *lib. 1. de Deipara, cap. 3.* ex Hosiandro *lib. 1. Harmonia Euang. cap. 16.* citatur etiam D. August. *lib. 1. qq. noui, & veteris testamenti, quæst. 56.* & *libro 2. quæst. 6.* vbi dicitur: *Qui fuit Heli, non de Ioseph, sed de Christo loqui.* Ille tamen Liber in D. August. apochryphus est, vt notat D. Bonau. *dist. 3. parte 1. quæst. vltima ad secundum.* 93

HÆC tamen expositio pugnat cum tota Patrum antiquitate. Omnes enim supponunt, vtrumque Euangelistam narrare Ioseph originem. Ex his autem nullum inuenio ante Ioannem Annium, qui dixerit, Heli esse Patrem B. Virginis, cùm omnes, imò & Ecclesia fateatur, esse Ioachim. Alias quoque hæc opinio patitur difficultates. 94

QVARE S. Bonau. *in commentario* sequitur communem Patrum sententiam, Ioseph fuisse filium naturalem Iacob; legalem autem Heli. Vide S. Bonau. qui sic Matthæum, & Lucam conciliat.

RESPONDET Suarez illam Patrum interpretationem esse probabilem, non tamen certam; neque ab eis simpliciter assertam, sed eo modo, quo ab Africano tradita est, qui dubitat: Hanc habet Africanus *in epistola ad Aristidem.*

VERVM eius expositio omnino coacta est, vt notat Maldonatus, referre relatiuum ad Christum *qui* idest Christus, fuit Heli, idest Ioachim; non filius, sed nepos, en quot diuerticula. E contra verò sententia D. Bonauent. est ab omnibus Patribus antiquis acclamata, neque vllus dubitat, vt notat Maldonatus *ibi*, & licèt Augustino non admodum probata fuerit *in lib. qq. Euangelicarum*, tamen eam postea senior, & sapientior approbauit *lib. 2. retract. capite 7.* 95

DICO quintò, B. Virginem aliqua ex parte originem trahere etiam ex tribu Sacerdotali. Ita sentit D. Bonauentura *4. dist. 30. art. 1. quæst. 2.* in fine D. Thom. *3. parte, quæst. 29. art. 1. ad 4. & quæstione 31. artic. 3. ad 3.* Antoninus *4. parte, tit. 15. cap. 3.* 96

cap.3. §.3. & est sententia Patrum ; quos refert, & sequitur Suarez *disp.2. sectione vltima, §. Quartò, & vltimò dicendum.*

ALIQVI id probant, quia Lucas narrat generationem Christi per Nathan, quem putat Sacerdotem : Sed hic fuit filius Dauid, vt patet, ex tribu Iuda, vt notat S. Bonau. *ad 3. Lucæ.*

97 ALII id probant, quia *Lucæ primo*, dicitur cognata Elisabeth, quæ erat de filiabus Aaron, vt dicitur ibidem. Sic indicat D. Bonauentura *loco citato*, vbi authoritate Patrum nititur; etenim ex sola Scripturæ authoritate non conuincit, quia potuit esse cognata Elisabeth ; eò quòd mater sua esset de stirpe Iuda, & Dauid.

CONIECTVRAM Patrum affert S. Bonauentura *ad 3. Lucæ*, quia Christus Rex, & Sacerdos fuit, ideò ex Regibus, & Sacerdotibus oriondus esse debuit.

HINC etiam generatio naturalis per Reges delineatur, & legalis per omnes vsque ad Adam, vt Sacerdotium innuatur. Quam varietatem mysteriis sacris plenam discurrit D. Bonauentura *ad 3. Lucæ*, cum D. Thoma hîc.

98 CVR verò fœminæ multæ non adeò sanctæ recenseantur in hac Genealogia.

RESPONDET S. Bonauentura *in 3. dist. 3. quæst. 1. & quæstione vltima ad 3.* factum esse ad mysterium. Sic Roth intelligitur Petra deserti, vnde & Agnus, *Isa. 16.* vt ait S. Hieronymus : Petra quidem solida est B. Virgo, & adamante solidior, per quam serpens vestigia non reliquit, neque aliquid impressit, sed ab ea contritus est ; cæteri verò homines polueres sont Adamici, serpens autem per pu-
99 luerem repens vestigia reliquit. Sic igitur per eos transiens vestigia peccati originalis impressit ; at in hanc de qua ortum habiturus erat agnus, qui tollit peccata mundi, non impressit aliquid serpens. Similia mysteria reperit in aliis.

QVÆSTIO VIII.

De Virginitate DEIPARÆ *perpetua.*

100 SVPPONO primò, B. Virginem vsque ad Annunciationem fuisse Virginem. Sic enim primo Lucæ dicitur : *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem*, vt notat D. Bonauentura *in speculo B. Virginis lect. 4.* in fine.

IPSA enim à tertio anno vsque ad quartum decimum in templo demorata est, Angelicam vitam degens, quam S. Bonauentura describit ex reuelationibus, & ex D. Hieronymo *in eius vita*, Ambrosio *libro 1. & 2. de Virginibus*, Gregorio Nisseno, *oratione de ortu Saluatoris*. Damasceno *lib. 4. cap. 15.* Nicephoro *lib. 1. Eccl. hist. cap. 7.*

ERGO iam maneant sepulti Conuitiatores intemeratæ Virginitatis Beatissimæ Dei matris Mariæ.

101 ASSERO primò, B. Virginem non ex viro, sed sola Spiritus Sancti virtute Christum Dominum concepisse.

PROBATVR primò à D. Bonauentura *ad 1. Lucæ* ex illis verbis : *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*, & ex illo Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

102 SIC ait figuratam in virga Aaron, quæ ex se floruit *Numer. 17.* Ideò dicitur Isaiæ 17. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, &c.* Sic quia concepit sine delectatione, vel libidine, signata est in Rubo, *Exodi 3.* qui illæsus fuit in igne, vt exponunt Nyss. *in vita Moysi, folio 7.* Bernardus serm. *Signum magnum.* Origenes *homil. in variis locis.* Sicut partus sine læsione, in Vellere Gedeonis *Iudic. 6.* dicitur enim psalm. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus.* Ita exponunt Ambrosius *serm. 13.* Bernardus homil. in *Missus est.* Hæc S. Bonauentura, & post eum Suarez *Tom. 2. disp. 5. sect. 1.* & alij.

PROBATVR quartò à S. Doctore *in speculo, lect. 14.* ex Danielis 2. *Abscissus est lapis de monte sine manibus*, idest sine opere hominis Christus. Ità Irenæus *lib. 3. cap. 28.* Augustinus *tract. 9. in Ioan.* & *Tract. primo, in primam Canonicam.* Hier. ibi, & *epistola 12. de custodia Virg.* & *epistola 72.* contra Vigilantium, Iustinus *Dialogo contra Tryphonem.*

ASSERO secundò, B. Virginem etiam in partu, 103
& post partum intemeratam remansisse.

PROBATVR à D. Bonauentura *ad 2. Lucæ* ad ea verba : *Peperit filium suum* ex illo Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur Emmanuel.* Idem testimonium vrget S. Doctor *in speculo B. Virginis lect. 13.* finem versus. Hoc testimonio vtuntur Patres omnes Græci, & Latini ad hoc probandum ; Irenæus *lib. 3. contra hæreses, cap. 9. 18. 21. 24. & 26.* & *lib. 4. cap. 40.* Iustinus *in Dialogo contra Tryphonem* longe post initium, Eusebius *lib. 7. demonstr. cap. 2.* & *lib. 5. cap. 8.* Epiphanius *hæresi 30.* prope finem, & *hæresi 77. in epistola Athanasij* ad Epictetum, quam ibi refert Gregorius Nyss.
oratione in sanctam Christi natiuitatem circa princi- 104
pium, Basilius *homil. 25. de humana Christi generatione*, & *in 6. cap. Isaiæ*, Tertullianus *libro contra Iudæos, cap. 9.* & *lib. de carne Christi, cap. 23* in fine, & *lib. 3. contra Marcionem, cap 3.* Cyprianus *lib. 2. contra Iudæos, capite 9.* Ruffinus *in expositione Symboli.* Hieronymus *Isa. 7.* & *libro 1. contra Iouin.* circa medium, Ambrosius *epistola 81.* Augustinus *serm. 2. & 4. de Natiuitate.*

RESPONDENT tamen primò Iudæi, ibi non loqui prophetam de Christo, neque ibi dici Virginem parituram ; sed Adulescentulam, quæ significatur voce *Almah.* Vnde ad Ezechiam, & matrem eius vaticinium accomodant.

ENIM verò, cùm Ezechias iam nouem annis ad 105
minimum esset natus, quando hæc dixit Isaias, vt probat D. Hieronymus, non potest de eo intelligi.

DEINDE vox *Almah* in aliis locis Virginem significat. Sic *Genes. 24.* Rebecca dicitur Almah ante desponsationem, vbi iure, ac merito Latinus Interpres Virginem significat. Addunt aliqui nomen Almah cum aspiratione, significare Virginem perpetuam ; sic autem hic scribitur העלמה. Adde LXX. Interpretes, & Chaldæum vertisse VIRGO.

QVID moror ? obsecro, quæ magna, & miraculosa res, aut portentosum signum esset, puellam corruptam parere ?

TANDEM quis fuit Emmanuel alius, præter Christum, qui est nobiscum Deus ?

HÆRETICI aliâ viâ conantur hunc locum ef- 106
fugere dicentes, asseri Virginem parientem in sensu diuiso ; non composito, ita vt pariens, Virgo maneat.

AT nullum esset miraculum, vt profitetur asserere Isaias ; aut signum Victoriæ, quod puella in sensu composito pariens fit corrupta.

DEINDE hunc locum exponit Matthæus, vbi referens

refereus Angelum asserentem Iosephu, Mariam, non ex viro, sed de Spiritu sancto concepisse, subdit: *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: Ecce*
107 *Virgo in vtero habebit, & pariet filium.* Hæc sanè verba multi intelligunt esse Angeli, persuadentis Iosepho miram Christi conceptionem. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Irenæus *lib.4. contra hæreses, cap.40.* Ambrosius *epist.81.* Augustinus *serm.14. de Natiuit.* & indicat S.Bonau. *in speculo, lect.4. in fine*; at licèt sint verba Euangelistæ solius, vt volunt Hieronymus, & Anselmus, adhuc habemus intentum.

Probatvr secundò à S. Doctore *in speculo B. Virg. lect.7.* ex Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel egressus est per eam.* Sic exponitur à D.Ambrosio *lib. de Instit. Virg. c.7. & 8.* Idem habet D.Thom. *quæst.28. art.3.*

108 Probatvr tertiò à S. Doctore *ad 1. Lucæ*, nam B.Virgo anxia quæsiuit ab Angelo nunciante, eam parituram: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Angelus verò, promittit conceptum, & partum, illibato sanctissimo, & Diuino claustro hymene: *Spiritus sanctus* (ait) *superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Eam verò in partu intactis claustris asserit Scriptura contra Caluinistas, qui fatentur, non operá viri peperisse; sed tamen laxis claustris virginalibus.

109 Nobiscvm fatentur PP. D. Augustinus *in Enchir. cap.34.* & *epistola 3. ad Volusianum.* D.Ambrosius *lib. de Instit. Virg. cap.7. & 8.* Hieronymus *in Apologia ad Pammach.* Emissenus in ea verba: *Ecce quam bonum, &c.* Fulgentius *serm. de laudibus Mariæ.* Isidorus *lib. de virginitate Mariæ, cap.1.* Origenes *homil. prima ex variis.* Nazianzenus *in Tragœdia Christi patientis.* Gregorius Nyssen. *homil. de occursu Domini*, Cyrillus Hierosol. *homil. de occursu Domini & Simeone*, Amphilochius Episcopus Icon. *oratione de eodem festo.* Chrysostomus *homil.2. in Symbol.* Theodoretus *dialogo 2.* Theodotus Episcopus Ancyræ, in Concil. Ephesino, Clarus *serm. de Natiuitate Domini.* Damascenus *lib.4. de fide, cap.15.* Euthymius *in cap.28. Matthæi.*

110 Probatvr quartò à D. Bonau. *in 3. dist. 25. in corpore*, & *serm.8. Hexaëm. in fine*, & *3. part. Centil. sect.38.* clarius *in Diæta salutis, tit.5. cap.3.* ex Symbolo Apostolorum: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*

Hvnc articulum D.Augustinus *cap.34. Enchir.* vrget dicens: *Si per nascentem corrumperetur eius integritas, non iam ille de Virgine nasceretur, eumque falsò* (quod absit) *de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia.*

Hoc eodem medio instat D.Ambrosius epist.81. *Si doctrinis* (ait) *non creditur Sacerdotum; credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & seruat.*

Divvs etiam Chrysostomus *homil.2. in Symbol. Apostolorum*, ibi ait, fidem de hoc articulo non nisi à Gentilibus, & hominibus perfidis, sinceram Ecclesiæ fidem deprauantibus, negari posse. S. Bartholomæus etiam de hoc fert testimonium apud D. Bonauent. *in Pharetra, lib 1. cap.5.*

111 Assero vltimò, B Virginem post partum semper fuisse intemeratam. Est de fide.

Probatvr à D. Bonauent. *in speculo, lect.7.* ex 44 *Ezech. citato suprà.* Vbi loquitur de B. Virgine, vt exponunt D. Hieronym. ibi & *Dial. 2. contra Pelagianos*, D.Augustinus *serm.2. & 14. de Natiuit.* Ambrosius *epistola 81.* Chrysostomus *homil. de S. Ioanne Baptista*, Damasc. *lib. 4. de fide, cap.15.*

Id habetur ex CC. definientibus, B. Virginem semper fuisse Virginem illibatam. Ita quinta Synodus *can.6.* & sexta Synodus *act.11.* septima Synodus *act. 3.* Syricius Papa cum Concilio Romano *in epistola Decretali*, & inter epistolas D.Ambrosij est 80. Idem Ambrosius cum Concilio Mediolan. *epist 81.* Idem habetur in Symbolo Apostolorum.

Obiicies primò. Christus dicitur habuisse 112
Patrem in terris, Lucæ 2. *Erat pater eius, & mater mirantes*, atque eodem cap. dicitur: *Ecce Pater tuus, & ego.*

Respondet D. Bonauent. ad ea loca, & D. Thom. *quæst.27. art.2.* ex D. Augustino *lib. 1. de nupt. & concupisc. cap.11.* eo modo dici Christum filium Ioseph, quo ipse Ioseph vir Mariæ dicitur, nempe ipsa copulatione coniugij absque carnis mixtione. Erat igitur eo modo, quo filius vxoris, nunc ductæ, dicitur filius mariti, adde adoptionem, & hominum æstimationem. Ideò D. Lucas *cap.3.* explicat, quomodo fuerit Iosephi filius: *Vt putabatur filius Ioseph*, vt notat D. Bonauentura *ibi.*

Obiiciunt secundò, quia *Matth.1. & Luc.3.* 113
describitur generatio Christi per Ioseph.

Respondetvr cum D. Bonauent. ex dictis *quæst.7.* suprà. Vide ibi.

Obiiciunt tertiò B. Virgo dicitur *Galat.4. Ioan.2.* & aliis locis, Mulier: Ergo non fuit Virgo.

Respondet D. Bonauent. ad 1. *Lucæ*; ibi vocari Virginem: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem*, & ibi dici etiam mulierem: *Benedicta tu in mulieribus*, nam etiam Apostolus ait 1.Cor.7. *Mulier innupta, & Virgo.* Igitur hoc nomen est sensus conueniens etiam Virginibus. Id verò confirmat *ad 2. Ioannis*, in ea verba: *Quid mihi, & tibi est mulier?* ex D. August. *Tract.10. in Ioan.* & Gregorio *11. Moral. cap.26.*

Obiiciunt quartò *Matth. 1.* dicitur de Ma- 114
ria, & Ioseph: *Antequam conuenirent, & accepit coniugem suam, & non cognouit, donec peperit.* Particula autem, *donec*, significat terminum: Ergo postea cognouit.

Respondet D.Bonau. *in 4. dist.30. dub.4. litt.* Impium esse hunc errorem Claudianorum, & à Christo in morte sepultum, dum matrem suam Ioanni commendauit, & eum dedit Mariæ in filium, quod non fecisset, si illa filios habuisset. Quod argumentum sumitur ex Ambrosio *Lucæ 1.* & *epistola 79.* Epiphanio *hæresi 78.* & Hieronymo contra Heluidium, vt notat Suarez *disput. 5. sect.3.*
Quod ergo obiicitur, facilis est solutionis apud 115
D. Bonau. *ibi*; nam ly *donec*, dicit terminum incertum; sicut cùm dicitur: *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum; sede à dextris meis*, ex quo non sequitur, eum non sessurum, postquam humiliati fuerunt inimici; imò constat, eum sessurum semper; Matthæus itaque negat, quod factum non erat eo tempore; nihil verò affirmat, quod factum sit postea. Ponitur autem tempus, in quo poterat credi factum, idest, vsque ad partum ratione Conceptionis Filij. De reliquo non erat dubitandum. Ita respondent etiam Suarez *loco cit.* Valentia *disput.2. quæst. 2. puncto 1.* cum D. Hieronymo.

116 Obiiciunt quintò. Dicitur de B. Virgine: *Peperit Filium suum primogenitum:* Ergo alios postea habuit.

Respondet D. Bonauent. *in 4. loc. cit.* & *ad 2. Luca*, cum D. Thom. *quæst. 28. art. 3. ad 4.* quos alij sequuntur: Primogenitum ex more Scripturæ vocari non modò eum, quem alij consequuntur Filij, sed eum, qui primogenitus est, etiamsi alius non sequatur, &c. alioqui secundùm leges, iura primogenituræ non conuenirent primo, nisi alij sequerentur fratres, quod est ridiculum, nam & *Numer.* 18. post mensem iubebantur redimi primogeniti.

117 Obiiciunt sextò Ambrosium *lib. 2. in cap. 2. Luca*, vbi dicit, Christum aperuisse vuluam matris suæ in partu.

Respondet D. Bonauent. *ad 2. Luca*, primò, ibi aperire vuluam, esse primò exire; non enim partu aperitur claustrum Hymene, sed in conceptu.

Respondet secundò, aperire vuluam, in Scriptura esse idem ac fœcundare, sic dicitur Genes. 29. *Aperuit Dominus vuluam eius, sorore sterili permanente.* Et Genes. 30. idem dicitur de Rachele, & 1. *Reg.* 1. dicitur quod Phenenna exprobrabat Annæ, *quod Dominus concluserat vuluam eius*, quia erat sterilis. Iam verò insigne dictum hic profertur, eundem Filium, qui natus est de Matre, eam diuinitus fœcundasse, quod alicui alij Filio non conuenit. Sic etiam de eadem dicitur Christo: *Lactente matris vbere*, idest, lacte ab ea accepto à te Fili Dei. Sic respondent etiam Suarez *disput. 5. sect. 2.* Valentia *disput. 2. quæstione 2. puncto 1.* De reliquo monet S. Doctor, Virginem fuisse portam, perpetuò clausam.

118 Obiiciunt septimò. Christus dicitur habuisse fratres, Ioan. 2. *Descendit Capharnaum ipse, mater, & fratres.*

Respondet D. Bonauent. *loc. cit. in 4.* & ad eum locum Ioan. cum D. Thom. *quæst. 28. art. 3. ad 5.* fuisse cognatos Mariæ ad modum, quo Abraham, & Loth dicuntur fratres; Et Iacob, & Laban ex D. Augustino *tract. 10. in Ioan.* addit fuisse propinquos in secundo, vel tertio gradu. Et *in Meditationibus Christi, cap. 13.* ait, Ioannem Euangelistam Filium fuisse sororis Beatæ Mariæ.

Qvomodo autem fuerint hi cognati non explicat S. Doctor.

119 Primò quidem certum est, non fuisse Filios B. Virginis, & est de fide ex dictis, & probatur primò à D. Bonauent. *Ioan. 19.* ad id: *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalena*, vbi S. Doctor notat, affuisse etiam Mariam Salome, *Matth. 27. Marci 15.* dicitur Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi, seu Salome: has igitur distinguit Euangelium ab ipsa Matre Dei; hæc enim dicebatur Maria Mater Iesu, seu Maria Iesu, vt ait D. Ignatius. Hæc est sententia certissima, quam astruunt etiam Patres omnes.

120 Deinde non credo, fuisse filios aliarum filiarum sanctæ Annæ. Tum quia D. Anna fuit sterilis vsque ad senectam, qua miraculosè concepit B. Virginem, vt communiter antiqua traditio tenet: Tum quia nullus antiquorum Patrum id recenset.

Præterea neque arbitror, fuisse has fœminas filias Ioachim ex alia vxore; & ex eis natos istos vocatos fratres Domini; nam communiter Patres antiqui censent, B. Virginem fuisse vnigenitam hæredem Ioachim. Vide Suarez *disput. 5. sect. 4.*

Patres Græci communiter dicunt, hos fuisse filios S. Ioseph ex antecedente vxore; nam S. Ioseph, cùm accepit B. Virginem erat senex, vt videtur tenere communis Ecclesiæ traditio, vt credendus habuisse fructum benedictionis, vt tunc existimabatur. Eos Patres refert Suarez *loc. cit.* Itaque eo modo fratres Christi dictos eos asserunt, quo Ioseph pater eius est dictus. 121

Hoc profectò cum D. Bonau. teneo ignorari, in quo gradu propinquitatis isti essent Christo coniuncti: Imò, an verè essent consanguinei, vel potius putatiui.

Si Eusebij historiæ fides est habenda, hi erant 122
consobrini tantùm putati. Nam, vt *lib. 3. hist. cap. 11.* habetur, Cleophas erat frater Iosephi sponsi Virginis; & Simon frater Domini, erat filius Cleophæ, vt refertur ab Eusebio *loco cit.* ex Egesippo: & Maria mater Iacobi, & Ioseph est eadem Maria Cleophæ, sic dicta, quia erat vxor eius. Igitur qua ratione Ioseph putatus est pater Christi, eadem & Cleophas potuit haberi patruus Christi, & filij eius consobrini Christi, atque sic dici fratres Christi: est tamen difficultas hic, nam in Euangelio, Iacobus Minor, frater Domini, dicitur Iacobus Alphæi; quomodo ergo potuit dici filius Cleophæ.

D. Hieronymus, quem sequitur Beda, probabile censet, Mariam matrem Iacobi, non esse dictam Mariam Cleophæ, quia esset vxor eius, sed filia. Et hoc idem tenet D. Bonauent. ad ea verba Ioan. 19. *Stabat iuxta crucem Maria Cleophæ.*

Respondet Suarez, id non habere funda- 123
mentum in historiis suprà allatis. Ideò dicit, Alphæum, & Cleopham esse eundem binomium; aut vocatum Alphæum, cognomine Cleopham.

At satius est credere Chrysostomo, & Bedæ, quàm Eusebio, maximè vbi de historiis agitur, quæ fundamentum ex Scripturis trahunt. Facere verò hunc binomium, est gratuita Suarez cogitatio.

Qvomodocvmqve sit, idem omnino est Iaco- 124
bus Alphæi, & Cleophæ, vt habet D. Hieronymus contra Heluidium, & alij apud Suarez *loco cit.*

QVÆSTIO IX.

An B. Virgo *habuerit propositum virginitatis seruandæ.*

{ D. Bonau. in 4. dist. 30. q. 1.

Assero, B. Virginem habuisse à principio vsus 125
rationis absolutum propositum Virginitatis. Ità Magister *in 4. dist. 30.* & ibi D. Bonau. *art. 1. quæst. 2.* Scotus *quæst. 2. art. 2.* Supplem. Gabr. *quæst. 1. art. 2. post 6. concl.* Richard. *art. 2. quæst. 1.* Maior *quæst. 4.* Durandus *quæst. 2.* Sotus *quæst. 2. art. 2. ad 1.* Abul. *Matth. 1. quæst. 30.* Henricus *quodl. 9. quæst. 11.* Albertus Magnus *lib. de B. Virg.* Hugo *lib. de perpetua virginitate B. Virginis, cap. 1.*

Probatvr primò à Suarez *disput. 6. sect. 1.* argumento S. Bonauent. *loco cit.* Beatæ Virgini tribuendus est perfectissimus virtutis virginitatis gradus; Sic enim Matrem Dei decebat, vt vniuersa Ecclesia sentit, præsertim, quia futura erat perfectissimum post Christum castitatis, & sanctitatis exemplar, vt habet etiam D. Ambr. *lib. 2. de Virginib.*

sed

ſed ad hanc perfectionem pertinet propoſitum perpetuæ caſtitatis : Ergo.

126 Probatvr ſecundò à Suarez alia ratione D.Bonauenturæ in eodem *corpore* : B.Virgo à Spiritu ſancto mota eſt ab infantia, vt id, quod melius eſt, præſtaret: ſed virginitas de ſe melior eſt, & Deo gratior, vt habet Apoſtolus 1.*Corinth.*7. Ergo : Maior probatur à S. Doctore, quia ſi Spiritus ſanctus aliis ſanctis reuelauit propoſiti virginitatis perfectionem, non eſt credendum, id celaſſe Virgini.

Dices, tunc non erat melius propoſitum virginitatis, quia præcipiebatur coniugium : Ideò dicitur Deuter. 7. *Non erit in te ſterilis*, & cap. 25. *Maledictus qui non ſuſcitauerit ſemen in Iſrael.*

127 Respondet D.Bonauentura *ad primum*, B.Virginem non ſpectaſſe ad præcepta legis veteris, ſed ad Euangelium, ſaltem quoad hoc : Neque verò poſt ſufficientem multiplicationem præceptum eſt coniugium, vnde & Ioannes virgo fuit. Adde, illo præcepto ſolùm includi eos, qui ex eadem familia
128 pereunte tenebantur ſuſcitare ſemen fratris. Vide D.Hieron. *Iſa.*56. Auguſt.*lib.*14.*cont.Fauſt.cap vlt.* Vnde *Iſa.*56. Spadonibus, ideſt Virginibus, promittit Dominus nomen æternum, vt Sancti, Auguſtinus, & Hieronymus ſuprà exponunt, & Cyrillus *lib.*5. *in Iſaiam.*

QVÆSTIO X.

An B.Virgo *propoſitum Virginitatis votò firmauerit.*

D. Bonau. in 4.diſt. 30. quæſt. 2.
D. Thom. q 28. art.4.

129 INter Catholicos non eſt difficultas, B.Virginem emiſiſſe votum Virginitatis, ſed quæſtio ſolùm eſt, quo tempore id præſtiterit.

Prima opinio eſt, emiſiſſe illud poſt contractum matrimonium cum Ioſeph, ſimulque cum illo concordem : Ita Soto *in* 4. *diſt.*30. *quæſt.*2. *art.*2. *ad* 1. & ibi Durandus *quæſt.*2. rem dubiam relinquit. Citatur etiam Abulenſ. *Matth.*2.*quæſt.*30. vbi & ipſe adducit Magiſtrum.

Secvnda ſententia eſt, votum conditionatum emiſiſſe ante deſponſationem, abſolutum verò poſt eam : Ita D.Thom. *quæſt.*28. *art.*4. & *in* 4. *diſt.*30. *quæſt.*2. *art.*1. ibi Capreol. *quæſt.*1. Palud. *q.*2. Richardus *art.*1.*quæſt.*2. Maior *quæſt.*4. Hoc verè ſentit Abulenſis.

Tertia ſententia eſt, beatam Virginem habuiſſe Votum virginitatis abſolutum ante deſponſationem : Ita ſentiunt communiter Theologi *in* 4. *diſt.* 30. vbi D.Bonauent. *quæſt.*2. *ad* 3. & 4. Richard. *art.*2.*quæſt.*1. Maior *quæſt.*4. Scotus *quæſt.*2. & alij citati *quæſt.*9.

130 Assero primò, B.Virginem ante Incarnationem habuiſſe votum virginitatis.

Probatvr primò à D.Thom. ex illo Lucæ 1. *Quomodo fiet iſtud. quoniam virum non cognoſco?* ibi enim ſe oſtendit habere propoſitum irreuocabile voto confirmatum, vt non poſſet ſententiam mutare, alioqui potuiſſet Angelus dicere : Id fiet ſi propoſitum mutes; at opportunum reſponſum exhibet recurrendo ad miraculum, vt notat etiam S.Bonauentura ad eum locum : Id colligit S.Auguſtin. *lib. de ſancta Virginitate,cap.*4. & indicat *ſerm.*14.*de Natiuitate*. Idem habet D.Bernard. *ſerm.*4. *de Aſſumpt.* & *homil.*4.*in Miſſus eſt*, & ante eos Ambroſ. *lib.*2. *in Lucam*, Anſelm. homil. in id Lucæ 10. *Intrauit in quoddam caſtellum*, & lib. de excellentia Virginitatis *cap.*4. Beda *lib.*1. *in Lucam cap.*1. & Gregorius Nyſſ. *homil. de ſancta Chriſti Natiuitate.*

Hæretici, vt hanc authoritatem euitent, audent dicere, B.Virginem vel dubitaſſe, vel extra ſe admiratione raptam, neſciſſe quid diceret.

Enim verò eos refellit S. Doctor; nam ſi dubitaſſet, fuiſſet reprehenſa ab Angelo, ſicut ab eodem reprehenſus fuerat Zacharias. Prudens autem Virginis reſponſum late proſequitur S.Doctor, & hoc à reſponſo ſatisfaciente Angeli colligit, qui neſcienti quid diceret, non reſpondiſſet ad interrogata: Ità etiam Suarez *diſp.*6. *ſect.*2. 131

Alii dicunt, B.Virginem intellexiſſe ſtatim ea primis verbis annunciari Meſſiam non modo ex maieſtate Angeli, ſed etiam ex verbis ipſis : *Ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris eius : & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Iam verò cùm B. Virgo eſſet in ſcripturis eruditiſſima, cognouit, ſe concepturam, & parituram, iuxta vaticinium Iſaïæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.*

Respondere poteſt, Angelum illis primis verbis obſcurè locutum, & ideò B.Virginem non intellexiſſe, ſe Matrem Meſſiæ, donec addidit : *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quibus verbis clarè loquitur. 132

Enim verò contrarium luce clarius oſtendam. His enim verbis id ſolum habetur, eam parituram virum ſanctum, qui vocaretur Filius Dei; at in prioribus non id modo expreſſerat, ſed eum vocandum Iesvm, & eſſe futurum Salvatorem; Hunc Filium altiſſimi futurum magnum, & habiturum regnum David, & Sceptrum æternum. Quæ omnia eruditiſſimæ Virgini reuelabant conditiones Meſſiæ ex Scriptura, vt notat D.Bonauentura. Primò enim dicit : *Ecce concipies in vtero, & paries*, admirationem apponens in conceptu in vtero, & partu, iuxta id Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet*, quaſi dicat : Mirabiliter concipies intus in vtero, nil ab extra recipiendo. Pergit: *Vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus*, quaſi dicat : eſto Ieſus Naue *Eccleſiaſtici* 26. fuerit *Magnus*, & Ioſeph *Geneſ.* 41. fuerit acclamatus : *Salvator mundi*, tamen iſte erit magnus antonomaſticè Salvator vniuerſi, & hoc confirmat dicens : *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris eius*, iuxta id Pſalmi 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Et Hierem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus : & ſuſcitabo David germen iuſtum : & regnabit Rex, &c. & vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Pergit: *Et regnabit in Domo Iacob in æternum*, vt dicitur 2.*Reg.*7. & *Daniel.*7. & *Iſa.*9. & *Pſal.*144. neque alicui alij æternum regnum conueniebat, vt oſtendit ibi S.Bonauentura, omnes Patres ex his verbis colligunt Meſſiam, & Deum, vt videre eſt in Concilio Epheſ. *tom.*1. *cap.*5. & in Ambroſio, *lib.*2. *in Lucam.* vt notat Suarez *ad art.*4. *quæſt.*30. 133

Respondetvr, profectò non intellexiſſe Vir- 134

ginem primò, se concepturam absque opera viri, alioqui non interrogasset: *Quomodo*; reddens rationem, *quoniam virum non cognosco*, nec Angelus instrueret eam, Filium absque virili opera concipiendum è Spiritu sancto.

SVAREZ putans inconueniens, Virginem ignorasse, an Messias ex Virgine esset concipiendus, & videns, eam hac de re interrogare, respondet, potuisse scire, futuram Virginem; attamen ignorare, an conceptura esset operâ viri, sicuti aliqui dixére in statu innocentiæ mulieres absque claustri Virginalis fractione fuisse concepturas, & parituras.

535 AT cùm hoc non posset fieri absque penetratione, vt innocens virgo illæsis claustris pareret, non est receptum omnibus mulieribus in statu innocentiæ concedendum, vt dixi *p. p. tract.* 51. *disputatione* 3. *quæstione* 2. Itaque non est credibile, B. Virginem hac improbabili opinione deceptam, tam anxiè interrogasse: *Quomodo?*

PROBATVR secundò assertio à D. Bonauent. in corpore quæstionis: Cùm B. Virgo esset destinata Mater Sapientiæ æternæ, quæ *candor est lucis æternæ*, vt dicitur Sap. 7. & *speculum sine macula*, decebat, vt esset in candore animæ, & corporis superlatiuè purissima; hoc autem fit in anima, atque corpore, proposito immobili Virginitatis. Hæc ratio est D. Anselmi de excellentia Virginis *cap.* 4.

536 vbi ait: *Virgo totam intentionem suam, totum amorem, totum studium intendit, vt corpus, & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret: Sciebat enim quod quantò sanctius eam seruaret, tantò sublimius ei, qui omnium castissimus, imò ipsa castitas est, appropinquaret. Amplectendo itaque quod acceptabilius Deo esse cognouit, legem superauit.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore alia ratione, nam B. Virgo debuit esse exemplar Virginibus omnibus, quibus adeò gratias suas communicaturus erat Filius; vt ipsa fœminis, ille viris esset exemplar.

PROBATVR quartò à D. Bonau. Omnes gratiæ, & omnia priuilegia esse debuere in B. Virgine; inter hæc autem virginitas est præcipua gratia. Easdem ferè rationes habet D. Thomas.

537 ASSERO secundò, B. Virginem emisisse votum ante Matrimonium initum.

PROBATVR à D. Bonauent. *ad tertium*, ex quodam fundamento, quod nititur reuelationibus, & dictis Sanctorum Patrum; nempe, B. Virginem habuisse reuelationem, Ioseph, vt custodem virginitatis sibi dandum. Sic ait D. Augustinus lib. de sancta Virginitate, cap. 4. *Desponsata est viro iusto, non ablaturo, sed potius custodituro, quod ipsa iam vouerat.* Idem ait Gregorius Nyssenus *homil. de Natiuitate*, & rationem reddit: *Quoniam Deo dicatam, & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactam seruari oportebat.*

138 RATIO verò est, quæ suprà allata est ex D. Bonauent. quia cùm ab initio rationis habuerit propositum perfectissimum, quale decet perfectissimam Virginem, dicendum est voto firmatum fuisse. Hæc ratio est D. Anselmi *lib. de Excellentia Virginis, cap.* 4. suprà relati: Ex quibus etiam apparet responsio difficultati, quomodo potuit se tradere Iosepho in coniugem, cùm debitum non reddere, voto statuisset. Fuisset enim iniustitia se debitricem facere, animo non reddendi debitum.

RESPONDETVR cum D. Bonau. hic, & in *lib. Medit. vita Christi, cap.* 3. & Gregorio Nysseno supra, eam ex reuelatione cognouisse, Iosephum non esse violaturum suam virginitatem, & ob multas causas, referendas *quæst.* 12. fuisse à Deo suasam, vt nuberet illi viro.

QVOD verò dicunt aliqui, B. Virginem ante 139
sponsalia emisisse votum conditionale, nisi Deus aliter de ea disponere vellet, superfluum videtur, nam proculdubio votum à Dei voluntate pendebat, & poterat etiam illud dispensare; tum quia omnis promissio soluitur voluntate eius, cui est facta; tum quia Deus, vt supremus Legislator, & Dominus, potest dispensare.

AN verò B. Virgo fuerit prima, quæ Virginitatem vouerit.

D. BONAVENTVRA *lib.* 1. *Pharetra, cap.* 5. 140
refert B. Bartholomæum, id asserentem. Hæc autem verba scribit ex eius vita: *Hæc prima inter fœminas hoc constituit in corde suo, vt diceret Deo: Domine offero tibi Virginitatem meam, cum hoc à nullo homine, nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem inuitata fuisset.* Idem asserit D. Bernardus *homil.* 2. & 3. *in Missus est*, & in sermone: *Signum Magnum*, ei accommodans illud Psal. 44. *Adducentur regi Virgines post eam*, quasi Virgines omnes post Antesignanam Mariam ad Christum adducantur. Et Rupertus *lib.* 3. *in Cant.* Beda. *Luca* 1. Ambrosius *lib. de Instit. Virg. cap.* 5. Hieronymus *epist.* 2. *ad Eustoch.* Abulens. 4. *Reg. cap.* 18. *quæstione* 19. Chartus. *in vita Christi, p.* 1. *cap.* 2. Vvaldensis citans Bedam *tract.* 2. *de Sacram. cap.* 130.

RATIO, si qua inuenitur, colligitur ex D. Bo- 545
nau. *quæst. hac, in corpore ad* 1. quia B. Virgo cœpit cum Christo esse exemplar virtutum, & Euangelicarum perfectionum, inter quas est Virginitas, quæ est consilium.

VITAM B. Virginis in templo vsque ad an- 142
nos nubiles describit S. Bonauent. *cap.* 3. *Medit. vita Christi*, vbi cibum per Angelos etiam ait accepisse. Idem habet Gregorius Nicomed. *homil. de oblat. Virg.* & Cedrenus *in comp. hist.*

QVÆSTIO II.

An decens fuerit, B. VIRGINEM esse sponsatam.

ASSERENDVM, id B. Virginem maximè de- 143
cuisse.

PROBATVR à D. Bonauent. tribus rationibus, quibus vtitur etiam D. Thomas, alias addens.

PRIMA ratio est propter Mysterium, quod signabat: nam, vt ait S. Augustinus *lib. de sancta Virginitate, cap.* 11. hoc significatur per totam Ecclesiam, quæ virgo cum sit, est Christo iugata Principi.

SECVNDA ratio est ad vitandam infamiam B. Virginis, ne lapidaretur à Iudæis, tanquam adultera, seu stuprata; nam virgo, quæ in domo parentum fornicabatur, lapidibus obruebatur, & si ex tribu Sacerdotali erat, comburebatur, vt ait S. Bonauent. in Compendio citando. Vide D. Hieronymum *ad primum Matthæi*, & D. Ambrosium *lib.* 7. *in Lucam.* Hinc oritur alia ratio, ne scilicet tanquam illegitimus filius repelleretur à Iudæis Christus.

TERTIA

144 TERTIA ratio est, vt Mysterium occultaretur diabolo, vt ait S. Martyr Ignatius, relatus à D. Hieronymo *loco cit.* eaque vtuntur Patres, Ambrosius *libro 2. in Lucam*, Damascenus *lib.4. de fide, cap.15.* Basilius *homil. de humana Christi generatione*, Bernardus *homil.3. in Missus est*, & *homil.4. in Vigilia Natiuitatis*, Rupertus *libro 11. de victoria Verbi, capito decimonono.*

ALIQVI tamen Theologi hanc rationem contemnunt, vt Scotus *in 4. dist. 30. quæst. 2.* Abul. *quæst.31. in primum caput Matthæi*; quia generatio & integritas virginalis sunt res corporeæ, quas Angelus euidenter potest intueri: Ergo non obstante Matrimonio, potuit dæmon scire, Virginem nunquam cum Iosepho conuenisse: Ideò modestior Maldonatus ait, se hanc rationem non intelligere.

RESPONDET D.Thomas, Dæmonem non semper omnia actu intueri. Hoc tamen refellit Scotus, quia hoc etiam absque coniugio potuit fieri. Vt quid ergo coniugata est?

145 SVAREZ in commentario D. Thomæ ait, Scotum non esse assecutum piissimam Sanctorum Patrum mentem, tantam enim habuerunt de B. Virginis castitate existimationem, vt non crediderint potuisse de ea suspicari ipsum Dæmonem; vnde, si non potuisset existimare illam concepisse ex proprio marito, potius suspicaretur sine opera viri, quàm ex prauo concubitu concepisse. Iam enim expertus erat, se nullum in ea potuisse, vel minimum motum excitare, nullum veniale admisisse. Ideò ad conceptum occultandum aptissimum medium fuit coniugium.

HÆC tamen responsio non satisfacit, nam adhuc in coniugio poterat dæmon videre, an Ioseph cum Maria conueniret; an sacratissimum Virginis claustrum esset intemeratum, an Hymene illibata.

146 IDEÒ S. Bonauentura *loco citato, in corpore* addit, necessariam fuisse ad hoc omnino impediendum specialem Dei prouidentiam, quæ diabolum arceret, quem curiosum asserunt de hoc Damascenus *lib.4. de fide, cap. decimoquinto*, & Theophylactus *Matthæi primo.* Hanc verò prouidentiam plurimi alij addunt, tanquam necessariam. Itaque Patres solummodò volunt, coniugium fuisse medium partiale ad dæmonem decipiendum.

HAS rationes habet S. Bonauentura etiam in *Medit. vita Christi, cap. 6.* quibus aliam addit, vt viri, in exiliis, ministerio, & sancta societate frueretur. Alias rationes habet S. Bonauentura *in Compend. Theolog. libro sexto, capito* 38. Vt scilicet Ioseph esset testis integerrimæ puritatis: Vt origo Mariæ texeretur, quia per viros genealogia texitur. Ne legi Matrimonij videretur Christus contrarius. Has habet ferè etiam D. Thomas, *loco citato.*

OBIICIT sibi S.Bonauentura, Virginem decebat separatam ab omnibus viris viuere.

147 RESPONDET, S. Ioseph non esse ex numero aliorum, sed destinatum ad custodiam eius, & hoc eam sciuisse ex reuelatione.

OBIICIT secundò, Virgo erat de tribu Aaron, Ioseph de tribu Iuda, atque Dauid; at vetitum erat ex alia tribu accipere coniugem, *Numer. vltimo.*

RESPONDET D. Bonauentura, B. Virginem fuisse ex tribu Dauid ex parte Patris.

QVÆSTIO XII.

Vtrum inter B. MARIAM *& Ioseph verum Matrimonium intercesserit.*

D. Bonau. dist. 30. quæst. 2.
D. Thom. quæst. 29 art. 2.

ASSERO, verum Matrimonium intercessisse in- 148
ter Mariam, & Ioseph.

Hoc assertum de fide esse docent omnes Theologi *in 4. dist. 29. & 30.* Ità Sancti Doctores hic supponunt, Suarez *disput.7. sect. 3.* Sanchez *lib. 2. disp.28. num.4.* Rebell. *2. parte, lib.2. quæst.13. sect. 5.* Perez §.23. *fol.79.* Ledesma *quæst.53. art.1.* Henriquez *lib.11. cap.1.* Reginaldus *lib.31. num.6.* Gutierez *de matrim. cap.82. num.12.* quos sequitur Bonacina *de matrimonio, quæst. 2. puncto 1. num.10.*

PROBATVR primò à D. Bonauentura *ad 1. Lucæ* 149
ad ea verba: *Missus est Angelus ad Virginem desponsatam:* & ex illo etiam Matth. 1. *Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus*, vbi ex D.Bernardo, *homil. 2. in Missus est*, probat, fuisse verum coniugem, nam angebatur ex conceptu Mariæ, quam voluit dimittere, neque impunitam reliquisset, si adulterium cognouisset, iuxta id Prouer. 6. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.* Idem habet in *Meditat. vita Christi, cap.6.*

IDEM probat S. Doctor *in 4. distinctione 30. dub. 4.* sequentibus verbis: *Accepit Mariam coniugem suam, & non cognouit, donec peperit*, vbi supponitur, potuisse cognoscere. Dicitur autem coniux ex vinculo coniugali, vt habet S. Augustinus *libro 1. de nupt. & concup. cap.11.* Idem ferè habet S. Hieronymus *contra Heluidium.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore *ad 2. Lucæ*, vbi 150
habetur: *Ascendit Ioseph in Bethleem cum Maria desponsata sibi vxore*, vbi eò conuenerunt tanquam coniuges.

PROBATVR quartò à D. Bonauentura *ad 3. Lucæ*, quia ideò Matthæus *cap. 1.* & Lucas *cap. 3.* genealogiam Christi ad Iosephum trahunt, quia cum esset verus coniux B. Virginis, arguebat ex eadem stirpe esse etiam Mariam, atque ideò filium etiam sanctissimæ Virginis.

CONFIRMATVR ex traditione Patrum. Vide *in decretis 27. quæstione 2.* D. Augustinum *23. contra Faustum, cap.8.* & *lib.2. de cons. Euangel. cap.1.* Ambrosium *de Instit. Virg. cap. 6.* & *Lucæ 1.* vbi ait: *Maluit Dominus quosdam de sua generatione, quàm de matris pudore dubitare.*

POTVIT autem hoc matrimonium perfici, li- 151
cèt enim haberet votum virginitatis; tamen ex reuelatione Dei, vt dixi *quæstione 11.* noscens, non esse violandam, consensit ad Matrimonium, quod implicitam obligationem ad debitum includit; hanc autem obligationem subiit Beatissima Virgo, certa tamen de sua Virginitate. Vide authores allatos, & hoc est, quod aiunt, implicitum consensum in copulam necessarium esse ad matrimonium ex parte contractus, at verò non ex parte contrahentis. Sic B. Virgo iniit contractum, adde & Deo iubente qui votorum Dominus est.

OBIICIES Patres aliquos negantes, Ioseph ma- 152
ritum B. Virginis, vt D.Bernardus *homil. 2. in Missus est*, relatus à D. Bonauentura *Lucæ primo*, Chrysol. *serm.175.* Hieron. *Matth. 1.*

Respondetur, negari maritum in ordine ad copulam: Sic alij Patres negant coniugium Ioseph; vt Hilarius *can. primo, in Matth.* Nyssenus *homil. de Natiuitate*, Gregorius *homil.* 26. & 27. *in Euang.*

153 Quæres: Quandonam fuerit contractum matrimonium B. Virginis cum Ioseph?

Respondetur, ante Incarnationem, vt innuit D. Bonauent. *ad primum Lucæ*, sicque cohabitabant, alioqui non fuisset prouisum famæ B. Virginis, vt notat D. Thomas, quem sequitur Suarez *disp.* 7. *sect.* 2. Idem censet S. Bonauent. *in meditationibus vitæ Christi, cap.* 5. nam S. Ioseph probabiliter abiit cum Maria in montana ad Elisabeth.

154 Præclaræ sunt laudes S. Ioseph, ob quas tanta sponsa dignus fuit. Miror, Seraphicum tanto silentio etiam inter sermones tacere laudes huius herois. *In* 4. *dist.* 30. *quæst.* 2. *in corpore*, tres rationes affert ob quas conueniens fuit Mariam desponsari Ioseph. Prima, quia is erat ex stirpe Regia Dauid. Secunda quia erat pauper, licèt Regio è sanguine: Sed præcipua est, quia erat Iustus, vt dicitur *Matth.* 1. hoc autem verbum omnes Panægiricos comprehendit. Vide Suarez *disputatione* 8. hæc scitè prosequentem.

QVÆSTIO XIII.

De Annunciatione, B. Virgini *facta*.

155 Angelo nunciante peractum esse mysterium ex fide liquet. Congruentiam affert S. Bonauentura *ad* 1. *Lucæ* ad ea verba: *Missus est Angelus, &c.* quia decuit, salutem per Angelum Sanctum perfici, sicut ruina per Angelum malum inuecta est, vt ait etiam D. Thom. *quæst.* 3. *art.* 2. ex Beda in Glossa ordinaria *ad primum Lucæ*.

156 Hunc verò fuisse ex ordine Archangelorum, eumque eundem, qui Danieli, *capite nono*, reuelauit hoc Mysterium, & Zachariæ *capite primo Lucæ* nunciauit Ioannem, habet S. Bonauentura *in Medit. vitæ Christi, capite* 4. & 3. *parte Centil. sectione* 18.

Attamen *serm.* 21. *de Hexaem.* refert S. Bonau. ex quadam reuelatione asseri hunc esse de choro Virtutum in media Hierarchia, sicut & Filius nunciatus est Medius inter Patrem, & Spiritum Sanctū.

157 Et quidem eum fuisse ex infima Hierarchia asserit D. Thom. *quæst.* 30. *art.* 2. quem sequitur Suarez *disput.* 11. *sect.* 1. qui dicunt, fuisse Principem secundi chori, idest Archangelorum. Ratio eorum est ex D. Dionysio *de cœlesti Hierarchia, capite* 3. quia Angeli, & Archangeli destinantur ad nos; cæteri verò altioribus officiis; neque alteri fas est operari, nisi quòd officij sui diuina sanxit institutio: Iam verò cùm hæc missio esset ad altissimum mysterium nunciandum, debuit Archangelorum Princeps mitti. Hic etiam Danieli Mysterium reuelauit, & Zachariæ Ioannem promisit; hæc enim spectant ad idem Mysterium.

Porrò eundem fuisse, qui his omnibus apparuit, probatur ex nomine eodem, quod non licet absque causa in æquiuocum vocare. Id asserunt D. Hieronymus *Danielis* 8. Irenæus *libro* 5. *contra hæreses, cap.* 5. Ambrosius *serm.* 63. & Andræas Hierosol. *homil. de Annunciatione*.

158 Apparuisse autem in specie visibili censet D. Bonauentura, exponens apparitionem: *Ingressus Angelus, &c.* Id probat ex D. Ambrosio *lib.* 1. *de off. cap.* 8. & *lib.* 1. *in Lucam*, & Beda *ibi*, vbi aiunt: *Decet Virginem trepidare, & ad omnes viri ingressus pauère.* Idem habent Orig. *homil.* 4. *in Lucam*, Emiss. *homil. in missus est*, Chrysologus *serm.* 140. Hieron. *epist.* 7. *ad Lætam*, & *epist.* 22. *ad Eustochium*, & D. Augustinus *serm.* 14. *de Natiuitate*.

Trepidauit autem B. Virgo, non ex motu aliquo indelibetato, neque ex defectu virium, sed ex verecundia, vt notat D. Bonauentura ad ea verba, Lucæ primo: *Turbata est*, quod probat ex Ambrosio, Beda, & D. Hieronymo citatis. Secundò turbata est ex humilitate, tanta de se audiens, vt ait D. Ambrosius *loco cit.* Fuit igitur turbata, sed non perturbata, vt ait D. Bonauentura ex S. Bernardo *homil.* 3. in *Missus est*. 159

Quando autem facta sit Incarnatio, certum est factam, antequam Angelus discederet.

Aliqui verò dicunt, factam in illis verbis: *Aue gratia plena.* Ità Petrus Alexandrinus *lib. de deitate*, vt refertur in Concilio Ephesino *Tom.* 2. *cap.* 7. & in Concilio Chalcedonensi *act.* 1. sub hoc titulo: *Synodi Nicænæ fides*, vbi ait: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; tum videlicet, cùm Angelus Sacram Virginem huiusmodi oratione salutauit: Aue gratia plena Dominus tecum: Hoc est, Dei Verbum, nunc tecum est.* Vnde Chrysostomus *in Liturgia* circa medium inquit: *Gabriele dicente tibi Virgo: Aue, cum voce incarnatus est omnium Deus in te Sacrosancta Arca.* In eandem sententiam videtur ire S. Augustinus *serm.* 14. *de Natiuitate*, Bernardus *homil.* 3. *in Missus est*. 160

Certa tamen sententia est, Mariam non concepisse Verbum, antequam præberet consensum illis verbis: *Ecce Ancilla Domini.* 161

Probatur à D. Bonauent. quia B. Virgo post salutationem quæsiuit modum conceptionis: *Quomodo fiet istud?* & Angelus respondit: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Tunc verò dixit: *Fiat mihi, &c.* vbi ex Bernardo *homil.* 4. in *Missus est*, refert ea verba S. Bonauentura: *Fiat mihi obsecro, Verbum, non prolatum, vt transeat, sed conceptum, vt maneat. Fiat Verbum non tantùm audibile auribus, sed & visibile oculis, palpabile manibus, gestibile humeris.* Hæc sententia est communis Patrum, vt videre licet in Damasceno *lib.* 3. *de fide, cap.* 2. Augustino *serm.* 2. *de Annunc.* Citantur etiam quædam verba Anastasij Papæ in fragmento cuiusdam epistolæ, quæ habetur 2. *Tom. Concil.* post Breuiarium Liberati, ante Concilium Aruernense, vbi dicitur statim post illa verba: *Ecce Ancilla Domini*, Verbum ædificasse sibi templum, & illud sibi vniuisse.

Qua verò die facta sit Incarnatio, patet ex festo Annunciationis. 162

Qua item hora facta sit, patet ex eo quod S. Bonauentura, vt in eius vita in Breuiario legitur, obtinuit à Pontifice, vt pulsaretur sero campana, & salutaretur B. Virgo, quia eâdem horâ salutata est ab Angelo, & hoc censent multi recentiores.

Suarez dicit leue hoc esse fundamentum, nam etiam mane, & meridie salutatur B. Virgo Maria pulsatis campanis. Igitur dicit, probabile esse, Christum nouem mensibus continuis fuisse in vtero Virginis, & ita cùm natus sit media nocte, 25. die Decembris; ita media nocte 25. Martij Incarnatum. Vtrumque autem probat eo Sapientiæ 18. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in medio cursu iter suum perageret, omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit*, quod de Natiuitate 163

Christi

Christi canit Ecclesia *Dominica infra Natiuitatem*, Quod magis Incarnationi aptatur, tunc enim è cœlo è regalibus sedibus venit: Hoc verò sic exponit S.Doctor ad eum locum *Sapient. cit. & in specul. B.Virginis, cap.16.*

164 Dicendum igitur cum Seraphico Doctore salutatam B.Virginem ante mediam noctem in sero, & post longum colloquium incarnatum esse Verbum circa mediam noctem: Quare Suarez fatebitur rite ad id esse institutam in sero Angelicam salutationem: Quod verò etiam mane, & meridie salutetur, nil detrahit: Patres verò, dicentes actum esse mysterium, cum B. Virgo salutata fuit, volunt innuere eo tempore inceptum fuisse mysterium.

QVÆSTIO XIV.

An B.Virgo *à Filij Conceptione ita fuerit per Gratiam Sancta, vt non potuerit in ea amplius crescere.*

165 Videbatur sanè B.Virgo adeò gratiis cumulata in Annunciatione, testante Angelo: *Aue gratia plena Dominus tecum, &c.* vt latè exponit D.Bonau.*in speculo B.Virg.* vt nulli gratiæ esset locus ampliùs.

166 Prima ergo opinio affirmat, in quam inclinat Scotus, 4. *distinctione* 4. *quæstione* 6. *ad* 5. Almainus 3. *distinctione* 3. *quæstione* 3. Citantur etiam Richardus *ibi, artic.* 1. *quæstione* 4. Alensis 3. *parte, quæstione* 9. *membr.* 3. *artic.* 2. §. 2. *ad* 1. quia dicunt, B. Virginem post Conceptionem Filij non potuisse peccare, quia erat in statu plenæ gratiæ, & charitatis, & D. Thom. *quæstione* 27. *artic.* 5. quatenus dicit, gratiam B.Virginis in Conceptione Filij fuisse consummatam: D. Bernardinus *sermone* 51. *de Conceptione*, vbi ait, Virginem in Filij Conceptione accepisse tantam gratiam, quantam potest capere viatrix creatura: Idem significat Damascenus, *Oratione prima de dormitione Deipara.*

167 Opposita sententia est D. Thomæ *quæst.* 27. *artic.*5. *ad* 2. & *opuscul.*60. *artic.* 3. Durandus *in* 3. *distinctione* 3. *quæstione* 4. Gabriel. *ibidem, quæst.* 2. *artic.*3. *dub.*1. qui citat Ochamum: Idem ait Vega *lib.*10. *in Concilium Tridentinum, cap.* 2. Idem videntur supponere cæteri Theologi 3. *distinct.* 3. & PP. vbicunque de doloribus B. Virginis agunt: Eos refert, ac sequitur Suarez *tom.* 2. *disputat.* 17. *sect.* 1.

Hæc profectò sententia est S. Bonauenturæ *in speculo B.Virginis, cap.* 9. *&* 11. Idem videtur supponere *in* 3. *distinctione* 3. *parte prima, quæstione vltima.*

Assero cum hac sententia, B.Virginem à conceptione filij creuisse in gratia.

168 Probatur à D. Bonauentura primò, *lect.* 11. *citata*, §. *secundo attendite*, B. Virgo comparatur Auroræ *Cantic.* 6. Deinde Lunæ, & Soli: Aurora autem paulatim Lucem obtinet: Sic Lux Solis maior est Auroræ, & Lunæ radiis: Est argumentum Ruperti, *libro sexto, in Cantica.* quo vtitur etiam Suarez, *disputat.* 18. *sectione* 1. Ait autem Rupertus, Virginem in prima sua sanctificatione fuisse Auroram: in filij conceptione, vt Lunam: in morte, vt Solem.

Probatur secundò ibi, quia, vt ait D.Bernardus, *sermone de Natiuitate B. Virginis*: Beata Virgo feruore semper virtutum magis accensa videbatur, qui sane absque merito non potuit esse.

Ad Patres initio respondetur, eos loqui de dignitate, vt quæ peperit Solem, vel comparatione cum viatoribus esse clarissimam, non tamen negant, eam creuisse amplius: Quomodo autem creuerit: Vide D.Bonauenturam 1. *speculo*, & Suarez *eâ disputatione.* 169

Assero secundò, ita creuisse, vt in fine vitæ immensam gratiam habuerit moraliter loquendo: Ita S. Bonauentura, *in Speculo B. Virginis, cap.* 5. *lect.* 6.

Probatur à S. Doctore ex more loquendi Scripturæ, & Patribus de B.Virgine: Primò enim dicitur Maria immensæ capacitatis, quia quod cœli capere non poterant, suo gremio circumdedit, sicut in figura de templo dicitur 3. *Regum* 8. Dicitur etiam Cœlum, & Abyssus, de quibus Eccli. 1. *Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum Abissi quis dimensus est?* Sic igitur quia quidquid recipitur, ad capacitatem recipientis recipitur; si B Virginis capacitas est immensa: Ergo dum repleta est, habuit immensam gratiam: In quo tamen nolim putes hoc habuisse in annunciatione, vbi dicitur Gratiâ plena, ibi enim non solâ gratia asseritur data; sed etiam danda ex dignitate Matris promittitur. 170

Sic igitur etiam Damascenus *Oratione* 2. *de Assumptione*, vocat abyssum gratiæ Mariæ: Epiphanius asserit, gratiam Mariæ immensam, D.Ansel. *de Excellentia Virginis, cap.*3. *&* 8. idem habet. Vide Suarez *disp.*18. *sect.*4.

Assero tertiò probabiliter, gratiam Mariæ præcellere gratiis omnium Sanctorum, & Angelorum simul collectis: Hoc assertum ait Suarez *disputatione* 18. *sectione* 4. à Scholasticis antiquis non poni: Attamen videtur id asseruisse D.Bonauentura, vt notat Rebadinera in Festo Assumptionis B.Virginis, citans Seraphicum *cap.*7. *de Laudibus Virginis.* 171

Probatur à S. Doctore, primò, *lect.* 6. *speculi*, ex D.Augustino *sermone* 35. *de Sanctis*, circa finem, *tomo* 10. vbi ait: *Te ipse Rex Regum, vt matrem veram, & decoram sponsam, præ omnibus diligens, amoris amplexu sibi associat.* Hinc arguitur: Deus plus amat B. Virginem, quàm omnes Sanctos simul; ergo plus gratiæ contulit: Id verò ostenderat initio, *lect. sexta*, quia est Mater eius, qui est Vnigenitus: *Plenus gratia, de cuius plenitudine omnes accipimus gratiam*, Ioannis 1.

Est illa Virga, de qua erupit flos, Isaïæ 11. *Super quem requieuit Spiritus Domini; spiritus Sapientia, &c.* 172

Vnde infert illud Ecclesiast. 24. *In me omnis gratia, &c.* Itaque in fine reddit veluti rationem tantarum gratiarum; quas latè prosecutus est, quia est Mater Dei ipsius, infinitè magis dilecta, & meritò, quàm omnes Sancti, & Angeli simul: Hoc est argumentum D.Anselmi *libro de Excell.Virginis; cap.* 4.

Confirmatur, quia B. Virgo plus amat Deum, quàm omnes Sancti simul, cùm sit præ omnibus dilecta: Ergo plus charitatis habet: ergo & plus gratiæ, & consequenter etiam gloriæ: Hoc medio vtitur Suarez *disp.*18. *sect.*4.

PROBATVR secundò à D. Bonauentura, *lect. 7. in speculo B. Virginis*, quia B. Virgo comparatur
173 Mari quoad gratias, Genes. primo: *Congregationes aquarum vocauit Maria.* Voce producta metro, imò est vox fœminina, vt notat Bellarminus, sic exponitur à Patribus: De Mari dicitur, Eccles. 3. *Omnia flumina intrant in Mare, & Mare non redundat.* Ideò (ait S. Bonauentura) dicitur Eccles. 14. *In me omnis gratia via, & veritatis*, & adducit id, D. Hieronymi *sermon. de Assumptione*, quæ est epistola 10. *Benè plena, quia cæteris per partes præstatur; Maria verò se tota infudit plenitudo gratiæ.* Vide S. Doctorem ibi, vbi ex eo colligit gratiam B. Virginis cæteris omnibus simul abundare, quia est Mare, in quod omnia simul flumina colliguntur.

174 CLARIVS *in §. sexto consideremus*, definit, B. Virginem habuisse omnes gratias simul vniuersalis Ecclesiæ, quod probat eo Ecclesiast. 24. *In plenitudine sanctorum detentio mea*, vnde ex Bernardo, omnes Sanctorum gratias simul collectas in B. Virgine enumerat.

INDE verò colligit in fine Lectionis, etiam gloriam B. Virginis cæterorum omnium glorias simul superare, idque D. Hieronymus, *loco citato*, probat: Id verò iam, *lectione sexta*, etiam probauerat: Comparat eam idcirco S. Doctor Reginæ Esther, quæ præ omnibus dilecta, sola ad Thronum euecta est, cæteris extra relictis mulieribus: Sic comparatur à D. Augustino *serm. 35. de Sanctis*, circa finem.

175 EO autem nititur argumento Damasceni, *Oratione 1.* de dormit. Virginis: *Dei Matris, & seruorum Dei infinitum est discrimen.* Vide Suarez, *loco citato*, alios Patres asserentem, ac Rebadineram *loco citato*, vbi ex D. Bonauentura probat hoc assertum, quia in Beata Virgine sola plus relucet Diuina bonitas, idest, communicatio gratiarum, quàm in omnibus Sanctis, & Angelis, imò vniuersis creaturis.

176 ALIAM rationem habet S. Bonauentura *lect. 6. & 7.* in fine, quam adhibet Suarez, *loco citato*, Gratia Christi respectu omnium est gratia capitis, ideò habet eam excellentiam, vt gratias omnes contineat, sed B. Virgo participat illam dignitatem capitis: Ergo & perfectionem illius gratiæ. Minor probatur ex Patribus, qui dicunt vitam, & omnes gratias per Mariam ad nos venire: Eorum aliquos refert passim in speculo B. Virginis S. Bonauentura: Ita loquuntur Irenæus *libro 3. contra hæreses, cap. 33.* Hieronymus, *epistola ad Eustochium*, Augustinus *sermon. 35. de Sanctis*, & *sermon. 11. & 17. de Natiuitate*, Chrysologus, *sermon. 140. & 142.* Bernardus *sermone 2. de Assumptione*, & *sermon. 2. Pentecost.* & sermon. *Signum Magnum*, & de Natiuitate Mariæ: S. Ephrem, oratione ad Sanctissimam Virginem, D. Germanus *sermone de Cœna Domini*, Petrus Damianus, *serm. de Annunciatione, serm. de Assumptione*, & *serm. 1. de Natiuitate B. Virginis*, & B. Laurentius Iustinianus *serm. de Annunciatione*, & Anselmus relatus à D. Bonauentura.

177 TOTA autem gratiarum B. Virginis series dignitate Matris Dei nititur, quæ non potest esse maior, vt probat S. Bonauentura *1. distinct. 44. dub. 3. litter.* Nulla enim potest esse maior Mater, quàm Dei.

OCEANVM gratiarum B. Virginis describit *in speculo*, per decem, & octo Lectiones: Multa etiam *libro primo Pharetræ, cap. 5.* ex Patribus congerit, *& in sermonibus B. Virginis*, vbi hac ferè ratione persistit, dignitatem Matris Dei tantas requirere excellentias: Finis enim imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem: Ergo. Scripturas illas Canticor. repetit: *Tota pulchra es, & macula non est in te. Vnica est Columba mea.*

IN Hexamer. *sectione 3.* ait mira de Maria dici in Scripturis, quia semper consideratur relatione ad filium, & licèt pauca appareant, tamen pro magno volumine describi: *De qua natus est Iesus.* Plurima congerit *in speculo* explicans salutationem Angelicam: *Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu inter mulieres*, vbi AVE esse exclusiuam ab omni Væ, & inclusiuam omnium gratiarum probat. 178

MVLTA in Euangelium Lucæ disserit, præcipuè ad ea verba: *Benedicta inter mulieres*, vbi inter mulieres in Scripturis benedictas extollit B. Virginem. Similiter & ad Canticum *Magnificat*, & in totum Euangelium Lucæ, & Ioannis mira dicit, quæ operosum esset, atque longum nimis transcribere: Ipsum legito. 179

QVÆSTIO XV.

Quanta fuerit Scientia, & Sapientia BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

LVMEN Sapientiæ, & Scientiæ B. Virginis arguit D. Bonauentura *in speculo, lect. 7.* ex eo, 180
quod dicitur Luna, Cant. 6. *Pulchra, vt Luna*, vtique plena à lumine Solis.

IGITVR in hac nocte Lumen fidei fuit præstantissimum, quod eleganter prosequitur S. Bonauentura *ad primum Lucæ*, vbi ex hoc beatam illam acclamauit Elisabeth: *Beata, quæ credidisti.* Si enim (ait S. Doctor) fides beatum fecit Petrum, Matthæi 16. *Beatus es Simon Bar-iona*, quantò magis Mariam, quæ perfectissimè credidit: Pergit Seraphicus Doctor ibi probare, beatissimam esse D. Virginem non modò à fide, sed etiam à spe, Psal. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* A dilectione, vt habetur Ecclesiastici 48. *Beati sunt, qui in amicitia tua decorati sunt.* A Timore Dei, vt habetur Ecclesiastici 23. *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei.* A Patientia, vt habetur 2. *Petri 3. Matthæi 5.* Maximè autem ex Maternitate: *Beatus venter, qui te portauit*, Lucæ 11.

HANC fidem B. Virginis laudant Patres, apud Suarez *disputat. 19. sect. 1.* Vnde Abulensis *Paradoxo 1. cap. 31.* ait, propter hanc fidei perfectionem vocari ab Augustino, & Bernardo Matrem credentium; sicut Abraham Pater credentium dicitur, perfectior autem fuit fides B. Virginis; nam si Abraham credidit, se vetulum, & Saram sterilem posse gignere filium; etiam B. Virgo credidit, quod altius est, se intemeratam Virginem posse parere: Ille credidit, se posse gignere Isaac: B. Virgo Filium Dei. Vide etiam Rebadineram in Festo Visitationis B. Virginis. 181

IGITVR non modò ex subiecto intensissima, sed etiam ex obiectu eximia fuit Virginis fides; nam cognouit Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, vt ex Salutatione Angelica colligit S. Doctor *ad 1. Lucæ*; & Elizabeth ei dixit: *Vnde hoc mihi, vt ve-* 182

niat

niat Mater Domini mei ad me? Cui ipsa respondit: *Fecit mihi magna*, supponens magnitudinem Mysterij. Ideò concludit: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham*, ostendens, illud Mysterium se altius nosse, quam Abraham. Vide D.Bonauenturam ibi. Taceat igitur Erasmus, & latrare desinat contra Beatæ Virginis fidem.

RATIO verò est, quæ sæpiùs refricatur à D.Bonauentura; nam fides, concessa omnibus sanctis, non est neganda Matri Dei.

183 EAM propterea fidem summopere extollunt PP. Anselmus *lib. de excellentia Virginis, cap.7.* Ignatius *epist.1.* Bernardus *serm.4. in Missus est*, vbi ait Mariam Euangelistas illuminasse iuxta sui nominis ethymologiam: Nam MARIA illuminatrix exponitur à D Hieronymo *lib. de nominibus Hebraicis in Exodum*, D.Bonauentura latè *in speculo B. Virginis, lect.3.* vbi Illuminatricem Ecclesiæ acclamat, sicuti etiam Sancti eam acclamant Apostolorum, & Religionis Magistram.

184 Ex his habes, eam habuisse sapientiam infusam Theologicam: Ita D.Bernardus *homil. 4. in Missus est*, Anselmus *libro de excellentia Virginis, c.7.* quos imitatur D. Bonauentura *lib. de Laudibus Virginis, cap.8.* quos sequitur Suarez *disp.19.sect.3.* Reliqua vide apud Suarez *disput. 19.*

QVÆSTIO XVI.

De gratiis gratis datis, & donis Spiritus sancti B. VIRGINI *concessis.*

185 ASSERO primò, B. Virginem habuisse gratias gratis datas.

PROBATVR latè à D.Bonauent. *in speculo B.Virginis*, passim in singulis ferè Lectionibus.

ASSERO secundò, habuisse etiam dona Spiritus sancti.

PROBATVR à D.Bonauentura *loco citato, q.14.* Nam fuit illa Virga, ex qua erupit Flos, super quem requieuit Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Consilij, &c. sic arguit D.Bonauentura.

QVÆSTIO XVII.

De Morte, Resurrectione, & Assumptione B.VIRGINIS.

ASSERO, B.Virginem mortuam fuisse: Ita te- 186
net tota Ecclesia. Sic D.Bonau. *in speculo, lect. 2.* Vide Suarez *disp.21. sect.1.*

ASSERO secundò, statim eam resurrexisse, & in cœlum assumptam: Ita S. Bonauentura *loco cit.* & tota tenet Ecclesia.

PROBATVR à Rebadinera in Assumptione, illo Psal.131. quo nititur S. Doctor: *Surge Domine in requiem tuam, Tu, & Arca sanctificationis tuæ.* Hæc enim est Arca, de qua canitur:

Ventris sub Arca clausus est.

IDEÒ à Græcis vocatur Arca Sacrosancta, cui 187
aptatur illud Apoc.11. *Apertum est Templum Dei in cælo, & visa est Arca testamenti.* Sic D.Bonau. *in speculo, lect. 9.* aptat id, 3. Regum 8. *Intulerunt Sacerdotes Arcam Domini in locum suum*, vt notat Suarez *disputatione 21. sectione 2.* Addit S. Doctor *lect.2.* Arcam, quæ figurata est Maria, fuisse è lignis imputribilibus: Vnde & B. Virgo talis fuit, neque vnquam est cogitandum, corruptum esse sacrarium illud Filij Dei, vt arguit Seraphicus Doctor, ex D.Augustino, quos citat, & sequitur Suar. *sect.2.*

ADDO, iam corpus illud gloriosissimum dotibus
insignibus gloriæ præditum. Vide S.Doctorem *in* 188
speculo B.Virginis, lect.6. post medium, vbi summam etiam eius gloriam prosequitur, & probat, quia sicut gratiam super omnes obtinuit; ita etiam gloriam: Vide etiam Suarez *disp.21. sect.3.*

TRIVMPHVM verò B.Virginis in Assumptione
prosequitur S.Bonauent. *in speculo, lect.13.* 189

EIVS intercessionem pro nobis in toto speculo illo enitentem vide, præcipuè *lect.14.* Lege etiam Suarez *disput.23.* & eundem S. Doctorem in omnibus opusculis.



DISPVTA

DISPVTATIO XXIX.

DE CONCEPTIONE CHRISTI.



HIc non inquirimus ea, quæ humanæ Conceptioni communia sunt; sed quæ Christi sunt propria, cùm ista ad Philosophum, hæc verò ad Theologum spectent. Nec etiam quærimus, vtrum Christus verè sit conceptus, cùm ex principiis Fidei, iamdiu iactis, id nulli non innotescat. Suppositis itaque his, quæ vel ex Philosophicis fundamentis, vel ex Fidei dictamine in hac materia occurrunt, speciales hîc difficultates percurrere satagam, & primò quidem vtrum B. Virgo materiam, & quam, Christi Conceptioni ministrauerit: Celebris enim est sententia Galeni, infra referendi, quod non tantùm sanguis, sed & semen fœmineum ad veram Conceptionem requiritur: Deinde dicam, quam actiuitatem, & quantam durationem Sanctissima Deipara huic operi impenderit; nam de concursu mulieris ad generationem, num passiuus tantùm sit, num etiam successiuus, non modicè controuertitur: vltimis tandem quæstionibus discutietur miraculosus modus huius Conceptionis, item traductio Carnis Christi per tam longam Auorum seriem vsque ad Beatam Virginem; His adiice quam in primo parente rationem habuerit hæc illibata Caro, num scilicet secundùm Seminalem virtutem, vel substantialem corpulentiam in ipso fuerit; quibus pro coronide addam, an sicut in Adamo erat intemerata, ita & indecimata in Abrahamo existeret: Atque hic esto totius huiusce disputationis scopus.

QVÆSTIO I.

Quomodo B. VIRGO *materiam ministrauit, ex qua conceptus est Christus.*

D.Bonau. dist. 4. art. 3. quæst. 1.
D.Thom. q. 32. art. 4.

1 TANQVAM fundamentum firmum suppono, B.Virginem esse veram Matrem Dei, vt dixi *disp.* 28. *quæst.* 1. ex quo sequitur, eam ministrasse substantiam necessariam Conceptioni Christi; hoc enim necesse est, vt fuerit vera Mater, ideò dixit Apostolus Galat. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, & Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*, vt notat D. Bonauentura *in corpore*, & ideò etiam Lucæ primo dicitur: *Quod enim ex te nascetur Sanctum*, vt notat S. Doctor *in Commentario.* Hoc ponderat Athanasius *sermone contra omnes hæreses*, Ambrosius *lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap.* 6. & Augustinus *serm.* 183. *de tempore.*

2 SVPPONO etiam, conceptum factum in loco sacratissimo matricis: Sic Lucæ dicitur: *Concipies in vtero.* Matth. 1. *Inuenta est in vtero*, quod supponit S.Bonauentura ad id, *Lucæ* 1.

ENIM verò, quia Galenus *lib.* 1. *de semine*, dixit, fœtum non modò ex sanguine, sed etiam semine fœmineo formari, videtur disputandum, an hoc verum sit in B.Virgine, vt suprà innui.

INTER Scholasticos Richardus 3. *dist.* 4. *art.* 2. *quæst.* 1. id asserit.

3 HÆC sententia probabilis est, incerta tamen, neque frequenter in ore versanda, vt admonet Suarez *disputat.* 10. *sectione* 1. ex D. Bonauentura *ad* 2.

VNUM satis pium, & probabile est cum D.Bonau. *loco cit.* & D.Thom. *q.* 31. *art.* 5. *ad* 3. credere Conceptionem Filij Dei absque vlla seminis transfusione factam, sed ex purissimis sanguinibus B.Virginis.

Et

Ex quidem dictis Sanctorum magis conſonat, neque a Philoſophia eſt alienum; nam, vt notat D.Bonauentura, & cum eo Suarez in via Ariſtotelis *primo de generatione animalium, cap.* 20. & *lib.* 2. *cap.* 4. Fœmina non emittit ſemen, neque ex eo formatur fœtus, ſed ex ſanguine: Enim verò quia experimenta medicorum, & ſectiones Anatomæ expoſitæ oſtendunt, fœminam emittere ſemen ex vaſis internis, poſſet dici, non eſſe neceſſarium, niſi ad fouendum ſemen viri, quod poteſt ſanguine ſuppleri temperatiſſimo, ac perfectiſſimo, qui facilè etiam in ſemen verti poteſt.

4 Si qui verò dicunt è ſemine Virginis conceptum Chriſtum, vt Beda *lib.* 4. *in Lucam, cap.* 49. loquuntur hoc ſenſu è ſubſtantia radicaliter natum, & conceptum contra hæreticos, id negantes.

5 An verò ex menſtruo ſanguine factus ſit, arbitror hic eſſe muſcipulam abſque cauſa; ſanguis quidem menſtruus ad generationem ordinatur, ſi ad operationem reducatur ſuo tempore purus; at verò ſi non deducatur in operam, ad corruptionem tendit, & expurgatur, & ideò non eſt tunc ampliùs ad generationem aptus: Hæc intelligenti ſat ſint.

QVÆSTIO II.

An B. Virgo *actiuè cooperata ſit Spiritui Sancto ad Conceptionem Christi.*

D.Bonau. loco citatò.
D.Thom. loco cit. & q 33. art. 4. ad 2.

6 Quæstio eſt, an B. Virgo non modò materiam miniſtrarit Deo agenti, & formanti fœtum in conceptione Chriſti, quæ Spiritui ſancto appropriatur, quia ex amore venit; ſed etiam actiuè cooperata ſit agendo.

Prima opinio eſt B.Virginem ſolùm miniſtraſſe materiam: Ita D.Thom. hic quem ſequuntur Caietanus ibi, & 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 12. Richardus 3. *diſtinct.* 3. *artic.* 2. *quæſt.* 2. Capreolus *diſtinct.* 3. & ibi Paludanus *quæſt.* 2. Marſilius *diſputatione* 5. *art.* 2.

7 Secunda ſententia eſt, B. Virginem actiuè cooperatam: Ita D.Bonauentura. hic, & alij Theologi *in* 3. *diſt.* 4. vbi Scotus, & Gabriel. *quæſt. vnic.* Maior *quæſt.* 3. Fauentinus *in* 3. *diſputat.* 12. *cap.* 2. quam probabiliorem putat Suarez *diſputatione* 10. *ſect.* 2.

Asero, B. Virginem actiuè cooperatam ad Conceptionem Filij.

8 Probatvr à S. Bonauentura primò, *fundamento, & in corpore*, ex Damaſceno *lib.* 3. *de fide, cap.* 2. vbi ait, B.Virginem habuiſſe virtutem receptiuam, & generatiuam Verbi, & D. Anſelmo *libro de conceptu Virginali, cap.* 13. & 14. vbi ait, Corpus Chriſti formatum eſſe de ſemine Virginis: Propterea Suarez noſtram ſententiam conſonam Patribus fatetur.

Respondet tamen, Damaſcenum ſolùm aſſerere vim generandi, Anſelmum verò loqui de materiali ſemine: At Damaſcenus, cùm ei adſcribat generationem, concedit etiam actiuitatem, vt arguit S.Doctor: Anſelmus verò clarus eſt; nam ſemen habet virtutem actiuam.

9 Probatvr ſecundò à S. Doctore. Omnis Mater cooperatur ad Filij generationem; ſed B.Virgo eſt vera Mater: Ergo. Maior probatur à Scoto ex principiis Galeni, qui *lib.* 14. *de vſu partium*, & *lib.* 2. *de ſemine* dicit, fœminam concurrere effectiue ad generationem prolis, quod experimentis variis, & rationibus probat ex Anatome: Quamvis autem non omnino certum ſit, Beatam Virginem emiſiſſe ſacratum ſemen; tamen virtutem aliquam in puriſſimis ſanguinibus admitto; cur enim ſanguini nulla actio datur, maximè cùm parum à ſemine diſtet?

Probatvr tertiò à S.Doctore, nam Eccleſia 10
canit: *Genuit Puerpera Regem*; at generare eſt agere: Ergo.

Probatvr quartò à D. Bonauentura, quia ſi B.Virgo ſolummodò materiam miniſtrauit, videtur imperfecto modo Mater Chriſti, ad modum ferè, quo neque terra, quæ limum dedit Adæ efformando; & Adam, qui præbuit coſtam efformandæ Euæ, non ſunt Pater, aut Mater.

Neqve verò in animum ſibi quiſque inducat 11
aliquam in Virgine delectationem carnalem; nam obumbrata à Spiritu ſancto nullum æſtum libidinis eſt paſſa. Vnde rubo comparatur non vſto *Exodi* 3.

Probatvr vltimò à S.Doctore; ſicut enim virga Aaron, *Numer.* 17. floruit miraculo, ſed fructum fecit mediante etiam virtute actiua vegetatiua plantæ: Ità & Virgo in hac figurata, actiuè genuit: Quid verò cooperata ſit Beata Virgo, mox dicam.

Obiicies primò Gloſſam ordinariam D. Au- 12
guſtin. in id Rom. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine David*, vbi habetur: *Quia enim non humano ſemine concreta eſt caro Domini in vtero Virginis, ſed virtute Spiritus ſancti, ideò Apoſtolus dicit: factum, non natum.*

Respondet D. Bonauentura, ibi ſolùm excludi modum ordinarium conceptus ex virili ſemine, tamen actiuitatem maternam, ſicuti ſi virgæ aridæ daretur virtus germinandi: Hæc enim figura B.Virginis præceſſit, *Numer.* 17.

Obiicies ſecundò ex Damaſceno, libro 3. de fide, cap. 2. *Copulauit ſibi de puriſſimis Virginis ſanguinibus, non ſeminans, ſed per Spiritum Sanctum creans*; creatio autem non admittit cooperationem creaturæ.

Respondet S. Doctor, creationem hîc ſi- 13
gnificare actionem ſupernaturalem, non autem ex nihilo, vt patet, & excludere commixtionem ordinariam ſeminum.

Obiicies tertiò: Chriſtus ſecundùm ſeminalem rationem non fuit in Virgine, ſicut nec fuit in ſuis Auis.

Respondet S. Bonauentura, in Virgine fuiſſe 14
verè ſecundùm rationem ſeminalem cooperantem Spiritui Sancto ad conceptum, licèt non eo modo, quo requiritur ad eſſe completum naturaliter, in quo requirebatur vir.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An formatio Corporis CHRISTI *sit facta in instanti.*

D.Bonau. dist 5. parte 2. art. 3. quæst 2. & dist. nost. cit. in quæst. præcedenti.
D.Thom. loco cit. 10.

15 QVIA B.Virgo cooperata est conceptioni Christi, neque potuit cooperari vnioni hypostaticæ, neque creationi, & infusioni animæ, quæ virtutem diuinam exigunt, vt ait D. Bonauentura *in corpore*: Quæstio est, an cooperata sit in formatione corporis, in qua interueniunt duæ operationes; altera est congregatio sanguinis ad locum sacrum; altera efformatio, seu organizatio corporis: In hoc verò difficultatem mouet S. Bonauentura, quia hæc nequeunt fieri in instanti; nam exigunt motum localem, & quidem congregatio sanguinis certè debet fieri per motum localem; similiter & organizatio, in qua aliquæ partes rarefiunt; aliæ condensantur, vt in partes heterogeneas transeat sanguis: Sic autem motus localis debuisset à Deo fieri transferendo partes à loco ad locum sine transitu per medium, alioqui fuissent in medio, & non fuissent, in eodem instanti. Hoc igitur pacto nequibat cooperari B. Virgo per facultatem vitalem, operantem vi naturali.

16 SVPPONO autem, priorem actionem esse factam in tempore per verum localem motum; non enim est hic aliqua authoritas, aut necessaria ratio ad credendum, factam esse translationem sanguinis ad vterum absque transitu per medium, tam insigni miraculo; & alioqui adunatio sanguinis est conceptioni extrinseca.

17 QVOAD posteriorem verò actionem, aliqui hæretici huius temporis, vt refert Canisius *libro 3. de B. Virgine, cap. 12.* negarunt, Christi corpus formatum in instanti: Hanc opinionem existimat probabilem etiam Scotus *in 3. dist. 4. quæst. vn.* & Fauentinus *disp. 12. cap. 2.*

OPPOSITA tamen sententia est omnium Theologorum, *in 3. dist. 4.* vbi D.Bonauentura, *loco citato*, & Scotus, ac Fauentinus probabiliorem iudicant: Suarez tamen adeò veram censet, vt in opposita temeritatis, & erroris notulam quærat.

ASSERO, Conceptionem Christi, quoad ea, quæ sunt de intrinseca ratione eius, factam esse in instanti.

18 PROBATVR fundamento S.Bonauenturæ hîc, & *dist. 5. art. 2. quæst. 1. ad 1.* quod latius Scripturis, Conciliis, & PP. attulimus *disput. 10. quæst. 1.* nam B. Virgo concepit Filium Dei, vt dicitur Lucæ 1. *Concipies Filium, & erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Et: *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*, vt notat S. Doctor hic, & sexta Synodus *act. 11.* Sophronius ait, simul carnem esse conceptam, animatam, & vnitam Verbo: Eandem veritatem habet Basilius *homil. 25. de humana Christi generatione*, Damascenus *lib. 3. de fide, cap. 2.* Euthymius *Matth. 1.* præcipuè Fulgentius *de fide, cap. 18.* vbi ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam, priusquam assumeretur.* Igitur si in tempore esset conceptus; fuisset priùs conceptus homo, & D.Augustinus idem habet, à quibus S. Bonauentura hoc argumentum sumit.

QVARE, licèt expressè non definiatur quoad hoc, quòd illa formatio corporis sit facta in instanti, attamen quia ex principio fidei ducitur, non licèt aliter sentire. Vide Suarez. 19

FAVENTINVS, vt oppositam sententiam cum Scoto probabilem sarctatectam tueatur, dicit, potuisse concipere Deum, etiamsi conceptio corporis facta fuerit in tempore, quia corpus illud semper fuit in fieri vsque ad instans animationis, quo assumptum est à Verbo, & ita explicat relatos Patres: At Patres, præsertim Sophron. *epist. Synod.* colligunt Virginem concepisse Filium Dei ex hoc asserto: *Nec quantum in ictu oculi (ait) hanc, quàm illam priorem habentia; simul quippè caro, simul Verbi caro, &c.* Vide Suarez *tom. 1. disp. 11. sect. 1.* & *tom. 2. disp. 16. sect. 1.* 20

NODVS tamen remanet soluendus, quomodo B.Virgo potuerit cooperari modo naturali ad modum matris, cùm necessaria sint miracula ad motum in instanti localem.

ALIQVI respondent, organizationem esse dispositionem vltimam, quæ simul, & in eodem instanti fit, cùm introducitur forma.

AT contra arguit Suarez ex D. Bonauentura *in corpore*, quia formatio corporis organici non potest fieri tota simul, cùm necessariò requirat mutationem localem partium; nam si sanguis ex vna parte contrahitur, vt fiant ossa, debet aliud corpus intrare, vt ex alia rarefiat, vt tenuiores partes contexantur, necesseque est expelli indè aliquod corpus, vt sanguis vtrobique moueatur. Idem discurre per cætera. 21

ALII dicunt, motum illum factum in breui aliqua morula, deductumque sanguinem secundum omnes particulas ad locum, in quo esse debebat pro instanti generationis, vt innuit D. Thom. *art. 1.* 22

ATTAMEN adhuc admittere oportet, conceptionem Christi factam in tempore (esto minori, quàm fiat ordinaria conceptio) contra allatas authoritates.

DEINDE sequitur nullum ferè miraculum factum esse, vt ait S.Bonauentura *distinct. 4. quæst. vltima*, Gabriel. *dist. 4. quæst. vn. art. 1.* Paludanus *dist. 3. quæst. 3.* Alensis *3. parte, quæst. 8. membr. 2.* & *quæst. 9. memb. 4.* & *4. parte, quæst. 34. memb. 3.* alias *quæst. 10. memb. 4. art. 2. §. 6.* Richardus *dist. 3. art. 2. quæst. 2.*

RESPONDET Suarez, totam hanc conceptionem factam esse in instanti, per mutationem localem de loco ad locum absque transitu per medium: Circa hoc verò non habuisse B. Virginem efficientiam connaturalem, sed aliquam solam alterationem, vt fouendo calore suo materiam illam, vel simile. 23

CONTRA hunc modum insurgit Faber *num. 33.* quia sic B. Virgo non fuisset Mater Christi, cùm non egerit in hoc, quod aliæ matres: Neque potuit in instanti calefacere, seu fouere materiam illam, quia alteratio includit motum localem ex 8. *Phys. text. 55.* Restat igitur sola communicatio materiæ remotæ, quæ non magis sufficit, vt B.Virgo dicatur Mater Christi, quam sufficeret terræ, vt diceretur Mater auri. 24

IPSE igitur Fauentinus sic ostendit ex Scoto, B. Virginem cooperatam in instanti. Quando aliqua virtus actiua non habet terminum adæquatum, potest

test simul agere in alium terminum non adæquatum, & in plures inadæquatos, dummodo includantur in termino adæquato: Sed signatio corporis, condensatio eiusdem, & Inductio formæ substantialis organicæ, seiunctim acceptæ, non sunt termini adæquati virtutis actiuæ matris; sed totum corpus fœtus: Ergo virtus actiua Matris potest simul, & semel in omnes illos terminos.

25 Hoc argumentum multis scatet defectibus; sed principaliter quia non probat intentum; nam, licèt aliqua virtus habeat aliquod obiectum, seu aliquem terminum adæquatum, & possit in totum id, & in partes singulas eius, tamen non potest in illud omni modo: Sic auditus, v. g. habet pro obiecto sonum, & potest quemlibet sonum audire, tamen non potest naturaliter in instanti sonos sentire.

Ex quo fit, vt licèt B. Virgo virtute actiua posset in omnes illos terminos expressos à Scoto, non tamen potest naturaliter in instanti in eos, atque adeò si miraculo opus fuit, non egit ad modum Matris, & non fuit Mater, vt inferebat Fauentinus *num*. 23. contra Suarez, atque adeò petit principium, supponens id, quod est probandum, nempè id posse etiam in instanti, & nihil probat.

26 Eqvidem videò, arduum esse dubium; tamen cum Seraphico illud solvere conabor: Primò quidem suppono cum D. Bonauentura hic, ad compositionem organorum requiri motus alterationis, & locales successiuos, vt probat ex Aristot. 5. *Physic. text*. 7. *& text*. 48.

Deinde suppono, motum localem in instanti non posse fieri naturaliter absque transitu per medium ad extrema distantia, vt dixi *p. p. tract. de Angelis, disput*. 10. *quæst*. 5. id tamen fieri posse à Deo concedit S. Doctor ibi.

27 Svppono tertiò, potuisse Deum ità adiuuare virtutem actiuam Maternam B. Virginis, vt operaretur actus maternos in instanti, neque tamen ob id detrahitur rationi matris, vt putat Fauentinus, nam, vt arguit S. Doctor, ratio substantialis matris est, totum id præbere, quod aliæ matres præbent, totum id præstare, quod aliæ matres præstant; nil autem minuit, etiamsi modo supernaturali absque duratione id operetur: Sicuti enim modus miraculosus Conceptionis Christi non impedit, quin sit verus homo, quia habet veram naturam hominis, licèt non ex virili semine, sed ex virtute Spiritus sancti; multò magis erit verus Filius Mariæ, etiamsi illa maiori celeritate, quam naturaliter fiat, operata sit ad filij conceptionem; multò enim magis est necessarium virile semen, quàm successio.

28 Igitvr non modò ad formam vltimam substantialem organizationis cooperata est B. Virgo, sed etiam toti formationi organorum, quoad alterationes omnes, & motus locales necessarios.

Hinc ruit opinio eorum, qui dicebant, B. Virginem cooperatam tantùm ad vltimam formam inducendam in instanti; nam hæc naturaliter in instanti inducitur, non autem ad dispositiones prævias. Hanc opinionem confutat etiam S. Doctor, quia Spiritus sanctus est non solùm disponens, sed etiam formam producens organizationis, alioqui imperfectius agens fuisset, quam B. Virgo.

29 Alij etiam dicunt, Deum transtulisse aliquas moleculas purissimos sanguines ad locum proprium matricis, imò singulas particulas propriis sitibus aptis secundùm necessitatem membrorum faciendorum, vt non egerent ampliùs localiter moueri, & tunc cùm B. Virgine in instanti formas particulares organorum, & totalem organizationis induxisse, sed modus superius allatus est genuinus Seraphici, & authoritatibus allatis consonus.

Obiicies primò ex D. August. *lib*. 4. *de Trinitate, cap*. 5. & *lib*. 83. *qq. quæst*. 4. & *quæst*. 56. vbi tractans illud Ioannis 2. *Quadraginta sex annis ædificatum est Templum hoc*, ait: *Hic numerus perfectioni Dominici corporis congruit, quia, vt dicunt Physici, tot diebus forma humani corporis perficitur*. Si dicas, loqui de augmento, vt ait Magister: Contra, quia augmentum viginti annis peractum est, vt communis fert opinio. 30

Respondet S. Doctor, D. Augustinum loqui de augmento debito infanti, licèt enim in instanti formatum sit corpusculum illud minutissimum, tamen solum post tot dies tantùm apparuit in aliqua magnitudine debita: Nam in aliis infantibus, vt ait D. Augustin. *loco cit*. 83. *quæstionum*, conceptio humana sic procedit, quòd in primis sex diebus, lactis veluti similitudinem habet, sequentibus nouem conuertitur in sanguinem, duodecim diebus solidatur, reliquis diebus formatur vsque ad perfecta lineamenta: Corpus verò Christi fuit in instanti completè organizatum; tamen mole, & perfectione magnitudinis membrorum spatio dictum perfectum: Vide S. Bonauenturam etiam ad eum locum *Ioan*. 2. diffusè hæc tractantem. Hæc egi *p. p. tract*. 8. *disp*. 4. *quæst*. 22. 31 32

Obiicies secundò: *Debuit per omnia fratribus assimilari*, Heb. 2. Ergo, sicut alij, successiuè formatus est.

Respondetvr, debuisse assimilari in his, quæ redemptionem respiciebant, vt patiendo, &c. non in omnibus, vt patet; non enim peccatum, nec ignorantiam habuit.

Obiicies tertiò: Corpus Christi nutritum, & auctum fuit successiuè: Ergo etiam conceptum.

Respondet S. Doctor, non esse simile, quia in augmentatione, & nutritione nostra non inuoluitur culpa, sicut in conceptione, ideò licèt similis fuerit in nutritione, non debuit assimilari in conceptione. 33

Obiicies quartò: Formationem corporis præcedit solidatio, solidationem conuersio, conuersionem mutatio alterationis rarefactiuæ, quarum singula exigunt vnum instans; imò & tempus: Ergo totum hoc non est factum in Instanti.

Respondet S. Doctor, naturaliter ita esse; at virtute Diuina posse omnia eodem instanti temporis fieri, licèt aliqua sint priùs naturâ.

Obiicies quintò: Agens potentiæ finitæ, non potest cooperari in agendo cum agente potentiæ infinitæ in ea operatione, in qua operatur virtus illa per modum infiniti: Sed Conceptio Christi fuit in instanti, quamvis naturaliter requireret successionem, ad quod requiritur virtus infinita, vt ait Aristoteles: Ergo B. Virgo non valuit cooperari. 34

Respondet D. Bonauentura *distinct*. 4. *art*. 3. *quæst*. 1. hoc argumento solùm probari, B. Virginem non esse cooperatam ad producendam illam materiam ad esse completum, nempè ad infusionem animæ, & vnionem cum Verbo.

QVÆSTIO IV.

An Conceptio CHRISTI *fuerit miraculosa.*

D.Bonau. dist.4. art.3. q.2.
D.Thom. q.33. art.4.

35 EX dictis iam soluta est quæstio ista; nam si materiam generationis consideremus, debuit esse naturalis, vt sic B.Virgo Mater Christi naturalis esse posset; si verò ex parte virtutis agentis, est miraculosa: Res autem magis iudicatur ex forma, quàm ex materia, ex virtute actiua, quàm ex passiua, vt ait D.Thomas: Idem ferè habet D.Bonauentura, qui addit, virtutem actiuam Virginis fuisse supernaturalem, & miraculosam, non modò quia habuit virtutem operandi in instanti, quæ requirit successionem; & operandi se sola, quæ requirit naturaliter cooperationem viri; sed & supernaturalis fuit, quia per sanctificationem altissimam reddita est apta Mater tanti Dei.

36 ASSERO igitur, simpliciter dicend m, Conceptionem Virginis fuisse miraculosam.

PROBATVR à S.Bonauentura, quia fuit mirabilis, vt ait Isaias, cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Fuit & noua, vt dicitur Hierem. 31. *Nouum faciet Dominus super terram: Fæmina circumdabit virum.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore ex dictis, quia nusquam natura fœminam solam fœcundauit, vt pareret absque consortio viri: Ideò ait Deus, initio Genes.2. *Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adiutorium simile.* Adde, naturaliter Virginem concipere non posse intemeratam, & parere.

37 OBIICIES primò: Generatio, quæ producit terminum naturalem, est naturalis: Talis fuit conceptio B.Virginis, quæ sibi Filium naturalem concepit: Ergo.

RESPONDET D.Bonauentura, licèt quoad modum supernaturaliter concurrat, tamen naturalem virtutem præbuisse, & naturale opus fecisse, sicuti cæco redditur visus per miraculum, postea naturaliter videt, vt notat D.Thomas.

38 OBIICIES secundò: Sic Spiritus sanctus purissimo modo excitauit virtutem generatiuam Virginis; sicuti vir modo carnali; sed vir excitando non tollit, conceptum esse naturalem: Ergo.

RESPONDET S.Bonauentura, dissimile esse, quia vir non dat nouam potentiam fœminæ, vt concipiat se solâ; vt concipiat in instanti, &c.

OBIICIAS tertiò: Quod operatur virtute naturali, esto diuinitus collata, operatur naturaliter: at B. Virgo operata est virtute generatiua naturali: Ergo.

39 RESPONDET S.Doctor, agens per virtutem diuinitus acceptam proportionatam naturali effectui agere naturaliter, non autem si agat opus excedens virtutem naturalem, vt si detur Asino loquela. Iam verò date virtutem Virgini, vt manens intemerata concipiat, & concipiat in instanti, excedit terminos naturæ, ideò est supernaturalis. Vnde conceptio in Virgine duplex includit miraculum. Primum est potentia accepta generandi: Secundum est ope-
40 ratio ipsa, seu exitus illius potentiæ in actum. In fœcundatione verò sterilium, sicut Saræ, & Elisabeth, est tantùm vnum miraculum, idest, restitutio potentiæ generatiuæ, sicut etiam in resurrectione mortui; nam reddita virtute generatiua naturaliter concipere potest, sicuti reddita mortuo Lazaro vita, potuit esse naturaliter inter conuiuium; & naturaliter edere,: Et per hoc patet ad vltimum.

QVÆSTIO V.

An caro CHRISTI *fuerit traducta ad Virginem separatim.*

D.Bonau. dist.3. part.2. art.2 quæst.1.
D.Thom. quæst.31. art.6.

QVÆSTIO est, an quando Adam peccaturus fuit, fuerit separata particula aliqua in Adam, quæ non macularetur, & ita vsque ad Virginem intemerata traduceretur ad concipiendum Christum. 41

ALIQVI id tenuerunt, vt referunt sancti PP. & inter recentiores id sustinet Galatinus, *lib.7. cap.4.*

ASSERO tamen, id non posse dici absque errore. 42

PROBATVR primò à D. Bonauentura *in corpore*, quia *Roman.1. Galat.4. Matth.1. Luca 3.* Christus asseritur de stirpe Abrahæ, & regia sobole Dauidis: Si autem aliqua particula in Adam segregata fuisset, iam Christus esset quidem è stirpe Adæ, non tamen ex Abraham, Dauide, & sequentibus, & non magis spectarent hi ad generationem Christi, quàm spectet canalis, deferens aquam, ad aquæ generationem.

PROBATVR secundò à S.Doctore *ibidem.* Quia *Hebr.2. Isa.53.* dicitur assumpsisse nostros languores, atque infirmitates, & assimilatus nobis; at verò si aliqua particula ante peccatum in Adam fuisset segregata ad Christum componendum, iam illa esset à passionibus exempta, & ab infirmitatibus immunis.

PROBATVR tertiò à S. Doctore ex PP. Græcis, & Latinis, præcipuè Damesceno *lib.3. de fide, cap.2. & cap.6. & 7.* & *lib.4. cap.14.* & D.August. *lib.10. de Genes. ad litter. cap.19. & 26.* & D. Fulgentio *de fide ad Petrum, lib.1. cap.2.* circa medium, Boëtio *lib.2. de duabus naturis*, & vna persona Christi *cap.7.* 43

RATIONES multas affert D.Bonauentura præcipuè, quia caro Christi fuit ex genere stirpis Abrahæ; nam semen Abrahæ apprehendit, vt ait Apostolus, & ideò debuit ex eo propagari. 44

FVIT tamen caro illa in B.Virgine purificata, vt dignè à Verbo assumeretur, & ita, licèt ante immunda, tamen in Virgine purificata est, & per hoc non dedecuit Christum: Sic omnia soluuntur argumenta contraria.

QVÆSTIO VI.

An caro CHRISTI *fuerit in parentibus peccato obnoxia.*

D Bonau. dist.3. p.2 art.2. quæst. 2.
D. Thom. q.31. art.7.

TOTA quæstio hæc eo voluitur cardine; an Christus fuerit in Adam secundùm seminalem rationem 45

rationem : an verò secundùm corpulentam substantiam tantùm.

NOTA ex D. Bonauentura, illum dici in Adam secundùm seminalem rationem, qui non solùm ex semine Adæ propagatus est vsque ad suam generationem exclusiuè, sed virtute seminis Adæ naturaliter formatus est : Itaque ad hoc, vt aliquis fuerit propagatus seminaliter ex Adam, non sufficit, vt semen ex Adam deductum sit vsque ad parentes immediatos ; sic enim sola materia corporis, non autem forma fuisset seminaliter in Adam, & sequentibus ; sed requiritur, vt ipsum corpus, ipsa caro eius fuerit virtute naturaliter deriuata, per generationem Adæ formata ; tunc enim non materia carnis, sed formaliter caro seminaliter propagata inuenitur.

46 IAM verò, licèt materia carnis Christi per semen Adæ ad Seth, & subsequentes fuerit propagata vsque ad Virginem Matrem, quæ naturali modo concepta est, & ideò contraxisset originariam labem, nisi fuisset præseruata : Attamen formaliter caro Christi facta est virtute Spiritus sancti, non agente, modo naturali, semine, vel sanguine B. Virginis : Quo fit, vt nunquam illa caro formaliter habuerit labem origiois, licèt materia illa tota, illaque linea propagationis vsque ad B. Virginem fuerit maculata.

47 ASSERO igitur primò, carnem Christi fuisse in parentibus diuerso modo à nobis.

PROBATVR à S. Bonauentura primò ex D. Augustino *loco citato*, id asserente.

PROBATVR à S. Doctore secundò : Principium mediatum reducitur ad immediatum : Sed immediatum principium Christi est B. Virgo, ex quo exiuit alio modo, quàm alij filij de suis matribus concipiantur : Ergo in aliis principiis mediatis diuerso modo fuit à nostro.

ASSERO secundò, carnem Christi non fuisse peccato obnoxiam.

PROBATVR à D. Bonauentura *in corpore*, quia ratio carnis sumenda est secundùm formam, non secundùm materiam : At caro formaliter Christi non fuit in seminali actiua virtute Adæ, quippè quæ virtute Spiritus sancti est efformata : Ergo, &c.

48 DECLARATVR ; nam quia caro Christi formaliter non erat in virtute naturaliter seminis Adæ, sed solùm quoad materiam, à qua non desumitur ratio aliqua specialis, ideò Christus in Adam non peccauit ; esto materia illa, vtpote non signata, aut segregata, vt dixi, *quæstione* 5. esset obnoxia peccato, vt ait D. Thomas cum Seraphico Doctore.

QVÆSTIO VII.

An CHRISTI *caro fuerit decimata in Abrahamo.*

D. Bonau. dist. 3. p. 2. art. 1.
D. Thom. q. 31. art. 2.

ALIAM quæstionem præmittit D. Bonauentura, qua explicet, quid sit decimari. 49

NOTAT autem, decimationem esse actum quendam moralem, sacramentalem, & figuralem.

Est actus moralis, quatenus est donatio decimæ partis ad sustentationem Ministrorum Dei pro cultu Diuino, sicuti nunc in Ecclesia etiam consueuit.

EST actus Sacramentalis, quatenus fuit donatio alicuius partis ad curationem morbi originalis.

EST actus figuralis, quatenus figurabat oblationem Christi, qua facienda erat curatio vniuersalis.

Hoc autem sic explicatur : Quia enim, qui decimam dat, retinet sibi nouem, dans perfectionem numeri, sic autem imperfectionem suam protestatur ; imperfectio autem humani generis est propter peccatum, quod indiget perfectione eius, qui à peccato curat ; curare autem a peccato solius Christi est : Ipse enim est Agnus, qui tollit peccata mundi.

FIGVRAM autem eius gerebat Melchisedech, vt Apostolus probat *Heb.* 7. Per hoc ergo quod Abraham decimas dedit Melchisedech, præfigurauit, se in peccato conceptum, & omnes, qui à se nascituri erant, indigère curatione per Christum : Omnes igitur, qui in Abraham fuerunt secundùm seminalem actiuam rationem formaliter, decimati sunt : at Christus, qui fuit in Abraham solùm secundùm materiam, ex qua formandum erat sanctissimum corpus, non secundùm formam, quæ constituta est virtute Spiritus sancti, non autem alicuius viri, ideò non fuit decimatus. 50

ASSERO, Christum non fuisse in Abraham decimatum. 51

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex D. Aug. *lib.* 10. *de Genes. ad litter. cap.* 20. vbi id habet.

SECVNDÒ : Sicut se habet Adam peccans ad posteros ; ita Abraham in dando decimas : Sed Christus in Adam peccante cùm esset, non peccauit : Ergo neque in Abraham decimatus est.

TERTIÒ : Decimatio, vel erat curatio, vel curationis præfiguratio ; sed Christus nec ibi curabatur, nec curari præfigurabatur : Ergo.

QVARTÒ : Si Christus in Abraham decimatus est : Ergo nulla est argumentatio Apostoli *Heb.* 7. qua probat, maius esse Sacerdotium Melchisedech, quàm Leuiticum, per hoc quod Leui decimatus est in Abraham. 52

DISPVTATIO XXX.

DE NATIVITATE CHRISTI.



IN Virgineo Sanctissimæ Mariæ Vtero Christum vidimus conceptum *disputatione præcedenti*, Nunc ipsum istinc prodeuntem, intemerato pudoris claustro, contemplabimur: Priùs autem quàm huc perueniatur, solet à nonnullis examinari, quid interim Christus nouem mensium spatio in vtero peregerit? cùm enim à primo Conceptionis suæ momento nactus sit plenum rationis vsum, omniumque charismatum plenitudinem; non est ambigendi locus, quin plura amoris, & adimplendæ redemptionis nostræ vota in sacro illo solitudinis secessu emiserit, vt innuitur efficaciter illo Apostoli *ad Hebræos* 10. è Psalmo 39. *Ideò ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi; Holocaustomata pro peccato tibi non placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, &c.* Item memorabile est, quòd Sanctissima Virgo statim post peractum Angelicæ Annunciationis Mysterium in Montana ad visitandam Elizabeth, Præcursoris matrem, cum festinatione perrexerit; non enim momentum otij capere voluit diuinus ille rerum omnium opifex, sed se hominum sanctificationi ab initio conceptionis superimpendens, Præcursorem suum in hoc officio præcucurrit; Vnde eleganter ait Origenes homil. 7. in Lucam: *Iesus, qui in vtero Virginis erat, Ioannem adhuc in ventre Matris positum sanctificare festinabat.* Hoc est primum iter, à Diua Virgine susceptum, & Diuini Verbi Incarnationem subsequens, vt Euangelium innuit; in quo aliud etiam iter, ipsius Natiuitatem propè præcedens, commemoratur; cuius causas, & circumstantias infrà *quæstione* 7. referemus, interim hic percontari libet, num verè natus sit Christus in tempore.

QVÆSTIO I.

Vtrum Natiuitas aliqua in tempore sit Christo verè attribuenda.

D. Bonau. dist. 8. art. 2. q. 1.
D. Thom. quæst. 35 art. 2.

1 ASSERENDVM, Christum verè esse natum in tempore.

EST de fide, vt patet *Luca* 2. & ostendi *disp*. 1. *q*. 1.

PROBATVR à D. Bonauentura *ad* 2. *Luca* 1. ex 4. ad Galat. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*, hoc autem dixit euenisse, *vbi venit plenitudo temporum.*

SECVNDÒ id probat *Isa*. 7. & 66. & *Luca* 2. quibus locis temporalis Christi Natiuitas repetitis vicibus astruitur.

Ex hac verò quæstione vnum videtur sequi, nempè Christum bis esse natum.

DVRANDVS *distinct*. 8. *quæst*. 2. hanc locutionem negat.

ATTAMEN D. Thom. *ad* 4. cum S. Bonauentura post Magistrum, quem alij etiam sequuntur, hanc locutionem admittunt: Valentia etiam *disputatione* 2. *quæstione* 2. *puncto* 4. non dissentit. 2

ASSERO cum hac sententia, modum illum dicendi, Christum bis esse natum, valere.

PROBATVR à S. Doctore primò ex D. Fulgentio lib. de Fide, ad Petrum, cap. 2. *Natus est semel ex Patre, & semel ex Matre.* Idem autem semel, & semel

ſemel ſignificat, quod bis, vel ſemel, & iterum.

Secvndò, ex Damaſceno lib. 3. de fide, cap. 7. *In Chriſto duas natiuitates veneramur.*

3 Tertiò probatur: Chriſtus ſemel genitus eſt ex Patre, vt ait Gloſſa ad id Pſal. 61. *Semel locutus eſt Deus*, ideſt, filium genuit, & hoc de fide, vt dicitur Pſal. 109. *Ante Luciferum genui te.* At conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, è fidei Symbolo.

Probatvr etiam *in corpore*, quia actus non modò nominatur ad multiplicationem termini, vel ad multiplicationem ſubiecti, ſed etiam ad multiplicationem menſuræ, puta temporis, ex Ariſtot. 5. *Phyſ. t.* 34. *&* 38. *&* 41. *&* 7. *Phyſ. t.* 5. Sic enim dicor bis comediſſe, non ratione termini, quia duas res comederim; poſſum enim ambas vna comeſtione conſumere; neque ratione ſubiecti, ſed ex parte durationis: Quoniam ergo Natiuitas Chriſti Diuina menſuratur æternitate; & temporalis menſuratur tempore; hinc poteſt concedi, Chriſtum bis natum.

4 Svarez in Commentario D. Thom. in fine dicit, ſe non videre, quàm ſit firmum dicere, illum terminum: *Bis*, magis numerare actiones, quàm formas, propriè enim dicimus, aliquem eſſe bis Canonicum, vel Doctorem.

Attamen luce clarius oſtendit S. Bonauentura etiam duas actiones, ratione durationis diſtinctæ, aut diuerſæ, multiplicare, vt bis dicatur id factum, vt patet in conuerſione.

5 Obiicies primò (Bis) dicit conſimilis actus geminationem: Sed generatio æterna, & temporalis Chriſti, non ſunt ſimiles: Ergo.

Respondent D. Bonauentura, & Suarez, ſufficere ſimilitudinem analogicam, ſicuti dicitur: Deus & homo ſunt duo entia.

Obiicies ſecundò: Semel, & bis dicunt viciſſitudinem; hæc autem non poteſt eſſe in Deo.

Respondet S. Bonauentura, *ſemel* dicere vnum actum completum; dicit autem viciſſitudinem in ſubiecto mutabili, quale non eſt Chriſtus ſecundùm Deitatem. *Bis* autem addit viciſſitudinem ratione naturæ humanæ, non ratione perſonæ, ſicut dicitur Chriſtus ſæpè ambulaſſe.

6 Obiicies tertiò: *Bis*, dicit actus interruptionem, vnde dicitur homo bis fuiſſe Pariſiis, non autem dicetur bis fuiſſe homo: Sed generatio Chriſti ex Patre nunquam fuit interrupta: Ergo.

Respondent S. Doctor, & Suarez, eam particulam non ſignificare ſemper interruptionem, ſic dicitur cœlum bis reuolutum continuo motu, numeratio enim reuolutionum venit, non ex interruptione, ſed ex completione circulationis, ſecundùm quam eſt numeratio dierum, menſium, & annorum, qui plures numerantur.

7 Obiicies quartò, *Bis* dicit actuum terminationem: at generatio Diuina nunquam terminatur.

Respondet S. Doctor, terminationem ſignificari in numeratione, quatenus terminatio dicit perfectionem, vel deſitionem proportionaliter ſecundùm actuum capacitatem: Itaque *ſemel* dicit vnum actum completum termino, ſeu menſuratum, etiamſi non ceſſet: talis eſt generatio Chriſti menſurata æternitate.

Obiicies quintò: Particula *Bis* dicit ſucceſſionem: at generatio æterna eſt ſemper, & ſimul cum temporali fuit; vnde ſicut non dicitur: Petrus bis eſt natus, quia ex Patre & Matre: Ita &c.

Respondet S. Bonauentura, actu geminato eiuſdem rationis, ideſt temporalis, afferri ſucceſſionem, non autem in omni.

Obiicies ſextò: Nunc temporis, & nunc æternitatis, non faciunt numerum, quia nunc temporis clauditur in nunc æternitatis. 8

Respondet S. Doctor, æternitatem, & tempus, eſto, ſint continens, & contentum, tamen reſpectu menſuratorū eſſe duas menſuras diſtinctas, quarum vna, nempe, æternitas fuit ſine altera, ideſt tempore, & ideo tempus poſterius eſt, neque ita æternitas 9 claudit tempus, ſicut totum partes, vt tollatur numerus, ſed per quandam præſuppoſitionem, quæ ordinem ſinit, & diſtinctionem remanere.

QVÆSTIO II.

An Christvs *ſecundùm Natiuitatem temporalem ſit Filius naturalis Mariæ; ſicuti ſecundùm Generationem æternam eſt Filius naturalis Patris.*

{ D Bonau. d. 8. art. 2. q. 9.

Nota ex D Bonauentura primò, filium dici naturalem alicuius, qui ab eo tanquam principio 10 naturam trahit ſimilem in ſpecie, vnde nominat eſſentiam quidem geniti, ſed in ordine ad ſuum principium, & quia natura dicit eſſentiam quidem, ſed in ordine ad principium ſuum, ideò magis dicitur filius naturalis, quam filius eſſentialis, quia eſſentia dicit quidditatem abſolutè, & formam in eo, qui per eam conſtituitur: Cùm igitur Chriſtus ex Virgine natus ſit ſimilis ſecundùm ſpeciem athomam; ſicuti ſecundùm Deitatem natus eſt ſimilis Patri; verè dicitur Filius naturalis Mariæ ſecundùm natiuitatem temporalem; ſicut dicitur Filius naturalis Patris ſecundùm æternam.

Assero, Chriſtum eſſe Filium naturalem Mariæ 11 Virginis.

Probatvr à S. Bonauentura, quia generatio filij eſt productio viuentis à natura ſimilis ſecundùm ſpeciem athomam; Chriſtus autem eſt huiuſmodi reſpectu Mariæ: Ergo.

Obiicies primò: Filius per gratiam non eſt 12 per naturam; natura enim, & gratia opponuntur: ſed Chriſtus ſe fecit Filium Mariæ, per dignationem ſuæ gratiæ: Ergo.

Respondet S. Doctor primò, Filium per gratiam adoptionis repugnare filio per naturam, non autem filium per gratiam vnionis hypoſtaticæ, quæ quodammodo fuit iſti homini naturalis.

Respondet ſecundò, Chriſtum eſſe Filium naturalem Mariæ ſecundùm humanam naturam; per gratiam verò ſecundùm deitatis vnitæ rationem: Dices: Eſt filius ſupra naturam. Reſpondet S. Doctor, eſſe etiam ſecundùm naturam, vt dixi *diſſ.* 29.

Obiicies ſecundò: Nullus, qui voluntariè eſt 13 filius, poteſt dici filius per naturam: Chriſtus eſt talis; nam voluntariè incarnatus eſt: Ergo.

Respondet D. Bonauentura, falſam eſſe Maiorem, prout voluntas comitatur naturam, ſic enim ſi Adam voluntariè genuiſſet Abelem, adhuc iſte eſſet filius naturalis.

Obiicies vltimò: Nullus filius naturalis eſt prior ſuo principio generante: at Filius Dei eſt prior B. Virgine: Ergo.

Respondetvr, veram eſſe Maiorem ſecun- 14 dùm eam naturam, ſecundùm quam eſt Filius; at Chriſtus eſt prior ſecundum naturam Diuinam tantùm, non ſecundùm humanam, ſecundùm quam eſt filius.

QVÆSTIO III.

An in CHRISTO *sint duæ filiationes.*

D.Bonau. dist.8. art.1. q.2.
D.Thom. quæst.35. art.5.

15 QVÆRITVR hìc, an, sicut filiatio, seu relatio Filij ad Patrem est realis, ita etiam relatio ad matrem sit realis, atque adeo sint duæ reales filiationes.

PRIMA opinio est, Christum realiter referri ad matrem, relatione tamen increata: Ità Henricus *quodl.* 4. *quæst.* 3. & videtur etiam Alensis 3. *parte, quæst.*10. *memb.*3. *ad argumenta.*

16 SECVNDA opinio est, Christum referri ad matrem relatione reali creata: Ità Scotus *in* 3. *dist.*8. *quæst vnica*, quem sequuntur discipuli, præcipuè Fauentinus *disp.*2. Mastrius *disp.*2. *quæst.*6. & alij apud eum, & apud Bellutum *disp.*16. Richardus *distinct.*8. *art.*2. *quæst.*2. Durand. *quæst.*3. Gabr. ibi *concl.*3. Marsil. *quæst.*7. *art.*2. quam probabiliorem putat Suarez *tom.*2.*disp.*12. *sect.*2. vbi ait, esse communiorem Theologorum. De hoc gloriatur exultans Vulpes *disp.*24. *art.*5. *num.*13.

TERTIA sententia est D. Bonauenturæ, & D. Thomæ suprà, Christum referri ad matrem sola relatione rationis: Idem habet D.Thom.3. *distinct.*8. *quæst.*1. *art.*4. & *quodl.* 1. *art.*2. & *opusc.*3.*cap.*219. Albertus Magnus *in* 3. *distinct.* 8. *art.*2. eam verò probabiliorem existimat Valentia *disput.*2. *quæst.*2. *puncto* 4.

17 ASSERO cum hac sententia, Christum non referri realiter ad matrem, atque adeò non esse duas in eo filiationis relationes reales.

PROBATVR primò à D. Bonauentura: Ea, quæ immediatè, & primariò respiciunt personam, & sunt in ea tanquam in subiecto, non multiplicantur: Sed filiationis relatio est huiusmodi: Ergo. Maior probatur authoritate Conciliorum, & Patrum constanter asserentium non multiplicari in Christo ea, quæ spectant ad personam, sed ea tantùm, quæ spectant ad naturam. Præcipuè verò ait Concilium Ephesinum, can.4. *Si quis in personis duabus, vel subsistentiis, eas voces, quæ in Apostolicis scriptis, & Euangelicis continentur, diuidit, vel quæ de Christo dicuntur à sanctis, vel ab ipso: & aliquas quidem ex*
18 *iis velut homini, qui, præter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptauerit: aliquas verò tanquam Deo dignas, soli Deo Verbo Patris deputauerit; anathema sit.* Idem confirmatur in Concilio Chalcedonensi *act.* 5. & in quinta Synodo Generali *can.* 5. & Synodo sexta *act.* 4. & in Concilio Lateran. sub Martino I. *can.* 5. Ideò Damascenus *lib.* 3. *fidei*, *cap.*13. docet, ea solùm, quæ ad naturam spectant, duplicari. Minor probatur primò ex ratione correlatiuorum; nam realis relatio paternitatis primariò, & immediatè inest, non in natura, sed in supposito generante: Ergo similiter relatio realis filiationis primariò, & immediatè inest in supposito genito.

19 PROBATVR secundò ex fundamento proximo relationis realis filiationis, quia nasci, seu generari passiuè, primariò, & immediatè, & tanquam subiecto, conuenire solet ipsi supposito genito; Naturæ autem, seu formæ, non nisi vt termino *Quo*; sicut enim suppositi primò est generare; ita & gigni: Ergo similiter relatio in eodem subiecto est.

PROBATVR tertiò eadem Minor à posteriori; nam si relatio inesset naturæ, possemus dicere, naturam esse filiam.

RESPONDET Richardus, relationem filiationis esse in natura, & per naturam conuenire supposito, tametsi natura non denominetur: Sicuti (ait) homo per fortitudinem frangit lapidem, licèt ipsa fortitudo non denominetur frangere illum: Idem respondet Scotus, & cum eo Mastrius *numer.* 140. *&* 147.

CONTRA; nam relatio formaliter est in natura, 20
deberet etiam denominare eam filiam, neque est simile de frangente lapidem; nam fractio lapidis, non est effectus formalis fortitudinis, sicuti esse filium, seu filiale, est effectus formalis filiationis.

EODEM ferè modo respondet Fauentinus *cap.*5. ex Scoto, suppositum mediante natura esse subiectum filiationis: Quod verò natura non denominetur, nil obest; alioqui neque aliæ relationes inhærerent immediatè naturæ, sed supposito, quod tamen est falsum; vt aduersarij fatentur. Probatur sequela, quia natura non dicitur nata, sed suppositum: Ergo relatio natiuitatis non inhærebit naturæ, sed supposito, & tamen immediatè fundatur in natura, & in supposito mediante natura: Igitur natura non dicitur filia, quia non est subiectum adæquatum filiationis; sicuti neque suppositum, si per impossibile esset abstractum à natura, non diceretur filius ob eandem causam, quia non esset subiectum adæquatum filiationis.

VERVM falsò Fauentinus nobis adscribit, assere- 21
re, esse natum primò conuenire naturæ; nam D.Bonauentura *dist.*8. *quæst.*1. ex D.Damasceno *lib.*4. *de fide, cap.*7. ait: *Cognoscimus, quòd nasci non est naturæ, sed hypostasis*, sic enim non solùm in Diuinis, vbi solum suppositum gignitur, sed etiam in generationibus nostris natura est quidem forma, *Qua*; sed terminus generatiuus adæquatus est compositum subsistens, neque verò sola denominatione, vt constat ex Aristot. 2.*Physic.* & notat S.Bonauent. *dist.*8. *art.*2.*quæst.*4. Neque tamen negamus, naturam dici natam, vt constat ex S.Doctore *loco citato*.

MASTRIVS *num.* 140. respondet, dari aliquas 22
formas, quæ sunt subiectum inhæsionis, neque tamen denominant; sic albedo est subiectum similitudinis, neque tamen dicitur similis alteri albedini, sed hoc conuenit albo puta olori. Homo dicitur intelligere, etsi anima intelligat, vt habetur 3. *de anima*: Christus dicitur crucifigi, & si sola humanitas crucifigatur, non Verbum.

HÆC nituntur falso fundamento exploso *p. p. tract.*1. *disp.*5. *quæst.* 3. scilicet suppositum dicere meram negationem, ideò non posse esse subiectum inhæsionis.

VIDEAMVS, quam falsa sit hæc doctrina: Cer- 23
tum est, albedinem quoque esse similem alteri, Quis ignorat? attamen suppositum est subiectum vltimũ, *vt quod*, ideò denominat: Et sic de reliquis. Quod si suppositum in re nostrâ est subiectum tantùm denominationis, non inhæsionis realis relationis, quod ponunt Scotistæ; & subiectum reale inhæsionis est natura; sequitur, quod amoto hoc supposito, & alio apposito, puta Angeli, adhuc ille Angelus esset Filius Virginis; at certè B. Virgo illum Angelum non genuisset: Præter hæc, si vnio hypostatica facta esset post conceptionem, adhuc B.Virgo, facta vnione, posset terminare relationem realem Filij Dei, tanquam Mater, quia extat totum fundamentum reale cum relatione reali: Hoc autem est contra Concilia, impugnantia Nestorium; eo enim salvant, B. Virginem esse Dei

Matrem,

Matrem, quia actiu productiua Virginis, non fuit terminata ad purum hominem, ſed ad hominem Deum.

24 RESPONDET Maſtrius *num.*150. nos hac difficultate pariter premi, ſi vnio hypoſtatica fieret in aliquo ſuppoſito creato, & natura illa dimitteretur, vel ab alio aſſumeretur; in hoc enim caſu relatio filiationis inſurgeret, quia tale ſuppoſitum eſſet illius capax. Concedit verò, ſi natura humana Chriſti relinqueretur à Verbo, fore illum Filium Virginis, quia perſonalitas propria reſultaret ex vi primæ actiuuis: Sed hoc non vrgeo.

AT nos expedimur; tunc enim non eſſet illud nouum ſuppoſitum filius, quia non eſſet is, qui genitus eſt, etiamſi natura illa diceretur producta.

25 DEBET igitur ipſe reſpondere in caſu, quo humanitas Chriſti relinqueretur à Verbo, & ſuppoſitaretur illicò ab Angelo, antequam reſultaret propria perſonalitas, quod Scotiſtæ fatentur, poſſe fieri, vt diſſerit Ferchius *Tract. de Angelis*, & ipſe Maſtrius.

TVNC profectò ille Angelus eſſet Filius B.Virginis, quia manet adæquatum fundamentum, quod eſt natura humana, à Virgine concepta.

RESPONDET igitur, illum non fore Filium Virginis, ſimiliter nec ſi poſt conceptionem Verbum aſſumpſiſſet illam naturam, quia illa ſubſiſtentia non habet vllam connexionem cum generatione, quia non terminauit illam naturam in primo generationis inſtanti.

26 CONTRA diſcurro ſic: Id, quod eſt ſimplex negatio, nil facit per te ad conſtitutionem poſitiui realis; ſed ſuppoſitum per te eſt mera negatio: Ergo nil facit ad conſtitutionem filiationis, quæ eſt realis poſitiua.

VRGEO, nam ideò negas, ſuppoſitum eſſe ſubiectum inhæſionis, ſed dicis, eſſe meræ denominationis, quia eſt mera negatio. Ego ſanè non video quid ſolidi reſpondere queat. His enim eliditur etiam, quod reſpondet *num.* 153. cum Amico *diſp* 29. *ſect.* 3.

27 PROBATVR ſecundò à D.Bonauentura aſſertio. Multiplicato termino, & non multiplicato ſubiecto, relatio non multiplicatur: Ergo relatio ſequitur ſubiectum, non terminum. Antecedens probatur, quia ſi ad multiplicationem terminorum ſequeretur multiplicatio relationum, ſequeretur in vno filio eſſe duas relationes; alteram ad patrem; alteram ad matrem, cùm tamen vnica ſit, ſicuti vna eſt natiuitas. Similiter eſſent plures paternitates ad plures filios.

28 CONCEDIT Faber, fore plures relationes in eodem Filio; alteram ad Patrem; alteram ad Matrem, etiamſi vna ſit natiuitas, nam vna cauſa poteſt plures cauſare relationes, in eodem fundamento: Sic augmentatio vnica ad quantitatem palmarem fundat relationem æqualitatis ad omnes alias palmares; & inæqualitatis ad eas, quæ non ſunt palmares.

AUDIT Maſtrius *num.*153. multiplicari relationes ad multiplicationem terminorum ex dictis *diſput.*8. *Log. quæſt.*6. *art.*2. & in caſu noſtro eſſe duas relationes, quia diuerſo modo agit Pater à matre, ideò mortuo Patre adhuc filius refertur ad matrem. Ita ſe expedit etiam Vulpes, vrgens D.Thomam, ponentem Patris cauſalitatem actiuam, ſed matris paſſiuam.

29 AT Fabri reſponſio exilit extra chorum. Omitto, quod etiam aliæ multæ relationes, quæ primò fundantur in natura, multiplicantur hoc pacto: ſic etiam ſimilitudo; at relationes, quæ reſpiciunt ſuppoſitum, non ſunt tales. Deinde non eſt ad rem afferre relationes, quæ per accidens conſequuntur, puta æqualitatis ad omnes quantitates palmares: Filiatio enim ex vi fundamenti ad parentes refertur per ſe. Quod verò addit Maſtrius, falſum eſt: ſi enim natura eſt ſubiectum inhæſionis relationis filiationis; ſequitur, quod ſi vna eſt natura producta, vna conſurgat relatio. Alterum agetur argumento ſequenti.

30 PROBATVR tertiò à D.Bonauent. *fundamento* 3. *& ad* 2. Quandocumque correlatiuum vnum non multiplicatur formaliter, & eſſentialiter, ſed materialiter tantùm, & accidentaliter, tunc non multiplicantur relationes; Sed relatio filiationis ad matrem in Chriſto eſt huiuſmodi: Ergo. Maior probatur, & explicatur. Relatiuum formaliter, & eſſentialiter eſt, quod multiplicatur ſecundùm totum id, quod ad relationem requiritur. Itaque ſic pendet à correlatiuo, vt eo deſtructo amittat relationem, vt cum Pater habet vnicum filium, mortuo filio, perditur relatio: Accidentale autem correlatiuum eſt, quod non multiplicatur ſecundùm omnia, ita vt deſtructo correlatiuo vno, adhuc maneat relatio, vt cùm vnus Pater habet plures filios, vel Magiſter plures diſcipulos; quamvis enim vnus filius, vel diſcipulus pereat, adhuc tamen durat paternitas, & magiſterium ad alios, vel ſaltem ad vnum ſuperſtitem; Alioqui vnus Pater erit plures patres.

31 RESPONDET Fauentinus *num.*49. Multiplicata cauſa, & fundamento proximo, ac termino, multiplicari relationem: Iam verò generatio actiua eſt cauſa; fundamentum eſt natura, terminus eſt filius, vel diſcipulus, & ideò multiplicatis his, multiplicantur etiam relationes paternitatis, etiamſi ſit vnum ſuppoſitum. Quod ſi ſuppoſitum eſt incapax plurium relationum, eſſet incapax etiam plurium cauſarum, ad quas neceſſariò ſequuntur tales relationes reales. Neque ſequitur, eſſe plures Patres, nam ad multiplicationem formarum non multiplicatur concretum, ſed requiritur multiplicatio ſuppoſiti, quæ quia hic non adeſt, non adeſt conſequentia.

32 AT ſuprà oſtenſum eſt, non multiplicari omnia, quæ ſunt neceſſaria ad multiplicationem realem relationum, inter quæ eſt etiam ſuppoſitum; multiplicatio ſanè relationum, puta paternitatum, dicit multiplicationem formarum: quæ multiplicare debent etiam concreta, vt ſi plures qualitates, puta albedinis, caloris, ſaporis, odoris multiplicentur in eodem ſubiecto, puta lacte, multiplicatur & concretum, quod neceſſariò reſultat, tanquam ex cauſa ſufficienti, ex ſubiecto, & accidente non minus, quàm relatio, & ita aliud erit concretum lactis dulce, aliud album calidum, aliud odoroſum. Igitur multiplicatis relationibus, maximè verò diuerſæ rationis, quales aſſerunt Scotiſtæ, eſſe relationes filiationis ad Patrem æternum, & matrem; erunt plures filij. Similiter, & paternitates ad diuerſos filios, vnum pulchrum, alium deformem.

33 PROBATVR quartò à D. Bonauentura: Si Chriſtus fuiſſet, vt latrabat Neſtorius, duæ perſonæ, & natus fuiſſet de B. Virgine, fuiſſent duo filij, & duæ filiationes, ſicuti gemellorum, & facta fuiſſet confuſio in proprietatibus perſonalibus, vt ait D. Anſelmus *de Incarnat. cap.*4. ſed ſimilis confuſio ſequitur nunc, vt vnus Filius ſint duo filij, vt ſuprà oſtendi: Ergo.

RESPONDET Mastrius *num.* 154. id non sequi: Sed ex dictis liquide constat, sequi.

34 PROBATVR quintò à D. Bonauent. Duæ formæ eiusdem speciei non possunt esse in eodem subiecto simul; at filiatio æterna, & temporalis sunt duæ formæ eiusdem speciei: Ergo. Maior probatur: duæ formæ accidentales eiusdem speciei non possunt distingui, nisi ratione subiecti; sic enim duæ albedines debent habere duo subiecta, vt faciant duo alba; accidentia enim numero distinguuntur solùm propter diuersitatem subiectorum: Filiatio autem est accidens. Hoc dicit Caietanus esse principale fundamentum huius opinionis, quod adhibet etiam Henricus, & alij contra opinionem Scotistarum.

35 RESPONDET Faber *num.* 57. Mastrius *num.* 154. negando maiorem, & minorem. Maiorem latè impugnat, vt infrà videbis: Minorem verò, quia secundùm nos filiatio dicitur analogicè de creata, & increata. Ad probationem respondet, negando indiuiduationem accidentium esse à subiecto, vt patet de actibus numero distinctis in eodem subiecto voluntatis. Ratio est, quia quod dat esse, dat etiam distinctionem à quovis alio; relationes igitur cùm habeant esse indiuiduum ab indiuiduatione causæ proximæ fundamenti, & termini, & hæc varientur, saltem causa, quæ est proxima ratio fundamentalis, & terminus; variatur etiam relatio numero in eodem subiecto, vt dictum est.

36 CONTRA tamen D. Bonau. arguit, & post eum Caietanus *p. p. quæst.* 29. *art.* 5. si accidentia seipsis essent indiuiduata, iam duæ albedines in eodem subiecto manerent cum sua distinctione, quod enim est prius, non pendet à posteriori, vt sæpè conclamant Scotistæ: Essentia accidentis est ante inhæsionem: Ergo.

QVÒD verò ait Faber de actibus, seu actionibus, non est ad rem; vt notat S. Doctor *ad* 5. nam actiones numerantur ex parte mensuræ, & ex parte principij; & non è solo subiecto; actio enim magis dicit esse *à quo*, quam *in quo*, vt ostendi *p. p. tract.* 5. *disp.* 17. *quæst.* 9.

37 RESPONDET Scotus *loco cit.* & Faber *num.* 104. non inde euenire, quia illud subiectum non sit capax illarum duarum albedinum, numero distinctarum; sed inde euenire, quia agens intendit formam præcedentem imperfectam, reddere perfectam; vnde non inducit nouam formam, sed realitatem, quæ est pars cum realitate præexistente, & vnit eam realitati præexistenti, vt partem parti.

38 CONTRA tamen primò: Quæ plura sunt priùs, non vnificantur per posterius per vos; at albedines illæ sunt plures, antequam intelligantur in subiecto; sunt enim indiuiduatæ à suis principiis: Ergo non possunt in subiecto fieri vna. Totum argumentum est Fabri *numero* 58. Hoc argumentum probat ex principiis intrinsecis albedinum.

QVÒD verò neque ab agente id veniat, probatur, quia si ea est causa, quam affert Fauentinus; Quandocumque vna albedo non est pars perficiens alteram, manebunt distinctæ, & ita duæ albedines, quarum prima sit vt 4. secunda vt 2. manebunt distinctæ, non enim qualitas, vt duo, est pars perficiens qualitatem, vt quatuor.

39 PRÆTEREA, si ea ratio est vera, sequeretur duo lumina, alterum vt duo; alterum superueniens vt sex debere misceri, quia alterum perficit alterum; hoc autem negat Faber *num.* 28.

MINOR verò, supra negata, est vera, quia in ratione filiationis habent eandem speciem respectus, & ita sunt eiusdem speciei.

OBIICIT verò Scotus ad probandum, plures formas eiusdem speciei posse esse in eodem subiecto. In omni ordine essentialiter cum vnitate prioris essentialiter potest stare pluralitas posterioris naturaliter, si illud posterius non inhæreat per se, neque adæquatè illi priori; at subiectum est prius essentialiter quacumque forma consequente ipsum, ac illi inhærente per accidens, & inadæquatè: Ergo cum vnitate subiecti potest stare pluralitas formarum per accidens inadæquatè inhærentium. Maior probatur, nam vnica causa potest producere plures effectus, vt vnus Pater multos filios. 40

RESPONDET D. Bonauentura, negando maiorem. Ad probationem respondet *ad* 1. negando paritatem; nam, vt dixit suprà, causa se habet vt agens, neque recipit effectus inhæsiuè; at formæ istæ recipiuntur, & inhærent subiecto, ideò non possunt recipi in eodem subiecto. Neque satis sefellitur responsio à Fabro, & Scoto; non enim est inter hæc diuersitas inhærendi per se, & adæquatè, vel per accidens, & inadæquatè; sed inter inhærere simpliciter, & non inhærere: effectus enim non inhæret causæ; at forma illa inhæret. 41

RESPONDEAT secundò, negando minorem cum Fabro *num.* 58. nam, licèt materialiter subiectum sit priùs; attamen accidens priùs intelligitur indiuiduum, & hoc antequam sit in subiecto, vt ait Fauentinus *num.* 58.

OBIICIVNT secundò: Si accidentia indiuiduarentur à subiecto, sequeretur in eodem subiecto non posse esse plura accidentia, etiam genere distincta, quia vnumquodque accidens requireret suum subiectum, numero distinctum. 42

RESPONDEAT negando sequelam, non enim subiectum indiuiduat, ita vt det esse etiam eiusdem speciei, sed dat, vt si nil aliud desit, sed sola indiuiduatio, faciat esse hoc numero. Itaque, si sint eiusdem speciei, indiuiduantur in subiecto, & fiunt vnum; at verò, si sint diuersi generis, remanebunt, hoc quidem huius generis; & illud alterius generis.

OBIICERE tertiò, multas species numero diuersas esse in eadem phantasia.

RESPONDETVR primò, non probari à Scoto esse in eadem particula organi, neque esse eiusdem speciei; nam duæ species Petri, & Pauli magis differunt, quàm duæ species Pauli, quæ differunt numero, neque esse perfectiones totales. Vide Caietanum. 43

PROBATVR sextò, multiplicato subiecto, & termino, non multiplicatur relatio ex Scoto apud Fabrum *in* 4. *dispu.* 1. *cap.* 2. *num.* 54. Ergo, etiamsi Christus esset plures personæ secundùm vos, non multiplicarentur relationes filiationis, multò ergo minus, cùm sit vna persona: Absurdum verò magnum, quod sequitus in dictis Scoti, clarum est. Scotus verò, & asseclæ hinc in nos insurgunt acerrimè.

PRIMÒ, quidem arguunt contra illud primum fundamentum D. Bonauenturæ: Quod non possint relationes filiationis in eodem supposito multiplicari, vel hoc venit ex filiatione, quatenus relatio est, vel vt talis relatio est. Non primum, quia sequeretur in eodem supposito non posse esse plures relationes, & ita Christus, si fuisset tricubitus, & albus, non fuisset similis alij albo, vel æqualis alij tricubito, quia similitudo est relatio; similites æqualitas: Si autem ex natura filiationis oritur, vt filiatio 44

tio est, vt nequeat multiplicari in eodem subiecto. Contra: non minus repugnat multiplicari in eodem subiecto relationem, quàm fundamentum; at fundamentum est generatio Christi, quæ est duplex, altera a Patre, altera à matre: Ergo.

45 Omnia argumenta Scotus è D.Bonau.sumpsit: Hoc est enim primum S. Doctoris, cui respondet, id repugnare filiationi, vt est talis relatio actionis, actio autem omnino non solùm numerationem recipit ex parte subiecti, sed etiam ex parte mensuræ, & principij: Et quidem actio, cùm dicat exercitium potentiæ actiuæ, potius dicitur esse ab aliquo, quàm in aliquo; quamvis enim, vt accidens est, sit in subiecto, idest passo, vt probat P. Gallius *prima parte, Philos. lib.3. tract.1. quæst.* 12. & ostendi *p. p. loco citato*; attamen, vt actio, potius dicit exercitium potentiæ actiuæ ab aliquo, atque adeo numeratur maximè ex principio *à Quo*. Iam verò cùm aliud sit principium; alia mensura temporalis, & æterna, alia potest dici esse generatio, non tamen alia filiatio.

46 Respondet secundò. Etsi generatio respiciat personam; nam adæquatum illud, quod generatur, est suppositum cum natura, & primò persona; dicitur enim Petrus genitus primò, non natura eius; tamen per consequens potest respicere etiam naturam. Vnde humana natura in Christo potest dici natura, non tamen filia, quia filiatio propriè respicit personam. Et quia in Christo est pluralitas naturarum, & vnitas personæ, ideò possunt dici plures generationes, quamvis non possint dici plures filiationes, maxime quia Personæ Diuinæ nullum potest accidens aduenire, aut inhærere.

Respondet Faber, licèt Persona Diuina in se non sit capax noui accidentis, tamen ratione naturæ posse illud capere; sic enim dicitur passa, mortua, &c.

Hæ tamen nugæ sunt; nam Persona Diuina dicitur passa per communicationem idiomatum, quod nullam inhærentiam accidentis continet.

47 Obiicit secundò Scotus, (& est secunda ratio eius principalis, vt notat Faber) Si duæ relationes reales originis repugnarent eidem supposito; sequeretur, Patrem non referri realiter ad Filium, & ad Spiritum sanctum. Etenim ambæ vnico fundamento nituntur, nempe essentia Diuina? Ergo multò magis quando in eodem supposito sunt duo fundamenta diuersa.

Respondetur primò ex D. Bonauent. *in corpore*, rationem, cur relatio realis filiationis temporalis non possit esse in Christo, eam esse primam, quia in supposito Diuino non capit accidens, vt supra: Deinde non est eadem ratio de duabus relationibus diuersis omnino originariis; nam cùm ambæ se habeant per modum productionis, & hæ sint Diuinæ, sunt in eodem subiecto, quod sibi vnificat omnia Diuina.

48 Adde, secundùm Scotistas distingui ratione principij, *à quo*, idest Intellectus, & Voluntatis; at duæ relationes, creata, & increata, nequeunt vnificari in eodem supposito.

Obiicit tertiò. Relatio non magis respicit suppositum, quam operatio: sed in Christo sunt plures operationes reales: Ergo non repugnat in Christo esse plures relationes. Maior probatur, quia operationes sunt suppositorum *ex primo Metaph.* in proœmio. Minor est de fide.

49 Respondetur ex D. Bonauent. *ad* 1. negando maiorem, quia filiatio respicit naturam mediante supposito, & primùm quidem suppositum; at operatio respicit suppositum mediante natura: ex quibus responsionibus sequitur, quod si secundùm naturam humanam generasset, non fuisset relatus realiter ad filium, vel filios, quia etiam paternitas immediate inest personæ, sicuti & filiatio.

Obiicit quartò. Christus, in quantum homo, est filius vere & realiter B.Virginis: Ergo per aliquam filiationem realem; sed hæc non est æterna: Ergo temporalis. Confirmatur a Mastrio *num.* 140. Erat enim similis matri, æqualis, &c. realiter.

50 Respondet S. Doctor *ad* 3. Christum esse filium per filiationem, prout dicit emanationem realem secundùm naturam, quam accepit à Virgine; quoad relationem verò filiationis, ea requirit suppositum distinctum, & capax accidentis; at cùm hæ duæ emanationes ita sint subordinatæ, vt vna, idest temporalis, supponat æternam; & æterna compleuerit capacitatem suppositi, quod non potest esse bis filius, neque accidentalem capere relationem, sequitur non referri realiter ad matrem.

51 Obiicit quintò. Correlatiua sunt simul natura, & ita multiplicato vno relatiuo, multiplicatur & alterum ex Aristotele *in post prædicam. cap. de oppositis, & 3. Metaph. text. 45. & 20.* sed Christus secundùm generationem æternam est Filius Patris: Secundùm temporalem est Filius Matris: Ergo ratione vtriusque refertur realiter.

Respondet D. Bonauent. *ad* 2. quem sequitur Caietanus, quod relatio realis non multiplicatur naturaliter ex termino, sed ex subiecto; ex causa enim sumitur multiplicatio formalis, & vnitas formalis, & specifica: Sed ex subiecto sumitur multiplicatio numeralis, & vnitas naturalis. Sic igitur vna relatio inadæquata respicit multos terminos, & ideò eadem relatio numero potest habere multas correlationes, vt vna paternitas multas filiationes: Itaque respicit principaliter quidem 52 hunc primum filium, non tamen adæquatè. Vnde quod infert Scotus; sequeretur scilicet, vt eadem paternitas simul esset, & non esset, est inane; nam relatio ad plures filios principaliter respiciens primum filium, accidentaliter respicit plures, & materialiter, atque adeo pluribus filiis aduenientibus non multiplicantur paternitates, sicuti non multiplicantur Patres, quia correlatiua multiplicantur solùm ad multiplicationem termini formalis, à quo pendet correlatiuum essentialiter; sed si vnum correlatiuum multiplicatur multiplicatione accidentali, seu materiali, non multiplicatur; sicut quando vnus homo generat plures filios, & vnus Magister docet plures discipulos; tunc enim relatio, quæ est in ipso, non dependet ab vnoquoque eorum, nisi dependentia accidentali; & desinente vno, saluatur relatio in altero. Vnde quando quis generat, post primum filium, alium, non nascitur in eo noua paternitas, sed primæ paternitati innascitur nouus respectus, quia pater est plurium, quàm antea esset: sic intelligendum in proposito. Vnde Christus in generatione temporali non acquirit nouam filiationem, sed incipit esse filius alterius, idest, Mariæ Virginis.

53 Contra instat Fauentinus. Hac noua filiatione Christus refertur ad Virginem noua relatione, vel nouo respectu relationis, & ita noua filiatione.

Respondet S. Doctor, non esse nouum respectum relationis realem filiationis, neque nouam relationem realem, cuius Christus est incapax; sed relatio tantùm rationis est.

Vrget, nam multiplicato fundamento, multiplicatur

plicatur relatio: Sed in Christo sunt duæ generationes, æterna, & temporalis, quæ sunt fundamenta filiationis: Ergo. Hanc clamat Vulpes demonstrationem. Id confirmat, quia generatio æterna, & temporalis habent principia adæquata diuersa, sic & filiatio terminat ad adæquatè diuersos.

54 RESPONDET S. Bonauent. *ad* 3. & 4. requiri fundamentum in subiecto apto, quod est hypostasis noua, vt suprà ostensum est. Deinde filiatio æterna refert substantialiter adæquatè ad Patrem; at non capit accidentalem respectum ad matrem.

ADHVC opponit Faber *num.* 39. Validissimam rationem Scoti. Non magis filiatio est propria suppositi, nec magis respicit ipsum, quam generatio passiua: Sed in eodem supposito, scilicet Christo, potest esse duplex generatio, & de facto est propter duas naturas actualiter existentes in Christo: Ergo. Id vrgent omnes ferè Scotiſt.

HOC est argumentum iam solutum à D. Bonau. suprà, vbi ostendi diuersitatem inter generationem, & filiationem; nam generatio respicit suppositum ratione naturæ: Filiatio verò è contra. Præterea generatio dicit potius exercitium potentiæ actiuæ, quæ à principio numeratur: At Filiatio à subiecto. His adiice communicationem Idiomatum, suprà relatam.

55 VRGET adhuc: Illa relatio est realis, quæ consequitur extrema realia: talis est hæc: Ergo.

RESPONDETVR ex dictis cum D. Bonauentura, id verum esse, vbi suppositum est capax.

INSTAT Faber; oportere, vt respondeamus argumento, quod cogit, & non stemus in adducendo inconuenienti; nam millies confutatum est, repugnare supposito filiationem hanc.

RESPONDETVR modestè, non adduci solum inconueniens, sed solui argumentum, nam accidens non producitur, nec resultat nisi in subiecto apto: iam verò suprà ostendi, suppositum Christi non esse capax nouæ filiationis, quia vna persona potest esse semel filius, & talis est Christus, & hoc magis consonat Patribus, & Conciliis, statuentibus vnitatem personæ in Christo, vt benè vidit Gregorius de Valentia, quod gratis negat Mastrius *num.* 115.

56 VRGET tandem Scripturas, Patres, & Concilia, quæ asserunt, Christum verè Filium hominis. Si igitur filiatio Christi ad Mariam est rationis, sequitur, quòd etiam sit eius filius solùm ratione.

RESPONDET S. Bonauent. *ad tertium*, veritatem generationis saluari in vera humana natura genita in supposito subsistente Diuino; sic enim ille homo, cùm sit genitus à Virgine, est eius filius realis; relatio verò, cùm sit accidens consequens filium, non est de intrinseco filij; relatio enim resultat ex filio iam existente. Vnde mirum est, Fabrum velle frænum caudæ imponere, non potiùs capiti.

57 OBIICIVNT alij primò. Omnis relatio denominat suum suppositum: Sic dicitur suppositum, seu persona similis, & æqualis: Ergo etiam filius.

RESPONDETVR ex dictis, relationem denominare suppositum, quando est capax; at suppositum Diuinum non est capax relationis accidentalis. Deinde sunt aliquæ relationes ita personales, vt oriantur ex substantiæ, & naturæ productione subsistentis; hæ autem non multiplicantur, nisi multiplicentur naturæ in alio, & alio supposito; talis est filiatio, vt notat D. Bonauentura.

58 OBIICIVNT secundò: Hæc relatio filiationis est causati ad causam; hæc autem est realis.

RESPONDETVR ex dictis cum D. Bonau. *ad* 1. esse causati ad causam in genere filiationis, cuius est incapax suppositum.

OBIICIVNT tertiò. Causalitas matris non est circa subsistentiam, sed circa naturam.

RESPONDETVR, terminum productum esse Filium hominis, subsistentem in Persona Diuina, quæ est incapax relationis accidentalis.

ALTERA alia opponit Mastrius à *num.* 141. In 59 Christo inueniuntur omnia requisita, vt sit realis filius filiatione distincta à filiatione æterna: Ergo.

PROBATVR assumptum, quia Christus, vt homo, habet naturam humanam vera generatione à matre acceptam. Vnde & aduerti duas admittunt generationes cum Damasceno *lib.* 3. *de fide*, *cap.* 12. Ergo iam inuenitur fundamentum remotum, cui inhæreat talis filiationis relatio, scilicet ipsa Christi humanitas. Inuenitur etiam fundamentum proximum, nempè natiuitas de B. Virgine.

CONFIRMATVR; quia filiatio nihil est aliud, quam generatio passiua: Ergo si in Christo sunt duæ generationes passiuæ reales, erunt duæ relationes filiationis reales. Probatur assumptum, quia in Verbo non est alia relatio filiationis à generatione passiua, sicut nec in Patre est alia relatio Paternitatis à productione actiua, nec explicari potest in quo tale discrimen consistat, nisi forte quia generatio passiua concipitur per modum transeuntis: Filiatio verò per modum permanentis.

RESPONDETVR, ad resultantiam relationis, 60 non sufficere fundamentum, & terminum eum ratione fundandi, sed requiri subiectum aptum, & quia suppositum est subiectum, & alia filiatione relatum, neque aliam filiationem capit, quia vnus Filius non potest esse plures filij. Ideò nil mirum, si in subiecto hoc incapaci non resultat relatio.

CONTRA arguit Mastrius: Si Petrus filius Pauli posset de nouo nasci, & ab alio Patre generari, non posset ostendi, cur præcedens filiatio impediret nouam.

RESPONDETVR, tunc impeditum fore suppositum ex prima filiatione ob rationem sæpius allatam.

OBIICIT secundò: Non requiritur, vt relatio 61 filiationis recipiatur immediatè in supposito, sed in natura: Ergo incapacitas suppositi in Christo non impedit.

RESPONDETVR, negando assumptum: debet enim recipi in supposito, quod incapax est accidentis, maximè nouæ filiationis; esto enim, per communicationem idiomatum recipiat aliquas denominationes, vt mortui, passi; &c. tamen filiatio est accidens, quod denominat realiter subiectum, quod debet esse suppositum productum.

OBIICIT tertiò cum Scoto: Si Pater incarnatus fuisset, iam esset Filius Virginis ad eam realiter relatus, ex D. Fulgentio *lib. de fide ad Petrum*, *cap.* 2. Ergo in supposito Diuino esset relatio filiationis creatæ.

RESPONDENT aliqui, quod dispar est ratio, 62 quia tunc Pater non haberet aliam relationem filiationis, à qua denominaretur filius: & in eo casu non diceretur Filius Virginis per aliquam relationem realem in eo existentem, sed per relationem realem maternitatis ad eam terminatam.

INSTAT, quia, sic esset denominatio filij extrinseca, & impropria, quia sicuti nequit mater denominari à relatione filij ad se, ita neque filius per suam maternitatem. Præterea filiatio æterna non est 63 talis

talis, vt per eam possit referri ad matrem, cùm sit extra rationes omnes creatas.

RESPONDETVR ergo secundò, tunc Patrem futurum Filium Virginis per communicationem idiomatum, vt vult D. Fulgentius: Sed hoc non est quod quærimus: dicitur enim etiam Filius Dei Filius Mariæ per communicationem idiomatum, eò quòd B. Virgo genuit illam personam, sed in natura humana, non autem formaliter personam; sed sicuti nunc Filius Dei, quis est supra creaturas, non patitur accidens reale relationis consequentis filiationem, de qua est quæstio; ita neque Pater reali accidente in se inhærente refertur.

64 ITAQVE sicuti Filius Dei est Filius Virginis, quatenus terminata est conceptio ad naturam eo instanti assumptam à Filio Dei; Ita & tunc: Sed quæstio nostra non est hæc; sed, an Filius relatione accidentali reali referatur ad Matrem sanctissimam; vt autem resultet hæc relatio, debet immediatè inhærere in Filio Dei, qui est incapax accidentis, & hoc est primum fundamentum incapacitatis illius relationis, quam includunt Scotistæ.

65 ALTERA verò ratio, sumpta ex eo, quod vnius suppositi vna est filiatio, vrgeret, etiamsi Filius Dei esset suppositum creatum. Itaque sufficit mihi in hoc casu vnum impedimentum apponere, ne resultet hæc relatio, quæ in supposito inhæret, quippe quod est id, quod genitum est, tanquam terminus adæquatus productionis, atque adeò subiectum relationis prædicamentalis disquiparantiæ.

PRIMA igitur radix incapacitatis huius relationis est Verbum, qui Persona est Diuina, transcendens, aliena à creatis, maximè accidentibus; filiationis enim relatio esse debet in supposito inhæsiuè, vt denominet, quod non est simile in aliis accidentibus, puta sapientia, &c. Dicitur anima sapiens, non filia.

66 ADDITVR secundum impedimentum, quia vnum suppositum, quodcumque foret, non esset capax duplicis filiationis.

QVÆSTIO IV.

An Diuina natura sit de Virgine nata.

D.Bonau. dist 8 quæst 1.
D.Thom. 3. eadem dist. quæst.2.

67 HOc ad modum dicendi spectat potius, quàm ad rem.

ASSERO, naturam Diuinam non posse dici de Virgine natam.

RATIO D. Bonauenturæ est: nam, quæ dicuntur in abstracto, conueniunt formaliter, non per solam communicationem idiomatum. Igitur si natura Diuina esset nata de Virgine, iam esset formaliter genita à Virgine, quod est absonum; sic enim esset creatura, esset conformis humanæ naturæ
68 & filia B. Virginis. Vide D. Bonauent. vbi omnia facilia sunt.

QVÆSTIO V.

An de VIRGINE *nasci, verè dicatur de natura assumpta.*

D.Bonau.dist 8.q.2.
D.Thom.dist.8.q.3.

ASSERENDVM, naturam assumptam verè dici de Virgine nasci.

PROBATVR, quia ea est producta à B. Virgine, 69
non autem suppositum Diuinum.

ET quidem si accipiatur natura pro composito, hæc concepta, & nata est de Virgine ratione corporis, concepti in vtero: Si verò natura humana dicatur forma communis, consequens totum compositum, sic concedi potest, quod adhuc fuit nata in Christo, non ratione sui, sed ratione compositi, in quo habet existere. Vide D. Bonauenturam. 70

QVÆSTIO VI.

An B. VIRGO *peperit absque dolore, & aliis puerperij incommodis.*

SVPPONO cum Ecclesia, Filium exiisse è via 71
naturali partus è sacratissimo vtero intemeratæ Virginis.

PROBATVR à D. Bonauent. ad 2. Lucæ: *Peperit filium Primogenitum.* Vbi obseruat S. Doctor, ita propriè Virginem sanctissimam peperisse, sicut concepit; at concepit in vtero: ergo. Idem probat *ibi*, ex 7. Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.*

ASSERO primò, Virginem sanctissimam sine dolore peperisse.

PROBATVR à D. Bonauent. *loco cit.* ex illo 72
Isaiæ 66. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum.* Vbi Septuaginta Interpretes: *Antequam veniat dolor parturientium, effudit, & peperit masculum.* Hoc testimonio id probat Nazianzenus *in Tragœdia de Christo patiente*, circa principium Nyssenus *oratione prima, de Resurrectione*, Damascenus *lib. 4. de fide, cap. 15.*

PROBATVR à D. Bonauent. Lucæ 1. *Concipies, & paries, &c.* & Lucæ 2. *Peperit, &c.* ratione Damasceni *loco cit.* sicuti B. Virgo sine pudenda voluptate concepit, debuit etiam sine dolore partum emittere: Eandem rationem habet *in ligno vitæ, §. Christus natus.* Aliam rationem 2. *Lucæ*, addit, quia sic Christum decuit.

VTRAMQVE verò rationem refert *in meditationibus vitæ Christi, cap. 7.* vbi etiam aliam adiungit, quæ est propriè philosophica, vt ait Suarez *disput. 13. sect. 5.* nam dolor, & molestia partus venit ex diuisione, vel relaxatione partium; at sacrum Virginis claustrum sine læsione emisit Diuinum fœtum. 73

ASSERO secundò, B. Virginem in partu non 74
emisisse secundinas: Sic in Concilio Trulliano *can. 79.* asseritur: *Absque secundinis ex Virgine partum esse confitentes, &c.* Fuere autem illi canones editi à 220. & amplius Patribus, & videntur approbati in septima Synodo *act. 1.* vt notauit Surius, qui etiam aduertit, eandem Synodum, & Florentinam,

tinam, & Adrianum, & alios summos Pontifices horum canonum authoritate vsos. Quamvis autem aliquorum Græcorum temeritate aliqui sint deprauati; de hoc tamen canone nullus dubitat.

Svnt aliqui codices, qui non legunt: *Absque secundinis*, sed *absque dolore*; at profectò ibi reprehendunt aliquos, qui in honorem secundinarum B. Virginis aliqua obseruabant.

75 Assero tertiò, Virginis partum fuisse absque vllis incommodis, &c. Ita PP. in sexta Synodo *act.* 11. Sophronius *in sua epistola ibi*, Epiphanius *lib.* 3. *contra hæreses*, Nazianzenus *in Tragœdia Christi patientis, col.* 10. & 11. Cyprianus *serm. de Natiuitate Christi*, Augustinus *lib.* 29. *contra Faustum, cap.* 3. & 4. & *lib. de quinque hæres. cap.* 5. D. Thom. *quæst.* 35. *art.* 3. *ad* 3. D. Bonau. *in ligno vitæ, loco cit.* vbi id innuit.

QVÆSTIO VII.

Quo in loco CHRISTVS *natus sit.*

Assero in Bethlehem Iudæ natum fuisse Saluatorem nostrum, Christum.

76 Est autem è Scripturis probatum *Matth.* 2. *Lucæ* 2. *Ioan.* 7. *Michææ* 5. vt notat D. Bonauent. ad ea loca Lucæ, & Ioannis. Erat autem à Hierusalem distans quinque, vel sex milliaria, vt ait S. Doctor *in medit. cap.* 7. id autem diait, quia D. Hieronymus *de locis Hebraicis*, vult, distare sex milliaria: at Iustinus *Apolog.* 2. vult distare 35. stadiis, est autem stadium octaua pars milliarij, vt ait S. Bonauent. *ad* 24. *Lucæ*. Itaque secundùm Iustinum distaret ferè quinque milliaria. Igitur *Matth.* 2. Herodes consulit Legis sacræ Doctores, vbi Christus nasceretur, qui responderunt: *In Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minimus es in Principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.*

77 Enim verò apparens est contradictio; nam, vt refert ibi S. Bonauent. Michæas *cap.* 5. vbi ait: *Tu* BETLEHEM *Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.*

Respondetvr, sensum esse, Bethlehem fuisse quidem oppidulum, sic enim *Ioan.* 7. dicitur Castellum, vt ibi aduertit S. Bonau. exponens illum Michææ locum; quod verò voluerit docere magnum fœtum nobilitate, patet ex sequentibus: *Ex te mihi egredietur dominator in Israel.* Igitur ideò Matthæus magnum Bethlehem acclamat ex prophetæ sententia (nam exiguitas loci non faciebat ei ad rem.) Hoc video obseruatum à D. Bonau.

78 *Lucæ* 2. vbi recitatis vltimis verbis Michææ: *Ex te exiet, & egressus eius à diebus æternitatis*, addit, ideò scribas dixisse Herodi, 2. Matth. *Tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es, &c.* Hoc eodem modo exponit Suarez. Et licèt Matthæus addat particulam, *enim*, quæ non est in propheta expressa, tamen inclusa inibi videtur, & sensus est: *Bethlehem Ephrata paruulus quidem es; sed egredietur Dux, &c.* quasi dicat, sed nobilitate magnus eris. In hoc loco explanando laborarunt D. Hieronymus, Iansenius, *cap.* 9. *Concordiæ*, Ribera *Michææ* 5.

79 Porro dicitur natus in diuersorio, quod fuit receptaculum quoddam extra muros Bethlehem coopertum, quò diuertebant plures viatores tempore pluuiæ: Sic enim ideo dicitur diuersorium, vt ait D. Isidorus *lib.* 15. *Ethymol. cap.* 3. vel quia diuersa habet orificia, vt ait Beda relatus à D. Bonauent. *ad eum locum.* Ita sentit S. Doctor *ibi*, & *in meditationibus vitæ Christi, cap.* 7. Idem iudicat D. Hieronymus *epist.* 27. Origenes *primo contra Celsum*, satis post medium, Eusebius *lib.* 7. *de Demonstratione, cap.* 3. *demonstr.* 4. & Niceph*or. lib.* 1. *Inst. cap.* 13.

Affert S. Bonauent. *locis citatis*, coniecturam, quia cùm maxima multitudo eò confluerет ad obediendum Cæsari, accidere potuit, vt non haberent hospitium congruum. Ita etiam Suarez.

Ratio verò moralis, quam afferunt Sancti 80
Patres, Bernardus *serm.* 3. *de Natiuitate*, Petrus Chrysologus *serm.* 175. Gregorius *homil.* 8. *in Euangelia*, & alij cum S. Bonau. *ad* 2. *Lucæ*, & Suarez *disput.* 12. *sect.* 3. est, vt damnaret delicias, de quibus Amos 6. *Væ vobis, qui dormitis in lectis eburneis.* Vt mundi pompas reprobaret, de quibus Isaiæ 5. *Væ qui coniungitis domum ad domum.* Et vt mirabile exemplum ipse exhiberet, vt dixit Lucæ 9. *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet*, & *Vt nos sua inopia ditaret*, vt dicitur 2. *Cor.* 8. Vide Seraphicum *loco cit.* latè hæc prosequentem, vbi 81
etiam multa præclara motiua refert, ob quæ Mater in Præsepio eum inter dua bruta reclinauit, eruta è SS. Chrysostomo *homil.* 1. *in Lucam*, Nysseno *oratione de sancta Christi natiuitate*, Nazianzeno *de Christi natiuitate*, Cyrillo Hierosol. *catech.* 12. Augustino *oratione contra Iudæos, & Paganos, c.* 13. Hieronymo *epistola* 27. Paulino *epistola* 10. Bernardo *serm.* 3. *de Natiuitate*, quos fere omnes recenset Suarez *loco citato.*

Primò quidem Beatissima Virgo in fœno peperit Filium, deinde collegit vlnis, & in gremio vbera de cœlo plena porrigens. Deinde *pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio.* Vide S. Doctorem *loco cit. Meditationum.* Hoc autem colligit S. Doctor, quia 82
Euangelista primò dicit: *Peperit Filium*, deinde verò: *reclinauit, &c.*

QVÆSTIO VIII.

Quo tempore CHRISTVS *natus sit.*

Svppono, quæ dixi *disput.* 1. *quæst.* 1. de tem- 83
pore, qua facta est Incarnatio, à qua nouem menses vsque ad Natiuitatem fluxerunt: Tempus autem ordinarium grauidis censendum est, vt innuit S. Bonauent. ad ea verba Lucæ: *Impleti sunt dies, vt pareret*, ideò adiungit simile effatum *Lucæ* 1. de Ioanne: *Elisabeth impletum est tempus pariendi*, quod est ordinarium nouem mensium.

Qvod facit difficultatem, est, quia si tempus or- 84
dinarium est nouem mensium, & Christus fuit in instanti conceptus; cùm alij tempore quadraginta sex dierum formentur ad animationem, vt ait D. Augustinus *in Enchir. cap.* 86. & *lib.* 4. *de Trinitate, cap.* 5. & *lib.* 83. *qq. quæst.* 56. relatus à D. Bonauent. *ad* 7. *Sapientiæ*, nam primis sex diebus semen est quasi lac, reliquis nouem conuertitur in sanguinem, reliquis duodecim figuratur in carnem; reliquis decem & octo formatur in corpus organicum, & tunc anima circa quadragesimum quintum, vel quadragesimum sextum diem infunditur, quæ omnia in Christo facta sunt in instanti; toto verò tempore

pore reliquo ad complementum nouem mensiom corpus vegetatur, & augetur: sequitur, Christum citius quadraginta quinque diebus, quam alij solent, natum esse.

85 Responoatvr cum D.Bonau. *ad 7. Sapientia*, quem sequitur Suarez *disp.* 11. *sect.* 2. Christum fuisse conceptum in instanti, 8. Kalend. Aprilis, & natum, 8. Kalendas Ianuarij, quod est tempus nouem mensiom, & sex dierum; natiuitas enim non stat in spatio indiuisibili nouem mensiom, cùm alij & septimo, & octauo mense nascantur, & alij in decimo, vt ait Salomuo, loco cit. *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine hominis*; dicuntur autem decem menses per synecdochem, ponendu mensem decimum pro parte eius.

86 Itaqve perfectionis est vltra nonum mensem in ventre matris efformari: Sic enim perficitur magis, solidaturque corpus, vt ait D. Bonau. Igitur Christus natus est die 25. Decembris, & constat ex Festo, quod tota celebrat Ecclesia à temporibus Apostolorum, vt scribunt S. Clemens *lib.* 1. *constit. Apostolicarum, cap.* 12. Orosio *lib.* 7. *cap.* 2. Rationes verò, ob qoas eo tempore hyemali aspero voluerit nasci, vide *in Meditationibus cap.* 7. & *ad* 2. *Luca*, & *in sermonibus de Natiuitate*, vbi lacte, & melle cœlesti S. Doctor fluit.

87 Qvoao diem hebdomadæ, sexta Synod. *cap.* 8. Niceph. *lib.* 1. *hist. c.* 12. asserunt, natum die Dominico. Idem sentit Sophron. *oratione de Natali Christi*. Vnde sequitur, conceptum Feria sexta, vt patet calculanti à die 25. Martij, occurrente Feria sexta peruenitur ad 25. Decembris Dominicam.

Aooit S.Bonau. ad ea verba Lucæ: *Pastores, &c.* Christum natum nocte, quod probat illo Sap. 18. *Cùm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Do-*
88 *mine, &c.* Ita etiam Suarez, & communiter. Sic Ecclesia in nocte Missam celebrat, & ea ferè hora conceptus est, vt locus ille Sapientiæ testatur.

QVÆSTIO IX.

An Natiuitas CHRISTI *debuerit manifestari, & quibus.*

89 Asseio primò, non fuisse conueniens Natiuitatem Christi omnibus esse manifestam.

Probatvr à D.Thom. *art.* 1. quia fuisset impedita redemptio, per crucem implenda: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent*, vt dicitur 1. *Cor.* 2. Secundò, quia sic diminutum fuisset meritum fidei, per quam venerat homines iustificare. Vide D.Thomam.

Assero secundò Conoenienter fuit manifestata Christi natiuitas multis iuxta Eoangelium.

Probatvr à D.Bonao. latè *ad* 2. *Luca ad Cant. Simeonis*. Primò debuisse manifestari ex Baruch 3.
90 *Post hac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Psal. 97. *Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.* Isa. 9. *Habitantibus in regione vmbra mortis, Lux orta est eis.* Isa. 40. *Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est.* Hæc verò canit Ecclesia in Natioitate Domini: *Erat Christus Lux vera, qua illuminat omnem hominem*, debuit igitur per aliqoos, primò illuminatos, aliis manifestari.

91 Qvòu verò congruenter manifestata sit Christi natiuitas, egregiè ostendit S.Bonau: rationibus, quibus multos S. Thom. distinguit articulos. Igitur ait S.Bonau. *ad* 2. *Luca*, ad ea verba: *Et erat Anna.* Debuit natiuitas Christi habere testimonium à natura cœlesti, & supercœlesti, tanquam Rex è cœlo veniens ad salutem omnium, & sic Angeli descenderunt: *Facta est cum Angelo multitudo.* Lucæ 2. Habuit testimonium Stellæ, Matth. 2. *Vidimus Stellam eius in Oriente.*

Debvit etiam habere testimonium ab omnibus generibus personarum: A viris simplicibus, Pastoribus, Iodæis *Luca* 2. A Magis, Sapientibus, Gentili- 92
hus, *Matth.* 2. A masculis, & sic etiam à Simeone *Luca* 2. A fœminis, & sic ab Elisabetha, & Anna acclamata est Christi gloria *Luca* 1. & 2. Ab infantibus etiam, & sic *Matth.* 2. Innocentes eum manifestarunt: & pueri Lucæ 19. *Pueri in Templo clamabant.* Vide D.Bonauenturam, & D.Thomam.

Miracvla, quæ in Natiuitate, & Conceptione Christi occurrerunt in persona ipsius Christi, & B.Virginis, vide in D.Bonau. *lib.* 4. *Compendij Theol. cap.* 10. & 11.

Præter Stellam, quæ Christum demonstrauit, multa alia prodigia recensent authores antiqui, in Natiuitate Christi ostensa, quæ refert S. Bonauent. *Tom.* 6. *opusc. in medit. vita Christi, cap.* 7 & *opusc. de* 93
SS. Festiuitatibus Christi, cap. de Natiuitate, ea referunt etiam Orosius *lib.* 6. *cap* 20. Iulios obseq. *lib. de prodigiis, cap.* 120. Suarez *Tom.* 2. *disp.* 19. *sect.* 1. Rebadineira *in vita Christi*, & alij.

Primvm prodigium fit de Templo Pacis, quod à 94
Romanis æternum æstimatur; eò qoòd à suis oraculis accepissent, permansurum, donec Virgo pareret, quod impossibile cêsebatur; corruisse aotem dicitur ea nocte, qoa Sanctissima Virgo peperit. Id refertur etiam in quadam homilia de Christi natiuitate, quæ sub nomine Petri Damiani habetur in Lippomano *Tom.* 8. & Sutio *Tom.* 6.

Attamen Cæsar Baronios initio suorum Annalium dicit, eam homiliam non esse Petri Damiani, quia in illa mentio fit Bernardi, qui multis annis post Damianum vixit, & probare nititur cum Suarez eam historiam esse falsam, quia ante Vespasianom nullus Romæ Templum Paci erexit.

Hoc sanè prodigiom ex aliorum sententia refert D.Bonau. solo *opusculo de quinque Festiuitatibus*; in altero autem loco id silet.

Secvndvm prodigiom est de Fonte olei, qui 95
Romæ tota die sine intermissione floxit. Huius meminit etiam D.Thom. *quæst.* 36. *art.* 3. *ad* 3.

Tertivm prodigium est de tribus Solibus, qui apparuere in Oriente, & mox in vnum coierunt. Horum meminit etiam D.Th. *loco cit.* & Iulius obseq. *loco cit.* Suarez tamen dicit, eos fuisse visos in Hispania.

Qvartvm est, omnes peccato infando conspurcatos, eá nocte purissima obiisse.

Qvintvm est, Vineas Engaddi eâ nocte floruisse, & balsamum protulisse.

Sextvm est, Stella magna, quæ apparuit habens 96
formam pulchri pueri, & in capite crux splendebat.

Septimvm est circulos aureus in meridie circa Solem, & in medio circuli Virgo pulcherrima puerum gestans in gremio.

Aooit S.Bonau. *in Meditationib.* statuam auream Romuli, quæ ab oraculis permansura promittebator, donec Virgo pareret; quod quia impossibile repotabatur, ideò æternam acclamant. Hæc sanè incerta esse ait Suarez, sed gratis.

Octavvm prodigium est, quia Idola conticue- 97
re, & hanc Augosto silentij sui rationem reddidere, vt refert Niceph. *lib.* 1. *hist. cap.* 17.

Me puer Hebræus Diuus Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristem quę reatre sub orcum;
Arts ergo dehinc tacitus abscedito nostris:

98 VLTIMVM prodigium est pax vniuersalis, vt impleretur id Mich. 4. *Concident gladios in vomeres: Non sumet gens aduersus gentem gladium: & non discent vltra belligerare*, vt refert D. Bonau. *ad 2. Luca*, & Suarez *loco citato*.

QVOAD Magos, qui adorarunt Christum, sunt multæ quæstiones, quas latè prosequitur Suarez *disp. 19.* Primò igitur dico, eos fuisse Reges. Ità D. Bonau. *in medit. vita Christi, c. 9. & de quinque Festiuitatibus Christi, c. 4.* & *in serm. de Epiph.* & *in speculo B. Virginis, lect. 4.* Idem tenent D. Aug. *serm. 45. ad fratres in eremo*, Tertul. *lib. 3. cont. Iudæos, cap. 9.* Isidorus *lib. de pass. Domini, cap. 15.* Theophyl. *Matth. 2.* Anselmus *ibi*, & alij.

99 CONFIRMATVR nam Patres dicunt, & Ecclesia in officio Epiphaniæ canit, in hac Magorum adoratione impletum vaticinium. Psal. 71. *Reges Tharsis, & Insula munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Cui concinit Isa. cap. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo: & Reges in splendore ortus tui.* Fuit autem Stella illa Lumen in ortu Christi natum. Vnde subdit; *Omnes do Saba venient, aurum, & thus deferentes.* Ità exponunt Prosper *de promiss. & prædictione Dei, part. 3. promiss. 6.* Chrysost. *homi. 1. ex varus, in Matth.* Euchet. *in Isa.* Iulianus Archiepisc. Toletanus *lib. 1.* contra Iudæos à medio, Arnoldus Carnotensis *opusc. de Laud. Virginis.*

HÆC differit Hieronymus *psal. 71.* qui dicit, hos fuisse typos Regum, & gentium, qui adoraturi erant, & agnoscituri toto orbe Christum. Idem habet, & probat eisdem Scripturis S. Bonau. *serm. 2. Epiphania.*

100 Ex qua verò regione venerunt? certum est ex oriente eos venisse: *Vidimus Stellam eius in Oriente, & venimus.* Et videtur sanè ex remotis Orientis regionibus venisse, nam etiam subditur: *Reuersi sunt in regionem suam.* Et ità hoc sæpè repetit S. Leo Papa *in sermonibus de Epiphania 2. 3. 4. & 5.* Chrysost. *homil. 6. in Matth.* Ambros. *lib. 2. in Lucam, cap. de Magis*, & alij Patres, infrà citandi.

101 QVÆ autem fuerit regio; aliqui dicunt è Perside venisse, fortasse quia Magorum authoritas apud Persas maxima fuit, vt habet Plinius *lib. 30. c. 1.* Cicero *lib. de Diuinatione.* Hieron. *Danielis 2.* Theodoret. *lib. 5. hist. c. 38.* qui ideò huius sententiæ censentur. Ita Basil. *homil. de humana Christi generatione*, Iuuencus *lib. 2. hist. Euang.* Chrysost. (quem sequuntur Theophylact. & Euthym.) *homil. 7. in Matth.*

102 SECVNDA sententia est, eos venisse de Mesopotamia, seu Chaldæa, vel quia Sapientia inter Chaldæos floruit, & fuit in æstimatione; vel quia Balaam, cuius ipsi successores creduntur, Chaldæus fuit. Ita indicat Origenes *homil. 13. in Numer.* Hieron. *Isa. 47.* & *Daniel. 2.* Ambros. *lib. 2. in Lucam, cap. de Magis*, Theodotus Ancyræ *orat. de Natiuitate Christi*, Iansenius *cap. 9. concordia.*

103 ENIM verò probabilior est sententia, eos ex Arabia venisse, & quidem Fœlici, quæ est ditior, nam Petrea est Meridionalis respectu Iudææ: Deserta verò non habitatur; Hoc autem patet ex psal 71. *Reges Arabũ, & Saba dona adducent.* Ita videtur sentire D. Bonau. *ad psal. 71.* & licèt videatur cum Hieronymo, Augustino, Basilio Theodoreto, & aliis loqui de regibus generaliter, qui erant coronas Christo subdituri, attamen, si attentè legatur, loquitur de tempore infantiæ Christi. Sic etiam Ecclesia hunc psalmum applicat cum Patribus suprà relatis, qui de hoc Mysterio exponunt. Et præter eos Cyrillus Alex. *lib. 4. in Isaiam, orat. 4.* Tertul. *lib. cont. Iudæos, cap. 9.* & *lib. 3. contra Marcionem, cap. 13.* Haymo, & Incognitus, Hugo Card. Lyranus, & alij ad eum psalmum.

CONSONAT his prophetia Isaiæ: *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes*, vbi Hieronymus: *Madian, & Epha regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum, omnisque prouincia appellatur Saba; vnde & fuit Saba Regina, quæ venit audire sapientiam Salomonis.*

HÆC est sententia antiquorum Patrum, Iustini 104
Mart. *Dialogo cum Tryphone*, Tertul. *lib. 3. cont. Marcionem, c. 13.* Cypriani *serm. de Stella, & Magis.* Cyrilli *lib. 4. in Isa. orat. 4.* & hoc forsan voluit Isidorus *lib. de pass. Domini, c. 14.* dum ait, Magos venisse de gente Persarum, & de Arabia, & Saba. Nam quia Arabia Fœlix sic est Persiæ vicina, vt ab ea solo Persico sinu separetur; interdum sub Persiæ appellatione comprehenditur. Et hoc modo possent ad hanc sententiam accommodari Patres, in priori opinione adducti.

CONFIRMATVR ex donis, quibus Arabes, & 105
Sabæi abundant. Ideò Plinius *lib. 12. c. 14.* Arabiam thuriferam vocat: & psal. 71. *Dabitur ei de auro Arabia.* Mysticas autem rationes horum donorum, vide in D. Bonauentura *de quinque Fest. pueri Iesu, c. 4.* & aliis locis adductis suprà. In auro agnoscitur Rex; in thure Deus; in Myrrha homo: Auro charitatis: Thure deuotionis: Myrrha mortificationis. Vide Irenæum *lib. 3. cont. hæreses, cap. 10.* Hilarium *can. 1. in Matthæũ*, & alios Patres etiam in Breuiario.

OBIICIES. Vbi nos habemus: *Reges Arabum,* 106
& Saba, illud SABA in Hebræo per ס *Samech* scribitur quod Regionem Æthyopiæ significat, vt colligitur ex 43. & 45. *Isaia.*

RESPONDETVR ex D. Hieronymo *quæstionibus Hebr. in Genes. & Isa. 43.* Saba per *Samech* significare Arabiæ regionem. Vnde fortasse scriptum per ש *Schin* significat vniuersam Arabiam; scriptum verò per aliam litteram, idest *Samech*, specialem aliquam Arabiæ plagam. Vnde in hoc *psal. 71.* Hebræi legunt: *Reges Schaba, & Saba*, vt primum per *Schin* scribatur, & tunc interpretatur Araba. Secundum per *Samech*, vt exponit D. Bonau ad eum psalmum, & post eum Suarez *disp. 13. sect. 3.*

IGITVR hi non sunt Sabæi Æthyopes, qui pro- 107
fectò non sunt Palestinæ Orientales, sed Meridionales. ideò enim Saba dicitur Regina Austri.

QVAMVIS autem in psalmo addantur: *Coram illo procident Æthyopes: Reges Tharsis, &c.* non tamen obest; tum quia potuit aliquis eorum esse etiam è remota regione; tum etiam quia non omnia de Regibus tunc venientibus ad infantiam Saluatoris adorandam intelliguntur, vt notat Suarez, quem vide cætera de Magis definientem.

LOCVS tandem in quo adoratus est Christus à 108
Magis, fuit stabulum, vbi est natus. Ita D. Bonauent. *serm. 2. Epiphania*, cum Hieronymo *epist. 18. & 27.* Chrysost. *homil. 6. in Matth.* & *homil. 1. ex variis in Matth.* & *orat. de S. Philogonio*, Nyssen. *orat. de Christi Natiuitate*, Euthymius *Matth. 2.* & hoc frequenter dicunt Patres. Leo, Augustinus, Fulgentius, Emissenus, & Bernardus *in concionibus Epiphania.*

RATIO est, quia, vt ait D. Bonau. *in Meditatio-* 109
nibus vita Christi, c. 10. B. Virgo non discessit à præsepio vsque ad 40. dies, purificationis obseruans Legem: adoratio autem fuit ante purificationem, nempe tertia decima die à Natiuitate, vt tenet communis Ecclesiæ traditio. Vide reliqua in Suarez.

DISPVTA

DISPVTATIO XXXI.

DE LEGALIBVS CIRCA PVERVM IESVM.



INTER Legalia, quibus Christus immune collum volens submiserat, celebris est Circumcisio, de qua abundè actum est, *prima secunda, tract. de Legibus, disput.* 10. *quæst.* 13. Ideò ibi dicta, hic non repetam, tantùmque refricare iuuat, datum esse à Deo præceptum Abrahamo, eiusque posteris, vt infantem quemlibet masculum octauo die indubitanter circumciderent; quod præceptum vsque ad Christum seruatum est, eius tamen executio sub peccati reatu adultos solùm, sub quorum cura essent infantes, obligabat; nisi forsan ipsi infantes aliquando incircumcisi, prouectam ætatem attingerent; quo casu tenerentur sibi communi illo remedio prouidere: His prænotatis, quatuor erunt huius loci quæstiones, prima conuenientiam, qua Christus se circumcidi sit passus, discutiet: Secunda nomen illud salutare, & sanctissimum, IESVS, mille nobis nominibus charum probabit; cum non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri, vt dicitur *act.* 4. Tertia differet de congruitate illa, qua Dei Filius, vbique licèt præsentissimus, in templo sit præsentatus, cui non multùm absimilis erit vltima quæstio, qua de purissimæ Virginis purificatione paucis absoluam.

QVÆSTIO I.

An debuerit CHRISTVS *circumcidi.*

D. Bonau. q 3? art.1.
D. Thom. in 4. dist. 3.
p.2.art.3.q.1. a.l 4.

ASSERO primò, sanctè, & honestè fuisse Christum circumcisum.

1 PROBATVR quia, vt supponitur à D.Bonauent. ad ea verba Lucæ 2. *Et postquam impleti sunt dies octo, vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius IESVS*, licèt non dicatur expressè Christus circumcisus, tamen intelligitur in illis verbis, completo tempore simul cum impositione nominis, accepisse iuxta legem etiam circumcisionem: Sic intelligunt sacri expositores, & tota Ecclesia fatetur actum.

HINC verò sequitur, honestè circumcisum, quia ad hoc cooperata est B.Virgo cùm S.Ioseph.

2 ASSERO secundò, congruas fuisse rationes, vt Christus circumcideretur.

PLVRIMAS affert S. Bonauentura *ad* 2. *Lucæ*, & *in* 4. *loco citato*, & *in Compend.Theolog. ver.lib.*4. *cap.*12. & D.Thom. *loco cit.* quæ omnes erutæ sunt è Sanctis Patribus.

PRIMA ratio est, vt ostenderet, se veram carnem assumpsisse contra Manichæos venturos. Hæc est D.Epiphanij *lib.*2. *hæresi* 30.

SECVNDA ratio est, ne Iudæi haberent excusationem repudiandi Christum, quasi extraneum à fratribus suis, de quorum medio promiserat Moyses surrecturum Messiam, *Deuter.* 18. Ita etiam Epiphanius *loco cit.* & Chrysostomus *homil* 34. *in Acta.* S. Augustinus *in quæstionibus noui Testamenti*, mox afferendus. 3

TERTIA, vt legem à se latam canonizaret, & ostenderet, se non venisse legem soluere, sed adimplere. Ita Epiphanius *loco cit.* & Cyprianus *serm. de hoc mysterio*, Eusebius Emiss. *homil. in oct. Natiuitatis.*

QVARTA, quia finis legis est Christus, in quo cùm consummanda erant, & cessatura cæremonialia; debuit Lex honorem in fine accipere. Ita Epiphanius, & Eusebius *loco cit* Vnde D. Augustinus 4

serm. 13.*de tempore*,ait : *Dominus quidem suscepit circumcisionem ablaturus circumcisionem ; suscepit, vmbram,daturus Lucem ; suscepit figuram,impleturus veritatem*.
4 Et in lib. quæstionum noui Testamenti,q.12. *Circumcisio vsque ad Christum ducta est*. Et infrà : *Ideò debuit circumcidi , vt ipse probaretur esse , qui promissus Abrahæ esset , ita vt de cætero circumcisio cessaret, impleta promissione*.

5 QVINTA , vt nobiliorem nobis traderet figuratam circumcisionem vitiorum , & motuum iniquorum. Ità Epiphanius, & Eusebius *loco cit*.

SEXTA ratio est, vt exemplum præberet humilitatis, sicut cùm Baptismo se subdidit,dicens Matth. 3. *Sic oportet implere omnem iustitiam*. Ità Bernardus *serm*.1. *de Circumcisione* , dicens : *Manifestum dedit humilitatis exemplum ; quia nec vestigium quidem vllum vulneris habens , alligaturam non refugit vulneris*. Dedit etiam exemplum obedientiæ , charitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum, quæ omnes iustitiæ nomine comprehenduntur.

6 SEPTIMA ratio est amor erga nos,quo actus voluit à tenellis diebus sanguinem in satisfactionem nostrarum culparum Deo offerre. Ità etiam Eusebius Emissenus.

MYSTERIA verò circa hæc , & circa tempus octaui diei , vide in D. Bonau. *ad* 2. *Lucæ* , ad eum locum, & in D.Bernard. *serm*.3.*de Circumcisione*.

QVÆSTIO II.

Cur nomen IESV *fuerit puero impositum*.

7 D. CYPRIANVS *lib. de operibus Christi Card. cap. de Circumcisione*, indicat , mandatum esse Iudæis nomen infantibus imponere die ipso circumcisionis: Sanè in Lege circumcisionis non exprimitur *Genes*. 17. attamen videtur congruè sequi ex professione fidei, & signo religionis, etiam nominis impositionem. Vnde Atbenienses apud Suidam decimo natiuitatis infantis die,oblatis Diis sacrificiis, nomina infantibus imponebant. Romani autem (vt author est Festus) dabant nomina octauo die puellis ; masculis verò nono die , eos priùs lustrando Diis ; vnde illi dies *Lustrici* nominabantur.

8 VTRVMQVE ostendit S. Bonauent. *ad* 1. *Lucæ*. Et primò quidem in die circumcisionis solere nomen imponi probat ex illis verbis : *Et factum est in die octauo,venerunt circumcidere puerum,& vocabant eum nomine Patris sui Zachariam*, vbi concatenatur impositio nominis circumcisioni , & impositio nominis tanquam nota ibi ponitur.

9 QVOD verò apud parentes hoc ius esset , ostendit primò ex Tobiæ 1. *Tobias genuit filium , nomen suum imponens ei*. Deinde probat ex illo : *Innuebant Patri eius , quem vellet vocari eum*. Quia apud eum (ait S. Bonauentura) residet authoritas nominandi; tum quia Pater erat , tum quia Sacerdos ; tum quia ortum suum Diuina reuelatione præsciuerat. Hinc cùm non posset respondere , *postulans pugillarem scripsit , dicens : Ioannes est nomen eius*.

10 IDEM probatur ex *Luca* 1. vbi præcipitur Virgini : *Vocabis nomen eius IESVM*, & *Matth*. 1. idem demandatur Patri putatiuo ; Enim verò non parentes, neque Angeli, sed Deus Pater nomen imposuit,quia ipse sciebat perfectissimè quantus esset ille homo,& solus habebat in eum authoritatem,sic dicitur Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*,vt notat D. Bonau.ad ea verba Lucæ 2.*Vocatum est nomen eius IESVS, quod vocatum est ab Angelo* , cui apponit id Isaiæ 62. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit* , & idem obseruat D.Bernardus *serm*. 2.*de Circumcisione* , relatus à D. Bonau. *in Compend.Theol.loco citando*.

11 HOC sanè nomen à verbo saluandi originem trahit , teste Angelo, Matth. 1. *Vocabis nomen eius IESVM ; ipse enim saluum faciet populum suum*. Vbi Hieronymus : *Iesus Hebræo sermone SALVATOR dicitur : ethymologiam ergo nominis eius Euangelista signauit dicens : Vocabis nomen eius Iesum , quia ipse saluum faciet populum*. Ità obseruat etiam D.Bonau. ad loca allegata Euangeliorum ; & *lib*. 4. *Compend. Theologicæ veritatis,cap*. 12.Vnde vbicumque in veteri Testamento sub hoc nomine Messias promittitur : LXX. habent σωτῆρ. Et Hieronymus , seu Vulgata legit SALVATOREM. *Isa*.62. *Michea* 7. *Habacuc* 3.

12 OBSERVA præterea,hoc nomen inter alia Christi nomina vltra triginta , quæ enumerat Hieronymus *Ezech*. 46. esse proprium Christi , & omnes aliorum excellentias continere : nam , licèt nomen Christi sit nobile, tamen est appellatiuum , vt notat D. Hieronymus *Matth*. 16. Nomen enim Christi significat vnctum Regem Sacerdotem,quod & aliis conuenit , licèt antonomasticè Christo assignetur, quòd Rex Sacerdos vnctus esset balsamo Diuinitatis, vt ait Eusebius *lib*.4. *Demonst. cap*.15. Niceph. *lib*.1.*hist*.*c*.4.& D.Bonau. *locis relatis disp*.18.

13 AN verò ita sit proprium , vt nulli vnquam datum sit,aliqui asserunt,& ita reliquos, qui Iesus vocati sunt,vt Iesus Naue,Iesus Sirach,Iesus Iosedech alijs fuisse litteris scriptos , & dictos Iehosua , obtendunt : Christum autem vocari volunt Iesua : vtrumque autem nomen alium habet sensum : Iehosua enim significat *Deus saluabit* , seu *Deus salus* ; Iesus verò significat SALVATOREM.

SED maiorem fidem existimat Suarez adhibendam antiquis Patribus,linguarum cognitionis peritissimis,qui docuerunt, nomen hoc, quoad materialem sonum,multis antea fuisse impositum : Illis Patribus potuit addere Seraphicum , linguæ Hebraïcæ peritissimum , vt patet in expositione Lamentationum, & *loco allegato quæst*.1.*ad psal*.71.& sexcentis locis. Ipse enim *Lucæ* 1. ad ea verba : *Vocabis , &c*. ait , eodem nomine vocatum Iesum Naue *Ecclesiastici* 46.Ioseph verò *Genes*.41.vbi vocatur : *Saluator mundi* , præfigurasse Iesum nostrum : Idem habet *lib*.4. *Compend.Theol.veritatis,cap*.12.

14 IMÒ S. Doctor ad ea verba Lucæ 2. *Pannis eum inuoluit*,explicat id Zachariæ 3.*Et Iesus indutus erat vestibus sordidis* , nostrum Iesum eodem nomine expressum docet cum D.Bernardo , *serm*.4. *de Natiuitate* , quem allegat,& cæteris omnibus Patribus, vt refert etiam Suarez *disp*.15. *sect*.2. Sic Tertul. *lib. contra Iudæos,cap. vlt*.Lactant.*lib*.4.*c*.14.Orig.*hom*.9. *in Leuit*.Ambr.*lib*.3.*de fide*,*c*.4. qui de Christo verba illa exponunt. Alij verò litteraliter de Filio Iosedech;allegoricè de Christo interpretantur : & omnes concedunt , nomen fuisse idem. Ità Hieron. *ibi*, Euseb. *lib* 4.*demonst*.*c*.29. August.12.*cont.Faustum*, *c*.36.Theodoretus, & alij Interpretes Zachariæ.

15 QVOD etiam Iosuë eodem nomine Iesu donatus fuerit, quo & Christus , testantur Iustin. *Dialogo in Tryphonem*,Tertul. *lib.cont.Iudæos*, *c*.9.& *lib*.3. *cont. Marcionem*, *c*.18. August.*lib*.16.*cont.Faustum*,*c*.18. *& seqq*. & *lib.qq.in Exodum* , *quæst*. 103. Ambr. *in psal*.47. Hieron.*lib*.1.*cont.Iouinianum*, Orig. *hom*.2. *in Exodum* , 22. *in Numer*. 1. *Iosue* 1. Theodoretus initio libri Iosuë.

DENIQVE

DENIQVE Philo Iudæus *lib.de Humanitate*, & Iosephus Hebræus *lib.5.antiquitatum*, dum sæpe Iosue nominant, Iesum appellant, quibus subscribit Seraphicus *locis adductis*.

NON est igitur hoc nomen quoad sonum proprium Christi, sed quoad virtutem, vt ibi S. Bonauent. testatur cum Cyrillo Hierosol. *catech.10.* vbi ait: *Ipse enim solus Iesus appellatur vero nomine, à salutari Medicina habens appellationem.* Notant verò multi, nomen IEHOVA, addita littera *Scin*, facere IESVM.

16 IAM verò oportet causas scrutari, ob quas fuerit nomen hoc Christo impositum.

PRIMA ratio D. Bonauent. ad ea verba Lucæ 1. *Vocabis nomen eius IESVM*, est, quia nomina propria imponuntur ex rerum, vel personarum proprietatibus: est autem Christo maximè proprium, esse Saluatorem, non solùm corporum, sed etiam animarum, nec tantùm à temporalibus damnis, sed ab æternis; nec solum auferendo summum malum peccati, sed conferendo summum bonum, idest gratiam, quæ dat perfectam sanitatem: Hoc autem probat S. Bonau. ex illo Act.4. *Nec enim est aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat nos saluos fieri.* Eandem rationem indicat D.Thom. *quæst.37.art.2.* & Suarez *disp.15.sect.2.*

17 SECVNDA ratio est D.Bonauent. *ad 2.Luca*, ad ea verba: *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius IESVS*, quia hoc nomen opus grande redemptionis expressit, & hoc cœpit sanguine exantlare hac die, illudque prosecutus est vsque ad totam pretiosissimi pretij effusionem in Cruce. Ideò hac die nomen Iesu accepit, nec prius, quàm sanguine pretiosissimo inceperit mereri talem dignitatem Saluatoris. Ideò è condigno meruerit sanguine, cuius quælibet gutta pretij est infiniti. Ideò apponit S. Bonauent. sta-
18 tim illud Philip.2. *Christus semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Sic enim seruorum notâ passus est obsignari. O mirum charitatis excessum! *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c.* Hac ratione vtitur etiam Suarez *loco cit.*

19 TERTIA ratio innititur à D Bonauent. *loco cit. Compendij*, ex 26. Isaiæ: *In die illa cantabitur Canticum istud in terra Iuda: Vrbs fortitudinis nostra Sion Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iusta. Sperastis in Domino Deo fortis in perpetuum. Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.* Hoc enim nomine Saluatoris voluit mundum consolari, eorumque spem erigere; ideò subdit: *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur, vt splendor, iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur.* Et quoniam hic
20 Saluator futurus erat omnium bonorum fons, & origo; in toto illo capite lætabundus describit gratiarum affluentiam, è sancto illo nomine promanantem. Ideò enim etiam Angelus ad Pastores Lucæ 2. *Nolite timere: Ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Natus est enim nobis ad nostram vtilitatem, vt dicitur Isaiæ 9. *Paruulus enim natus est nobis.* Et cap.45. *Verè tu es Deus absconditus.* Et cap.19. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.* Et verè Saluator secundum illud Act. *Nec enim aliud est nomen sub cælo datum, in quo oporteat nos saluos fieri.* Vide Seraphicum *loco cit.*

QVARTA ratio indicatur *loco cit.Compendij*, & ad 21
ea verba Lucæ 1. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Et sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Hoc enim nomen est maximè cordis dilatiuum, quia exprimit nobis misericordiam, inter attributa Dei charissimam: Sic dicitur Cant.1. *Introduxit me Rex in cellaria. Oleum effusum nomen tuum.* Ideò, & Anna 1.Reg.2. *Dilatatum est cor meum, quia lætata sum in salutari tuo.* Hoc nomen dat nobis fortitudinem, dum exhibet nobis passiones Christi pro nobis. Ideò Act.5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij; quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sic Martyres pro hoc nomine mortui sunt, & Virgines amore tractæ: *Trahe me post te, &c.* Vide S. Doctorem *locis adductis*, & *in sermonibus de Circumcisione*, vbi easdem rationes refert.

ALIAM rationem affert ad ea verba Lucæ 2. *Post-* 22
quam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius IESVS, nempe in circumcisione hoc nomine decoratur, vt sciat mundus, eum circumcisioni se submittere propter nostram salutem ex amore infinito, quippe ipse non eget hac lethali medicina, nec hoc vulnere fero ad sui curationem, cùm sit mundi Saluator. Hinc in nostris tentationibus erigitur cor, vt aiebat Iob 13. *Ipse est enim Saluator meus.* qui nunquam deseret eos, pro quibus à tenellis diebus sanguinem profudit. Vide D. Bonauenturam.

TANDEM *loco cit.Compendij*, in hoc nomine IESV 23
omnem Dei excellentiam, omnium bonorum communicationem includit. Et quidem in quinque litteris quinque bona distribuit. I. denotat Iucunditatem: E. Æternitatem vitæ: S. Salutem, & sanitatem perfectam: V. Vbertatem bonorum: S. Sanctitatem. Et quia solus Deus saluare potuit; ideo Deitatem includit, Deumque Optimum Maximum, qui natura est Saluator, factus est in natura humana IESVS, saluás à peccato, diabolo, & inferno. Vide etiam D.Bernard. *serm.2.de Circumcisione*, & alios Patres suprà, hanc rationem prosequentes, præcipuè Seraphicum *in opusc. Lignum vitæ*, nominato, in quo per capita plurima recenset bona è sanctissimo isto IESV nomine 24
redundantia: Multa alia præclara habet *in sermonibus de Circumcisione*, præcipuè 3. & 4. quæ, apud ipsum bausta, sapidissimum gustum, mentis ingerunt palato.

QVÆSTIO III.

An præsentatio Pueri IESV *in templo fuerit conueniens.*

GEMINAS leges ad huius notitiam Mysterij S. 25
Bonau *ad 2.Luca*, præmittit: Altera Exodi 13. *Sanctifica omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israël.* Et infrà: *Omne primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes.* Illud autem pretium habetur Numer.18. *Redemptio erit post vnum mensem, siclis argenti quinque, pondere Sanctuarij.*

ALTERA lex habetur Leuit.12. *Mulier, si sus-* 26
cepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruæ. Et die octauo circumcidetur infantulus: ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Et infrà: *Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, siue pro filia, deferet Agnum anncu-*

lum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato. Et infra: *Quòd si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, & alterum pro peccato. Orabitque pro ea Sacerdos, & sic mundabitur.*

27 SIC igitur prima lex consecrationem primogenitorum ad templum præcipit: Secunda verò purificationem matris, & oblationem pro filio, non tamen ligabat ad deducendum filium ad templum. Deinde prior lex non præfigebat tempus consecrationis primogeniti; & ideò solebant vno die, præfixo purificationi matris, vtramque adimplere.

28 ASSERO primò, actionem hanc, a B. Virgine patratam, fuisse sanctam.

PROBATVR à D. Bonauent. *ad 2. Lucæ*, quia sic humiliabat se Christus obediens legi, insons, & cui tanquam supremus Legislator Deus non tenebatur. Deinde redimitur, tanquam seruus quinque siclis, vt ait D. Bonauent. *in meditationibus vitæ Christi, cap.* 11. Sic enim formam serui accepit.

RATIONEM aliam ibi adducit S. Doctor, nempe conuenienter oblatum esse Christum Patri in templo ad nostram salutem.

29 DVBIVM autem subrepit, an Lex illa B. Virginem obligaret offerendo sanctissimo paruulo, quia Lex præcipiebat offerri filium, qui aperit vuluam matris. Maria autem fuit porta clausa æternè. In contrarium videtur Euangelista obligationem indicare dicens: *Tulerunt eum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Indicat ergo, Christum fuisse è primogenitis, qui aperiunt Matris claustrum.

30 DVAS expositiones affert Soarez *disput.* 16. *sect.* 1. ex D. Bonau. *ad* 2. *Lucæ.* Altera est, verba illa esse addita à Spiritu sancto, vt ostenderet, Christum non teneri, quippe sacratissimum Matris claustrum non læsit. Sic Hormisda Pontifex Max. *epistola* 1. *cap.* 3. dicit, Christum non aperuisse vuluam matris. Hanc expositionem indicat Beda *Lucæ* 2. & Cyrillus Hierosol. *homil. de occursu Domini.* Igitur Lucas solùm indicat, seruatam esse legem circa primogenitos latam.

31 ALTERA expositio D. Bonauenturæ est, aperire vuluam non esse rumpere claustrum, sed primò exire post fœcundationem. Sic dicitur *Genes.* 29. & 1. *Reg.* 1. Deum aperuisse vuluam Liæ, & Annæ, idest dedisse fœcunditatem, & primos fœtus lætos. Hanc expositionem indicat Rupertus *lib.* 2. *de Trinitate in Exodum, cap.* 24. & Abul. *cap.* 13. *Exodi,* initio, Iansenius *cap.* 10. *Concordiæ*, & est probabilis.

32 ALTER scrupulus serpit ex illis verbis: *Pro peccato*, & ratio dubij est, quia vel erat pro peccato Matris, vel Filij; non quidem Matris, nam quodnam? neque Filij, quia non erat capax peccati actualis; ab originali verò iam supponitur mundatus circumcisione, si masculus; femellæ vero dedicatione, & fide parentum.

PRIMVS modus dicendi est, loqui de peccato matris. Ideò sequitur, *orabitque pro ea Sacerdos, &c.* Ita Lyra Leuit. 12. Abul. *ibi, quæst.* 23. & 30. Caietan. *ibi*, & Iansen. *cap.* 10. *Concordiæ.*

33 ALTER modus est, referri ad peccatum prolis. Ita D. Augustinus *lib. qq. in Leu. quæst.* 40. D. Thomas *quæst.* 37. *art.* 3. vbi Caietanus, Gloss. *ad Leu.* 12. & ibi Vgo Card. Rupertus *lib.* 2. *in Leu. cap.* 16. Beda, & Euthym. *Lucæ* 2. S. Eligius Episcopus Noniomensis *homil. de Purificatione.*

CONFIRMATVR ex responsorio secundo, & tertio primi Noct. purific. *Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum.*

Hoc autem peccatum ait Suarez *disp.* 1. *sect.* 1. esse immunditiam, & sordem contractam ex libidinosa conceptione. Hanc profectò nec Mater Sanctissima, nec Filius contraxêre.

OBSERVA præceptum offerendi Agnum; at 34
pro pauperibus impotentibus saltem duas turtures, vel duos pullos columbarum: relinquit autem in fine pullos columbarum, quia sunt minimi valoris, vt ait D. Bonau. *in Meditationibus, cap.* 11. Mirum autem, quod Lucas non definiat, vtrum obtulerit pullos turturum, aut columbarum, nam cùm esset historicus, videtur debuisse definitè apponere id, quod in Lege liberum erat.

RESPONDET D. Bonau. hoc ad Mysterium spectare, quia vtraque oblatio est Deo chara, nam per columbam vita actiua; per Turturem solitarium contemplatiua designatur: Quoniam igitur alterutra oblatio facta sit, parum ad institutum Lucæ facit, & vtraque ad Mysterium ducit, ideo indefinitè ponit: *Duos turtures, aut duos pullos columbarum.* Ita ferè etiam Suarez.

SENSVS igitur litteralis est, B. Virginem non po- 35
tuisse offerre agnum, ideò ex paupertate solùm habuisse auiculas. Abulensis *Leu.* 13. *quæst.* 29. addit, non ex necessitate, sed ex voluntario amore paupertatis ea munuscula elegisse, non enim erat adeò inops, cum aurum à Magis accepisset abundanter; ideò non dicitur: *Apertis thesauris suis, obtulerunt aurum*, vt notat D. Bonau. *in Meditationibus*, quidquid è contrà suspicetur Suarez.

ET quidem hæc ratio innititur à D. Bonauentura, dum ex humilitate, quæ est mater paupertatis, hæc facta asserit *locis adductis.* Aurum verò à Magis acceptum, ideò pauperibus iam esse dispertitum, asserit S. Bonau. *in Meditationibus vitæ Christi, c.* 9.

MYSTERIA huius sacræ oblationis latè prose- 36
quitur D. Bonau. *ad Lucæ textum*, & in S. Festiuitate Pueri IESV.

QVÆSTIO IV.

An B. VIRGO *teneretur Legi purificationis.*

ASSERO negatiuè, nempe purissimam Virginem Mariam non fuisse Purificationis legi obstrictam. Ita D. Bonau. ad eum Lucæ textum, & omnes cum eo.

PROBATVR à D. Bonau. cum Patribus communi- 37
ter, Origene *homil.* 8. *in Leuit.* Ruperto *lib.* 2. *in Leuit. cap.* 16. Eusebio Emisseno, S. Eligio, Bernardo, & Laurentio Iustiniano *in sermonibus de Purificatione*, Theophylacto *Lucæ* 2. apud Suarez *loco cit.* ex textu Leuit. 12. *Mulier, si suscepto semine peperit masculum, &c.* at B. Virgo non peperit semine suscepto. Igitur non necessitate adacta, sed ex humilitate Filio conformis id fecit, vt sicut Filius sanctissimus, tamen cum aliis pueris circumcidi passus est, ita & Mater purissima purificaretur cum aliis fœminis, vt ait D. Bernardus *serm.* 3. *de Purificatione*, vbi etiam ait:
Putas, dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset mas- 38
culum, immundam esse, non timuerit super Matrem Dei blasphemiæ crimen incurrere, & idcircò præmiserit, suscepto semine? Verè ô B. Virgo non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed numquid Filio tuo opus erat circumcisione?

HÆC refert S. Bonau. & post eum Suarez *disp.* 17. *sect.* 2.

ſect. 2. Cùm nulla etiam impuritas ſanguinis defluxerit, vt ait D. Bernardus *ibi*, & D. Bonauentura, non erat neceſſaria purificatio. Hinc Euſebius Emiſſenus *ſerm. de Purificatione*, ait, non eſſe vetitum B. Virgini omne Sanctum tangere, ſicut erat vetitum cæteris fœminis à partu; nam ipſa tenebat Sanctum Sanctorum puriſſimè: D. Cyrillus *libro* 2. *ad Reginas*, impios vocat Arrianos, dicentes, has purificationes à puerperio fuiſſe Mariæ Virgini neceſſarias.

39 ABVLENSIS *in* 12. *Leuitic. quæſt.* 2. reſpondet, ſine cauſa aſſeri, Moyſen excludere voluiſſe B. Virginem; tum quia illa non erat illâ Lege vſura; tum quia non conſtabat, an ſine ſemine concepiſſet, vnde lex illa ſic publica fruſtrà fuiſſet: Idem ſentiunt Oleaſter *in Leuit.* Ianſ. *loco citato*, & inclinat Caietanus *ad Leuit. cit.* Nituntur phraſi Hebraïca; nam ſemen non ſonat principium generationis, ſed prolem, atque adeò idem eſt ac mulieri, quæ ſuſceperit prolem, ideſt conceperit: Itaque concludit Abulenſis, ex vi verborum, B. Virginem Legi huic fuiſſe ligatam: an verò reipſa ex alio capite non teneretur, incertum eſſe docet.

40 IANSENIVS autem videns ſententiam Abulenſis quoad primum reclamare communi ſenſui Eccleſiæ, & Sanctorum, prudentiùs quidem, non tamen ſolidè dixit, B. Virginem fuiſſe verbis legis illius ligatam, non tamen obligatam ex aliis capitibus: tum quia ſordes puerperij non fuit paſſa; tum quia peperit authorem munditiæ, eumque Deum, ſupra omnes leges eminentem.

CÆTERVM, ſi verba legis ligaſſent, non eſſet exempta omnino his cauſis, vt probat Suarez; nam ceſſante fine legis in particulari, non ceſſat obligatio Legis, & quòd filius fuerit omni Lege ſuperior, quia Deus erat, non oſtendit, exemptam fuiſſe etiam matrem. 41

VERBA igitur legis non obligabant: Licèt enim Hebraïce non habeatur, *ſi ſemine accepto*: ſed הזריע *Tazdingath, Seminificauerit*, tamen, ſi attentè legatur, indicat ſeminificare in copula cum viro ſeminante: Ideò Vulgatus, & tota Eccleſia legit: *Si ſuſcepto ſemine.*

CÆTERA in homiliis huius diei apud Patres reperies. 42

PVBLICA autem ſupplicatio, quæ ea diei ſolemnitate fit, videtur originem, vel exemplar habuiſſe ab occurſu Simeonis, & Annæ ipſi Virgini, & Chriſto, vt indicat S. Bonau. *in Meditat. c.* 11. eaque cum cereis ab antiquis inſtituta eſt, vt ſcribit S. Cyrillus Hieroſolymit. *loco citato*, & Albinus Flac. *lib. de Diuinis Offic. Cap. de Purificatione.* 43



DISPVTATIO XXXII.

DE VITA CHRISTI, AD ANNVM TRIGESIMVM.



A CHRISTI Natiuitate hiſtoricam ferè eius vitæ rationem percurrimus; quam hîc quoque continuatâ actionum ſerie, intermittere non libet; cum nulla rerum, quas præclarè geſſerat, narratio tam litteralis ſit, quin myſteriis abundet: Licèt autem Euangelium ſemel tantùm, aut iterum, quid Chriſtus egerit infra trigeſimum annum, tetigerit; non tamen ideò nobis pia ipſius factorum indagatio interdicitur; quinimò Euangeliſtarum ſilentium hanc nobis partem ex induſtria cedere videtur; cùm ipſi ea, quæ ſalutis noſtræ rationem propiùs attingant, ſuccinctim tradere ſtuderent: Neque etiam credendum eſt, Chriſtum, qui duodecimo anno præcipuis legis Doctoribus fuit admirationi, antè, vel poſt vſque ad Euangilij prædicationem, oſcitanter vixiſſe; quod vel cogitare abſit: Agam itaque hîc primò de fugâ Chriſti in Ægyptum, & in Iudæam reditu: Secundò de ratione vitæ ipſius vſque ad annum trigeſimum: Vtrumque autem præſtabo breuiter, iuxta ea, quæ probabiliùs pia Patrum meditatione comperta ſunt.

QVÆSTIO I.

De Fuga CHRISTI *in Ægyptum, & de ipsius reditu.*

1 POst Purificationem B. Virgo recessit è suburbio Bethlehem, vbi morata fuerat: Et quidem Lucas, cap. 2. ait: *Et vt perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.* Enim verò certum est, perlatum Iesum à Matre, & Ioseph in Ægyptum: Et quidem S. Augustinus *lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 5.* asserit, priùs è Iudæa in Ægyptum aufugisse, quàm descenderet in Galilæam, id enim videtur Matthæus *c. 2.* indicare, vbi post discessum Magorum ait: *Qui cùm recessissent: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum;* Post reditum verò de Ægypto, secessit in partes Galilææ, vt aduertit S. Bonauentura ad locum citatum Lucæ.

2 MVLTI tamen credunt, Iosephum è Nazareth aufugisse in Ægyptum, vt priùs Bethlehem deserens, secesserit Nazareth, & hinc in Ægyptum: Ita Maldonatus *ad 2. Matthæi* obseruat, & dicit, perspicuum esse: Idem ait Suarez *disp. 17. sect. 1.* & videntur sentire D. Anselm. *Matth. 2.* & alij permulti.

ATTAMEN probabilius est, priùs in Ægyptum fugisse; nam recessus in Ægyptum narratur post discessum Magorum, vt concedit Suarez, & notat D. Augustinus suprà, qui ideò sic historiam continuat nobiscum. Confirmatur; nam si fuissent Nazareth, non fugissent in Ægyptum, vt mox dicam.

SATIS probabiliter D. Bonauentura, *in Meditationibus, cap. 12.* ait, B. Virginem cum Iosepho profectos Nazareth versus, & in via admonitos ad fugam: Ez quo vterque textus saluatur.

3 OCCVRRIT quærenda ratio huius fugæ: Et quidem in sententia eorum, qui dicunt, B. Virginem iam abiisse Nazareth, non est bona ratio persecutio Herodis, qui solùm in Bethlehem, & finibus occidendos pueros iussit; at Nazareth quadraginta, & ampliùs milliaria distat, seu quatuor dierum iter, vt Rebadineira *in Natiuitate Domini*, & Maldonatus, *ad 2. Lucæ*, docent communiter; & tamen Angelus reddit fugæ rationem, ac necessitatem: *Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum*, & hoc Deus præsciebat.

4 MIROR, Seraphicum *in Meditationibus, c. 14.* ponere tantùm quatuordecim milliaria: Arbitror, esse corruptum, & velle inuersum 41. milliaria; nam & in margine adducitur etiam *cap. 6.* eiusdem opusculum, idem asserens, vbi tamen nil dicit.

RESPONDET Suarez, noluisse Deum hoc negotium iuxta præscientiam suam, sed iuxta periculum, quod imminebat; eò quòd Herodes erat etiam Galilææ Dominus, & potuisset inquirere de fœmina peregrina, quæ Bethlehem pepererat, & eam Nazareth reperire.

HÆC tamen futilia sunt, quia cùm Deus certò præsciret, Herodem non esse excursurum vltra fines Bethlehem ad cædem, & hoc sanè solùm in incolas, ex quibus tanquam è stirpe Dauid exardescebat, non dixisset per Angelum: *Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum*, si extra fines illos fuisset: Quænam obsecro ratio est fugiendi ob periculum Herodis; si Deus ex scientia certissima sciebat, eum desæuiturum solùm circa Bethlehem? Et esto diligentiam adhibuerit in toto regno, quod est omninò gratis dictum à Suarez; nam Herodes exquisinit iuxta informationem acceptam à Scribis, qui de Bethlehem tantùm asserebant, proditorum Regem.

ADHVC non dicitur solidè, aufugisse è Nazareth in Ægyptum: tum quia Matthæus, *c. 2.* refert discessum in Ægyptum, mox post discessum Magorum, vt ipse Suarez fatetur: tum etiam, quia nullus erat, qui posset informare Herodem, quia nullus erat, præter Pastores, qui non viderunt Virginem, nisi primo die, nec legitur aliam notitiam habuisse de discessu B. Virginis. 6

ALIAM rationem affert Matthæus: *Vt impleretur, quod dictum est per prophetam: Ex Ægypto vocaui filium meum.* Hæc autem verba Oseæ, Iansenius incautè *cap. 11. Concordiæ*, negauit propriè dicta esse de Christo, sed de populo; communiter enim PP. asserunt, ea intelligi de Christo, imò litteraliter, vt refert Suarez *disp. 17. sect. 1.* 7

ALIAM rationem affert S. Doctor *in Meditation. cap. 12.* vt adimpleretur quod dictum est per Isaïam, *cap. 19. Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius.* Hanc rationem confirmat Chrysost. *homil. 2. imperfecti*, Euseb. *lib. 6. demonstr. cap. 20.* Athanas. *de Incarnatione Verbi*, Procop. *in Isaiam.* Videatur Nicephor. *lib. 10. hist. cap. 1. & 31.* Sozomenus *lib. 5. hist. cap. 20.* Burchardus *in descriptione Terræ Sanctæ, puncto 2. cap. 4.* Baron. *in Annal. anno primo.* Rationes verò morales vide in D. Bonauentura passim, & Patribus. 8

QVOAD reditum, qua ætate regressus sit, multi multa dicunt. 9

SENTENTIA S. Bonauent. *in meditat. cap. 13.* est, rediisse completis septem annis, vel initio octaui: Ita sentit etiam Ammonius Alex. *in harmonia Euangelior.* Anselm. *Matth. 2.* qui etiam dicit, habitasse eum Heliopoli septem annis in Ægypto: Aliorum opiniones refert Suarez *disp. 17. sect. 2.*

ALIQVA verò hic quæstio pulsatur: Cur Ioseph ex Ægypto diuerterit Nazareth ob timorem Archelai, & non potius, quia illa est patria, vnde discesserat abiens Bethlehem; eo magis, quòd, sicut Archelaus in Iudæa, ita Hærodes Tetrarcha regnabat pro Herode Patre suo.

D. BONAVENTVRA *in medit. cap. 13.* ab hac difficultate se expedit dicens, Ioseph per Angelum priùs monitum, vt iret in Iudæam, quò perueniens ad fines, nempè ad domum Elisabeth in Hebron, audiensque Archelaum ibi regnare, timuit ire Hierusalem, & anxius dubitans: an transgressio aliqua Angelici mandati foret, si aliò diuerteret; rursus ab Angelo confortatus, & edoctus recessit Nazareth. 10

NEQVE tamen vult S. Bonauentura omnino cum D. Hilario asserere, priùs iussum esse Ioseph ire in Iudæam, deinde mutato præcepto Missum in Galilæam, sed admonitum quidem Iosephum, vt ex Ægypto transiret in regiones Israël, quæ & Galilæam continent; at sibi visum fuisse, Diuinam voluntatem videri, vt in vmbelico, Hierusalem scilicet cum Filio moraretur, vbi erat cultus Dei florens ob templum; postea verò videntem periculum pueri non existimasse, Deum voluisse eum rursus periculo vitæ exponere, quem in remotas plagas iam ante ob id abduxerat; suspiciosum tamen rursus ab Angelo admonitum, vel inspiratum, non esse iussum, vt præcisè in Hierusalem moraretur, sed posse in Galilæam diuertere 11

diuertere; ac diuertisse: Et hæc est sententia etiam D. Augustini, *libro de consens. Euangel. capite 9.* quam laudat Suarez, *disputatione 17. sectione 1.* Sic enim dicitur: *Admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ*, vbi D. Hilarius, can. 2. in Matth. *Per Angelum admonetur, vt in Galilæam transeat, &c.*

12 Dices: Quomodo igitur regnante Archelao, qui imperauit nouem annis, vt omnes historiæ referunt, non timuêre in Hierusalem singulis annis ire, vt dicitur *Lucæ 2.*

Respondet D. Augustinus *libro 2. de consens. Euangel.* potuisse nouem diebus solemnibus à Deo præceptis inter tantam multitudinem non discerni, & ideò venire etiam absque minima suspicione, vt præceptum Domini impleretur, vt omnis masculus ter singulis annis in Templo appareret *Exodi 13. & 34.* & *Deuteronom. 16.* Fœminæ quidem non tenebantur; sed Beata Virgo ex religione ibat cum sponso. Sponsus verò semel tantùm, idest, in Paschate ibat; quia distabat quatuor dierum iter, & cum distantibus tanto interuallo dispensatum erat: Ita apud Maldonatum Hugo, & Lyranus. Ipse verò Maldonatus existimat, Iosephum etiam aliis festis solitum fuisse eò ire, cum D. Bonauentura ad eum locum Lucæ.

13 Ad id verò, quod afferebat in primo dubio, Herodem regnasse tunc in Galilæa, vnde erant securiores, quàm in ditione Archelai: Respondet D. August. *lib. 2. cap. 8.* nondum Patrem eius Herodem habuisse Tetrarchiam Iudææ.

Respondetur secundò, Iosephum magis timuisse sub Archelao, tum quia erat proprius Rex Iudææ, & Hierosolymis imperabat; vnde Regem Iudæorum nouum timebat, & quia crudelis erat, & tyrannus.

Tandem concludit S. Doctor *in Meditationibus, loco citato*, Christum rediisse die septima Ianuarij, vt tenet Ecclesia.

QVÆSTIO II.

Quæ fuerit viuendi ratio Christi *vsque ad annum trigesimum.*

14 De tempore à reditu ex Ægypto ad annum duodecimum habemus eum vixisse Nazareth, vt habetur *Lucæ 2.* & notant Patres cum D. Bonauentura *ibidem.* Ibi autem vitam pauperem transigens sudoribus Ioseph, & laboribus Beatæ Virginis viuebat, vt ait S. Bonauentura *in Meditationibus, cap. 13.* vbi supponit id, quod *cap. 12.* dixerat, S. Ioseph fabricali arte insudasse. Addit S. Doctor in fine, ibi adhuc esse fontem, vnde Iesus adhuc puer auferebat aquam, in domum eam portans, vbi alia etiam domestica seruitiola exequebatur pro viribus.

15 Duodecimo autem anno accidit, vt ascendentibus è more Iosepho, & Maria quotannis Hierusalem in Paschate, iuxta præceptum, à quo non nisi ægroti dispensabantur: *Remansit puer Iesus in Hierusalem*, quò sanè cum parentibus semper ibat, vt videtur semper supponere S. Lucas, dum ait, Christum remansisse ascendentibus illis ex more. Hanc historiam multis illustrat notationibus, & historiis Cæsar Baronius, *anno 12.*

16 Multas rationes, ob quas Iesvs, à parentibus se subducens, remansit Hierusalem, refert D. Bonauentura, *in Meditationibus, cap. 14.* Primò vt ostenderet, eum, qui vult Deo adhærere, separandum à propinquis: Secundò qui ariditate affligitur spirituali, consolationem arripiat, videns in similibus angustiis Beatam Virginem iacuisse: Tertiò, ne cum Dei opera fecerit, sit proprij sensus, sed ad opera pietatis reuertatur: Sic enim, & Christus triduo in his, quæ patris sunt, moratus: *Descendit cum parentibus Nazareth: & erat subditus illis.* Idem habet S. Bonauentura *ad 2. Lucæ.* Vbi ampliùs aduertit, non fuisse hoc ex negligentia parentum, vel casu factum: Et quidem causa data est etiam humana; nam in restitutione templi ab Herode facta, refert Iosephus 17 Iudæus *libro 6. de Bello Iudaico, cap. 6.* proprium locum, segregatum pariete, fuisse viris, & mulieribus destinatum in templo ad orandum, vt refert etiam Baronius *loco citato*, Itaque facilis fuit amissio pueri, dum Mater eum cum Iosepho arbitrabatur; & Ioseph credebat esse cum Matre, quacum puer cùm esset, potuit ingredi ad templum, vt ait etiam D. Bonauentura *ad 2. Lucæ.* Ipse igitur Iesvs virili animô, quamvis sciret angustias Matris, sequester abiit, vt exemplum daret postponendi Patrem, & Matrem Deo, vt ipse postea, *Matth. 10.* edocuit, & hoc à tenera ætate incepit, vt alios Sanctos ad idem animaret, quorum aliquos refert S. Doctor ibi: Vixit autem triduo illo mendicans, vt notat Suarez *disputat. 17. sect. 3.* ex D. Bonauentura, atque aliis.

Triduo autem illo in templo degens, disputauit interrogatus, & edocens: Interrogabat; vt 18 adolescentes edoceret, seniorum sapientum effata attendere: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.* Proverb. 13. *Audi tacens, & pro reuerentia accedit tibi bona gratia.* Ecclesiastici 32. & *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ioannis 8. Interrogabat, vt hortatur Iob: *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam.* Et Deuteronom. 32. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.* Sic igitur docuit illud Ecclesiastici 18. *Antequam loquaris, disce.* Vide S. Bonauenturam, præclare de his disserentem.

19 Stupebant autem (ait S. Doctor) & meritò æquius, quàm Regina Saba, audiens sapientiam Salomonis, 3. Regum 10. *Mirabantur Iudæi, Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Ioannis 7. Erat enim semper operibus fabrilibus destinatus: Reliqua vide in D. Bonauentura, qui præclarè totam historiam prosequitur, & commentatur.

Quomodo autem intelligatur id: *Proficiebat ætate, sapientiâ, & gratiâ*, iam dictum est, *disp. 11. quæst. 4.* & *disp. 14.* passim.

20 Observat autem Suarez, Christum ante triginta annos miracula non patrasse: Ideò enim, *Ioan. 2.* dicitur in nuptiis: *Hoc fecit Iesus initium signorum.* Attamen ibi S. Bonauentura existimat, inter signa computandam stellam, quæ Magos perduxit: Ideò Chrysostomum allegat dicentem, *homilia 22. in Ioannem*, hoc fuisse initium signorum post baptismum.

21 Relinquitur ergo, Christum obscurè vixisse ad triginta annos, humanitate summa, laboribus fabrilibus intentum post mortem S. Ioseph, qui ante defunctus erat, vt aiunt Patres: Vnde Marci 6. *Dicebant Iudæi, nonne hic est Faber, Filius Mariæ?* Quippè, qui post longum plurium annorum velut tyrocinium, artem illam solus exerceret, in suæ, & matris paupertatis solatium.

DISPV

DISPVTATIO XXXIII.

DE BAPTISMO IOANNIS.



QVAMQVAM Baptismata à Petro, Paulo, aliisque ministrata, non ipsorum dicantur, sed Christi; speciali tamen ratione Baptismus, de quo hîc disputatur, non Christi, sed Ioannis nuncupatur. Cùm enim gratia effecta, & emerita sit per Christum, eos sibi meritò Ritus vindicat, quos ideò instituit, vt illorum applicatione, aliorum esto ministerio, Dei Dona in animas fidelium deriuentur: Ioannes quidem baptizauit in aqua, cuius tactus obduratas peccati sordes, intus succurrente contritione eluebat, non propriâ virtute; vnde cùm fuerit dispositio, & insinuatio perfectioris in Christo baptismatis, non absonè dicitur esse Ioannis; vt primæ causæ introductio formæ reseruata indicetur, dum secundæ ad illam disponere conceditus. Porrò in hoc sacro ritu plura, notatu digna, interuenisse ex Euangelio colligimus. Primum est prærogatiua quædam ipsius baptizantis sanctitas, à Prophetis olim prædicta, & ab ipso Veritatis oraculo, Verbo nimirum incarnato, demum confirmata; dum ait: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Deinde occurrit ardua illa Salvatoris demissio, qua peccatorum lauacrum lubens subiuerat, Denique cœli patefactio, Spiritus Sancti sub specie columbæ descensio, & Patris vox audita, sunt sigillatim ordine pertractanda.

QVÆSTIO I.

Quodnam fuerit PRÆCVRSORIS *opus, &* *quis Ioannes.*

1 SVPPONENDVM primò cum D. Bonauentura, *ad 1. Ioannis*, hunc magnum Dei Præconem Verbi, qui ideò Vocem se nominat *Ioannis 1.* fuisse hominem, non Angelum: Sic enim de fide statuitur, Ioan. 1. *Fuit homo Missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Hoc autem assertum est, quia ob excellentissimam gratiam, & sanctitatem, (adde vaticinium Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum*, quod de Ioanne interpretatus est Christus, *Matth. 11.*) potuisset credi Angelus, vt ostendit ibi S. Bonauentura, Angelum enim eum credidit Origenes, *tomo 5. in Ioannem.*

2 Ex his habes, hunc heroëm à prophetis prænunciatum, vt notauit etiam Seraphicus *ad 1. Luca*, afferens illud vaticinium, Isa. 49. *Dominus ab vtero vocauit me, &c.* Et illud, cap. 40 *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.* Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum.* Vide S. Doctorem præclarè ibi de Ioanne eloquentem, *Luca 1.* in Euangelio annunciationis, Natiuitatis, & circumcisionis infantuli. Panegyricos etiam geminos habes inter sermones Seraphici de S. Ioanne. Alia etiam habes *ad 3. Luc.*, & ad totum primum caput Ioannis.

IGITVR vt Ioannes Vox agnosceretur: *Factum est verbum Domini super eum*, Lucæ 3. *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ, sicut scriptum est: Vox clamantis, &c.* 3

VT etiam impleretur Malachiæ vaticinium, dicitur Ioan. 1. *Fuit homo missus à Deo, &c.* & Lucæ 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem, &c. Et venit, &c.* & Lucæ 1. dicitur: *Tu puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis ante Dominum parare vias eius:* Ita etiam Suarez *disp. 24. sect. 2.*

HIS præmissis contentio cum petulantibus hæreticis est, quodnam fuerit munus Præcursoris, dicunt enim ministerium eius fuisse, legem abrogare Mosaïcam, & totum statum religionis mutare: Ad hæc autem portenta enomenda adducunt illud Lucæ 3. *Lex & Propheta vsque ad Ioannem.* 4

ASSERO tamen primò, munus Ioannis fuisse tantùm præcurrere Christum, eumque indicare, ma- 5

nifestare

nifestare mundo, eiusque salutem per Baptismum dandam adumbrare.

PROBATVR à D. Bonauentura *ll. cc.* è Scripturis, quæ de Ioanne loquuntur; nam *Isai.* 40. dicitur: *Vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini.* Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Lucæ 1. *Tu puer, propheta Altissimi vocaberis: præibis ante Dominum parare vias eius*, clarius Ioan. 1. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes: Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. Non erat ille Lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Sic explicant munus Præcursoris Patres omnes, exponentes ea loca Ioannis, & Lucæ, præsertim Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, & alij statim referendi.

6 ASSERO secundò, non pertinuisse ad Præcursorem abrogare veterem legem; condere nouam, aut novum Testamentum. Est de fide: Iam probatum est 1. 2. *tract. de Legibus, disp.* 1. *quæst.* 9. Christum esse Legislatorem, nec alium esse noui Testamenti conditorem.

PRÆCLARE id ostendit S. Bonauentura ad Ioan. cap. 1. ad ea verba: *Non erat ille Lux, sed vt testimonium perhiberet de Lumine.*

7 ET infrà: *De plenitudine eius omnes accepimus; quia Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Sub gratia autem clauditur Lex gratiæ, quæ dicitur Lex spiritus, *Rom.* 8. hæc autem per Christum facta est, qui legem compleuit, *Matth.* 5. Ideò *Galat.* 4. dicitur: *Cùm essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* His argumentis probat D. Bonauentura ad ea verba, quæ non sunt
8 Præcursoris, vt putat Suarez *disput.* 24. *sect.* 2. Sed Euangelistæ, vt notat ibi S. Doctor, qui addit etiam testimonium Chrysostomi, *homil.* 13. *in Ioannem*, post medium, *tom.* 3. vbi quærit; quorsum addit, Christum è regione Moysis Legislatoris attulisse gratiam noui Testamenti, cum ante iam dixisset, Verbum plenum gratia, & veritate, vtique ad communicandam: Et respondet, comparari Christum non modò cum Ioanne, sed etiam cum Moyse, qui apud Iudæos altior æstimabatur, vt neuter Legis gratiæ Lator censeretur, sed vtroque sublimior Christus: Id demonstrat *homil.* 3. operis imperfecti, vt refert Suarez *loco citato.*

9 IOANNEM porrò non abrogasse legem, sed obseruasse probatur, quia ob existimatam in eo obseruantiam miserunt Iudæi nuncios, vt interrogarent, an esset Christus, vt dicitur *Ioan.* 1. & cum negasset, se esse Christum; & Præcursorem, confiteretur; rursus coactus est dicere, cur baptizaret, cùm non esset Christus, vt notat D. Bonauentura ibi; & eum insimularunt, etiamsi Baptismus non esset præceptus, multò minus tacuissent; si Legis transgressorem offendissent.

10 FVNDAMENTVM verò hæreticorum ex Luc. 11. *Lex, & Propheta vsque ad Ioannem*, solutur à S. Doctore ad eum locum, solùm enim significauit, eatenus terminasse in Ioanne, quatenus ipse incepit prædicare Christum, qui *Est finis Legis*, vt ait, Apostolus *Rom.* 10. Licèt igitur posset dicere: Lex, & Prophetæ vsque ad me, quia ipse est finis Legis, tamen voluit nominare Ioannem, quia ostendit Agnum, Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, & ipse iam ostendere incepit veritatem opertam, ac per hoc euacuare figuram, quia enim Lex, & Prophetæ omnes promittebant Christum futurum, & Ioannes ostendit præsentem, ideò Lex, 11
& prophetæ vsque ad Ioannem, & quia: *Christus finis est Legis*, per inchoationem noui Testamenti; ideò sequitur: *Ex eo regnum Dei Euangelizatur*, idest, ab eo Euangelium gratiæ inchoatur. Vnde Marcus incipit Euangelium: *Initium Euangelij Iesu Christi, Filij Dei. Sicut scriptum est in Isaia: Ecce ego mitto Angelum meum.* Et Beatus Lucas in conceptione Ioannis exorsus est, dicens: *Fuit in diebus Herodis, &c.*

Ex his iacet soluta etiam alia dubitatio: quomo- 12
do prophetæ habeant finem in Ioanne, cum post eum plures, vt Ioannes Apostolus, & alij prophetauerint.

RESPONDET enim D. Bonauentura cum D. Hieronymo *Matth.* 11. Sermonem esse de Prophetis, qui de Christo diuinarunt; nam quia Ioannes ipsum, quem ipsi futurum asserebant, præsentem indicauit dicens: *Ecce Agnus Dei*, ideò eorum Prophetiæ in Ioanne habent finem Christum; licèt enim alia etiam contineant Prophetiæ, tamen, quia subiectum principale erat Christus, ideò eo præsente indicato à Ioanne implentur: Hæc habet etiam Suarez *disp.* 24. *sect.* 2.

ITAQVE ex S. Bonauentura, *loco cit.* & *in* 4. *dist.* 13
3. *part.* 2. *quæst. vltima, ad* 1. Lex terminata est in Ioanne, quia inclusiuè (vt cum Philosophis loquar) & intrinsecè durauit vsque ad illum, & in eo infirmata est: noua verò Lex extrinsecè incepit in Ioanne, sicut dies à Lucifero dicitur incipere: Ita loquuntur Tertullianus *lib.* 4. *in Marcionem, cap.* 33. Gregorius Nazianzen. *Oratione* 20. & 21. & D. August. *in quæstionibus noui, & veteris Testamenti, quæst.* 69. apud Suarez *lo. o cit.* Hinc ait Chrysostomus, apud D. Bonauenturam ad id. Lucæ 1. *Et* 14
permansit mutus. Ioannes est Apostolorum vox, silentium Prophetarum, idem habet explicans illud: *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.*

QVÆSTIO II.

Quæ fuerit IOANNIS *sanctitas.*

EA, quæ concionibus deseruiunt, alio in opere 15
aptanda contexam: Hic verò ea, quæ Scholam decent, afferam: Insigne est encomium, quod Ioanni adtexuit Salvator, Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

HÆRETICI, qui nullo in sancto veram admittunt sanctitatem, sed solam imputationem, negant, laudari hîc sanctitatem Ioannis, sed dicunt acclamari eius officium.

ENIM verò laudatur quidem ex munere; at 16
etiam ex sanctitate, vt notat D. Bonauentura ad ea verba Lucæ 1. *Erit enim magnus coram Domino: vinum, & siceram non bibet*, hinc enim ea magnitudo prædicitur ex austeritate, ex abstinentia, & aliis virtutibus.

CONFIRMATVR à S. Bonauentura *in* 2 *dist.* 29. *quæst. vlt. in corpore*, nam subdit: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo*, vbi comparatur cum Angelis secundùm gradus, quos habent in regno cœli, qui profectò est secundùm gradum charitatis, vt notat S. Doctor *ad* 7. *Lucæ*, ad ea verba: Confirmatur; nam quoad officium Angeli, ibidem eum Angelis adæquat, vt notat S. Doctor 1. *part. de Ecclesiast. Hierarch. cap.* 1. paulò post initium.

ALIO modo explicat id S.Doctor *ad 7. Lucæ*, de Christo, qui minor exinanitione fuit in regno cœlorum, idest in Ecclesia.

17 CONFIRMATVR ex SS.PP. Chrysost. *homil.* 37. *in Matth.* Theophyl. Enthym. & aliis expositoribus, Ambrosio *lib.* 5. *in Lucam*, August. *lib.* 2. *cont. aduers. Legis*, *cap.* 5. & *tract.* 13. *in Ioan.* Epiphan. *hæresi* 26. qui solùm Christum anteponunt inter sanctos; nam exceptio, vt aiunt Iuristæ, firmat regulam in contrarium: Ergo Christus se solum excipiens, omnes alios postponit: Egregiè hoc differit Ambrosius *serm.* 94. & Cyrillus Hierosol. *catech.* 3. & D.August. *serm.* 23. *de sanctis*, & *præf. in* 2. *enar. in psal.* 29. ipsos vide.

18 ADVERTE, Seraphicum in Meditationibus vitæ Christi *cap.* 30. Ioannem præferre etiam Apostolis, quod probat ex D.Bernardo, sermone de Priuilegio S.Ioannis, quia Ecclesia in festiuitate eos Ioanni postponit, & Romæ prius consecratur Ecclesia Saluatori,& Ioanni, quam Apostolis: Hoc tamen ex *Matth.* 11. constare negat Suarez *disputatione* 24. *sect.* 3.

NEQVE tamen includitur cum reliquis B Virgo, vt ipsi Patres notarunt; nam cum viris eum comparat, non cum fœminis, vt notat Suarez cum D. Bonauentura ad ea verba Lucæ 7. *Maior Ioanne Baptista nemo est*, vbi pro B.Virgine affert *ibi* Cant.6. *Vna est Columba mea.*

S. BONAVENTVRA in 1. Ioannis, ad ea verba:
19 *Et confessus est: non sum ego Christus*, comparat natalia originis Ioannis cum origine Christi, & dicit, ideò voluisse Hebræos, vt Christo præferretur, & Christum se assereret, quia Iesus erat plebeius; at ipse erat nobilissimus filius Principis Sacerdotum, quod idem asserunt Bernardus sermone de priuilegiis Ioannis, Ambrosius, Beda Euthym. *Luca* 1. August. *tract.* 49. *in Ioannem*, & ideò annunciatum volunt à Gabriele in Sancto Sanctorum, dum officio fungeretur sacratissimo: Hoc tamen negat Suarez *disp.* 24. *sect.* 3. Toletan. *in cap.* 18. *Ioan.* Baronius *in apparatu*, vbi firmis rationibus id se probaturum spondet.

20 PROBAT autem id infrà cum Suarez primò, quia non dicitur Zacharias summus Sacerdos, sed simpliciter Sacerdos: Deinde, quia dicitur, eo fungi secundùm ordinem vicis suæ; at summos Sacerdos non fungebatur secundum vices suas cum aliis, quia ipse solus erat in suo munere.

21 HANC inextricabilis esse argumentationis rationem acclamat Baronius. Hæc tamen ludrica sunt: Primò quidem nil refert, si Zacharias dicitur tantum Sacerdos, quia intentum Lucæ erat solùm probare lineam Ioannis è stirpe Aaron, vt PP. aduertunt. Deinde dicitur fungi secundùm ordinem vicis suæ, quia aliis diebus ordinarij Sacerdotes offerebant secundùm ordinem vicium suarum; solus verò Pontifex eò introibat, vt ait Apostolus, *ad Hebr.* Quod verò dicitur: *Sorte exiit*, non indicat sortem Sacerdotij, sed sortem actionis, non absolu-
22 tè, sed in relatione ad apparitionem Gabrielis, & est sensus: euenit, vt dum suffiret, appareret ei Angelus: Vel si sortem significat Sacerdotij, indicat, se non vsurpare, sed Dei electione creatum Pontificem, vt dicitur Sap. 3. *Dabitur illi sors in templo Dei acceptissima*: exiit, vt prunas de Altari acciperet, vt inter Sanctum Sanctorum adoleret: Ita D. Bonauentura ad eum locum. Quòd verò dicitur de vice Abia, cuius familia erat octauo loco in ordine 1. *Paral.* 24. Hi autem ordines, Tiermæ dictæ sunt 2. *Paral.* 21. nil obest; nam deficientibus aliis potuit octaua familia iam esse prima tempore Zachariæ in successione Pontificatus.

IS igitur vir sanctificatus est in vtero matris, vt 23
omnes PP. tenent, & tota Ecclesia: *Teneris sub annis ciuium turmas fugiens* in eremum, vitam degebat solitariam, Eremitarum author (quidquid nugentur Hæretici) sic dicitur Lucæ 1. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel*, idest, ad tempus prædicationis: Quæ latè prosequitur S. Bonauentura, ibi, & Suarez *disp.* 24. *sect.* 3.

FIRMISSIME autem credendum est, nunquam eum mortaliter peccasse.

PROBATVR à D. Bonauentura *ad* 1. *Lucæ*, vbi 24
dicitur: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*, vbi indicatur sanctificatus iuxta id Hierem. 1. *Antequam exires, sanctificaui te*, & consummatam gratiam, idest, confirmationem accepisse: Sic obseruat cum S.Doctore, Iansenius *cap.* 1. *Concordia*, & Suarez *disp.* 24. *sect.* 4. Hoc idem colligit ex illis verbis S. Cyprianus *lib.* 1. *epist.* 6. Idem alij Patres docent, apud Suarez *loco citato*.

BRENTIVS, & alij hæretici apud Canisium *lib. de S.Ioanne*, *cap.* 6. dicunt, Ioannem grauiter peccasse, quando recusauit Iesum baptizare.

RESPONDETVR ex D. Bonauentura ad ea Ioan- 25
nis: *Ego nesciebam eum*, Ioannem hæc dixisse, quia cognouit, eum esse Filium Dei, & ideò hic actus fuit reuerentiæ, fidei, humilitatis, & modestiæ, vt intelligunt PP. Ambrosius *lib.* 2. *in Lucam*, Chrysostom. *homil.* 12. *in Matth.* Cyprian. *lib. de operibus Card. cap. de Baptismo Christi*, Augustin. *sermone* 29. *&* 37. *de tempore*, & alij Patres, apud Canisium *loco citato*. At hæretici omnia more solito peruertunt.

DEINDE aiunt hæretici, Ioannem fuisse ignarum aduentus Christi: Sic enim dicitur Ioan 1. *Ego nesciebam eum*. Addunt alij, etiam post Baptismum id ignorasse; nam misit discipulos ad Christum, vt interrogarent: *Tu es, qui venturus es?* Matth. 11. Imò eum penè hæreticum faciunt, vt refert Maldonatus *Matth.* 3.

QVOD si ignorabat eum, sequitur temerariè an- 26
tea attestatum: *Ecce Agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi*, vt sibi opponit Chrysostomus *homil.* 16. *in Ioan.* ante medium, vbi ait: *Qualis testis tunc fide dignus eras, & qualiter alios docebas ignorans?*

E contrà verò agnouit Christum ex vtero matris; nam audita voce Matris Dei: *Exultauit infans*, Lucæ 1. & Ioan. 1. ait: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?*

Vrget etiam D.August. tract. 5. in Ioan. *Qualiter ait nesciebam; qui ait de Christo, quod erat prior eo, idest diuinitate; & quod erat post eum factus, scilicet secundùm humanitatem?*

HIS omnibus, sibi obiectis, respondet S.Doctor 27
ad 1. *Ioan.* ad hæc verba multis modis ex Patribus, circa quod multa discurrunt Commentatores, & inter modernos Toletus *ad* 1. *Ioannis, annot.* 72.

PRIMÒ affert responsum Chrysostomi, *homil.* 16. *in Ioan.* Euthymij, & Theophylacti *ad Ioan.* 1. eum semper ab vtero cognouisse Christum Redemptorem Deum, & quidquid erat; sed de facie non cognouisse, antequam ad baptismum veniret, quia nunquam eum viderat, quod Diuinâ prouidentiâ factum est, vt testimonium Ioannis esset insuspicabile amicitiæ cum Christo, qua motus talia de eo astrueret; sed agnosceretur Diuina reuelatio.

Adverte, Seraphicum hic respondere Theologi- 28
cè, & Scholasticè, quia *in Meditat. vita Christi*,

cap.

cap. 13. contemplatur Christum per desertum, ex Ægypto redeuntem diuertisse, vbi puer Ioannes pœnitentiam agebat, sed hæc ibi fatetur, se ad deuotionem meditari.

29 HANC expositionem præmittit S.Doctor, quæ est verior, vt non ait Suarez *disp.* 24. *sect.* 4. Maldonatus *ad cap.* 3. *Matth. num.* 14 Toletus *loco citato*, & alij: Cæteræ enim difficultates patiuntur, vt illa D. Augustini *tract.* 5. *in Ioan.* quam sequuntur Strabus, & Lyra; cognouisse quidem ante, eum esse Christum, sed non agnouisse eum sibi reseruaturum potestatem baptismi sanctificantis instituendi: Hoc enim habet difficultatem; nam ante dicebat: *Ille vos baptizabit Spiritu sanct., & igni.*

ALIA expositio similis est D.Hieronymi, quod Ioannes sciuit, Christum esse Filium Dei, non tamen sciebat redemptionem, & salutem per Baptismum Christi dandam vniuerso: Hæc etiam eandem patitur difficultatem.

30 CONTRA tamen primam expositionem est, quia ante Baptismum videns Iesum venientem ad se ait: *Ecce Agnus Dei*: Ergo etiam e facie nouerat eum. Cur ergo dicit: *Nesciebam eum?*

RESPONDET D. Bonauentura ea Chrysostomo, & aliis *ad cap.* 1. *Ioan.* quos sequitur Suarez *disp.* 24. *sect.* 4. Ioannem non vno modo cognouisse Christum, sed priùs propheticè, & interiori reuelatione, deinde externa, sicut Samuel 1 *Regum* 16. priùs sciuit prophetice, vnum e filiis Isai electum regem: postea vero è facie aduenientem Danidem, Domini monitu accepit eum esse. Addunt signum datum: *Super quem videris Spiritum sanctum*, non fuisse ad eius cognitionem, sed ad testimonium; ideò enim Ioannes subdit: *Et ego vidi: & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.*

31 ADDIT Suarez, incertum esse, an Ioannes dixerit ea verba: *Ecce Agnus Dei*, ante Baptismum; nam post ea verba: *Altera autem die vidit Ioannes Iesum venientem, & ait: Ecce Agnus Dei*, subdit: *Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum sanctum, quasi columbam descendentem*: Ergo id dixit post Baptismum.

32 ATTAMEN S. Bonauentura cum Chrysostomo *homilia* 16. *in Ioannem*, Gregorio Magno *homilia* 6. *in Euangelium, & homilia* 1. *in Ezechiel.* vult, eam indicationem præcessisse baptismo: Quòd verò Euangelista subdit: *Et testimonium perhibuit, &c.* non est narratio historiæ Baptismi, facta ab Euangelista, sed est noua diuersa testificatio facta post baptismum, non coniuncta cum præcedenti: Igitur verba illa: *Ecce Agnus Dei*, ante Baptismum dicta sunt; altera verò attestatio facta est post eum.

RESTAT videre quomodo Ioannes cognouerit Christum accedentem ad Baptismum, priusquam columba super eum apparuisset.

33 RESPONDETVR ex S.Doctore, Ioannem tunc habuisse reuelationem; attamen quoad omnia completam in apparitione Columbæ, vt posset de omnibus testimonium reddere: Ita etiam Suarez. Per eam verò mysteria Baptismi, eiusque virtutem didicit perfectè, vt ait D. Bonauentura ea D. Augustino *tractat.* 6. *in Ioannem*, quæ mysteria vide *ibi*.

QVOAD illud verò, quod primo argumento opponebatur, Ioannem misisse discipulos ad Iesum, vt scirent, an esset Messias.

34 RESPONDET Suarez, & Maldonatus *loco citato*, cum S.Bonauentura *in* 4. *distinct.* 2. *dub.* 5. & *ad* 7. *Lucæ*, Ioannem non misisse discipulos, quia dubitaret, an ipse esset Messias, sed quia morti vicinus voluit ostendere suum ministerium Præcursoris completum, iam Christo incipiente docere; misit eos ad Iesum, vt videntes suum de illo redditum testimonium miraculis confirmari, crederent id, quod ipse testatus erat, esse Agnum Dei: Erant enim discipuli suo Magistro Ioanni deuotissimi, qui eius vitam adeò cœlestem intuentes; vitam verò Christi ordinariam, non propendebant in Christum; existimabant autem ea, quæ à Ioanne dicebantur de Christo, ea modestia, & humilitate sola emanare.

ITAQVE voluit Ioannes ad Christum deuotos 35 reddere: Ita sentiunt Hilarius, Chrysostomus, Author imperfecti ad eum locum; Cyrillus Alexand. *lib.* 2. *Thesaur. cap.* 4. Euthymius, Theophylactus, & Rupertus relati a Maldonato; qui addit, innuisse Ioannem discipulis, vt nomine ipsius præceptoris interrogarent, quasi ipse dubitaret, quia alioqui à se ipsis non essent ausi: Sic ipse se ægrum cum ægris fecit, iuxta id, 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*

HIS adde Hieronymum *epist.* 151. *quæst.* 1. vbi tamen aliud motiuum Ioannis addit, voluisse scire, an esset venturus ad inferos, quam expositionem secutus est Gregorius *homil.* 6. *in Euang.* & *prima in Ezech.* & eam addit etiam Beda *lib.* 3. *in Lucam, cap.* 27. Eandem secuti sunt Ambrosius *lib.* 7. *in Lucam*, Eusebius Emiss. *in homiliis*, Iulianus Pomerius *lib.* 3. *cont Iudæos*, Venantius *in expositione Symboli*. Hanc inuenêre expositionem, meliori non suggesta. Vide D Bonauenturam, *ad* 7. *Lucæ*, vbi multa præclara edisserit circa hoc.

NOTA, Seraphicum *serm.* 2. *Dominica secunda* 36 *Aduentus*, sic explicare ad mentem D.Gregorij *homilia* 6. *in Euang.* & 1. *in Ezech.* an esset venturus ad inferos ad liberandos Patres, &, an moriturus, sed hæc dicit per modum prædicandi, conceptum afferens.

FALSVM verò est id, quod docet Author 38. *quæstionum ad orthodoxos*, qui censetur Iustinus & Tertullian. *lib. aduersus Marcionem*, 4. Ioannem de Christo dubitasse.

ILLVD etiam addam cum S.Bonauentura *in Meditationib. vitæ Christi, cap.* 56. B. Ioanni primò factam reuelationem SS. Trinitatis expressiorem, quod probat ex D.Bernardo *de priuilegio D.Ioan.* & nititur Euangelio, quia ipse agnouit Filium Patris æterni: Hoc tamen intellige, comparando cum aliis fidelibus; nam B. Virgini *Lucæ* 1. facta est etiam, vt fatetur D. Bonauentura ibi; vbi Filius Patris, & Spiritus sanctus nominantur 37

REMANET videndum, an Ioannes venialiter peccauerit in tota vita sua.

EQVIDEM video, Seraphicum Ioanni deuotissimum, id negare, *in Meditationibus vitæ Christi, cap.* 13. vbi ait, Ioannem egisse pœnitentiam, licèt nullum haberet peccatum: Idem asserit *sermone* 2. *S. Ioannis* in fine, & *ad caput* 1. *Lucæ*, innuit profectum religiosum eius, afferens hymni fragmentum.

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Idem tenent Galatinus *lib.* 7. *de Arcanis, cap.* 9. Catharinus *opusc.* 2. *de eximia Christi prædestin.* Idem indicant multi PP. atque adeò nullâ censurâ est hæc opinio digna, vt ait Driedo *lib.* 1. *de Gratia, & liber. arbitr. cap.* 1. *p.* 2. Suarez *disp.* 24. *sect.* 4.

NVLLVM autem inuenio ex PP. oppositum di-
38 centem, licèt generali, quadam locutione nullum
mortalium à venialibus eximant, quod secluso pri-
uilegio intelligendum est, vt definit Concilium
Tridentinum *sess. 6. can. 23.* Neque est absonum
dicere, hoc priuilegium ex gratia concessum alicui
Sancto, vt fatetur D. Augustin. *libro de Spiritu, & litter. cap 2. & epistola 95.* quam ipse cum quatuor aliis Episcopis Africanis ad Innocentium I. scripsit.

SCIO, Augustinum *lib. 5. in Iulianum, cap. 9.* inferre, eum, qui caret omni actuali culpa, carere etiam originali, sed probabile est etiam id, quod dixit locis primo adductis.

39 ADDO tamen, habuisse fomitem ad veniale, quod probat egregiè S. Doctor *in speculo B. Virgine, lect. 13.* ex illo Hymno allato; ad fugiendas scilicet leues culpas, eum fugisse in eremum. Probatur à Suarez, quia fomes est effectus peccati originalis, nec tollitur per emundationem ab eo, vt statuit Concil. Trident. *sess. 5. can. 5.* & experientia docet.

40 QVOAD gratias gratis datas. Primò certum est, fuisse Prophetam, vt probat S. Doctor, in Commentario Lucæ, ad cap. 1. *Tu puer, propheta Altissimi vocaberis.* Et eodem capite, prophetico saltu exultauit, ac Christum, quem non videbat, ostendit: Et cap. 3. *Factum est Verbum Domini super Ioannem. Venit fortior me, &c.* Ad cap. 1. Ioan. ex illis verbis: *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum, &c.* Et ad ea verba: *Propheta es tu?* vbi explicat, cur negauit dicens: *Non sum;* cum de eo scriptum sit: *Tu puer, Propheta, &c.* Lucæ 1. & Matth. 11. dicatur: *Plusquam propheta,* quod confirmat ex Glossa, & Chrysost. *homil. 15. in Ioan.* Gregor. *homil. 6. in Euang.* qui dicit, negasse se Prophetam, qui non modo venturum Christum, sed præsentem demonstraret: *Propheta (ait) est ventura obscurè prædicere, non clarè demonstrare:* Ita etiam Suarez citandus.

EAM porrò Ioannis humilitatem acclamant D. August. *tract. 4. in Ioan.* Gregor. *in Ezech. homil. 1. & homil. 7. in Euang.* Idem habent alij PP. apud Suarez *disp. 34. sect. 5.*

QVOAD interpretationem sermonum, saltem ad
41 loquendum canonicè, profectò habuit gratiam, vt
habetur in Euangelio.

QVOAD discretionem spirituum ad cognoscenda secreta cordium, maxime cogitationes, incertum videtur.

QVOAD gratias pertinentes ad sermonem, Gratiam fidei, scientiæ, & sapientiæ; Suarez asserit, eum hæc omnia habuisse.

QVOAD duas operationes gratis datas, dicitur Ioan. 10. *Ioannes signum fecit nullum.* Rationes autem huius affert ibi S. Bonauentura. Prima, quia erat Lucerna, quæ præibat Christum; vnde non debuit ipse signis, se probare Christum: Ita innuit S. Augustin *tract. 48. in Ioan.* Secunda, quia tanta erat sanctitas eius, vt etiam absque signis creditus sit Christus: Itaque multò magis decepti essent, si miracula patrasset. Vide S. Doctorem, ibi egregiè disserentem.

42 QVOAD gloriam Ioannis ex D. Bernardo refert S. Doctor *in Meditationib. cap. 30.* eum inter Seraphim præcellere: Ibi habet etiam laureolas Doctoris, Virginis, & Martyris. Vide Canisium, qui omnia de S. Ioanne latissimè integro Tomo discurrit.

QVÆSTIO III.

An BAPTISMVS *Ioannis essentialiter constiterit ex Materia, & Forma aliqua.*

BAPTISMVS Ioannis, qui nobis ex Euangelistis 43
constat, *Matth. 3. Marci 1. Ioan. 3. Lucæ 3.* aquâ
profectò naturali, tanquam materiâ, constitit, vt locis adductis refertur: Vsus verò quisquis fuerit; siue intinctio, siue immersio, fuit materia proxima, vt nomen ipsum Baptismi sonat, non tamen ibi exprimitur. Quæritur verò de Forma.

PRIMÒ aliqui Donatistæ dixerunt, eandem formam verborum fuisse Baptismi Ioannis, quæ nunc est Baptismi Christi: Ita refert S. August. *lib. 2. cont. Petil. cap. 32.* eodem errore capiuntur hæretici nostri sæculi, vt referunt Canis. *lib. 5. de S. Ioanne, cap 9.* Bellarmin. *lib. 1. de Sacramento Baptismi, cap. 19.*

SECVNDA sententia est, Ioannem baptizasse sub 44
aliqua forma, non quidem inuocando Trinitatem, sed Christum venturum, v. g. dicendo: Ego baptizo in nomine Christi venturi; vel alio simili modo: Citatur D. Bonauentura *ad litteram Magistri, dub. 5.* vbi tamen solùm ait, Ioannem baptizasse in nomine Christi venturi, quod potuit fieri, etiamsi nulla forma adhiberetur in Baptismo, sed solùm catechismus præcederet: D. Thom. etiam *quæst. 38. art. 6. ad 5.* qui pro hac citatur, idem omnino cum
S. Doctore, asserit: Allegatur etiam Magister *in 4.* 45
dist. 2. vbi nil ampliùs dicit, quàm, Baptismus Ioannis in nomine venturi tradebat: Idem ferè omnes, qui pro hac sententia allegantur, asserunt: Quare omnes, vt reor, volunt, Ioannem baptizandos instruxisse, vt crederent in eum, qui venturus est, post ipsum, vt dicitur *Actor. 19.* Hæc est mentio, quæ in eo baptismo fiebat Salvatoris, de qua D. August. *lib. qq. noui Testamenti, quæst. 29.* & Beda ad eum locum: Suarez tamen *disput. 35. sect. 1. §. Posterior pars;* opponit colligi ex *Marci 3. & Lucæ 7.* Ioannem ante Baptismum non exegisse, vt baptizando crederent in Christum venturum: Hoc tamen non video ibi, imò oppositum, nam ibidem dicitur, populus baptizatus à Ioanne iustificasse Deum; Pharisæos autem non baptizatos spreuisse Christum prædicantem: Vnde subdit Christus parabolam de pueris, quæ infert incredulitatem eorum verbis Ioannis, & Christi, circa ipsum Christum, vt aduertit ad eum locum D. Bonauentura, vbi ideò notat, Christum concludere: *Iustificata est sapientia,* idest, Christus.

TERTIA igitur sententia negat, Ioannem vsum 46
aliqua forma verborum: Ita Durandus *in 4. dist. 2. quæst. 3.* Gabriel. *quæst. 2.* Sotus *quæst. 2. art. 1.* Bellarmin. *loco cit. cap. 20.* Scotus verò *quæst. 2.* est problematicus.

CERTVM quidem est, Ioannem non baptizasse forma illa nostri baptismi; nam *Actor. 19.* negant baptizati baptismo Ioannis, se audisse nomen Spiritus Sancti.

PROBATVR etiam ex S. Bonauentura, *dist. 2. citata, artic. 2. quæst. 2. fundamento 2.* quia *Marci 1. Ioan. 1. Actorum 1.* Ioannes dixit, se baptizare aqua: Christum autem è contra, Spiritu sancto, nempè quia in Baptismo Ioannis, nil de Spiritu sancto dicebatur.

ASSERO, Incertum esse, an aliqua forma verbo- 47
rum adhibita sit in Baptismo Ioannis.

PROBATVR

PROBATVR argumento facto à D. Augustino, quia in Scriptura nulla forma inuenitur, imò vbique dicitur, baptizasse in aqua: Sic arguit etiam Suarez *disp.* 25. *sect.* 1.

QVÆSTIO IV.

Vtrum BAPTISMVS *Ioannis fuerit institutus à Deo.*

D. Bonau. in 4. dist. 2. art. 2. quæst. 1.
D. Thom. q. 38. art. 2.

48 ASSERO, hunc Baptismum fuisse institutum à Deo immediatè: Ita SS.DD. & Suarez *disput.* 25. *sect.* 3. contra Bellarm. *lib.* 1. *de Baptismo, cap.* 20. & contra Vulpem 49. *art.* 2. qui solam concedit in genere inspirationem.

PROBATVR ab vtroque S. Doctore *ex* 1. *Ioan.* vbi Baptista ait: *Qui misit me baptizare.*

RESPONDET Bellarm. è D. August. *lib.* 5. *de baptismo, cap.* 9. & 13. Tertull. *de Bapt.* Deum; inspirasse Baptismum in genere, non tamen ritu speciali. At in D. Augustino id non inueni.

PROBATVR secundò à D. Bonauentura, quia hoc officium Baptistæ est honoris magni: at homo Sanctus non vsurpasset hunc honorem, nisi vocatus fuisset. Nemo enim sanctus id præsumit, vt dicitur *Hebr.* 5.

49 PROBATVR tertiò à S. Doctore argumento Christi, Matth. 21. *Baptismus Ioannis vnde erat? è cœlo, an ex hominibus?* Si dixissent: è cœlo, volebat inferre: *Quare ergo non credidistis?* Si ex hominibus: Ergo non erat credendum: His mediis probatur etiam à Suarez *disp.* 25. *sect.* 3.

EXPLICATVR verò *in corpore*, eodem ferè modo ab vtroque sancto Doctore: Baptismus quidem Ioannis, quoad ritum, fuit à Deo, vt ostensum est: at verò effectus fuit ab homine, quia nihil in illo Baptismo efficiebatur, quod homo præstare non posset; fuit enim simplex lotio sacra, quoad significatum, non infundens gratiam, vt dicam *quæst.* 5. & ideò potuit Ioannes esse principalis administrator, & Baptismum hunc, licèt à Deo institutum, à seipso denominare: at Baptismus Christi, qui est renouatiuus animæ per gratiam, non denominatur, nisi à Deo, qui potest animam regenerare: Ergo quocunque baptizante, dicitur Baptismus Christi.

50 PER hoc soluitur argumentum, quod sibi opponit vterque S. Doctor, vt notat Suarez, *ad art. D. Thomæ.*

DICAS; etiam Euangelium dicitur Matthæi, cùm supernaturalem cognitionem contineat, cur ergo non Baptismus?

RESPONDET D. Bonauentura hìc, & *dub.* 4. *litter.* Euangelium exprimi ab Euangelista, qui fuit prin-
51 cipalis eius administrator, & quoad verba, & quoad intellectum, illuminatus à Deo, principaliter scripsit sensum quidem eundem, sed verba varia: Adde, non vocari Euangelium Matthæi, sed *secundum Matthæum*, idest, scriptum ab eo, non vt eius proprium, sed ad distinguendum Euangelium ab aliis Euangelistis conceptum.

QVÆSTIO V.

An BAPTISMVS *Ioannis contulerit gratiam; & an fuerit merum signum.*

D. Bonau. distinct. citata, art. 2. quæst. 2.
D. Thom. q. 1. art. 1. & 3.

ASSERO, hunc Baptismum gratiam non contu- 52
lisse: Est de fide definitum.

PROBATVR à D. Bonauentura ex D. Thoma, præcipuè, quia *Marci* 1. *Ioan.* 1. *Actor.* 1. apponitur antithesis Christi Baptismi cum Baptismo Ioannis, vt baptismus Ioannis sit in aqua simpliciter; sic enim ibi dicitur, Marci 1. *Ego baptizaui vos aquâ.* Ioan. 1. *Veni ego in aqua baptizans.* Actor. 1. *Ioannes baptizauit aquâ.*

E regione Christus dicitur baptizasse in Spiritu
sancto, nempè conferendo gratiam: Ita exponunt 53
Origen. *tom.* 8. *in Ioan.* Cyrillus *lib.* 1. *in Ioan. c.* 25. & *lib.* 2. *cap.* 57. Chrysost. *homil.* 10. 11. & 12. *in Matth.* & *homil.* 16. *in Ioan.* & *homil.* 40. *in Acta*, Basilius *homil.* 13. & *lib.* 1. *de Baptismo*, Hieronym. *Dialog. cont. Luciferianos*, Ambros. *Præf. in Psal.* 37. Gregorius *homil.* 7. *in Euang.* August. *cont. Donatistas* sæpè *lib.* 2. *cont. litt. Petiliani*, *cap.* 32. & *lib.* 3. *cap.* 56. & *lib. de vnico baptismo*, *cap.* 7. & *lib.* 5. *de Baptismo, cap.* 9. & 10. & *epistol.* 48. in fine, & *in Enchir. cap.* 49. & *quæst.* 29. *Noui Testamenti*, Leo Papa *epist.* 4. *cap.* 6.

PROBATVR secundò ab vtroque S. Doctore, 54
quia Baptismus Ioannis, sicuti & prædicatio, & totum Ioannis ministerium, erat præparatorium ad Christum, sicuti inferioris artificis, qui disponit materiam, vt supremus artifex formam inducat: Gratia autem erat inducenda per Christum, vt dicitur Ioan. 1. *Gratia per Iesum facta est.* Igitur Baptismus Ioannis disponebat tantùm primò doctrinâ inducente homines ad fidem Christi, vt dixi *quæstione* 3. Secundò assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi: Tertiò per pœnitentiam præparando homines ad recipiendum effectum Baptismi Christi: Ideò Damascenus *lib.* 4. *cap.* 10. Baptismum Ioannis rudimentarium appellat: Hæc est ratio Tertulliani, *de Baptismo*, *cap.* 10. qua vtitur Vulpes *disp.* 49. *art.* 6.

VIDETVR definitum in Concilio Trident. *sess.* 7. 55
can. 1. vbi anathemate ferit, qui dixerit Baptismum Ioannis habuisse eandem vim, quam habuit baptismus Christi.

Ex dictis igitur assero, Baptismum Ioannis fuisse ad significandum tantùm.

PROBATVR à S. Bonauentura primò, ex Hugone *lib.* 2. *part.* 6. *cap.* 6. ratione etiam, quia vt dixi, Baptismum Christi signabat.

OBIICIES primò cum hæreticis: *Marci* 1. dici- 56
tur: *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum:* Ergo per Baptismum Ioannis remittebantur peccata, & consequenter dabatur gratia.

RESPONDENT S. Doctor *ad* 1. hìc, duo baptismata indicari alterum, quod dedit; alterum, quod figurauit, & prædicauit Ioannes: Ergo vnum baptisma dabat, quod non erat in remissionem peccatorum; alterum verò figurabat, & prædicabat, idest, Baptisma Christi in remissionem peccatorum. Quæ expositio confirmatur testimonio eiusdē Baptistæ sic loquentis

Ioan.1. *Egobaptizo in aqua: medius autem vestram stetit, quem vos nescitis: Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Et infra: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto.*

CONFIRMATVR antithesi, suprà allata ex aliis Scripturis, Baptismi Ioannis cum Baptismo Christi. Hanc expositionem habet D.Gregor. *homil.* 20. *in Euang.* Beda super Marcum, & indicantur à D.Hieronymo in eundem Marcum Euangelistam.

57 INSTAT Suarez *ad art. D. Thom.* etiam baptismum ipsum Ioannis fuisse baptismum pœnitentiæ, vt dicitur Act.19. *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum*: Igitur cùm dicitur Ioannes prædicasse baptismum pœnitentiæ, prædicauit suum: Vnde Matth.3. dicitur: *Venit Ioannes prædicans, & dicens Pœnitentiam agite*, vbi Ambrosius ait: *Aliud fuit baptismus pœnitentiæ, aliud gratiæ.*

58 OPORTET pro responsione consulere Seraphicum ad ea verba Lucæ 3. *Venit prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, vbi discurrit, adducens illud Actor.19. *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum*, vocat autem (ait S.Bonauentura) baptismum pœnitentiæ, quia ad pœnitentiam informabat. Ideò Matth.3. dicitur: *Exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua*, sed licet ad pœnitentiam informaret, tamen remissionem peccatorum non faciebat; Intellige vt baptismus aquæ abluentis erat, sic enim solùm baptismum Christi figurabat, qui futurus erat in remissionem peccatorum: Enim verò, quia adhuc baptismum Christi non signabat sanè per ablutionem lachrymarum, quæ dicitur baptismus pœnitentiæ, & confessionem, cum contritione remissionem obtinebant, & hoc sensu multi PP. baptismum pœnitentiæ à Ioanne prædicatum asserunt, remisisse peccata, nec id D. Bonauentura negat: Id censet etiam D. Thom. hic, Caietanus, & Suarez cum Basilio *lib.*1. *de Baptismo*, & Nysseno.

Hoc modo intelligitur etiam id *Matth.*3. Ioannem dedisse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: Et D.Anselm. *lib. de Baptismo*, & Cyrill.Hierosol. *catech.*3. & August. *lib.*5.*de baptismo, cap.*9. *& lib. qq. noui testamenti, quæst.*29.

59 IGITVR dictus est baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, non quia baptismo illo, seu lotione daretur remissio, sed quia disponebatur ad pœnitentiã signis, & hortationibus; pœnitentia verò abluebantur peccata: Vnde Chrysolog. *serm.* 137. ait: *Erat penes Ioannem venia; sed non sine pœnitentia, erat remissio, sed luctibus comparata*, & infrà: *Per baptismum Ioannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promouebatur ad gratiam.* Et D.August.serm.37. de tempore: *Prædicabat in deserto Ioannes baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; non quo crimina commissa deleret, sed quo emendaret errantes: Nam remissio peccatorum Christi gratiæ seruabatur.*

60 OBIICIES secundò, Baptismus Ioannis fuit signum expressius baptismi Christi, quàm circumcisio; & Circumcisio delebat originale: Ergo & Baptismus Ioannis.

RESPONDET S.Doctor, circumcisionem constare, institutam in remedium, non in signum tantùm, sicut de Baptismo Ioannis ostendi: Ità & D.Thomas. Ex institutione autem pendet collatio gratiæ, quam proinde formaliùs signabat Circumcisio, etsi ablutio materialiter ablutione magis exprimatur: Hinc malè Vulpes *disp.*49.*art.*4. eos carpit.

QVÆSTIO VI.

Vtrum BAPTISMVS *Ioannis fuerit Sacramentum nouæ legis, aut veteris; & an fuerit distinctus à Baptismo* CHRISTI.

D. Bonau. 4. distinct. 2. quæst. vlt.
D. Thom. q. 36. art. 6.

DONATISTÆ, qui baptismum Ioannis confundebant cum Christi baptismo, asserent esse Sacramentum nouæ Legis: Id verò astruunt hæretici nostri temporis, qui volunt, Ioannem dedisse nouæ Legis initia: Eos referunt Lindanus *lib.*4. *Panopl. cap.* 16. Canisius *libro de S.Ioanne*, Bellarminus *lib.* 1. *de Baptismo, cap.*19. Illi consequenter dicunt, baptizatos baptismo Ioannis, non fuisse Christi baptismo abluendos. 61

FVIT autem opinio aliquorum Theologorum, Baptismum Ioannis fuisse verum Sacramentum, non veteris Legis, in qua non continebatur; neque nouæ, quia erat egenum elementum: Ita Hugo de S.Victore *libro* 2.*de Sacrament. punct.* 6. *c.*6. Magister *in* 4. *dist.*2. quem sequitur ibi D.Thomas *quæst.*2. *art.*1. *quæstiunc.*1. Durand.*quæst.*3. Paludan. *quæst.*2. *art.*2. Richard.*art.*2.*quæst.*1. Alens.4.*part. quæst.*3. *membr.*3. Marsil.*quæst.*2. *art.*2. quos refert Suarez *disputat.* 25. *sect.*4. qui his immiscet etiam D. Bonauenturam, eadem *distinct.*2. *quarti, artic.*1. *quæst.*2. 62

SENTENTIA S. Bonauenturæ ea est, Baptismum Ioannis, prout erat institutum ad præsignandum Baptismum Christi, fuisse signum rei sacræ, & ratione istius (ait S.Doctor) erat quodammodo Sacramentum, non absolutè: Et hoc solum volt ad id, Lucæ 3. *Factum est autem*, dum ait suscepisse Sacramentum. Fuit etiam institutum ad assuefaciendum baptismo Christi, dando simplicem lotionem, & hoc modo non est Sacramentum, sicut torneamentum, quo milites exercentur ad bellum, non est bellum: Sensus igitur est, non fuisse Sacramentum nouæ Legis, nec veteris, neque medium; sed solùm quodammodo, vt signabat ex Dei institutione Baptismum Christi: Id habet *art.*2.*quæst.*2. Pergit verò *q.*3. ostendere, Baptismum Ioannis non æquipolluisse Baptismo Christi, contra hæreticos. 63

ASSERO primò, non fuisse Sacramentum nouæ Legis. Est de fide.

PROBATVR à D.Bonauentura ex dictis à nobis *qq.*3.4.*&* 5. quia Sacramenta nouæ legis sunt tantùm septem, quæ conferunt gratiam ex opere operato: Talis non fuit Baptismus Ioannis: Ergo. 64

ASSERO secundò, Baptismum Ioannis non esse idem cum Baptismo Christo: Est de fide, contra Melanchthonem *in locis, anni* 58. *tit. de baptis. Ioannis*, Calvinum *in Antidot.* & *lib.*4. *Instit. cap.*15. §.7. *&* 8. Kemnitium 2. *part. Exam. pag.*175. & alios hæreticos, qui idem asserunt ministerium Ioannis, & Apostolorum. Ex hoc verò simul probabitur, baptizatos à Ioanne, rebaptizandos necessariò baptismo Christi.

PROBATVR efficacissimè à D Bonauentura, *fundamento primo*: Baptismus Christi iterari non potest, vt omnes hoc tempore, etiam hæretici fatentur (excipe Anabaptistas:) At baptizati à Ioanne iussi sunt ab Apostolis rebaptizari: Ergo non erat ille Baptismus Christi, quem Ioan- 65

nes

nes dabat: Probatur Minor à D. Bonauentura ex illo *Actorum* 19. vbi Paulus iubet, baptizari in nomine Domini duodecim viros, qui confessi fuerant, se baptizatos Babptismo Ioannis.

66 MIRVM est, quot diuerticula excogitarint hæretici ad hunc locum declinandum Zuinglius *lib. de vera, & falsa religione, de Baptismo*, respondet, ibi vtrumque Baptismum accipi metaphoricè pro doctrina, vt sensus sit, eos duodecim viros doctrina Ioannis imbutos, fuisse in doctrina Christi instituendos.

NON longè abeunt Ioannes Brentius, & Lucas Lessius *in c.19 Act.* dicendo ibi metaphoricè sumi baptismum priori loco, pro doctrina; posteriori verò, pro donis Spiritus sancti, quæ dabantur per manuum impositionem.

67 At isti ludunt, illegitimè deducentes historicam luce clariorem enarrationem ad metaphoricos sensus, quod est omnem doctrinam Scripturæ euertere.

BALLINGERVS *in cap.19. Actor.* dicit, Baptismum Ioannis sumi metaphoricè pro doctrina: Baptismum Christi propriè, atque sensum esse, eos duodecim viros à Ioanne edoctos, fuisse semel à Paulo baptizatos.

E regione Kemnitius *2. part. exam. pag.* 198. ait, Baptismum Ioannis accipi propriè, vt verè illi viri essent iam baptizati: at rebaptizatos non esse, sed tantùm edoctos, quæ Christi legem decent. In hunc sensum trahit Ambros. *lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3.* & Glossam Interlinearem *in cap. 19. Actorum.*

68 CALVINVS verò 4. *Instit. cap.* 15. §. 18. ait, Baptismum Ioannis accipi propriè, vt verè illi essent iam baptizati à Ioanne; baptizatos verò donis Spiritus sancti à Paulo.

HÆ tres expositiones fingunt tropos in historia pro arbitrio, & admittunt fœdam æquiuocationem in eodem capite intra paucas lineas. Neque benè allegatur Ambrosius, qui *c. 3. ad Galat.* & *lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3.* apertè dicit, eos viros à Paulo verè baptizatos, quod etiam admittit Kemnitius *pag. sequenti*, secum pugnans: Glossa verò Interlinearis solùm negat, fuisse eodem baptismo rebaptizatos.

69 ALII dicunt, ibi solùm de Baptismo Ioannis agi: Si quidem illa verba: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini*, nolunt esse Lucæ narrantis, quid egerint illi viri, sed esse verba Pauli narrantis, quid agere solerent discipuli Ioannis, auditis verbis eiusdem Ioannis prædicantis Christum venturum, nimirum baptizabantur ab eodem Ioanne in nomine Christi venturi.

HANC expositionem concinnam, & piam acclamat Nicolaus Selneverus *in 2. parte sua pedagogia.*

70 AT verò argutulæ istæ inanes sunt, si ingenuè explicetur historia: Primò quia priùs narrauerat Paulus Ioannem baptizasse in nomine Christi venturi: Ergo superfluum esset repetere, quod baptizati sunt, vel bis baptismum receperunt: Deinde Paulus contendit, eos dirigere in salutem, & eos offendit nihil de Spiritu sancto audisse in Baptismo: Hinc verò Apostolus suscepit sermonem, nam vt conuincat, non satis esse baptizatos, quia non erant baptizati eo lauacro, quo bapizabatur etiam in nomine Spiritus sancti, & sanè hic non est baptismus Ioannis: Ergo, arguit: *In quo ergo baptizati estis?* & cum respondissent: *In Ioannis Baptismo.* Ipse refellit eos dicens: *Ioannem baptizasse in Christum venturum.* Iam verò sequitur: *His auditis baptizatos esse baptismo Christi*, aliàs verò omnia distorta, & conuulsa erunt.

71 CENTVRIATORES, *centuria* 5. *lib. 2. cap. 6. col.* 496. & Bucerus *in cap. 3. Matth.* Fatentur, eos viros rebaptizatos esse; sed hoc factum, quia baptismum Ioannis adulteratum quoad formam habuissent absque nomine Spiritus sancti: Fauet parumper Ambrosius *lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3.* & *in c. 3. ad Galatas.*

AT ipsi confitentur, se Baptismo Ioannis baptizatos; neque verò in Baptismo Ioannis Spiritus sancti fiebat mentio, neque è Scriptura deducitur; imò contrarium elicitur; nam Apostolus apertè dicit, Ioannem in Christo venturo baptizasse; prout discernitur à Baptismo in Spiritus sancti nomine. Quoad D. Ambrosium dico, eum fateri verè baptizatos baptismo Ioannis, & rebaptizatos baptismo Christi. 72

Idem asserunt Chrysostomus, Beda, & omnes expositores, Innocentius Papa *epist. 22. cap. 5.* Origenes *tom. 8. in Ioan.* Hieron. *Ioelis 2.* & *Dialogo contra Luciferianos*, August. *lib. 2. cont. litt. Petiliani Donatistæ, cap. 37.* & *lib. 9. de Baptismo, cap. 9. & 10.* Vnde tract. 5. in Ioan. ait: *Qui baptizati sunt à Ioanne, non eis suffecit; batizati sunt enim baptismo Christi, quia non baptismus Christi erat baptismus Ioannis: Qui accipiunt baptismum Christi, baptismum Ioannis non quærunt; qui acceperunt baptismum Ioannis, Baptismum Christi quæsierunt.* Hunc locum vrget S. Bonauentura *fundamento* 2. & Bellarminus *cap. 2.* Suarez *loco citato.* 73

CONFIRMATVR; nam S. Ambros. *in 3. Lucæ*, ait, baptismum Ioannis in sola aqua fuisse, & diuersum à Christi Baptismo, qui fuit in Spiritu, & gratiam confert.

OTHO Brunfelsius *ad cap. 19. Actor.* dicit, rebaptizatos esse, quia accesserant ad Ioannem, nescientes, quid reciperent. 74

At ipse Calvinus *lib. 4. cap. 15. §. 18.* hanc expositionem agnouit inanem, quia ignorantia non violat Baptismum; alioqui non sufficerent flumina, si nouo baptismo deberent corrigi tales ignorantiæ.

MVSCVLVS *in locis, titul. de Baptismo*, fatetur, eos viros malè rebaptizatos antequam Paulus veniret.

ET A quæso perlegat historiam, & videbit Paulum præsentem: Itaque locus iste efficacissimus est, tum ex historia; tum ex vnanimi Patrum consensu, vnde fidei dogma colligatur: Quidquid latret Kemnitius *2. parte, exam. pag.* 196. & 202. qui etiam concederet, rebaptizari benè ad diuersam significationem. 75

CONTRA enim sunt PP. præcipuè D. August. *loco citato*, qui eam infert consequentiam, baptizatos à Ioanne, rebaptizando baptismo Christi, quia distinctus est baptismus, vt notat Bellarminus, *cap. 20.*

PROBATVR tertiò à S. Doctore *fundam. 3.* antithesi illa, quam ipse Ioannes faciebat sui baptismi cum Baptismo Christi, Matth. 3. *Ego baptizo in aqua: ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Idem habet *Marci 1. Lucæ 3. Ioan. 1.*

HANC rationem esse Spiritus sancti ad confundendos temerarios homines, quos præuidit negaturos differentiam inter Baptismum Ioannis, & Christi, asserit D. Cyrill. *lib. 2. in Ioan. cap. 37.*

RESPONDENT Philippus, Calvinus, & Kemnitius, Ioannem Baptistam voluisse distinguere ministerium externum, quod sibi conueniebat, ab interno ministerio, quod est solius Christi: Itaque dicunt, in Baptismo Ioannis datam remissionem, sed à Christo per ministerium Ioannis: Et adducit Kemnitius similem locum ex prima Corinthior. 3. 76

Ego plantaui, Apollo rigauit: Deus autem incrementum dedit.

77 Hæc tamen Commenta sunt, etenim Ioannes loquitur de Baptismo suo in præterito, Marci 1. *Ego baptizaui vos aquâ*; de baptismo autem Christi in futuro: *Ille vos baptizabit.* Non igitur fuit vnum Baptisma, in quo per ministerium Ioannis Christus daret remissionem; nam dixisset: *Ego vos baptizaui in aqua: ille vos baptizauit in Spiritu Sancto*, sicut in Exemplo adducto à Kemnitio ait: *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* Similiter *Matth. 3. & Lucæ 3.* de suo baptismo loquitur, vt de præsenti: *Ego baptizo vos aquâ*, de Christo semper in futuro: *Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igni.* Ita acutè obseruat D. Bonauentura ad eum locum Lucæ, ex D. Ambrosio *lib. 2. in 3. cap. Lucæ*, vbi ait: *Ego baptizo vos aqua tantùm, ac per hoc non sum Saluator animarum, quem vos me arbitramini esse*, & subdit; esse baptismum diuersum à baptismo Christi, qui constat aquâ, & Spiritu, & gratiam confert, vt notat etiam Bellarminus *cap. 22.* ad finem.

78 Kemnitius hanc nostram rationem conatur euertere: Primò dicit *pag. 191.* per Baptismum Christi in Spiritu sancto, & igni intelligi donorum effusionem, quæ facta est in Pentecoste: Id probat, tum ex vocabulo *ignis*, tum etiam testimonio Christi, Actor. 1. *Ioannes quidem baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Confirmatur Petri testimonio, Actor. 11. *Recordatus verbi Domini, sicut dixit: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.*

79 Verum hæc vox *Ignis* nil obest, quo minùs verba Ioannis intelligantur de Baptismi Sacramento; nam omnes ferè interpretes ita exponunt, & dicunt, additum esse vocabulum *ignis*, quia post Baptismum Christi sequitur ignis tribulationis, & ignis diuini iudicij, & ignis Purgatorij; & in primitiua Ecclesia dabatur post baptismum Spiritus sanctus in forma visibili ignis per impositionem manuum Apostolorum. Vide Hilarium, Hieronymum, & Chrysost. *in cap. 3. Matthæi*, Ambrosium, & Bedam *in cap. 3. Lucæ*, vt refert D. Bonauent. ad ea verba, Lucæ 3. *In Spiritu sancto, & igni.*

80 Aliam expositionem affert ibi S. Bonauentura, vbi obseruat primò, tria Baptismata dari, alterum in aqua solùm: Talis fuit Baptismus Ioannis, de quo *Actor. 19.* Secundum in Spiritu sancto; & est Baptismus Sacramentum, quod quidem potest etiam esse fluminis, qui est in aqua, & Spiritu, vt dicitur Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tertium est Baptisma flaminis, & est duplex; alterum donorum, de quo *in Actis, cap. 1.* dicitur: *Ioannes baptizauit aquâ: vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Alterum doctrinæ, de quo Cant. 4. *Dentes sui sicut greges caprarum, quæ ascendunt de lauacro.* Addit etiam Baptismum sanguinis, de quo Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari.*

81 Notat secundò D. Bonauentura ad ea verba: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*, ibi promitti totum fructum reparationis, ac Redemptionis Christi, atque opponi Ioanni: Igitur ponit Baptismum in Spiritu sancto, de quo *Ioan. 3.* suprà, qui est ianua Sacramentorum, sub quo reliqua sex promittuntur Sacramenta; promittit etiam ignem, idest, gratiarum effusionem sub forma ignis in Pentecoste: Ad hoc igitur potuêre Christus, & Petrus *in Actis*, alludere, non totam sententiam pro die Pentecostes sumendo, sed solùm vltimum promissum (*In igne*,) vt argutè deducit D. Bonauentura; si attente perlegatur: Et licèt non vocet ignem, sed Spiritum sanctum, tamen loquitur de effusione Spiritus sancti, nota per ignis apparitionem. 82

Kemnitius videns allatam solutionem infirmam, redit ad suam primam; ait igitur, Ioannem indicasse, se quidem dedisse Baptismum; Christum tamen infudisse gratiam, & quia nos opponebamus, de se loqui in præterito, vel præsenti; de Christo verò in tempore futuro, conatur probare, etiam de Baptismo Christi loqui in præsenti, Ioan. 1. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, & tamen tunc non baptizabat per se, vel per Apostolos, sed per Ioannem.

Respondet Bellarminus ex S. Doctore ad eum locum, non significari de præsente, Christum baptizare, sed habere potestatem baptizandi in Spiritu sancto, sic etiam dicitur: *Ecce qui tollit peccata mundi, quod in Cruce erat facturus.*

83 Probatur quartò à D. Bonauentura ratione eruta ex eodem *tertio fundamento*, & *responsione, ad 4.* Sumitur autem ex officio Ioannis, quod erat Præcursoris solùm; sic enim dicitur *Lucæ 1. Isaiæ, & Ioannis, locis citatis, quæst. 1.* Vnde Zacharias sic loquitur, venisse Ioannem ad dandam scientiam salutis plebi. Non dixit, ad dandam salutem, sed scientiam salutis, sic & baptizauit, vt disponeret ad salutem, non dans illam: Id asserunt omnes ferè Patres.

84 Ex Græcis, sunt Origenes *in epist. ad Rom.* exponens, *cap. 6.* Iustinus, *quæst. 37. ad Ortodoxos*, Nazianzenus *oratione in sancta Lumina*, Chrysostom. *homil. 10. & 12. in Matth.* & *homil. 16. in Ioan.* & *homil. 1. & 40. in Acta.* Author homiliarum in Marcum, quæ habentur *secundo tomo*, Chrysost. *homil. 1.* Cyrill. Alex. *lib. 2. in Ioan. cap. 57.* Damascen *lib. 4. de fide, cap. 10.* Theophylact. *in cap. 3. Lucæ*, Basilius *lib. 1. de Baptismo, & orat. 13.* vbi aliquam initiationem tantùm remissionis Baptismo Ioannis adscribit.

Ex Latinis sunt Tertull. *lib. de Baptismo*, Cyprian. *serm. de Baptismo Christi*, Hilarius *in cap. 3. Matth.* Optatus *lib. 5. contra Parmen.* Ambrosius *in cap. 3. Lucæ, & in Psal. 37.* Hieronymus Dialog. contra Luciferianos, & epistola 83. & ad 2. Ioëlis, Innocentius I. *epist. 22. cap. 5.* Leo Papa *epistola 4. cap. 6.* Gregor. *homil. 7. & 20. in Euang.* Aug. *epist. 48. & 163.* In *Enchir. cap. 49. lib. 2. contra litt. Petiliani, cap. 37. lib. 3. cap. 76. lib. 5. cont. Donatistas, cap. 9. 10. & 14. de vnico Baptismo, cap. 7. de vnitate Ecclesiæ, cap. 18. tract. 5. in Ioan.* & alibi, Beda super 1. *Marci*, Gloss. *in cap. 1. Ioannis.*

85 Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 15. §. 7.* respondet, magis credendum Lucæ, quàm Chrysostomo, & Augustino.

At nos rectiùs dicemus credendum, tot SS. Patres rectiùs Lucam exposuisse, quàm Calvinus intellexerit; eisque magis credendum.

Kemnitius *loco cit.* dicit, hanc quæstionem esse parui momenti, & leuissimam.

At D. Hieronym. *contra Luciferianos*, grauiter asserit, eos qui confundunt hæc Baptismata, in peruersum dogma labi: D. August. *lib. 2. cont. litt. Petiliani, c. 37.* ait, eos, qui contrarium sentiunt, incidere in impiam, & sacrilegam opinionem: Denique Cyril. *lib. 2. in Ioan. c. 37.* ait, Spiritum sanctum præuidisse futuros aliquando temerarios homines, qui non discernerent inter Baptismum Ioannis, & Christi; & ideò impulisse ipsum Ioannem, vt apertissimè diceret, se solùm in aquâ baptizare.

86 PROBATVR quintò à D. Bonauent. ratione in eodem fundamento, ducta ex Beda, & Glossa, relatis ab eo *ad vlt.mum.* Baptismus Ioannis erat præparans, & exercens homines ad Baptismum Christi subeundum: Ergo erat accipiendus, postea etiam Baptismus Christi, tanquam distinctus; alioqui, quæ dispositio, aut quæ exercitatio ad Baptismum Christi, non accipiendum, esset ista?

87 PROBATVR sextò ex D. Bonau. *fundamento* 4. quia Apostoli omnibus priùs dabant Baptismum, & postea imponebant manus confirmando, existimantes, non esse dandam Confirmationem, nisi post datum Christi Baptismum, qui est ianua Sacramentorum; & hunc Baptismum omnibus prædicandum, etiam baptizatis à Ioanne præcepit Christus Matth. vlt. *Euntes docete omnes, baptizantes eos in nomine Patris*, & tamen plurimi erant baptizati à Ioanne, nam, vt legimus *Marci* 1. *Matth.* 3. *Luca* 3. ibant ad Ioannem, vt baptizarentur Hierusalem, & totius Iudææ, & regnorum vicinarum gentes: Ergo plurimi erant sic baptizati. Et tamen Petrus ipso die Pentecostes singulis intimauit necessitatem Bap-
88 tismi Christi: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu*, & baptizati sunt eo die tria millia, deinde quinque millia, præter eos, quos baptizauêre alij discipuli *Actorum* 2. 4. 8. & aliis. Quomodo autem aliqui ex his non fuerant à Ioanne baptizati, si verum est, quod ait Marcus *cap.* 1. Vniuersos Hierosolymitas baptizatos fuisse à Ioanne?

Ac 10, Pharisæos *Luca* 3. adhuc non fuisse baptizatos, qui consilium Dei spreuerunt, sed postea fuere baptizati, vt habetur *Marci* 1. Vel dic cum S. Bonauent. *ad* 3. *Luca*, ad ea verba: *Cùm baptizaretur omnis populus*, verè solum populum baptizatum, non Pharisæos, qui hoc à Deo datum consilium spreuêre, vt dicitur *Luca* 7.

PROBATVR septimò à D. Bonauent. argumento pro Catholicis: Quia Baptismus est ianua Sacramentorum nouæ legis, imprimens Characterem, & ideò initerabilis est. Talis ergo non fuit Baptismus Ioannis; si noster Baptismus est ianua Sacramentorum.

89 ASSERO tertiò, Baptismum Ioannis non suffecisse, etiamsi baptizati sperarent in Christum, & haberent notitiam Trinitatis. Hæc est contra Magistrum, qui in hoc deceptus est.

PROBATVR à D. Bonauent. *in corpore*: nam Baptismus Christi est regeneratio, quæ dat esse simpliciter spirituale, & est necessarius omnibus, vt suprà ostendi: Sicut autem nullus potest viuere, nisi genitus sit; ita neque spiritualiter, nisi regeneratus. Baptismus autem Ioannis non erat Baptismus Christi, vt ipse Lombardus confitetur *eadem dist.* Igitur baptizati à Ioanne tenebantur ad Baptismum Christi suscipiendum.

90 NOTA D. Bonauenturam *ad* 3. *Luca*, ad id: *Factum est autem, &c.* dicere, nescio quid de Christi regeneratione spirituali: Sed non vult, Christum per Baptismum regeneratum, hoc enim ibidem negat, & *ad cap.* 1. *Ioan.* ad ea verba: *Vidi spiritum*, sed vult dicere, Euangelistam *in eo cap.* agere de generatione temporali, sed principalius de regeneratione Christi in suis fidelibus per institutionem Baptismi. Vel dic, intelligere de exitu in mundum ad vitam spiritualem instituendam.

91 OBIICIVNT primò Calvinus, Kemnitius, & Philippus *locis adductis.* Eadem fuit doctrina, idem ritus, eadem gratiæ oblatio in Baptismo Ioannis, & Christi: Ergo sunt idem. Probatur Antecedens: Quoad doctrinam, Ioannes prædicauit Christum redemptorem: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, quæ est summa totius Christianæ doctrinæ. Quantum ad ritum, baptizauit in aqua, & in nomine Christi: vt patet *Actorum* 19. Quantum ad gratiam, vterque in pœnitentiam, vterque in remissionem peccatorum baptizauit, vt patet de Ioannis Baptismo *Luca* 3. & de Baptismo Christi *Actorum* 2.

RESPONDET D. Bonau. *ad primum*, negando 92
antecedens, & consequentiam. Et primò quidem doctrina nil facit ad Sacramenti essentiam; alioqui hæretici, qui habent falsam doctrinam, haberent falsa Sacramenta, qui est error a Calvino, & Luthero ipsis reprobatus. Quoad ritum externum, iam suprà ostensum est *quæst.* 3. diuersum fuisse ritum: Deinde non quælibet similitudo ritus externi sufficit; alioqui etiam Comici Genesij fingendo baptizarent. Quoad gratiam, iam supra vidimus *quæst.* 5. Baptismum Ioannis non contulisse gratiam: Hoc idem hic ostendi suprà.

NAQVE verò vterque Baptismus erat similis in pœnitentia imponenda; nam Baptismus Ioannis disponebat ad pœnitentiam, cuius virtute fiebat remissio, vt dixi *quæst.* 5. at Baptismus Christi requirit pœnitentiam, vt dispositionem; ideò dicitur: *Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrum.*

TANDEM omnis quicumque ritus non facit, vt 93
Baptismus Ioannis sit idem cum Baptismo Christi, aut regeneret; sed ille, qui characterizat interius, qualis est solus Baptismus Christi, vt ait Apostolus, Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis*, & docent SS. Patres; apud Bellarminum *lib.* 2. *de effectu Sacramentorum*, *cap.* 21. & latius *de Sacramentis in genere*, dicemus: & D. August. *lib.* 6. *de Baptismo*, *c.* 5. ait, id esse sancitum in Concilio Generali.

OBIICIVNT secundò. D. Hieron. *in Ioëlis cap.* 2. dicit, eos viros *Actorum* 19. rursus baptizatos, quia non habebant notitiam Spiritus sancti: Ergo si eam habuissent, non fuissent rebaptizati.

RESPONDETVR ex dictis circa illum locum, 94
ignorantiam non facere ad hoc. Itaque ibi D. Hieronymus solùm explicat insufficientiam fidei eorum, neque dicit, eos non rebaptizandos, si Spiritum sanctum agnouissent, vt prætendunt hæretici. Et hic locus etiam à Magistro obiicitur.

OBIICIVNT tertiò. *Actorum* 8. Samaritani erant baptizati in nomine Domini Iesu à Philippo, & tamen nondum in quemquam illorum venerat Spiritus sanctus: Illi igitur erant baptizati solo Baptismo Ioannis, qui est in aquâ solùm, nec dat Spiritum sanctum, & tamen Petrus, & Ioannes superuenientes non rebaptizarunt, sed tantùm impositione manuum confirmarunt: Ergo Baptismus ille Ioannis est sufficiens. Idem obiiciunt de Apostolis, & aliis, qui solo Baptismo Ioannis erant abluti, nec leguntur alio Baptismo regenerati: Sic etiam intimatur quidam Apollo *Actorum* 18.

RESPONDET D. Bonauent. illos Samaritas iam 95
baptizatos à Philippo, qui erat vnus è septem Diaconis, vt ait Glossa, Baptismo Christi, ac recepisse eos Spiritus sancti gratiam; attamen missos duos Apostolos, qui erant Episcopi, ad confirmandos impositione manuum infundendo visibiliter Spiritum sanctum, quia Philippus ille, cùm non esset Episcopus, non poterat confirmare. Igitur omnes Baptismo Ioannis abluti, rebaptizati sunt. Et de Apostolis id asserunt Tertullianus *lib. de Baptismo*, & August. *epist.* 108. & *lib.* 3. *de origine animæ*, *c.* 9.

Cbristus enim *Ioan.* 3. protestatus est: *Nisi quis renatus, &c.* Idem de Apollo illo *Act.* 18. testantur ibi Chrysostomus, & Oecumenius. Quod verò Baptismus cuiusque non sit scriptus, nil refert, sed præsupponitur, discipolos adimplesse præceptum Christi de non admittendo aliquo, nisi baptizaretur in nomine SS. Trinitatis; alioqui possemus negare, baptizatos fuisse Romanos, Galatas, Ephesios, & alios.

96 Obiiciunt quartò. Baptismo Ioannis ablutus est Cbristus, & apparuit Spiritus sanctus, & resonuit vox filiationis, & gratiæ: Ergo idem est cum nostro Baptismo; alioqui si inferior esset, iam serui nobiliori Baptismo abluerentur, quàm Dominus Iesus. Addit Kemnitius aliam confirmationem, qua summopere se motum fatetur: Est enim iucunda consolatio Christianorum, vt idem sit Baptismus capitis, & membrorum.

97 Respondent D. Bonauent. *in* 4. *distinct.* 2. *art.*2. *quæst.*2. & *ad* 3. *Lucæ*, ea, quæ in Baptismo Christi facta sunt, ordinata fuisse ad figurandum Baptismum Christi, qui in Iordane voluit baptizari, non vt sanctificaretur, sed vt Baptismum salutarem institueret, & consecraret aquas tactu carnis suæ, & daret virtutem regenerandi, vt aiunt Nazianzenus *orat.* 39. Hilarius *can.* 2. *in Matth.* Ambros. *serm.* 4. *Epiph.* & *lib.*2. *in Lucam, cap.vlt.* Augustinus *serm.* 1. *Epiph.* & *serm.* 1. *inf. oct. Epiph.* & *serm.*2. Chrysost. & Hieron. *in cap.*3. *Matth.* Beda *ad* 3. *Lucæ*, & alij multi Patres, & simul figuratè ostendit effectum Baptismi sui, dum cœlum aperiri voluit; & Spiritum sanctum descendere, & vocem audiri, vt patet ex Hilario *in cap.* 3. *Matthei.*

Neque verò ex eo, quod Christus baptizatus est eo Baptismo, sequitur, eum esse nobiliorem, & efficaciorem, quia Christus non egebat regeneratione, aut gratia, ideò illius Baptismi non erat capax, qui est nobilior ex supposita imperfectione recipientium; solùm autem egebat erudire ad suum Baptismum, & præparare, atque assuefacere.

98 Neque hæc est consolatio pia, vt putat Kemnitius, quæ Christo detrahit faciens eum indigum emundationis spiritualis, & gratiæ, non enim columba ad Christum sanctificandum descendit, sed ad testimonium Christi, & ad ostendendam nostram per Baptismum futuram sanctificationem, vt ait D. Bonauent. *ad* 1. *Ioan.* ex Chrysostomo *homil.* 16. *in Ioannem.* Licèt autem circumcisus fuerit; non indiguus tamen hoc fecit, ob alias rationes, allatas *disput.*31. *quæst.* 1.

99 Cavsas alias, ob quas voluit Christus baptizari Baptismo Ioannis, refert D. Bonauentura *ad* 3. *Lucæ.*

Primvm motiuum fuit ad exemplum humilitatis. Sic ideò *Matth.* 3. dicit: *Sine modò nos implere omnem iustitiam.* Vide Augustinum *in Enchir. cap.*49. Bernardum *serm.*4. *de Epiph.* Vide Seraphicum *in Medit. vitæ Christi, cap.*16. latè hanc rationem prosequentem.

Secvnda ratio est, vt confirmaret Baptismum Ioannis; tanquam bonum in facie Pharisæorum contemnentium, vt dicit D. Hieronymus *in cap.*3. *Matth.* sic probauit, fuisse è cœlo, vt ipse interrogauit *Matth.*21.

Tsrtia ratio est, quia *cœpit facere, & docere,* Actorum 1. & voluit ostendere, quanti facere debeamus Baptismum Christi, cùm Baptismum serui ipse tanti fecerit. Ita D. Aug. *tract.* 4. & 13. *in Ioan.*

Qvarta ratio fuit, vt manifestaretur in Israël, vt dicitur *Ioan.* 5. sic enim aperto cœlo vox Patris intonuit.

Aoor, lauisse peccata Ecclesiæ, vt ipsa canit. 100
Ita docet D. Bonauent. *in medit. vitæ Christi, cap.*16. *in fine.* Has refert etiam Suarez.

Has, & alias ibi, & *ad cap.* 1. *Ioan.* rationes recenset S. Doctor, quas ex parte refert etiam D. Thom. *quæst.*39. *art.*1. ad probandum, fuisse conueniens, Christum baptizari, qui etiam *art.*2. rationibus probat, cur Baptismo potius Ioannis, quàm proprio, voluerit baptizari, nempe, quia suo Baptismo regenerante non indigebat.

QVÆSTIO VII.

Quo tempore CHRISTVS *fuerit Baptismo Ioannis intinctus.*

QVo anno id acciderit, pendet ex mox dicendis, 101
qua ætate Christi id factum sit, & *in disp.* 35. *quæst.* 3.

Qvo mense, & qua die, communis sententia est fuisse die 6. Ianvarij. Ità D. Bonauent. *in meditationibus vitæ Christi cap.* 16. *in fine*, vbi id probat, quia eâ die canit Ecclesia: *Hodie cœlesti sponso iuncta est Ecclesia, quoniam in Iordane lauit Christus eius crimina.* Idem habet *ad* 3. *Lucæ.* Eam sententiam tenent Onuphrius *in fastis, lib.*2. Canus *lib.*11. *de locis, cap.*5. *ad* 6. Baronius *in Apparatu ad suos Annales*, vbi ait, SS. Patres, & totam Ecclesiam idem profiteri. Sæpè enim in officio Epiph. idem astruitur. Idem tenent SS. Maximus *serm. de Epiph.* vbi licèt videatur initio loqui de tribus Mysteriis eo die celebratis sub disiunctione, tamen concludit: *Et quàm rectè tria hæc Mysteria vno die acta celebrantur, qui ineffabile Trinitatis arcanum vno Dei sub nomine confitemur.* Paulinus in Natali S. Felicis, Isidorus *lib.* 1. *de offic. Ecclesiæ, cap. de Epiphania*; & S. Bernardus *serm.*1. *de Epiph.* & Petrus Chrysologus *serm.* 57. Albinus *lib. de Eccl. off. cap de Baptismo,* Leo Papa *epist.*4.

Solvm difficultatem ingerit, quia eodem die 102
celebrantur nuptiæ in Cana Galilææ, hoc autem debuisset esse post vnum annum; nam interim Christus quadraginta dies ieiunauit, deinde discipulos vocauit, priusquam miraculum nuptiarum patraret, vt colligitur ex *Matth.* 3. & 4. *Ioan.*1. & 2. Hoc verò difficilè est, nam Petrus *Actorum* 1. dicit, Christum cœpisse docere, & congregare discipulos à baptismate Ioannis: Ergo non est verisimile, vnum annum integrum absque miraculis transegisse. Præterea D. Augustinus *serm.* 154. *de tempore*, dicit, Baptismum Christi, & miraculum nuptiarum die dominico accidisse, quod non potest esse, si post annum eodem mensis die euenit. Denique Innocentius *c.*14. *Concordia.* Pererius *lib.*15. *in Danielem, parte* 1. *quæst.* 7. Tolet. *ad cap.*2. *Ioan. annot.*15. nolunt, eodem die accidisse hæc duo Mysteria. Idem habet Baronius *anno* 31.

D. Bonavent. *ad* 2. *Ioan.* non admittit, à nuptiis 103
annum esse elapsum post Baptismum, vt dicam *disp.* 35. *q.* 3. neque obstat, quod debuerit diu congregatos discipulos instruere, vt vult Chrysostomus *homil.*22. *in Ioan.* Id tamen docet D. Bonauent. *in meditationibus vitæ Christi, cap.*18. ante medium, & addit etiam rationem, quia voluit cedere prædicationi

eationi Ioannis, & ita exiit post incarcerationem eius. Verùm meditationes non sunt ad id adamussim definiendum sufficientes.

PROBABILE autem est, Christum post ieiunium rediisse Nazareth, interdum venisse vbi baptizabat Ioannes, & indicat *Ioan.* 1. vbi plures narratur, Ioannem testatum: *Ecce Agnus Dei*, & tunc Andreas secutus est Christum. Sic ait Suarez *disp.* 26. *sect.* 1. ex S. Bonau. *in Meditationibus vitæ Christi*, *cap.* 17.

104 QVA verò ætate Baptismus à Christo sit susceptus.

PRIMA opinio est, fuisse intra annum 29. & videtur sensus esse planus *tertij Lucæ*, vbi dicitur: *Et erat Iesus incipiens quasi annorum triginta*, talis autem potest asseri, qui incepit vigesimum nonum annum, quamvis trigesimum nondum attigerit, vt notat Suárez *disput.* 26. *sect.* 1. ex D. Bonauent. *ad eum locum*, qui inde deducit, fuisse 28. annorum, & 13. dierum, qui numerantur à natiuitate ad sextam Ianuarij, si eadem die baptizatus est; at verò hoc negantes dicunt, baptizatum in fine vigesimi noni anni. Ita Caietanus *Lucæ* 3.

105 SECVNDA opinio, quam refert, & videtur amplecti S. Bonauentura *ad* 3. *Lucæ*, est, fuisse 30. annorum, & 13. dierum. Ex quo patet eum constanter tenere, die sexta Ianuarij baptizatum, nam vbicumque apponit annos integros, qui complentur 25. Decembris, & 13. dies, qui currunt vsque ad Epiphaniam. Idem tenent, qui dicunt, Christum natum 25. Decembris, & baptizatum die sexta Ianvarij. Ità etiam Suarez *loco cit.*

106 EST communis sententia, vt Abulens. *Matth.* 3. Lyra *Lucæ* 3. adnotarunt, & videtur D. Thom. *quæstione* 59. *artic.* 3. Eodem modo loquuntur Nazianzenus *orat.* 39. *&* 40. Hieronymus *Ezech.* 1. vbi ait: *Triginta annos natus, venit ad Baptismum, quæ in homine perfecta ætas est*; & vtitur exemplo *Numer.* 4. vbi Sacerdotes dicuntur ministrare à trigesimo anno, & suprà: vbi requiritur, quod attigerint trigesimum annum, non quod expleuerint. Quo exemplo idem probat S. Bonau. ad eum locum: *Et Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Idem affirmat S. Augustinus *de mirabilibus Scripturæ*, *cap.* 5. Theophyl. *Lucæ* 3. Ambrosius *Lucæ* 3. Irenæus *lib.* 2. *cap.* 39. Eusebius *lib.* 1. *hist. cap.* 10. & Epiphanius *hæresi* 51. & confirmatur à D. Bonauent. ex verbis Lucæ, quia aduerbium illud *quasi* ad diminuendum potius, quàm ad augendum ponitur: Ergo cùm dicitur fuisse quasi annorum triginta, rectè exponitur nondum illos expleuisse.

107 HINC Suarez deducit, Baptismum Christi fuisse anno quinto decimo Tiberij, qui immediatè successit Octauiano Augusto, nam Christus natus est anno 42. Imperij Octauiani, qui imperauit annos 56. & ideò 15. annos vixit sub Octauiano, & 15. sub Tyberio. Et secundùm Eusebium euenit, *Olympiadis* 201. *anno* 4. nam posuit natiuitatem 3. *Olympiadis* 194.

QVÆSTIO VIII.

An, & quomodo in Baptismo CHRISTI *apertum fuerit cælum.*

VVLPES *disp.* 50. *art.* 6. ait, cœlos omnes vsque ad Empyreum apertos; nam pluraliter dicitur: *Aperti sunt cæli.* 108

D. BONAV. ad eum textum Lucæ: *Et factum est, Iesu baptizato, & orante, apertum est cælum.* Supponit veram aliquam apertionem desuper factam ad ostendendum, cœlos verè aperiri hominibus per Baptismum Christi, sicut clausum est peccato Adæ, & in huius signum Cherub gladium versatilem tenens positus est ad ostium Paradisi *Genes.* 3. vt ostenderet, igne concupiscentiæ clausum Paradisum; nunc verò humore gratiæ, mitigantis concupiscentiam, aperiri. Idem innuit *lib.* 4. *Compendij Theologicæ veritatis*, *cap.* 13.

NON fuisse autem scissos Orbes cœlestes suppono ex eodem D. Bonauent. *in* 2. *dist.* 14. non tamen id euenit, quia sint solidi. 109

Ex dictis tamen infertur, non fuisse apertionem solùm metaphoricam, in sola imaginatione, aut mente, vt videtur velle D. Hieronymus *Matth.* 3. & *Ezech.* 1. nam significatio eius est aperiri verè cœlum hominibus per Baptismum, vt notat Suarez *disp.* 27. *sect.* 1. ex D. Bonauent. *loco cit.* & confirmatur à S. Doctore, qui id supponit, quia tres Euangelistæ asserunt, apertum fuisse cœlum, apparuisse columbam, & vocem auditam; hæc autem duo realiter facta sunt.

IGITVR facta est apertio illa per exhibitionem realem obiecti sensibilis oculis omnium, quibus Mysterium aperiendi cœli, per Baptismum manifestandum erat.

MODVS autem adducitur à Suarez apertione aëris, vel formatione alicuius speciei, vel similitudinis alicuius hiatus sensibilis, quod intelligi potest, si partes illæ, quæ separari videntur, densiores fiant, & lucidiores, ita vt ad illas possit visus terminari; aër autem interiectus maneat rarior; tunc enim partes illæ videbuntur inter se disiungi, atque ita cœlum aperiri. Hoc modo videtur asserere id factum D. Bonau. ad eum Lucæ textum. 110

DICAS *Matth.* 3. Aperti sunt ei cœli: Ergo soli menti Christi. 111

RESPONDETVR, Græcè haberi *aperti sunt super eum*, vt notat Suarez *loco cit.* qui addit, non fuisse necesse scindi orbes; nam & *Ezech.* 1. & alibi, idem dicitur, neque id sonat.

QVÆSTIO IX.

An Spiritus sanctus verè descenderit in specie columbæ, & cur?

{ D.Thom q.39.art.7.

SVPPONO cum D. Bonauent. *ad* 3. *Lucæ*, Spiritum sanctum localiter non descendisse, quia est Deus immensus, sed solùm in effectu. Addit *ad cap.* 3. *Ioan.* non ad effectum gratiæ in Christo, qui erat plenus gratiæ, descendisse, sed ad effectum manifestandi Christum, vt ait D. August. *epist.* 57. & *de agone*, *cap.* 22. 112

SVPPONO

Svppono etiam, descendisse iam baptizato Christo, & orante; vt ait D. Lucas, & ibi D. Bonauent. & *Matth. cap.* 3. Qoare Tolet. *ad* 5. *Ioan. annot.* 72. audaciæ incusat dicentes, descendisse ante Baptismum, inter quos est Caiet. *ad* 3. *Matth.* Vulpes *disp.* 50. *art.* 7. vbi oscitanter allegat pso se ipsum Toletum contra D. Thomam, D. Bonau. & Suar. *disp.* 27. *sect.* 2.

113 Avoet Vulpes nostrum ex Euangelio fundamentum satis infirmum dicere; & credendum Ioanni testanti, descendisse ante, vt Christus Baptistæ adhuc nescienti innotesceret.

At Ioannes solùm dicit ostensum à Columba sanctificaturum Ecclesiam per Baptismum, vt notant S. Doctores suprà.

Hanc sanè oculis sensibilem supponit S. Bonau. cum D. Augustino *lib.* 2. *de Trinitate, cap.* 6.

114 Deinde supponit ex dictis *in* 1. *dist.* 16. *quæstione vltima*, Columbam, quæcumque illa fuerit, non fuisse hypostaticè vnitam Personæ Diuinæ: Ita docet etiam D. Augustinus *loco cit.* & Chrysostomus *homil.* 11. *in Matthæum*, non enim dicitur Spiritus sanctus Columba; neque ad finem apparitionis deseruiebat vnio hypostatica, vt rectè notauit S. Doctor *in corpore*: & D. Thom. *prima primæ, quæst.* 43. *art.* 7. *ad* 4. quia non apparuit Spiritus sanctus sub specie Columbæ, vt per illam aliquid operaretur merendo, aut satisfaciendo, sicut Verbum per humanam naturam.

Deniqve, quia licet possit Diuina Persona Columbæ vniri, attamen non decet Diuinam Maiestatem, eo quòd non potest recipere omnes perfectiones debitas vnioni hypostaticæ, maximè beatitudinem, vt notat D. Bonau. & post eum Suarez *disput.* 27. *sect.* 2. cum D. Thom. *art.* 5. *ad* 2. Scoto 5. *dist.* 16.

115 An vero illa esset vera Columba animata? D. Augustinus *lib. de Agone Christi, cap.* 22. Anselmus *Matth.* 3. Hugo Card. *Ioan.* 1. & nonnulli Scholastici id asserunt, quibuscum est D. Thom. *q.* 39. *art.* 7. Citatur etiam Tertullianus *lib. de carne Christi, cap.* 3. Vulpes *sup. cit.*

Secvnda sententia est, eam Columbam fuisse ex aliquo quidem corpore compactam, & apparentem, non autem verè animatam. Ita D. August. *epist.* 102. & *lib.* 3. *de mirabilibus Scripturæ, cap.* 6. & *lib.* 2. *de Trinitate, cap.* 5. & *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 5. Optatus Mileu. *lib.* 4. *cont. Parmen.* Chrysostomus, Theophylact. Euthymius *Matth.* 3. Caietanus, Iansenius, post Gloss. *Matth.* 3. Lyranum *Marci* 1. Abulens. *quæst.* 48. & 8. *in* 3. *c. Matth.* Procop. *Genes.* 18. & eam secutus erat D. Thom. 1. *dist.* 16. *art.* 3. *quæstione vnica*, & eam sequitur Suarez *disput.* 27. *sect.* 2. Est autem expressa D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 16. *quæstione vltima ad argumenta*, & *ad cap.* 1. *Ioan.* ad ea verba: *Super quem videris Spiritum sanctum.*

116 Assero cum hac sententia, Columbam, quæ super Christum visa est descendisse, non fuisse verè animatam.

Probatvr à S. Doctore *ad* 1. *Ioan.* ad ea verba: *Spiritum sanctum descendentem, quasi Columbam*, & Lucæ 3. dicitur: *Sicut Columba*, hoc autem significat, non fuisse veram Columbam, sed similem Columbæ, vt notat etiam Suarez *loco citato.*

Respondet D. Thom. dici *Lucæ* 3. Spiritum sanctum apparuisse, sicut Columbam, non ad excludendam veritatem Columbæ, sed ad ostendendum, quod ipse apparuit in specie sacræ substantiæ.

Contra, nam, vt notat D. Bonau. Ioan. 1. di- 117
citur: *Quasi*, quod meram similitudinem indicat.

Probatvr secundò à S. Doctore *locis adductis*, & à Suarez. Deus nil facit frustra; ad finem autem illius apparitionis satis superque erat imago Columbæ, cum solùm esset ad repræsentandum.

Respondet D. Thom. prouidè fuisse assumptam veram Columbam ad ostendendam veritatem Spiritus sancti.

At quis non videt, etiam imagine idem exprimi, vt mox dicam?

Probatvr tertiò à S. Doctore *l. cc.* & Sua- 118
rez, quia Columba illa erat mox dimittenda, & destruenda, vt concedunt Tertullianus, & alij authores primæ sententiæ, & ita superuacanea fuisset illa creatio veræ Columbæ.

Obiicies cum D. Thoma: Decuit, Spiritum veritatis non vti fictione, sicuti neque filius vsus est fictione; non enim corpus humanum phantasticum, sed verum assumpsit.

Respondet S. Doctor *in* 1. *dist.* 16. *quæst. vlt.* 119
ad 4. satis fuisse Columbam phantasticam apprehendere, sicuti etiam ignem ipsum in Pentecoste astruit D. Augustinus *epist.* 102. & omnes concedunt. Ratio D. Bonau. est ex D. Augustino *lib.* 2. *qq. in Euang. quæst. vltima*, & à D. Thoma 3. *p. quæst.* 76. *art.* 8. adhibita, quando species aliqua diuinitus formatus, & ad veritatem aliquam significandam refertur, nullam esse deceptionem, sed veritatis significationem, vt cùm Christus apparuit euntibus Emaüs. Sic igitur assumpta est Columba hic ad repræsentandum, & figurandum: & ideò satis erat imago Columbæ; neque enim etiam ipsa Columba vera poterat propriè significare effectus Spiritus sancti, sed solùm analogia quadam similitudinis.

Neqve est simile de vnione hypostatica humanitatis, vt notat D. Bonau. *loco cit.* & *ad primum Ioan.* & post eum Suarez, quia humanitas assumpta est ad operandum meritoriè. Neque D. Thom. in hoc assimilat, vt fingit Vulpes *disp.* 50. *art.* 3. eum erroris insimulans.

· Mvltas, easque præclaras rationes, ob quas 120
apparuerit Spiritus sanctus in similitudine Columbæ, afferunt D. Bonau. *locis illis adductis*, D. Thom. *art.* 6. *ad* 4. & Suarez *ad art.* 7.

Primò quidem, quia hæc auis est amoris Symbolum, & charitatis, vt ostenderet amorem, qui Spiritui sancto conuenit, quò Filius Dei homo factus est ad homines Baptismo saluandos ex aquis peccatorum, & igne æterno, diuinitus operante Spiritu sancto, cui adscribitur Incarnatio. Vide Chrysostomum *de Spiritu sancto* ante medium *Tomo* 3.

Secvndò, quia Columba est animal mansuetum sine felle, vt ostenderet mansuetudinem, & humilitatem Christi ad nos venientis.

Tertiò, quia est animal fœcundum, vt de- 121
monstraret, innumeros per Baptismum regenerandos.

Qvartò, est animal Innocens, & simplex, vt patefaceret simplicitatem, qua debemus accedere ad Baptismum. Ita Beda, & Ambrosius *in Lucam*, & puritatem, ac innocentiam, quam in Baptismo obtinemus. Ità Tertullianus *citando loco*, in cuius signum Columba post diluuium attulit ramum viridem oliuæ, per quem intelligitur innocentia, & olei Spiritus sancti vnctio. Comparat autem D. Petrus 1. *cap* 6. Arcam Noë cum Baptismo, quo saluantur animæ: Sicuti ergo Columba parit; ita Baptismus, vt aiunt Tertullianus *lib. cont. Valent. c.* 1.

&

& D. Hieronymus contra Luciferianos, & *epist.*83. & Chrysostomus *homil.*12. *in Matth.* & Cyrillus Hierosol. *catech.*7.& Beda *Matth.*3.

QVINTÒ, quia Columba erat pretium redemptionis primogenitorum; gratiâ autem Spiritus sancti per Christum redimendi eramus in Baptismo
122 à peccatis. Alias etiam afferam initio quæstionis sequentis.

PRÆTEREA observat, Spiritum sanctum datum discipulis in specie linguæ, quæ est membrum: Christo autem apparuisse in specie Columbæ integræ, vt ostenderet, aliis dari Spiritum per partes secundùm mensuram plenitudinis Christi, cui non ad mensuram datus est, sed totus, vt dicitur *Ioan.*3. Similiter observat, Christo apparuisse in Columba; Apostolis in igne, Christo quidem in Columba, quia mansuetè voluit quærere, quos salvaret, non ad percutiendum. Ità Beda *Marci* 3. at Discipulis in igne, ad ostendendum fervorem, quo debebant Christum prædicare, & vindicare in seipsis, atque alios docere ad vindicanda peccata in se, quæ Dominus tam benignè remittebat, vt ait D. Gregorius *homil.*30.*in Evangelia.*

123 HAS rationes habes etiam in PP. Tertulliano *lib. de Baptismo*, *cap.*8. Isidoro *lib.*12.*Originum*, *cap.*7. Ambrosio, & Beda *in Lucam.*

TANDEM observat D. Bonaventura, Spiritum sanctum apparuisse in triplici specie.

PRIMÒ apparuit sub specie Columbæ in Baptismo, quia incipientibus illabitur vt Columba, vt reddat eos gementes, & meditantes, vt dicitur Isaiæ 59. *Quasi Columbæ meditantes gememus.* Et Isa. 38. *Meditabor vt Columba.*

SECVNDÒ in Transfiguratione apparuit in nube *Matth.*17. proficientibus, quos facit ascendere sursum conamine de virtute in virtutem, vt perveniant in cœlum, vt dicitur *Psal.*83.

124 TERTIÒ apparuit in igne super discipulos pro perfectis, quos inflammat vniens sibi, sicut ignis omnia in se absumit, & vt alios inflamment; ideò dicitur Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, &c.* Ideò Elias ascendit in curru igneo 4. *Reg.* 2. & *Thren.*1. dicitur: *De excelso misit ignem.*

QVÆSTIO X.

An baptizato CHRISTO *vox Patris fuerit audita, & quare.*

{ D.Thom art.8.

125 DESCENDIT super Christum in Columbæ specie Spiritus sanctus, vt vox, quæ è cœlo cadebat super Christum, non super Ioannem, de quo erat maior apud præsentes æstimatio, elapsa sciretur, vt notat Chrysostomus *homil.*12.*in Matth.* Descendit autem super Christum Columba, vt eum indicaret esse, qui sanctitatem, & gratiam dat Baptismo, & quicumque baptizet, baptizare in virtute huius. Ideò Spiritus sanctus in vnius Columbæ specie venit, licèt multitudinem donorum largiturus, vt vnitatem significaret Ecclesiæ desponsandæ ipsi Christo, de qua dictum erat Cantic.6: *Vna est Columba mea.* Idem habet in meditationibus *cap.*16 Columba simplex, innocens sine felle, pacata in osculis; non sæva in vnguibus; qualis debuit esse Ecclesia, & omnes regenerati per Spiritum in Christo, non rapaces essent, vt corui, &c. Ità D. Bonaventura *ad* 1.*Ioan.* ex D. Augustino *Tract.*6.*in Ioannem.*

Ex his concludit S. Doctor, omnes vidisse 126
Columbam, quæ Christum, & Ecclesiam indicare debuit ex D. Augustino 2. *de Trinitate*, *cap.* 6. & Chrysostomo *homilia* 16. *in Ioannem*; tametsi solus Ioannes intellectus oculo viderit in Columba Spiritum sanctum, vt ita vox de cœlo super Christum elapsa nosceretur, vt dixit Chrysostomus suprà *relato loco*, nam vox solùm dixit: *Hic*, & poterat intelligi esse Ioannes; fuit ergo necessaria Columba indicans, vt ait Damasc. *orat. de Transfigurat.* & Chrysostom. etiam 12. *in Matth.* & 16. *in Ioannem*, vbi ait: *Vocem traxit ad filium, cunctisque fecit esse perspicuum, quod vox illa de baptizato deberet intelligi.* Ità refert S.Bonau.ad id 1. Ioan. *Vidi Spiritum descendentem quasi Columbam.*

HINC etiam docet S. Doctor *ad* 3. *Lucæ*, vo- 127
cem hanc fuisse ad omnes præsentes emissam, vt dicitur Psal.28. *Vox Domini super aquas, Deus Maiestatis intonuit.* Et Deuter.4. ad populum: *De cælo fecit te audire vocem suam.*

SOLVM potest opponi id Ioan. 5. *Neque vocem eius audistis, neque speciem eius* (idest Patris) *vidistis*, quo videtur motus Hilarius *lib.* 9. *de Trinitate*, vt diceret, solum Ioannem audisse vocem; at Hilarius solùm dicit, eos, qui remanserant Hierosolymis, non audisse, sed solùm Ioannem, quocum supponitur, & de his, qui erant coram Ioanne. Locus autem ille exponitur à D. Bonaventura: *Non audistis aure cordis*; nam
Matth. 3. dicitur: *Ecce vox de cælo dicens: Hic* 128
est Filius meus, profectò absque miraculo non potuit fieri, vt audiretur à Ioanne, & non ab aliis præsentibus, quod Scriptura non videtur admittere. Igitur vult, eos reprehendere, quod non audiant vocem Domini spiritualiter, & ideò addit: *Et verbum non habetis manens.* Vel ait cum Chrysostomo *homilia* 39. *in Ioannem*, dicendum, velle eos elevare ad cognoscendum Deum esse spiritualissimam substantiam, cuius neque facies videtur ab hominibus, nec vox auditur voce propria Dei, ex organo aliquo efformata.

SENSVM huius propositionis eleganter exponit S. Bonaventura *ad* 3. *Lucæ ad* 1. *Ioan.* & *in Meditationibus vitæ Christi*, *cap.*16. & *in Compend. Theolog. Verit. lib.*4. *cap.*13.

PRIMÒ quidem dicitur: *Tu*, vt vnigenitus 129
agnoscatur, de quo prima Ioan. 1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* Et Psal.109. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Hunc filium dilectum vocat, per quem alij extranei, & odibiles diliguntur Ephes.1. *Gratificavit nos in dilecto filio suo.* Et Coloss.1. *Transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Ad maiorem declarationem addit: *In te complacui mihi*, (intellige) quidquid mihi placet. Quia Pater in Filio complacet sibi, vt dicitur Prouerb. 3. De hoc autem dicitur Coloss.1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, pacificans per sanguinem Crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Sic testimonium datur Christo à Patre in voce, & à Spiritu sancto in Columba, & à Filio in Luce. Et sic: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo. Pater Verbum, & Spiritus sanctus*, vt dicitur 1.*Ioan.*5.

OBSERVAT autem acutè S. Bonau. *ad* 3. *Lucæ*, 130
Evangelistas variè hanc vocem referre, nam Matth. 3. dicitur: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Marci c.1. *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.* Lucæ c.3. *In te complacui mihi.*

CONSVLTÒ

CONSVLTÒ autem vario sermone idem exprimi ab eis norat D. Bonauentura, quia vno modo non poterant Mysteria huius vocis exprimi; & ita qnòd vnus loquendi modus non satis exprimeret, alio aptiùs promeretur.

131 Vox ista Patris significat, Christum esse Filium Patri simillimum, & expressum, & ideo placentissimum. Quia Pater se dicit Verbo in se, & nobis, per quod se aliis declarat: dicit omnia alia eodem Verbo, & hoc perfectissimnm est. Quoniam verò vnum Verbum Euangelistæ non poterat explicare quidqoid vox Diuina è cœlo insinuaret, ideò diuersis modis eam tradunt. Sic Matthæus insinuat complacentiam Patris respectu Verbi, in quantom dicit se in seipso, & ideò ait: *In quo mihi complacui.* Lucas exponit complacentiam Patris in Verbo, in quantum Pater Verbo omnia dicit comprehensiua intellectione fœcunda, quæ est dictio, & ideò ait generaliter: Quidquid placet, *in te complacui mihi.* Marcus dicit complacentiam Patris in Verbo, in quantum Pater Verbo se dicit nobis, & complacet aliis. Et ideò dicit: *In te complacui.* Hæc D. Bonauentora.

132 ADDIT S. Doctor in Compendio, dicl: *Hic*, quia habet verum esse, quod soli Deo competit. Dicitur: *Filius*, ob similitudioem speciei paternæ. Dicitur: *Meus*, quia consubstantialis mihi. Dicitur: *Dilectus*, ob amorem: *Pater enim diligit Filium, & omnia quæ habet, dedit in manu*, vt dicitur Ioan. 3. Dicitur: *in quo mihi complacui*, certè à speciali beneuolentia, & dicitur *Complacui*, idest cum Spiritu sancto in hoc meo Filio quieui, nam quiescit voluntas in eo, quod placet. Hæc S. Doctor.

RELIQVA, quæ ad hoius præconij sensus pertinent, habes *p. p. de Trinitate, disp. vlt.* 133


Ex his autem habes, cur Pater cum Spiritu sancto in Baptismo conuenerint cum Filio, nempe ad ostendendam expressam Trinitatis professionem, in Baptismo necessariam, vt docet D. Bonao. ad ea verba Ioan. 1. *Vidi Spiritum descendentem*, ex Chrysost. *homil. 16. in Ioan.* & *homil. 12. in Matth.* Et est communis sensos Patrum, vt videre est in Aogustino *serm. 63. de verbis Domini.* Ita Hieronym. Beda, Anselmus, & alij Græci, & Latini *Matth. 3 Luca 3.* & sequitot D. Thom. *quæst. 39. art. 8.*

ALIA est etiam ratio D. Cypriani *lib. 1. ad Quirinum, cap. 10.* auditam esse vocem Patris dicentis: *Ipsum audite*, quia lex noua incipiebat. 134

TANDAM aliam affert S. Bonau. *ad 3. Luca*, ad verba illa: *Vox de cœlo facta est*, eâ voce significari, nos adoptari in filios per Baptismum: Idem habet Hilarius *can. 2. in Matthæum.* 135

DISPVTATIO XXXIV.

DE RATIONE VITÆ CHRISTI.



HRISTI Manifestationem proximè secuta est Dæmonis tentatio, qua Saluatoris nostri Ieiunium diuexare, & sanctitatem explorare nisus est. Licet autem ordo iste rerum, à Christo gestarum, postulet, vt post Baptismum, *superiori disputatione*, discussum, hic agamus de dicta tentatione; inserimus tamen cum Angelico Doctore, eiusque expositoribus, disputationem breuem de illo vitæ instituto, quod sibi Christus delegerat; qualem vero vitam ad aliorum ædificationem suscepit, infra aptiùs tractabimus. Quod vero Christus modum viuendi irreprehensibilem instituerit, nullus vsquam ambigit: Ideò pro hac parte nihil nobis restat propugnandum: Cum etiam iugiter fuerit Deo mentaliter intentus, nec vnquam internos charitatis actus, seu in Deum, seu in proximum, interruperit, vt ex summa ipsius status perfectione licet supponere; hic solum eius mores in ordine ad humanum conuictum perpendere libet: Duplex ergo erit in hac materia quæstio, prima de Christi solitudine, secunda de eius vitæ Austeritate.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Cur non instituerit CHRISTVS *vitam solitariam.*

1 ASSERO, rationabiliter Chriſtum inſtituiſſe vitam ſuam inter homines, non ſolitariam.

PROBATVR à D. Bonauent. *ad 6. Ioan.* ad ea verba: *Abiit in montem*, & à D. Thom. *quæſt.* 40. *art.* 1. quia Chriſtus non venit ſolùm vt Redemptor, ſed vt Doctor, qui omnibus debet communicare notitiam, vt dicitur Rom. 1. *Debitor ſum ſapientibus, & inſipientibus.* Itaque debuit cum hominibus conuerſari; licet aliqua ſpeciali cauſa ſolitarius aliquando receſſerit, & alios deduxerit, vt dicitur Oſeæ 2. *Ducam eam ad ſolitudinem*, & eleganter proſequitur D. Bonauent. *ſerm. 2. Dominic. 6. poſt Pentecoſt.* ex quo ſequitur, Chriſtum elegiſſe vitam perfectiſſimam mixtam, vt infert D. Thomas.

2 LATE verò proſequitur S. Doctor *ad 4. Lucæ*, neceſſitatem Chriſti conuerſandi inter homines, poſt ea verba: *Et egreſſus eſt Ieſus in Galilæam*, ex illo Ioan. 18. *Ego palam locutus ſum mundo: Ego ſemper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus ſum nihil.* Iuxta id Prouerb. 5. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Et Prouerb. 1. *Sapientia foris prædicat, & in plateis dat vocem ſuam, &c.* Fruſtra autem Vulpes *diſp.* 51. refricat venturum Doctorem, non lapſo Adamo.

3 OB id ait D. Bonau. ſtatim poſt Baptiſmum, & ieiunium ingreſſum eſſe Nazareth in Synagogam, vbi legit Iſaiæ locum, cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, Euangelizare pauperibus miſit me.*

IDEM confirmat S. Bonauent. *ad cap. 2. Lucæ*, vbi dicitur: *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth*, vbi ait S. Bonau. impletum eſſe illud: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Baruch 3.

4 VITAM autem mixtam obſeruat S. Bonauent. à Chriſto inſtitutam à duodecimo anno, cum remanſit in Hieruſalem, ſequeſter à parentibus, vt orationi incumberet, vt dicitur Thren. 3. *Sedebit ſolitarius, & tacebit*, poſtmodum inuentus eſt inter eruditos diſputans, nam de eo dicendum erat id Eccleſiaſtici 15. *In medio Eccleſiæ aperuit os eius.* Id verò quomodo diſcipulos docuerit, maximè Lucæ 10. *Meſſis quidem multa, &c. operarij autem pauci*; diſſerit S. Doctor opuſculo, cui titulus eſt: *Cur Fratres Minores prædicent, & confeſſiones audiant.*

QVÆSTIO II.

Vtrum CHRISTVS *Religioſæ vitæ ſtatum coluerit.*

5 RELIGIOSA vita tribus votis eſſentialibus conſtituitur, Obedientiæ ſcilicet, Paupertatis, & Caſtitatis, vt dixi *ſecunda ſecundæ, Tract. de Religionis ſtatu, diſput. 3. ſect. 1. quæſtione 2. & ſeq.* Hæc Chriſtum vouiſſe ait Vulpes *diſputatione* 51. *artic.* 5.

ASSERO primò, Chriſtum non habuiſſe votum obedientiæ. Probatur, quia non inuenitur cui obedientiam præſtiterit; neque enim vlli homini iure ſubditus fuit, licèt prioribus annis obedierit parentibus. Vide Suarez *diſp.* 28. 6

ASSERO ſecundò, Chriſtum perpetuò Virginem fuiſſe, vt tota confitetur Eccleſia, non tamen votum virginitatis emiſiſſe. Nihil enim inuenitur de hoc. Vide Suarez *diſp. 18. ſect.* 2.

QVÆSTIO verò eſt præcipua; quam paupertatem profeſſus ſit Chriſtus, qua de re integrum opuſculum contexuit Seraphicus contra Magiſtrum Guilelmum.

PRIMÒ quidem certum eſt, Chriſtum coluiſſe paupertatem. Hoc probat ex Euangeliis D. Bonau. Primò, Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Et Lucæ 14. *Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ex quibus patet, Chriſtum fuiſſe pauperem, & paupertatis ducem. Ideo *Lucæ* 9. aiebat: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Ioan. 14. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Ioan. 2. Corinth. 8. dicitur: *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues.* Hæc, & alia Scripturæ loca refert, & Patrum authoritates ſuperaddit S. Doctor *allegato opuſculo, art.* 1. & poſt eum Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 2. Vulpes *diſp.* 51. *art.* 1. 7

OMISSO autem tempore, quo vixit cum matre, & quo vixit ex bonis parentum, ſeu laboribus etiam ſuis fabrilibus, vt communiter aſſeritur, & ait D. Bonau. *in Meditationibus vitæ Chriſti, cap.* 15.

QVÆSTIO eſt, an ſequentibus annis omnia abdicauerit ſolo vſu retento, an verò aliquarum rerum proprietatem habuerit, vel in particulari, vel in communi, & eſt quæſtio etiam de mobilibus. 8

NICOLAVS IV. *cap.* Exiit *de verb. ſignif. in 6.* tradit, Chriſtum exemplo ſuo eam docuiſſe paupertatem, quæ omnium rerum proprietate, tam in communi, quàm in particulari priuat, etiam quoad ea, quæ vſu conſummantur.

AT verò Ioannes XXII. in Extrauagantibus: *Ad conditorem: Cum inter nonnullos:* & *Quia quorundam*, de verborum ſignific. Videtur damnare, vt Hæreticum, dicere, Chriſtum nullius rei proprium dominium habuiſſe.

HÆC Pontificum diſcrepantia vrgetur ab Hæreticis; attamen, licèt in quibuſdam diſcrepent; Primò, quia Ioannes vult, inſeparabilem eſſe vſum à dominio in rebus conſumptibilibus vſu, pane, vino, &c. Secundò, quia negat, ſanctam eſſe eam paupertatem, quæ proprietatem earum rerum abdicat: At Nicolaus docet, poſſe ſtare vſum victus abſque dominio, & idem aſſerit Clemens V. in Extrau. *Exiui de Paradiſo*, docet etiam, eam paupertatem, eſſe ſanctam, tamen primum non ſpectat ad fidem, vt fatetur Ioannes. Secundum verò nec Nicolaus definiuit, nec Ioannes directè impugnat, in ea enim; *Ad Conditorem*, ſolùm intendit renunciare dominio eorum, quæ donantur Franciſcanis. 9

QVOAD tertium, in quo Ioannes declarat, hæreticum eſſe dicere, Chriſtum nihil in terris vnquam habuiſſe proprium, nec in ſpeciali, nec in communi. At Nicolaus dicit, Chriſtum aliquando eam paupertatem docuiſſe, aliquando autem 10

paupertatem mitius rigidam demonstrasse, tanquam communem omnium Patrum, & Doctorum. Vnde non sunt contrarij, vt docet Turrecremata *lib.2. summa, cap.112.* Bellarminus *lib.4. de Papa, cap.14.* Suarez *disput.28. sect.1.* Vulpes *disput.51. art. vlt.*

11 Asssero ergo tertiò, Christum aliqua parte illius temporis habuisse aliquarum rerum dominium, saltem in communi, idest simul cum discipulis. Hoc vt minimum vult Ioannes XXII. & probat S. Bonauent. *loco cit.* ex illo *Ioan.13.* vbi dicitur Christus loculos habuisse, & Iudam creasse dispensatorem; & additur *ibidem*, Iudam fuisse furem, eò quòd aliquid ex illis bonis Apostoli habebant, & *cap.13.* cùm Christus dixisset Iudæ: *Quod facis, fac citius*, putarunt discipuli, *quia loculos habebat Iudas*, dixisse ei Iesum: *Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis, vt aliquid daret.* Hoc autem ita factum concedit S. Bonau. *ad 13.* etiam *Ioannis*. Et in opusculo citato concedit, habuisse loculos, tum ad informandam Ecclesiam, quæ potest habere bona aliqua; tum pro infirmis, qui secum erant; tum quia aliquæ necessitates erant, quibus oportebat vti loculis, vt cum per Samaritanos transibant: Sic enim *Ioan.4.* dicitur, discipulos abiisse in ciuitatem, vt cibos emerent. Et cap.6. *Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi?*

12 Hæc eadem confirmat S. Bonauent. ex Patribus D. Augustino *Tract.50. & 62. in Ioan.* & *lib. de mendacio, cap.5.* & *de opere Monachorum, cap.14.* & *concione 3. in psal.103.* Gregorio Nazianzeno *oratione 16.* & aliis.

An verò aliquo tempore caruerit omni dominio in particulari, & in communi.

13 D. Bonaventvra *loco cit.* ait, saltem in Cruce talem fuisse, quod probat S. Bonauent. ex D. Hieronym. *ad Hedibiam, epist.150.* & adhæret Suarez *loco cit.* & hoc satis est, vt Nicolaus verè dixerit, Christum dedisse nobis exemplum paupertatis huiusmodi, tam in communi, quàm in particulari.

Qvare nulla est inter hos Pontifices oppositio, quod ipse Ioannes in vltima Extrauag. declarauit. Hanc quæstionem tractant latè Expositores regulæ, Sanctus Thesaurus, Hieronymus Politius, & alij.

Tanosm multi Pontifices roborarunt Extrauag. Nicolai. Ita Alex. VI. Eugenius IV. Calixtus III. Sixtus IV. & Martinus V.

14 Ex quo fit, vt nostra paupertas sit maximæ perfectionis, quod latè probat S. Bonau. *opusc. citato*, quod non libet transcribere; illum consule. Id latè ostendi 2. 2. *Tract.2. de Statu Religioso, disput. 4. quæst. 2.*

An verò tanta fuerit paupertas Christi, vt mendicare cogeretur? Caietanus *ad 5. Matth.* id negat, cuius sententiam sequitur Medina *ad quæst. 40. art.3. D. Thom.* & Castro *lib.10. aduersus hæreses*, verbo *Mendicitas*.

15 Oppositam sententiam tuetur S. Bonauent. *in Meditationibus, Fer. 3. &c.* pro tempore ante Baptismum, at post Baptismum *opusc. contra Guilelm. art.2. & cap.44. Meditat.* Vualdensis *lib.4. Doctrina fidei antiqua, cap.3. & 4.* vbi priorem sententiam vocat nimis hæreticam, & Scripturæ, ac veterum Doctorum assertioni contrariam: Sed hoc intellige, si addatur cum hæreticis, prauam esse mendicitatem. Porrò, an Christus mendicarit, necne, visum est multis non modo è Catholicis, sed etiam è Theologis, non spectare ad dogma fidei, Asserunt verò mendicasse etiam Catharinus *lib.1. contra Caietanum*, Sixtus Senensis *lib.6. Biblioth. annot.118. & 137.* Albertus Pighius *lib.5. contra Erasmum*, Suarez *disput.28. sect.2.* Vulpes *disp.51. art 4.* 16

Assero cum hac sententia, Christum Dominum eo vsque nostræ indigentiæ aliquando condescendisse, vt mendicandi exemplum daret.

Probatvr à D. Bonauent. *loco cit.* ex psal.39. *Ego autem mendicus sum, & pauper*, nam psalmum illum de Christo intelligit Paulus *ad Hebr.9.*

Secvndò probat ex illo psal.108. *Persecutus est hominem inopem, & mendicum.* Petrus enim *Actor.1.* exponit persecutorem illum fuisse Iudam; atque adeò mendicus est Christus, quem persecutus est. Ita interpretantur ibi Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Ambrosius, Basilius etiam *in regulis breuioribus, regula 262.* ita legit locum illum 2.Corinth.8. *Propter nos mendicus factus est.*

Probatvr tertiò à S. Doctore ex illo Marci 11. *Circumspectis omnibus, exiit in Bethaniam*, vbi adducit glossam D. Hieronymi *Matth.21.* qui ait: *Cùm tantæ paupertatis fuerit, & ita nulli adulatus sit, vt interdum in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inuenerit mansionem, & opertuerit eum redire Bethaniam, vt in domo Lazari hospitio reciperetur.* 17

Probatvr quartò à S.Doctore ex illo Lucæ 19. *Zachæe, in domo tua oportet me manere*, quod fuit quoddam mendicandi genus; nam *se non inuitatus inuitat*, vt ait ibi D. Ambrosius, vt *in Breuiario* habetur; se autem inuitare, est petere, & quodammodo mendicare.

Probatvr quintò à S. Doctore ex illo *Ioan.4.* ad Samaritanam mulierem: *Da mihi bibere*, & adducit D.Augustinum *Tract.15. in Ioannem*, qui vult, eum actum fuisse mendicationem. 18

Probatvr sextò à S. Doctore, quia Christus misit suos discipulos sequaces ad mendicandum, ait enim Matth.10. *Nolite possidere aurum, vel argentum, neque pecuniam in zonis vestris: neque peram in via.* Vbi Glossa apponit, rèmoueri omnia, etiam necessaria ad victum, profectò cogit mendicare.

Præterea Marci 6. *Præcepit eis, ne quid tollerent in via: neque panem, neque in zonis æs.* Et Lucæ 9. *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam*: Ergo signum est, id fecisse etiam Magistrum. Hoc ex D. Bonau. collegit Suarez.

Ex dictis habes, Christum non vouisse quidem paupertatem, attamen eam seruasse. 19

Obiicivnt, mendicitatem esse maledictionem, vt dicitur *psal.63. & 108.* Ergo. Deuter.15. *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos.*

Respondet S. Doctor, mendicitatem è culpa necessariam, coacto, & renitenti, pœnam esse; non autem spontaneam, Dei amore susceptam.

QVÆSTIO III.

An Christvs *vitam austeram agere debuerit; an moderatam.*

Vvlpes *disp.51. art.2.* ait, Christum vtrumque vitæ genus egisse, vt omnibus exemplum esset, tanquam Caput. 20

Assero

Asserо primò, non oportuisse Christum austerum vitæ genus profiteri.

Sic Matth.11. dixit: *Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax.* Vbi Chrysostomus homil. 38. in Matth. *Vt faciliùs omnes lucrifaceret, illam arctam vivendi viam Ioannis omnino dimisit; ipse vero publicanorum, & peccatorum mensas elegit, vt publicanos, & peccatores saluaret.* Latius D. Augustinus *lib.36. contra Faustum, cap.11.*

21 Est autem hîc aliqua quæstio de calceamentis; an Christus nudis pedibus incederet.

Prima sententia est, Christum gessisse calceamenta. Ita Burgensis *Marci 1. addit.1.* Caietanus *Lucæ 3.* Iansenius *in concord.cap.55* Toletus *Ioan.1. annot.65.* & Suarez *disp.28. sect.3. circa finem.*

Secvnda sententia negat cum D.Bonau. *opusc. de calceamentis Christi, & Apostolorum,* & *ad 1.Ioan.* Lyrant *Ioan.1.* Replicatoris *Marci 1.* Abul. q.68. *in cap.3. Marci,* & q.49. *in cap.20. Exodi.*

22 Asserо cum hac sententia.

Probatvr primò à D. Bonauent. *ll. cc.* quia Christus mittens discipulos ad prædicandum, iussit, calceamenta non portare, *Matth.10.Lucæ 9.* Quod interpretans Chrysostomus *homil. 9. ad Philip. ad litteram*, ait, fuisse præceptum à Christo impositum, licèt in vltimæ Cœnæ nocte dispensarit *Lucæ 22.* quod eodem modo intelligit D. August. *lib.22 contra Faustum, cap.67.*

Respondet Caietanus, & Burgensis *Matth.10.* & Suarez *loco cit.* vetita esse solum duplicia calceamenta, sicuti & duæ tunicæ; vel prohibitam esse nimiam rerum curam.

23 Enim verò *Lucæ 22.* Christus recenset: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis:* Ergo ad litteram intelligendum est. Hoc concedit etiam Suarez.

Respondet tamen secundò, non ob id nudis pedibus incessisse, sed calceatos sandaliis; at sandalia non sunt calceamenta, vt declarant S. Doctor, & quatuor Magistri, Hugo, Sanctes, Politius, & alij regulæ Expositores.

Probatvr secundò ex D.Hieronymo *epist.22. ad Eustochium*, vbi ait: *Moyses, & Iesus Naue, nudis in sanctam terram pedibus iubentur incedere, & discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium ad prædicationem noui Euangelij destinantur; & milites, vestimentis Iesu sorte diuisis, caligas non habuêre, quas tollerent, nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat seruis.*

24 Respondet Suarez, contemptas à militibus fuisse caligas, tanquam viles, vel nomine vestimentorum comprehendi.

At obsecro, qua ratione dictum D. Hieronymi refellit? sane gratis.

Obiicies primò D. Augustinum *serm.42. de Sanctis*, vbi aliud docet.

Respondetvr, oppositum alibi docere, & aliquos ex his sermonibus suspectos esse.

Obiicies secundò: Ioannes Baptista ait: *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius,* Ioan.1. & Lucæ 3. & Marci 1.

25 Respondet S. Doctor primò, hæc per modum prouerbij dixisse, vt ostenderet, se indignum esse, etiam in seruitiis vilissimis Christo famulari. Hanc expositionem probabilem fatetur Suarez, & fundatur Glossis. Vide S.Doctorem *locis citatis*, latiùs hoc prosequentem.

Respondet secundò, potuisse tunc calceamenta habere, cum locutus est Ioannes, quia nondum inceperat opus prædicationis; at sanè certum est, postea non adhibuisse, quando prohibuit Apostolis, quia cœpit facere, & docere. *Act.1.* vt notat D.Hieron. *loco cit.* qui idem repetit *epist.4. ad Rusticum, & epist.11. ad Ageruchiam.*

26 Obiicias tertiò *Actorum 12.* Angelus ait Petro: *Calcea te caligas tuas.*

Respondet primò S. Bonauent. exponi id à Glossis spiritualiter. Respondet secundò in Græco haberi sandalia, & ita exponunt Chrysost. & alij Græci: Et quidem Sandalia Christo non negat S. Bonauent. quem sequuntur Iansenius, & Toletus. Vnde fertur, Romæ seruari quoddam Petri sandalium; & aliud D.Andreæ in Hispania in ciuitate Ouetensi: & ita de Apostolis opinatur Abul. *Matth.10.q.60.& 83.* Dionys.Carthus. *ibidem.*

27 Qvoad vestes Christi, patet, fuisse ordinarias, & plures, vt videtur Ioan.13. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua*, non remansit autem nudus. Sic Ioan.19. *Diuiserunt vestimenta eius, & super tunicam miserunt sortes.* Tunicam autem alij sericam dicunt, sed eos confutat S. Bonauent. *ad 19.Ioan.* 5. ex Chrysostomo *homil.84. in Ioan.* vbi ait, fuisse de vili genere vestimenti Palæstini. Idem habet Isidorus Peleusiota *lib.1.epist.74.* secundò, quia si fuisset serica, non imposuissent ei chlamydem sericam
ad contemptum in coronatione. Tandem, quia si 28
fuisset magni pretij, milites eam vendidissent: Vide ibi Seraphicum. Adde seruari Treuiris tunicam laneam, quam Christum gestasse communi traditione creditur.

DISPVTATIO XXXV.

DE TENTATIONE CHRISTI.



PRIVS Christus desuper manifestatus est Filius Dei, & Baptizatus, quàm in deserto tentatus, quo possimus erudiri, dæmonem sæuiores insidias illis tantùm obtendere, quos in Dei militiam accitos, & à se alienatos aduertit; non enim quos ad se securè spectare nouit, tanta agitatione molestat, sed sinit eos in bonis ducere dies suos, vt in puncto ad infernum descendant. Verùm huic iniquæ machinationi Christus obuiauit: *Vt vnusquisque Baptizatorum*, (ait D. Chrysostomus homil. 13. in Matth.) *si post Baptisma maioribus tentationibus vrgeatur, non turbetur, quasi insperatum aliquid sibi obuiauit.* Quamvis autem cæteri homines communiter à dæmone tententur, vt in aliquod malum consentiant, Christum tamen fuisse tentatum, vt simul exploratum esset diabolo, an Filius Dei esset, & vt peccato consensum præberet, communis est Patrum sensus apud Suarez *in 3. partem, tomo 2. quæst. 41.* quod præ cæteris expressiùs docet S. Ambrosius, dicens: *Artificem diaboli disce versutiam, sic tentet vt exploret, sic explorat, vt tentet.* Verbum autem *tentare*, hic sumitur iuxta vulgarem acceptionem pro inducere ad malum, quamvis si strictius sumatur, significat etiam aliquem probare, seu explorare, iuxta illud Dauidis: *Proba me Deus, & tenta cor meum*: Quæ verò fuere in speciali Christi tentationes, dicam infrà *quæst. 4.*

QVÆSTIO I.

Quæ causa CHRISTVM *duxerit in desertum.*

{ D.Thom. quæst.c.

1 DVÆ causæ huius Mysterij sunt nobis explicandæ, Efficiens, & Finalis.

DE efficiente dicit Matth. cap. 3. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu.* Marcus, cap. 1. *Expulit eum spiritus.* Lucas, cap. 3. *Agebatur in spiritu.* Quo in loco omnes Patres intelligunt, Spiritum sanctum significari, Hieronymus *in Matth.* Ambrosius *in Lucam, lib. 4.* Chrysostomus *homil. 13. in Matth.* & *quinta imperfecti*, Origenes 29. *in Lucam*, Cyprian. *serm. de tentatione*, Athanasius *epist. ad Serapionem*, Gregorius *homil. 16. in Euangelia*, Chrysologus *serm. 11.* quos sequitur D. Bonau. *ad 3. Lucæ.*

2 PROBAT autem S. Doctor ex modo loquendi: *Iesus plenus Spiritu sancto.* Subdit: *Agebatur in spiritu*, cui consonum esse ostendit illud Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei.* Hoc verò significat placidum impulsum internum. De quo Cyrillus *lib. 2. ad Reginas, §. de Christi sanctificatione*, ait: *Virtute spiritus in desertum agi dicitur, non quod vi aliqua eò abreptus, adductusve sit; sed quod vitam ad tempus ibi traduxerit, moratusque sit spiritus virtute armatus supra humanæ naturæ conditionem.*

OBSERVAT autem S. Bonauent. acutè in diuerso modo Euangelistarum triplicem esse Spiritus sancti effectum in nobis. Dicitur enim à Matthæo *duci*; à Marco *expelli*; à Luca *agi*, quo significatur ad desertum pœnitentiæ veniri tripliciter, scilicet timore seueritatis, quo dicitur expelli: Et hunc timorem, licèt seruilem, sanctum acclamat Concil. Trident. *sess. 6.* huius autem timoris est expellere peccatum Ecclesiast. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Secundò aliquis ducitur splendore veritatis, ita Prouerb. 4. dicitur: *Duxi te per semitas æquitatis.* Tertiò amore bonitatis, cuius est agi, vt dicitur 3

Rom.

Rom.8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei*. Vel Comminationibus, Admonitionibus, & Promissionibus, quæ tria respondent triplici virtuti animæ, Irascibili, Rationali, & Concupiscibili. Hæc tamen Christo non aptantur.

4 Fine autem sancto Erêmum subiit Christus Dominus: Primò, vt ab omnibus sequestratus altius oraret, & colloqueretur Deo, & ob id dicitur: *Agebatur in spiritu diebus quadraginta*, vt illis altius contemplationi vacans ostendatur, vt notat D. Bonau. licèt Suarez *disp.29. sect.1.* reclamet; est tamen D.Cypriani, serm.citato: *Eligitur, ait, solitudo vt soli Deo vacans anima, cum in se per continentiam mactauerit voluptates, purgatis affectibus, ad cœlestia euolet*. Agit de Christo, non quia egeret mortificatione, sed ad exemplum nobis; sic ait Oseæ 2. *Ducam eam ad solitudinem, & ibi loquar ad cor eius*.

5 Observat autem S. Bonau. *in meditationibus, cap.17.* quatuor à Christo assumpta, scilicet solitudinem, ieiunium, vigilias, & orationem, quæ ad puritatem cordis conducunt, in qua est beatitudo, vt videtur Matth. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt*. Ideò Cassianus *Collat.1.* refert, totum exercitium Monachi esse debere ad puritatem cordis acquirendam. Affert D.Bonau. egregium sermonem 40. D.Bernardi *in Cant.* Ipsum vide.

6 Hinc apparet solutio oppositionis, quæ posset fieri, nam Christus non egebat solitudine, ad attentionem in contemplatione; erat enim anima illa beata, & supernaturali scientia dotata independenter à phantasmatibus.

Respondetur tamen; licèt ita sit, tamen scientia naturali, quæ ad suam operationem phantasmata exigit, poterat distrahi; & ideò, vt cunctis viribus collectus attenderet, secedebat. Hinc Lucæ 5. dicitur: *Et ipse secedebat in desertum*. Et Matth.14. *Dimissa turba ascendit in montem solus orare*.

7 Maximè autem ad nostram eruditionem id faciebat, vt sciremus solitudinem orationi esse optimam, iuxta id Matth.6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*, vt notat D. Bonau.ad eum locum *Lucæ 5.* vbi rursus affert eum D. Bernardi egregium sermonem citatum, vbi inter alia dicit: *O sancta anima, sola esto, vt soli Deo omnium serues teipsam, quem tibi ex omnibus elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis, & intimis, etiam ab illo, qui tibi ministrat. An nescis verecundum te habere sponsum, & qui nequaquam velit suam tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed deuotione, sed spiritu: quamquam & corpore interdum non otiosè te separas, præsertim in tempore orationis*.

8 Vnus pullulat scrupulus è phrasi Matthæi: *Ductus est Iesus in desertum, vt tentaretur à Diabolo*, non enim procurare, aut optare debuit tentari, quod est culpa Sathanæ; ideò neque Christus, neque Spiritus sanctus debuit hoc ad hunc finem dirigere.

Respondetur, Christum non desiderasse, vel procurasse, imò propterea dicitur ductus à Spiritu sancto, vt ait Glossa ex D.Bonauent. *in 2. dist. 23. quæst.3. argumento 3. ad oppositum*. Itaque à Christo non est quæsita tentatio, prout dicit sollicitationem ad illicita, sed prout exercitium virtutis, & ad victoriam, ad coronam, ad exemplum intenta fuit à Christo, & Spiritu sancto monente. Ità loquitur etiam Chrysologus *serm.11.* & alij Patres relati à D. Thom. *art.1.* & D. Bonauent. *in sermonibus Dominica prima Quadragesima*. Id autem voluit supposita malitia Luciferi præscita.

Prima ratio est, vt nobis contra tentationes auxilium afferret, vt docet D. Gregorius *homil.16. in Euangelia*. Ita D.Thom. *loc.cit.* & D.Bonauent. *serm.2.* 9

Secunda, vt nos ad vincendum diabolum erudiret, vt ait D Gregorius *loc.cit.* & D.August. *lib.4. de Trinitate, cap 13.* Ita D.Thom. & D. Bonauent. *ll. mox cc.*

Tertia affectat sermone tertio, vt ostenderet, post Baptismum tentationes grassari, vt ait D. Hilarius *can.3. in Matth.* vnde Eccl.2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem*.

Addit verò D. Bonau. *sermone illo 2.* Eremum 10
aptum fuisse ad vincendas diaboli tentationes inferendas: Primò, quia est sterilis, aptus ad vincendam gulam, & opulentiam; quia despicabilis, ad vincendam superbiam, quia rebus carens, ad vincendam auaritiam. Vide Seraphicum.

QVÆSTIO II.

Quomodo CHRISTVS *quadraginta dies ieiunauerit.*

Christvs quadraginta diebus ieiunauit, ni- 11
hil manducans in illis, vt narrat Lucas, & obseruat ibi D. Bonau. cum D. Ignatio *epist. 8. ad Philip.* Cyrillo *lib.2. ad Reginas*, & D.August. *lib.3. de mirabilibus Scripturæ, cap.6.*

Cavsa autem finalis huius ieiunij est, vt ait D. Cyprianus: Ne putet homo, se iam euasisse periculum, & maceratione carnis non indigere, cum in Erêmum venit. Et rursus: Elegit desertum, & ieiunium, vt solitudine fugiens mundum; & ieiunio macerans carnem, cum solo dæmone dimicaret. Deinde, vt ieiunij necessitatem, ac præstantiam commendaret. Vnde Tertullianus *Tract. aduersus Psychicos, cap.8.* ait: *Ipse Dominus Baptis-* 12
mi suum, & in suo omnium ieiunia dedicauit, imò nouum hominem in veteris sigillationem virtute fastidiendi cibi initiabat: vt cum diabolo rursus per escam tentare quærente, fortiorem fame ostentaret. Præstituit deinde ieiuniis legem sine tristitia transigendis: cur enim esset triste, quod est salutare? Docuit etiam aduersus diriora dæmonia ieiuniis præliandum. Quid enim mirum, si eadem operatione spiritus iniquus educitur, qua sanctus inducitur.

Deniqve ostendere voluit suo exemplo ad orationem, & contemplationem ieiunium esse instar alarum; quibus anima sursum ferri, & cœlestia contemplari valet, vt ait Chrysostomus *homil.1. in Genesim*. Has rationes affert Suarez *disput.29. sect.2.* ex D. Bonauent. *in meditationibus*, & *ad 3. Lucæ*, & *in sermonibus Dominica prima Quadragesimæ*, præcipuè *primo*, & *quarto*; in quo alias addit.

Prima, quia ieiunium est maximè efficax con- 13
tra tentationes, ideo dicitur Matth.17. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio*. Et Iudith 3. ait Pontifex: *Scitote quia exaudiet Dominus preces vestras, si permanseritis in ieiuniis, & orationibus*.

Secvnda est, vt sciamus, ieiunantes deduci victores tentationum ad gloriam: sic enim & Elias

ieiunans peruenit ad montem Dei Oreb 3. *Reg.*19. Oreb interpretatur mensa. Sic ad conuiuium cœli peruenitur, de quo Lucæ 22. *Ego dispono vobis Regnum, vt sedeatis super mensam meam, &c.* Hæc autem mensa perdita est ob gulam Adæ, *Genes.*3.& recuperanda est ieiunio, vt tradunt Gregorius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus *in sermonibus de Quadragesima.*

14 IEIVNAVIT quadraginta dies. Primò, vt nobis ostenderet, Quadragesimam emundare à culpa: sic in figura post quadraginta dies emissus est coruus ex Arca *Genes.*8. sic enim peccator niger, aperto ore ieiunio, euolat: Secundò infundi gratiam: Ideò ibi post quadraginta dies emittitur Columba. Tertiò triumphatur in gloria; ideò post quadraginta dies victor Dauid triumphat de Goliath 1.*Reg.*17.& Christus post quadraginta dies ascendit in cœlum. *Actorum* 1.

OBSERVAT denique S. Bonauent. *ad* 4. *Luca*, Christum ante mortem ieiunare: post resurrectionem comedere, quia vsque ad mortem oportet abstinere à carnalibus desideriis, vt habetur 1.*Cor.*9.& in præmium omnium deliciarum satietas comparatur pro alia vita, vt dicitur Psal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Vide alia *serm.*4. *Dominica prima Quadragesima.*

15 IAM verò quæstio est, an miraculo durauerit quadraginta dies sine cibo aliquo.

ALIQVI existimant, potuisse naturaliter id fieri, rapta anima in extasim, & impediente officia vegetatiuæ potentiæ, eo modo, quo Paulus in raptu perstitit.

ENIM verò S. Doctor *ad* 4.*Luca*, vult, supernaturaliter id factum, & est sententia Patrum concors, vt notat Suarez *disp.*29.*sect.*2.

MAIOR verò controuersia est, an Christus esurierit toto tempore ieiunij.

ID sanè affirmat Caietanus *Matth.*4. cuius sententiam probabilem asserit Medina.

16 VERVM sententia D. Bonauent. *ad* 4. *Luca*, ad id: *Et consummatis illis*, (idest quadraginta diebus) *postea esuriit*, Christum esurisse solùm post quadraginta dies.

PROBATVR primò à D. Bonauent. ex verbis illis: *Et consummatis illis, postea esuriit*; nam si quis narret aliquid euenisse expleto tali tempore, indicat non euenisse antea, vt patet ex similibus locutionibus Lucæ: *Postquam consummati sunt dies octo*, cap. 2. vt notat Suarez *loco cit.*

17 ADDE, hanc esse communem sententiam Patrum, & Expositorum, Hilarij, Origenis, Chrysostomi, Ambrosij, aliorumque Græcorum, & Latinorum super Matth. & Lucam, Basilij *homil.* 1. *de ieiunio*, Gregorij Nyss. *de beatitudinibus, in* 4. Cyrilli *lib.*2.*ad reginas*, Augustini *lib.*3.*de mirab.Scripturæ, cap.*6. & Chrysologi *sermone* 11.

ITAQVE sententia opposita temeraria à Suarez proclamatur.

OBIICIES primò cum Caietano. Si non esuriisset toto tempore, multiplicata fuissent miracula.

RESPONDET Suarez, negando, nam vno miraculo potuit Deus suspendere actionem caloris naturalis, & aliorum contrariorum agentium. Subscribit Vulpes *disp.*51.*art.vlt.num.*10.

18 NON fuit autem hæc frustra, vt putat Caietanus; voluit enim quadraginta dies sustinere ieiunium absque fame, & in fine esurire, quia cum aliquo modo suam ostendisset Deitatem, & de ea diabolum dubium reddidisset sic permanendo; tandem suam humanitatem voluit ostendere, ne diabolus Deitatem perciperet, vt notant Patres adducti: & D.Bonau. ad eum *Luca* textum.

QVÆSTIO III.

Quo loco, & tempore CHRISTVS *ieiunarit, & tentatus sit.*

QVOAD tempus, vnanimes Patres, & expositores censent, factas esse tentationes post ieiunium, quod diebus quadraginta durauit. Solùm parit difficultatem textus Lucæ 4. *Agebatur à spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo.* Vbi Græcus habet: *quadraginta diebus tentatus à diabolo*, omissa coniunctiua *&*. 19

AT oportet sensum Lucæ cum sensu Matthæi componere, & inueniemus cum D.Bonau. ad eum locum, verum sensum. Ait igitur Matthæus cap 4. *Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* Itaque priùs ieiunauit quadraginta diebus, & postea esuriit, & occasionem famis captans diabolus, eum de gula tentat. Hinc *art.*3, D. Thomas acutè addit textui: *Et tunc accedens tentator*, quia occasione esuriei, vt Patres exponunt, accessit tentator, quod acutè obseruat etiam D. Bonauent. *ad* 4. *Luca.* Deinde quia concatenata prima tentatione cum fine ieiunij, subdit: *Tunc assumpsit eum Diabolus.* Quare immeritò D. Thom. carpitur à Suarez. Ex quo habes cum S. Doctore, narrari primò cursim historiam: *Agebatur spiritu, & tentabatur*, quia agebatur ad desertum à spiritu, vt vinceret diabolum, & ad victoriam ordinabatur ieiunium, tanquam medium; ideò scribitur motio Spiritus sancti ad tentationem, quod apertius ait Matthæus: *Ductus est in desertum a spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Mox verò narratur ordine executionis historia, vt primò ieiunauerit; deinde esurierit, & postea tentatus sit. 20 21

Et sanè tentatio ipsa de gula: *Dic, vt lapides isti panes fiant*, ostendit, Sathanam è fame Christi, ansam arripuisse talis tentationis, vt aiunt Patres suprà. Ità Basilius loco cit. *Vide quam mirabiliter ille tentari per esurientem præbuit ansam.* Et Gregor. Nyss. loco cit. *Cum quadraginta dies ieiunus permansisset, postea esuriit. Dedit enim, quando volebat, occasionem naturæ officio suo fungendi; sed tentationum inuentor, cùm intellexit affectum famis etiam illum inuasisse, consaluit vt lapidibus exciperet appetitum.* Hoc acutè obseruat D.Bonauent. *in Lucam*, qui cùm dixisset: *Et consummatis illis, postea esuriit*, subdit: *Dixit autem illi Diabolus.* Vbi D. Bonauent. postquam descripsit occasionem tentationis, hic describit modum tentandi. 22

QVOAD locum, profectò in deserto fuit saltem prima tentatio, vt dicitur *in textu Matthei, & Luca.* Circa alias verò duas tentationes, aliqui asserunt, fuisse in eodem loco, sed imaginariè in pinnaculo Templi, & in monte. Ità refert D.Thom. *quæst.*41. *art.*2. 23

VERA tamen sententia est, Christum tentatum secundò in pinnaculo Templi; tertiò in monte, vt refert historia, qua nititur D. Bonauentura *loco cit.* & D. Thom. clarè enim dicitur: *Duxit, Assumpsit eum, &c.*

PROBATVR à D.Bonauentura secundò è circumstantiis; nam dicitur: *Duxit eum in montem excelsum,* 24

celsum, & ostendit ei omnia regna mundi. medium igitur reale fuit ad regna mundi ostendenda.

Dices: non potuit omnia regna ex quocunque altissimo monte demonstrare, vt patet, quia terra Sphærica est, non plana, quæ ex vno monte conspici queat, eò minùs, quòd montes sunt respectu terræ, sicuti in pomo globuli, seu tabernacula, quæ prominent.

Respondeat S. Bonauentura, potuisse ostendere ei apertè mundi partes dicendo: Ex hac parte est Regnum Romanorum: ex illa Persarum, &c. vt ait Euthymius *Matth.*4. & Suarez *loco citato.*

25 Deinde secundùm Bedam *lib. 2. in Lucam*, respondet S. Doctor, ostendisse ex omni parte delicias. & gloriam mundi, dicendo: ex hac parte thesauri, ex illa florent honores, &c.

Probatur secundò à D.Bonauentura ex SS.PP. Chrysostomo *homil. 5. in Matth.* Gregor. *homil. 16. in Euang.* quibuscum ponderat etiam aliam assumptionem super pinnaculum Templi in Hierusalem, quod erat locus altus, & celebris, ex quo Doctores solebant loqui ad plebem: Vel secundùm alios, tabulatus summus templi: Vel secundùm alios deambulatorium super portam templi, vt notat S.Bonauentura: Ibi autem Sathanas ei dixit: *Mitte te deorsum. Quia scriptum est: Angelis suis mandauit de te, vt in manibus tollant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum*, vbi, vt ex Chrysostomo obseruat, Dæmon hortatus est Christum, vt se præcipitem daret, non tamen è loco deiecit, non impulit, volens, vt ipse se occideret. Quis autem non videat, supponi Christum stetisse in loco eminenti?

26 Præterea quia, vt notat S. Bonauentura ex D. Gregorio *loco cit.* non poterat Dæmon interius commouere Christum, sine immutando phantasiam, siuę alias potentias, sed solùm exterius obiectum proponendo: Quod notauit etiam Suarez; illud enim dedecebat Christum.

27 Quomodo verò Christus sit ductus ad ea loca, D.Cyprianus *loco cit.* putat, indecens fuisse, Christum a diabolo portari; vnde concludit, virtute propriæ animæ ipsum ascendisse: In eam sententiam propendent Anselmus *Matth.*4. Origenes *homil. 31. in Lucam.*

At D.Bonauentura *loco citato*, & *in Meditation. cap.*17. cum Gregor. *loco adducto* arbitratur, permisisse Christum, se rapi à Diabolo, & asportari, sicut permisit se pertrahi a ministris diaboli in passione: In eadem sententia est Chrysostom. *homil.5. imperfecti*, & ferè cæteri expositores, & D.Thom. *q.41. art.4. ad 7.* Colligitur ex textu: *Assumpsit,&c.*

28 Rectè autem obseruat S. Doctor cum Chrysost. *homil. 5. in Matth.* quod diabolus quidem sic Christum portabat publicè, vt ab omnibus videretur; at Christus virtute sua Diuina ità euolabat, seque ad libitum occultabat, vt à nemine videretur, profectò nè videretur Magus, aut scandalum pareret: Ita D.Thom. *loco citato*, & Suarez.

29 Quod autem fuerit illud desertum, & ille mons, quantumque distet à Hierusalem; Suarez non audet asserere; at D.Bonauent. refert *in meditation. cap.*17. desertum eleuari super Iordanem quatuor milliaria, & vocari *montem Quarentana*, à Hierosolyma remotum 14. vel 16. milliaria: Montem verò, in quo peracta est vltima tentatio, ait, eleuari duo milliaria super montem *Quarentana*: Has verò distantias asserit, se ab illis accepisse, qui ea loca inuiserunt.

QVÆSTIO IV.

Quæ fuerint CHRISTI *tentationes.*

Omnes affirmant, primam tentationem fuisse gulæ; aliam superbiæ, & aliam auaritiæ. 30

Prima quidem fuit gulæ, quatenus modo illicito, & vano volebat prouideri fami, & ideò ostentationem etiam continebat. Principaliter verò intendebat explorare Christi Diuinitatem, opere soli Deo possibili, vt aduertit Caietanus, & Suarez, post D.Bonauenturā ad eum Lucæ textum: Similiter illa auaritia simpliciter fuit idolatriæ, quia donatio regnorum ad hoc ordinabatur; ait autem Aristoteles, eum, qui furatur ob Mœchiam, potius esse Mœchum, quam furem: Ita etiam S. Bonauentura *ad 4. Lucæ.*

In his etiam tentauit scrutari, an esset Deus, vt notant Suarez, & Caietanus cum S.Doctore, præcipitio quidem opus intendens diuinum illæsionis: In adoratione verò increpationem, tanquam iniuriæ blasphemæ sibi Deo, Verbo æterno illatæ. 31

Verum enim verò Christus & iacula retudit, & diuinitatem non reuelauit, vt obseruat Suarez ex D. Bonauentura ad eum Lucæ textum, vbi obseruat, quibus clypeis arma Sathanæ retuderit. 32

Primò quidem Verbo Dei, quo ait, homines viuere, vt dicitur Sap. 16. Allegat autem primo loco id, Deuter.8. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Verba enim Dei spiritus, & vita sunt*, vt habetur Ioan.6. *Omnis enim sermo Domini ignitus, clypeus est sperantibus in se*, vt dicitur Prov. 30. & Ephes.6. *In omnibus sumentes scutum fidei, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.*

In secunda verò, Sathanas ipsa Scriptura, qua Christus se defendebat, tentat eum prosternere: *Mitte te deorsum: Scriptum est enim*, Psal. 30. *Angelis suis Deus mandauit de te, &c.* Hæc autem variis scripturis, aliisque historiis confirmatur, *Exodi 23. Tobia 12. Iudith 13. Isa.62. Daniel. vltimo.*

Christus autem alia Scriptura ostendit, Sathanam extra chorum adducere Scripturam; nam, licèt deficientibus mediis humanis Deus prouideat adiutorio Angelorum, tamen non volt tentari, vt in quavis occasione, qua potest humano modo subueniri, expectetur auxilium miraculis, vt ait Beda: *Scriptum est* Deuter.6. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et Ecclesiast.18. *Noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Vnde Numer 14. Vituperantur Iudæi: *Tentauerunt me per decem vices.* 33

In tertia verò pellectus ad Idolatriam, respondet, è Scriptura, Deuter.6. *Dominum Deum tuum adorabis.* Et Exodi 23. in primo præcepto est adoratio Dei. Hæc, & alia præclara habet S.Bonauent. *loco cit.* 34

Est autem aliqua diuersitas in referendo ordine tentationum, nam D. Lucas ponit vltimam tentationem in pinnaculo: At Mathæus ponit vltimam in monte: Quare D. August. *lib.2. de consensu Euangelistar. cap. 16.* dubium relinquit, vtra fuerit prior, ipsum D.Thomas imitatur *art.4. ad 5.*

At Caietanus miratur, D.Augustinum id vertere in dubium, cùm certum sit, priùs fuisse tentationem in pinnaculo, vt indicat Euangelium Matthæi, vbi cōpleta prima tentatione, subdit: *Tunc assumpsit eum diabolus, & statuit supra pinnaculum.* Rursus hac completa, ait: *Iterum assumpsit eum diabolus in montem,* 35

rem, & tandem absoluta tentatione in monte concluditur: *Tunc reliquit eum diabolus*; At Lucas nullius ordinis notam affert, sed meram narrationem omnium simul: Hanc sententiam communiter sequuntur expositores omnes, & veteres Patres, Hieronimus, Hilarius, Chrisostomus, & alij adducti *quæst. præcedenti*, quibus adde Pacianum *Paræncsi de pœnitentia in vltima parte*, quæ est de Baptismo, & Cassianum *collat. 5. cap. 6.*

36 SARAPHICVS ad Euangelium Lucæ, ordinem secutus Euangelistæ, primam, secundam, & tertiam, eo ordine nominat: At *in meditationibus*, recenset tentationes, ordine D. Matthæi, & eum confirmat ordinem ex D. Bernardo, *sermone primo, in Pascha.* Ex quo patet, Christum ab Angelis fuisse inuentum in monte.

37 QVOAD modum apparitionum, omnes dicunt, apparuisse diabolum specie visibili, vt Scriptura innuit: *Accedens tentator.* Id asserit S. Doctor *ad 4. Lucæ*, in ea verba: *Duxit illum in Hierusalem*, & probat ex Chrysost. *homil. 5. in c. 4. Matth. imperfecto opere.* Carthusianus addit, apparuisse specie viri Sancti: Locutus est autem externo sermone, quia non poterat se initio ad Christum insinuando aliter sensum excitare, vt notauit Damascen. *lib. 3. de fide, c. 20.* vbi id confirmat, quia non potuit aliter Adamum tentare: Ergo multò minus Christum: Considerat autem Caietanus, Dæmonem protraxisse sermonem, licèt Christus breuiter responderit.

38 DÆMONE autem victo, succedit victoris triumphus, venerunt enim Angeli, & ministrabant ei, quippè qui priùs Dominum suum in arena fortiter dimicantem conspexerant, nunc triumphanti gratabundo famulantur obsequio.

39 SICVT autem per illud vnusquisque meretur, cuius oppositum ipsi in præmium conceditur, vti per obscuritatem fidei meremur visionis beatificæ claritatem, ita Christo, tripliciter tentato, datum est triplex præmium, tribus priuationibus, quas voluntariè passus est, respondens: Passus est enim esuriem, & saturatur; iuxta illud: *Beati, qui esuriunt, quoniam saturabuntur.* Noluit mundi huius regna, ipsi oblata, acceptare; & veniunt Ministri regni cœlorum ipsi obsequentes, vt indicent, illud ei deberi regnum, cuius incolæ ei traduntur in seruos: Denique positus in pinnaculo templi explorare noluit Angelorum succursum, quem, si præcipitem se daret, diabolus, vt pelliceret, pollicebatur, verum venerunt postea Angeli, & ministrabant ei.

QVID autem ei Angeli ministrauerint, in dubio est, de hoc enim Scriptura in specie nihil refert. 40 Solùm superest dicendum, quod cùm hic omnia Angelico famulatu sint acta, & longè ab hominum consortio in medio deserti Christus sit commoratus, necesse est, vt aliquod miraculum interuenerit, quod, non Christus, sed Angeli patrarent; Nam licèt potuerit Christus, quoscumque vellet cibos creare, cùm tamen eum nusquam pro se, vel pro discipulis suis hac vsum potentia legerimus, sed tantum pro turba, quam ædificare, & ad perfectam fidem erudire voluit; non est, cur dicamus aliquod hic in creandis cibis miraculum ab eo fuisse patratum, tantoque magis, quod videns 41 discipulos ob famis pressuram, & inediam, spicas vellentes, ipsis miraculo non subuenerat; & ipse ex itinere fatigatus, sedensque super Puteum cum Samaritana, misit discipulos in ciuitatem, vt istinc cibos ad leuandam famem reportarent; vt aduertit Seraphicus Doctor dicto meditationum loco, *cap. 17.*

RESTAT ergo dicendum è sententia sancti Do- 42 ctoris *loco citato*, Parata alibi cibaria Angelos in desertum apportasse, dominoque suo *victoriosum* prandium ministrasse; sic enim, vt *ibidem* notat, Angelus Domini Prophetam Habacuc, postquam pro Messoribus suis pulmentum parasset, in Babilonem portauit, vt Danieli esurienti, de coctis cibariis ministraret; quod cùm fecisset, repentinè ad priorem locum beneficio eiusdem Angeli rediit.

HÆC postquam pro piæ meditationis materia de- 43 scribit S. Doctor, pergit Angelorum Ministerium, iucundationem, & erga Dominum reuerentiam referre; & cùm conuenientissimum sit, vt non aliunde, quam ex beatæ Virginis domicilio, cibos afferrent, eos eò euntes, & mox redeuntes, affectuosa pietate suspicit.



DISPVTA

DISPVTATIO XXXVI.

DE DOCTRINA CHRISTI.



ISSVM, & promissum fuisse Christum Iudæis, vt prædicaret ipsis redemptionem, testantur Sacra eloquia, quæ illis erant credita: Potest tamen aliquantulum controuerti, an apud hunc populum iugiter functus sit hoc munere, eò quòd non rarò eum docuisse seorsim discipulos, in Euangelio legimus, ità dicitur Matthæi 20. *Assumpsit duodecim discipulos suos secretò*, item cap 17. iniungit: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius Hominis à mortuis resurgat*, tamen cap. 18. Ioannis, ipse ait: *Ego palam locutus sum Mundo, & in occulto locutus sum nihil*: Hos Textus conciliat D. Augustinus, *tractat.* 113. *in Ioan.* & D. Thomas *artic.* 3. Nam: *In occulto loqui*, Potest sumi dupliciter, primò ex parte modi, quo verba aliqua proferuntur, vt si coram paucis, eaque intentione, vt non diuulgentur, quis ea enunciat: Secundò ex parte intentionis, quando obscurè, & amphibologicè mentem suam etiam in publico aperit, ne scilicet eius sensus capiatur: Christus neutro ex his modis locutus est, quamvis enim sæpiùs in deserto, domi; & alibi priuatis locis salutis præcepta dederit, non tamen ex industria occultandi sermonem, secessum aliquem petiit, vt testatur ipse Matthæi 10. *Quod in aure auditis, prædicate super tecta, & quod dico vobis in tenebris, dicite in Lumine.* Quamuis autem aliquando præceperit Christus, vt quod vidissent ab ipso sanati, tacerent; non ad cauendam suspicionem prauæ doctrinæ id fecerat, sed vt opportuno tempore maior eis fides adhiberetur: Item licèt in mysteriis quædam narrauerit, id præstitit ad maiorem doctrinæ suæ commendationem, quæ in vulgum vulgari sermone sparsa, facilè despectui haberetur; vide Suarez *tom.* 2. 3. *part. quæstione* 42. alia vide infrà.

QVÆSTIO I.

An CHRISTVS *venerit Doctor Gentium, & eo munere sit perfunctus.*

{ D.Thom. *art.* 1. 2. & 3.

1 CERTVM est, Christum venisse Doctorem hominum: Est de fide clarum in Scripturis.

PROBATVR primò à D. Bonauentura *ad* 4. *Lucæ*, primò ex illis verbis: *Euangelizare pauperibus misit me*, quod sumptum est ex 61. *Isaiæ.* Postea verò: *Cum plicuisset Christus librum, sedit* (quod est officium Doctoris) & docuit.

AFFERT verò etiam id Ioan. 6. *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*, & ibidem Petrus ait: *Verba vitæ æternæ habes.*

PROBATVR secundò à S. Bonauentura *ad cap.* 7. *Ioan.* ad ea verba: *Die festo mediante ascendit in templum, & docebat*, Vbi adducit id, Ioan. 18. *Ego docui semper in synagoga, & in templo: & in occulto locutus sum nihil*, vt suprà. 2

CONFIRMAT autem ea mirabili sententia Christi: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me*, nempè quia doctrina Verbi est à Patre, cuius est Verbum, vt exponunt Cyrill. *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 42. Chrysost. *homil.* 48. *in Ioan.* Augustin. *tract.* 29. *in Ioan.* Dicitur verò doctrina mea, quia eam non didicit ab aliquo; neque vt Verbum, quia eam habuit per generationem; neque vt homo, quia eam habuit infusam, quo sensu accepisse, ac didicisse à Deo, vt infundente, explicant August. *lib.* 1. *de Trinitate, cap.* 12. Ambros. *lib.* 2. *de fide, cap.* 4. & *lib.* 5. *cap.* 2. tamen, quia vna est persona, quæ est Diuina, dicitur à se habere, vt sibi connaturalem.

PROBA-

5 PROBATVR tertiò à D.Bonauentura *ad 13. Ioan.* ex illis verbis: *Vos vocatis me magister, & Domine: & benè dicitis; sum etenim.*

PROBATVR quartò *ad 19. Ioan.* ex illis verbis: suprà relatis: *Ego semper docui in Synagoga, & in templo: & in occulto locutus sum nihil.* Hoc verò ità fecisse Christum probat S.Doctor ex illis locis, Matth. 4. *Erat docens in Synagoga eorum.* Ioan. 6. *Hac dixit in Synagoga.* Hinc tamen vana est illatio intercalaris Angeli Vulpis *disp.56. & seq.* venturum cum scillicet Doctorem, Adamo etiam stante.

4 OBIICIT verò primò sibi, quomodo palam locutus sit, cum ipse in vltima cœna dixerit, Ioan.16. *Venit hora, quando non in prouerbiis loquar vobis, sed palam:* Ergo priùs non est locutus palam discipulis, & multò minus aliis, quibus sine parabolis non loquebatur.

RESPONDET ex D.August. *tract. 113. in Ioan.* palam locutum, quia multi audierunt; non palam, quia culpâ illi propriâ non intellexerunt.

OBIICIT sibi secundò cum Chrysost. *homil.82. in Ioan.* quomodo ait: In occulto locutus sum nihil? Sæpè enim in occulto in monte, & in horto docuit, *Matth.17.20. & 24.*

5 RESPONDET S. Doctor ex Chrysostomo, & Theophylacto, locutum esse aliqua etiam in occulto; sed velle referre, se non docuisse seditiones faciendo; vel timendo ea publicè prædicere, cùm sæpè eadem in templo, conuentibus declarauerit. Respondet ergo interrogantis obiectioni, qui seditiosum calumniabatur. Ipse enim sapientiam suam non abscondit, vt dicitur *Sap.7.* & exponit ibi D.Bonauentura, & idem ferè habet S.Thomas; aliqua verò altiora eum constat celasse, vt dixi suprà.

6 ADDIT S.Doctor, *ad 9.Luca,* Discipulis voce è cœlo intonuisse: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Eum verò Doctoris prudentia præcepisse, ne reuelarent pro eo tempore, quia, vt ait D.Hieronymus ibi, & D.Gregor. *lib.2. Pastor. cap.4.* & D.Clemens Papa epist.3. *Doctoris est audientium considerare personas, ne irrideant antequam audiant, & non omnia in vulgus dicere, sed capacibus: Scandalum enim attulisset videre eum postea in Cruce post tantam gloriam.*

7 TANDEM eius mentem fuisse omnia capacibus prædicari, iam docuerat Matth.10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Qui autem ità loquitur, vt quæ occultè docet, velit publicè prædicari, non occultè loquitur, vt obseruat D.August. *loco citato.*

EX his habes primò, Christum optimè perfunctum munere Doctoris Sancti, quo gradu sanè præcellebat ex vnione hypostatica, ob quam poterat etiam Angelorum esse Magister.

HABES secundò, Doctrinam Christi fuisse Diuinam; eius verò authoritatem ad docendum cæteris præualuisse: Id testatur Christus Ioan.3. *Qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur.* Vbi præeminentia Christi in docendo, & prædicando exponitur, vt ait D.Bonauentura *ibi,* & Suarez *disp.30. sect.1.* significat enim, suam doctrinam, non esse humanam, sed Diuinam.

8 HVIVS doctrinæ, & sapientiæ præcellentias latè prosequitur, *Sap. cap.7.* S.Bonauentura: Ibi enim Christi sapientiam eam esse notat, de qua dicitur: *Omnium enim artifex docuit me sapientia. Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem vbique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quadam est claritatis omnipotentis Dei sincera: Et ideò nil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, &* 9
imago bonitatis illius. Et cùm sit vna, omnia potest: & in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert: amicos Dei, & Prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur prior. Illi enim succedit nox; sapientiam autem non vincit malitia.

PRIMÒ quidem excellentiam doctrinæ Christi 10
in eo laudat, quod docet interius illuminando: Omnium enim artifex docuit me sapientia, vt notat D. Bonauentura ex D. Gregorio: & ideò subdit: Est enim in illa spiritus intelligentiæ Sanctus, vnicus, &c. dans certitudinem infallibilem, altissima subtiliter docens, vnicus quidem, sed multiplex, omnia docens, eloquens, potens, velox; vnde omnibus mobilibus tam secundùm substantiam, quàm secundùm qualitatem, quantitatem, aut locum, velocior est ad effectus mirabiles, quales in Christo visi sunt. Vide Seraphicum ibi, & D.Thom. *loco citato,* vbi quatuor rationes hinc deductas affert excellentiæ doctrinæ Christi. Primò, nempe, quia eam miraculis confirmabat: Ecce omnium artifex Sapientia: Secundò, quia loquebatur in virtute, & efficacia: Ecce quomodo potens: Tertiò, quia magna 11
authoritate confirmabat etiam supra legem residens, vt cùm dicebat: *Ego autem dico vobis:* Ecce emanatio omnipotentis Dei; cùm enim esset Filius Dei, erat supra legem: Quartò, quia doctrinam vitæ sanctitate confirmabat: Ecce quomodo incoinquinata, & sancta.

IDEM prosequitur *ad 4. Luca,* ad ea verba: *Mirabantur, quia in potestate sermo ipsius,* 12
siue quia loquebatur, vt Dominus omnipotens: erat enim docens, vt dicitur *Matth.7.* siue quia sermoni iuncta erat virtus, faciens miracula, vt dicitur Eccl.8. *Sermo eius potestate plenus est,* & Lucæ 24. *Qui fuit potens in opere, & sermone;* siue quia virtutem spiritualem habebant eius verba Psal 67. *Dabit voci sua vocem virtutis,* & de se idem asserit Apostolus 1.*Corinth.* idest, virtute Christi: Nec mirum, ipse enim est virtus Dei, & sapientia, vt dicitur 1. *Corinthior. loco citato.*

QVÆSTIO II.

Vtrum decuerit CHRISTVM *docere Iudæos, præscientem eos peiores inde futuros.*

EQVIDEM miratus sum aliquando, Christum ef- 13
fudisse thesauros suæ sapientiæ in Iudæos ceruicosos, & malignos, cum ipse, *Matth.7.* docuisset: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos,* vt exponit D.Hieronym. *ad 5. Amos,* & Prov.9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te,* & Eccles.8. *Ne incendas carbones peccatorum, arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.* Nam, & ratio charitatis præcipit, nè detur proximis occasio peccandi: Itaque D.August. lib.50. homil. in 41. *Si scirem, non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Idem habet *serm.36. de sanctis,* & *lib.1. de ciuitate, cap.9.* fuisset ergo

charitatis

charitatis monitum, Iudæos non corripete.

14 Hoc dubium soluitur cum D.Bonauentura *ad 9. Ioan.* vbi illuminato cæco ait Christus: *In iudicium veni, vt qui vident, cæci fiant.*

Ipse quidem venit, veluti lux, vt testatur *Ioan.1.* & 8. Venit quasi ignis, vt habetur *Deuteron.8.* &
15 *Matth.12.* Venit igitur in iudicium ad discernendos homines, & omnes illuminandos, & aliquos, qui se videntes iactant, & lumini oculos claudunt, sinit in cæcitate iacêre; alios tamen etiam ex Iudæis cæcos illuminauit, vt habet D.August. tract.44. in Ioannem: *Sic cæcitas in parte intrauit in Israel*, vt dicitur Rom.11. *Et gentes, quæ sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam*, vt dicitur Rom. 9. *Ipse enim positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum.* Iure ac meritò (vt notat S. Bonauentura) concludit Christus Iudæis inferentibus: *Nunquid & nos cæci sumus? si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Si vos (infert) velletis cognoscere vestram cæcitatem; ecce Lucem ad videndum: at in iudicium remanetis, non habentes excusationem vestræ peruersitatis, vt exponit D.August. *tract.44. in Ioan.*

16 Prvdentissime igitur Christus docuit, & Iudæos corripuit magnates, qui corrumpebant publicè populum, & miracula negare, vel in deterius interpretari satagebant, totque vias ad Christi authoritatem, & famam conspurcandam excogitabant, vt luce clarius patuit in cæco illuminato: Sic enim multi illuminati sunt; & cæci excusatione sunt priuati, vt iure de eis Christus diceret: *Sine eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Propter enim scandalum aliquorum non est relinquendum opus iustitiæ, vt notat D.Bonau. *in meditationibus vitæ Christi, cap.38.* referens scandala Iudæorum ex doctrina, & operibus Christi, quo in loco vide S.Doctorem.

17 Hinc rectè Ioan.15. ait: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent.* Infert autem Christus, prouidè se mittere etiam Apostolos ad prædicandum multis recusaturis, contempturis, & insuper occisuris suos prædicatores: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Vide D.Bonauenturam *ibi.*

QVÆSTIO III.

Quanto tempore Christvs *prædicauit.*

18 Qvæstio hæc confert ad sciendum, qua ætate Christus mortuus sit, ideò est discutienda.

Prima opinio est quorundam Patrum, qui vnum tantùm annum prædicationi Christi dant: Ita Clemens Alex. *lib.1. Strom.* Afferens illud Isa.61. *Spiritus Domini Euangelizare misit me, prædicare annum Domini.* Idem sentire debent Lactantius, Iulius Africanus, & alij, qui dicunt, Christum fuisse necatum anno trigesimo suæ ætatis, vt dicam *disput. 39.*

19 Secvnda sententia est, Christum duos annos prædicasse: Videtur Apollinaris Laodiceni, apud S.Hieronymum *Daniel. 9.* eamque sequitur Cyrillus Alex. *in cap.29. Isaiæ.*

Tertia sententia communis est prædicasse tribus annis, & nonnullis mensibus, quos infra referam.

Qvarta sententia tenet, quatuor annos Christum prædicasse.

20 Nota primò, initium prædicationis Christi sumi, vel à Baptismo, vel à miraculo nuptiarum. Quæ differentiæ in ea sententia multum facit; si dicas à baptismo ad nuptias annum integrum intercessisse, vt dixi *disput.33. quæst.7.* At in opposita sententia, quæ annum non admittit, parum facit.

Primò igitur cum D. Bonauentura inuenio à 21
miraculo nuptiarum transactos duos annos, & aliquot menses vitæ Christi, in quo omnes ferè Patres conueniunt: Idque ex discursu Euangelij manifestè colligunt. Statim enim post nuptiarum miraculum commemorat, fuisse Pascha cap. 2. *Prope erat Pascha Iudæorum.* Hoc autem fuit primum Pascha, post Baptismum, & Nuptias, quæ eodem anno supponuntur celebratæ, dixi *disp.33. quæst.7.* id verò confirmat S. Doctor ex Chrysostomo, homil.22. in Ioannem, vbi ait: *Ascendit, vt ostendit, quoniam an-*
te paucos dies Pascha baptizatus est. Idem habet Ma- 22
gister historiæ Eucharistiæ: Igitur à sexta die Ianuarij ad festum Paschæ, quod eueniebat quintadecima die Lunæ Martij, occurrerunt circiter duo menses, & aliquot dies, qui incerti sunt, eò quòd ignoretur qua die solaris mensis occurrerit, licèt communis opinio ferat accidisse vigesimaquinta Martij.

His autem mensibus ferè nihil suppetitur de Christi prædicatione; Nam quadraginta dies solitarius ieiunauit, & aliquot dies in inuisenda Matre, & visitando Ioanne, & adunandi discipulis consumpsit. Hinc igitur possumus prædicationem Christi instituere, iam adunatis discipulis, quos cito collegit: quamvis autem in prima vocatione Andreæ appellatus sit Magister, non tamen sequitur, iam id publica, & longa prædicatione nomen esse consecutum, vt putat Suarez *disp.26. sect.2.*

Svccessit autem festum, de quo dicitur Ioan. 23 5. *Post hæc erat dies festus Iudæorum*, qui si fuisset festum Paschæ, iam ab alio suprà relato *cap.2.* faceret annum: Et quidem, id tenent Irenæus *lib.2. aduersus hæreses, cap.39.* Rupert. *lib.5. in Ioan.* Toletus, & Iansenius *ibi*, Pererius *lib.11. in Daniel, quæst.7.* Suarez *disp.30. sect.3.*

At verò Chrysost. *homil.35. in Ioan.* quem adducit, & sequitur D. Bonauentura, *ad 5. Ioan.* cum 24 Theophylacto, & Euthymio, asserunt, fuisse festum Pentecostes: Idem censet, & probat D.Cyril. *lib.2. cap.123.* quia illud festum videtur immediatè secutum post Pascha; nam à cap.2. vsque ad 5. Ioannis, non facit mentionem alicuius festi. Quæ tamen probatio non videtur Suarezio solida, quia sæpè Euangelica historia facit transitum ab vno festo ad aliud remotum: Hanc sententiam docuit etiam Apollinaris, apud Hieronymum *Daniel. 9.* D.Thomas, Albertus Magnus, Lyranus, & alij super Ioannem, & Petrus Comestor *in hystoria, cap.81.* quem refert S.Bonauentura.

Probatvr primò, quia, si *cap.5.* fit mentio 25 Paschæ; quomodo annus integer fuit euolutus in his, quæ Christus egit vsque ad *cap.6.* quo tempore pauca euenere, nempè curatio paralytici, & transitus ad desertum vicinum, vbi panes multiplicauit?

Probatvr secundò argumento ad hominem 26 contra Suarez; nam vbi de Paschæ narratione agit, exprimit Pascha: hîc autem dicit diem festum tantùm; neque verò Pascha vocat diem festum nudè, nisi vbi recenset ea, quæ in Paschate fecit, & ideò indicatur & supponitur quodnam festum esset, vt enim dicitur *Ioan. 4.* vbi ait, exceptum Christum à Galilæis, qui viderant id, quod fecerat in die festo præterito, eiiciendo Mercatores è templo *cap.* verò 11. & *sequentibus*, non nominat Pascha diem festum nudè, sed diem festum Paschæ: Sic cap. 11. ait: *Proximum erat Pascha*, & cap. 12. *Iesus ante sex*

dies

dies Pascha, & cap. 13. *Ante diem festum Pascha.*

Quod si aliquando nominatur dies festus nudè, sic nominatur, quia iam indicatum est, quodnam festum esset: Sic cap. 11. dicitur: *Proximum erat Pascha Iudaorum. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur: Quid putatis, quia non venit ad diem festum?* Similiter incipit cap. 12. *Iesus ergò ante sex dies Pascha venit Bethaniam.* Mox verò dicitur: *Quidnam gentiles ascenderant, vt adorarent in die festo*, superfluum autem erat addere, fuisse festum Paschæ: Hoc autem non aduertisse Suarez summopere miror.

27 Obiicit verò tandem Suarez, quia ea, quæ facta sunt à cap. 2. Ioan. vsque ad 5. non potuerunt fieri spatio illo, quod est à Pascha ad Pentecosten; & quod caput est cap. 4. Christus loquitur discipulis: *Nonne vos dicitis quòd quatuor menses sunt?* Sanè tunc Pascha vicinum est ad duos menses in Palæstina: Ergo illud tempus, quo Christus loquebatur, erat hyemis circa Ianuarium, vt colligunt S. Thomas, Hugo Cardinalis, Claudius, Caietanus, Iansenius, & omnium grauissimè S. Bonauentura *ad eum locum.*

28 Miror autem quomodo Suarez arguat ex Ruperto, modo dicto, & postea inferat, fuisse tunc tempus inter Nouembrem, & Ianuarium, quia messis in Iudæa est mensis Martij, vel Aprilis: Quomodo enim stat, quod distet tempus messis solum duos menses, & tamen ipse loqueretur tempore Nouembris, & consequentia Ruperti inferatur?

29 Respondetur ergo cum D. Bonauentura, hoc non fuisse post Pascha præteritum immediatè, sed hyemis tempore, & omitti sequens festum Paschæ, & solùm aliquod sequens festum infrà annum ex ordinariis recenseri, cap. 5. siue Pentecostes, siue aliud: Ex quo sequitur à primò Paschate post Baptismum Christi celebrato, vsque ad Pascha celebratum cap. 6. Ioan. duos annos excurrisse: Alius quoque annus evolutus est vsque ad aliud Pascha, de quo Ioan. 13. quo peracta est mortis Christi historia: *Ante diem festum Pascha, &c.*

30 Ex quo fit, vt cùm Christus in Baptismo fuerit triginta annorum, & tredecim dierum, vt dixi *disp.* 33. q. 7. & à Baptismo ad passionem euoluti sint tres anni, & dies, qui excurrunt à 7. die Ianuarij, vsque ad 25. Martij, totus vitæ Christi cursus fuerit triginta annorum, trium mensium, & duorum dierum, & quindecim circiter horarum, si media nocte Incarnatio est facta, vt ostendi *disp.* 30. *quæst.* 8. Ex illo Sap. 18. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens sermo tuus Domine de cælis à regalibus sedibus venit*, & hora nona expirauit, vt habetur *Matth.* 27. *Marci* 15. & *Luca* 23.

31 Remanet videndum; quodnam festum fuerit illud, quod sequitur *Ioan.* 5. post colloquium cum Samaritana: Caietan. *Ioan.* 5. & Canus. *de locis*, c. 5. *ad* 6. volunt, fuisse Encænia, seu festum dedicationis Templi, quod hyeme occurrebat, vt dicitur *Ioan.* 10. & obseruat D. Bonauentura.

Dicas cum Suarez: Ille dies non erat adeò solemnis, vt per antonomasiam, dies festus diceretur.

Respondetur ex dictis, dici diem festum pro tempore, quo erat hyemis, non per antonomasiam.

Instat adhuc Suarez, quia dies ille circa mensem Nouembris occurrebat & ante illud festum, 32
Iesus per Samariam transiit: Tunc ergo non poterat dici: *Quatuor adhuc menses sunt, & messis venit*, cùm plures remanerent.

Respondetur ex *Ioan.* 10. Encænia celebrata esse hyeme post Nouembrem; nam hyems incipit à vigesimaprima die Decembris in Solstitio hyemali: Itaque mense Decembri celebrabatur, vt notat Maldonatus ibi, est enim mensis *Casleu*, quo Iudas dedicauit Templum, vt notat Rupertus, & Maldonatus 1. *Machab. cap.* 4.

Vrget Suarez: Christus ascendit Hierusalem, 33
& indicatur causalitas obligationis eò eundi, Dicitur enim: *Erat dies festus Iudaorum, & ascendit Iesus Hierosolymam*, idest, quia erat festum obligans, ascendit: at Encænia non obligabant ad eundum Hierusalem, sed solùm Pascha, Pentecostes, & festum Tabernaculorum, vt constat *Exodi* 23.

Respondetur, nullius momenti esse oppositionem; nam etiam *Ioannis* 10. scribitur: *Facta sunt encænia Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in Templo.* Itaque Christus non ad ea sola festa venire solitus erat, sed etiam ad Encenia.

Ex dictis corruunt opiniones aliæ circa duos an- 34
nos tantùm, & quæ dant quatuor Christi prædicationi: & sanè illa opinio strata iacet ex computatione Paschatum; hæc verò, quia nullus grauium authorum concedit quatuor annos prædicationi Christi, sed ad summum tres, & quatuor menses circiter cum D. Bonauentura vt videre est in Euseb. *lib.* 8. *Demonstr. demonstr.* 2. & *lib.* 1. *hist. c.* 10. D. Hieron. *Daniel.* 9. Theodoret. *ibid.* Clarius D. Ignatius, epistola ad Trallianos: *Triennium præducauit Euangelium, signa, & prodigia patrauit*: Eandem sententiam videtur sequi Beda *lib. de ratione temporum, cap.* 45. Haymo *Apocal.* 12. Nicephor. *lib.* 1, *cap* 29. Et profectò ex Euangelio Ioannis tres tantùm anni colliguntur, vt ingenuè fatetur Suarez, qui tamen gratis addit, hos PP. non satis distinxisse inter initium prædicationis Christi sumptum à Baptismo, vel à miraculo nuptiarum: Cæterùm integer annus (ait) elapsus est à Baptismo ad Nuptias Canæ.

Verum id falsum esse suprà ostendimus, vel sal- 35
tem non satis probatum, vt dixi *disp.* 33. *quæst.* 7.

Confirmatur verò nostra sententia; nam ex *Luca* 3. Christus baptizatus est quintodecimo Imperij Tiberij anno: Sed historiæ graues afferunt, Christum mortuum anno decimooctauo eiusdem Imperij Tiberij: Ergo non potuit prædicatio Christi quatuor annos durare, etiamsi incipiat à baptismo Christi.

Respondet Suarez Christum mortuum anno 36
decimonono Tiberij: Sed de hoc infrà *disp.* 39. q. 3.

DISPVTA

DISPVTATIO XXXVII.

DE MIRACVLIS CHRISTI.



VERITATIS manifestationi, seu etiam confirmationi, succurrunt Miracula, ideò post cœlica illa salutis dogmata, quæ Christus, totius mundi eruditor, Iudæis *disputatione præcedenti*, prædicauerat, hîc agendum est de Miraculis, quorum efficaciori virtute obstinatos huius populi animos emollire satagerat: quare ipsi, licèt præpostera intentione, signum de cœlo quærebant, quippè cui sese faciliùs credituros prætenderent. Potest autem suboriri dubium, cur Iudæi, assuefacti tot Christi miraculis, adhuc nouum signum expectarent; quasi verò Lazari quatriduani resuscitatio, cuius fama per totam Iudæam irrefragabili attestatione increbrescebat, non sufficeret ad comprobandam Diuinam Christi filiationem, de qua ipsi ambigebant; adde tot repentinas ægrotum curationes, tot panum multiplicationem, quinque hominum millibus præsentibus, &c Huius difficultatis solutio quodammodo è Christi patet repulsa, dum ait: *Generatio praua, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei.* Cum enim speciale aliquod signum cuperent; & non aliundè, quàm de cœlo, quo ipsum Ariolum esse calumniarent, & apud Pontifices accusarent, illos repulit, non absolutè signum negando, cùm postea plura fecerit Miracula, sed tale, quale ipsi, ad inuidiam, non ad eruditionem flagitabant; vnde ibidem dicitur, quod ad tentandum eum accesserint: subdit verò: *Nisi signum Ionæ Prophetæ*, quod dictum est non ad exceptionem, sed ad confirmationem prioris sententiæ; quod scilicet daretur quidem signum, at non in ansam calumniæ, vti ipsi optauerunt, sed ad omnem ipsorum malitiam retundendam, vt benè obseruat Suarez *tomo 2. 3. parte, q 43.* Verum, vt grauiores difficultates, quæ è Christi miraculis exurgunt, decidamus, eas ordine solito expendemus.

QVÆSTIO I.

An CHRISTVS *habuerit eximiam potestatem Miraculorum.*

1 ASSERO primò, Christum conuenienter multa miracula patrasse. Hoc patet ex toto Euangelio.

OBSERVAT autem D. Bonauentura, *ad 4. Lucæ*, vbi Christus primis diebus suæ prædicationis venit Capharnaum, & ingressus Synagogam docebat; & stupebant, quia in potestate erat sermo eius, & in Synagoga liberauit hominem à spiritu immundo: Vbi conuenientiam assignat, miraculorum ad comprobandam doctrinam, ac se
Filium Dei ostendendum: Ideò super omnem na- 2
turam, super omnem personam, in omni loco, & tempore miracula patrauit imperio: qua ratione vtitur D. Thomas *articulo 2.* Ideò ille Dæmon exclamat: *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio te, quia sis Sanctus Dei*, de quo Danielis 9. *Ut vngatur Sanctus Sanctorum.* Deinde silentium indixit, imperio expulit eum. Vnde colloquebantur: *Quod est hoc verbum?* idest, res digna verbo, & laude:

Quia in potestate, & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? Potestate præcipiente, & virtute faciente, vt notat S. Doctor.

3 RVRSVS febricitantem socrum Petri sanat: Mox ad occasum solis: *Omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ill: singulis manus imponens, curabat eos.*

SIC dicitur Actorum 10. *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo*, & Sap. 16. *Neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia*, & Matth. 4. *Circuibat Iesus, sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.* Et subditur: *Exibant autem dæmonia clamantia: tu es Filius Dei.*

4 Ex quo etiam S. Bonauent. adducit rationem, ob quam voluerit primò eiicere dæmones Zach. 13. *Spiritum immundum auferam de terra*, quia *apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli*, vt dicitur 1. Ioan. 3. & Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, iuxta id Zach. 12. Hac ratione vtitur etiam D. Thom. *q. 44. art. 1.* Igitur quia miracula Christi fuere argumentum fidei, quam docebat, futurum autem erat, vt per virtutem diuinitatis excluderet dæmonum potestatem ab hominibus credituris in eum, vt dictum est; Ideò conueniens fuit, vt dæmones pelleret.

5 PATRAVIT miracula multorum generum circa homines, vt totum Euangelium narrat. Id ipse ait Christus, Matth. 11. *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur*, & conuenienter; Ideò Marci 7. *Benè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.*

PRÆTER autem hæc miracula ea modo, & subiecto, fuerunt alia quoad substantiam, vt penetratio claustri B. Virginis, penetratio portarum cænaculi, sua & Petri ambulatio super aquas. Hoc autem conuenienter factum probat D. Bonauent. *loco citato*, quia venerat ad salutem hominum: Vnde Isa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit.* Ita etiam D. Thom.

6 PATRAVIT etiam miracula circa corpora cœlestia, primò quidem in aëre Stellam efformauit ductricem Magorum; Vnde S. Doctor *ad 2. Ioan.* ad ea verba: *Hoc initium signorum*, notat ex D. Chrysostomo *homil. 22. in Ioannem*, miraculum nuptiarum fuisse initium signorum Christi, non simpliciter, sed post Baptismum, & hoc sensu intelligendus est D. Thomas *quæst. 43. art. 3.*

SICVT autem in natiuitate corpora aërea commutauit, & ignea; sic etiam in morte, mutauit corpora cœlestia vniuersali Eclipsi, vt dicitur Lucæ 23. *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, & obscuratus est Sol*, in toto mundo.

7 IN hoc autem obseruat S. Bonauent. *ad 23. Lucæ*, & D. Thom. *quæst. 46. art. 2.* ex D. Dionysio Areopag. *epistola ad Polycarpum*, & *epistola contra Appollophanium*, multa accidisse miracula.

PRIMVM est, quia cùm esset plenilunium, Lunaque esset Hemisphærio toto Soli opposita, cucurrit ad Solem, eique se opposuit, atque oculis nostris abscondit: Et hoc ita factum asserit D. Dionysius, quem omnes ferè Catholici sequuntur, vt notat Maldonatus *ad cap. 27. Matthæi.*

8 SECVNDVM miraculum fuit, quia Luna, quæ suo diametro non potest totum Solem longè occultare, totum vbique terrarum abscondit. Et hoc ita factum probat S. Doctor ex Euangelio Lucæ: *Tenebræ factæ sunt in vniuersam terram.* Idem asserit Matth. *cap. 27.* Marcus *cap. 15.* & multi graues authores asserunt. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius, Theophylactus *in Matth. 27.* & D. Dionysius, qui has tenebras se in Ægypto expertum testatur *locis adductis.* Idem sentiunt D. Gaudentius Episcopus Brixiæ *Tract. 3. in Exodum*, & Athanasius *sermone de Passione.* Probatur ex illo Amos 8. *Occidet vobis Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Hoc verò de Eclipsi passionis exponit Hieronymus, & alij ibi, Cyrillus Hierosolimit. *cat. 13.* Isidorus *lib. de Passione, cap. 45.* Tertullianus *lib. 4. in Marcum, cap. 42.* Cyprianus *lib. 2. de Quirin. cap. 23.* Ruffinus *in Symbolo*, Eusebius *lib. 10. demonst. c. 6.* August. *lib. 9. noui Testamenti, quæst. 15.*

ORIGENES tamen vult, factam Eclipsim in sola Iudæa, eumque sequitur Maldonatus *loco cit.* & respondet, Euangelistas hyperbolicè locutos, accipientes vniuersam terram pro tota Iudæa, sicut dicitur Lucæ 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*, & tamen totus orbis non fuit descriptus, sed sola Regna, Romanis subiecta. 9

AT cùm Romani omnibus principalibus orbis partibus dominarentur, & vbique ferè haberent terras, rectè dicitur vniuersus orbis, vt notat D. Bonau. *ibi.* Deinde cùm Imperium Romanorum tunc temporis esset notissimum, pro latitudine Imperij exponitur intelligendum, quod dicitur de toto orbe; at verò hic nulla adest res potens limitare verba Euangelistarum, sic in hoc dicto conuenientium: Vnde non est par ratio.

OBIICIVNT verò: Si facta esset Eclipsis in tota terra, profectò ab Astronomis fuisset obseruata, atque descripta. 10

VERVM Origenes ipse refert, Phelegontem, Chronicorum Scriptorem, hanc descripsisse, & Tertullian. *in Apolog. cap. 25.* testatur, illam Eclipsim visam Romæ; & credendus est, allegare historiam certam, & notam, dum scribit aduersus Gentes. Deinde potuit esse, vt cùm non esset tempus Eclipsis, Mathematici non adscripserint Lunæ Eclipsim, sed tenebris aëris, has enim, non secus ac in Ægypto caliginis massas per aërem sparsas asserunt Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius *ad Matth. 27.*

PROBABILIVS tamen videtur, radios solis, excedentes quantitatem Lunæ, fuisse impeditos, ne illuminarent. Ita Hieron. *ad 27. Matth.* Beda *lib. 4. in Marcum, cap. 15.* & *lib. 6. in Lucam, cap 23.* Cyprianus *de bono patientiæ*, Suarez *disp. 38. sect. 1.* Caietanus: & quidem D. Bonau. *ad 23. Lucæ*, videtur ex D. Dionysio contra Appolloph. vtrumque modum colligere, & offusum caligine Solem, & seipsum abscondentem. 11

INSTAT Maldonatus, non potuisse per totum orbem horâ sextâ fieri tenebras, nam in Antipodibus erat nox; Et in regionibus nostri Hemisphærij pro varietate climatum, erat tempus matutinum, aut vespertinum. 12

SED hæc mihi videntur friuola, nam Euangelistæ describunt factum in Iudæa, & ideò historiam mortis Christi, quæ fuit circa horam sextam ad nonam. Volunt autem describere Eclipsim in horis passionis Christi in Cruce, vt inde eum ostendant Dominum naturæ, qualem Dionysius conclamauit in Ægypto, dicens: *Aut Deus naturæ patitur; aut mundi moles dissoluetur.* Quare debuerunt describere eadem hora in Iudæa euenisse; at verò dum dicunt factam Eclipsim per vniuersum mundum, volunt ostendere proportionaliter pro situ, in quo

illis

illis erat Sol, id euenisset. Hoc adeò mihi genuinum est, vt mirer virum doctum tanti hanc oppositionem pendere.

13 TANDEM ipse S.Dionysius Areopagita, omni exceptione maior, in Ægypto se vidisse testatur magnas tenebras, non autem solum aliquam eclipsis obscuritatem, vt respondet Maldonatus: Imò obseruauit hanc tenebrarum noctem esse factam à Luna.

14 TERTIVM miraculum est, quia naturalis eclypsis incidit ab occidentali parte Solis, & peruenit ad Orientalem, & hoc ideò, quia Luna suo proprio motu ab Occidente in Orientem est velocior Sole in suo etiam proprio motu, & ideò Luna ab Occidente veniens opprimit Solem, & pertransit ipsum ad Orientem vergens: tunc autem Luna pertransierat Solem, & retrocessit ex Oriente, incipiens eum operire.

QVARTVM miraculum consequens est, quod in naturali eclipsi incipit ex ea parte prius reapparere, ex qua primò incepit obscurari, quia Luna ex parte Occidentali veniens, eam partem prius operit, & tendens ad Orientem, primò deserit partes Occidentales in disco Solis: sed hic Luna ab Oriente primò discum Solis operiens, non pertransiuit Solem Occidentem versus; sed postquam peruenit ad vltimos Solis digitos, reuersa est ad Orientem, & ita partes Occidentales, quas primò occupauerat, primò dereliquit.

15 QVINTVM miraculum ex Chrysostomo *homilia* 89. *in Matth.* & D.Bonauentura, est, quia naturalis eclipsis non potest tres horas a sexta ad nonam durare: Itaque oportet vt Luna steterit, nisi tenebræ computarentur ab initio, quo incepit Sol eclipsari.

SEXTVM miraculum consequens est, nam cum horâ sextâ visa fuerat Luna in medio cœli opposita Soli; rursus in vesperis visa est in Oriente opposita Soli occidenti, & ferè plena (erat autem dies 15. Lunæ.) Ex quo habes, non esse incertum ordinem naturæ, sed Planetam Lunæ ad suum punctum remeasse.

16 HOC autem miraculum, quod est primi generis quoad substantiam, factum est, vt Christus agnosceretur Deus naturæ moriens; cùm ita mirabiliter Luna ad Solem operiendum sit ingressa, cursus enim cœlestium Sphærarum clariùs, & euidentiùs id ostendit, cum non possit ab aliis causis peruerti, sicut sublunaria, & hanc rationem innuit D.Dionysius *epistola adducta, ad Polycarpum.* Quare infert S.Thom. *quæst.* 43. *art.* 2. conuenienter Christum miracula circa corpora cœlestia patrasse: Idem deducit S.Bonauentura *loco cit. Luca*, Vulpes *disp.* 48. *art.* 3. vbi *num.* 3. insectando D.Thomam ridiculè ait, Solem naturaliter ob terræ interpositionem eclipsari.

HÆC Solis obuelatio facta est ante mortem Christi: Cætera autem post mortem, vt notat S.Doctor *in Ligno vitæ*, §. *Iesus Sol morte pallidus.*

17 PRIMVM est scissio Veli: Quamvis autem Lucas id narret ante mortem Christi, & ait S. Doctor commentator exponat, tamen post mortem accidisse asserit. Hoc apertè colligitur ex Matthæi cap. 27. qui ait: *Emisit spiritum. Et ecce velum Templi scissum est*, ac si diceret: Tunc statim hoc euenit, vt notat D.Augustinus *lib.* 3. *de consensu Euang. cap.* 9. & D.Bonauentura *loco cit. Ligni vitæ.* Mysteria autem huius reuelationis vide in S. Doctore *ad* 23. *Lucæ*, Ambros. *lib.* 10. *in Lucam*, Leone Papa, *serm.* 17. & 18. *de Passione*, Cyrillo *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 37. Theophyl. *Matth.* 27. Præcipuum est, quod affert S.Bonauentura, est aperiri velum, vt reuelarentur arcana gentibus, & fieret Ecclesiæ nouæ expositio, cui recondita apud Iudæos Scripturæ panderentur arcana: Et quia duo erant vela; communiter Patres censent, fuisse velum in Sancto Sanctorum: Ita Cyrillus *loco citato*, Isidorus super Exodum *cap.* 50. Euthym. *cap.* 67. *in Matth.* Leo *serm.* 10. *de Passion.* at S.Hieronym. *epist.* 130. *cap.* 8. credit, vtrumque velum scissum, quod videtur sumpsisse ex Origene *tract.* 45. *in Matthæum.*

SECVNDVM prodigium fuit Terræmotus. Vbi obserua, fuisse generalem in aliis etiam regnis, vt colligitur ex Cornelio Tacit. *lib.* 2. *Annalium*, (apud Suarez *disp.* 39. *sect.* 2. & Plinio *lib.* 2. *histor. c.* 84. Orosio *lib.* 7. *histor. cap.* 4. qui referunt plures vrbes in Asia tempore Tiberij corruisse: Et D.Augustinus *lib.* 2. *de mirabilibus Scripturæ, cap.* 5. ait, in die mortis Domini duodecim ciuitates in Thracia terræmotu cecidisse: Eum tamen accidisse quinto anno Tiberij refert Eusebius in Chronico, atque adeò tredecim annos ante mortem Christi: Nihilominus idem Eusebius, anno decimooctauo Tiberij scribit: *Bithinia terræmotu concussa est, & in vrbe Nicena ædes plurimæ corruerunt*, quæ omnia his congruunt, quæ in passione Salvatoris acciderunt: Et infra ex Phlegonte refert, cum terræmotum eo anno, & die accidisse, quo & defectio Solis celata. Hoc sanè videtur ob circumstantias censendum miraculum. 18

TERTIVM fuit Petrarum scissio. Refert verò S. Hieronymus ex Euangelio Nazaræorum, etiam superliminare templi confractum: Et Cyrillus Hierosolym. *Cat.* 13. refert, in Monte Calvariæ adhuc videri, vbi petræ scissæ sunt: Refert & Baronius etiam in aliis regionibus disruptos montes, & montem Aluerniæ in Hetrutia, & Caietæ promontorium ad littus Campanum. 19

QVARTVM prodigium fuit sepulchrorum patefactio, & hoc fuit, non à terræmotu, sed ad resurrectionem mortuorum ordinata: Ideò ait Matth. 27. *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum surrexerunt.*

MVLTA alia miracula patrauit circa creaturas irrationales, arefaciendo ficulneam, *Matthæi* 21. aquas ad ambulationem solidando, *Matth.* 14. Multiplicando panes, & pisces, *Ioan.* 6. Imperauit ventis, & mari, *Matth.* 8. Pisces collegit in rete miraculosè, *Luca* 5. & *Ioan. vltimo.* Piscem item euocauit, habentem in ore staterem ad soluendum tributum, *Matth.* 17. Sic autem conueniens fuit, vt in omnibus rebus nocte, dieque, diuersa miracula proderet, vt omnium rerum Dominus agnosceretur, vt arguit S. Bonauentura ad eum Lucæ textum, & D.Thom. *quæst.* 44. *art.* 4. Quæ autem scripta sunt, alia plurima supponunt, vt ait Ioannes, *cap. vltimo.* 20

Ex his colligit D. Bonauentura eximiam Christi virtutem in edendis miraculis, quia imperio, & propria authoritate, proprioque nomine omnibus creaturis miraculosa præcipiebat, vt Deus: Hanc autem, humanitatis Christi virtutem moralem, non Physicam esse ostendi *disp.* 15. *quæst.* 3. Id accinit Ecclesia *Antiph. Dom.* 4. *ab Epiph.* vbi habet: *Impera, & fac Deus tranquillitatem*, Deo virtutem adscribens. 21

Pp 2 QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

An miracula CHRISTI *fuerint simpliciter necessaria ad confirmandam eius doctrinam.*

{D. Thom. quæst. 43. art. 1.

22 ASSERO primò, miracula fuisse media aptissima ad Christi doctrinam persuadendam.

PROBATVR à D. Bonauentura *ad cap. 5. Ioannis* ex illis verbis: *Vos misistis ad Ioannem: ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quæ dedit Pater, vt perficiam ea, ipsa opera testimonium perhibent de me.* Addit etiam illud Ioan. 15. *Si opera in eis non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

23 QVÆRIT autem cum D. Augustino *tract. 23. in Ioan.* quo pacto opera fuerunt testimonium maius Ioanne, cum in ipso Spiritus sanctus perhiberet testimonium.

RESPONDET, Ioannem, Prophetas, & Apostolos perhibuisse de Christo testimonium, quatenus Deus per illos loquebatur: at opera magis intrinsecè probabant, ipsum esse virtutem Dei, vt ipse ait, Ioannis 14. *Pater in me manens, facit opera.*

24 PROBATVR secundò à S. Bonauentura, *ad cap. 10. Ioan.* ex illis verbis: *Opera, quæ facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me.* Et infrà: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Quasi dicat (ait S. Doctor) si facio opera incomparabilia, quæ nemo alius potest facere, cur non creditis, me esse Filium Dei ex natura? cum ad hoc ipsum comprobandum ea exhibeam.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *ad cap. 3. Ioan.* ex illis verbis Nicodemi: *Rabbi, scimus quia venisti à Deo magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Cui addit id Ioan. 9. *Nisi hic esset à Deo, non posset facere quidquam. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Id refricat S. Doctor, *ad 9. Ioan.*

25 ASSERO secundò, miracula non fuisse Christo simpliciter necessaria ad suam Deitatem, & doctrinam probandam.

PROBATVR primò à S. Bonauentura *ad 10. Ioannis*, ex illis verbis: *Abiit trans Iordanem, in eum locum, vbi erat Ioannes, &c. Multi ad eum venerunt, & dicebant: quia Ioannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem, quæ dicebat Ioannes de hoc, vera erant.* Vbi obseruat S. Doctor, Ioannem solà vitæ austeritate, & sanctitate testimonium irrefragabile, ab omnibus creditum, Christo reddidisse, ita, vt eis creditum sit; neque possent Iudæi prudenter fidem non habere: Sic enim dicitur Ioan. 1. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Et ideò Christus, *Ioannis 5.* tacitè reprehendit Iudæos, quòd testimonio Ioannis non habuissent fidem, vt ibi significarunt Chrysostomus, *homilia 39.* & Cyrillus, *libro secundo, cap. 149.*

26 PROBATVR secundò à D. Bonauentura, *ad cap. 8. Ioannis*, vbi Christus antitheses apponit inter se, & diabolum, & conqueritur de Iudæis, credulos esse diabolo homicidæ mendaci: è contra verò subdit: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Conqueritur autem, se innocentissimum agnitum, vt dicitur Isaïæ 53. *Ipse peccatum non fecit.* Et Ioannis primo: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, & tamen sibi non credi. Quasi dicat, suam innocentiam absque miraculis sufficere, additis Prophetarum vaticiniis de se, & testimonio Ioannis.

CONFIRMATVR à S. Bonauentura, *ad 15. Ioan.* ad ea verba: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent.* Ecce doctrina absque miraculis poterat eis persuadere: Tanta enim erat vis prædicationis, & doctrinæ Christi, vt eam audientes, nec obedientes, inexcusabiles proclamarentur. Experimentum docuerat in Samaritanis, quàm efficax esset verbum Christi Ioan. 4. *Multò, plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.* Et ad hoc obseruat S. Doctor, id absque miraculis esse factum: *Viuus enim est sermo Dei & efficax.* Hebr. 4. Verba enim vitæ habebat Ioan. 6. & cap. 15. *Vos mundi estis propter sermonem meum.* 27

E contra stupet D. Bonauentura, cur Hebræi tot prædicationibus, miraculis, & prodigiis: *Contestante Deo signis, & portentis*, obstinati remanserint? Hæc prosequitur Vulpes, *disputatione 47. artic. 2. & sequentibus.*

ASSERO tertiò, miracula fuisse ad confirmandam Christi doctrinam quadam morali ratione necessaria. 28

PROBATVR, quia valdè vtilia erant, eo magis, quo erant beneficia maxima, allicientia ad amorem.

ADDE quod de Messia erant prædicta *Isaiæ 35.* & aliis locis; ideò debuêre fieri.

POTEST verò obiici locus ille Ioan. 15. *Si opera non fecissem eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* Ergo erant illa opera simpliciter necessaria, vt homines Christo credere tenerentur, quandoquidem sine illis non peccarent, non credendo.

RESPONDET S. Doctor ad eum locum ex D. Augustino, *tract. 89. in Ioannem*, quos sequitur Toletus *Ioan. 15. annotat. 22.* Iudæos multos fore excusandos, ab eo genere peccati, nempè, infidelitate; licèt Doctores non essent inexcusabiles, quia absque miraculis è Scripturis nouerant, vel nosse poterant Christum. 29

CONTRA arguit primò Suarez, quia verba sunt generalia, omne peccatum excludentia.

RESPONDET S. Doctor, peccatum infidelitatis esse fundamentum aliorum patrandorum, & obstaculum, ne remittantur; ideò dum ait, peccatum non haberent infidelitatis, cætera consequentia excludit.

ARGVIT secundò, quia loquitur Christus de Scribis doctis, & Pharisæis, qui persecuti sunt ipsum, & infert, eos fore excusabiles à peccato. 30

RESPONDETVR, Christum loqui in genere indefinitè; inter persecutores autem fuit etiam populus: Aliam responsionem insinuat S. Bonauentura, quam sequitur Suarez. Quod multifariam multisque modis olim Deus loquens in Patribus, prædixit conditiones Messiæ, nempè vitam, & signa: *Nouissimè autem locutus est nobis in filio*, adimplens ea promissa eisdem signis, & circumstantiis: Itaque si Christus non venisset, & non præstitisset opera prædicta de Messia, eum indicantia, peccatum non haberent: Igitur miracula necessaria fuere ex suppositione prædictionum de Christo,

quæ

quæ ostendebant, eum curaturum infirmos, illuminaturum cæcos, &c.

OBIICIT sibi Suarez, tunc non fuisse obligatos credere, Christum esse Messiam, antequam signa prædicta de Messia facta essent.

31 RESPONDET negando consequentiam, sicut si Christus non surrexisset, non peccaremus, non credendo in eum, vt colligitur 1. *Corinth.* 15. & tamen non inde fit, antequam resurgeret, Iudæos non fuisse obligatos ad credendum ei, nam talis prædicatio præcesserat, vt tenerentur credere Messiam, & de eo cætera implenda: Ita, &c.

32 ATTAMEN arguo contra: Per te signa omnia fuere ad credendum Christum esse Messiam ex suppositione, quod erant de Messia prædicta, tanquam notæ illius, & ita sine illis essent excusati, & peccatum non haberent: Ergo implenda prius erant; nam cùm adhuc non erat, non poterat producere effectum, ad quem sunt necessaria, cùm enim essent necessaria ad comprobandum eum esse Christum, quis non videt, debuisse esse impleta? Ideò non ait Christus: *Si non facturus essem opera*, sed: *Si non fecissem.*

33 RESPONDETVR igitur obiectioni, non omnia signa fuisse ex suppositione necessaria, sed aliqua præcipua, quæ nulli alij conuenirent, vt nasci de Virgine, miracula patrare propriâ authoritate, & imperio in proprio nomine, vt notat D. Bonauentura *locis adductis*, & cùm ex his aliqua ostendisset, tenebantur credere, etiam reliqua implenda.

QVÆSTIO III.

Vtrum miracula CHRISTI *ita doctrinam confirmarent, vt ad credendum in eum cogerent.*

D. Bonau. ad cap. 5. Ioan.
D. Thom. quæst 43. art. 4.

34 ASSERO primò: Miracula per se nuda non erant sufficientia ad cognoscendum, Christum esse Messiam, & Deum, in quo tota de Christo fides posita est, & constituta.

PROBATVR à D. Bonauentura *ad cap. 5. Ioannis*, ad ea verba: *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Primò quia illa, vel similia miracula fecit Deus, & facere alia poterat per Prophetam, vel alium hominem simplicem: Imò Apostoli maiora fecerunt miracula, vt promisit Christus: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, &c. & maiora horum faciet*, Ioan. 14. Hinc Petrus solo vmbræ transitu omnes infirmos, super quos vmbra transibat, sanabat, vt dicitur *Actorum* 5. imò omnes circumstantes eum, quem vmbra attigisset, & innuitur illis verbis: *Vt transeunte Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur*, vt vidit Chrysostomus: Adde, gratiam miraculorum posse stare in peccatore, quippè cum sit è gratiis gratis datis.

35 ASSERO secundò: Miracula Christi, vt coniuncta propheticis, quæ de Messia erant absque alia Christi testificatione suæ diuinitatis, euidenter ostendebant, esse Messiam, & Deum, dummodo prophetiæ intelligerentur, & crederentur, & veritas miraculorum euidenter cognosceretur.

PROBATVR à S. Bonauentura *serm. 2. Dominicæ secunda Aduentus.* Cùm enim discipuli Ioannis venissent ad eum interrogantes: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Tunc cæcos illuminauit, claudos erexit, & alia miracula prædicta de Messia à Prophetis, maximè *Isaia* 35. patrauit; 36
quæ erant notæ futuri Messiæ: *Tunc aperientur oculi cæcorum. Et saliet tanquam ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Posteà verò mysticis his factis patratis, respondit Matth. 11. *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, &c.* Quo sanè medio dubitantibus illis de eo, an esset Christus, satisfecit operibus, quæ nemo alius, nisi Christus facere potuisset; operabatur enim ad comprobandum, se esse prædictum illum à prophetis; at verò Deus non fecisset ea miracula ad falsitatem comprobandam: Itaque non potuisset ea facere miracula, nisi esset verus Christus.

HINC miracula Christi patrata in testimonium 37
huius articuli, se esse Messiam, & Filium Dei, conuincebant eum verum esse Messiam, & Deum: Ita S. Doctor *ad 4. Lucæ citatum*, q. 1. initio; & aliis locis infrà adductis, D. Thom. *quæst. cit.* vbi Caietanus, & infrà, *quæst. 47. art. 5.* & *primo cont. Gentes, cap. 6.* Scotus *in Prolog. sentent. quæst. 4.* & eam veritatem supponit Athanas. *serm. de Incarnatione*, Origenes *lib. 8. contra Celsum.*

RATIO autem ex allegatis locis D. Bonauenturæ colligitur: Quidquid Deus suâ veritate confirmat, est verum: Sed id, quod Christus affirmat, confirmabatur à Deo miraculis: Ergo. Atque affirmabat, se esse Messiam, & Deum: Ergo verè ita erat. Maior est euidens, quia Deus non potest mentiri. Minor probatur, quia miracula exigunt virtutem Diuinam.

OBIICIT verò sibi Suarez, non repugnare, Deum 38
speciali gratiâ gratis data concurrere cum homine ad facienda miracula, etiamsi ea faciat in confirmationem falsitatis; quia hinc non sequitur, Deum mentiri: sic enim dat Sacerdoti supernaturalem facultatem consecrandi, neque eam virtutem suspendit, etiamsi Sacerdos eâ malè vtatur, & tamen malitia hominis in eum non redundat: Ergo idem erit in præsenti.

DEINDE potest Deus conferre virtutem mira- 39
culorum ei, qui eâ vtitur ex auaritia: Ergo & ei, qui ad decipiendum.

PRÆTEREA, licèt is, qui facit miracula, ea dicat patrare in confirmationem illius falsitatis; non tamen sequitur, Deum concurrere ad eandem confirmationem.

TANDEM fingamus, Deum decreuisse crastina die miraculum facere propter finem sibi cognitum, & id alicui reuelasse: Tunc, si ille homo prædicaret, fieri tale miraculum in confirmatione alicuius erroris, quem prædicat; non ob id teneretur Deus cessare, & illud miraculum impedire.

HÆC argumenta (ait Suarez) difficilia esse, ideò optat potius sibi ab alio solui, cùm ipse implicatus sit.

HANC difficultatem tangit S. Bonauentura *in 3. part. 2. dist. 2. art. 2. quæst. 2. ad vltim.* & *ad cap. 5. Ioannis*, ad ea verba: *Opera testimonium perhibent de me.* 40

RESPONDET igitur ex D. Chrysost. *homil. 58. in Ioan.* ante medium, ad Dei sapientiam, prouidentiam, imò & iustitiam pertinere, vt non operetur aliquid, quo suo nomine decipiantur, & scandalum offendant in salute, ità vt firmiter Deo agente credant errorem ad damnationem. Esto enim non mentiretur, attamen iniquè operaretur contra suam prouidentiã,

& authoritate superna abuteretur contra sua promissa ad damnationem nostram; alioqui si Deus potest id facere, nulla superetit via ad credendum Deo loquenti per homines, & contestanti per signa, & portenta, quod falsum est, vt colligitur ex *Hebræorum* 2.

41 Propterea infert Suarez, esse moraliter euidens fieri non posse, vt Deus concurrat cum homine ad perficienda vera opera supernaturalia, quæ fieri non possunt, nisi virtute Diuinâ, & quod illa faciat in confirmationem falsæ Doctrinæ, quam proponit, vt Diuinam, & à Deo reuelatam.

42 Neqve est simile de potestate supernaturali ad Sacramentum, vel ad miraculum conficiendum data homini, facienti illud ex auaritia; hoc enim est scandalum salutis à Deo immediatè, & directè proueniens, sicuti in casu nostro.

Qvoad casum verò vltimò effictum, dico primò, diuersam esse rationem de miraculo facto à Deo ad instantiam alicuius deceptoris ad decipiendum; & de miraculo iam statuto ad finem bonum; nam in priori casu ingreditur Deus, vt promotor falsitatis; non hic: Secundò dico, tunc Deum non operaturum.

Dicas: Ergo ad Dei prouidentiam pertineret, non permittere apparentia miracula, quæ virtute dæmonum fieri solent, & ab Antichristo fient, quia illa erunt ad decipiendos homines.

43 Respondetvr, non esse eandem rationem, quia quando sunt falsa miracula, semper relinquitur aliqua via agnoscendi errorem, vel ex Scripturis, ex Ecclesia, vel ex illuminatione per orationem: Ità respondet etiam Suarez ex D. Bonauent. *loco cit. in 2. sentent. ad vltimum.*

QVÆSTIO IV.

An miracula Christi *cogerent Dæmones ad credendum* Christo, *prædicanti se esse Messiam.*

44 Qvæstio hæc non potest esse de Angelis beatis; sed de Angelis in statu viæ, aut in termino, quales sunt dæmones, qui præter cognitionem naturalem norunt etiam reuelata de Messia, circunstantias loci, temporis, personæ, miracula, quæ de eo prædicta erant, & videbant in eo compleri: Ideò, licèt vnio hypostatica sit entitas superna, non obiecta naturæ, poterat inde sciri.

Prætarea videbant miracula euidentia; tum ex modo, vt in subitis sanitatibus; tum in subiecto, vt illuminationes cæcorum, resurrectiones mortuorum; tum ex substantia, vt penetrationes corporum, solidationes aquarum, &c. quæ sciebant profectò, non posse aliter, quàm Diuinâ virtute fieri.

45 Prætar hæc, si non fuerunt impediti, viderant eum natum ex Virgine, adierunt Angelos acclamantes, & adorantes Filium Dei, eos autem non posse mentiri, aut decipi, quippè beatos, absque dubio nouerat Dæmon.

46 Insvper audiebant Christum prædicantem, se esse Messiam, & Filium Dei, Ioan. 4. *Ego sum, qui loquor tecum.* Matth. 11. *Dicite Ioanni, &c.* Ioan. 17. *Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christũ.* Porrò id etiam perceperũt Iudæi, qui sæpius ob id obiurgarant, ac voluerunt eum capere, & lapidare. Audiebant multos confitentes illum Filium Dei, quod ipse acceptabat, vt Petrus, *Matth.* 16. Martha *Ioan.* 11. Videbant denique eum miracula patrantem in huius asserti testificationem: *Vt credant homines, quia tu me misisti,* Ioan. 11.

Ex his sequitur, dæmones apprehendisse Christum esse Messiam, & Filium Dei, eumque certò agnouisse, nisi fuerint impediti à Deo, sic fatentur D. Bonauent. *ad 4. Lucæ*, D. Thom. *quæst.* 44. post Sanctos Patres, quos referam: Quæstio ergo solùm est, an fuerunt impediti?

Prima opinio est, dæmones saltem post Baptismum agnouisse Christum: Ità D. Thom. *quæst.* 29. *art.* 1. *ad* 3. & *quæst.* 44. *artic.* 1. *ad* 2. & *quæst.* 47. *art.* 5. Lyranus *Marci* 1. *& Lucæ* 4. Abulens. *Matthæi* 4. *quæst.* 22. Suarez *disp.* 31. *sect.* 3. 47

Secvnda sententia est, nunquam dæmones certò agnouisse Christum: Ita S. Bonauentura *ad 4. Lucæ*, ad ea verba: *Venisti perdere nos*, &: *Scio te quia sis Sanctus Dei.* Carthus. *Lucæ* 4. *Marci* 1. & *ad Rom.* 10. *art.* 4. post multos Patres, quos referam: Ita & Scotus *disput.* 20. Vulpes *disputat.* 47. *art.* 4.

Assero cum hac sententia, dæmones numquam certo Christum cognouisse. 48

Probatvr à S. Doctore *loco adducto* ex illo 1. Corinth. 2. *Loquimur Dei Sapientiam, quæ abscondita est, quam nemo principium huius sæculi cognouit: Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Hoc verò de dæmonibus interpretantur Hieron. *Daniel.* 50. Ambros. 1. *Cor.* 2. Anselm. *ibid.* August. *quæst.* 66. *noui Testamenti*, Gregor. *homil.* 25. *in Euangelia.*

Ex quo patet, affuisse rationem, ob quam deberet hæc cognitio dæmonibus negari; & soluitur ratio Suarez negantis, fundamentum aliquod id negandi existere.

Respondet D. Thomas ex Beda *lib.* 2. *in Lucam*, *cap.* 4. vt refert Suarez, qui ex D. Gregorio *lib.* 33. *Moral. cap.* 7. idem haberi asserit, non ideò dæmonem Christum Iudæis crucifigendum persuasisse, quia Filium Dei non putauerit, sed quia se morte illius non præuidit damnandum: Itaque dicunt, non ignorasse quidem, Christum esse Messiam, & Filium Dei, sed ignorasse mysterium Redemptionis, quo inuoluebatur expoliatio dæmonum: Caietanus verò *ad c.* 2. 1. *Corinth.* & *hoc art. D. Thom.* ait, dæmones, etiamsi nossent Christum, imò quia nossent, odio infernali exardescentes, conspirasse ad eius mortem. 49

Hæc tamen responsio friuola est. Primò quia Redemptio mundi, & euersio imperij dæmonum iisdem vaticiniis includebatur, quibus prædicabatur Messias, præsertim in Psalmis, & Isaia, & ideò Messiâ cognito, necessariò cognoscebatur euersor inferni. 50

Respondet Suarez, eas Scripturas non esse adeò claras, vt dæmon illas intelligeret, præsertim cùm impetu odij, & inuidiæ in Christum actus, cæcutiens irrueret, more hostium, qui ad aliorum necem irrumpunt, non meditantes incommoda inde sibi euentura.

Hæc profectò inania sunt; nam æque clara est vtraque prophetia. 51

Isaïæ 8. de nostro Emmanuele dicitur: *Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: Festina prædari.* Hoc autem publicè docuerat Christus coram dæmonibus, præcipuè Lucæ 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat,*

bat, & spolia eius distribuet. Hoc autem dixit ad probandum se diaboli hostem, atque adeò non adiuuari à Belzebub ad miracula.

Et *Ioan.* 12. idem publicè conclamauit: *Nunc iudicium est mundi: Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Ridiculum autem est dicere, Christum aures diabolo tunc obturasse, cùm hæc coram multitudine, etiam Gentilium, prædicaret.

52 Præclarè prædicitur *Isa.* 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbra mortis, lux orta est eis, &c. Paruulus enim natus est nobis, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Deus, Fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur imperium eius, &c.* Eadem claritate loquitur *cap.* 11.

Capite 35. vbi miracula, & aliæ notæ Christi prædicuntur, luce clarius Redemptio hominum declaratur: *Et redempti à Deo conuertentur, & venient in Sion cum laude: & lætitia sempiterna.*

53 Capite 40. Præclarum habetur vaticinium: *Consolamini, Consolamini popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem; dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, &c.* Ipsum lege.

Capite 42. aliud clarius habetur testimonium. Et *cap.* 49. & 51. Redemptionem mundi clarè prædicit. *Cap.* 52. Porrò *cap.* 53. vbi passio Christi Euangelij stylo enarratur, habetur: *Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Lege totum Isaiam, & vbique idem inuenies.

54 Psalmi etiam referti sunt hisce vaticiniis, præsertim secundus, octauus, vigesimus primus, cum sequenti, & alij multi.

Deinde Beda non ait, dæmones certò eum nouisse, sed lib. 2. in Lucam, cap. 14. *Per signorum potentiam, vel intellexit, vel potius suspicatus est, esse Filium Dei.* Et hoc modo intelligendus est, *cap.* 4. vbi citatur: *Dæmonia Filium Dei confitebantur, & attestante Euangelistà, sciebant, ipsum esse Christum.*

55 Quoad D. Gregorium, 33. Moral. cap. 7. ait: *Behemoth iste Filium Dei incarnatum nouerat, sed redemptionis nostræ ordinem nesciebat.* Et infrà: *Antiquus hostis Redemptorem ante se positum vidit, quem cognoscendo confessus, confitendo pertimuit dicens: Quid nobis, & tibi fili Dei?* Notitiam verò de Christo eam solùm admittit, quæ dæmoni timorem incuteret; est autem timor etiam de malo non omnino certo, atque adeo certè non agnouit: & id sensisse ostendit *loco suprà citato.*

Quoad D. Augustinum ait Suarez, dubium esse; an ille Liber sit Augustini? At etiam ipse eum pro se adducit.

56 Probatur secundò à D. Bonau. *loco cit.* ex D. August. 8. *de ciuitate Dei*, vbi exponens illud Luc. 4. *Quid nobis, & tibi Iesu?* ait: *Tantum eis innotuit, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed sic innotuit, sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrannica potestate erat liberaturus prædestinatos in suum regnum, & gloriam spiritualem veracem, & veraciter sempiternam. Innotuit per quædam suæ virtutis effecta. Denique quando ea paululum supprimenda indicauit, & aliquantò altius latuit, dubitauit de illo dæmonum Princeps: Post magis innotescebat.*

Hinc validè arguo hoc loco contra Suarez, qui
57 eum adhibet pro se: Tantum Christus innotuit dæmoni, quantum necesse erat ad terrendum de futura inferni expoliatione, ex D. Augustino: Ergo quidquid sciuit, fuit de Messia, vt suo triumphatore: Falsum igitur dicit Suarez, agnouisse Christum certò, non verò triumphatorem. Deinde si solùm tantùm innotuit, quantum spectabat ad victoriam de eo reportandam: cùm hoc incertè agnouerit secundum aduersarios, sequitur incertè nouisse etiam ipsum
Christum. Postremò ostendit, eam notitiam fuisse 58
dubitationem, esto aliquo modo magis notificatam.

Idem probat S. Bonau. ex aliis Patribus, ad quorum mentem exponit eum locum Lucæ. D. Hieronymus, Matth. 8. ait: *Tam dæmones, quàm diabolus suspicari magis Filium Dei, quàm nosse, intelligendi sunt.* Ex quo explicantur aliqua eius testimonia, quæ pro se adducit Suarez *Matth.* 8. & *Marci* 1. & testimonium Bedæ, quod inde est sumptum, vt fatetur Suarez, notitiam scilicet dæmonum fuisse incertam: Sic enim ait & Beda, lib. 2. in Lucam, cap. 14. *Per signorum potentiam, vel intellexit, vel potius suspicatus est esse Filium Dei.*

Respondet Suarez per hæc non negari certi- 59
tudinem, sed euidentiam per reuelationem; ait enim D. Hieronymus: *Nemo enim nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Similia habet D. Augustinus *loco cit. de ciuitate.*

At verò luce clarius asserunt hi Patres incertitudinem cognitionis; benè autem rationem reddunt; quia dæmones via naturali id nouerant; non per reuelationem, quæ necessaria est ad cognitionem huius Mysterij certam.

Instat Suarez: Dæmones intelligebant Scripturas de Messia: Ergo.

Respondetur, potuisse Deum impedire co- 60
gnitionem Scripturarum declarantium, quæ obscuriores erant, quàm asserentes eius triumphos; quas non intellectas asserit.

Addit Suarez Chrysostomum *homil.* 5. *in Marcum.* Euthymium *Marci* 1. Theophylact. *Lucæ* 4. quasi dixerint, verum enunciasse dæmones, cùm aiebant, se scire illum esse Christum.

Hoc tamen falsum est, nam Chrysostomus solùm 61
dicit: *Cogitur verum dicere, tormenta cogunt, sed malitia vetat.* Et infrà explicans illud: *Obmutesce: Nolo me laudet vox tua; non veni, vt tuo testimonio comprobarer.* Idem tantùm habet Theophylact. & Euthym. quod S. Bonauent. etiam cum Tertulliano *lib.* 4. *contra Marcionem, cap.* 7. & 8. concedit ad ea verba: *Non sinebat ea loqui, quia sciebant esse Christum.*

Probabiliter quidem sciebant, & coguntur verum dicere, quia in se verum erat, licèt eis non adeò certum; & quomodocumque innotesceret, nolebant confiteri: & hoc tantùm vult Chrysostomus *loco cit.* & *homil.* 29. *in Matth.* Ambrosius *lib.* 4. *in*
Lucam, cap. de confirmatione doctrinæ Christi per mi- 62
racula. Tertullianus *lib. contra Praxeam, cap.* 26. & *lib.* 5. *cont. Marcionem, c.* 6. Athanasius *lib. de Incarnatione Verbi*, satis post medium, & *epistola ad Marcellinam*, & Nazianzenus *orat.* 42. ex quibus nullus profectò asserit certam cognitionem, sed solùm ex tormentis suspicatos dæmones, eum esse Deum, vt Chrysostomus, & Nazianzenus; vel prædicasse eo
modo, quo nouerant, vt Ambrosius, Tertullianus 63
verò ait, eodem modo dixisse: *Scio, quòd sis Filius De*; sicuti cùm ait: *Si Filius Dei es*, idest dubitando. Athanasius verò solùm asserit, dæmones nunc agnoscere, quod impij homines non sibi persuadent, iamque certò clamoribus adorantes confiteri; quem viuentem inter nos dubitantes acclamabant. Id autem profectò sentit S. Athanasius, qui Luciferum iuxta crucem, adhuc incertum, & anxium describit.

OBIICIT adhuc Suarez. Dæmones audierunt voces è cœlo à Patre: *Hic est Filius meus dilectus, &c.* audierunt Christum prædicantem, se esse Filium Dei, & in huius veritatis argumentum supernaturalia vera miracula patrantem.

64 RESPONDETVR, potuisse Dæmonem impedire, ne illæ voces rectè comprehenderentur de Filio Dei naturaliter, ne Scripturæ factis Christi applicarentur, nam & Suarez, §. *Ad priorem difficultatem*, asserit, Scripturas non fuisse omnino claras, atque perceptas, maximè quia odio feruens impetu, in Christum irruebat more inimici, vt supra diximus: Et 65 quidem Scripturas de Diuinitate obscuras testatur Christus Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas*, quod ex hoc verbo colligit S. Bonau. ibi cum Chrysost. *homil.* 40. *in Ioannem*, cùm certum esset, futurum hominem de eorum stirpe *Deuter.* 18. & vnio hypostatica sit altior, quàm vt dæmoni innotesceret.

QVÆSTIO V.

An ex CHRISTI *miraculis agnouerint Iudæi* IESVM *esse Messiam, verumque Deum.*

D. Bonau. in 2. dist. d. 40. dub 3. & ad 20. Lucæ, & aliis ll.

66 CERTISSIMVM est, Iudæos proceres eruditos in Scripturis, potuisse id cognoscere. Sic enim ait Christus: *Scrutamini Scripturas: illa enim sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et infrà: *Est qui accusat vos Moyses. Si crederetis Moysi, forsitan crederetis & mihi.* Et cap. 9. agens de miraculis ait: *Quamdiu sum in mundo, Lux sum mundi.* Idem asserit *Ioan.* 1. 3. & 8. & alibi, vt obseruat S. Bonau. *locis* infrà *adducendis*, præcipuè *ad* 19. *Ioannis.*

67 QVÆSTIO est; an de facto Iudæi agnouerint Christum Messiam, & Deum.

PRIMA sententia est, verè Iudæos agnouisse Christum Messiam, & Deum; attamen ex liuore, & odio persecutos ad necem. Ità sentiunt multi Patres exponentes parabolam vineæ, Matth. 21. *Hic est hæres*, de qua infrà. Ita Origenes *Tract.* 19. *in Matth.* Chrysostomus *homil.* 40. *Imperfecti*, Beda *lib.* 3. *in Matth.* Anselmus *eodem loco.*

68 SECVNDA sententia est, Iudæos agnouisse Christum esse Messiam, non tamen Deum. Ita Euthymius *in Matth. cap.* 50. Theophil. *ibidem*, Burgens. *Matth.* 21. Sixtus *lib.* 6. *annot.* 98. Lyra *Matth.* 21.

TERTIA sententia est, Iudæos neutrum agnouisse. Ità Abul. *Matth.* 21. *quæst. vlt.* Caietanus *Luca* 23. & 3. *part. quæst.* 47. *art.* 5.

D. BONAVENTVRA de hoc agit *in* 2. *dist.* 40. *dub.* 3. & *ad* 20. *Lucæ*, circa parabolam vinitorum, qui occiderunt filium Domini vineæ. Et *ad cap.* 12. *Ioan.* vbi eos cæcos clamat. Et *cap.* 19. *Ioan.* ad ea verba: *Si non esset malefactor, &c.* vbique autem asserit primò, Iudæos engnouisse Christi sanctitatem, & innocentiam. Deinde, non agnouisse diuinitatem certò, sed habuisse probabilitatem, & potuisse è Scripturis hoc certò scire: Tertiò agnouisse, eum esse Messiam, non tamen omnes, sed eruditos tantùm; neque certè, è populo autem aliquos. Addit verò, hac non obstante notitiâ, eos irrupisse ex odio, & inuidia ad eius necem.

69 ASSERO primò, Iudæos non agnouisse certò, Christum esse Deum. Ita D. Bonauent. cum secunda sententia.

PROBATVR à S. Doctore *ad cap.* 19 *Ioan.* ex illo 1. Cor. 2. *Si enim agnouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Hoc autem de Principibus Iudæorum, vel de omnibus hominum Primoribus intelligunt Origenes *homil.* 2. *in Cant.* Tertullianus *lib.* 5. *contra Marcionem, c.* 6. Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus, Anselmus *ibi*, & alij.

70 ENIM verò difficultatem habet, quia dicit: *Sapientiam loquimur non huius sæculi, neque principatum huius sæculi*: at Iudæi non erant Principes sæculi huius, & de omnibus principibus huius sæculi negat, agnouisse Christum, non autem de solis Iudæis intelligitur. Quod argumentum visum est Caietano *ibi* insolubile.

RESPONDETVR, quod hi, qui erant Principes sæculi, qui debuissent Christum agnoscere, erant Iudæi; & ideò potuit Apostolus ex eo, quòd Principes Iudæorum non agnouerunt, deducere, nullos Principes eum agnouisse.

71 PROBATVR secundò, quia sæpè voluerunt Iudæi Christum lapidare, eò quòd se prædicaret Deum Ioan. 5. *Propterea magis quærebant eum interficere; quia Patrem dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Et cap. 10. dixere: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Id notat D. Bonau. ad ea loca.

PROBATVR tertiò à S. Doctore *locis adductis* in Euangelia *ex* 3. *Actorum*, vbi Petrus: *Deus Patrum nostrorum glorificauit Filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis. Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri.*

72 PROBATVR quartò à S. Doctore ad 22. Lucæ, & Ioan. 11. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Vbi hominem purum credebant. Talis enim videbatur prædictus *Deuter.* 18. *Genes.* 49. Vir nimirum de stirpe sua. Id tamen miratur eum Chrysost. *homil.* 63. *in Ioan.* dicens: *Hominem adhuc vocant, qui tantam susceperant diuinitatis demonstrationem*; Ex quo deducit, fuisse ignorantiam affectatam, & inexcusabilem.

73 ASSERO secundò, habuisse aliquam cognitionem diuinitatis Christi, licèt eorum culpa imperfectam.

PROBATVR à D. Bonau. *loco cit.* ex illa parabola vinitorum, qui videntes Filium Domini vineæ, dixerunt: *Hic est hæres, venite occidamus eum.* Ergo agnouerunt Filium Dei, sic enim applicanda est parabola; vbi Beda *lib.* 3. in Matth. ait: *Manifestissimè probat Dominus, non per ignorantiam, sed per inuidiam, Principes Iudæorum crucifixisse Filium Dei. Intellexerunt hunc esse, de quo scriptum est: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*; Eadem verba habet etiam D. Anselm. *loco cit.* Idem eodem modo exponit Chrysostom. *homil.* 40. *Imperfecti.* Origenes *Tract.* 19. *in Matthæum.*

74 RESPONDET Suarez primò, exponi posse: *hic est hæres*, idest, faciens se hæredem, sicut dicitur Sapientiæ 2. *Filium Dei se nominat: morte turpissima condemnemus eum.*

AT eo loco Sapientiæ, quem fatetur Suarez similem, profitentur, aliquam cognitionem habere Deitatis illius, vt notat D. Bonau. ad eum locum: *Videamus* (inquiunt) *si sermones illius veri sint, tentemus, &c. Si enim verè Filius Dei est, suscipiet illum, & liberabit eum: Contumelia, & tormento interrogemus.* Vbi Græcus habet: *Lapide Lydio interrogemus.*

75 RESPONDET secundò cum Caietano, sensum esse: Hic est hæres, quem omnes, vt primum, colunt populi, qui fiet Dominus, ac hæres populi Israël, eo modo quo dixêre in Concilio Ioan. 11. *Omnes credent in eum.* Enim verò hoc eodem argumento probat

bat S. Doctor ad eum locum Ioannis ex Chrysostomo, eos habuisse indicia, & signa Deitatis, aiunt enim: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?*

76 Respondet tertiò cum Iansenio, sensum esse, quod Principes faciè cognoscere poterant, & debebant; quæ responsio colligitur ex Iustino q. 140.

Respondet quartò, id eos dicere, quia sæpe argumentis conuincebantur ad id credendum, licèt postea ob humanum timorem, & auaritiam in sua cæcitate permanserunt.

Hæ responsiones nostram probant assertionem, quam adhuc ex his confirmo cum D. Bonau. *ad* 12. *Ioan.* vbi dicitur: *Cum tanta signa fecisset, non credebant in eum; excæcauit oculos eorum, & indurauit cor, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur.*

77 Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum. Iesus autem clamauit: *Qui credit in me, credit in eum, qui misit me*, id est in Patrem: *Qui videt me, videt eum, qui misit me* Per hoc verò se Filium Dei prædicat consubstantialem Patri, vt notat D. Bonau. ex D. August. *Tract.* 54. *in Ioan.* subdit autem: *Ego lux in mundum veni.* Quasi dicat, ego veni illuminans omnem hominem, vt dicitur Ioan. 1. *Sed dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Ioan. 3. Lux in miraculis Ioan. 9. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Lux in doctrinis, & exemplis. Igitur per me non stat, si multi ignorant me: sic discurrit S. Bonauentura.

78 Sicvt igitur cognouit Martha *Ioan.* 11. & Petrus *Matth.* 16. sic potuissent agnoscere & illi, si lumini Diuino oculos non clausissent. Admittendum tamen etiam inter discipulos, aliquam non percepisse perfectè Christi cum Patre correlationem; Ideo dicitur Ioan. 14. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*; non enim probabile est id, quod ait Suarez, non adhuc cognouisse, eum esse Filium Dei. Non enim quærebat Philippus hoc nosse, sed nosse Patrem; hoc autem proueniebat ex defectu cognitionis perfectissimæ circumincessionis.

79 Probatvr vltimò à D. Bonau. *ad* 20. *Luca*, ex illo discursu cum Iudæis: *Quomodo dicunt, Christum esse Filium Dauid; & ipse Dauid dicit in Libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo?* Vide Seraphicum egregiè *ibi* de hoc discurrentem.

Assero tertiò, Iudæos eruditos habuisse notitiam, non tamen certam, Christum esse Messiam. Ita D. Bonauentura *ad* 20. *Luca.*

80 Probatvr primò à S. Doctore, ex illa parabola Lucæ 20. *Quem cum vidissent Coloni, cogitauerunt intra se dicentes: Hic est hæres, venite occidamus eum.* Hoc autem rectè Pharisæis, & Scribis eruditis in prophetarum vaticiniis applicuit Christus, idque ipsi senserunt.

Probatvr secundò à S. Doctore *locis adductis*, quia scientes prophetias, videntes miracula adeo præclara, & audientes ea patrata in huius veritatis testimonium, non poterant non grauiter moueri ad credendum, at verò passionum malarum vehementia, puta inuidiæ, & auaritiæ, distrahebantur, vt notat etiam Euthymius *Luca* 23. & significat D. Thomas, *ad* 21. *Matthæi.*

Confirmatvr à D. Bonauent. *ad Ioan.* 12. ex illo: *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*, vt supra dixi. Verum subdit: *Multi ex principibus crediderunt in eum.* 81

Confirmatvr à S. Doctore ex 22. *Luca*, ad ea verba: *Si tu es Christus, dic nobis*, cui adnectit similem interrogationem. Ioan. 10. *Circumdederunt eum Iudæi, & dicebant: Si tu es Christus, dic nobis palam*; vbi obseruat, habuisse lumen ad veritatem huius articuli inueniendam, sed ex malitia noluisse.

Idem confirmat *Ioan.* 10. ad eadem verba, vbi addit D. Augustini testimonium *Tract.* 48. *in Ioan.* Fortasse de Christo secundùm hominem sapiebant; secundùm diuinitatem non intelligebant. Nec mirum, nam credere Iesum Messiam Saluatorem populi, est facilius, quam agnoscere, & credere eius diuinitatem, quæ requirit notitiam expressam Sanctissimæ Trinitatis, & vnionis hypostaticæ. 82

Assero quartò; ex populo non fuisse à multis agnitum Messiam. Ita D. Bonau. *loco cit.* & D. Thom. *loco etiam cit.* 83

Probatvr à D. Bonau. ex illo Actorum 3. *Scio quod per ignorantiam fecistis.* Addit tamen *ad cap.* 7. *Ioan.* ad ea verba: *Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus?* Statim verò subdunt: *Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem, cùm venerit, nemo scit, vnde sit.* Hæc autem opinio orta est, vt ait S. Doct. cum D. August. *Tract.* 31. *in Ioan.* quia aliquæ Scripturæ dicebant de Messia: *Nazaræus vocabitur*, secundùm aliam litteram Isa. 11. *Flos de radice eius ascendet*; & alia Scriptura dicebat, eum nasciturum in Bethlehem, 5. *Michææ.*

Confirmatvr à S. Doctore ex discursu sequenti plebis: *Ex illa turba quidam dicebant: Hic est verè propheta: Alij dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæa venit Christus? Nonne Scriptura dicit: quia ex semine Dauid, & de Bethlehem Castello? Dissensio itaque facta est in turba, &c.* Ministri verò reuersi dixerunt: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Dissensio itaque fuit in hoc, vt quidam inciperent agnoscere, & credere, quidam non, vt notat D. Bonau. *ibi.* 84

Assero vltimò, Omnes agnouisse Christi sanctitatem, & Innocentiam. 85

Probatvr à D. Bonau. *ad* 8. *Ioan.* ex illis verbis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Probatvr secundò à S. Doctore *ad* 1. *Luca*, ex illo: *Ideóque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, vbi sanctitatem Christi celebrem attestatur.

DISPVTA

DISPVTATIO XXXVIII.

DE TRANSFIGVRATIONE CHRISTI.



VT humano conuictui se Christus accommodaret, conditiones omnes Passibilis corporis ita subiit, vt si naturam spectes, miraculum credas, Animam eius sanctissimam, beatifica visione illustratam, suas in corpus dotes non transfudisse. Verùm cùm non tam rerum supernaturalem modum, quàm repentinam, & inusitatam operationem soleamus in multis mirari, præsertim si transcendat communem similis naturæ sortem; hinc est, vt quod naturaliter nonnunquam euenit, miraculo factum suspiciamus: Christum autem legimus, omnes gloriosi corporis dotes semel, diuersis tamen temporibus, admisisse, vt cœlestis gloriæ fidem incredulis inspiraret, aut vt pusillanimes in suscepta fide roboraret: Subtilitatem enim assumpsit, dum intemeratum virginis vterum, nulla facta diuisione, exeundo penetrauit: Agilitatem etiam exercuit, dùm super mare securus ambularet: Impassibilitate itidem suum corpus donauit in vltima cœna, dum illud sub speciebus passibilibus consecrauit; Hic autem volens, spectabilem quandam gloriæ ostensionem, qua Passionis scandalum auerteret, pusillanimis exhibere, permisit vt animæ claritas, in corpus refusa, manifestaretur: quod tamen Diuinæ benignitatis potius, quàm potentiæ opus creditur, ideo illud miraculis, de quibus *præcedenti disputatione* actum est, non annumeramus; Cum tamen mirum quoddam sit, & Mysterium satis clarum, quod festiua solemnitate solet Ecclesia celebrare, de eo hîc cum Angelico Doctore agere institui.

QVÆSTIO I.

An fuerit conuenienter CHRISTVS *transfiguratus.*

{ D.Thom. art.1.

1 TRANSFIGVRATIO hic non significat immutationem formæ, aut figuræ corporis Christi Domini, quia talis mutatio non poterat fieri absque magna mutatione intrinseca corporis Christi, quam tunc fieri non decebat. Solùm ergo significat immutationem in vultus splendore, & vestium candore, vt ait D.Bonau. *ad 9. Lucæ*, & D.Thom. *hic*, quod optimè colligit S. Bonau. tum ex dicto Matthæi, qui *cap.17.* scribit: *Transfiguratus est ante eos*; & mox explicat, quæ fuerit hæc trans-
2 figuratio: *Et resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.* Magis verò id colligit ex Luca: *Facta est, dum oraret, species eius altera*, idest ob eminentem claritatis refulgentiam, vt exponit S. Doctor, vnde dicitur: *Transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut Sol*, sic igitur claritatem assumpsit, sed propriam effigiem non immutauit. Quòd si etiam legas transformatum, idem significat, quia forma, & figura ad idem significandum accipiuntur, vt habet Aristoteles *cap. de Qualitate.* Itaque nil ob id sibi Calvinus acquirit.

ASSERO, conuenienter Christum fuisse trans- 3
figuratum. Patet ex Euangelio.

PROBATVR à S.Doctore *ad 9. Lucæ, & in Ligno vitæ, §. Christus transfiguratus*: & D. Thom. quia Christus tunc exhortatus erat ad passionis suæ sequelam; oportet autem ad hoc, quod aliquis directe procedat in via, quod finem aliqualiter præcognoscat. Vnde & Thomas Ioan. 14. ait: *Domine, nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire?*

&

& hoc maximè est necessarium, quando via est aspera; terminus verò viæ iucundus: Christus autem per passionem ibat ad glotiam, vt dicitur Lucæ
4 vltimo: *Hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, ad quam nos etiam ducit, vt dicitur Actorum 14 *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum cælorum*, & ideò decuit, vt pignus aliquod beatitudinis discipulis daret, vt scirent, configurandos corpori claritatis eius, vt dicitur *Philip. 3.* Quare *post dies sex*, ait Matthæus 17. & Marcus 9. idest, septimo die post passiones iniunctas, vt dicit etiam Lucas: *Post hæc verba ferè dies octo*, idest, die septima, vt notant etiam Augustinus *cons. Euang. cap.56.* Epiph. *lib.2.hæresi 66.* Damascenus *oratione*
5 *de Transfiguratione*, vt scirent post dies laborum, septima die, qua Dominus etiam requieuit, exhiberi quietis æternæ repræsentationem, vt aiunt Ambrosius, & Lucas ad hunc locum. Vide D. Bonau. *ad 9. Lucæ* egregiè discurrentem.

QVÆSTIO II.

Vtrum Transfiguratio facta sit per nouam claritatem gloriæ, inhærentem corpori Christi.

6 SVPPONO primò contra aliquos, factam esse mutationem aliquam in corpore Christi, & non in solo oculo videntium; hoc enim ex historia claret, ait enim: *Facta est species vultus eius altera. Resplenduit facies eius sicut Sol*, sic enim Patres exponunt.

ASSERO primò cum SS.DD. claritatem Christi non in ambiente aëre tantùm fuisse, sed inhæsisse corpori eius.

7 PROBATVR à D. Bonau. *ad 9. Lucæ* primò ex textu: *Facta est species vultus eius altera.*

PROBATVR secundò à S. Doctore, quia ante transfigurationem dixit: *Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Sic autem, (vt ait S. Bonau.) inuitat ad Crucem consideratione cœlestis regni, & hoc promittit actum iri breuiter per reuelationem, non per apertam visionem. Debuit igitur adesse aliqua dos gloriæ, quæ exhiberetur, tanquam pignus gloriæ veræ, in qua fruituri erant Deo. Hoc autem promissum impletum esse in transfiguratione asserunt Chrysostomus, Damascenus, Leo Papa, & alij, qui omnes colligunt, visum Christum in gloriosa claritate corporis sui, corpus autem gloriosum non erit in gloria splendens per claritatem alterius.

8 ASSERO secundò, hanc claritatem fuisse non in sola superficie corporis Christi, sed intus. Ita D. Bonauent. *Lucæ 9.* ad ea verba: *Facta est, dum oraret, &c.* contra D. Thom. *art. 1. ad 2.* Durandum *in 3. dist. 16. quæst. 2.* Suarez *disp. 32. sect. 1.*

PROBATVR à D. Bonauentura, quia dicitur resplenduisse facies eius, sicut Sol, & ad eum modum, quo Beati in gloria splendebunt, de quibus Matth. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris mei*; at dos claritatis reddet beatos, rutilantes etiam intus: Ergo.

9 DEINDE candor vestium, ad quem alluditur *Apoc. 3.* orietur ex interiori splendore; non enim è sola superficie manans potuit adeo illuminare vestes.

CONFIRMATVR; sic enim videntur loqui Patres *in sermonibus de Transfiguratione*, præcipuè Damascenus, Leo. Augustinus, & cæteri.

OBIICIT Suarez, transfigurationem esse figuræ in superficie, vbi est figura, neque credendum, in toto corpore lucem fuisse; alioqui fuisset diaphanum.

RESPONDETVR, figuram non esse in sola su- 10
perficie, nisi in picturis; neque absonum est, Lucem illam reddidisse corpus diaphanum, quale est in gloria; nisi velis dicere cum D. Bonau. & aliis, non habuisse totam suam intensionem, qualis erit in patria.

DVBIVM secundum est: an illa claritas fuerit in sola facie Christi.

RESPONDETVR cum D. Bonau. *ad 9. Lucæ*, vbi 11
ait, assumpsisse dotem gloriæ: Ex quo habetur etiam ratio, nam in gloria totum corpus beatum erit præclarissimum, & lucidissimum: Idem sentit Suarez *disp. 32. sect. 1.* cum D. Hieronymo *epist. 2. ad Pammachium*, dicente: *Vbi autem facies nominatur, existimo quòd & cætera membra conspecta sint.*

QVÆSTIO III.

An verè affuerint Moyses, & Elias.

SENTENTIA assertiua est D. Bonau. *ad 9 Lucæ*, 12
& in Meditationibus, cap. 41. & *in Ligno vitæ, §. Christus transfiguratus*, & *serm. 4. Dominicæ secundæ Quadragesimæ.*

ET quidem quoad Eliam, cùm iam adhuc viuat, vt asserunt communiter Patres, præcipuè August. *lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 3* & Tertullian. *lib. de anima, cap. 35.* est minor difficultas.

PROBATVR à D. Bonauent. ex historia Lucæ: *Ecce duo viri loquebantur cum eo; Erant autem Moyses, & Elias*, quid clarius? Ita sentiunt omnes Patres, & ipsa Ecclesia. Ductus autem est è Paradiso, vt notat D. Bonau. sed de hoc agemus *disp. 43. quæst. 11.*

QVOAD Moysen, qui defunctus est, vt dicitur 13
Deuter. 34 quæstio esse potest, an verè apparuerit. Communiter Patres asserunt, animam saltem Moysis apparuisse.

QVOAD corpus verò, quod assumpsit; sanè aliqui Patres tenent, Moysen non adhuc mortuum, sed reseruari vsque ad diem Iudicij cum Elia. Ita Hilar. *can. 20. in Matth.* Ambrosius *lib. 1. de Caïn & Abel, cap. 2.* Hieron. *ad 9. Amos*, Nyss. *lib. de vita Moysis, sub finem*, Catharinus *Genes. 1 & 2.* Ioan. Arboreus
lib. 1. Theosophiæ, cap. 12. sed arbitror, certissimum 14
esse, Moysen verè mortuum; nam Deuter 32. *Dixit ei Dominus: Ascende in montem Hebo, & morere in monte. Quem conscendens iungêris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Her, & appositus populis suis*, & addit rationem: *Quia præuaricati estis contra me, in medio filiorum Israel.* Vbi illa immatura mors dicitur pœna illius culpæ. Et cap. 34. *Mortuus est Moyses ibi, iubente Domino.*

DENIQVE post mortem dicitur traditus sepultu- 15
ræ Quod verò sepulchrum eius occultum sit, non probat verè, non esse sepultum, sed potius veritatem sepulturæ. Vnde Epiphanius *lib. 1. hæres. 9.* scribit, corpus Moysis ab Angelis sepultum, quod in honorem tanti viri factum asserit Oecumenius *super epistolam Iudæ*, ex Philone *lib. de vita Moysis*, & latè tractat Abulens. *ad 3. Deuter. quæst. 3. & 4.* Chrysostomus verò *homil. 1. in Matth.* dicit, factum esse,
ne à Iudæis adoraretur. Denique Moyses *lib. 4. ant. q.* 16
in fine dicit, Moysen consultò dixisse, se mortuum, ne Iudæi raptum existimarent ob insignem virtutem. Neque audiendus Rabbi Samuel *lib. de ador. Messia, cap. 13.* qui dixit, Moysen mortuum, statim

resurrexisse

resurrexisse, ideò non inueniri eius sepulchrum: hoc enim est contra omnium Patrum sensum, vt dicam *disp.41.quaest.4.*

17 Prima igitur opinio est, Moysin apparuisse in corpore aëreo. Ita D. Thom. *quaest.45. art.3. ad 2.* quem sequitur Lyra *Matth.17.* Abul.*q.54.& 55.*

Secvnda sententia est, Moysen suo corpore informato apparuisse. Ita D.Hieron.*ad 17.Matth.* illis verbis: *Moyse ab inferis resurgente.* D.August.*lib.3. de Mirabilibus Scripturae, cap.10.* Haec mihi videtur sententia D.Bonau.*ad 9.Lucae,* vbi dicit, Christum euocasse Moysen, & Eliam viuum; & mortuum, vt ostendat, quod ipse moriturus erat, & resurrecturus, & viuos, ac mortuos gloriosos facturus. Profectò id resuscitando efficiet, nec aërea sibi corpora sancti affigent.

18 Probatvr à D.Bonau. omnibus locis adductis, vbi dicuntur in Euangelio apparuisse Moyses, & Elias: Ergo totus Moyses affuit. Vnde ibi S.Doctor potius ex historia videtur id omninò supponere.

Probatvr secundò, quia ibi apparuerunt, vt essent oculati testes gloriae Christi, vt notat D.Bonauentura. Praetereà aliqui Patres credunt, hic impletum esse promissum Exodi 23. *Cum transibit gloria mea, videbis posteriora mea.* Ita exponit Tertul. *lib.4 contra Marcionem, c.22. & lib. contra Praxeam, c.14.* Irenaeus *lib.4. contra haereses, c.37.* Cyril.Hierosol.*cat.16.* Origen. *homil.12.in Exodum.*

19 Quaeres, an etiam isti apparuerint splendentes.

Respondetvr, probabilius asseri cum D. Bonau.*loco cit.* qui cum Tertul. *loco cit.* ait, impletum esse illud Numer.12. *Os ad os loquar ad eum in specie, non in aenigmate*, quod exponit Tertullianus, sic stetisse cum Christo os ad os, & facie ad faciem, & in gloria ipsius, nedum in conspectu: De qua gloria non aliter illustratus discessit à Christo, quam solebat à Creatore.

20 Hoc autem ait S.Bonau. esse probabile, quia his testimoniis voluit protendere discipulis se, & viuis, & mortuis illis gloriam daturum; atque adeò vtrumque gloriosum apparuisse, quod colligit ex Luca dicente: *Erant autem Moyses, & Elias visi in Maiestate*; alij, vt Pagninus, vertunt: *visi in gloria*, iuxta proprietatem vocis Graecae δόξη. Id sentiunt Tertul. *loco cit. contra Marcionem*, & Origen.*loco cit.* & Damascen. *oratione de Transfiguratione*, vbi eâ vtitur ratione, quam adhibet S. Bonau. *Oportebat siquidem ipsis (discipulis) conseruorum suorum, & Dei famulorum gloria, animaque fiducia conspecta, Domini benignitatem, atque indulgentiam admirari, atque zelum inde maiorem concipere, & ad suscipienda certamina confirmari.* Eadem ferè ratione vtitur Epiphanius 21 *haeresi 42.*

QVAESTIO IV.

De aliis circumstantiis Transfigurationis.

Assvmpsit Christus Apostolos in montem 22 ad hoc mysterium celebrandum, quia montes sunt reuelationibus accipiendis aptiores, vt ait D. Bonauent. *ad 9. Lucae*, sic enim Moyses *Exodi 3. & 24.* & *Deuter.34.* in montes euocabatur: Montes etiam sunt orationibus aptiores, vt ait Beda *lib.3. cap.9. in Lucam.* & colligitur ex 33. Deuter. *Dominus de Sinai venit: Apparuit de monte Pharam.* Vide S. Bonau. & Tertullian. *lib.4. contra Marcionem, cap.22.* vbi idem dicit.

Addvxit hos tres solos, primò ad commen- 23 dandum Mysterium Trinitatis, ibi reuelandum; & ipse Christus medius inter Moysen, quasi Patrem, & Eliam, qui dicitur Ignis, & facula, *Ecclesiast.48.* significant Spiritum sanctum.

Deinde, quia hi satis erant ad attestandum Mysterium, vt ait Glossa.

Addvxit verò Petrum, quia futurus erat sum- 24 mus Ecclesiae Pastor: Iacobum, quia primus erat pro Christo moriturus; Ioannem, quia futurus erat vice Christi ad matrem custodiendam: Vide S. Doctorem latius de his Mysteriis disserentem *loco cit.* & *in sermone 5. de Transfiguratione*: Mons ille censetur Thabor. Ita Damascen. *oratione de Transfiguratione*, non tamen id asserunt Euangelistae, vt malè dicitur in Suarez, licèt existimem esse errorem Typographi.

Qvoad vocem Patris, vide S. Bonauenturam 25 eam explicantem.

Circa ordinem; solùm facit difficultatem, quod Petrus dicitur locutus, discedentibus Elia, & Moyse, & tamen ipse ait. *Faciamus hic tria tabernacula, vnum Tibi, Moysi vnum, & Eliae vnum.*

Respondet S.Doctor cum D.Augustino *lib.2.* 26 *de consensu Euangelistarum, cap.56.* Petrum locutum solùm finito colloquio Christi cum illis duobus, itaque cùm videret signum aliquod ab eis discedendi puta salutationes, &c dolens, tam breui finiri visionem, locutus est: Ita & Suarez: Praecepit autem eis secretum ob multas rationes, quas vide in D.Bonau. *loco cit.* & D.Thom.*art.3.ad 4.*

DISPVTA

DISPVTATIO XXXIX.

DE PASSIONE CHRISTI.



QVAMQVAM tota Christi vita fuerit passionibus plena, plutimos exantlando labores, sudores, sitim, famem, &c. hic tamen Passionem sumimus pro morte illa probrosissima, quam pro humani generis redemptione in diebus carnis suæ sustinuit. Eam optimè describit D. Thomas, dum *execrabilem, ac formidabilem* pronunciat; fuere quippe in hac morte cum pœna intensissima, ignominia omnium turpissima, vt in persona Iudæorum fertur Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum*, idque in ipso passionis instrumento signatum est; Crux etenim præ cæteris suppliciis dolorosa æquè, ac probrosa fuit, quare latronibus, quippè sceleratioribus, destinata est; vt paucis describit Isidorus *lib* 5. *Originum, cap. vlt.* vbi sic habet: *Patibulum appensas statim exanimat, Crux autem suffixos diu cruciat*, & D. Augustinus serm. 18. de verbis Domini: *Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil eo tempore fuit ignominiosius, quàm mors crucis*, quare Apostolus Christi commendans in nos charitatem, repetitione vtitur: *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Ratio autem, cur tam acerbam pœnam Christus elegerit, ea est, quòd non solum ipsius satisfactione, verum etiam nostrâ mulctâ peccata erant delenda; ad hoc verò præstandum duo erant valdè opportuna, primum est doloris summa intensio, qua malitiam nostram superaret, nedum æquaret, vt condigna esset satisfactio: Secundum est opprobrij immanitas, quam dum Christus suffert, malum pœnæ honorabile reddit, & ad statum quemdam deificum eleuat, vt ampliùs, tanquam Diuinum quid, & amabile, ab omnibus expeteretur, vt notat Caietanus in hunc locum D. Thomæ: Quamvis autem tota hæc passio historica sit, continet tamen plura, quæ Theologum scire non dedecet, imo necessaria sunt ad hæreticorum calumnias retundendas; ideò minutatim omnia discutere incipiam. Quæcumque verò ad hunc locum spectantia, alibi sunt tractata, hic prætermittam, vt superfluum nihil recurrat, ideò conuenientiam, necessitatem, & finem mortis Christi, de quibus agit D. Thomas *quæst.* 46. hic tacebo, nam *disp.* 2. 3. & 4. luculenter elucidata sunt: Christi item corpus passibile discussi *disp.* 16.

QVÆSTIO I.

An passiones dolorum CHRISTI *fuerint atrocissimæ, & cur?*

1 HÆRETICI, qui semper chimæras intelligunt, dolores Christi in hac vita, & post mortem asserunt fuisse cruciatus inferni: Volunt igitur, Christum cum damnatis excruciatum. Sic Calvinus *lib. 2. Instit. cap.* 16. §. 8. *& seqq. in Catechismo paruo in psychopannuchia*, & *in harmonia Euang. ad* 27. *Matth.* eum sequuntur Melancthon *in Locis de Filio*, Brentius *parte* 2. *homiliarum in Lucam, homil.* 54. & 65. Hinc Apostata quidam vlulauit, Christum desperasse, & esse damnatum, vt refert

Ioannes Coclæus *in Actis Lutheri*, & Surius *in historia*, *anno* 1527.

2 ARBITROR, in pœnam huius peccati Calvinum desperatum expirasse, sic refert in eius vita *cap.* 22. Hieronymus Hermes Bolsec. Medicus Lugdunensis, qui eius vitam descripsit, dicens: *Dæmonibus inuocatis, iurans, execrans, & blasphemans, miserè expirauit.* Cuius illi testimonium perhibuêre, qui decumbenti ad extremum vsque halitum ministrarunt; Imò hoc etiam, quod diem, atque horam detestatus sit, & execratus, quam vnquam studiis, vel descriptionibus impendisset. Vide Bellarminum *lib.* 4 *de Christo*, *cap.* 8. Valentiam *disp.* 2. *quæst.* 4. *puncto* 2.

3 HIC error multas de Christo blasphemias euomit. Prima est, Christum ita sensisse, Deum sibi iratum, vt de sua salute dubitarit, & desperasse, aut desperationis inordinatis motibus agitatum.

SECVNDA est, dolores mortis non sufficisse ad redemptionem, sed eam his inferni doloribus adscribunt.

CATHOLICA sententia est, cruciatus Christi non fuisse infernales, sed tormenta descripta ab Euangelistis, quæ infrà referemus atrocissima, etiam comparatiuè ad Martyrum tormenta, quoad aliquid, vt infrà referemus. Ita refert Bellarminus *lib. citato*, Valentia *disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 1.

4 ASSERO primò, Christum non dubitasse de Patris beneuolentia, neque desperationis motibus fuisse actum.

PROBATVR primò à D. Bonauent. *ad Euangelia Lucæ, & Ioan.* ex actis in horto, vnde Calvinus dixit incepisse tales dolores inferni experiri. Ibi enim post agoniam, & sudorem sanguineum, surrexit ab oratione, & adiit discipulos, præ tristitia dormitantes, eosque ad orandum, ne in tentationem laberentur, hortatus est.

5 DEINDE processit obuius satellitio, & se manifestans, hostes supinos prostrauit, sinens eos resurgere, sic ostendens se voluntate libenti morti tradendum, vt probat ex Chrysost. *homil.* 82. *in Ioan.* aduocans, ideò non comprehendisse discipulos maximè Petrum, à quo fuerant irritati. Idem colligit ex D. Augustino *Tract.* 112. *in Ioannem.*

MOX verò obseruat S. Doctor, verba grauissima Christi ad Petrum: *Mitte gladium in vaginam: Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Ioan. 18. Ibi ex D. Augustino *Tract.* 112. *in Ioan.* obseruat, Calicem quidem à Patre propinatum, vt dicitur etiam Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* attamen authorem huius calicis bibendi fuisse Christum, vt dicitur Ephes. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Insuper Matth. 26. obseruat confidentiam, qua iubet deponi gladium, quia posset obtinere legiones Angelorum in sui auxilium.

6 CONFIRMAT S. Bonauentura totum hoc ex magna illa responsione data Pontifici, quam refert Lucas cap. 22. *Ex hoc erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Ponderat particulam *ex hoc*, idest, post hanc passionem, iuxta illud: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis; Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Philip. 2. & Psal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quid confidentiùs dici potuit?

7 IDEM obseruat S. Doctor in colloquio Christi cum Pilato, vbi se Regem fatetur, Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo; Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis*, vbi sui regni securitatem, & potentiam ostendit, vt notat grauiter S. Bonauentura *Collatione* 81. *in Ioan.* post Euangelium.

8 GRAVITER verò id probat S. Bonauent. ad ea verba: *Pater, ignosce illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Vbi notat verificari id Isa. 53. *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Ibi verò certissimè habebat promissionem: *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo, quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Itaque se hic pissimum Pontificem ostendit, & Regem, & ideò, vt notat S. Bonauent. Latroni petenti: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*, respondit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Vbi aduertit S. Bonauentura, promitti futurum simul cum Christo in beatitudine, eadem die: Vbi ergo sunt dolores Inferni? Hoc argumento D. Hilarius *lib.* 10. *de Trinitate*, errorem Calvini, quasi præuiderit, refellit.

9 ID maximè obseruat S. Bonauentura in morte Christi, in qua confidenter animam Patri commendauit Lucæ 23. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Clamor autem iste fuit post illum: *Eli, Eli*: Sic igitur, vt ait Apostolus ad Hebr. 5. *In diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex, iuxta ordinem Melchisedech.* Clamasse autem obseruat S. Bonauentura cum Patribus, vt potentiam suam ostenderet, non enim homo viribus exhaustus moriens potest sic vociferare, ex quo & Centurio arguit: *Videns quod sic clamans expirasset, dixit: Verè Filius Dei erat iste.* Ita ostendit id, quod *Ioan.* 10. asserueat: *Potestatem habeo ponendi animam meam. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam.* Et Isaias 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.*

10 HÆC omnia signa sunt non dubitantis, vel desperantis de salute, sed confidentis, sperantis, & tenentis. His vtitur mediis Bellarminus, Valentia, & Suarez *locis adductis*, quibus intentum probant.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *ad Psal.* 21. ex illis verbis: *Deus, Deus meus*, quod signum est confidentiæ, & spei; vt etiam fatetur Calvinus *in cap.* 27. *Matth.* vbi ait, Christum hac inuocatione professum esse confidentiam: at obsecro, cur *lib.* 2. *Instit. cap.* 16. §. 10. ait: Cruciatus diros damnati, ac perditi hominis pertulit? Idem etiam cur habet *in Catechismo paruo*?

11 PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *in* 3. *distinctione* 22. *quæstione* 4. quia vel sustinuit pœnam sensus, vel damni, vel vtramque: Nullum dici potest: Ergo. Minor probatur; nam temerè asseritur id, quod nulla authoritate firmatum est; nam Euangelium integrum Christi passionem refert, nec de inferni cruciatu habet verbum. Similiter Scripturæ noui Testamenti referunt, passionem Crucis, & sanguinem esse pretium nostræ redemptionis; nil autem de inferni cruciatibus mussitant, *Ephes.* 1. *Coloss.* 1. *Hebr.* 9. *Prima Petri* 1. *Prima Ioan.* 1. *Apocal.* 5. & aliæ Scripturæ, quas latè prosequitur, S. Bonauentura *in* 3. *distinctione decimanona*,

Ex

12 Ex his habes, quam falsum sit, quod addit Calvinus, Christum non passione crucis, sed pœnis inferni nos redemisse. Vide etiam Bellarminum *loco citato*, qui his mediis dogma Catholicum probat.

Obiicit Calvinus primò *Isa.* 53. vbi Christus dicitur percussus à Deo: Ergo eum iratum Christus habuit.

Respondetur ex dictis eum D. Bonauentura, infensum fuisse, quatenus eum volentem morti tradidit, ideò enim ibi fit promissio maximi triumphi: *Si posuerit animam suam, &c.*

Obiicit secundò: *Isa.* 55. dicitur: *Correctio pacis nostræ super eum*: Ergo debuit luere omnes pœnas nobis debitas; in his autem sunt pœnæ inferni: Ergo.

Respondetur ex dictis *disp.* 3. Christum doloribus crucis meruisse infinitè, ac satisfecisse. Ideò dicitur eodem capite: *Verè languores nostros ipse tulit.* Et Zach. 9. *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu.* Et 1. Petri 2. *Peccata nostra pertulit super lignum*, vt latè probat S. Bonauent. *dist.* 19. *quæst.* 4.

13 Obiicit tertiò id Matth. 27. *Deus meus, Deus meus.* Sed hoc solutum est suprà.

Obiicit quartò Actorum 2. *Quem Deus suscitauit, solutis inferni doloribus, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*: Si ergo solutus est ab inferni doloribus: Ergo erat eis ligatus.

Respondet D. Bonau. *in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 4. solutos esse inferni dolores, quibus, non ipse, sed Patres tenebantur. Ita D. Augustinus *epist* 99. *ad Euodium*, & hæc inter alias est optima expositio, qua nititur etiam Bellarminus.

Obiicit quintò *ad Hebr.* dicitur Christus: *Cum clamore valido offerens, exauditus est pro sua reuerentia*, vbi ex Græco vult legendum: *Ex metu.*

14 Respondetur ex D. Bonauent. *ad* 23. *Lucæ*, clamorem illum, non timoris, sed potentiæ fuisse signum, nullus enim moriens viribus destitutus, sanguine exhaustus, sic clamat: ideò Centurio videns, sic clamantem expirasse, dixit: *Verè Filius Dei erat iste*, vt dicitur *Marci* 15. Vox autem Græca significat reuerentiam, & venerationem, vel etiam metum reuerentialem, vt fatetur Calvinus *ad* 2. *Lucæ*, ad ea verba: *Homo iste iustus, & timoratus.* Idem fatetur Beza ad eundem locum. Ideò Patres Græci, Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius ad hunc locum exponunt, exauditum fuisse ex reuerentia, nempe, quia erat dignus exaudiri.

Iam verò explosis hæreticis videndum est, quàm atroces fuerint Christi dolores.

15 Primò quidem absolutè docet S. Doctor *Collat.* 85. tormenta Christi fuisse grauissima. Ideò dixisse in morte: *Consummatum est*, quia, vt habetur Hebr. 2. *Decebat authorem salutis consummari.* Igitur consummatus est corpore, veluti holocaustum concisum, combustum summis doloribus, & redactum ad nihilum.

Grauissimæ autem fuere (ait S. Bonau. ibi) passiones Christi.

Primò ratione durationis, quia in laboribus erat à iuuentute, & passiones suas semper præsentes habuit, torquentes cor, quippe qui omnia, quæ ad se pertinebant statuta, visionis scientiâ clarè intuebatur.

16 Secundò fuere grauissimæ ex genere supplicij crucis, quod prolixum est, & totum corpus torquet per redundantiam, dum nerui conuelluntur, & è clauis corpus humanum pendere cogitur.

Tertiò ratione multitudinis pœnarum, contumeliarum, & opprobriorum, quibus dicitur *saturatus.*

Quartò ob delicatæ complexionis sensum; ob id potuit illud clamare Thren. 2. *Attendite, si est dolor, sicuti dolor meus.*

Acerbitatem passionum Christi describunt Psalmi præcipuè 21. & 68. & Prophetæ, præsertim Isaias *à cap.* 52. Hæc latiùs eloquitur octo concionibus P. Matthias Belintanus noster.

Seraphicus igitur comprehendens nomine doloris non modò sensibilem, qui ex læsione corporis oritur, sed etiam interiorem tristitiam, quæ nascitur ex apprehensione cuiusque mali præsentis, & odio illius, quæ tristitia potest interdum oriri ex malo culpæ; distinguit capita, è quibus passiones Christi fuêre atrocissimæ. Primum est causâ passionum. Secundum est modus patiendi. Tertium est conditio patientis. 17

Assero primò, Ex parte causæ, quæ fuere peccata hominum omnium inimicorum ingratorum, tam varia, innumera, & abominabilia, non poterat tristitia Christi non esse grauissima inter eas, quæ in homine viatore esse possunt, vt docet etiam D. Thom. *artic.* 6. *ad* 4. & Suarez *disput.* 33. *sect.* 2. 18

Primò enim ex parte obiecti materialis, doluit de omnibus peccatis hominum simul sumptis, ac perfectè consideratis.

Ex parte obiecti formalis nullus ita cognouit offensam Dei, malitiamque omnem, quæ est in peccato.

Ex parte cognitionis, nullus tam clarè, tantaque animi attentione considerauit omnia, quæ ad detestandum peccatum mouêre possunt.

Ex parte principij nullus tanta charitate Deum coluit, & Diuinum zelauit honorem.

Denique nullus tantam gratiam, tantumque auxilium obtinuit ad detestandum peccatum. Quæ ratio procedit de dolore contritionis ad satisfaciendum ordinato, vel ex charitate Dei. Eadem verò potest fieri de dolore peccatorum, vt sunt mala ipsorum hominum, nam, vt probat S. Bonauentura *distinct.* 15. *artic.* 2. *quæst.* 2. ipse diligebat homines intensissimè super omnes. Qua ratione vtitur Suarez *loco citato.*

De interiori verò tristitia, quæ ex malo proprio irruit, certum est, naturalem tristitiam, quam Christus habuit, non fuisse ita vehementem, sicut est tristitia damnatorum de sua perditione. Ratio est D. Thomæ *artic.* 6. *ad* 3. & D. Bonauenturæ *distinctione* 22. *quæstione* 4. quia ea est ex damno altioris ordinis, nempe ex amissione beatitudinis irreparabili. 19

Si verò comparetur hæc tristitia cum omni alia, quæ de humanis malis erumpit, sic in acerbitate fuit intensissima. Quod probatur à D. Bonauentura *loco citato*, & *dub.* 4. *lit.* & à D. Thoma *loco citato*, quia fuit orta ex morte sæuissima, & infamissima, in persona, dignissima vitâ. Hanc autem satis probat cum cæteris Theologis ex illo Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Hoc loco mortalis tristitia innuitur ex mortis horrore turpissimæ, vt exponunt Ambrosius *in cap.* 22. *Lucæ*, Chrysostomus *in cap.* 26. *Matth.* vel etiam ex peccato Iudæorum, vt exponit Hieronym. *Matth.* 26. at D. Augustinus *in Psal.* 86. sic exponit: *Tanta est tristitia anima mea, vt parum absim à morte.* 20

PERPERAM verò Calvinus deducit horrorem ex damnationis periculo; nullus enim Patrum id sentit, vt rectè adnotauit Bellarminus *loco cit.* sed impius hic hæreticus finxit.

QVOAD sensibilem dolorem; Assero, fuisse atrocissimum inter alios Martyrum.

21 PROBATVR primò à S. Doctore, & D. Thom. ex illo Thren. 1. *Attendite, & videte si est dolor, sicuti dolor meus.* Addit S. Doctor id Psal. 87. *Omnes fluctus tuos induxisti super me.*

PROBATVR secundò à SS. DD. ex atrocitate crucifixionis, addita flagellatione, & spinea coronatione, quibus totum corpus grauissimè torquebatur, quibus suppliciis, licet aliqua Martyrum fuerint in genere supplicij grauiora, vt ignis Laurentij, cùm fuerit acutissimus; tamen addita complexionis Christi temperie perfectissima, quippe Spiritus sancti opere efformata, grauiores erant Christi dolores. Adde viuacitatem sensus; homo enim est animalium temperatissimus, vt dicitur 2. *de Gener. animalium, cap.* 4. *& probl. sect.* 30. *probat.* 3: Christus autem inter alios homines fuit optimè dispositus: Ergo dolor eius fuit acutissimus, acerbitas enim pœnæ non tantùm ex parte agentis torquentis pensatur, sed ex parte passi, quia actus actiuorum est in patiente disposito, & quia complexio reddebat Christum ad maiorem dolorem dispositum, ideò clauus ferreus magis cruciabat Christum, quàm ignis Laurentium.

22 CONFIRMAT autem, quia passio adeò Christum deiecit, vt miraretur Pilatus vehementer, illum tam citò obiisse. *Marci* 15.

HIS adde multitudinem concurrentium ad torquendum, multitudinem offensionum in honore, fama, &c. Tandem desolatio absque vno consolante, & omnium tempestates dolorum irruentes, reddiderunt cruciatissimum, vt latè discurrit S. Bonauent. *hic*, & *in Meditationibus vitæ Christi*, & *aliis opusculis*, maximè verò *in sermonibus feriæ Parasceue*, vbi dolores, tormentaque examinat.

DICES: Dolor Christi fuit illi materia gaudij, vt ait S. Bonauent. *dist.* 16. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore*: Ergo non fuit purus dolor, ideò enim dolores Martyrum non fuêre puri.

23 RESPONDETVR ex S. Doctore *ibi*, dolorem, & gaudium neque se destruxisse, neque etiam minuisse. Erant enim circa diuersa obiecta formalia, & ideò gaudium illud non minuebat dolores Christi; at in Martyribus, operante Deo, gaudium minuebat dolorem.

QVÆSTIO II.

An in anima CHRISTI *fuerit dolor secundum omnes portiones.*

D. Bonau. d. 16. art. 2. q. 1. 2. & 3.
D. Thom. q. 46. art. 7.

24 DOLOREM in parte sensibili animæ ostendi *disp.* 16. *quæst.* 1. & hac *disp. quæst.* 1. Est enim sentientis animæ affectio.

ASSERO primò, in inferiori portione Christi animæ sanctissimæ fuisse tristitiam.

EST communis sententia. Ita D. Bonau. *quæst.* 1. D. Thom. *quæst.* 15. *art.* 6. *ad* 4. & *quæst.* 18. *art.* 6. & *quæst.* 46. *art.* 5. Alensis 3. *part. quæst.* 17. *memb.* 2. *art.* 5. §. 2. & 3. Henricus *quodl.* 8. *quæst.* 7. Durandus *dist.* 15. *quæst.* 2. Suarez 3. *part. Tract.* 1. *disp.* 38. *sect.* 3.

25 PROBATVR verò primò à D. Bonau. *dist.* 15. *art.* 2. *quæst.* 2. ex Matth. 26. *Tristis est anima mea*, quæ intelligenda sunt de tristitia voluntatis operantis, & patientis liberè, vt notat S. Doctor cum Agathone Papa *in epistola*, quæ refertur in sexta Synodo *act.* 4. Sophronio *in epistola*, quæ habetur eadem Synodo *act.* 11. habetur etiam in edicto Constantini, approbato à Leone Papa II. vt refertur in eadem Synodo *act.* 18. vbi in hanc sententiam referuntur Gregorius Nyssenus *lib. cont. Apollinar.* Athanas. *lib. de Incarnat.* Cyrillus *lib.* 4. *in Ioan. cap.* 1. & *lib.* 10. *Thesauri, cap.* 3. Epiphan. *hæresi* 66. vbi ait: Non potuisse Christum capacem esse huius tristitiæ, nisi haberet animam rationalem, quod videtur Hieronymus *Matth.* 26. exposuisse.

26 PRO argumentis nota, dupliciter aliquam potentiam pati: Primò à suo obiecto, vt visus à vehementi luce: Secundò ratione subiecti, vt visus patitur patiente tactu in oculo, super quem fundatur visus, vt cùm pungitur oculus, aut distemperatur per calorem: Vide D. Thomam.

IGITVR primò S. Bonauentura probat, passiones animæ è subiecto; deinde ex obiecto.

OBSERVA secundò cum S. Doctore *in corpore*, quod ratio, vt ratio, non compatiebatur corpori, imò gaudebat eius passionibus; at verò compatiebatur vt natura, quatenus est perfectio corporis, & ita passionibus corporis non compatiebatur omnimodè.

27 PROBATVR secundò à D. Bonau. hic, *quæst.* 1. & D. Thom. *loco cit.* ex vnione cum corpore, nam anima, etiam secundùm rationem, est forma corporis, eique magis vnita, quàm membra inter se; at patiente corpore, patitur anima; & patiente vno membro, compatiuntur & reliqua, vt ait Apostolus: Ergo patiente corpore, patitur anima, etiam secundùm rationem.

RESVMIT S. Doctor: Potentiæ animæ magis inter se vniuntur, quàm membra corporis; at patiente vno membro, naturaliter compatiuntur & reliqua: Ergo patiente vna potentia, naturaliter compatiuntur & reliquæ. Hæc argumenta conuincunt, supposito cursu naturali, qui in hoc non inuenitur mutatus; quia hic affectus est naturalis; neque est noxius sanctitati animæ, & ad redemptionem iuuabat, vt dicam.

28 PROBATVR tertiò à D. Bonau. Christus non tantùm redemit nos à coniuncti doloribus, sed & à doloribus animæ separatæ: Sed anima separata patitur secundùm se totam, præcipuè secundùm partem intellectualem: Ergo, &c.

PROBATVR quartò à D. Bonauent. *in corpore*, de illa passione animæ propria, quæ est ex obiecto, nam Christus compatiebatur hominibus, & doluit eorum peccatis, vt erant eorum exterminium, adeò vt Hieronymus, & Hilarius citati *quæstione præcedenti*, dixerunt, magis eum doluisse peccato Iudæ, atque Hebræorum, quam suis incommodis; hoc autem est obiectum animæ.

29 ASSERO secundò, Animam Christi passam etiam secundùm portionem superiorem voluntatis: Superiorem verò portionem animæ asserit D. Bonauent. eam esse, quæ principaliter respicit Deum, & ea, quæ Dei sunt. Secundariò autem respicit regimen inferiorum vitium. Ita habet *ad vltimum.*

PROBATVR

PROBATVR primò à S.Doctore *argumento* suprà *allato*, ex *quæst*.1.*&* 3.*in corpore*, quo vtuntur Suarez *disp*.38. *sect*.2. & alij, vt Scotus *dist*.16.*art*.2. *quæst*. 2. *&* 3. Gabriel *dist*.15. *art*. 2. *in prima parte illius*.

30 CHRISTVS vt homo, tristatus est ob peccata omnium, quatenus erant Dei inhonorationes, & illi offensæ: sed hæc tristitia spectat ad portionem superiorem: Ergo. Maior probatur à D. Bonauent. *ad* 22.*Lucæ*, vbi obseruat agoniam Christi, in qua sanguinem fudit, vt clamore sanguinis misericordiam a Patre grauissimè offenso obtineret, vt dicitur *Hebr*.12. Minor probatur ex D. August. 12. *de Trinitate*, quod gratis neget Caietanus.

31 DEINDE id ex eo S. Bonau. colligit, quia cùm suam rationis voluntatem Deo composuisset: *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat*, iuxta id Ioan.6. *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me: Factus est in agonia*, sanguinem exsudans. In hoc enim præmebatur charitate, & miseratione erga Iudæos, qui suâ morte rei coram Deo, fiebant læsæ Maiestatis, vt exponunt Bernardus *serm*.1.*S. Andreæ*, & Beda ab eo relati, Hieronymus, Hilarius, & Ambrosius apud Maldonatum *ad* 26. *Matth*. & Suarez *loco cit*. §.*Dico quarto*.

MAXIMAM tristitiam passus est Christus ex perditione Iudæ, vt notant alij Patres, & D.Bonau. ad id Lucæ 22. *Ecce manus tradentis*, *&c*. & ad illud Ioan.13. *Cum hæc dixisset, turbatus est spiritu*: hæc verò perturbatio fuit compassionis, pro peccatis non solum Iudæ, sed Ecclesiæ, vt notat D.Bonau. ex D. Augustino *Tract*.60.*in Ioannem*.

32 LATE id ipsum considerat S. Bonauent. *in c*.19. *Lucæ*, vbi Christus fleuit super ciuitatem, & reddit rationem; *eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ*, nempe non credideris in eum, quem misit Deus, & molita fueris ei mortem. Ipsum vide: Ita arguit & Suarez.

PROBATVR deinde à Seraphico argumentis *quæst*.2. Primum est: Christus assompsit totum hominem, vt totum curaret, ideò enim dicitur suscepisse omnes nostras infirmitates; at totos nos curauit etiam secundùm portionem superiorem: Ergo.

33 SECVNDVM est. Ibi debet esse pœna, vbi est culpa; sed culpa Adæ fuit in portione superiori ratione auersionis à Deo: Ergo & pœna eius, qui culpam soluendam susceperat. Cum igitur hic affectus fuerit ad satisfaciendum pro nobis aptus, rectè deducitur, vt notat etiam Suarez.

TERTIVM est: Plus vnitur portio superior inferiori, quam inferior sensualitati; sed ratio inferior patitur patiente sensualitate: Ergo. Confirmatur: Sicut enim ex vnione cum Deo fruitur, & lætatur, ita ex vnione ad carnem, & sensualitatem contristatur.

ASSERO tertiò, dolorem voluntatis fuisse acerbiorem dolore appetitus sensitiui.

34 PROBATVR à D. Bonau. *quæst*.3. Quandocumque ratio doloris est maior, & dolens in summa vtrinque cognitione, & capacitate, maior est dolor, vbi est maior ratio, & perfectior cognitio, & aptitudo naturalis, & supernaturalis perfectior: Sed in Christo fuit proportionaliter ad vtrumque dolorem sensualitatis, & rationalitatis summa aptitudo, sed voluntate perfectior cognitio; tum naturalis ex intellectu; tum supernaturalis ex scientia infusa, & ex gratiæ auxiliis, quæ non sunt in appetitu sensitiuo, & prætereà ex parte obiecti erat altior ratio, nempe perditio hominum; offensæ grauissimæ Dei, perfectissimè cognitæ, & detestatæ; in sensualitate solus horror mortis, quam minus æstimabat: Ergo. Maior fuit dolor spiritualis, quam sensualis Christi.

ADVERTIT verò S. Bonau. *in corpore*, fuisse 35
tam in sensualitate, quàm in ratione dolorem passionis proprium; & dolorem compassionis, siue per redundantiam. Dolor enim sensibilis, qui ex corporis læsione prouenit, fuit in parte sensibili, vt subiecto proprio, & redundauit in animam, quoad rationem, quæ compatiebatur corpori patienti. Dolor verò spiritualis ex læsione spirituali, puta damnatione animarum, & peccato, vt est perniciosum nobis, & Deo offensiuum, primò erat in ratione, deinde redundabat in sensum. Hæc verò etiam in ratione erat compassio respectu miseriarum alienarum. Itaque dolor erat acrior in primario subiecto.

ASSERO itaque quartò, dolorem ex læsione cor- 36
poris fuisse acriorem in sensualitate.

PROBATVR à D. Bonau. quia dolor est ex præsentia disconuenientis apprehensa; sed læsiones corporis erant magis disconuenientes corpori, vt patet: Ergo.

ASSERO quintò, dolorem ex læsione spirituali fuisse maiorem in voluntate.

PROBATVR à D. Bonauentura, quia ipsi erat disconueniens immediate illud doloris obiectum.

CONTRA primum assertum obiicies primò: 37
Quod non est actus corporis, non patitur corpore patiente: Sed anima secundùm rationem nullius partis corporis est actus: Ergo. Minor probatur *ex* 3. *de anima, textu* 6.

RESPONDET S.Doctor, ibi Aristotelem id solum velle, intellectum in sua propria actione intellectionis non determinare sibi aliquod organum; non tamen negat, esse actum corporis informando; compassio autem oritur ex vnione naturali formali.

OBIICIES secundò. Quod non corrumpitur ad corruptionem alterius, non patitur ad passionem eius: Anima non corrumpitur ad corruptionem corporis: Ergo.

RESPONDET S. Doctor ex D.Augustino 19. *de ciuitate Dei*, negando Maiorem; veram igitur admittit de illa passione, quæ magis facta abiicit a substantia patiente, vel compatiente.

OBIICIES tertiò. Quod non habet contrarium, 38
nec aliquid superius se, non potest pati ab aliquo: Anima Christi non habet aliquid contrarium neque habet aliquid creatum superius se: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, animam habere contrarium ratione corporis vniti, quod enim lædit perfectibile, lædit & perfectionem.

OBIICIES quartò. Nil idem, & secundùm idem de eodem gaudet, & tristatur simul: at Christus secundùm rationem gaudebat doloribus, quos corpus patiebatur: Ergo de illis non cruciabatur.

RESPONDET S. Bonau. nil repugnare, diuersa 39
sub alia ratione prosequi, & refugere, sic enim sæpe aliqua nolumus ratione deliberatiua, quæ voluntate, vt natura est, appetimus.

OBIICIES quintò. Cùm passio attingit vsque ad rationem, est passio, quæ in sapiente non cadit ex Seneca, & D.Hieronymo.

RESPONDET S. Doctor, cùm passio attingit, & perturbat rationem, vt ratio est, indicare defectum sapientiæ, non autem cùm eam tangit, vt natura est.

CONTRA secundum assertum Insurgunt Hen- 40
ricus *quodlib*.8. *quæst*.7. Caietanus *quæst*. 46. *art*.7. qui putant, prædictam tristitiam pertinere ad rationem inferiorem, quia erat de obiectis tempo-

talibus. In quam sententiam Caietanus trahit etiam D.Thomam, qui tamen solum dicit, portionem superiorem non fuisse contristatam de proprio obiecto, idest Deo, quo potius fruebatur.

41 Obiectio autem ea est, quia anima Christi secundum portionem superiorem, erat beata, atque adeò summo gaudio plena; quare non videtur fuisse capax tristitiæ, quæ est ei contraria.

Cano *lib.* 12. *de Locis, cap* 14. dicit, Christum ad tempus suspendisse gaudium beatificum, vt tristitiæ locum daret.

Verum, si anima Christi erat beata, non intermisit, quia beatitudo est perpetua.

Neque verum est, quod ait Cano, potuisse stare fruitionem sine gaudio, quia fruitio est ipsum gaudium, seu vti cum gaudio, vt notat D.Bonauent. *in* 1. *dist.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *in corpore*, ex D.Augustino *lib.* 10. *de Trinitate, cap.* 11. Vel quiescere in cognitis, voluntate propter se delectata, quæ est significatio propriissima fruitionis, vt notat D.Bonau, *ibi*, ex D.August. 11. *de Trinitate, cap.* 10.

42 Præterea debuisset carere beatitudine toto ferè vitæ tempore, quia Christus ab infantia tristatus est, semper videns terribilia super se, & quidem ineuitabilia.

Paludanus *in* 3. *dist.* 15. *quæst.* 2. respondet, licèt gaudium, & tristitia sint contraria, potuisse tamen Dei virtute simul stare in eadem anima Christi.

At eidem respectu eiusdem non possunt duo actus vitales contrarij conuenire, vt assensus, & dissensus intellectus, de eadem propositione.

Optima est solutio D. Bonauenturæ, quem sequitur Suarex, & alij communiter.

43 Supponit autem S. Doctor primò, fruitionem in Deo clarè viso, seu gaudium de visione, idest Christo, non opponi è diametro tristitiæ ipsius Christi, nam gaudebat Dei pulchritudine, & bonitate; sed tristabatur Dei offensis.

Supponit secundò, quod dolor de morte, & passionibus non erat contrarius gaudio portionis superioris, imò erat materia gaudij; gaudebat enim passionibus, & morte, quas sustinere debebat. Itaque ipsa secundùm portionem superiorem, vt natura est, tristabatur; sed illa ipsa, vt ratio est, gaudebat sic obedire Patri, honorare Diuinam Maiestatem, & homines redimere, quorum saluti propriam vitam præferebat.

44 Supponit tertiò, Christum simul fuisse viatorem, & comprehensorem: Itaque cognitio viæ non impediebat scientiam patriæ, neque affectio viæ affectionem patriæ.

Igitur respondet argumento, animam Christi, vt natura, secundùm portionem superiorem, tristatam de vno obiecto, nempè, morte suâ, offensâ Dei, & perditione tot conspirantium ad suam necem; ex altera verò simul gauisam esse, vt ratio est in Deo clarè viso, Dei pulchritudine, bonitate; atque de honore resultante ex grauissimo Deicidio, & tot peccatis.

45 Aliqui aliam rationem innuunt, cur illæ passiones in Christo non sese expellerent, nempe, quia vna inerat per se; altera per accidens, quia duæ qualitates, tali pacto inhærentes, non sunt contrariæ ex D. Thom. *quæst.* 26. *de veritate, artic.* 10. Hanc autem rationem non intellexit Suarez; ideò eam impugnat; quia, etiamsi qualitas vna per accidens insit, excludit eam, quæ est per se, vt calor in aqua excludit naturalem frigiditatem, quæ ei per se inest.

46 Hoc non est benè intellectum: Sensus enim est, quando duæ qualitates habent suam speciem ab obiecto, & ratione eius sunt contrariæ, vt gaudium, & tristitia, tunc si vna inest per se, habet vnum obiectum, vt tristitia, quæ respicit malum illatum naturæ reclamanti inuitæ; at altera opposita, quæ inest per accidens, non potest habere obiectum sub eadem ratione, vt gaudium, quod animæ Christi inest per accidens, idest, non ex natura animæ, vt sic, sed ex addita beatitate, & lumine gloriæ, quæ sanè essentiæ animæ sunt superaddita; & ideò oportet, vt habeant subiectum formale alterius rationis, & respiciant obiectum oppositum, puta bonum lætificans sub diuersa ratione. Et hoc modo hanc distinctionem explicat D. Bonauentura *in corpore*.

47 Obiicias primò: Paulus in raptu ad tertium cœlum nil sensit doloris 2. *Corinth.* 12. Ergo neque Christus.

Respondet S. Doctor, negando paritatem, quia Christus singularis fuit Viator, & Comprehensor.

Obiicies secundò ad probandum, gaudium, & tristitiam in anima Christi iuxta portionem superiorem fuisse secundum idem: Christus per visionem beatam videbat in Verbo mortem suam: Ergo per fruitionem beatam illa gaudebat; sed de illa eadem tristabatur: Ergo habebat duos affectus contrarios circa idem.

Respondet Suárex, cum D.Bonau. *in corpore, & ad* 2. Christum gauisum de morte sua, vt erat ad Patris honorem, & hominum salutem; tristatum verò, vt erat noxia naturæ suæ, & illata à malignis, qui inde ruinam sibi comparabant. Itaque sub diuersa ratione tristabatur, & gaudebat.

48 Obiicies tertiò: Vbi est summum gaudium, non potest esse permixta tristitia, quia quò aliquid est albius, eò est minùs permixtum nigro *ex* 3. *Top. cap.* 4. at anima Christi perfectè erat beata, atque adeo summo gaudio perfusa: Ergo non poterat habere permixtam tristitiam.

Respondet S. Doctor, summo gaudio posse esse permixtam tristitiam, quæ est materia gaudij, à qua non remittitur gaudium.

Obiicies quartò: Ita opponitur miseria gloriæ, sicut culpa gratiæ: sed non potest stare culpa cum gratia: Ergo.

Respondet S. Doctor, negando paritatem, nam culpa, & gratia sunt respectu eiusdem; at miseria, & gloria, licèt lege ordinaria sint respectu eiusdem; tamen ex ratione singulari mediationis erant respectu diuersorum statuum, quia erat & Viator, & Comprehensor.

49 Obiicias quintò. Potentia illa simplex erat: Ergo totaliter ferebatur in vnum; sed ferebatur in Deum per gloriam: Ergo.

Respondet S. Doctor, diuinâ dispensatione posse vnam potentiam ad diuersa ferri, etiam ex vi beatitudinis, quâ ampliatur. Adde, posse sub diuersa ratione ad diuersa, & opposita conuerti.

50 Obiicies sextò. Inferior portio differt à superiori, quòd hæc respicit Deum: illa verò respicit inferiora; at Christus nullam habuit causam doloris à Deo: Ergo. Est argumentum, quod sibi sumpsit Caietanus.

Respondet D. Bonau. portionem superiorem principaliter quidem respicere Deum; at secundariò. respicere etiam regimen potentiarum inferiorum in ordine ad Deum, & in hoc regimine culpas

inueniebat contra leges æternas in Dei contemptum, cuius honorem amabat zelo.

QVÆSTIO III.

Quid fuerit PASCHA *Iudæorum, & quando celebratum.*

52 PASSIONEM Christi percursuri cum Euangelistis, à Paschate ordiri debemus, quo Christus passus, sero præcedente, cœnâ peractâ, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento instituto.

De hoc tamen *secundo Tomo*, agetur: Oportet autem duas solemnitates, à Deo institutas, recensere cum D. Bonauent. *ad* 22 *Lucæ*.

EXODI 13. dicitur: *Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas. Et seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius: immolabitque vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam. Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azimos panes cum lactucis agrestibus, & comedetis festinanter: est enim Phase* (idest transitus) *Domini. Habebitis autem hanc diem in monumentum: & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus Azyma comedetis: In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Dies prima erit sancta, atque solemnis; & dies septima eâdem festiuitate venerabilis.*

53 IN his verbis duplex Lex continetur geminarum Solemnitatum: Altera appellatur PHASE: Altera FESTVM AZYMORVM, quæ duo solemnia interdum confunduntur, & alterum pro altero ponitur, quia simul incipiebant: propriè tamen sunt distincta, vt docet Iosephus *lib.* 3. *Antiquit.cap.* 10. Cyrillus *lib.* 9. *in Leuit.* Beda *lib. hymnorum*, qui habetur *tom.* 1. Abulens. 2. *part. Defensorij, cap.* 3. Franciscus Tolet. *in Ioan.cap.* 7. *annot.* 2. & D.Bonau. *ad* 22. *Lucæ*, & *ad* 13. *Ioan.* vt infrà

54 PRIMVM præceptum, primaque solemnitas erat immolatio Agni Paschalis: Hic agnus immolabatur in domibus à Patrefamilias principaliter; à cæteris per illum: Ita Bellaminus *lib.* 1. *de Missa, cap.* 7. Marcellus *libro de tempore horarum canonicarum, cap.* 71. *num.* 11. & ante eos Carthus. *lib.* 2. *Paralyp. cap.* 30. & 35. quos sequitur Suarez *disput.* 40. *sect.* 2. Et sanè historia clara est: *Immolabit vniuersa multitudo filiorum Israel.* Deinde immolabatur necessariò in vrbe Hierusalem, non alibi, *Deuter.* 16.

EST autem magna controuersia circa tempus huius sacrificij.

55 PRIMA opinio est Claudij *repetit prima, cap.* 7. tempus immolandi agnum comprehendisse totum diem decimæ quartæ Lunæ, vsque ad vesperam, quæ ingruebat decimæ quintæ, ita, vt celebritas agni Paschalis diem quartum decimum, & noctem decimi quinti occuparet; illum quidem ad immolationem; hanc verò ad esum.

SECVNDA opinio est, tempus immolandi agnum fuisse primam vesperam Lunæ quartæ decimæ: Ita Luysius Legionensis, *Opusc.ul. de vtr.usque agni immolatione*, & Petrus Lopes de Montoya, *libro annotationum in Canonem Missæ*.

56 TERTIA opinio est, tempore Intermedio inter duas vesperas fuisse destinatam immolationem, quæ autem fuerint vesperæ, multi multa dicunt: Aliqui enim dicunt, fuisse duas vesperas vtriusque diei: alij inter occasum Solis, qui dicitur Vespera, & principium noctis, quod initio tenebrarum durat. De hoc vide Lippomanum *Genes.* 1. & *Exodi* 12. Abulensem, Caietanum, Oleastrum, *in Exodum, cap.* 12. *in Leuit.* 23. vbi tempus limitatur inter duas vesperas; vel secundùm LXX. Inter medium vesperarum, Iansenium *cap.* 129. *Concordia*, Hieronymum Vvielmum *in opere sex dierum, lect.* 11. Marcellum Francolinum, *libro citato de horis Canon. cap.* 16. 19. 20. & 44.

VERA tamen sententia D.Bonauenturæ *ll. cc.* est, 57 Agnum immolandum fuisse ad Vesperam secundam Lunæ quartædecimæ: Ita censent communiter antiqui PP. vt fatetur Legionensis.

Ex recentioribus eam sustinet Maldonatus *ad* 26. *Matth.* Suarez 3 *part. tom.* 2. *disput.* 40. *sect.* 2. & *tom.* 3. *disp.* 43. *sect.* 1. vbi refert Riberam *in opere de templo, lib.* 5. *cap.* 3. Sebastianum Episcopum Oxomensem, *quæst. de Azymo, numer.* 20. Bedam *ad* 22. *Lucæ*, Lyranum, Abulensem, & alios *ad* 12. *Exodi*, & colligitur ex Cyrillo suprà, & aliis, qui dicunt Festum azymorum in ipsa solemnitate Paschæ inchoare.

ASSERO cum hac sententia, celebritatem Paschæ quoad immolationem agni fuisse Vespera secunda Lunæ quartæ decimæ: Sic etenim festiuitates à vespera ad vesperam celebrabant *Leuit.* 23.

PROBATVR primò à S.Bonauentura *ad* 22. *Lucæ*, argumento validissimo è Scriptura, quo maximè nititur Suarez, quia lex *Exod.* 12. *Leu.* 2. *Numer.* 28. 58 solum septem dies Azymorum obseruare præcipiebat; qui ab eadem vespera, in qua agnus comedebatur, incipiebant, & vltima vespera vigesimæprimæ diei eiusdem mensis finiebantur. Vnde necessariò concluditur, vesperam, in qua incipiebant dies azymorum, fuisse finem decimæquartæ Lunæ, & initium decimæquintæ, quia ab illo die vsque *ad* 21. inclusiue, septem numerantur dies: sed esus agni, & azymi dies simul incipiebant: Ergo agnus comedebatur eadem vespera, quæ erat initium decimæquintæ Lunæ, & finis decimæquartæ.

RESPONDIT Luysius negans, azymos dies, pro- 59 priè dictos, incepisse simul cum esu agni, sed postridiè in prima vespera sequentis diei; nam initio decimæquartæ Lunæ, quando comedebatur agnus, prohibebatur fermentum solùm in cœna legali, non tamen in reliquo tempore illius diei decimæquartæ: Ideò dies ille erat azyma secundùm quid, scilicet quo ad cœnam agni: Septem verò dies azymorum, qui in scriptura numerantur, intelliguntur de azymis simpliciter: Itaque dies azymos asserit omninò fuisse octo, & adducit Iosephum *lib.* 2. *antiquit. cap.* 5.

HANC Scripturæ interpretationem, libello dato ad eundum Aloysium, refellit Montoya, qui attestatur, rationibus commotum Aloysium, statuisse palinodiam canere.

PRIMA ratio est sumpta ex S. Doctore *ll. cc.* quia dies, quo immolabatur agnus simpliciter, dicitur prima dies Azymorum, Marc 14. *Erat autem* 60 *Pascha, & Azyma post biduum.* Lucæ 21. *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Quid clarius?

HINC planè deducit S.Doctor hanc veritatem; primam diem azymorum fuisse in secunda vespera quartæ decimæ Lunæ, incipiente quintadecima, quæ semper vocatur prima dies azymorum, *Exodi* 12. *Leuit.* 23. *Numer.* 28.

Dicitur verò dies azymorum aliquando, in qua occidi solebat Pascha, quia in illa secunda vespera incipiebat dies aazymorum, & protrahebatur ad secundam Vesperam: Ex quo fit, vt computando dies naturales, non legales, potuerant numerari octo à Iosepho.

61 Confirmatur à D. Bonauentura ex modo dicendi Lucæ: *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha*, vbi loquitur de die Festo solemni, qui erat prima dies Azymorum simpliciter, vt supra ostendi, hunc autem diem festum vocat Pascha, quia initio eius occidebatur Pascha, vt statim subdit Euangelista: *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Ex quo etiam patet, non fuisse septimam azymorum, quæ pariter erat festiua: Confirmatur; nam dies illa azymorum secundùm quid nullo modo inuenitur in scriptura, sed omnino prohibetur fermentum, *Exodi* 12.

62 Secunda ratio S. Bonauenturæ sumitur ex traditione, ex qua constat ab ea Vespera, in qua præcipiebatur comedi agnus, fuisse simpliciter prohibitum fermentum, etiam in communi vsu: Propterea etiam Ecclesia Latina veriùs, & certiùs existimat, Christum Dominum consecrasse in pane azymo, quia consecrauit eo tempore, quo erat prohibitus fermentatus, hoc autem non aliunde colligit, nisi quia consecrauit quartadecima Luna ad vesperam post cœnam Agni: Ergo ab illa vespera erat simpliciter vetitum fermentum, vsque ad vigesimam primam Diem.

63 Addit Suarez cum S. Doctore vtroque loco, hunc fuisse sensum etiam Ecclesiæ Græcæ, in quartadecima Luna non licuisse vllo modo vti fermento, & ideò dixêre, Christum anticipasse vno die legitimum tempus legalis cœnæ, in quo nondum erat prohibitum fermentum.

Confirmatur ex Hebræis ipsis, simul cum legali cœna incepisse vniuersalem prohibitionem fermenti: Sic ex libro Thamuld, qui *Pesachim* dicitur, refert Iansenius, *cap.* 144. *Concordiæ*; ibi enim habet, In sero quartædecimæ Lunæ solitos Hebræos scrutari domos, & euertere omnes fermentati reliquias, & micas minutulas; eò quòd esset omnino prohibitum.

64 Confirmatur acutè à D. Bonauentura, & Suarez, nam *Exodi* 12. præcipitur sacrificium agni cum omibus cæremoniis, deinde præcipitur obseruatio Azymorum per septem dies integros à die quartadecima ad Vesperam, vsque ad vigesimamprimam ad vesperam, vbi profectò septem dies numerati arguunt, fuisse ibi sermonem de Aayma simpliciter; & vtrobique particula *ad Vesperam*, absque æquiuocatione eodem modo est intelligenda; gratis enim in vno loco de priori Vespera, in altero de posteriori exponeretur: Ergo simul in eadem Vespera comedebatur agnus, & incipiebat Aayma simpliciter.

Ex his ruit Montoyæ responsio, fermatos à Iudæis octo dies Aaymorum legales, diuersis tamen de causis. Prima enim die, à prima, vsque ad secundam Vesperam, quæ erat quartædecimæ Lunæ, abstinebant à fermento ob esum agni, in memoriam transitus Angeli percutientis; aliis verò septem, ob solemnitatem Aaymorum, quos eodem die in Socoth comederunt, & de hac posteriori tantùm solemnitate loqui Scripturam, cùm numerat septem dies Aaymorum.

65 Contra tamen primò, quia *Numer.* 16. & 28. tantùm septem dies Azymorum omnino ponuntur: *Mense primo, quartadecima die ad Vesperam, Phase Domini erit, & quintadecima die solemnitas Azymorum*, & subdit: *Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris.* Igitur à Vespera secunda quartædecimæ Lunæ incipit Aaymorum dies, primus inter septem.

Addo, absque fundamento fingi, Aaima comedi cum agno seorsim ob transitum Angeli per Ægyptum, quando occidit primogenitos, & domos Hebræorum pertransiit signatas agni cruore: Nil enim ad rem ibi Azyma, sed solùm, quando postea ex fuga coacti sunt Axyma comedere: Certum est autem, has commestiones præceptas fuisse in memoriam horum beneficiorum, vt omnes fatentur. 66

Alia responsio Montoyæ etiam ruit, nempè diem Azymorum incepisse prima Vespera Lunæ quartædecimæ, & desiisse prima Vespera Lunæ vigesimæ primæ. Contra enim est, quia prima dies Azymorum vbique asseritur die quintadecima, Leuit. 23. Numer. 28. *Quintadecima die solemnitas Azymorum*, eratque dies festus *Exodi* 12. at dies 14. non erat festiuus, vt habetur *Marci* 14. vbi opera seruilia imponuntur: Ex his etiam ruit responsio dicentium, diem decimamquintam fuisse primam diem, non simpliciter Azymorum, sed primum festum: Hæc enim inania sunt; nam prima dies Azymorum erat illa festiua, Exodi 12. *Dies prima erit sancta, atque solemnis.* 67

Dies verò quartadecima dicitur in Euangelio prima dies Axymorum, quia eadem die naturali ad Vesperam incipiebant dies Aaymorum: Hæc omnia colligit Suarez cum D. Bonauentura, *loco citato.* 68

Probatur secundò principaliter assertio ratione, qua nititur maximè S. Bonauentura; nam in præcepto Paschæ ponitur: *Die quartadecima ad Vesperam*, quod profectò indicat posteriorem partem, seu secundam Vesperam, sic enim toto illo capite accipitur: Ideò & hic aliis quidem solemnitatibus, in quibus aliquid præcipitur, solus dies numeratur, neque opportuisset addere particulam *ad Vesperam*, cum notum sit à vespera vsque ad Vesperam protrahi festa Iudæorum *Leu.* 23. Itaque si azymorum solemnitas erat protrahenda vsque ad vigesimamprimam diem, exclusо secundo Vespere, non erat, cur adderet, vsque ad vigesimamprimam eiusdem mensis ad Vesperam, sed potius erat dicendum à Vespera.

Ratio autem, ob quam dies quartadecima ad Vesperam notetur, est, quia reliquum diei à prima Vespera non erat solemne, sed sola secunda vespera ob esum agni. 69

Hoc argumentum latè prosequitur Ribera, & ait, adeò illustre, ac validum esse, vt frustra alia requirantur.

Confirmatur ex dictis à Ribera, quia dies Aazymi erant septem continui, incipientes à Vespera quartadecima, in quibus non licebat vllo modo redire ad fermentum, vt refert Iosephus *lib.* 3. *Antiquitat. cap.* 10. quòd si illa fuisset prima Vespera, iam licuisset ad fermentum post esum agni redire.

Probatur tertiò validissime à D. Bonauentura *loco citato Luca, & in quarto, distinct.* 11. De fide certum est, Christum mortuum esse die artificiali sequente, post noctem, in qua cœnauit cum discipulis suis, & Sacramentum Eucharistiæ instituit, vt patet ex narratione Euangelica, & ex illis verbis Canonis Missæ: *Qui pridie, quàm pateretur, accepit panem, &c.* Sed Christus mortuus est Luna 70

decima

decimaquinta circa Vesperam: Ergo cœnauit, manducando agnum, nocte inchoante decimamquintam diem: cœnauit autem tempore a Lege præscripto, vt ostendam *quæst. sequenti*: Ergo. Minor principalis argumenti latius ostendetur *quæst. 5.* ex PP. Græcis, & Latinis.

OBIICIES primò cum Luysio: Eo tempore im-
72 molabatur agnus in Iudæa, quo immolatus est primùm in Ægypto; at ibi immolarunt prima Vespera Lunæ quartædecimæ: Ergo. Maior patet *Exod.* 12. nam hoc sacrificium præceptum est in monumentum illius beneficij, supra enarrati. Minor probatur; nam egressi sunt de Ægypto, cùm egressi sunt de Ramesse, Exodi 12. *Profectique sunt Filij Israël de Ramesse in Socoth*. sed de Ramesse egressi sunt nocte, in fine quartædecimæ Lunæ: Ergo antecedente nocte comederant Agnum. Probatur consequentia, quia comederunt agnum in propriis domibus, è quibus iussi sunt non egredi tota illa nocte, in cuius profundo Angelus pertransiit, occidens primogenitos Ægyptiorum, vt refertur, *Exodi* 12.

Hoc colligitur Numer. 33. *Profecti de Ramesse in mense primo, in quintadecima die mensis primi, altera die à Phase, Filij Israel in manu excelsa*, & sanè, etiamsi nil Scriptura nobis exhiberet, satis necessariò id colligeremus ex gestis. Nam scio cœnasunt manducando agnum, & post, totâ nocte in domibus suis inclusi perstiterunt, iuxta illud præceptum, Exodi 12. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane*. Post ortum solis, conclamantibus Ægyptiis, & hortantibus, Iudæi cæperunt congregari in Ramesse, vt inde simul exirent, Exodi 12. *Profecti sunt de Ramesse sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis, & mulieribus. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis: oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis*. Profectò, vt tanta multitudo, quæ simul ibi non habitabat, confluerent; saltem vna dies fuit necessaria: Eo autem die, vt dicitur *Exodi* 12. Filij Israël coaceruarunt commodata ab Ægyptiis vasa aurea, & argentea, & vestes, quod non potuit nocturno tempore fieri; factum est ergo die sequente immolationem.

RESPONDETVR, Iudæos ea nocte quartædeci-
73 mæ Lunæ cœnasse agnum, & ad iussum Angeli substitisse in domibus, vsque ad transactam mediam noctem, aduenient die quintadecima, nè læderentur ab Angelo; mox verò confluxisse omnes ad Ramesse, & hinc incipit exitus ex Ægypto, quia ea vrbs est in regni fine, aut si ex vrbe Ramesse egressi sunt, hoc fuit post meridiem, durante adhuc Luna quintadecima: Oportet autem scire, terram Iessen, vbi habitauit tuus populus, dictam esse etiam regionem Ramesse, vt patet *Genes.* 47. Ædificata verò fuit vrbs Ramesse à Iudæis, *Exodi* 1. Ad hanc verò confluxerunt, vt inde turmatim discederent. Quapropter egressi sunt de Ramesse, cum inceperunt egredi è terra Iessen, & ad fines Ægypti, seu in fonte regionis, vbi est vrbs Ramesses, confluere: Itaque nocte quidem quintadecima inceperunt egredi, & ob id in Scriptura beneficium liberationis populi dicitur nocte facta.

OBIICIES secundò: Christus celebrauit vlti-
74 mam cœnam legalem legitimo tempore à lege signato; at Christus cœnauit priori Vespera Lunæ quartædecimæ: Ergo. Maior est euidens. Minor probatur; quia Christus crucifixus est die proximè sequenti cœnam, vt patet ex Euangelio; at non fuit crucifixus quintadecima die, quæ erat festiua, & solemnis, in qua Iudæis non licebat iudicia exercere: Ergo fuit crucifixus quartadecima, quæ erat Parasceue Paschæ, vt dicitur *Ioan.* 19. Confirmatur; nam sic figura respondet figurato, vt eâdem die occisus sit Christus, Agnus Dei, quo Agnus mysticus immolabatur.

RESPONDET D. Bonauentura, *ll. cc.* Christum 75
mortuum Luna quintadecima ante festum magnum Sabbati Azimorum, quod ideò dicitur magnus dies festus, quia Sabbato addebatur solemnitas Azymorum: Ab hoc igitur festo abstinuerunt, sed præoccupauerunt, occidentes die primo Azymorum, quo iudicium ipsi exercuisse negant, sed tradidisse Præsidi Pagano: Ideò enim *Ioan.* 9. dicebant: *Nobis non licet interficere quemquam*, non quia secundum legem non interficerent malefactores, saltem in foro spiritualis inquisitionis reos, qualis incusabatur Christus, apud illos, sed propter diei festi celebritatem, quæ inceperat, vt notat S. Bonauentura *ad* 19. *Ioan.* ex D. August. *tract.* 117. *in Ioan.* Quoad figuram, respondebo *quæst. sequenti*.

OBIICIES tertiò: Si Lunâ quartadecimâ in 76
secundis vesperis incipiebat dies Azymorum; sequitur, diem quintumdecimum Lunæ non habuisse primas Vesperas, atque adeò neque dies prima Azymorum habuit primas vesperas, & consequenter non fuit celebrata a Vespera ad Vesperam, iuxta legem? Ex quo etiam sequitur, non fuisse dies septem integros Azymorum ad legis præscriptum, vel debuisse protrahi ad diem vigesimamsecundam.

DICVNT aliqui, duas Vesperas assignari, inter 77
quas fuit diuisio; alteram ab hora pomeridiana ad occasum Solis: alteram ab occasu Solis ad tenebras, & inter has solitum immolari Agnum, vt indicat *Leuit.* 23. qui ex Hebræo habet: *Inter duas Vesperas*, vel secundùm septuaginta: *Inter medium Vesperarum*, de quo disserit Lippoman. *Genesis* 1. *Exodi* 12. Abulensis, Caietanus, Oleaster *in Exodum, & Leuiticum*, Iansenius *cap.* 129. *Concordiæ*, Vvielmus *in opere sex dierum*, *lect.* 11. Francolinus *de Horis Canon. cap.* 18. *& seq.* Sed hoc nihil facit, nam debent assignare ipsi Lunationi dies integros Lunares, qui secum ferunt ambas ferè Vesperas Solares.

PRÆTEREA dies Lunæ incipiebant eo ordine, 78
quem secum ferebat Lunæ congressus cum Sole; at iste sæpè incipiebat mane, cùm fieret (vt aiunt) Luna in aurora, & dies Lunares erant breuiores diebus Solaribus: Ex quo sequitur, vt cùm festiuitates Iudæorum à Vespera ad Vesperam protraherentur; & quidem Solares, vt patet in sepultura Christi, non possent cum diebus Lunæ concordare, & cum diebus Solaribus, & ita oportuit, vt sæpè prima Vespera Lunæ quartædecimæ inciperet ante mane, licet Oriente Sole, & finiretur sequente mane: Et tamen Deuter. 16. dicitur: *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto*. Igitur cùm tempore Solaris Vesperæ celebrandum esset Phase, iuxta præscriptum legis adductæ ob memoriam occisionis primogenitorum; quæ facta est media nocte solari, decumbente Sole in Antipodibus, non video, qua ratione tot quæstiones soluantur?

RESPONDETVR, secundam Vesperam Lunæ 79
quartædecimæ fuisse etiam primam Vesperam Azymorum, & tunc incepit Luna quintadecima, quia non coæquatur dies Lunaris diei Solari.

QVOAD tempus verò Vesperarum Lunæ, dico in pleni-Lunio semper esse Lunam oppositam Soli,

&

& ita die quartadecima Lunæ concurrere cum Solis occasu, vt patet: Itaque Vespera prima Lunæ quartædecimæ est ferè Occidente ipso Sole; & secunda Vespera Occidente Sole; tunc enim è diametro opponitur Soli, non igitur Vespera à decubitu
80 Lunæ dicitur, sed à decubitu Solis.

Qvoad alias verò solemnitates, vt decima die expiationis *Leu*.23. Prima dies mensis, & alia festa, arbitror ea sumi semper ab occasu Solis, seu à Vespera, quæ est ante Solis occasum, circa horam nouam diei, Iudæorũ more, vt patet ex sepultura Christi, quam accelerarunt, quia erat vicina Solaris Vespera prima Sabbati magni, etiam ex *Deuter*.16. Id verò obseruatum fuit, vt inde sumeretur Lunæ dies, vbi plus erat de conuenientia cum die Solari.

QVÆSTIO IV.

An Christvs *Luna quartadecima Cœnam peregerit, & Luna quintadecima sit mortuus.*

D.Bonau. in 4.dist.11. p.2. art.2.quæst.2.

81 Svppono primò, Christum celebrasse Pascha cum discipulis, & immolasse Agnum antequam pateretur: Sic apertè, Marci 14. *Primò die Azimorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha?* Valeant igitur hæretici id negantes; Idem probatur *Matth*.26.& *Luca* 22.

Svppono secundò, Christum die proximè sequenti mortuum, vt patet ex Euangelio, & ex illis verbis Canonis: *Qui pridiè quam pateretur, &c.* quæ verba à tempore D.Petri dicta esse in Missa tradit Hugo Victor. *lib*.2. *de Sacram*.*p*. 8. *cap*. *vltimo*. In Breuiario autem Romano fertur Alexander I. illa addidisse.

82 His positis; celebris est sententia Græcorum dicentium, Christum tertiadecima Luna ad Vesperam Pascha celebrasse; & Luna quartadecima durante occisum: Ita docet Euthymius, *Matth*. 26. Nicephorus *lib*.1. *histor*. *cap*.23. Videntur ex antiquis fauere Chrysostomus, *homil*. 82. *in Ioan*. ait, enim ad id, Ioan. 18. *Et ipsi non introierunt prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*. Per Pascha Agnum Paschalem intelligit, quem eo die (ait) comesturi erant; Christus enim pridiè fecerat Pascha, vt reseruaret cædem suam in Parasceue, quando Pascha secundùm antiquam in-
83 stitutionem celebrandum erat, quæ verba Theophylactus suis inseruit Commentariis: Cyrillus etiam *lib*.12. *Ioan*.*cap*.2. nomine *Pascha* eo loco intelligit Agnum Paschalem: Citatur etiam Origines *tract*. 35. *in Matth*. quatenus dicit mortuum esse quartadecima Luna, quod etiam affirmat Epiphanios *heresi* 50. Huius etiam opinionis videtur fuisse Author quæstionum noui, & veteris Testamenti, inter opera D.Augustini *quæst*.94. additis his, quæ tradit, *quæst*. 55. In Commentariis etiam Anselmi *ad* 27. *Matth*. in fine repetitur hæc sententia, sed videtur ab aliquo supposita illa pars commentarij, quia Ansel. *cap*.26. initio docet contrarium, & *in opusc*. *de fermentato*, *& azymo*.

84 Vera tamen sententia est, Christum cœnasse vltimò, die quartædecimæ Lunæ ad Vesperam prout lege statutum erat; Ita tenet Ecclesia Latina, quæ ideò in azymo consecrat: Eam defendunt S. Bonauentura, & S.Thomas passim, Abul. *in defens*. *cap*.7. Medina *ad quæst*.46. *art*.6. Tolet. *in* 13.*Ioan*.*annot*. 5. Suarez *disput*. 40. *sectione* 3. Baronius *anno* 34. & alij.

Assero cum hac sententia, Saluatorem Christum vltimam sumpsisse cœnam die decimæquartæ Lunæ ad Vesperam.

Probatvr primò à D. Bonauentura, *ad* 22. 85
Luca, & 19. *Ioan*. & *in* 4. *dist*.11. *citata*, authoritate Scripturæ Euangelicæ, qua omnes ferè vtuntur: & ex modernis Suarez *disp*. 40. *sect*. 3. Valentia *tom*.4. *disput*. 2. *quæst*. 3. *punct*.1. & *disp*.6. *q*.2. *punct*.2. & *disp*.6. *quæst*. 2. *punct*.1, Nazarius *tom*. 3. *in* 3.*partem*, *quæst*.46.*art*.9. *D.Thoma*, *controu*. *vnica*. Angelus Vulpes à monte Piloso, *tom*. 3. 4. *partis*, *disp*.57. *art*.10. cum Scoto *in* 4.*dist inc*.11.*quæst*.6. *art*.3. Igitur Matthæus *cap*.26. Marcus *cap*.14. Lucas *cap*.22. asserunt, Christum cœnasse Agnum primâ die Azymorum. Non potest autem intelligi de primo die festo Azymorum, idest, de quintadecima die Lunæ ad secundam Vesperam, vt omnes Latini, & Græci confitentur, & conuincit locus Ioan. 13. *Ante diem festum Pascha*: Ergo necesse est intelligi de die quartadecima ad Vesperam, quæ erat initium decimæquintæ: & ideò prima dies Azymorum vocabatur, à parte totum nominando, vt dixi *quæst*.3.

Respondet Euthymius, diem tertiamdecimam vocatam diem Azymorum, quia proximè præ- 86
cedebat illam. Verùm nulla ratione satisfacit; nam dies tertiadecima distabat ab Azymis, vt neque, in tota illa, neque in aliqua parte inciperet obseruari: Quomodo ergo dici potest prima dies Azymorum? Quis enim vltimam diem Augusti vocet primam Septembris?

Respondet secundò, Euangelistas non dicere, fuisse primam diem Azymorum, sed quòd instabat.

Vervm Matthæus *cap*.26. absolutè absque ver- 87
bo loquitur: *Prima die Azymorum*. Marcus verò *cap*. 14. adhuc clarius ait: *Prima die Azymorum, quando Pascha immolabant*. Lucas verò priùs quidem dixit: *Appropinquabat dies Azymorum*, idest, quando facta est machinatio proditoris biduo ante, vt dicitur etiam Matth. 26. *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, vt crucifigatur*. Postea tamen subdit: *Venit dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Ioannem dicens: Euntes parate nobis Pascha*. Ex quo deducit è regione S.Doctor ibi, die quartadecima ad præscriptum legis cœnasse.

Respondent alij Græcorum insanientes in veritatem, tres Euangelistas errasse, & correctos à Ioanne.

At eos acriter redarguit S. Doctor *locis addu-* 88
ctis, quia Spiritum sanctum errantem ponunt. Cur enim potius tres Euangelistæ, quàm vnus, errasse dicantur?

Qvod verò neque Ioannes errauerit, rectè probat D. Bonauentura *ibi*, quia dixit: *Ante diem festum Pascha*, erat autem dies festus Azymorum die quintadecima, vt habetur *Exodi* 12. *Leu* 23. Si ergo ante diem festum Azymorum cœnauit: Ergo cœnauit quartadecima die Lunæ.

Errant autem Græci non distinguentes inter diem Paschæ; & diem festum Paschæ, vt notat S. Bonauentura *ad* 3. Dies quidem Paschæ erat quartusdecimus, quo immolabatur Agnus: Dies verò festus Paschæ erat, in quo seruilia opera erant vetita.

tita, quæ die quartadecima exercebantur, vt patet
89 in apparatu discipulorum *locis adductis Euangelij.* Licet autem festum illud inciperet à Vespera, tamen quia dies naturalis incipit à media nocte, ideò rectè dici potest Ioannes locutus de die naturali, ac festiuo, ante quem Christus cœnauit cum discipulis suis: Hæc autem ita esse ostendit, quia Christus eo sero dixit Iudæ: *Quod facis, fac citius. Dissipuli verò cogitabant dixisse: Eme ea, quæ opus sunt ad diem festum.* Ex quo euitur, diem superuenientem illi nocti fuisse diem festum: Adde *Leuitic.* 23. *Numer.* 28. dicitur solemnitas Azymorum die quintadecima. Hinc primum Græcorum argumentum ruit.

90 Probatur secundò assertio à D. Bonauentura ex PP. Et primò quidem Græcis, Chrysostomo *homil.* 8. *in Matth.* & 82. *in Ioan.* Theophylacto *in Comment.* Ioan. Theodoret. *quæst.* 24. *in Exodum*, Theophylact. Alexandr. *epistola ad Theodozium*, apud Bedam *de ratione temporum*, *cap.* 57. Victore Antioch. *ad* 14. *Marci*, Origen. *tract.* 33. *in Matth.* si attentè legatur.

91 Ex Latinis verò Hieronymus, Anselmus, Beda, Rupertus, & ferè cæteri expositores Euangelicit Ambros. *epistola* 83. Augustin. *epistola* 86. Cyprianus *sermon. de cœna Domini*, Anselm. *lib.* 2. *de Imagine mundi*, *cap.* 17. Rupertus *lib.* 2. *in Exodum*, *cap.* 51. Tertullian. *lib. contra Iudæos*, *cap.* 8. & 18. licèt obscurè.

Probatur tertiò à S. Bonauentura in 4. *fundamento secundo.* Christus in omnibus legem seruauit, sic enim gloriatur: *Non veni soluere legem, sed adimplere*, & notant Chrysostomus *homil.* 82. *in Matthæum*, & Epiphan. *hæresi* 51. Sed lege præscriptum erat tempus celebrandi Pascha, vt constat *Exodi* 12. nec licebat immutare illud priuata authoritate, vt dicitur *Numer.* 9. vbi exterminium indicitur non celebranti Phase, tempore præscripto: Quare neque licebat illud postponere; sed neque anticipare, vt putat Euthymius.

92 Obiiciunt secundò Græci: Figura debet respondere figurato: Sed agni immolatio fuit figura Christi occisi: Ergo debuit esse eodem die; sed Agnus immolabatur per vos die quartadecima: Ergo ea die Christus est occisus: Ergo die tertiadecima cœnauit.

93 Respondet D. Bonauentura primò *in corpore*, immolationem agni, coniunctam cum manducatione, fuisse figuram non minus Christi occisi, & oblati in Cruce, quàm in sanctissima Eucharistia, vt docent SS. PP. Cyprianus *serm. de Cœna Domini*, & *lib. de vnitate Ecclesiæ*, Leo Papa *serm.* 7. *de Pass.* Gregorius *homil.* 22. *in Euangelia*, & alij, quos referam *tom.* 2. agendo de figuris Eucharistiæ: Cùm ergo sacrificium agni fuerit figura vtriusque sacrificij cruenti, & incruenti, debuit offerri potius eo tempore, quo offerebatur in Eucharistia; sic enim, & edebatur cum pane Azymo, offerebatur in memoriam transitus Angeli, ità & hic in memoriam transitus Christi: Alias similitudines vide in PP. præcipuè Gregorio.

Ideò Gregorius Nazianzenus *oratione* 2. *de Paschate* dicit, imperasse Deum, vt Agnus quartadecimâ Lunâ immolaretur, quia tunc Christus daturus erat suis discipulis corpus, & sanguinem: Chrysostomus verò *homil. de proditione Iudæ*, & *homil.* 83. *in Matth.* dicit, Christum Luna quartadecima dedisse discipulis Eucharistiam, vt figuram Agni Paschalis impleret.

Adde ex Ambrosio *epistola* 83. & Cypriano *epistola* 63. Per Agnum, ad Vesperam immolatum, figuratum fuisse Christum immolandum ad Vesperam mundi: Sic respondet etiam Suarez.

Respondet S. Bonauentura secundò *ad argumenta*, 94
rectè immolationem Agni factam esse Luna quartadecima; & statim post cœnâ incepit immolatio Christi in agonia, comprehensione, & cæteris cruciatibus, & mortuus est ante finem secundæ Vesperæ, ideoque adhuc durabat solemnitas, vt notat etiam Vulpes.

Obiiciunt tertiò: Ioan. 13. dicitur: *Non introierunt Iudæi in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha:* Hoc autem dixère die passionis: Ergo adhuc non erat Agnus immolatus: Et infra, cap. 19. dicitur: *Erat autem Parasceue Paschæ*, idest, præparatio ad Pascha: Ita videntur exponere hunc locum Augustinus *tract.* 117. *in Ioan.* & *lib.* 3. *de consensu Euangelist.* *cap.* 13. Beda, & Glossa ord. *ad* 19. *Ioan.* Anselm. Matth. 27. *Altera autem die, quæ est post Parasceuen.* Confirmatur: Si erat dies parasceue: Ergo non erat dies festus, vt supra arguistis pro die.

Respondent aliqui, hos accusatores Christi 95
non iutroisse Prætorium, vt manducarent Pascha, idest, Aguum, quod distulerant, vt morti Christi attenderent ex prauo zelo, existimantes se maius obsequium præstare Deo: Ita Chrysostomus *homilia* 82. & 85. *in Matthæum*, quem sequitur Theophylactus.

Eadem videtur sententia Cyrilli Alexandrini suprà; quam etiam ex Eusebio Emisseno adducit D. Thomas *in catena*, *Lucæ* 22. & videtur sensus Leonis Papæ *serm.* 7. *de Passione*, quod videtur sumpsisse ex Hieronymo *Matth.* 26. circa illud: *Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, &c.*

Respondet secundò D. Bonauentura *ad* 2 cum 96
D. Thom. *quæst.* 46. *art.* 9. *ad* 1. & *in Catena*, vbi refert Alcuinum, eique fauent Augustin. *tract.* 114. *in Ioan.* Chrysostomus *homil.* 82. *in Ioan.* Theophylact. *Ioan.* 18. eamque sequitur Innocentius *de mysterio Missæ*, *cap.* 4. Scotus, & Vulpes suprà, nomine *Pascha*, non intelligi agnum, sed azymos panes.

Tostatus *capite* 8. *Defensorij*, & Suarez *loco citato*, duo opponunt huic responsioni, alterum, quia non inuoeuitur, panes azymos interdum vocari Pascha.

Respondetur tamen cum S. Bonauentura 97
ad 22 *Lucæ*, non azymos panes simpliciter, sed diem festum, in quo edebantur panes azymi, vocari diem Paschæ, Lucæ 22. *Appropinquabat dies Azymorum, qui dicitur Pascha.* Ioan. 13. *Ante diem festum Paschæ*, vt ipse Suarez confessus est *locis* suprà *citatis*. Deinde (vt ipse hic fatetur) totum tempus Paschale dicebatur, quo edebantur azymi; nam Pascha sæpè tempus significat, sæpè agnum; non nunquam etiam esum agni.

Obiiciunt tertiò; panes azymi non requirebant aliquam munditiam.

Respondetur cum S. Doctore *fundamento* 3. 98
panes azymos fuisse figuras puritatis, & synceritatis sacrificij Eucharistiæ, & Crucis, vt innuit Apostolus 1. *Corinth.* 5. ideò puritatem exigebant, & ita inter sacios cibos numerantur à Iosepho *lib.* 3. *antiquitat.* *cap.* 10. Philone *libro de vita contemplatiua* prope finem: Sic etiam panes propositionis requirebant munditiam, licèt non haberetur expressè in Scriptura, vt dicitur 1. *Reg.* *cap.* 21.

Respondet Suarez ad argumentum, nomine Paschæ intelligi, non agnum Paschalem, sed alia animalia,

animalia, quæ diebus azymorum immolabantur, maximè primo, & vltimo.

99 Qvod enim offerrentur alia animalia, patet *Numer.* 28. *Deuter.* 16. *secundo Paralip.* 30. *&* 35. & ex Iosepho *lib.* 3. *Antiquit. cap.* 10. & *lib.* 17. *cap.* 11. Quòd verò illæ victimæ interdum Paschæ nomine intelligantur, tradit Augustin. *lib. qq. in Deuter. c.* 24. & habetur *Deuter.* 16. & 2. *Paralip.* 35. Denique quod huiusmodi victimæ Paschales tantùm à mundis legitimè possent manducari, generaliter colligitur ex *Leuitic.* 6. 7. *&* 22. et *Numer.* 18. *Deuteronom.* 22. Hanc expositionem attigit Abulensis *prima parte sui Defensorij*, eamque Recentiores sequuntur.

100 Seraphicvs verò ad eum locum Ioannis omnia complectens, sic exponit ex D. August. *tract.* 114. *in Ioannem*, Iudæos noluisse ingredi Prætorium, quia dies azymi inceperant, & erat immunditia ingredi domus alienigenarum, quod intelligi debet etiam ratione azymorum panum, & ratione hostiarum, quæ tunc temporis offerebantur.

101 Qvoad alterum testimonium de Parasceue Paschæ, respondet D. Bonauentura *ad eum locum Ioan* 19. Suarez, Hilarius, & alij, non vocari ibi Parasceue Paschæ, idest ad pascha, sed parasceuen subiectiuum Paschæ, idest, quæ fiebat in Pascha ad Sabbatum: Ideò Marcus *cap.* 15. ait: *Erat parasceue ante Sabbatum.* Erat enim feria sexta præparatio ad Sabbatum, quia licet in aliis Festis liceret præparare necessaria ad victum, non tamen in Sabbato, vt colligitur *Exodi* 16. Ideò Lucas cap. 23. ait: *Erat Parasceue, & Sabbatum illucescebat*, & subdit, mulieres parasse aromata, quæ facere licebat in die Parasceues, non in Sabbato: Ideò subdit, & Sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum. Quæ latè prosequitur S. Bonauentura ad hunc locum Lucæ: Ex quo patet, mulieres ob Sabbatum quieuisse, non ob azymorum Festum.

102 Qvoad D. Augustinum, videtur quidem Parasceuen sensu mystico interpretari de parasceue ad immolationem Christi, quæ facta est ante eius mortem, tunc enim commentatur Euangelium viuentis Christi, & ideò nihil contra nos: Hanc interpretationem S. Doctor innuit *ad* 2. vbi Pascha intelligit Christum, de quo Apostolus 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus:* Idem sentit forsan & Beda cum Glossa.

103 Vnvm dubium remanet circa D. Augustinum *tract.* 120. *in Ioan.* vbi exponens id: *Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat, posuerunt Iesum.* Sic loquitur: *Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne aduesperasceret, quando iam propter parasceuen, quam cœnam puram Dei, Latinè vsitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.*

Hæc verba referens D. Bonauentura, omittit ea de cœna pura. At hæc non est cœna Agni, sed cœna parasceue, vt innuit etiam Irenæus *lib.* 1. *contra hæreses, cap.* 10. Tertull. *lib.* 5. *cont. Marcionem, cap.* 4. dicit, fuisse quasdam Hebræorum obseruantias festiuas: Vide Suarez *loco citato.*

Obiicivnt quartò: Hebr. 26. *Matth.* dicebant: *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo:* Ergo Christus non est mortuus die festo.

104 Respondet S. Bonauentura *ad.* 3. eos locutos de die illo Magno Sabbati, in quo maxima erat solemnitas, dum concurreret cum festo Azymorum, & magni erant concursus. Quomodocumque autem voluerunt euitare festum, sanè id faciebant, non zelo religionis, sed timentes ne à populo liberaretur, & ideò *Marci* 14. dicunt: *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*; attamen in die festo azymorum eum occiderunt, cum intempestæ iam noctis silentio eum in suam potestatem rapuissent: Vocabant verò tumultum eum, qui fuisset iusta commotio.

Stet igitur inconcussum, cœnasse Christum quartadecima die primi mensis Lunaris ad vesperam, quod etiam roborat S. Doctor *ad vltimum*, ex vniuersali Ecclesiæ Latinæ præcepto, stabilito ab Eugenio IV. in Concilio Florentino, consecrandi in pane azymo; licèt etiam Græcis imponat ad bonum pacis consecrare suo ritu in fermentato. 105

Ex his omnibus deduco, Iudæos eo anno celebrasse Pascha suo tempore in sententia D. Bonauentura, quæ ab eo etiam innuitur ad id Ioan. 19. *Ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, vbi per Pascha intelligit dies azymorum.

Probatvr à S. Doctore *ad* 23. *Lucæ* primò ex illis verbis: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Vnde arguit: Si tunc necesse erat occidi Pascha: ergo erat obseruatum, & in consuetudine; & ideò non erat aliqua consuetudo in contrarium, vt configunt aliqui, apud Suarez *disp.* 4. *sect.* 4. vbi hoc argumento D. Bonauenturæ vtitur. 106

Deinde id probat ex Matth. 26. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, & Marci 14. *Quando Pascha immolabant primâ die Azymorum.*

Idem sentiunt PP. & quidem Græci, qui volunt, Christum cœnasse Luna tertiadecima, vt Iudæorum Pascha præueniret; manifestè supponunt, solitos esse Iudæos celebrare Pascha Luna quintadecimâ. Deinde Patres Græci, & Latini nullam distinctionem ponunt inter tempus à lege præscriptum; & inter tempus à Christo, & Iudæis obseruatum; Id videre est in suprà allegatis: Quod supponit etiam D. Clemens *lib.* 5. *constit. cap.* 13. *&* 16. Beda *lib. de ratione temporum, cap.* 57. *&* 59. Ansel. *lib. de imagine mundi, cap.* 47.

Collige secundò, Christum Dominum mortuum die quintadecima, quæ est festum azymorum; nam occisus est die proximè sequenti cœnam agni; sed dies ille sequens erat festum azymorum: Ergo. Neque dicat Rupertus, ita debuisse esse; sed Iudæos transtulisse solemnitatem; nam hoc est gratis confictum. 107

Confirmatvr à S. Doctore *ad* 19. *Ioan.* ex illis verbis: *Nobis non licet interficere quemquam*, hoc autem recusabant ob solemnitatem, vt exponunt Cyrillus *lib.* 12. *cap* 6. August. *tract.* 114. Chrysost. *homil.* 82. *in Ioan. &* 86. *in Matth.* Beda *Ioan.* 18. D. Thom. *quæst.* 46. *art.* 4.

Confirmatvr à D. Bonauentura secundò ad illud Lucæ 23. *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum.* Hoc autem erat ex consuetudine in die festo Paschæ, in memoriam liberationis populi ex Ægypto: Quare hoc non poterit esse in priuilegio Paschæ, quod amplius confirmat S. Doctor ex illo Ioan. 18. *Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha*, quam consuetudinem ex Glossa confirmat, vt suprà *ad* 18. *Ioan.* ad ea verba: Et idem sentiunt PP. omnes, vt videre est in Hieronymo, Chrysostomo, & aliis Græcis, & Latinis. 108

Qvod verò in die solemni Paschæ mortuus sit, asseritur à Tertulliano *libro contra Iudæos, cap.* 9. Eusebio *lib.* 10. *demonstr.* 6. Cyrillo Hierosolymitano *cat.* 13. Origene *homilia* 23. *in Numer.* Clemente *lib.* 5. *constit. cap.* 14. aliàs 16. August. *tract.* 50. *in Ioan.* 109

Ioan. vt refert S. Bonauentura *ad 11. Ioan.* in fine, vbi D.Augustini verba sunt: *Cruentum Pascha sanguine Domini voluerunt Iudai habere*, Leone Papa *serm 7. de Passione*, quos allegat Suarez.

110 TANOSM iam probaui: *Ante diem festum Pascha*, Ioan. 13. cœnasse Christum Pascha, & die sequenti mortuum esse: Ergo in die festo Paschæ: Loquitur enim D. Ioannes de diebus non Iudaïco modo à vespera ad Vesperam; sed exprimit naturalem diem. Nec id habetur mirum: Sic enim etiam alij tres Euangelistæ aliquando dies hic accipiunt, vt Matthæus *cap.* 28. Marcus *cap.* 15. Lucas *cap.* 23. vt notat Baronius *anno* 34. & Nazarius *loco citato*.

QVÆSTIO V.

De vltima Hebdomada vita CHRISTI *Domini.*

111 PASSIONEM Christi exordiuntur Matthæus *cap.* 26. & Marcus *cap.* 14. à biduo ante passionem, quo Principes conspirarunt ad Christi necem; tunc autem Iudam scribunt venditorem accessisse, occasionem nactum ex quadam cœna, in qua Magdalena balsamum in eius obsequium effuderat: Eodem ferè modo & Lucas *cap.* 22. At Ioannes refert, ante sex dies Paschæ factam cœnam quandam, qua Magdalena vnguentum absumpsit pretiosum: Hinc oritur quæstio; an fuerit eadem, vel diuersa Magdalena.

112 PRIMA opinio est, esse duas: Ita Origenes *tractat.* 35. *in Matth.* Chrysostomus *homilia* 81. *in Matth.* Euthymius *in cap.* 61. *Matth.* Baronius *anno* 32. & 34.

AT D.Bonauentura *ad Ioan.* 12. vult, esse vnam, & eandem omnino, quod probat ex D.Augustino *lib.* 2. *de consensu Euangelistarum, cap* 68. & Chrysostomo *homil.* 64. *in Ioan.* vbi eam tandem videtur approbare, nitens concordare Matthæum Ioanni: Eandem sequitur Hieronymus *Matth.* 26. & ibi Anselmus, & Rupertus *lib.* 10. *in Ioan.* Iansenius, Caietanus, Toletus, & Maldonatus *ad* 26. *Matth.* vbi adducit Ambrosium *lib.* 7. *in Lucam*, Bedam *ad* 26. *Matthai.* Idem censet Suarez *disp.* 34. *sect.* 5.

113 PROBATVR secundò à S.Doctore è circumstantiis, ex eodem loco Bethaniæ, eodem vnguenti genere nardo, ex eadem Iudæ numeratione, ex eadem defensione Christi: Quis enim credat, si quatuor ante dies solùm correptus fuit Iudas, rediisse ad idē? Idem argumentum assumunt Suarez, & Maldonatus.

OBIICIVNT, quia cœna, descripta à Matthæo, fuit biduo ante Pascha: illa verò Ioannis ante sex dies Paschæ. Deinde hæc in domo Marthæ fuit; nam ibi erat Lazarus, & Maria; Martha verò ministrabat, & non est credibile, ministrasse in domo aliena. Tertiò Matthæus dixit, fœminam illam vnxisse caput Iesu: Ioannes verò pedes. Tandem apud Matthæum discipuli indignantur; apud Ioannem verò solus Iudas.

114 RESPONDET D.Bonauentura, quem sequuntur alij, cœnam illam factam sex dies ante Pascha, sed narratam à Matthæo, & Marco; non quidem asserendo factam biduo ante Pascha tantùm, sed postquam narrarunt dictum Christi biduum superesse ad Pascha, referunt cœnam illam iam ante factam, vt inde occasionem arreptam proditionis Iudæ recenserent, quam die Mercurij compleuit, abiens, & vendens Christum: Itaque recapitulando, historiam illius cœnæ, omissam tempore debito, hic enarrant.

QVOAD domum, eadem fuit, si credis Theophy- 115
lacto *in Matth.* & Nicephoro *lib.* 1. *hist. c.* 57. qui dicunt, Simonem illum fuisse patrem Marthæ, & Lazari, ac Mariæ: Chrysost. verò *homil.* 64. *in Ioan.* refert, multos sensisse, cœnam quam narrat Ioannes, non fuisse factam in domo Lazari; potuit enim Martha, vel ob familiaritatem, vel ob cognationem in domo Simonis ministrare.

QVOD verò vnxerit caput, vel pedes, parum refert; nam vt notat S.Bonauentura, non omnia à singulis Euangelistis dicta sunt; Potuit esse, vt Ioannes ad exaltandam Magdalenæ charitatem, & ostendendam eius profusam in Christo beneficentiam, scripserit vnxisse caput, quod insolitum erat; cæteri verò, qui hoc factum solum referebant ad Iudæ auaritiam, & proditionem referendam, parum curauerunt de vnctione capitis dicenda, sed solùm ordinariam pedum retulerunt: Potuit etiam esse, vt omnes indignati sint, non tamen eâ malitiâ, qua Iudas, quam exaggeret Ioannes, vt ait S.Doctor, & alij postea.

DEINDE considerandum est Iudæ facinus, qui 116
triginta argēteis vendidit Christum: Existimat verò S.Bonauentura *ad* 22. *Luca*, vnumquemque horum argenteorum valuisse decem denarios, seu argenteos ex nostris, atque adeò vendidisse Christum trecentis illis denariis, quibus vnguentum obmurmuratum vendi poterat: Cum S. Doctore est Lyranus *Matth.* 26. vbi ait, tanti solitos penderi denarios illos.

HÆC tamen, ait Suarez *disp.* 34. *sect.* 1. dicta esse absque fundamento.

OBSERVANDVM proptereà primò, aliquos dena- 117
rios argenteos Romæ, & Parisiis extare caeusos ex vna parte facie hominis, & altera flore, qui creduntur esse ex illis Iudæ; & si triginta ex eis sumantur, valere possunt septem florenos, vt ait Baron. *in additione ad annum* 34. quæ est in fine tomi primi Annalium: Attamen non est credibile, triginta tantùm ex illis monetis datas Iudæ; sed tot, quot ad triginta argenteos more Iudæo sunt necessarij: Sic enim inter nos multæ argenteæ monetæ requiruntur ad vnum argenteum perficiendum, vt multi Iulij, multi Pauli, multæ Iustinæ, &c. oportet igitur accipere argenteum, sicuti hic sumitur à Matthæo.

OBSERVA secundò ex D.Bonauentura *loco citato*, respiciendum esse ad Prophetiam *Zacharia* 11. quæ hoc pretium indixit: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.*

OBSERVAT autem ex Rabbi Helia Leuita *in* 118
libro Tisbi, Baronius, hanc vocem *Argenteus* in Pentateuco significare siclum vnum, & dici *Selagh*, in Prophetis dici *Limin libram*: & in Agiographis *Canterim*, quod dicitur Cantarium, vel talentum: Hoc tamen non Inuenio, quia *Genes.* 20. vox *argenteus*, vbi vulgata habet mille argenteos, est אלף כסף *eleph chesepb*, eodem modo scribitur *Genes.* 38. vbi de pretio venditi Ioseph, quod fuit viginti argenteorum, & *Genes.* 45. vbi dicitur dedisse Benjamin trecentos argenteos; mutatur autem solum numerus.

RVRSVS si Libros Prophetarum percurras, qui 119
Incipiunt à libro Iosue, & continent libros Iudicum, Ruth, Samuel, idest, Regum primum, & secundum Prætetea *Melachim*, idest, Regum tertium, & quartum, Isaïam, Hieremiam, Exechielem, & duodecim

R 2 Prophe

Prophetas, inuenio *Iud.16.* quinque argenteos eodem modo scribi: Idem habetur *cap.17. 2. & 1.Reg. 2.35.* Quid moror? *Zach.11.* vbi habetur vaticinium: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos,* habetur כסף Omitto Agiographos, qui ad rem non sunt: Itaque male Baronius deducit, hos argenteos fuisse triginta libras argenti.

Qvare nec video, qua ratione Arias in Dictionario Syrochaldaïco, verbo *Chesepb* eam distinctionem ex aliis Rabbinis allatam, approbet: In Hebraïco vero Compendio scribat, vt nos.

120 Observanovm præterea, Matthæum *cap.27.* allegasse vaticinium Hieremiæ circa emptionem agri figuli: *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, & emerunt ex eis agrum figuli.*

121 Circa hunc locum insudant expositores, è quibus Maldonatus *ad 27. Matth.* Baronius *loco citato,* & cæteris confutatis, qui dixêre, vel hoc testimonium haberi in libris Hieremiæ, qui amissi sunt, vel in Apocryphis, vel Euangelistam memoriæ lapsu scripsisse Hieremiam pro Zacharia. Vel Zachariam binomium faciunt: Vel in Hieremia id habuisse non scriptum, sed traditione: Tandem astruunt, Euangelistam ex more nullius Prophetæ nomen expressisse; aliquem verò deceptum *cap.32. Hieremiæ,* vbi emptio agri recensetur, apposuisse ad marginem Hieremiam, & postea Typographorum incuria irrepsisse in vaticinium: Idem innuit Lyra *ad 27. Matthæi.*

122 Profectò durum videtur, magisque mihi probabilis est sententia, iure nominari Hieremiam circa emptionem agri; nam etiam in editione emendata Pij V. & Clementis VIII. adhuc retinetur, & à temporibus D. Augustini erat in pluribus codicibus, vt ipse fatetur *lib. 3. de consensu Euangel. cap. 7.* Pretium autem illius agri vigintiseptem, & semis libras argenteas, vt notat Baronius, continet.

123 Eqvidem non est credibile, agrum integrum emptum triginta argenteis, idest siclis, vt aliqui volunt, maximè in suburbiis Hierusalem, quæ erant amæna, atque preziosa, vt colligi potest ex immensa multitudine habitantium; nam totius Palestinæ fines ponuntur à Plinio *lib.5.cap.3.* 180000. passuum tantùm à confinio Arabiæ ad Phœnicem: Itaque summam conspicuam reddebant triginta argentei Iudæ, vt ex eis emeretur ager profectò magnus in sepulturam peregrinorum, quibus Iudæa abundabat; eò autem magis, quò emptio fiebat non vsque ad annum tantùm Iubilæum, sed perpetua pro sepulturis: Emptus est autem solo illo pretio, vt dicitur Actorum primo: *Possedit agrum de mercede iniquitatis.* Incertum quidem est, vt fatetur Suarez, quanti valeret argenteus quisque ex illis, cum variæ monetæ argentei dicerentur: Quod si vel siclum, vel dimidiam partem tantùm valeret, non poterat sufficere ad amplum agrum emendum suburbanum: Itaque sine fundamento Suarez ipse suam ponit opinionem; non minus, quàm D. Bonauenturæ ab eo censeatur positio.

124 Aliam difficultatem ingerit alia figura huius venditionis, quæ fuit venditio Ioseph, quæ viginti argenteis dicitur acta.

D. Bonaventvra refert legi secundùm litteram consuetam triginta denariis. Hoc sane in multis codicibus vulgatæ editionis reperitur, vt fatetur Suarez *loco citato,* licèt emendatiores habeant viginti, quod Seraphicus optimè nouerat.

Qvoad causas huius venditionis, assignantur à S. Bonauentura *loco citato,* quem sequitur Suarez. Primò quidem ex parte Patris permissum est, vt dicitur Roman. 8. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ex sua benignitate in nos, permittens tale genus iniuriæ pati, nempè sæuissimam proditionem, qua venditus est inimicis ad macellum, nedum ad iugulum: Hæc sanè grauissima fuit.

Qvoad Iudæos, tabida cupiditas eos mouit ad Christum emendum, vt eum dolo tenerent, & occiderent; nè, si publicè caperent, vim à populo experirentur. 125

Qvoad Iudam, tradidit eum ex auaritia; erat enim fur, vt dicitur *Ioan.12.* & voluit, tres centos argenteos consumptos in obsequium Christi, sanguine eius conquirere.

Ex his habes, peiores Iuda hæreticos Caïanos dixisse, Iudam rectè tradidisse Christum: Adducunt autem id Ioan. 13. *Quod facis, fac citius,* 126
quasi Christus impulerit eum; sed Christus non suasit; non impulit, sed permisit, exprobrauit, vt notat D. Bonauentura, fuit enim à diabolo agitatus, vt ibi dicitur: *Post bucellam introiuit in eum Sathanas,* quamvis enim iam esset diaboli ergastulus, tamen posteà in eum pacificè possessor intrauit: Ita S. Bonauentura. Hic agendum esset de Cœna pretiosissima, & Institutione sanctissimæ Eucharistiæ, sed de hac agetur, *tomo vltimo.*

QVÆSTIO VI.

Quis, & qualis fuerit sudor CHRISTI *sanguineus in Horto.*

Oravit Christus Dominus in horto, vt dixi 127
disp. 23. quæst. 3. ab Angelo visitatus; & an confortatus, dixi *disput.14. quæst.7.* Tristitiam maximam passus, vt innui *disput.17.quæst.7.* Remanet solum contemplandus sudor ille horribilis, de quo Lucæ 22. *Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

Hæc verba in multis codicibus Græcis, & Latinis desiderantur, vt notat Hilarius *lib. 5. de Trinit.* & aliqui PP. dicunt, ea per hyperbolen dici, vt Theophylactus *ibi,* & Euthym. *cap.64. in Matth.* qui id inde eruit, quia non dicitur sudasse sanguinem, sed *Quasi guttas sanguinis.*

Enim verò textus ille Canonicus est, præsertim post Concilium Trident. *sess.4.* vbi decernit, Libros Scripturæ integros esse suscipiendos cum omnibus partibus, prout in Vulgata editione habentur: Hæc igitur verba, cùm sint historica, debent propriè teneri: Ita S. Doctor ad eum locum, & *in Meditationibus vitæ Christi, cap.75.* & *in Ligno vitæ, §. Iesus orans prostratus.*

Hanc sententiam à sæculo Apostolorum tenuit 128
Ecclesia, vt refert Iustinus *Dialogo cum Triphone,* Irenæus *lib.4. contra hæreses, cap.32.* & *lib.4. cap.69.* Epiphanius *in Ancorato,* Athanasio *lib.6. ad Theophylact.* vbi anathema dicit in eos, qui negant, Christum verum sanguinem sudasse, Hilar. *loco cit.* & Hieron. *in Pelag. lib.2.* August. *lib. 3. de consensu Euang. c.4.* Ammonius Alexandr. *in harmonia Euang.* Beda *in Lucam,* Bernard. *serm.3. in Dominica Palm.* Particula verò *quasi* indicat mixtum forsan etiam sudorem aqueum.

NOTA, S. Doctorem *serm.2. in Parasceue* dicere
129 ex D. Augustino, Christum emisisse globos sanguinis, quod indicat *lib.3. de consensu Euang. cap.4.* & *lib. sententiarum, sent.* 68. clarius id ait Irenæus *lib.4. contra hæreses. cap.32. & 69.*

CAVSAM tristitiæ & agoniæ ad sudorem sanguinis, impiè Calvinus *Instit. lib.2. cap.16. §.12.* e salutis dubio ortam dixit, vt refert Bouet. *Exam.* 2, *Atheismo.* 18.

130 CERTVS erat Christus de sua salute, vt ipse testatur Ioan. 14. *Vado parare vobis locum*, & toto eo sermone: *Amodo videbitis Filium hominis sedentem, &c.* Matth. 26. cùm 25. *cap.* se Iudicem declarasset.

PORRÒ naturâ horrescente, è morte instante adeò fera, trementem sensum cruore manasse, aiunt Irenæus *lib.3. cap.32.* Athanas. *lib.6. de beatit. Filij.* Epiphan. *Anchor.* Cyrill. *lib.2. in Ioan. cap.8* Theodoret. *dial.* 3. Euthym. *pag.2. Panopl. tit.2.* Theophylact. *ad cap.22.* Eucher. *Domin. infra oct. Nat.* Cassiod *Psal.9.* Sexta Synod. *art.9.* Ipse Dominus è magnanimitate eum affectum excitasse docent cum istis Chrysost. *serm. de Trinit.* S. Titus *ibi*, & vt veritatem mortalis naturæ assumptæ probaret: Sic Irenæus *lib.3. cap.32.* Eos imitantur D. Bonauentura *in Ligno vitæ*, Caiet. *ad* 22. *Lucæ*, Ians. *cap.137 concord.* Suarez *disp.32. sect.3.*

131 HINC arguit S. Doctor *ad* 22. *Lucæ*, illum sudorē non miraculo, sed naturâ esse emissum; alioqui naturæ patientis non fuisset argumentum: Miraculo cū adscribe cum Scoto, & Vulpe, quatenus vis animæ gloriosæ impedire noluit angores: Sic & S. Bonau. *ll. cc.* Cæterum posse naturaliter sanguinem exsudare docet Aristotel. *lib.7. de histor. animal. cap.16.* & *lib.3. de part. cap.5.* & hoc euenisse Parisiis viro, auditâ capitali sententiâ, refert Maldonatus, *ad* 26. *Matthæi.*

NON soli autem apprehensioni mortis id adscribit S. Thomas, vt gannit Vulpes.

132 ADVARTA autem, Timorem, & Tristitiam condensare humores, infrigidare spiritus, & constipare sanguinem, atque adeò non posse esse causam directam huius expulsionis sanguinis ad partes exteriores; hoc enim solùm per antiperistasim efficere potest per accidens indirectè: Itaque causa fuit victoris animi in agone, eligentis generosè mortem ex amore Dei, & proximi pro Ecclesia, pro qua semetipsum obtulit, vt docet D. Bonauentura *ad* 22. *Lucæ*: Et *in Ligno vitæ*. Sic igitur timore condensato ex fuga ad partes vitales sanguine Christi,
133 amor, & generosa voluntas accendit cor, & expulit timorem, & sanguinem ad exteriora: Atque hic fuit actus Concupiscibilis. Similiter etiam Irascibilis videns diuinas offensas infensissimas ad Dei contemptum, & sui exterminium, suorum discipulorum inertiam, Petri negationem, Iudæ perfidiam, Iudæorum ingratissimum genus, Gentilium cæcitatem, ouium suarum dissipationem, accensa dilatauit poros, & sanguinem rarefactum propulit: Ita innuit S. Doctor *loco citato*, *Ligno vitæ*, & *in Meditationibus, loco citato*, quem sequuntur Scotus *dist.15.* apud Vulpem *loco citato, art.6. & 7.* vbi de hoc latè, & alij, apud Bouet. *Exam.* 1. *Atheis.* 18. cum D. Thom. *quæst.46. art.6.*

134 QVARE meritò reprehendit Suarezium dicentē, metum, & tristitiam, si corpus inflammet, vim habere attenuandi sanguinem, & aperiendi poros, ac illū emittendi: Nam motus timoris, & tristitiæ vehementissimus, vehementissimè condensat humores, constipat sanguinem, frigefactis vitalibus, ad differentiam Irascibilis, quod probatur: Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter; ita magis ad magis. At timor simpliciter infrigidat, condensat sanguinem, & ad cor refrigerandum ducit: Ergo.

ADDIT Suarez, Christum timuisse quidem, sed 135
deliberata voluntate mortem tandem acceptasse in agone pugnando: Ex hoc igitur actu fortitudinis, & audaciæ magis, quam ex timore illa corporis alteratio, & sanguinis emissio prouenire potuit. Quod satis Lucas declarauit: *Et factus in agonia, prolixius orabat*, idest, in agone veluti currens, & certans generosè, vt exponit etiam S. Doctor: *Et factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis, &c.*

HANC vocat Vulpes responsionem inanem, quia, si voluntariè mortem amplectabatur, quomodo poterat morte tristari, & in agoniam venire?

AT inanior est hæc obiectio, nam timor pugna- 136
nit, & voluntas efficacior, armata zelo, & amore nostræ salutis, ex aduerso in agone stetit, & timorem vicit, ac sic eum sanguinem cum timore ad cor redactum fugauit. Porrò iam Christus dixerat: *Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma.*

QVÆSTIO VII.

De CHRISTI *comprehensione.*

PRIMÒ quidem occurrit Iudæ osculum prodito- 137
rium: Circa quod dico cum D. Bonauentura *ad* 22. *Lucæ*, Iudam, qui erat Dux satellitum, primò agnouisse Christum, & osculo insiao audisse: *Amice, &c.* Ita etiam D. Augustinus *lib. 3. de consensu Euang. cap.5.* & Ammonius *in harmonia*: Itaque cùm Christus locutus est: *Quem quæritis?* Iam à Iuda fuerat agnitus, quod videtur negare Cyrillus *lib.11. in Ioan. cap.33.* & Chrysostomus *homil.* 82. *Ioan.* Hæc fuit magna Iudæ peruersitas, quam S. Bonauentura ibi exaggerat cum D Hieronymō, Chrysost. *de proditione Iudæ*, & Leone Papa *serm. de Passione Domini.*

SECVNDÒ occurrit vilis discipulorum fuga, vbi 138
primùm S. Doctor ex D. Chrysostomo *homil.* 82. *in Ioan.* tria miracula considerat *ad c.* 18. *Ioan.* Alterum, quia inimicos prostrauit solo verbo: *Ego sum*, quod terribile quidem considerat, quasi diceret: *Ego sum qui sum*, æternus scilicet, Deus, &c. Deinde quia saluauit discipulos, ne caperentur, maximè Petrum, qui vulnere inflicto militi, irritauerat cohortem militum, & alios: Tertium, quia sanauit Malchum, reddens ei aurem.

CIRCA percussionem Petri quæri potest: An percutiendo peccauerit.

SVAREZ *disp.34. sect.3.* existimat, Petrum pec-
cassé, adducitque D. August. *lib.22. cont. Faust. c.70.* 139

AT D. Bonauentura *ad* 22. *Lucæ* negat peccasse, & cum Glossa, quæ est D. Ambrosij ibi comparat cum facto Phinees, & *ad cap.18. Ioan.* ex Chrysostomo *homil.82. in Ioan. & 85. in Matth.* factum spiritus feruentis amori adscribit: Idem habet Hieronymus *ad* 26. *Matth.* & August. *libro de Agone Christiano, cap.* 2-. Rationem reddit solidam ex Chrysostomo: Licitum enim erat defendere innocentem *Eccl.4. Prov.44.* Addit D. Cyrillus *lib.11. in Ioan. c.32.* licuisse Petro ferre gladium ad sui defensionem, eumque licitè adhibuisse, licèt Christus motum istum, quamvis secundùm legem fuerit, repressérit, quasi longe à perfecta virtute cōstitutum. Vbi S. Bonauentura idem asserit, adducens reprehēsionem

Christi : *Conuerte gladium tuum in vaginam ; omnes enim, qui acceperint gladium , gladio peribunt* , idest, iure digni sunt, vt pereant ; licet non pereant semper de facto , & hac ratione factum Petri meritò
140 reprehensum fatetur ingenuè S. Doctor , quia zelus non fuit omnino perfectus ; non quia Christus volebat mori , neque quia non fortiter ; sed temerè vnico gladiulo opponebat se cohorti exercitus armati, vt putat Suarez, quia ipse ex alio capite virtute Christi nitebatur, qui præceperat : *Qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium*, & ideò prudenter cogitauit, adhibendum ad defensionem, eamque virtute Christi posse sufficere, sicut cùm laxauit rete, & pisces miraculosè cepit: & cùm Ionathas cum armigero exercitum Philistinorum fugauit : Imò ipse
141 Christus dicentibus Apostolis : *Ecce duo gladij*, respondit : *Sufficit*. Quæ cum ita sint, in horto Petrus cogitauit prudenter posse resistere, putans, non esse hoc sero, vel hoc modo impediendam Christi mortem : Ideò potuit Christo corrigenti respondere : Cur emere iubes gladium , qui me ferire prohibes ? vt notat D.Bonauentura ibi cum D.Ambrosio *in cap.22.Luca*. Itaque non propria authoritate sauciauit, sed authoritate Christi.

142 Neqve Augustinus contra stat , sed solùm ait non licere ferire propria authoritate , & Christum non iussisse discipulos ferire , sed gladium ferre : At satis cum Ambrosio respondit S. Bonauentura. Si gladium tam carò emendum ad hoc opus iam præceperat, vendita tunica : Ergo volebat adhiberi; emitur enim gladius non inutile ornamentum , sed militare ferum instrumentum , vt ait Tassus : Ideò ipse D.Augustinus , *in quæstionibus noui , & veteris Testamenti , quæstione* 104. ait , non iniustè percussisse Petrum, quia ipso Domino permittente percussit, sicut in Luca significatur : Ex quo D. Bonauentura eruit suæ assertionis argumentum.

Addit D.Augustinus , non reprehendisse factum primi vulneris , & ideò non dixisse : *Omnis, qui accipit* , sed nè vlterius feriret , & ideò dixisse : *Qui acceperit gladium, peribit*.

143 Præclara verò Mysteria huius facti prosequitur egregiè S.Doctor ibi : ideò Ambrosius dicit, factum illud esse patratum ex dono Spiritus sancti: Ideò tandem Suarez probabile fatetur , Petrum non peccasse.

Neqve S.Augustinus, adductus à Suarez, oppositum astruit , dum hoc factum comparat cum facto Moysis occidentis Ægyptium , & ait : *Vterque emendabili animositate iustitiæ regulam excessit*.

144 Respondetvr enim ex dictis , non ob id asserere, eum peccasse , sed tantùm ex zelo , & fortitudine id fecisse , & excessisse regulas , non tamen culpabiliter , cùm satis prudenter operatus sit.

Addit Paciuchellus *lib.* 2. *discursu* 15. Malchū etiam in anima esse sanatum, quia Christus sic solebat , vt ait D. Thom. 3.*parte* , *quæst*.44. *art*.3. At *discursu* 17.refert, damnatum esse ex Baron. *Anno* 513. *n*.19. Verùm quis hæc certò nouerit ?

QVÆSTIO VIII.

De tractione CHRISTI *ad Pontifices.*

145 Primò quidem ductum esse Iesum ad Annum , certum est : Quod verò primum ad Caïpham ductus legitur in D. Clemente *lib.* 5. *constit.c.* 10. apocryphum est ; Ioannes enim 18.ait: *Adduxerunt ad Annam priùs*, vt notat S.Bonauentura.

Occvrrit verò quæstio , an prima alapa sit inflicta Christo ; & prima negatio Petri secuta sit in domo Annæ : Quoad hæc vide mira in Paciuchello *discursu* 17. *& seq.* eruta e D.Bonauentura *ad* 18. *Ioan*.

Fvit opinio D. Augustini affirmatiua *lib.* 3. *de* 146
cons. Euang. cap.6. Ratio est ; nam post hanc negationem , & alapam , scribit Ioannes : *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham*. Cum D.Augustino sunt alij insignes, apud Maldonatum *ad* 26.*Matth.n*.57. & Seraphicum *ad* 18. *Ioannis* , vbi refert D. Hieronymum, & Bedam visus asserere, negationem primam Petri apud Annam fuisse patratam ; consummatas verò cæteras apud Caïpham : Idem sentit Paciuchellus , teste D.Thoma , cum omnibus fere Antiquis , quoad alapam.

Enim verò omnia apud Caïpham euenisse di- 147
cunt Origen *tract*. 33. *in Matth*. Cyrill. *lib*.12. *in Ioan.c*.1. sequuntur plurimi apud relatos, & Suarez, videturque consona Euangelio , dum omnia in domo Pontificis narrantur euenisse : Hic autem erat Caïphas.

Itaqve prima negatio per anticipationem enarratur, vel digressione facta in domo Annæ ; aiunt illi authores.

Sententia D.Bonauenturæ ab his non recedit 148
ad cap.22.*Lucæ* , ait enim , inchoatam negationem in domo Annæ, & consummatam esse apud Caïphā, ex D.August. *lib*.3 *de consensu Euang.cap*.6. & subdit S.Doctor hæc verba: *Cui concordat Ioannes*, vt supra dixi : Videtur dicere alios tres Euangelistas huic secundæ sententiæ arridere : Et si Ioannes eam primam refert , dum Christum nondum ad Caïpham peruenisse narrauit, dictū est per anticipationem ; sicut authores prioris sententiæ aiunt, Ioannem ducto Iesu ad Caïpham resumpsisse recapitulando negationes, quas inceperat in domo Annæ : Sic autem assolent historici interrumpere filium digressionibus aliorum euentuum coincidentium , & resumere postea historiam posterioris principalis facti, ne longius abeant ; & rursus recapitulare factum digressionis inchoatum, quod prius euenit.

Enim verò solent etiam anticipatè aliqua narra- 149
re , non seruando mathematicè coincidentiam cum principali narrationis obiecto , cùm ea minus referant : Ita verò Ioannem præstitisse reor intentum Passioni Iesu enarrandæ, vt dum ab oculis Magister raptus erat , & socium ibi Petrum habuisse recordabatur, huius casum prætexerit postea in atrio Pontificis Caïphæ fuisse secutum.

Profectò alij tres Euangelistæ negationes om- 150
nes Petri, quæ fuere tres, in domo Caïphæ referunt factas, vt obseruat Maldon.*loco cit*.& Suarez *disp*.35. *sect*.1. cum D.Bonau. *ad* 22.*Lucæ* ; erat enim solus Pontifex.

Observandvm verò grauiter, negationes Petri fuisse omnino tres, vt eum Glossa colligit S.Doctor *ad* 2.*Lucæ*, & cum eo Maldonatus, Suarez, & alij ex protestatione Christi *Lucæ* 2.*& Ioan*.13.& idem colligit S.Doctor *ad* 21. *Ioan*. cum August. *tract*.123. paulò post medium, & trina confessione : *Diligis me? Redditur* (ait) *trina negationi trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quàm timori*. Idem Mysterium, atque adeò eandem sententiam docent Cyrill.*lib*.12. *in Ioan. c*.64. Ambros. *lib*.2.*de Sacram*.*c*.7. & *Luca* 32. Euthym. *Ioan*.21. Hieron.*epist*.149. Negationes verò tres astruxerat Epistula 39. Idem aiunt Moderni, Suarez, Maldon.*loco cit*. Baron.*ad annum* 34.

Diffi

DIFFICVLTATEM facit, quia priores tres
150 Euangelistæ tres negationes referunt in domo Caïphæ: Ioannes verò vnam etiam in domo Annæ.

DEINDE, quia Matthæus refert, aliam ancillam interrogasse Petrum secundò, & Marcus videtur dicere ab eadem ancilla, & tunc erunt variæ negationes, & iam erunt tres.

TERTIÒ, quia Lucas dicit à viro fuisse interrogatum Petrum.

QVARTÒ, quia Ioannes dicit, Petrum secundò à pluribus interrogatum: Itaque erunt hæ negationes septem, vna in domo Annæ; altera apud eundem Ioannem à pluribus; tertia, apud Marcum ab eadem ancilla, quarta apud Lucam à viro quodam; & tres aliæ apud Matthæum ab ancilla ostiaria.

152 RESPONDETVR cum D. Bonauentura, omnes in domo Caïphæ secutas, illam verò à pluribus factam: Primò à muliere, deinde circumstantes subdidisse; sic & tertiam à Ioanne narratam produisse ex interrogatione serui Pontificis, qui cum multis, vt apud Matthæum legitur, stabat.

QVOAD Marcum, non dicit, fuisse eandem ancillam, sed particula, *iterum*, ad secundam interrogationem refertur; quæcunque fuerit mulier interrogans.

LVCAS verò, non curans dicere, quis, vel quæ, vocat alium fuisse hominem; nam de fœmina etiam dicitur.

153 QVOAD textum verò Ioannis, existimat Maldonatus, disruptum fuisse, & debere scribi: *Adduxerunt eum ad Annam primùm: Erat enim socer Caïpha, qui erat Pontifex anni illius*, & statim sequi debere: *Et misit eum Annas ligatum ad Caïpham*. Vel dic cum Suarez, verbum *misit* significare plusquamperfectum *miserat*; nam Perfectum Hebræum significat & plusquamperfectum, vt docent Hebræi idiomatis gnari; vnde non videtur recapitulatio quædam, vt volebat D.Augustinus, sed anticipatio.

154 HÆC tamen aliud vrgent dubium; nam Christus prædixit: *Antequam Gallus cantet, ter me negabis*: at verò Marcus in prima negatione cantasse Gallum scribit.

RESPONDET S.Doctor *ll. cc.* & *ad* 10.*Ioan.* explicari à Marco prædictionem: *Ant quam Gallus vocem bis dederit*. Ideò solus curam habuit narrandi, cantasse Gallum post primam negationem, & iterum post tertiam.

QVOD igitur dixit: *Antequam Gallus cantet*, intellige cum August. *lib.* 3. *de consens. Euang. cap.* 6. Beda, & Anselmo suprà: *Antequam Gallus cantet*, animo paratus eris ad ter me negandum, & exterius id exequi incipies: Ita etiam Suarez.

SECVNDÒ respondet S.Doctor ad 22.Lucæ: *Antequam Gallus cantet*, id est, pere antet, seu consummet
155 solitos cantus, ter me negabis; solet enim Gallus cantare, semel noctis medio, & iterum post tres horas auroram versos; & hic cantus est complementum alterius: Hanc expositionem sequuntur communiter Recentiores, vt ait Suarez, qui eam priori præfert: Supradictas tamen opiniones ambas Seraphicus problematicè colere visus est.

156 CIRCA Petri negationem, certum est, eum grauiter peccasse: Ita D.Bonau. ad ea verba, Lucæ 22. *Dico tibi Petre, Non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges nosse me*, vbi id probat ex Chrysost. *homil.* 83. *in Matth.* vbi illud vocat tetrum crimen, ex D.August. *de verbis Domini*, & Glossa ad eum locum Lucæ.

IDEM asserit S.Doctor *ad* 13.*Ioan.* & *ad* 19. vbi adducit testimonium D.August. 14. *de ciuitate, c.* 13. ad finem, & Chrysost. *homil.* 82. *in Ioan.* Patet euidenter, nam: *Egressus foras fleuit amarè*, & est de fide vniuersalis Ecclesiæ sensus.

SVNT quidem aliqui PP. qui Petrum aliqua ratione excusant, vt Hilarius *can.* 32. *in Matth.* Ambros. *lib.* 10. *in* 22. *Lucæ*, vt dixerit: *Non noui illum*, quia *nemo nouit Filium, nisi Pater. Non noui hominem*, quia etiam Deum agnoscebat, non esse secutus Nazaræum Galilæum, quem ipsi putabant ad seditiones. 157

At Origenes *tract.* 35. *in Matth.* fatetur, Petrum negasse, attamen dicit, non peccasse, quia: *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*: at Petrus nundum Spiritu sancto perfusus erat; Sed hæc ratio inanis est.

HILARIVS verò non excusat Petrum à culpa; 158
similiter nec Ambrosius vult excusandum coram Deo; dicunt verò, Petrum vsum verbis ambiguis: Sed non licebat: Quare non est contra fidem locutus: Origenes sanè erroneus est; nam Petrus Spiritus sancti gratiam habuit ad confitendum: *Tu es Christus Filius Dei viui*, Matth.16. Peccauit autem Petrus non contra fidem, quam non amisit, vt docet D.August. *tract.* 153. *Ioan.* & Cyrill. *lib.* 12. *c.* 10. Sed peccauit contra confessionem fidei, sicuti qui negaret, se esse Christianum.

QVA verò de causa permissus sit tam grauiter labi 159
Petrus, multas præclaras rationes affert D.Bonauentura. Primò quidem *ad* 22. *Lucæ*, eam affert rationem, vt compesceret Petri audaciam, & præsumptionem: Id confirmat ex D.Chrysostomo *homil.* 83. *in Ioan.* Eandem rationem S. Doctor affert *ad* 19 *Ioan.* vbi ad id citat sententiam illam terribilem S.August. lib. 14. de Ciuit. cap.13. *Audeo dicere superbis esse vtile in aliquod apertum, manifestumque peccatum cadere, vnde sibi displiceant, qui sibi placendo ceciderunt.* Et profert rationem etiam D. Gregorij 33. *Moral. cap.* 11. vbi ait, sæpè permitti, ob id labi in peccata pudenda carnis, cum vide *homil.* 21. *in Euang.* & Leonem *serm.* 9. *de Passione*. Cyprian. *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 1. August. *tract.* 66. *in Ioannem*, quem adducit S.Doctor *ad cap.* 13. *eiusdem Ioannis*.

AFFERT aliam rationem, quæ retundat hæretico- 160
rum latratus, qui hinc inferunt, Petrum indignum fuisse primatu Ecclesiæ: Imò (ait S.Bonauent. cum D.Greg. *homil.* 21. *in Euang.*) ideò permissus est Petrus cadere, quia futurus erat Pastor Ecclesiæ, vt è suâ culpâ disceret aliorum misereri: Sic enim etiam Doctorem gentium permisit priùs persecutorem, & blasphemum: Vel (vt ait D.Hieron. *Matth.* 26. & Ambros. *lib.* 10. *cap.* 22. *Lucæ* infrà referendus,) vt inde disceremus virtutem pœnitentiæ, per quam non modò veniam consequi, sed etiam maiorem dignitatem obtinere possimus.

QVOAD pœnitentiam Petri, certum est ex Euangelistis, eum pœnitentiam statim egisse: Ex quibus solus Lucas originem narrat: *Et conuersus Iesus respexit Petrum.*

HVNC fuisse specialem tantùm intuitum per gra- 161
tiam, docent D.August. *lib.* 3. *de consens. Euang. c.* 6. & *lib.* 1. *de gratia Christi, cap.* 45. Ambros. *in Lucam, loco cit.* Beda *lib.* 6. *in Lucam*, & S.Leo Papa, *serm.* 9. *de Passione*, qui ait: *Dominus Iesus, qui intra Pontificale Concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli, foris positi, diuino vidit intuitu, & pauentis animum mox vt respexit, erexit, & in fletus pænitudinis incitauit.* Similia habet *serm.* 3. His videtur S.Pontifex etiam rationem afferre, cur non oculis corporis Christus intuitus sit Petrum, quia Petrus negauit deorsum in atrio: Christus autem erat superius in interiori parte domus.

162 ATTAMEN D. Bonauentura *ad 22. Lucæ*, ad ea verba asserit, corporeo etiam intuitu Christum in Petrum inspexisse, quod probat ex illis verbis: *Conuersus Iesus respexit Petrum*: ea verò conuersio motum corporeum indicat, vt faciem auersam ad Petrum reuolueret: Ita intelligunt Chrysostomus *homilia 86. in Matth.* Euthymius *cap. 86. in idem Matth.* Theophylactus *Lucæ 22.* qui notant, Petrum adeò fuisse turbatum, vt vix Galli cantum aduerterit, donec Christus signo vultus eum alloquens excitauit. Hanc sententiam amplectitur etiam S. Maximus Episcopus Taurinensis, in duabus homiliis de negatione Petri.

QVOD verò opponebatur, non est arduum soluere; potuit enim Petrus, ex desiderio videndi Christum, ingredi; vel certè, dum extra duceretur Christus ad carcerem, vidisse in transitu: De pœnitentia Petri vide Ambrosium *in 22. Lucæ*, Augustinum *libro citato de gratia Christi, cap. 44. & 45.* Chrysostomum *homil. 1. & 4. de Pænitentia*, & *oratione quinta contra Iudæos*.

163 OCCVRRIT autem hic insignis hæreticorum Nouatorum petulantia, qui vt probent, nullam in nobis esse pro peccatis satisfactionem, referunt Ambrosij verba *ad 22. Lucæ*, vbi de Petro loquitur: *Lacrymas eius lego; satisfactionem non lego.* Hoc testimonium temerè ausus est citare etiam Calvinus, qui inter cæteros, se credit Thaletem: Recitabo totum Ambrosij locum, vt istorum impudentiam intueamur: *Petrus doluit, & fleuit, quia errauit vt homo. Non inuenio quid dixerit; inuenio quod fleuit; lacrymas eius lego, satisfactionem non lego; sed quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri, etiam veniæ fletus consulunt, & verecundæ lacrymæ sine horrore culpam loquuntur; lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur; lacrymæ veniam non postulant, sed merentur. Inueni cur tacuit Petrus, ne tam cito veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum est, quàm petendum. Bonæ lacrymæ, quæ lauant culpam.* His verbis luce clarius ostendit Ambrosius, lacrymis nos lauare culpas, & mereri veniam, vt ritè obseruauit Maldonatus *ad 26. Matthæi* in fine, post D. Bonauenturam ad ea verba 22. Lucæ, *Et egressus foras fleuit amare.*

164 AD verba: *Lacrymas lego, satisfactionem non lego*, respondet Maldonatus, satisfactionem, etiam purgationem appellari, & vt vulgò dicitur, sui ipsius iustificationem significat: Igitur ait, Petrum non excusasse culpam, sed fleuisse.

ALTIVS hæc verba exponit, & planius ad genuinum sensum S. Bonauentura: Cùm enim hic lacrymarum encomia efferret, & inter alia meritum remissionis culparum, & purgationem eis adscripsisset; etiam satisfactionem illis attribuit, atque adeò, quia ex intimè amaro dolore procedunt, ait, esse satisfactorias, & quia satisfactio necessaria est in pœnitentia, nullam aliam satisfactionem ex his, quæ notæ sunt, non inuenire, asserens
165 in hac satisfactione etiam purgationem Petri; sed lacrymas tantùm hinc deducit, esse satisfactorias, quia pœnales sunt. Hic est germanus sensus.

QVÆSTIO IX.

De CHRISTI *Domini Flagellatione.*

CERTVM est, Christum fuisse flagellatum, vt re- 166
ferunt Matthæus, Marcus, & Ioannes; Lucas etiam flagellationis meminit, quia non solum Pilatus ait: *Corripiam ergo illum, & dimittam*, ex quibus verbis S. Doctor deducit correptionem flagellorum cum Euthymio, Cyrillo, Augustino, Chrysostomo, Theophylacto, & aliis expositoribus; sed clarè etiam postea subditur: *Iesum autem flagellatum tradidit voluntati eorum*; quod Suarez non aduertit.

Ex hoc loco deducit S. Doctor, Pilatum dedisse Christo flagellationem asperrimam, vt sic placarentur Iudæi, ac dimittendum sinerent, quod etiam refert Ioannes, dicens, Pilatum exiisse post flagellatum Christum, vt eum liberaret.

ALIQVI tamen volunt, fuisse flagellatum etiam 167
post latam sententiam mortis, Romanorum more: Ita D. Hieronymus, *Matth. 27.* & hoc significant Matthæus, & Marcus; sic enim aiunt: *Videns Pilatus, quia nil proficeret, tradidit illis Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur.*

ATTAMEN videtur id dictum per recapitulationem; neque dicunt, flagellasse, vt crucifigeretur, sed iam flagellatum tradidisse ad crucem.

IGITVR eum flagellatum ante condemnationem 168
probat S. Doctor ex textu: *Corripiam, & dimittam*, & confirmat ex Ioannis narratione suprà, vbi allegat Augustinum *tract. 116.* Chrysostomum *homil. 83. in Ioan.* Huius passionis acerbitatem prosequitur S. Doctor *in Meditationibus, cap. 76.* & ait, tunc impletum esse illud Isaïæ: *Vidimus eum, & non erat aspectus; & reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Profectò voluit Pilatus eum dirè flagris lacerari, vt ad pietatem excitaret sæuientes Tygrides.

FVIT autem pœna seruis destinata, vt colligitur 169
ex Leg. Servorum, ff. de pœnis, & ex *Actorum 22.* colligitur, non licuisse ciuem Romanum flagellare propter ignominiam: Vnde Cicero in Verrem exaggerat, ciuem Romanum ab eo Proconsule Siciliæ flagellatum: *Cædebatur virgis in medio foro Messanæ ciuis Romanus, Iudices, cùm interea nulla vox, nullus gemitus inter tot crepitus plagarum audiretur, nisi hæc: Ciuis Romanus sum.* Hinc S. Bonauentura deplorat *in Meditationibus, cap. 76.* iuuenem hunc regio sanguine flagris exhaustum, & excoriatum: Ita ipse conqueritur Psal. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt.* Hebræus habet: *Arantes arauerunt peccatores.* Scribit enim S. Brigitta *in libro reuelat.* satellites flagellatores appendisse summitatibus funiculorum pilas plumbeas, habentes circum veluti perbreues nouaculas, seu ferreos scorpiones, & sic corpus Domini tenerrimum lacerasse.

NVMERVM plagarum, vltra 5000. referunt
Ludolphus, *in vita Christi, 2. parte, cap. 58.* & 170
Echius *serm. de Passione Domini*, qui referunt, id reuelatum esse: De hac prædixit Dauid Psal. 72. *Et fui flagellatus tota die.* & ideò specialem mentionem de flagellatione fecit Christus *Lucæ 18.* vt notat ibi S. Bonauentura.

COLVMNA, cui alligatus fuit, sic describitur à D. Hieronymo, epistola 27. de locis Hierusalem: *Ostendebatur illic columna, Ecclesiæ porticum sustinens,*

mens, infecta cruore Domini, ad quam iunctus dicitur, & flagellatus. Et Beda *lib.3. de locis ſanctis, cap.3.* dicit in ſuperiori planitie Montis Sion ædificatam eſſe magnam Eccleſiam, in cuius medio (ait) erat columna marmorea, cui adhærens Dominus
171 flagellatus eſt. Has hiſtorias indicat S. Bonauent. *in Meditationibus, cap.76.* Quare columnam illam, quæ in templo S. Praxedis Romæ colitur, eſſe tantùm partem columnæ inferunt.

QVÆSTIO X.

De Coronatione CHRISTI *Domini, è ſpinis.*

172 IOANNAS, *cap.19.* poſtquam dixit: *Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.* Subdit: *Et milites plectentes coronam de ſpinis.* Vbi flagellatio adſcribitur Pilato, non quia com ſuâ manu flagellauerit, vt putat Beda *lib.4. in Marcum, cap.44.* ſed quia id iuſſit; at Coronatio adſcribitur militibus, quaſi à Pilato ſolùm permiſſa, vt notat D. Bonauent. *ibi.* probans ex Chryſoſtomo *homil.83. in Ioan.* vbi id accidit, & D.Auguſtino *Tract.116.* vbi ſub diſiunctione dicitur præcepiſſe, vel permiſiſſe.

173 QVOAD materiam coronæ, creditur communiter fuiſſe ex iuncis marinis, quibus Syria abundat. Ità refert S. Doctor *in cap.19. Ioan.* è D. Anſelmo *Dial.de Paſſ.* cui reuelatum eſt, è D.Auguſtino, eamque è viſu aſtruit Durant. *in Ration.* & alij apud Pachiuchel. *lib.3.d.3.* contra Baronium.

PLVRIMAS, & graues contumelias in eum coacernarunt, etenim cùm Iudæorum vox eſſet Chriſtum ſe fuiſſe Regem, voluerunt milites (vt Hieronymus, Athanaſius, Cyrillus, Chryſoſtomus, & alij notant, quos imitatur D.Bonauent. *in Meditationibus, cap.76. & loco cit. Ioan.*) ei; vt falſo Regi, illudere.

PRIMÒ quidem in prætorium publicum ducunt, expoliant iterum veſtibus, & clamydem coccineam imponunt, vt dicitur Matth. 27. *Et exuerunt eum, & clamydem coccineam circumdederunt.* Obſeruat autem S. Doctor *loco cit.* Matthæum *loco cit.* & Marcum *cap.15.* referre hanc hiſtoriam poſt latam mortis ſententiam; at notat, poni per recapitulationem; ſecundùm verò hiſtoriæ ſeriem narrari à Ioanne, id notat ex D.Auguſtino *lib.3. de conſenſ. Euang. c.9.* vt primò ſit flagellatus, deinde coronatus, poſtea oſtenſus populo, vt ad pietatem raperet, & à morte innocentem vindicaret.

OMNINO autem ſecundò nudatum fuiſſe aſſerit Orig. *Tract.35. in Matth.* Et verbum illud: *Exuerunt eum*, id ſignificat.

174 AT D Bonau. *in Meditationibus, cap. 76.* ſcribit; cum ſic nudum à columna eſſe ſolutum, clamyde veſtitum, & ita non fuit bis nudatus, ſed ſemel tantùm. Neque videtur aliquid eſſe in Euangelio huic expoſitioni repugnans, vt notat etiam Suarez *diſp.35.ſect.2.* & quod dicitur à Matthæo: *Exuentes eum, &c.* Reſpondetur dici per recapitulationem: Sic igitur traditus eſt militibus flagellandus, iuſſu Pilati. Itaque eum expoliarunt, & flagellatum induerunt chlamyde. Hanc vocat Matthæus coccineam: Marcus verò, & Ioannes purpuram. Sunt tamen vna tantùm. Licet enim coccus ex grana tingatur; & purpura è ſanguine Concharum, ideóque diuerſæ ſint, vt refert Plinius *lib.9. cap.35.* *& 36.* & *lib.21. cap.8.* tamen propter ſimilitudinem coloris alterum pro altero vſurpatur. Ita exponit D.Bonau. *ad 16. Ioan.* cum D.Athanaſ. *lib. de* 175
Paſſione, & cruce Domini; licet Ambroſius *Luc.23.* diſtinctas indicet: Hæc Corona erat, vt pileus, apud D. Vincent. Ferrar. *de Paraſc.* Lanſperg. & alios: Vide Pachiuchel. *loco cit.*

PLVRA Myſteria ex SS. PP. excurrit in his irriſionibus D. Bonau. *locis adductis*: Vide ipſum, & Suarez *loco cit.* Seruatur Corona eius Pariſiis in arca argentea, ſuſpenſa in Sancta Capella.

QVÆSTIO XI.

De Crucifixione CHRISTI *Domini.*

OCCVRRIT primo loco Iniquiſſima damna- 176
tionis ſententia, in Dei Filium fulminata, eam Iudex ipſe confeſſus eſt iniuſtam: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.* Matth.27.

E contrario tamen videtur fateri Chriſtus, Pilatum poteſtate deſuper accepta vſum: *Non haberes in me poteſtatem vllam, niſi datum tibi eſſet deſuper*, Ioan.19.

RESPONDET tamen S.Doctor, ibi poteſtatem quidem vniuerſaliter ſuper ſubditos datam Pilato, quia: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo*, Rom.13. Attamen exercitium poteſtatis iniquum fuit à malo vſu liberi arbitrij, vnde conqueritur Deus: *Regnaue-* 177
runt, & non ex me, Oſeæ 8. Hanc autem poteſtatem Deus permittit, quatenus eſt culpa; eandem, vt pœna eſt, facit Deus in punitionem populorum. Vnde dicitur Iob 34. *Qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi*, ſic adducit D. Gregorium 25. *Moral. cap.14.* Itaque abuſus eſt Pilatus poteſtate, damnans eum, quem ſciebat innocentem: & in hoc inexcuſabiliter peccauit. Verum peccauit etiam damnans eum, quem audierat Regem, non ſubditum; & ideò tenebatur veritatem ſcrutari: At iudicio perturbato nulla legitima inquiſitione ex teſtibus aptis, inſtantia ſola, & atteſtatione, præcipitem tulit ſententiam tumultuariè. Eum porrò 178
grauiter peccaſſe oſtendit D.Bonau. ex illis verbis: *Propterea, qui me tibi tradidit, maius peccatum habet*, vbi iuxta communem expoſitionem Cyrilli, Chryſoſtomi, Auguſtini, Euthymij, & aliorum, quam etiam probat S. Leo Papa *ſerm.8. de Paſſ.* Baſilius *in regulis breuioribus, reſponſione 46.* & colligitur ex D. Auguſtino *ad pſal.63.* comparatio fit inter peccatum Iudæorum, & peccatum Pilati, & illorum peccatum dicitur grauius, quàm huius: Vide etiam Suarez *diſp.36.ſect.1.*

OCCVRRIT ſecundò baiulatio Crucis ad lo- 179
cum ſupplicij. Hoc autem fuit in ſignum condemnationis: ſic enim ſolebant condemnati Crucem ferre, vt ait D. Bonau: *ad 19. Ioan.* ex Euthymio *cap.67. in Matth.* Athanaſio *de Paſſione, & Cruce Domini.* Chryſoſtomo *homil.84. in Ioannem*, vbi addit fuiſſe ſignum trophæi. Impoſuerunt ei Crucem, vt condemnato. Etenim lignum Sanctæ Crucis, vt prophanum vitabant: & huius typus præceſſit in Iſaac. Enimverò in trophæum exiuit portans Crucem aduerſus mortis tyrannidem: & ſicut victores, ita & ipſe in humerum portauit victoriæ notam, ideſt ſignum; & ignorantes hoc agebant Iudæi.

HIC expletum eſt vaticinium Iſa. 9. *Principatus* 180
ſuper humerum eius, & cap.22. *Dabo clauem domus*

Dauid super humerum eius, ait S. Doctor *loco cit.* ex D. Augustino *serm.71. de tempore.* Similia habet Tertullianus, *lib. contra Iudaos*, *cap.* 10. & *lib.3. contra Marcionem*, *cap.*19. Iustinus *Apolog.2. pro Christianis*, Ambrosius *lib.3. de fide*, *cap.*4. & Augustinus *tract.*117. *in Ioan.* Leo Papa *serm.8. de Pass.* Euthym. *in Ioan.* & Cyrillus *lib.12. in Ioan. cap.*28.

181 Oportet autem aduertere cum D. Bonauent. *ad 23. Lucæ*, ad ea verba: *Imposuerunt illi, Crucem portare post Iesum*, vbi videtur Simon Cyreneus portasse Crucem simul cum Christo, ita vt Iesus in anteriori parte,& Simon in posteriori eam portaret. Et sic consentit Ioan.19. *Et baiulans sibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluaria, locum.* Itaque primò solus Christus eam portauit, deinde simul cum eo Simon.

182 Potest verò alio modo intelligi, vt Iesus innento Simone exoneratus præiret, & solus Simon portaret, & hoc significant alij duo: *Angariauerunt Simonem, vt tolleret Crucem eius, & imposuerunt ei Crucem*, & est communior sententia PP. Hieronymi, Theophylacti, Euthymij *Matth.*27. August. *lib.3. de consensu Euang. cap.*10. Origenis *Tract.35. in Matth.* Athanasij *Tract. de Passione, & Cruce Domini*, & videtur probabilior, quia Iesus nimis lassus, viribus exhaustus, non poterat tam expeditè, aut citò ire, vt ipsi volebant ob rabidam malignitatem, ne Sabbatho superueniente, differretur mors, & depositio eius è Cruce;super omnia autem,ne Pilatus sententiam reuocaret. Ita D. Bonau. *in Meditationibus*, *cap.*77.

Mysteria autem in hac Cyrenei baiulatione habes in S.Doctore *loco cit.*qui affert D.Gregorium *lib.8. Moral. cap.*26. Bernardum,& Glossam; adde alios Patres suprà relatos.

183 Qvoad quantitatem Crucis, S. Doctor *in Meditationib. loco cit.* asserit, fuisse quindecim pedum, vel palmorum, grossam verò, vt corpus sustinere posset.

Qvoad figuram refert S. Bonau. ad ea verba Ioannis: *Quod scripsi, scripsi*, describi à Magistro historiæ Petro Comestore *cap.*172. in figuram T. ita vt suprà non esset erecta pars Crucis, sed solus titulus infixus: Vnde non video quo fundamento Suarez *disp.36. sect.*2. collegerit contrarium; potuit enim fusto ligni titulus infigi, vt tandem fatetur Suarez: Sic impletur signum illud T. inscriptum ad salutem ab Angelo frontibus fidelium *Ezech.*9. notat D.Bonau. *loco cit.* & *serm. de Exaltatione Crucis, circa finem.* Et apud Ægyptios erat signum vitæ, vt refert Ruffinus *lib.2. hist.cap.*29. & *lib.5. cap.*17.

184 Vervm enim verò Ecclesiæ vsus in picturis videtur admittere brachium Crucis suprà, nec S. Bonauentura id negat, imò eam admittit figuram ad ea verba Lucæ 23. *Et latrones, vnum à dextris, alterum à sinistris*, vbi quatuor brachia Crucis ad Mysteria deducit.Idipsum repetit ad ea verba: *Si tu es Rex Iudæorum*, *&c.* Et ad Psal.141. quibus locis virtutes Christi, & nostras refert ad Christi imitationem necessarias. quod etiam Patres sæpè faciunt, præsertim D.Augustinus *Tract.*118.*Ioan.* quem allegat, & sequitur S.Bonauentura ad id Ioan.19.*Et milites quidem hæc fecerunt.*

Porrò Virginem Christo ad Caluarium Cruce onerato tendenti occurrisse, docet S. Bonauentura *cap.77. Medit.* & S. Brigitta *lib.1. Reuel. cap.*10. & Suarez *loco cit.* putat verò simile, vbi addit, piè interpretari nos debere id, quod D. Bonauentura *loco cit.* ait Beatam Virginem occursu deplorabili sui filij semimortuam fuisse factam; sed fortis semper, & constans animo fuit.

Iam ad crucifixionem accedo, vbi video, hæreticos negantes, Christum cruci affixum, sed eius loco Simonem in Cruce positum. Ita sensit Basilides, vt referunt Irenæus *lib.1. contra hæreses, c.*23. Tertullianus *lib. de præscript. hæret. cap.*46. Euseb. *lib.4. hist. cap.*8. Epiphan. *hæresi* 2. Augustinus *hæresi* 4. Medina *ad art.4.quæst.*46. Suarez *disp.36. sect.*3. 185

Alij verò hæretici dicunt, Christum non fuisse cruci confixum, sed ligatum. Ità Ioan. Vesphalus *in concione passionis.* Fundamentum eius est, quia sic mos erat, *Deuter.*21.

Assero primò, Christum in cruce positum, & in eo supplicio vitam finisse.

Probatvr à D. Bonau. *in 3. dist. 20. quæst.* 5. & *ad 23. Lucæ*, & 19. *Ioan.* & sæpissimè ex verbis apertis Euangeliorum omnium. Philip.2. *Christus factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Deuter.18. *Erit vita tua pendens ante te*, quod testimonium notat S. Bonauent. *ad 23. Lucæ*, fuisse adimpletum. 186

Ex Patribus Leone Papa *serm.8. de Passione*, Augustino *lib. 16. contra Faustum, cap.22. & 23.* Irenæo *lib.5.cap.*18. Lactantio *lib.4.de vera sapientia*, *cap.*18. Tertulliano *lib. contra Iudæos, cap.*11. & 12. Cypriano *lib.2. ad Quirinum, cap.*20.

Apponit S. Doctor etiam *cap.13. Lucæ*, ad ea verba: *Erat autem superscriptio*, illud Psal. 95. *Etenim Dominus regnauit à ligno.* Hanc particulam fuisse ab Hebræis malignè expunctam contendit Iustinus Martyr *Dialogo in Tryphonem*; & ita hunc textum legunt Tertullianus contra Iudæos *cap.*10. & 12. Leo Papa *serm.4. de Passione*, Cyprianus *lib. de monte Syna, & Sion*, Augustinus, & Arnobius *ad eum locum.* Ambrosius 1. *Corinth.*15. & apponitur etiam à Septuaginta Interpretibus; & Ecclesia idipsum canit: 187

Impleta sunt quæ concinit
Dauid fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnauit à ligno Deus.

Probatvr à D. Bonau. *ad 23. Lucæ*, illud Hierem.11. *Mittamus lignum in panem eius*, idest crucem in corpus eius, quod est panis vitæ, vt exponit Tertullianus *lib.5. contra Marcionem, c.*19. & *lib.4. cap.*40. Iustinus *prædicto dialogo*, Lactantius *lib.4. cap.*18. Cyprianus *lib. 2. contra Iudæos, cap.15.& 20.* Ruffinus *in exposit. Symboli*, & indicant Hieronymus, & Origenes *in Hieremiam.* 188

Aptant Patres illud etiam Habac.3. *Cornua in manibus eius.* Hieronymus *ibi*, Cyprian. *loco cit. cap.*20. August. 18. *de ciuitate, cap.*32. Eusebius *lib.6. Demonstr. cap.*15. & D. Bonau. *in prologo primi sententiarum*, finem versus.

Probatvr à S. Doctore *ad 12. Ioan.* ad ea verba: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, rationibus, quibus conueniens fuit talis mors: Prima est ad triumphandum de diabolo,& aëreis potestatibus, ac trahendum ex abysso in cœlum perditos: Secunda ad soluendum furtum Adæ in arbore: Tertia ad conciliandam cœlestia terrenis, &c. 189

Alias rationes habet *collat.83. in Ioan.* puta ad animandos nos, maximè autem Martyres, hoc formidabili genere mortis ad mortem subeundam pro Christo.

Alias etiam affert *ad 23. Lucæ*, nempe, vt nos animaret

animaret ad firmiter sibi inhærendum, confixos cruci in tribulationibus, & tentationibus, vt habetur *Gal.c.5. & vltimo.* Ipsum vide, & D. Thom. *q.46. art.4.* vbi aliquas ex his rationibus affert.

190 ASSERO secundò, Christum fuisse confixum cruci. Est æque, ac prior assertio de fide.

PROBATVR primò à D. Bonau. *loc.* ex Euangeliis, vbi apertè dicitur Christus crucifixus.

PROBATVR secundò à S. Doctore *ad 23.Lucæ,* ex Psal.21. *Foderunt manus meas, & pedes.* Sic legunt etiam LXX. Interpretes: & D. Hieronymus ex Hebræo: *Fixerunt,* legit: Quare malignè Iudæi peruertunt legentes: *Sicut Leo, manus meas, & pedes meos,* supple *lacerauerunt.* Hoc autem nouum commentum non ex similitudine litterarum extrahunt, vt putat Suarez; legitur enim apud Pagninum Psal. כארי, & in margine supplendum monet *foderunt,* hoc autem sic scribitur כארו, *Genes. 26.* Quare potiùs dicendi sunt Iudæi erasisse verbum legitimum, quod LXX. iure reliquerunt.

191 PRÆCLARVM est testimonium *Ioan.20.* vbi Christus Thomæ, qui dixerat: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, non credam:* sic loquitur: *Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam, &c.* Vbi obseruat S.Doctor, hac exhibitione sanatam esse omnem infirmitatem, & omne dubium eliminatum de Christi vulneribus ex clauis, post resurrectionem seruatis. Hoc verò prædictum erat Zach.13. *Quid sunt plagæ in medio manuum tuarum,* vt notat S.Bonau. *ad 23.Lucæ.*

CONFIRMATVR à D. Bonauentura *serm. 2. Inuentionis Crucis,* nam Helena Constantini mater simul cum cruce clauos inuenit, quibus Christus confixus est, vt refert Theodoretus *lib.1. hist. Eccl. cap.18.* Nicephorus *lib.8. cap.19.* Sozomenus *lib.7. cap.1.* Socrates *lib.1. cap.17.* Ruffinus *lib.1. c.18.* Ambrosius *oratione de obitu Theodosij,* Cassiodorus *lib.2. cap.18. tripartita historia,* vt notat D. Bonauentura *ibi.*

192 QVAMVIS autem non esset iste mos apud Iudæos, tamen apud Romanos in vsu erat. Lege Couar. *lib.4. variarum resol. cap. 5.* Christus autem à Romano Præside damnatus est: Apud Iudæos autem non erat vetitum configere cruci.

ORITVR verò dubium, quia *Deuter.21.* dicitur: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno;* at Christus non fuit maledictus: Ergo nec in ligno pependit.

193 S. BONAVENTVRA, ad ea verba Ioan.19. *Vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho,* libens concedit cum Apostolo *Galat.3.* Christum benedictum, factum pro nobis maledictum, idest, subiisse pœnam debitam magnis peccatoribus, non tamen inde maledictum, quia innocens. Vnde August. lib.14. contra Faustum, cap.2. & 12. *Aufert Christus de maledicto maledictum, quomodo de morte mortem, & de peccato peccatum.* Idem habet *contra Adimantum, cap.21.* Addit D. Hieronymus *ad Galat.3.* Tertullianus *contra Iudæos, cap.31.* litteralem sensum illius dicti *Deuter.21.* esse, maledictionem ferri in eum, qui propter crimina crucis supplicium grauissimum mereretur. Quare, si Mardochæus fuisset cruci affixus ab Aman, non propterea fuisset verè maledictus. Hoc latè prosequitur D. Bonauentura *ad 14. Sapientiæ,* exponens illud: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia,* lignum crucis allegoricè intelligens, super quod pertulit peccata nostra. *Prima Petri 2.* & peccatum destructum est: *Mors mortua tunc est, in ligno, quando mortua vita fuit,*
194 vt canit Ecclesia *in officio Sanctæ Crucis.* Victus est diabolus, vt habetur in Præfatione Missæ Crucis; & D. Gregorio: *Et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Per ipsum est homo Deo reconciliatus; & Infernus spoliatus, vt dicitur *Coloss 1. & 2.* Cœlum est apertum, Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso,* nota id Isaiæ 22. *Dabo clauem David super humerum eius.* Christus denique est exaltatus, & adoratus, ac Sanctus acclamatus. *Philip. 2.* Non omittam, D. Hieronymum scripta edoctum à Iudæo quodam *in Deuter.21.* sic legere: *Non permanebit cadauer eius in ligno, quia contumeliosè Deus suspensus est.* Sic autem extrahebantur è cruce in honorem Dei, qui in ea erat suspendendus iniquè.

DVO adhuc supersunt explicanda; Primum est: an Christus fuerit confixus cruci, extensæ in terra, an eleuatæ?

PRIMA opinio est fuisse eleuatæ cruci confixum. 195
Hanc opinionem non omnino asserit S. Bonau. vt putant Suarez *disp 36. sect.3.* & Paciuch. *lib.3. d.12.* sed eam tantùm refert, vt probabilem, & postea alteram refert, addens: *Etsi hoc magis placet, conspice, &c.* Ità habet cap.78. Meditationum vitæ Christi.

CHRISTVM autem in crucem ascendisse asserit etiam Ludolphus *de vita Christi, p.2. cap.63.* & habetur *lib.1. Reuel. S. Brigittæ, cap.10.* Cui sententiæ videntur fauere Sancti, qui vtuntur hac phrasi, Christum ascendisse in Crucem. Ita Ambrosius *lib.10. in Lucam, cap. Qualis Christus crucem ascenderit,* Cyprian. *serm. de Pass. Domini,* Gregorius *can. 7.* qui duo postremi explicant illud cant.7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Hanc sententiam sequitur P. Matthias Bellintanus *in editione posteriori sua Praxis Meditationum.*

ALTER modus figendi ligno, in terra extenso, est 196
tormentis sæuior, quippe distrahitur corpus; idque actum Christo indicat Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea,* vt notat S. Bonau. cum Augustino, Hieronymo, Euthymio, & aliis apud Paciuchellum *lib.3. c.12.* qui addit ostendi locum crucifixionis, satis quidem distantem ab eo, vbi crux erecta stetit.

SECVNDVM dubium est: Quot clauis confixus sit? Tres asserunt D.Bonau. Ludolph. cum Nazianz. *Traged.* Ansel. *dial. de Pass.* Ambros. *de obitu Theod.* Ruff. *lib.2. cap.8.* & aliis apud Paciuchell. *lib.3. discursu 16.*

SEQVVNTVR etiam Recentiores, & videtur 197
picturis in Ecclesia admodum approbatum. Inclinat Abulens. *paradox.3. cap.10.* motus ratione D. Bonauenturæ; quia vt vnus clauus vtrumque pedem confixerit, debuit in altero latius esse foramen. Tale autem in S. Sindone cernitur: Ita describit Nonnus antiquissimos *in Ioan.* & Baron. *anno 34.*

ALII verò dicunt fuisse quatuor: Ità sentit Gregorius Turon. *lib.1. de gloria Martyr. cap.6.* vbi dicit, in stipite crucis fuisse tabulam, in qua pedes Christi duobus clauis infixi erant. Videtur fauere Cyprianus *serm. de Passione Domini,* dicens: *Clauis sacros pedes terebrantibus,* & D. August. *6. cap. Medit.* Eadem opinio habetur *lib.1. Reuel. S. Brigittæ, cap.10.* Fauent aliquæ imagines antiquæ, vti & Siroli statua.

ADHVC verò occurrit aliud dubium: an Chri- 198
stus omnino nudus confixus sit? & quidem vestibus spoliatum fuisse omnibus, habetur in Euangelio, vt notant cum D. Bonauent. alij, nam diuiserunt sibi vestimenta eius, & super tunicam interiorem eius miserunt sortem, vt infra dicam.

Enim

Enim verò in dubium vertitor : an omnino nudus fuerit , an verò aliquod operimentum datum ei fit ad verenda ? Et quidem S.Brigitta refert, ita fuisse. Sic enim ibi loquitur B. Virgo : *Stante filio meo, sicut natus erat nudo corpore , vnus tunc accurrens portauit sibi velamen , quo ipse exultans velabat verenda sua.* Igitur priùs se contexit , & postea crucifixus est. Sic enim honestatem Christi decet , & ita Imagines exprimunt : & D. Bonau. *in Meditationibus* , ait de Beata Virgine : *Amplexatur , & cingit capitis sui velo.* Porrò hoc velamen Aquisgrani seruari refert Paciuchel. *lib. 2. cap. 18. de Passione.*

199 ATTAMEN aliquorum sententia Patrum videtur, Christum omnino nudum cruci affixum : Ità Ambrosius *lib. 10. in Lucam*, vbi ait : *Refert considerare qualis ascendat ; nudum video. Talis ascendit , quales nos authore Deo natura formauit , talis in Paradiso homo primus habitauerat , talis ad Paradisum homo secundus intrauit.* Idem significat Athanasius *orat. de Passione, & cruce Domini.* Adducitur à Suarez etiam D. Bonauentura , & Ludolphus *locis citatis* ; at S. Doctor id non tenet *ibi* , neque *in ligno vita, §. Christus cruci clauatus* , vbi priorem opinionem tenet ; Sed *ad 23. Luca* , ad ea verba : *Diuidentes verò vestimenta sua* , vbi id probat ex facto Noë, qui nudatus omnino in verendis , iacuit ebrius : Hoc enim de Christo eleganter exponunt D. Augustinus *lib. 16. de ciuitate, cap. 2. lib. 12. contra Faustum , cap. 263.* Cyprianus *epistola 63.* Rupertus , & Eucherius *in 9. Genesis* : & eleganter postea D. Bonauentura *serm. 3. Parasceue.* Et quidem neque hoc genus opprobrij defuit Christo , qui & ad columnam omnino nudus stetit , vt omnes fatentur. Et quidam contemplatiuus meditatur illud *Ioan. 19.* vbi non sunt fracta Christo crura, vt impleretur id : *Videbunt , in quem transfixerunt* , nempe verecundiam nuditatis datam modestissimo Principi Virginum , sæuissimo crucifragio æquiualentem. Enim verò Patres exponuntur , dempto eo velo , fuisse nudum.

200 VLTIMVM dubium oritur : an Christus spinis coronatus fuerit crucifixus ? Euthymius *cap. 67. in Matth.* putat , ablata esse Christo omnia regalia, & ludrica insignia, vt ad mortem duceretur.

ATTAMEN sententia D. Bonauent. *in ligno vita, loco cit.* & indicat *in Meditationibus* , *cap. 77.* eum purpurâ solâ spoliatum recenset , cùm ad mortem ducendus erat. Idem sentit Origenes , qui eadem ratione D. Bonauenturæ id probat *Tract. 35. in Matth.*

DE Chlamyde scriptum est, quoniam denuò spoliauerunt eum chlamyde coccinea ; de Corona autem spinea nihil tale Euangelistæ scripserunt ; propterea & nos quærere voluerunt exitum rei de
corona semel imposita , & nunquam detracta. Eandem sententiam docet Tertullianus *lib. contra Iudaos , cap. 13.* dicens : *Isaac cum lignis reseruatus* 201
est, ariete oblato , in vepre cornibus harente : & Christus suis temporibus lignum humeris suis portauit, inharens cornibus crucis , Corona spinea in capite eius circumdata. Hanc similitudinem attigit etiam S. Bonauentura *ad 23. Luca* , & *serm. 3. in Parasceue.*

CONFIRMATVR imagine Sudarij , quam credunt fuisse impressam, in via ad Calvariam, velo illo, quod Romæ seruatur.

QVÆSTIO XII.

De titulo, Cruci imposito.

TITVLVM cruci Christi appositum omnes 202
Euangelistæ narrant. Videntur tamen diuersi ; nam Matth. 27. scribit : HIC EST IESVS REX IVDÆORVM. Marcus cap. 15. tantùm habet : REX IVDÆORVM. Lucas cap. 23. HIC EST REX IVDÆORVM. Ioannes verò : IESVS NAZARENVS , REX IVDÆORVM. Non sunt tamen diuersi, vt notat S. Bonau. *ad 23. Luca* ; nam omnes ponunt id , quod essentialiter necessarium est , quod fuerit exponere causam condemnationis Christi, quia se scilicet acclamarat Regem Iudæorum.

ATTAMEN Ioannes omnes integrè apponit , vt constat ex tabella eadem , quæ Romæ seruatur in Templo Sanctæ Crucis , quam è buxo asserit Beda *in collect.* cum aliis apud Paciuchellum *lib. 3. d. 15.*

ERAT autem totus titulus scriptus Græcè , Latinè , & Hebraïcè , vt sequitur :

203

יהושע	נוצרי	מלך	יהודים
Iehosua	*Notsri*	*Melec*	*Ihudim.*
Iesus	*Nazarenus*	*Rex*	*Iudeorum.*
ΙΗΣΟΥΣ	Ο ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ	Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ	ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

CAVSA autem cur titulus inscriptus sit , non est petendus ex vsu aliquo imponendi causam damnationis super caput omnium condemnatorum ; nam cruces duorum Latronum non habebant titulos , vt probat S. Bonauentura *ad 19. Ioannis* , ex Chrysostomo *homil. 84. in Ioan.* ante medium , vbi loquens de inuentione Crucis , & de medio , quo ab aliis crucibus latronum discernebatur , ait : *Tres enim erant cruces , vt ergo non ignoraretur Domini crux , à titulo manifesta omnibus facta est , quia cruces latronum non habebant titulos.* Eandem sententiam prosequitur eisdem ferè verbis Euthymius *cap. 67. in Matth.* & Theophylactus *in cap. 19. Ioannis.*

204 VERVM enim verò quamvis S. Bonauent. acceptet hos Patres in eo , quod aiunt , soli cruci Christi impositum fuisse titulum ; non videtur tamen in eo consentire , Crucem agnitam esse , ex solò titulo , nam *in sermonibus Inuentionis sanctissima Crucis* , acceptat historiam Inuentionis factæ ab Helena , vbi cùm non internosceretur Christi crux , agnita est miraculis paralyticæ mulieris , vel etiam mortui suscitati.

QVOMODOCVMQVE sit, quoniam S. Doctor non refutat opinionem illorum Patrum ; satis potest credi , omnino eam acceptari , & est probabilis, vt fatetur Suarez *disput. 37. sect. 2.* Hac igitur posità oportet assignare peculiarem illam rationem, quæ Pilatum mouit ad titulum soli Christi cruci apponendum his verbis : Aliqui existimant , Pilatum agnouisse Christum verè esse Regem , sicuti
ante dixerat : *Ecce Rex vester. Regem vestrum cru-* 205
cifigam ? Hoc videtur insinuare Chrysostomus *homil. 84. in Ioan.* apud D. Bonauent. *ad hunc locum Ioan.* & *collat. 84. in Ioan.* Idem sentire videtur D. Augustinus *ad Psal. 56.* apud D. Bonauent. *ad*

tum locum Lucæ. Volunt igitur hi Patres, inscriptum esse titulum ad confundendos Iudæos, qui in Regem suum deséuissent; ideò Trophæum hoc ad eorum confusionem erexisse.

206 POTEST dici, agnouisse ex innocentia Christi, eum non esse mentitum, dum se regem acclamaret; sed regiam aliquam authoritatem, licèt non modo ordinario huius mundi, habuisse. Itaque non in Christi contumeliam, sed in honorem titulum erexit in facie Iudæorum, qui se ad hunc innocentem damnandum impulerant: & hoc vere sensisse Pilatum deducit acutè S. Bonau. *ad locum Lucæ,* quia cum inscripsisset: *Hic est Rex Iudæorum,* & fuisset importune sollicitatus ad id delendum, vel immutandum, atque imponendum: *Hic est, qui se acclamabat Regem,* noluit, sed perstitit: *Quod scripsi, scripsi.* Sic etiam Toletus *ad* 18.*&* 19. *Ioan.* ex Euangelio idem deducit cum Suarez *disput.* 37. *sect.* 1.

207 RATIONES verò, ob quas voluit Deus titulum illum gloriosum Christo inscribi, afferuntur à D.Bonau. ad ea loca *Lucæ, & Ioannis,* & *collat.* 84. *in Ioan.* vbi etiam habes, cur præcipuis linguis voluerit exarari, non modò vt ab omnibus gentibus, quæ ad diem festum Paschæ confluxerat Hierusalem, legi valerent; sed vt ostenderet, omnes nationes subiiciendas Christi Imperio, ex quibus Iudæi ob antiquitatem, & religionem; Græci propter sapientiam; Romani propter Monarchiam insignes exprimebantur, *vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus est in Gloria.* Philip. 2. Ità Cyrillus
208 Alex. *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 30. Nicolaus Papa I. *epistola ad Michaëlem Imperatorem* & Theophylact. *Lucæ* 23. & *ad* 19. *Ioan.* Vide præclara in D. Bonauentura, præcipuè *in Collationibus.*

QVÆSTIO XIII.

De diuisione CHRISTI *vestium.*

209 TRES priores Euangelistæ, præsertim Marcus, ita describunt diuisionem vestium Christi, vt videantur omnes sortibus expositæ, ac distributæ. At Ioannes, cap. 19. ait: *Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius,* (& fecerunt quatuor partes, vnicuique partem,) *& tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.*

210 HINC apparet, non omnia Christi vestimenta, sed solam tunicam fuisse sorte datam, vt obseruat D. Bonau. *ad* 23. *Lucæ,* & 19. *Ioan.* cum Euthymio. Ex quo etiam patet, malè aliquos colligere ex Euangelio Lucæ plures tunicas, cùm fuerit vnica, vt scribit Ioannes: dicit enim, milites distribuisse tunicam, & vestimenta Christi, quasi cæteris vestimentis tunicam opponens, quod D. Bonau. suprà cum Euthymio acutè obseruat, & post eos Maldonatus *ad* 27. *Matthæi.*

211 QVÆ autem fuerit tunica illa, dicitur quidem Inconsutilis, idest reticulato opere contexta, non acu consuta: erat autem de vili genere vestimenti Palæstini, quam puero B. Virgo contexuit, & Iesu crescente crescebat, vt aiunt D. Bonau. *in Medit.* Carthus. S. Brigitta *lib.* 7. *cap.* 8. apud Paciuchel. *lib.* 3. idque notat D. Bonau. ex Chrysostomo *homil.* 84. *in Ioan.* Ex quo colligit, non fuisse sericam, vt aliqui voluerunt dicere, si enim serica fuisset, non imposuissent ei chlamydem; neque sortes misissent, sed vendidissent, & pretium diuisissent. Fuit verò ad modum cilicij, vt ait Dionysius Carthusianus.

ITAQVE super tunicam solam dederunt sortes, & hoc probat adhuc S. Bonau. ex vaticinio, allegato ab Euangelista: *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Psal. 21. Idem sentiunt D. Augustinus, & D. Thomas *in Ioannem.*

POTEST etiam dici, diuisis etiam vestimentis in 212
quatuor partes, iactas esse sortes, vt illa cuique pars daretur, quæ sorte obuenisset, ne aliquis conqueri posset. Ita significat Ambrosius *Lucæ* 23. & Theophylact. *Matth.* 15. & Recentiores, quos sequitur Suarez *disput.* 37. *sect.* 1. & videtur verbis Marci consona.

QVOAD Mysteria, in hac diuisione contexta, vide D. Bonauent. *allegatis locis,* cum Patribus in Euangelia, Cyrillo, Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, Athanasio *serm. de Passione, & Cruce.* Primò vestibus dicunt significari Ecclesiam, quæ in quatuor mundi plagas distribuitur, nam iusti vestibus exprimuntur apud Isaiam cit. *His omnibus tanquam ornamento vestieris.* Per tunicam significatur vnitas Ecclesiæ, vt præter notatos Patres aduertit Cyprianus *lib. de vnitate Ecclesiæ,* & D. Bonauentura *ibi.*

ADDIT S. Doctor cum Ambrosio, sortibus 213
diuidi tunicam Christi, idest gratiam, quæ non ex meritis, sed diuina dispositione, quà sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur, *Prouerb.* 16. Obseruat autem S. Doctor facinus militum, de quo Ioan. 19. *Et milites quidem hæc fecerunt.* Fuit enim scelus auaritiæ, &, quod peius est, irrisionis, quasi inferrent, talia vestimenta, tali esse Rege digna. Ita Theophylactus, Euthymius, & Chrysostomus.

QVÆSTIO XIV.

De Latronum societate.

{ D.Thom. q. 46. art. 11.

D. BONAVENTVRA *ad* 23. *Lucæ,* obseruat ea 214
verba: *Ducebantur autem alij duo nequam, vt interficerentur.* Sic enim volebant Iudæi ex societate Latronum, eum similem proclamare, quæ est etiam ratio D. Thomæ: Huius autem contrarium euenit, nam Crux Christi ab omnibus honoratur.

ADDIT verò S. Thomas, de cruce Latronis nil dici: at vidi inter reliquias in Ecclesia Martinengi Diœcesis Bergomensis frustum crucis boni Latronis adoratum, quod in Domini gloriam redundat.

Ex parte Dei voluit ad filij humilitatem, & 215
exemplum, cum sceleratis reputari, vt iam antea *Isa.* 53. prænunciarat, vt præcipuè notat Marcus *cap.* 15. Ità S. Thomas *argum. sed contra,* & D. Bonauentura *ad* 23. *Lucæ,* ibi, vbi addit id etiam Psal. 21. *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Et. Isa. 53. *Desiderauimus eum despectum nouissimum virorum,* sic enim medius inter Latrones positus est, tanquam dux Latronum. Ità D. Bonauentura *Medit. cap.* 77.

DEINDE

DEINDE quia homines in Adam voluerunt rapere Diuinam dignitatem, & amiserunt fœlicitatem; at *Christus non rapinam arbitratus, se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, &c.*

216 TERTIAM rationem affert S. Doctor ex D. Augustino *Tract. in Ioannem*; per duos Latrones significauit homines in cruce tribulationis, ex quibus alij ad dexteram stant patientes pro cœlesti gloria, alij à sinistris patientes pro gloria humana. Similis est, quam affert D. Thomas ex Beda de Christianis ad Deum venientibus, alij enim veniũt sancto fine; alij pro gloria humana. Similis est etiam ratio Scoti apud Vulpem *disput. 57. art. 9.* vt medius, tanquam virtus, extrema vitiosa moderaretur: Sed hæc congruentia difficultatem patitur; non enim omnes virtutes in mediocritate stant, vt charitas in Deum. Eam verò affert antea S. Bonauent. ad ea verba Ioan. *Medium autem Iesum.*

217 QVARTAM addit S. Bonau. *ibi*, vt Christus se furaturum vasa pretiosa diabolo probaret, vt innuitur *Iob 40.* & vt protestaretur, se ad iudicium venturum more furum, vt eos, qui à dextris, saluaret; & alios à sinistris, damnaret, vt innuitur *Luca 12.* & ait etiam D. Thom. ex S. Leone Papa *serm. 4. de Passione.* Hæc Seraphicus Doctor *ad 23. Luca.*

SIMILIA ferè habet *ad 19. Ioan.* vbi quintam rationem addit, fuisse hoc Diuinæ prædestinationis eximium consilium, vt latro ille, modo admirabili salutem consequeretur, vt tradit D. Au-
218 gustinus *serm. 120. de tempore*, his verbis: *Vt redimeret impios* (sicut ait sermo Diuinus) *inter iniquos reputatus est, inter duos, quos dextera, læuaque legimus pependisse, seipsum confusioni, & opprobrio Crucis tradidit, vt Latronem glorificaret.* Sic enim exaltata est statim gloria Crucis, vt ait Chrysostomus *homil. 84. in Ioannem.* Nam Latronem sic in morte transmutare, & in paradisum inducere non fuit minus, quàm petras concutere. Hæc S. Bonauentura ex Chrysostomo.

D. THOMAS ad tertium excitat cum D. Bonau. *ad 23. Luca* dubium: nam Matthæus, & Marcus aiunt, in plurali, Latrones improperasse Christo; Lucas verò vnum tantùm blasphemasse; alterum verò confessum.

219 DVAS adhibent solutiones: Altera est, vtrumque in principio blasphemasse, postea verò alterum pœnituisse. Ea fuit Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti, & Euthymij *in Matth.* Cyrilli Hierosol. *cat. 13.* Origenis *Tract. 35. in Matth.* & eam significat Hilarius *canone 33. in Matth.*

ALTERA expositio est, Matthæum, & Marcum locutos per Synecdochen, ponentes, vt quod est partis, adscribatur toti, quæ locutio frequens est in Scriptura. Ita Epiphanius *hæresi 69.* August. *lib. 3. de consensu Euang. cap. 16.* Anselmus *in Matth.* hanc Suarez *ad artic. D. Thom.* præfert. D. autem Ambrosius *lib. 10. in Lucam*, sub dubio vtramque amplectitur, dicens: *Fortasse, & iste prius conuitiatus est, sed repentè conuersus.* Et infrà: *Potuit enim de vno pluraliter dicere, sicut est illud* Hebr. 11. *In pellibus caprinis, secti sunt, obturauerunt ora Leonum, cùm solus Helias melotem habuisse, solus Isaias sectus esse, Daniel Leonibus intactus mansisse doceatur.*

220 REMANENT hic aliquæ difficultates circa Latrones istos.

PRIMA est, an fuerint clauis confixi.

RESPONDET S. Bonau. *ad 23. Luca* affirmatiuè. Probatur ab eo: Hæc enim erat pœna Latronum, vt clauis affigerentur, & vbicumque de crucifixis est sermo iuxta Romanorum morem, punientium tali pœnâ latrones, semper intelligitur eos clauis fuisse confixos, vt habent omnes historiæ Ecclesiasticæ, & prophanæ, & notat Nazarius *ad art. cit. D. Thoma.* Confirmatur à D. Bonau. *loco cit.* nam figurabatur crucifixio, de qua *Galat. 2. 5. & vltimo.* Vide S. Bonauenturam.

CONFIRMATVR secundò, nam Crux Christi non potuit ab aliis discerni in sua inuentione, quod si cruces Latronum non habuissent clauos, facile fuissent internoscitæ.

TANDEM Euangelium clarè tam de Latronibus, 221 quàm de Christo eodem modo loquitur: Id docuit S. Augustinus *serm. 130. de tempore*, Chrysostomus *homil. 1. de Cruce, & Latrone*, Gregorius 18. *Moral. cap. 23.* Ideò Abulensis *Paradoxo 3. cap. 44.* consuetudinem quorundam, qui latrones ligatos funibus in cruce pingunt, ex indiscreta in Christum pietate emanasse ait.

DVBITATVR secundò, quomodo bonus Latro Christum agnouerit, cum tot essent in oppositum, quæ eius fidem temerare possent?

COMMVNIS responsio Sanctorum Patrum quam 222 indicat S. Bonau. ad ea Latronis verba, Lucæ 23. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*, est, fuisse lumine fidei irradiatum ad Christum agnoscendum. Vnde S. Leo Papa, serm. 2. de passione ait: *Quæ istam fidem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? non viderat prius acta miracula, cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, resurrectio mortuorum: ea ipsa, quæ mox erant gerenda, non aderant; & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem videt supplicij sui esse consortem. Vnde ergo ortus est hoc donum,* 223 *vnde accepit fides ipsa responsum?* In qua Leonis sententia sunt notanda illa verba: *Ea ipsa, quæ mox erant gerenda, non aderant.* Videtur enim tacitè reprehendere id, quod apud Hieronymum 27. *Matthæi*, reperitur scriptum: *Sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris vnum Latronem cæpisse credere, & confiteri Iesum*, quam sententiam eisdem ferè verbis habet Chrysostomus *homil. 2. de cruce, & Latrone*, & significat Origenes *tract. 35. in Matth.*

VERVM exceptis tenebris, cætera signa acci- 224 dêre mortuo Christo, vt planè ex Euangelio constat; cum tamen Latro, viuente Christo, sit conuersus: Eandem cum Leone sententiam docet Cyrillus *cat. 13.* dicens: *Quæ virtus te illuminauit ô latro? quis te docuit adorare contemptum, & simul cruci affixum? ô lumen perpetuum illuminans obscuratos!* Eandem sententiam prosequitur S. August. *serm. 130. de tempore*, Chrysostomus *serm. de Latrone, & serm. 1. de cruce, & Latrone.*

HIC igitur reus vsque ad crucem, vt ait D. Leo *loco cit.* confessus est Christum, & non habens in cruce, nisi cor, & linguam libera, corde credidit ad iustitiam, ore autem confessus est ad salutem, vt ait D. Bonau. *loco cit.* post D. Augustinum *lib. 4. de Baptismo, contra Donatistas, cap. 22.* & insinuat Cyprianus *serm. de cœna Domini*, & Gregorius *lib. 18. Moral. cap. 23.*

POTVIT tamen accendi etiam famâ miraculorum, quæ audierat, & forsan viderat, vt ait Origenes *loco citato*, animari virtutibus, quæ in Christo rutilabant, vt notarunt Theophyl. *Luca 23.* & Euthymius *cap. 67. in Matthæum.*

ALIVD dubium occurrit circa Christi verba: 225 *Hodie mecum eris in Paradiso.* Maldonatus *ad 27. Matth.*

Matth. de sinu Abrahæ explicat: Pro hac citat Iustinum q. 76. Athanas. *epistola ad Epict.* August. 12. *de Genes. ad lit. c.* 34. Prudentium *hymno pro defunctis.*

VERVM D. Augustinus vult, alicubi daturum gloriam, non autem definitè solum sinum Abrahæ. Cæteri verò voluit ostendisse gloriam latroni, & alios in Lymbo. Cæterùm latro petit: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*; vt notat D. Bonau. ad id 22. Lucæ: *Donec regnum Dei veniat*; at Lymbus non est regnum Christi.

226 ALIQVI de Paradiso terrestri exponunt, vt Iustinus Martyr q. 75. 76. & 95. *ad orthodoxos* & aliqui ex Patribus relatis dicunt, concessum esse Paradisum, vnde eiectus est Adam, & hanc expositionem defendit Euthymius c. 81. *in Lucam*, sed hæc expositio est falsa; primò quia Latro petiit ingredi regnum Christi, idest beatitudinem: Deinde quia dubium est, an extet Paradisus, de quo actum *p. p. tract.* 1. *n. d.* 1.

RESPONDET igitur S. Bonau. *loco cit.* vbi varias Paradisi acceptiones refert, Christum ei promisisse eà die gloriam beatam. Ità Patres citati, & præterea August. *epist.* 57. *ad Dardanum*, ex quo id probat S. Bonauentura *in* 3. *dist.* 22. *quæst. vlt. ad* 1.

227 HANC opinionem impugnat Maldonatus *ad* 27. *Matth.* quia Christus loquitur de loco, in quo tunc non erat; at verò in cruce erat in Paradiso, idest videns Deum: Ergo de alio Paradiso loquebatur.

HÆC tamen friuola sunt, ad solidam hanc sententiam oppugnandam. Etenim, licet Christus esset in Paradiso, idest videns Deum in Cruce, non tamen poterat ex lege ordinaria videri à latrone, nisi post mortem, quæ futura erat mortuo Christo. Ideò ait: *Tu mecum eris, &c.* Quia non videt me, & viuet: Vbi verò Christus, ibi est regnum, vt ait D. Ambrosius *lib.* 10. *cap.* 23. *Lucæ*, & cum eo D. Bonau. *loco cit.* Intelligit autem de Christo clarè viso.

228 AN verò statim mortuus hic Latro viderit Deum, non est certum, sed satis est, vt ea die artificiali, idest ante Solis occasum; vel die naturali, ante transactam mediam noctem, & ita potuit tempore intermedio Purgatorium pati; attamen ferè certum est, statim fuisse beatum. Et hoc arbitror voluisse D. Cyprian. *epist.* 73. dum hunc latronem facit Martyrem: & D. August. *lib.* 1. *de origine animæ, cap.* 9. & *lib.* 4. *de Baptismo, cap.* 22. vbi baptizatum dicit, & hanc sententiam innuit S. Bonau. *loco citato.*

229 RESTAT verbulmo circa quoddam D. Cyrilli Hierosol. *cat.* 13. effatum, nempe hunc latronem primum inter Patres antiquos vidisse Deum: Hoc enim non est verum rigorosè, vt deducitur ex D. Bonau. *loco cit. in corpore*; nam Christus ante Latronem mortuus est, & anima sanctissima ad Lymbum euolans *ibi*, visionem claram Diuinæ essentiæ patefecit Patribus; atque adeò illi ante latronem fuere beati. Potest igitur dici, eo sensu Latronem fuisse primum, quia non est coactus post mortem expectare, sicut Patres, sed statim mortuus, Deo fruitus est.

QVÆSTIO XV.

De loco Passionis CHRISTI *Domini.*

{ D. Thom. q. 46. art. 10.

230 D. BONAVENTVRA ad ea verba Lucæ 13: *Oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Hierusalem*, eleganter prosequitur conuenientiam loci passionis.

PRIMÒ quidem affert illud Actor. 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes cruci interemistis.* Et cap. 4. *Conuenerunt in ciuitate ista aduersus puerum tuum sanctum Iesum, facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* En Dei igitur sapientissima præfinitione statutum est permittere, Iudæos libero arbitrio abutentes, insurgere in Christum in vrbe sancta; & stricté est absolute passio, vt passio bona est, quæ ita est volita; supposita præcognitione eorum, quæ Iudæi facturi erant, si liberi sui arbitrio relinquerentur; hac enim notitia supposita, Deus decreuit absolutè passionem eum permissione malitiæ Iudaïcæ in Christum, cui determinata est Hierusalem pro passione. 231

PROBAT autem S. Bonau. *ibi* hoc idem ex allegato Lucæ textu: *Non capit prophetam perire extra Hierusalem.* Christus autem erat propheta ille per antonomasiam, de quo Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus.* Et Lucæ 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Ità D. Bonauentura. 232

IDEM probat S. Doctor ex illo 18. Lucæ: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur, &c. tradetur enim gentibus ad illudendum, ad flagellandum, & crucifigendum.* Ad quem locum eadem refricat argumenta ex 2. Isaiæ: *De Sion exibit Lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Zachariæ 13. *Erit fons domus Dauid habitantibus Hierusalem.*

PROBAT autem secundò vtroque loco simul cum D. Thoma *ad* 1. quia Hierusalem erat ciuitas à Deo cõstituta ad sacrificia, quæ præsignabant sacrificium Christi, & ad hoc repræsentandum fuerant instituta. 233

PROBAT tertiò D. Thom. ex illo Psal. 73. *Operatus est salutem in medio terræ.* Multi autem dicunt, Hierusalem in medio terræ esse sitam. Ità Tertull. *l.* 2. *carminum, contra Marcionem, cap.* 4. Hieron. *Ezech.* Cyril. *Catech.* 13. Hilar. *can.* 33. *in Matth.* Beda *de locis Sanctis, cap.* 3. At S. Bonauentura ad illum locum psalmi, id non admittit, sed explicat esse in medio terræ; idest in superficie terræ: nam vbicumque superficiei est seruo, oportet accipere medium eius ad circumferentiam exteriorem, iuxta regulas Euclidis *Phænomen*. Et verè Iudæa non est medium terræ, vt omnes Geographi norunt; sed potius medium est sub Æquinoctiali; neque etiam est medium totius terræ, quæ tunc censebatur habitabilis; nam cùm quarta pars terræ talis censeretur, oporteret vt quartam partem climatum proportionaliter haberet: iam verò tunc saltem 16. climata fuere; at Iudæa est in medio quarti climatis. Itaque fallitur Nazarius *ad art.* 10. *q.* 46. *D. Thom.* Potius dicenda esset in medio Palestinæ, vt ait Iosephus *lib.* 3. *de bello Iudaico, c.* 2. Ideò Maldonatus explicat *in medio terræ*, toto spectante orbe *ad cap.* 4. *Lucæ.* 234

DENIQVE verò locus singularior mortis Christi fuit extra portam vrbis, vt habetur *Hebræor.* 13. & ibi Apostolus argumentis confirmat fuisse conueniens. Enim verò S. Doctor *ad* 13. *Lucæ*, concordat hunc locum cum illo: *Non capit prophetam perire extra Hierusalem*, interpretatur; *non capit*, idest non conuenit, vel non capit Scriptura prophetalis, vel non capit Diuina Prouidentia; Prophetam istum non conuenit perire, nisi in Hierusalem, quæ est ciuitas Regalis, Sacerdotalis, & Magistralis. Et Christus erat Summus Rex, Magister, & Sacerdos, & ideò non debebat mori, nisi in illo loco. Igitur damnatus periit in vrbe, sed extra eam occisus est. 235

FVIT quidem hic mos educendi extra habitacula blasphemum, & occidendi. Ita *Leuit.* 24. & *Iosue* 14. Ideò proclamantes Christum blasphemum 236

ſic interficiendum curarunt, vt habet D. Bonau. *ad* 23. *Lucæ*, vbi latè ea, quæ dicam, addit.

NAMPE ad Myſterium eiectus extra Regiam Metropolim Iudæorum effudit ſanguinem, vt oſtenderet futurum ad ſalutem gentium efficacem, & ad ruinam Iudæorum, licet pro omnibus mortuus ſit. Adde, ſuburbia comprehendi ſub vrbe, vt notat etiam Nazarius *quæſt.* 46. *art.* 10.

HANC eductionem ait S. Doctor figuratam fuiſſe in eductione Abel ad necem *Geneſ.* 4. in eductione Iſaac ad ſacrificium *Geneſ.* 22. Vide S. Bonauent. *ad* 23. *Lucæ*.

INDIVIDVVA porro locus fuit mons Calua-
237 riæ. Rationem verò afferunt ex communi traditione Sanctorum Patrum, Adam ſepultum fuiſſe in eo monte, & inde vocatum Calvariæ, quia primi hominis calvaria ſepulta erat ibi: Ità docuit Origenes *Tract.* 35. *in Matth.* Tertullianus *lib.* 2. *carminum in Marcionem*, *cap.* 4. Athanaſius *ſerm. de Paſſione, & cruce Domini*, Epiphanius *hæreſi* 46. Chryſoſtomus *homil.* 84. *in Ioan.* Ambroſius *lib.* 5. *epiſtola* 19. & *Lucæ* 23. Auguſtinus *ſerm.* 71. *de Tempore*, Baſilius *cap.* 5. *Iſaiæ*, Cyprianus *ſerm. de Reſurrectione Domini*, Hieronymus *epiſt.* 17. *ad Marcellam, nomine Paulæ, & Euſtochij*. Citatur etiam D. Ambroſius *in epiſtolam ad Rom.* Sed illud commentarium non eſt Ambroſij, vt notat D. Bonauentura *loco cit.* Vide Suarez *ad art.* 10. *quæſt.* 46. *D. Thomæ*, & Baronium *anno* 34. & *cap.* 94. Paciuchellum *lib.* 3. *diſcurſu* 11.

238 HÆC tamen ſententia non placuit D. Hieronymo *ad* 27. *Matth.* & *ad Epheſ.* 5. quia ille erat locus communis damnatorum, ideò Calvaria dicebatur à calvariis proiectis reorum. Idem habet Beda: Adam verò non in Calvaria, ſed in Hebron ſepultus eſt, vt dicitur Ioſuë 14. *Adam maximus ibi inter Enachim ſepultus eſt.* Sic probatur etiam à D. Bonauentura, & hanc ſententiam ſecuti ſunt multi ex poſterioribus, D. Bonau. Rupertus *in Ioan.* D. Thom. *hoc loco*, Lyra, Ianſenius, & alij.

RESPONDENT Maldonatus *ad* 27. *Matth.* Suarez
239 *ad art.* 10. *quæſt.* 46. ibi Adam eſſe nomen commune hominis, non autem proprium primi parentis. Addit Suarez cum Baronio, eum, qui ſepultus eſt ibi, dici eſſe gigantem, quem aliqui putarunt eſſe Caleb, aut Enach, aut Arbe. Verum, vt notat Nazarius *ad art. cit. D. Thomæ*, non ob id falſa colligitur opinio D. Thomæ, quæ maximi Scripturæ interpretis authoritate, & explicatione nititur. Et quidem ex Hebræo habetur: *Et Adam magnus in Henachim ipſe*, & iiſdem omnino litteris quibus *Geneſ.* 1. ſcribitur, nec habet ה Emphaticum, vt lego in Tolet. *adnot.* 12. *ad* 19. *Ioan.* etſi reor cuſum pro ה, nam legitur הגדול האדם *Adam magnus*, quod ſignat non proceritatem ipſius ſtaturæ, ſed eius Principatum, ſeu Primatum. Sic *Exodi* 11. 3. vbi dicitur, *Moyſes factus magnus*, legitur גדול *Gadol*, & Numer. 35. 25. vbi dicitur, *Sacerdotem magnum*, legitur, vt ſupra; ſolum *Cholem* ponitur ſine *Vau*, quod parum refert; at altitudo ſtaturæ, ſic ſcribitur *Deut.* 1. 28. רום elatus, vel procerior; populi verò magnitudo à dignitate *Gadol*, ſcribitur eadem linea.

ALIAM coniecturam addit S. Hieronymus, &
240 cum eo D. Bonau. Calvaria enim à Calvariis damnatorum dicebatur, non à caluaria Adæ.

RESPONDENT Baronius, non fuiſſe morem apud Iudæos capita obtruncare: Romani verò, qui hoc ſupplicio vtebantur, paulò ante dominati fuerant Iudææ.

SED hoc inane eſt, nam caput pro toto homine ponitur; ſicuti *Exodi* 16. dicitur *Gomor* per ſingula capita, id eſt, per ſingulos homines, vt notat Tolet. *loco cit.* Sic autem ſolemus loqui in multis, nominantes capita pro hominibus. Deinde, cùm ibi cadauera relinquerentur inſepulta, ſoluebantur, & ſeorſim iacebant, & ab his, quæ ſunt præcipua pars, & inter oſſa maximum, denominari potuit. Hoc idem probabile credit Suarez.

QVOAD crucem, multi è cedro, oliua, palma, & 241
cupreſſo factam aiunt apud Paciuchel. *lib.* 3. *diſcurſu* 14. ſed fuiſſet interagnita ab Helena, & eruditis adhibitis. Dico ergo fuiſſe è quercu, ſicut aliæ duæ, vt dicunt multi apud Gretſerum, Boſſium, & Paciuchellum *diſcurſu* 19.

QVÆSTIO XVI.

De Vino, Aceto, & Felle, CHRISTO *propinatis*.

MATTHÆVS *cap.* 27. refert ante crucifixio- 242
nem Christi: *Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum*: at in Græco, non *vinum*, ſed *acetum* habes. Marcus, cap. 15. dixit: *Dabant ei myrrhatum vinum.* Poſt crucifixionem verò, ambo referunt datum eſſe Chriſto acetum ad bibendum in ſpongia; at Lucas, & Ioannes, omiſſo priori potu, ſolum acetum recenſent poſt crucifixionem.

Ex quo habes, bis datum eſſe potum Chriſto, ſemel ante crucifixionem, & iterum poſt eam; ſic
enim clarè narrant Matthæus, & Marcus. Vtram- 243
que tamen potionem videtur confundere Lyranus; imò aliquis ſuſpicabitur idem in S. Bonau. *ad* 23. *Lucæ*, ſed falletur, nam ibi Seraphicus, commentator Lucæ, refert cum eo vnam tantùm potionem in cruce propinatam; non tamen negat, etiam ante crucifixionem potatum, ſed ſolùm innuit ex eodem liquore imbibitum, qui eſſet vinum quidem, ſed acetoſum; & ideò in textu Græco Matthæi vocatum acetum, & cum eo mixtum fel, & myrrham, quæ ſunt amariſſima, ante crucifixionem; poſtea verò ſpongiam ſolo vino imbuerint; alioqui enim craſſities illa difficile potuiſſet altè crucifixo propinari, quia eſcam veluti manducabilem reddebant. Ideo ait, impletum vaticinium, Pſal. 68. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Ita Toletus *Ioan.* 19. *annot.* 17.

Ex qua ſententia oritur, vinum illud myrrhatum 244
Marci 15. & illud felle permixtum *Matth.* 27. fuiſſe vnum potum amarum, non autem diuerſas potiones, ante crucifixionem Chriſto propinatas. Ita communis ſententia tenet, eratque vinum, quod etiam dicitur acetum, quia erat acidum; dicitur autem myrrha conditum, & felle, quia Iudæi in vinum acetoſum infuderunt fel, & myrrham, vt ait D. Auguſtinus, quem Beda, & Strabus imitantur. Itaque Matthæus fel memorat; Marcus autem myrrham.

ITAQVE non fuerunt duæ potationes, vt putat Euthymius *c.* 67. *in Matth.* & Baronius *anno* 34. neque huius ratio eſt valida, vinum illud myrrhatum, fuiſſe optimum in vaſis myrrhinis, admixtis variis ſpeciebus conditum ad confortandum, quod in magno pretio erat, vt refert Plinius *lib.* 14. *cap.* 12. Huic ſententiæ robur addit id, quod refert Lyran. *loco cit.* ſtatutum eſſe à ſenioribus, vt vinum aromaticum damnatis exhiberetur, iuxta id Prou. vltimo: *Date ſiceram mærentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo.*

HÆC

245 Hæc inquam parum habent fundamenti, nam Iudæi, qui mortem Christi expedire ob varios fines inhiabant, non dedissent vinum adeò pretiosum, neque permisissent, illud exhiberi siue à sanctis mulieribus, siue ab aliis. Hoc porrò solatium non fuisse Christo exhibitum colligitur ex eodem *Psal.* 68. vbi dicitur: *Consolantem me quæsiui, & non inueni: & dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Vbi grauiter conqueritur de hac potione, tanquam inhumana.

246 IDEM igitur liquor, vt dixi, bis propinatus est Christo, vt colligitur ex D. Bonauentura, & hoc arbitror voluisse Chrysostomum, & Euthymium, quos Maldonatus carpit, quasi dixerint, semel tantùm potatum. Fuit autem vtrubique vinum acidum, ideo in textu Matthæi habetur ὄξος acetum; sic legunt Origenes, Chrysostomus, Euthymius, & Hieronymus, linguarum peritissimi, &, quod amplius est, Syriaca versio. Neque ex Marco colligitur Mendosa versio Græca, eò quòd ipse referat vinum, vt putat Maldonatus; potuit enim esse vinum, aceto proximum, vt notat Suarez cum S. Bonauentura, & D. Augustino.

OBIICIT Maldonatus, nam Matthæus postea *versu* 48. vocat potionem illam absque obscuritate acetum; *Spongiam* (ait) *impleuit aceto.* At rursus ad hoc respondetur eodem modo, quo & ad Marcum.

QVOD verò Matthæus dicat, prima vice accepisse, Marcus verò, non accepisse, nil discriminis habet, nam Matthæus vult gustasse; Marcus verò, non bibisse.

247 QVOD verò Matthæus, & Marcus dicunt, spongiam aceto imbutam fuisse arundini impositam; Ioannes verò dicit hyssopo circumpositam, non est contrarium, potuit enim hyssopo circumpositum apponi acetum, idest liquore hyssopi imbutum, vt notat Theophylact. *in Ioannem*, & Baronius, atque D. Bonauent. *ad* 19 *Ioan.* ex Chrysost. *homil.* 84. *in Ioannem.* Neque satis confutatur à Suarez dicente, id textui repugnare dicenti: *Spongiam aceto plenam, hyssopo circumponentes*, non autem aceto condientes. Hoc inquam friuolum est, nam potuit esse, florem hyssopi, aut liquorem circumponi.

POTEST etiam cum Caietano dici, spongiam hyssopi ramulis circumligatam; aut cum Suarez factum veluti receptaculum spongiæ ex ramulis hyssopi, quo abundat terra illa. Sic enim facile spongia in summitate arundinis potuit apponi.

248 ALIQVOD dubium oritur, quia acetum dicitur datum Christo clamanti: *Sitio*; alij verò dicunt, datum postquam clamauit: *Eli, Eli.* Ideò illudentes obtulerunt acetum, vt refert Lucas: Ob id D. Cyrillus putat, pluries datum acetum Christo. Sed verior sententia D. Bonauenturæ, & communis est, semel tantùm in Cruce potum Christo datum, statim enim post illa verba: *Deus meus*, dixit: *Sitio*, quæ erat vera sitis; vere enim sitiebat; tum quia lassus; tum quia sudore, & sanguine exhaustus, vt ait Cyrillus *lib.* 12. *cap.* 34. atque notat Suarez *loco cit.* cum D. Bonau. *in Medit. cap.* 79. & *in Ligno vitæ*, §. *Iesus felle, & aceto potatus*, & ad loca allegata Euangelij, vbi addit etiam motiuum huius tormenti, quia enim in omnibus sensibus tortus fuerat, voluit tandem & gustum cruciari, vt immoderatum gustum Adæ in esu pomi vetiti solueret: His adde aliud motiuum, vt scilicet ardentem etiam amplius patiendi sitim patefaceret.

249 ORITVR etiam dubitatio, ad quid daretur acetum?

RESPONDET D. Bonauent. ad ea verba Ioan. 19. *Spongiam plenam aceto obtulerunt*, fortè datum ad accelerandam mortem. Ita etiam Caietanus, Iansenius, & communiter; nolebant enim, crucifixos vltra diem viuere, & hoc premebat circa Christum, tum ex odio; tum ne festum superueniret.

RESPONDET Suarez cum Baronio, acetum potatum habere potius virtutem protrahendi mortem; & sine fundamento fingi habere virtutem accelerandi eam. Ita vrget & Lyra *ad* 27. *Matth.* nam acetum sistit sanguinem; addit Maldonatus ad recreandum valere. Itaque cùm hi Recentiores id dicant, miror Maldonatum *ad* 27. *Matth. num.* 48 dicere, Theophylactum, & omnes Recentiores asserere, datum acetum ad mortem accelerandam.

D. BONAVENTVRA dubitat: an verum sit, 250
quod aliqui dicunt, datum esse acetum ad mortem accelerandam, quia reuera in deliquiis vtimur aceto ad confortandum: & restringitur sanguis, prohibetur effusio materiarum ad interiora, & venenis opponitur, vt ait S. Bonauent. ad id Ioan. *Consummatum est*, ex Auicenna *lib.* 2. *Medic.* Quod verò opponebatur de desiderio accelerandi Christo mortem, facile soluitur à Suarez ratione D. Bonauenturæ, nam cùm hæc esset consuetudo exhibendi acetum morientibus, non potuerunt Iudæi milites impedire, & ideò potiùs datum est ad mortem protrahendam.

QVÆSTIO XVII.

De septem verbis DOMINI IESV *in Cruce.*

SVAREZ *disput.* 37. *sect.* 4. hoc titulo disputat: 251
an Christus verbis illis, in cruce prolatis, condiderit testamentum.

EST autem testamentum vltima voluntatis testatio, qua quis de sua hæreditate disponit; hæc autem debet testamento authentico pandi.

IGITVR voluntas Dei, qua homines ad suam admittit hæreditatem, dicitur testamentum. Enim verò quia panditur sub ratione conditionalis promissionis, dicitur etiam pactum, & fœdus. Ideò D. Augustinus *lib.* 1. *locutionum de Genesi*, *num.* 94. ait: *Amant Scriptura pro pacto ponere testamentum.* Et ideò vbi *Exodi* 24. legimus: *Hic est sanguis fœderis.* Paulus ad Hebr. 9. citat: *Hic est sanguis testamenti*, & vbi Genes. 17. Circumcisio dicitur *signum fœderis*, Eccl 44. dicitur *testamentum.* Rursus, quia conditio, sub qua Deus suam promittit hæreditatem, est obseruatio mandatorum eius, ipsum etiam eius præceptum dicitur testamentum, Iosuë 7. *Transgressus est testamentum* 252
meum, quod disposui ad eos, vt ibi notat D. Augustinus *lib. locutionum Iosue*, & D. Bonauent. *ad Psal.* 85. Hinc duo distinguunt testamenta, nouum, & vetus, vt constat *Hierem.* 31. *Galat.* 4. *Hebr.* 8. quæ distinguuntur præcipuè in diuinis promissionibus, quæ in veteri Testamento erant temporales; in nouo autem spirituales, & æternæ, iuxta illud: *Melioris testamenti mediator est*, quod in melioribus promissionibus sancitum est *Hebr.* 8. Ità D. Bonau. *locis* in fine *citandis.*

ADDE, quod illud vetus continebat præcepta externa, & carnalia; hoc autem interna, & spiritualia, iuxta illud Hierem. 31. *Pactum feriam cum domo Israel: Dabo legem in visceribus eorum, & in corde eorum superscribam eam*, quod allegatur Heb 8. Ita S. Doctor ad id Lucæ 1. *Memorari testamenti sui.*

DENIQVE illud habebat Sacramenta egena, vnde iubebat, ſed non iuuabat; hoc autem gratiam confert, vt latè proſequitur D. Auguſtinus *lib. de ſpiritu, & littera*, præſertim *cap.* 25. & *lib.* 99. *in Exodum, quaſt.* 116. & *lib.* 3. *contra duas epiſtolas Pelag. cap.* 4. & D. Bonau. *Proœm. in Ioan. & ſerm.* 14. *Hexaemer.*

253 HINC denique Scripturæ, quibus hæ promiſſiones hæc Sacramenta continent, teſtamenta, nouum, & vetus dicuntur, tanquam inſtrumenta, Dei voluntatem continentia, & ſignificantia. Præcepta etiam vetera, & noua poſſunt dici vetus, & nouum teſtamentum, ac denique ipſa Sacramenta, quæ etiam ſunt ſigna, & inſtrumenta pacti Diuini. Ità Suarez *loco cit.* poſt D. Bonauenturam *locis adductis*, & *Proœmio in Breuiloq* & *ad Pſal.* 49.

254 SVPPONO autem Chriſtum condidiſſe teſtamentum. Hoc probat S. Bonauentura *ll. cc.* & *ad* 22. *Luca*, ex Hebr. 7. *Melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus.* Et cap. 9. & 10. & ex Matth. 26. *Marci* 14. *Luca* 2. 1. *Corinth.* 11. vbi dicitur ſanguis eius noui teſtamenti: Hoc autem teſtamentum ante mortem condidiſſe teſtatur Apoſtolus *Hebr.* 9. nam teſtamentum confirmatur morte teſtatoris.

HIS poſitis, quæſtio eſt: an Chriſtus in cruce teſtamentum condiderit.

PRIMA opinio eſt, fuiſſe conditum à Chriſto in cruce teſtamentum; ſolent enim teſtatores ſe-
255 ipſos Deo commendare, Inimicis ignoſcere, & hoc Chriſtus fecit. Solent prouidere filiis, ſi habent, & parentibus, ſi ope indigent, & hoc præſtitit commendans Ioannem matri, & eam Ioanni. Vide Ambroſius, epiſtola 82. *Teſtabatur in cruce Criſtus, & inter matrem, & diſcipulum diuidebat pietatis officia.* Præterea teſtator ſolet hæreditatem partiri; ſic Chriſtus Paradiſum latroni donauit. Erat tunc mortis articulus; erant præſentes plurimi teſtes: Tandem tunc teſtamentum nouum condidit, quando vetus abrogauit, vt dicitur Hebr. 8. *Dicendo nouum, veterauit prius: Quod autem antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Chriſtus igitur clamans: *Conſummatum eſt*, conſummauit vetus teſtamentum, & nouum inſtitutum declarauit, vt habet D. Thomas *quaſt.* 47. *art.* 2. *ad* 1.

256 SECVNDA ſententia eſt, Chriſtum Dominum non in cruce, ſed in nocte cœnæ condidiſſe nouum Teſtamentum. Hæc videtur ſententia veterum Patrum, Damaſceni *lib.* 4. *cap.* 14. dicentis: *Cum voluntariam mortem noſtra cauſa ſuſcepturus eſſet eà nocte, qua ſeipſum tradebat, teſtamentum nouum Sanctis ſuis Diſcipulis, & Apoſtolis, ac per illos omnibus, qui in eum credunt, inſtituit.* Indicauit id etiam Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem, cap.* 40. Chryſoſtomus *homil.* 83. *in Matth.* Ambroſius 1. *Corinth.* 11. & D. Bonau. id videtur aſſeuerare *ad* 22. *Luca.*

TERTIA ſententia eſt, Chriſtum, neque in cruce, neque in cœna teſtamentum condidiſſe, ſed paulatim in tota vita, præſertim à baptiſmate, & prædicatione, tunc enim legem condidit, & regnum cœlorum promiſit.

257 QVARTA ſententia eſt, Chriſtum præcipuè in cœna condidiſſe teſtamentum, & in cruce confirmaſſe. Ita apertè D. Bonau. *ad primum, & 22. Luca.* Addit verò *ad* 19. *Ioan.* Chriſtum illis verbis ſuam priuatam voluntatem teſtatum in multis; in aliquo verò conſummaſſe ſermones teſtamenti, vt dicitur *Eccleſiaſtici* 43.

PRO quo aduerte, Chriſtum poſſe conſiderari primò, vt perſonam publicam, vt caput Eccleſiæ, & Summum Pontificem: Secundò, vt perſonam priuatam; ſic enim & quoad gratiam conſideratur. Potuit ergo condere teſtamentum, & vt eſt Princeps Eccleſiæ, Legiſlator, ac Pontifex, & hoc pacto nouum condidit teſtamentum: Vt priuata autem perſona, potuit diſponere res priuatas, matrem, & huic ſimilia.

258 ASSERO primò, Chriſtum in cœna ſuum teſtamentum condidiſſe, & in cruce obſignaſſe, ac concluſiſſe.

PROBATVR à D. Bonauent. *ad* 22. *Luca*, primò ex *Matth.* 26. *Marci* 14. vbi dicitur: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti.* Lucæ 22. *Hic calix nouum Teſtamentum.* Idem aſſeritur 1. *Corinth.* 11. Vbi Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem, cap* 40. ait: *Sic & in calicis mentione teſtamentum conſtituit, ſanguine ſuo obſignatum.* Et S. Chryſoſtomus *homil.* 83. *in Matthæum*, ait: *Hoc ipſum Teſtamentum nouum confirmat, & quemadmodum vetus pecudes, & vitulos habebat, eodem modo nouum dominicum poſſidet ſanguinem.*

PRÆTEREA omnes expoſitores alij, Theophylactus, Euthymius, Anſelmus, Ambroſius, & D. Bonau. *hic* aduertunt oppoſuiſſe Chriſtum ſanguinem ſuum, ſanguini hircorum, & vitulorum, quo antiquum teſtamentum ſancitum eſt, dicente Moyſe Exodi 24. *Hic eſt ſanguis teſtamenti, quem mandauit ad vos Deus.* Sicut ergo Moyſes illa dicens verba obſignauit vetus Teſtamentum: ita Chriſtus dicens: *Hic eſt ſanguis nouum Teſtamentum*, obſignauit nouum. Non poteſt autem obſignari, niſi condatur: Ergo ibi nouum condidit Teſtamentum.

259 CONFIRMATVR totum à S. Doctore ex illo Hebr. 9. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, idest, non huius creationis: neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Et ideò noui Teſtamenti mediator eſt; vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis. Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum viuit, qui teſtatus eſt. Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo; ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit, dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, & omnia vaſa miniſterij ſanguine ſimiliter aſperſit. Et omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur: & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

260 HÆC integra retuli, quæ totam concluſionem probant, quamvis enim in cœna oblatus fuerit ſanguis ſacramentaliter, tamen in cruce effuſus eſt naturaliter, & figuræ adimpletæ ſunt confirmationis teſtamenti, effuſione ſanguinis antiquitus, nam *per ſanguinem crucis pacificauit omnia, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris*, vt ex Coloſſ. 1. refert S. Doctor: qui eandem probationem habet ad ea verba Lucæ 1. *Memorari teſtamenti ſui ſancti.*

261 PROBATVR adhuc *loco citato*, quia *ibi* inſtituit altiſſimum inter Sacramenta, quod eſt Eucharistia,

ristia,

ristia, seu gratia bona, legans necessaria victui spirituali. Addit, ibi dedisse Christum Apostolis vltimum veteris Testamenti cœnæ potum dicendo: *Accipite, & diuidite inter vos.* Hoc probat ex Glossa ad hunc locum; non enim de sanctissimo Sacramento loquitur, tum quia postea subdit consecrationem panis, & deinde calicis. Itaque in hac cœna ait Seraphicus, immutata esse alia Sacramenta ad spiritualem nouæ Legis Sacramentorum obseruantiam. Ibi promisit regnum Dei dicens: *Donec regnum Dei veniat*, scilicet iustificationem per gratiam, finem peccatorum. Hoc latiùs prosequitur S. Doctor *ad* 13. *Ioannis*, vsque *ad* 18. vbi ostendit, Christum suam vltimam voluntatem aperuisse pandendo legem, & aliqua præcepta, præcipuè commendando, promittendo gratiam, & regni æterni mansiones cæteraque omnia, quæ in testamentis apponuntur.

262 Hæc autem impleta in cruce ostendit rursus *ad* 22. *Luca*, supra citato, nam sicuti in testamento acquiritur ius, & aperitur ostium ad hæreditatem, sic in morte Christi aperta est ianua cœli nobis, & datur de hoc pignus latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Probatur etiam à Suarez quoad cœnam. Sua enim bona ibi reliquit Ecclesiæ, præcipuè suum corpus in sanctissimo Sacramento. De hoc videtur locutus Zacharias, cap. 9. *Quid est bonum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?*

263 Assero secundò. In septem illis verbis testamenti partem condidit, quoad peculiaria quædam, & aliqua etiam, quæ personam publicam spectabant; hæc autem breuiter percurram.

Primò quidem orauit pro inimicis dicens: *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.* Hæc verba non modò exprimunt Christi benignitatem, patientiam, & charitatem, vt ait D. Bonauent. ibi cum Irenæo *lib.* 3. *contra hæreses*, *cap.* 20. Neque solum se probat Pontificem, ac mediatorem, vt ait idem S. Bonauentura cum S. Cypriano *serm. de Passione*, & S. Leone Papa *serm.* 4. *de Passione.* Obtulit enim se pro inimicis, sicuti Aaron olim *Numer.* 16. pro tumultuantibus contra ipsum, qui *Stans inter mortuos, & viuentes, pro ipsis deprecatus est, & plaga cessauit*; sic enim & ipse *cum clamore valido offerens, exauditus est pro sua reuerentia*, vt ait Apostolus

264 *Hebr.* 5. Exauditus est autem non modò sufficienter pro omnibus, si vellent pœnitentiam agere, vt ait S. Bonauentura cum Theophylacto *Luca* 23. & D. Hieronymo, qui in ea verba Isaiæ 27. *Idcircò super hoc dimittetur iniquitas domus Iacob*: Propter hoc (ait) idest, propter Christi orationem auferetur peccatum eius, si voluerit agere pœnitentiam, & merebitur benedictionem Dei, qui sibi maledictionem fuerat imprecatus, dicens: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Itaque ea oratione veniam pœnitentibus obtinuit; & auxilium sufficiens, quo possent pœnitere.

265 Prætereà illa oratione efficaciter obtinuit pro multis salutem, sic enim *Centurio, & alij reuersi sunt, percutientes pectora sua*, licèt de horum pœnitentia dubitet S. Bonauentura *ad* 23. *Luca*, ad id: *reuertebantur percutientes*, & prætereà S. Doctor ait cum S. Leone Papa *serm.* 11. de eius orationis efficientia fuisse, vt prædicatio Petri Apostoli ex iis, qui dixerant: sanguis eius super nos, & super filios nostros, multorum ad pœnitentiam corda conuerteret, & vno die baptizarentur tria ferè millia Iudæorum; fieretque cor vnum, & anima vna paratorum iam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi. Adde cum D. Bonauentura; alio etiam die 5000. conuersos, vi huius orationis.

Hæc verò fuit confirmatio testamenti cœnæ, in quo ipse præ omnibus præceptis charitatem in proximum commendarat, & exemplum heroïcum; & singulare exposuit, transcendens Abilam, & Calpen ordinariæ charitatis; *Vt animam suam ponat quis pro amicis.* Hic enim suo exemplo sigillauit illud præceptum: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*, & illud Matth. 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*, cuius testamenti executor mox fuit Stephanus *Actorum* 7. vt notat S. Bonau. *loco cit.* Hoc autem Suarez non aduertens, dicit; nihil his verbis ad testamentum pertinens reperiri. Sanè ibi reperitur efficax declaratio circa regale præceptum, à quo nouum Testamentum internoscitur: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* 266

Secunda verba fuere dicta Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Hæc sunt verba legantis hæreditatem regni æterni, vt notat D. Bonauent. *ad* 22. *Luca*, in ea verba: *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*, & ad hæc verba: *Hodie mecum, &c.* Sic enim (ait S. Bonau.) se demonstrauit pium Pontificem. Hic enim aperitur ianua regni gloriæ etiam cæteris, vt notat D. Bonauent. ad priora verba *Luca* 22. & *in* 3. *distinctione* 22. *quæstione vltima, ad primum*, quod non aduertens Suarez, dixit, nil ad testamentum hoc pertinere. 267

Tertium verbum fuit ad matrem: *Mulier, ecce Filius tuus*, & ad Ioannem: *Ecce Mater tua.* Hoc pacto constituit matri Ioannem procuratorem, & se absente filium, vt eius curam gereret, sic autem magnum illud præceptum, quod dicitur repromissionis per antonomasiam, sigillauit honorandi parentes, & eorum piam curam habendi, vt notat D. Bonauentura *ad* 19. *Ioan.* ex D. Augustino *tract.* 119. *in Ioan.* & Chrysost. *homil.* 84. *in Ioan.* 268

Addit verò S. Bonauentura ex Chrysostomo, voluisse hoc pacto impudentiam Marcionis retundere, qui negabat, Mariam esse Matrem Christi. Nam si non esset genitus secundùm carnem, neque matrem habuisset, cuius gratia tantam, circa eam solam, habuit prouidentiam? Neque enim, vt notat S. Doctor, talia dixit aliis mulieribus cognatis.

Observat prætereà cum D. Cypriano *sermone de Passione Domini*, eum Christum, qui antea prædicans postulatus dixerat: *Quæ est mater mea?* & in nuptiis: *Quid tibi est mulier?* nunc eam singulari affectu discipulo commendare. Respondet cum D. Augustino *tract.* 119. Tunc diuina facturus, non diuinitatis, sed infirmitatis, matrem velut incognitam repellebat; nunc humana patiens, eam, ex qua factus fuerat homo, affectu commendabat humano. Idem habent Theophylactus, & Eutym. *in Ioannem*; non tamen id fecit affectu carnali, vt notat Cyrillus *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 34. Hic igitur, ait D. Bonau. ex S. Augustino *tract.* 119. *in Ioan.* Facit quod faciendum admonet, & exemplo suo suos instituit præceptor bonus, vt à filiis piis impendatur cura parentibus. Ex quo habetur contra Suarez, hæc ad testamentum Christi spectare, & vt est Princeps Ecclesiæ, & vt est persona priuata. Priuilegium autem factum Ioanni prosequitur ibi S. Doctor ex PP. Enim vide. 269

270 Qvartvm verbum fuit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Hoc verbo non modò suam aperit desolationem, vt fatetur D. Bonau. *ad 23. Luca, & in Meditationibus*, sed etiam recitat ea, quæ sunt *Psal.* 21. protestans, se mori pro peccatis suorum, & ideò ait: *Longe à salute mea verba delictorum meorum*, idest eorum, qui sunt mei, quorum peccats, vt Pontifex, porto ad altare. Petit ibi præmium suæ passionis, & illud legat peccatoribus, multaque alia ad testamentum pertinentia confirmat ex illo psalmo; quod non aduertit Suarez, & sic negat, hoc aliquid testamenti redolere. Ideò voce magna clamauit, vt Pontifex, Hebr. 5. *Qui in diebus carnis suæ, &c.* Voluit autem initium illius psalmi proferre, vt ostenderet, se esse eum, de quo totus dicitur, vt notat Maldonatus *ad 27. Matth. num.* 46. Impiè verò Calvinus *ad 26. Matth.* desperatum clamasse latrat. Sed tota Ecclesia piè reclamat apud Boner. *Exam.* 1. *Ath.* 19.

271 Qvintvm verbum est: *Sitio*, in quo verè suam sitim aperit, vt dixi *quæstione præcedenti*; at hoc fecit, vt consummaretur Scriptura *Psal.* 68. quia iam consummata erant omnia alia. Deinde verò hoc verbo explicuit sitim spiritualem salutis animarum, ve notat S. Doctor *in Meditationibus, cap.* 79. & aliqui Patres exponunt: Hoc verò ad testamenti confirmationem quoad omnia, quæ egerat, & passus fuerat, concernit.

272 Sextvm verbum fuit; *Consummatum est*, hoc latè declarat S. Doctor ad 18. Lucæ: *Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas.* Cùm enim prophetiæ principaliter essent de Christi persona, præsentia, regno, magisterio, & sacerdotio, vt dicitur Isaiæ 33. *Dominus Iudex noster: Dominus Rex, & Legifer noster, Dominus saluabit nos*; nam secundùm quod Rex, regit nos per præcepta, & iudicia: Secundùm quod Magister, erudit nos Mysteriis, & exemplis: Secundùm quod Sacerdos, sanctificat nos sacrificiis, & Sacramentis.

Hæc consummata fuisse in Cruce testatur Christus: Consummata sunt præcepta in charitate, quæ est finis 1. *Tim.* 1. Consummata sunt iudicia in seueritate iudicij contra Christum, vt innuitur *Isa.* 10. consummata sunt Mysteria, vt dicitur *Apoc.* 10. præcipuè sunt consummata exempla: *Decebat enim, eum, per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari.* Hebr. 10. *Vna oblatione consummauit sancti-*
273 *ficatos.* Ibidem, consummata sunt Sacramenta: *Consummabo super domum Iuda Testamentum nouum*, & hoc testamentum consummatum est in sanguine Christi: Ideò dicitur Hebr. 9. *Hic est sanguis testamenti.* Hinc protestatur Christus, impletum testamentum vetus, &c. & nouum superuenire, ad cuius apertionem redditur vetus inualidum; sicut in vltimo testamento inualidantur præcedentia testamenta, codicilli, &c. sic verificatum est id Eccl. 34. *Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.* Igitur hic etiam protestatur, se omnia adimplesse ad redemptionem requisita, vt sibi fiat solutio, sic enim in testamentis similes declarationes fiunt ad bonum hæredis, ne vexetur. Itaque protestatur, quod *vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Hebr. 10. Hæc eadem habet S. Bonau. *ad 19. Ioan. & in Meditationibus, cap.* 79. Hæc si aduertisset Suarez, non diceret, nil agi hic ad testamentum pertinens Christi.

274 Addit verò S. Doctor *collat.* 85. *in Ioan.* multa alia præclara, vbi ostendit, Christum declarasse consummatum vetus testamentum, consummatam esse redemptionem, &c. Ipsum vide.

Postremò clamans: *In manus tuas commendo spiritum meum, expirauit*, prius inclinans caput. Hoc autem non tantùm fuit expressio fiduciæ in Patrem, ne hæretici eum desperatum proclamarent. Aduertit autem S. Doctor ad hæc verba *Lucæ* 23. Christum clamantem hæc protulisse; vt se ostenderet verum Pontificem: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque cum clamore valido offerens, exauditus est*, vt dicitur Hebr. 5. *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedech.*

Præterea clamor ille altissimus in morte, 275
(ait S. Bonauentura) fuit protestatio suæ humanitatis, atque diuinitatis, homo enim clamat; sed in morte deficiens viribus, non potest sic clamare. Igitur ex illo potentissimo clamore collegit Centurio: *Verè Filius Dei erat iste*; hoc autem pacto sigillauit testamentum, apponens se Deum esse, & hominem, vt solent testatores apponere suam personam, suumque statum. Denique protestatus est, se voluntariè mori, vt dixerat Ioan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam. Nemo tollit eam à me.* Denique exponit suarum prætensionum Summam, & creditum apud Patrem, iuxta id Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Sic primò inclinat caput, deinde animam efflat, vt ostendat suam mortem voluntariam meritò præmiandam salute hominum; compensandam obseruatione mandatorum, & perfectissimam agnoscendam. Vide S. Doctorem *ad 19. Ioan.* & in meditationibus, *cap.* 79.

S. Bonaventvra *serm.* 2. *Resurrectionis*, sic 276
verba ista distribuit, vt duo sint dicta pro malis: *Pater, & Hodie, &c.* Duo pro bonis, Ioanni, & Mariæ. Duo pro se, *Deus, Deus meus*, & *Patri commendo*, &c. Duo pro mundo *Sitio*, salutem scilicet, & *Consummatum est*, quidquid debui pro hominibus. Et sic septem verbis vniuersum rerum ordinem disposuit.

QVÆSTIO XVIII.

An Christvs verè, & naturaliter mortuus sit.

Qvotqvot hæretici veritatem humanæ natu- 277
ræ in Christo negant; audent etiam mortem eius negare.

Est tamen articulus de fide, Christum esse mortuum. Sic probatur à D. Bonau. ad Euangelia *Luca* 3. & *Ioan.* 19. vbi præclarè id asserunt Euangelistæ. Deinde idem roborat Symbolo Apostolorum; id probat *in 3. dist. 25. quæst.* 1. & alibi.

Assero primò, mortem Christi fuisse naturalem, prout excludit miraculosam.

Probatvr à D. Bonauent. *collat.* 85. *in Ioan.* ex illis verbis Christi: *Consummatum est*, vbi ostendit corpus passionibus atrocissimis consummatum, vt mori cogeretur, excessit enim dolores mortales aliorum. Naturale autem est homini, dissoluta dispositione vitali, mortem oppetere. Ideò enim dicitur occisus: Ità etiam Suarez *disp.* 38. *sect.* 1.

Obiicies: Christus moriens altè clamauit; 278
hoc autem signum fuit, vigere adhuc vires, vt posset viuere.

Respon

RESPONDET D.Bonauentura *ad 23.Lucæ*, illam vocem non fuisse naturalem, sed virtute omnipotentis Dei emissam: In quo suam diuinitatem ostendit; vt deduxit Centurio: Id protestatur Euangelium: *Videns, quod sic clamans expirasset, &c.*

HINC D.Hieronymus, Matth.26. ait: *Diuinæ potestatis fuisse indicium, spiritum sic emittere*, & ad 15. Marci ait: *Nos cum vua voce, vel sine voce morimur, qui de terra sumus; ille vero cum exaltata voce expirauit, qui de cœlo descendit.* Et Chrysostomus homil. 89. in Matth. *Ea propter* (ait) *voce magna clamauit, vt ostenderet, suâ totum id fieri potestate.* Et Athanasius *quæst.* 77. ad Antiochum dicens; Christum clamasse, vt suam declararet potentiam.

279 DICES: Idem Athanasius quærens *quæst.*78. cur priùs inclinauit caput? respondet: *Quia omnibus impletis, quæ pati debuerat, sola mors restabat adhuc, atque hæc quidem sibi metuens appropinquare non audebat, ideò Christus inclinato capite vocauit ipsam.* Idem habet Euseb. *lib.* 4. *Demonstr. cap.* 12. Hinc Gabriel. *lect.* 82. *in Can.* deducit, Christum non obiisse naturali iam dispositione corpore, confracto, quod videtur innuere etiam Origenes *lib.* 2. *contra Celsum*, & Cyprian. *lib. de Idolorum vanitate.*

RESPONDETVR, illo facto declarasse, se esse Deum, Dominum vitæ, & mortis, & potuisse etiam confracto corpore animam retinere; tamen voluisse cursum naturalem sequi, & ita imperio morti se dedisse: Ita S. Bonauentura ad ea verba Ioan.19. *Inclinato capite tradidit spiritum*, & Chrysostomo *homil.*84. *in Ioan.* & idem habet D.Thom. *quodl.* 1. *art.* 3.

280 ADVERTE tamen, in hac morte, sicut & in passionibus supponi miraculum, vt anima gloriosa permitteret corpus esse passibile; at suppositis passionibus, & corporis temeratis dispositionibus, naturaliter anima cessit.

281 ASSERO secundò, mortem Christi fuisse violentam, idest, contra intrinsecam corporis dispositionem; erat enim optimæ complexionis, quæ non ex se ita succubuisset. Miratus enim est Præses, tam citò obiisse: Ego fixum in mente habeo, Iudæos ictum aliquem, aut toxicum secretum apposuisse, quo citiùs necaretur.

QVÆSTIO XIX.

An VERBVM *in triduo mortis fuerit homo.*

D. Bonau. dist. 22. quæst. 1.
D. Thom. q. 50. art. 4.

282 SOLIDVM fundamentum mortis Christi, quæ est de fide, conuincit, in triduo mortis, Verbum non fuisse hominem; vt enim mortuus sit, debuit desinere esse homo: Attamen aliis fundamentis diuertens Hugo de S. Vict. *lib.* 1. *de Sacram. p.* 2. & Magister *in* 3. *dist.* 22. docent, fuisse hominem, licèt mortuum fateantur.

ADVERTE, S. Bonauenturam sic titulum ponere: *An Christus in triduo esset homo.* Ita & S.Thom. *loco cit.* & Scotus *dist.* 22. *quæst. vnica.* Verùm quia Christus dicit compositum ex duabus naturis, & Suppositum subsistens in vtraque natura; Christus autem in triduo non erat talis, ideò multi carpunt titulum. Attamen sumendo Christum per synecdochen, ponendo partem pro toto, stat titulus, quia erat Christus dicendus à parte principali, sicut inuocatur D. Petrus: ità S.Doctor *ad vlt.* Suarez, & D.Thomas.

CATHOLICA tamen sententia negat, Verbum in triduo fuisse hominem: Ita Scholastici omnes. 283

VT autem eam probemus, & opinionem aduersam conteramus, oportet aduertere, diuersis fundamentis Hugonem, & Magistrum adductos in eam sententiam: Hugo enim asserit, non solum Christum, sed etiam quemcumque hominem mortuum, esse hominem, non modò aptitudine, sed actu, quia putat, Esse hominis saluari perfectè in sola anima rationali essentialiter: Hoc fundamentum alij etiam admittunt, qui dicunt, solam formam esse totam quidditatem rei: Quæ opinio à marginistis Scoti *in* 3. *dist.* 22. *quæst. vnica* adscribitur Auerroi, Alberto Magno, & aliis: Pro hac P.Galitius *part.* 1. *Philosophiæ*, *lib.* 2. *tract.* 6. *quæst.* 2. adducit Bacconium *in* 3. *dist.* 32. *quæst.* 1. *art.* 2. Zabarellum *cap.* 6. *de constit. indiuidui*, Benedictum Pererium *lib.* 6. *cap.* 7.

MAGISTER verò in solo Christo admittit, esse hominem post mortem, quia ad Esse hominis sufficere putat habere corpus, & animam vnita in supposito, licet inter se diuisa sint: Cùm ergo suppositum Verbi in triduo fuerit vnitum animæ, & corpori, sequitur constituisse hominem. 284

ASSERO primò, Verbum in triduo mortis non fuisse hominem:

PROBATVR à D.Bonauentura primò: Id, quod tollit de ratione constitutiua hominis essentiali, detrahit de essentia hominis: Sed mors detrahit de ratione constitutiua hominis Christi: Ergo. Maior est nota. Minor probatur; nam ratio cōstitutiua essentialis hominis est anima, & corpus; quod in Christo adeò verum est, vt dixerit Athanasius in Symbolo: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus*, idest, sicuti anima, & corpus Christi constituunt vnum Christum essentialiter; ita Deus, & homo personaliter, vt omnes exponunt: at mors separat animam à corpore: Ergò tollit esse hominem. 285

RESPONDET Hugo, in sola anima saluari quidditatem hominis.

CONTRA arguit S. Doctor *fundamento* 2. Si sola anima constitueret perfectè substantialiter hominem, sequeretur, hominem ex anima, & corpore constitui accidentaliter: hoc autem est absonum: Ergo. Probatur sequela: Quod aduenit enti in actu, est accidens; tale per te aduenit corpus animæ: Ergo. Minor probatur primò ad hominem contra Pererium *loco cit.* vbi probat, materiam essentialiter ordinari ad formam tali medio, quia est substantia incompleta; alioqui (inquit) est pars essentialis alterius. Tunc sic: Omne ordinatum incompletum, est pars essentialis completi, corpus ordinatur ad animam: Ergo est pars essentialis completi, quod per eam constituitur; hoc autem est esse hominem: Ergo. 286

PROBATVR secundò Minor. Si corpus naturæ humanæ esset per accidens; sequeretur B.Virginem quæ solum corpus ministrauit, non esse Matrem Christi hominis: Idem de cæteris matribus sequeretur. Hoc autem est absurdissimum: Ergo corpus non est pars accidentalis hominis. 287

PROBATVR tertiò illa Minor à D.Bonauentura *hic, fundam.* 2. & *dist.* 2. *art.* 2. *quæst.* 3. ex Philosophis, qui asserunt, materiam esse partem intrinsecam substantiæ corporeæ: Sic Aristotel. 7. *Metaph. t.* 6. vbi definit, quod sicut ex hac materia, & hac forma fit hoc indiuiduum vltimatè; ita ex materia, & forma in communi resultat quidditas communis; ratio verò est, quia forma est actus, materia est eius poten

potentia, atque adeò faciunt vnum per se: Plurimos pro hac sententia Philosophos affert P. Galitius *loco cit.* & ego *p. p. tract. 5. disp. 5. quæst. 2.*

288 PROBATVR quartò a D.Bonau. *in 3. dist. 2. art. 2. quæst. 1. & 3.* ex Scriptura, & CC. & PP. definientibus, Christum assumpsisse verum corpus, quia veram naturam assumpsit, quæ referunt & alij Scholastici *3. dist. 2.* & Commentatores D.Thom. *quæst. 6.* vbi præcipuè Suarez *disp. 15. sect. 2. & 3.* & nos retulimus *disp. 9. quæst. 4.* Estque argumentum familiare Damasceno *3. de fide, cap. 12. & 16.*

289 PRÆCIPVE confirmatur, quia Ioannes volens *c. 1.* describere, Verbum factum hominem, dicit: *Verbum caro factum est*, & Paulus Hebr. 1. *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & Filius Dei participauit eidem*, & Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.* Vnde ex reuelatione hoc certum est, vt ait etiam Vulpes *disp. 61. art. 2.* qui immeritò dicit, sublata reuelatione, non benè argui. Assumpsit carnem: Ergo factus est homo: Etenim caro non spectat ad veritatem humanæ naturæ, sicut nec capilli, humores, vngues &c. Hæc sanè inania sunt; nam anima est actus corporis organici, vt ait Aristoteles; ad organa verò necessaria est caro: Quomodo enim possit esse cor absque carne, musculis, & aliis? Legat hæc dicere anatomistas, Vessalium, Veslingium, Vallem viridem, Bartholinum, & os.

RESPONDET *num. 9* hæc spectare ad veritatem vitæ mortalis.

290 CONTRA; nam Christus *Luca 24.* ad veritatem suæ vitæ naturalis iam gloriosæ adducit: *Palpate, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

RESPONDET, eum probare, se non esse spiritum. At ipse vult probare: *Ego ipse sum*, & veritatem corporis gloriosi, vt notat S.Bonauentura ibi ex D.Gregorio, & Glossa ad hunc locum.

D.AVGVSTINVS 13. de Ciuit. *cap. vlt.* ait: *Hoc verum est, quòd non totus homo, sed pars melior est anima; nec totus homo corpus, sed inferior pars hominis; sed cum est coniunctum, vtrumque simul habet hominis nomen.*

DAMASCENVS lib. 3. de fide, cap. 49. *Plures hypostases hominum sunt, omnes autem eandem recipiunt rationem naturæ; omnes enim ex anima compositi sunt, & corpore.*

291 PROBATVR secundò à D.Bonauentura: Nulla forma prædicatur de toto, quatenus forma est; sed hoc conuenit formæ totius: at homo prædicatur de Christo, dicitur enim: *Christus est homo:* Ergo ratione formæ totius compositi, non autem ratione animæ, quæ est formæ pars. Maior probata est *p. p. tract. 5. disp. 5. quæst. 4.* quia species est tota ratio indiuidui: Eadem habet S.Doctor *dist. 2. art. 2. q. 3.*

PROBATVR quartò à S.Doctore, Corrupto superiori gradu, corrumpitur inferior; vt patet discurrenti per gradus scalæ substantiæ: Substantiâ enim destructâ, impossibile est, esse corpus, & destructo corpore, esse viuens, & destructo viuente, esse animal, & destructo animali, esse hominem; at in triduo mortis destructum fuit viuens, vt patet: Ergo & destructus est homo.

292 PROBATVR quintò à S. Doctore. Omnis homo perfectus habet gradum sensationis cum suis organis perfectis: Sed Christus in triduo non habuit organa sensationum, vt possit videre, audire, &c. Ergo.

PROBATVR sextò: Sicut vnio diuinæ naturæ, & humanæ facit Deum hominem; ita vnio animæ corpori facit animatum, quod homini supponitur: Sed Christus in triduo mortis non fuit animatus: Ergo. Maior est D.Athanasij *loco citato.*

PROBATVR septimò *in corpore* contra Hugonem: Quod ad aliud ordinatur essentialiter, non dicit esse rei completum subsistens: Anima essentialiter ordinatur ad corpus: Ergo.

PROBATVR octauò ibi contra Magistrum, quia implicat, naturam substantialem compositi sufficienter constitui altera parte; sed natura hominis est substantialiter composita: Ergo. 293

OBIICIES primò cum Magistro ex D. August. *5. de Trinitate, cap. 13.* Talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem fecerat; & hominem Deum: at illa susceptio Verbi in morte non cessauit: Ergo permansit homo Deus, & Deus homo.

RESPONDET S.Doctor, susceptionem, seu assumptionem illam fecisse Deum hominem, quia Verbum assumpsit non partes seorsim, sed vnitas, atque adeò naturam humanam integram; cùm igitur hæc integritas in morte soluta sit, non remansit Deus homo: Ita respondet etiam D.Thomas *ad 1.*

HANC responsionem erroneam, & indoctam vocat Vulpius *disp. 65. art. 4. num. 11.* arguens sic: Ex vi susceptionis non minus Deus est homo, quàm homo Deus: hæc susceptio per S.Thomam in morte non cessauit: Ergo. Hæc tamen instantia, cùm iam soluta sit, petit principium. 294

RESPONDET ipse negando Minorem, alioqui solus homo diceretur mortuus, non autem Deus: Cessauit susceptio totius, remansit illa partium: Sed quid, obsecro, addit Seraphico, & Angelico? Quod verò ad eam sequelam, non ideò mortuus est Deus, quia soluta fuerit vnio totius humanitatis cum Diuina persona, sed quia soluta est vnio animæ à corpore formaliter fuit mors; at quia vtraque pars sustentatur Supposito Verbi, dicitur per communicationem idiomatum, *mortuus est Deus*; alioqui videtur ipse inducere mortem formaliter in Verbo: Reliqua argumenta in D.Bonauentura sunt facilia.

AD illod verò argumentum, quod è Scoto attulit Fauentinus *disp. 51. num. 9.* Christus in triduo fuit Christus: Christus autem est homo: Ergo. 295

RESPONDET Scotus ex D. Bonauentura Christum in triduo propriè perfectè non fuisse Christum, sed tantùm per synodochen: Christus enim dicit Deum, & hominem.

QVÆSTIO XX.

An in triduo manserit DEITAS *vnita carni.*

{ D.Bonau. in 3. dist. 21. quæst. 2. art. 1.
D.Thom. q. 50. art. 1.

ASSERO, Diuinitatem in triduo mortis mansisse vnitam carni. 296

PROBATVR præcipuè à D.Bonauentura primò: Communicatio Diuinorum idiomatum naturæ humanæ aduenit ex vnione ad Verbum: At in eo triduo permansit communicatio idiomatum; dicitur enim Christus, & Filius Dei mortuus, sepultus in Symbolo Apostolorum: Ergo. Eadem ratio est D.Thomæ.

ALTERA ratio præcipua vtriusque sancti Doctoris *in corpore*, est: Id, quod datur à Deo per gratiam, non tollitur, nisi per peccatum; nam Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei*, vt patet in gratia adoptionis; at in Christo nullum fuit peccatum: Ergo. 297

Hanc

Hanc rationem sumpsère ex Gregorio Nyss. *oratione prima de resurrectione*, eamque egregium acclamat Suarez ad articulum hunc D.Thomæ.

OBSERVANT autem Caietanus, Suarez, & Nazarius *ad art. D Thom.* maiorem intelligi de donis ex se permanentibus; & de se incorruptibilibus, nam gratiæ, quæ stant in actu secundo, sunt transeuntes, & possunt amitti sine culpa.

OBSERVANT secundò Suarez, & Nazarius, gra-
298 tiam permanentem posse corrumpi ad corruptionem subiecti: Hinc vnio hypostatica cum tota natura humana integra soluta est ad solutionem humanitatis; at verò quia non fuit soluta caro, vt dicitur *psal.15.* sequitur non fuisse à carne Deitatem solutam, vt notat D.Bonauentura *in corpore.*

PROBATVR etiam à S.Doctore ex Leone Papa, & D.August. *lib. cont. Felicianum*, vbi ait: *Sic mortuus est, non recedente vita, sicut passus est, non pereunte potentia.* Et Damasceno *3. de fide, cap.27.* vbi ait: *Si mortuus est vt homo, & anima illa sancta ab eius corpore diuisa est; diuinitas tamen ab vtroque inseparabilis permansit, neque vna ista hypostasis in duas di-*
299 *uisa est: etenim corpus, & anima a principio in Verbi hypostasi habuerunt subsistentiam, & in morte à se inuicem diuisa manserunt: singulum autem eorum vnam hypostasim Verbi habet: neque enim corpus, neque anima propriam hypostasim habuit præter hypostasim Verbi:* Confirmatur ex dogmate orto ex eodem Damasceno, loco citato: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Eadem exprimit Athanas. *lib. de Incarnat. Christi*, & Augustin. *tract.47. in Ioannem.*

OBIICIES primò. Soluto medio, soluuntur ex-
300 trema: sed Verbum vnitur carni media anima, vt ait Damascenus *lib.7. de fide, cap.6.* Ergo cùm in morte separata fuerit anima à carne, sequitur separatum etiam Verbum.

RESPONDET D.Bonauentura, maiorem veram esse de medio necessario; non autem congruo: at anima fuit medium non colligantiæ, neque necessitatis, sed congruitatis, vt Verbum vniretur carni, quatenus caro per animam spectat ad humanam naturam, & congruum fuit, vt Vita vniretur carni viuenti; & ideò soluta anima potuit manere vnitum carni, eo autem magis, quia caro, licèt non actu, tamen habitu, ordinabatur ad animam: Ita respondet etiam D.Thomas.

OBIICIES secundò. Destructo priori destruitur
301 posterius: Sed vnio animæ ad corpus est prior vnione corporis Deitati: Ergo illà destructa, destruitur etiam ista.

RESPONDET S.Bonauentura, maiorem esse veram de eo, quod est prius, à quo pendet essentialiter posterius: at vnio deitatis ad carnem pendet ab vnione carnis cum anima, ex sola quadam decentia, vt dixi.

OBIICIES tertiò: Deitas non est vnibilis naturæ insensatæ: Caro post mortem est insensata: Ergo.
302 RESPONDET D. Bonauentura, decenter quidem non esse vnibilem, atque adeò in prima assumptione fuit vnita carni animatæ; attamen nunc etiam est decenter vnibilis, quia ordinatur ad resurrectionem, & interim decuit, manere vnitam cum Verbo, neque exhonorari, dum spoliata est anima ad nostram complendam redemptionem.

OBIICIES quartò: Omnis vnio terminatur ad aliquod vnum; at vnio Deitatis cum carne non faciebat quid vnum, quia non faciebat vnum in natura, vel persona: Ergo.

RESPONDET S. Bonauentura, terminatam esse vnionem ad vnum in hypostasi; attamen non in recto, vt diceretur homo; sed in obliquo, vt diceretur hypostasis carnis; at verò cum natura tota terminabatur ad vnitatem hypostasis in recto, vt homo iste diceretur Persona.

ADVERTE, aliquos PP. videri indicare separa- 303
tionem factam deitatis à carne, vt Hilar. *in Matth.* Ambrosius *in Lucam*, ad ea verba: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Et Eusebius *lib. 4. demonstr. cap.12.*

ATTAMEN isti Patres non loquuntur de recessu diuinitatis per diuisionem, sed per solitudinem ab omni gaudio, in qua reliquit carnem in vehementissima passione: Ita D. Bonauentura ad ea verba,
Ioan.19 *Tradidit spiritum*, & Meditationum, *cap.79.* 304
& *in 3. dist. 21. quæst.1. ad 4.* & Suarez *disput.38. sect. 2.* cum D. Thoma, & eodem modo intellige Cyrillum, qui concedere videtur, *in reprehensione 12. anathematismi*, separationem: Ita exponunt etiam Sixtus in Bibliot. *lib.6. annot.126. & 164.* & Magister *dist.21.* & Nazarius *ad art. D. Thom.* Videtur tamen Ambrosius veram dicere diuisionem: Ideò Vulpes respondet, diuisam esse deitatem à tota natura humana in eius destructione.

QVÆSTIO XXI.

An in triduo manserit DEITAS *vnita animæ.*

D.Bonau. dist. 21. quæst. 1.
D.Thom. quæst. 50. art. 3.

ASSERO, Deitatem mansisse vnitam animæ in 305
triduo mortis.

PROBATVR primò à D. Bonauentura ex D Damasceno *3. de fide, cap.27.* vbi anathema indicit asserenti, Verbum dimisisse, quod semel assumpsit, quod de partibus principalibus intellige: Idem habet D.Augustin. citatus à S. Doctore *ex tract.47. in Ioan.* Aduertit tamen in margine, hanc sententiam solum deduci ex his Patribus.

PROBATVR secundò à S.Doctore: Communicatio idiomatum oritur ex vnione; sed in Symbolo dicitur: Filius Dei descendit ad inferos, cùm tamen sola anima descenderit: Ergo anima erat vnita Verbo, vnde hæc communicatio idiomatum ad Verbum transiret: Eodem argumento nititur D.Thomas.

PROBATVR tertiò à D.Bonauentura. Vnio erat ratio, vt anima esset beata; sed semper fuit à primo instanti creationis beata: Ergo nunquam separata à Deitate. Maior, & Minor probata est, *disput. 14. quæst.2. & seq.*

PROBATVR quartò à S. Bonauentura, quia ani- 306
ma Christi, cùm esset beata, non potuit velle separari à Verbo, quia est malum; nec potuit inuita, quia beata itidem erat, & Deitati altè vnita, veluti indissolubili connubio, vt aiunt Patres citati.

NEQVE hoc erat expediens; nam anima ex vnione cum Deitate reddebatur potens mediatrix ad Deum, Saluatrix hominum, victrix inferni: Vide D. Bonauenturam.

OBIICIES primò: Verbum loquitur, Ioan.10. *Ego pono animam meam*, idest depono eam in morte, vt iterum sumam eam: Ergo aliquando in morte diuisa est.

RESPONDET S. Bonauentura, & S.Thomas ex 307
D.August. *tract.47. in Ioan.* Verbum non formaliter ex se deposuisse animam, sed vt est homo carni vnitum deposuisse efficienter animam, separando eam

eam à carne sua: Itaque non dicit: *Pono animam meam à me diuisam.* Hac responsione vtuntur etiam alij *ad art. cit. D. Thomæ*: Itaque caro ipsa non propria virtute, sed virtute Verbi seipsam seiunxit, & iterum se vniuit in resurrectione ipsi animæ: Vbi non volunt dicere S. Doctores, vt putat Suarez, carnem ipsam deposuisse animam: Sed Verbum ipsum abstraxisse carnem ab anima; ita vt etiam ipsa anima in diuisione ad Verbi operationem recesserit; & accesserit ad animam, seu separata sit, & reunita Verbo diuidente, & seorsim vtramque ponendo: Ita respondet etiam Nazarius *ad art. citatum D. Thomæ*, cum Caietano, & Vulpes *disp. 61. art. 3. num. 6.* Vide etiam D. Bonauent. *dist. 21. dub. 2. litt.*

308 Respondet S. Doctor secundò ad eum locum, Ioan. 10. *Ego pono animam meam*, significare vitam, & mortem subibo: Sic enim (ait S. Bonauentura, & *cap.* 13. dicit Petrus: *Animam meam pono pro te*, quod alij Euangelistæ dicunt: *Etiamsi oportuit me* Matth. 26. *Etsi oportuerit me commori tibi*, Marci 14. *Paratus sum in mortem ire*, Lucæ 22. Hæc expositio est planior, & eam adhibent Caietanus, Medina, Nazarius *ad art. D. Thom.* Vulpes *loco citato*, eamque præ cæteris laudat Suarez: Habuit tamen anima, vt instrumentum Verbi saltem virtutem præseruandi corpus à morte, vt fatetur ipse Vulpes *disp. 58. art. 2.* Reliqua argumenta D. Bonauenturæ facilia sunt.

309 Hic oportet aduertere Vulpium *loco citato*, vehementer gloriari, hanc veritatem pendere ex opinione Scoti, distinguentis totum à suis partibus realiter; nam si essent idem totum, & partes, vt volunt Thomistæ, iam soluto toto, & separato à Verbo, separatæ fuissent & partes, & in hoc mirè subtilitatem Scoti laudat.

310 Verum nil mirum inuenio; nam differentia inter Scotum, & nos non est: An partes seorsim sint aliud à toto, sed: An partes coniunctim vnitæ in vnum sint distinctæ à toto, vt fatetur Fauentinus *Theorem.* 21. Quare nos in nostra sententia sustinemus optimè, mansisse Verbum vnitum partibus solutis, quia, licèt Verbum vnitum fuerit toti, & partibus vnica vnione adæquata; attamen separatis partibus relinquitur vnitum inadæquatè; nam assumpsit partes prius natura, *vt quod*; & totum fuit veluti consumptum, licèt ordine intentionis, assumptæ fuerint partes in ordine ad totam humanitatem sibi copulandam, vt dixit *disp. 10. quæst. 5.*

311 Huc reuoca id, quod definit etiam S. Bonauent. *dist. 21. q. 3.* animam, & corpus assumpta à Verbo vnica vnione adæquata, nam fuere assumpta, simul quà vnita vnica vnione, sed pluribus in potentia, & ita quando fuere partes separatæ, remansit Verbum partibus vnitum, & seorsim aliâ, & aliâ relatione referebantur ad Verbum; nam intellecto, quòd caro non esset vnita, adhuc poterat intelligi vnita anima: Vide S. Doctorem ibi.

QVÆSTIO XXII.

An, & quomodo fuerit idem corpus CHRISTI *viuum, & mortuum.*

{D. Thom quæst. 50 art. 5.

312 Solutio huius quæstionis apud nos pendet ex illa celebri: An in viuente corpore dentur plures formæ, præcipuè forma corporeitatis, quam latè probauimus *p. p. tract. 9. disp. 2. quæst. 3.*

Omnes quidem Theologi consentiunt, fuisse idem corpus Christi viuum, & mortuum; at iuxta varia fundamenta varij sunt in modo.

313 Quicunque negant in corpore viuentis formam corporeitatis distinctam ab anima, asserunt, in recessu animæ Christi remansisse materiam solam absque omni forma substantiali præcedente, sed vel nudam remansisse, vt tenet Marsil. *in 3. quæst. 3. art. 5. & quæst. 13. art. 2.* & arbitratur probabile Henric. Gand. *quodl. 1. quæst. 4.* vel inductam formam cadaueris, vt opinantur D. Thomas, & discipuli omnes, vt refert Nazarius ad hunc articulum, & Suarez *disp. 38. sect. 3.* & idem docent multi Iesuitæ.

Hi igitur coguntur dicere, corpus Christi non fuisse idem totaliter mortuum, quod erat viuum, sed solùm, quia idem est suppositum, eademque materia cum eadem relatione ad illam animam.

314 E regione quicunque censent, corpus viuens habere suam formam propriam corporeitatis, inferunt consequenter, corpus Christi mansisse idem post mortem, quia mansit eadem materia, & eadem forma: Ita D. Bonauent. *in 2. dist. 17. art. 1. quæst. 2. ad vltimum*, vbi ait: Corpus organicum ex materia, & forma compositum est, & tamen habet appetitum ad suscipiendam animam: Idem habet *in 3. dist. 6. art. 2. quæst. 1.* & *serm. 1. & 4. in Genes.* & *in 4. dist. 44. dub. 4. litt.* & *dist. 49. part. 2. art. 4. quæst. 5.* vt refert P. Galtrus *p. p. Philosophiæ, lib. 1. tract. 6. quæst. 4. num. 4.*

Assero, corpus Christi fuisse idem viuum, & mortuum ex nostris fundamentis, non autem è D. Thoma.

315 Probatur primò ex S. Bonauent. *in 4. dist. 43. quæst. 4. fundam. 3.* Identitas rei substantialis sumitur à principiis constituentibus intrinsecè illud: sed principia corporis substantialis sunt materia, & forma propria: Ergo. Maior est euidens: Minor satis probata est *p. p. loco adducto*: Est enim anima actus corporis organici, potentiâ vitam habentis, vbi corpus supponitur ex forma organica, & tantùm in potentiâ ad animam, vt ibi notauimus cum expositoribus, quibus adde Vulpium *disp. 61. art. 5.*

316 Probatur secundò ex eodem S. Doctore *loco citato in corpore.* Manente eadem forma corporis, manet eadem essentia corporis: Sed in corpore Christi mansit eadem forma corporis: Ergo. Maior probatur ex Aristotele *7. Metaph. t. 9.* vbi formam vocat quidditatem rei, saltem præcipuam, & idem habetur *text 34. & 35.* Minor probatur. Si forma corporis corrupta est, sequitur vel materiam remansisse nudam, vel aliam formam superuenisse: Sed non potest alterutrum dici: Ergo. Non primum, quia non potest materia stare sine omni forma, vel si per miraculum remansisset, iam accidentia omnia corporis Christi fuissent destructa; sed hoc est falsum: Ergo. Minor probatur, quia *Lucæ* 24. testatur: *Ego ipse sum. Videte manus meas, & pedes meos*, vbi è cicatricibus arguit identitatem carnis viuæ, quæ erat mortua, vt notat S. Bonauentura ibi, & diximus *p. p. loco adducto.*

317 Neque potest dici aduenisse nouam formam. Primò, quia noua etiam accidentia superuenissent, atque adeò non fuissent eædem cicatrices, contra id, quod suprà ostendi: Et contra *Zachariæ* 13. verba, vbi Christus redeuiuus interrogatur: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Et respondet: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.*

318 Secundò probo, non aduenisse nouam formam, quia debuisset forma illa, puta cadaueris, assumi à Verbo, vt posset dici saltem per synecdochen: Christus

ſtus ſepultus, & triduo in ſepulchro, & corde terræ fuiſſe, ſicut Ionas in ventre ceti, vt dicitur *Matthæi* 12. *Lucæ* 11. vt notat D.Bonauent.*ad* 11.*Luca*, addens illud Ioan.2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, vbi idem corpus ſolutum, & rurſus excitatum aſſeritur;at verò illa forma,puta cadaueris, non fuit aſſumpta à Verbo, alioqui dimiſſa fuiſſet in reſurrectione, contrà effatum Damaſceni *lib.*3. *cap.*27. vt arguit Marſilius.

PRÆTEREA ſi aſſumpta eſt natura cadaueris, ſequitur locutionem hanc veram eſſe: Deus eſt cadauer, vel cadauer eſt Deus; non enim, vt pars ſumitur, ſed vt natura integra, eſto imperfecta; ſicut igitur diceretur: Deus eſt vapor, ſi vaporem aſſumeret, ita &c. at hoc non admittitur à Theologis: D. Thomas enim *ad* 3. negat poſſe dici, Verbum eſſe corpus, quia ei vnitum eſt ſolùm, vt parti naturæ humanæ; at cadauer non poteſt dici pars naturæ humanæ: Ergo verè diceretur: Cadauer eſt Deus.

319 PORRÒ Verbum remanſiſſe vnitum corpori ſolùm vt parti, docent etiam S Bonau. *diſt*.21. *quæſt*. 2. & Richard. *diſt*.21.*art*.1. *q*.2. vt notat Suarez. Tandem Patres dicunt, corpus manſiſſe vnitum Verbo, & illud idem, non facta noua vnione, vt dixi cum S. Doctore, ex PP. *quæſt*.2.

320 Ex altera parte, ſi illa forma cadaueris non fuerit aſſumpta, ſequitur, ſubſtitiſſe ſubſiſtentia creata; ſed hoc eſt falſum: Ergo. Minor probatur à S.Doctore *in* 3. *diſt*.21. *quæſt*. 2. *ad* 4. ex D. Damaſceno *lib*.3. *de fide*, *cap*.27. vbi ait: *Si mortuus eſt vt homo, & ſancta illa anima ab eius corpore diuiſa eſt: diuinitas tamen inſeparabilis ab vtroque permanſit, neque vna iſta hypoſtaſis in duas diuiſa eſt. Etenim corpus, & anima à principio in Verbi hypoſtaſi habuerunt ſubſiſtentiam, & in morte à ſe inuicem diuiſa manſerunt: ſingulum autem eorum vnam hypoſtaſim Verbi habet, neque enim corpus; neque anima propriam habuit hypoſtaſim, præter hypoſtaſim Verbi.* Idem habent alij Patres, vt refert D.Thom. *ad* 3. & Suarez *diſp*.38. *ſect*. 3.

321 SVAREZ non timet concedere, naturam illam cadaueris eſſe aſſumptam, vt poſtea dimitteretur, quia aſſumebatur non per ſe, ſed in via ad reſurrectionem, neque cenſendam nouam vnionem, ſed veluti concomitantem illam primam.

PROFECTÒ hæc non videntur conſona dictis Damaſceni, & aliorum Patrum: Argumenta ſoluta ſunt *p. p. loco citato*.

QVÆSTIO XXIII.

An in illa ſeparatione animæ, caro CHRISTI, *licèt vnita Verbo, eſſet mortua.*

{ D.Bonau. d.21. quæſt.2.

322 ASSERO, in eo caſu carnem verè eſſe mortuam.

PROBATVR à D. Bonauentura primò ex Symbolo, vbi dicitur Chriſtus mortuus, ſed hoc ratione ſolius carnis: Ergo.

PROBATVR ſecundò à S.Bonauentura, quia vita corpori datur à forma viuificante; ſed forma viuificans in eo caſu abeſt.

PROBATVR tertiò, quia non habebat ius ſenſuum, quod ad vitam pertinet, non ad mortem.

PROBATVR quartò ab eodem, quia reſuſcitauit: Ergo, &c. reſuſcitatio enim mortem præſupponit. Argumenta S.Doctoris facilia ſunt; ideò eorum ſolutionem prætermitto.

SOLVM nota vltimum, circa quod S. Thomas texit articulum 3. *quæſt*.51. Caro Chriſti non poterat corrumpi, vt dicitur Pſal.15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, vt exponunt omnes PP. Damaſcenus 3. *de fide*, *cap*.28. Auguſtinus, Hieronymus, Baſilius, Theodoretus in eum locum, & quod caput eſt *Actorum* 2. exponitur à Petro: Et à Paulo *Act*.13. Sed ſi fuiſſet mortua, iam corrupta fuiſſet. 323

RESPONDET vterque S.Doctor, Sanctiſſimam hanc carnem fuiſſe Diuina virtute præſeruatam, ſed tamen illa præſeruatio non erat viuificatio; nam hæc informationem exigit.

QVÆSTIO XXIV.

An propter mortem humanitatis mors VERBO *ſit adſcribenda.*

{ D Bonau. diſt.21. quæſt 3.
{ D.Thom. quæſt.46.art.12.

EX dictis *diſp*.18. liquet huius quæſtionis deciſio: 324
Titulus D.Bonauenturæ eſt ſuprà poſitus; at D. Thomas quærit: An diuinitati ſit attribuenda mors.

ASSERO primò, mortem non conuenire Filio Dei ratione Diuinæ naturæ.

PROBATVR primò à S.Bonauentura ex Concilio Toletano primo, & ex D.Auguſtino *ſerm*.3. *in cæna Domini*, vbi ait: *Si quis dixerit, atque crediderit, Deum paſſum; anathema ſit.* Vbi licèt perſona Filij Chriſti ſit mortua, & ideò dicatur Filius Dei in ſymbolo paſſus, mortuus, & ſepultus; non tamen id dicitur ratione deitatis, vel perſonæ Verbi formaliter; nam, vt ait D.Thomas ex Athanaſio, epiſtola ad Epitectum: *Naturâ Deum manens Verbum eſt impoſſibile.*

ASSERO ſecundò, mortem humanitatis Verbo 325
adſcribi, ſed ratione humanæ naturæ.

PROBATVR ab vtroque S. Doctore, quia cùm vnio vtriuſque naturæ ſit facta in perſona, ſecuta eſt communicatio idiomatum in concreto, vt dixi *diſp*. 18. *quæſt*.1. atque ideò Filius Dei dicitur: *Paſſus ſub Pontio Pilato, mortuus, &c.* Vnde in epiſtola Synodali Cyrilli, quæ habetur in prima Synodo, Epheſ. cap. 2. habetur: *Si quis non confitetur Dei Verbum paſſum carne; anathema ſit.* Idem vult Scotus *diſt*.7. *quæſt*.1. & alij.

VVLPIVS *diſp*. 57. *art*. 8. miram implicantiam 326
D.Bonauenturæ, & D.Thomæ adſcribit, eo quod negent, Chriſtum ratione deitatis mortuum: at D.Thom.*quæſt*.48.*art*.2.aſſerit cum S.Doctore *ad* 3. Chriſtum cauſaſſe noſtram ſalutem per modum ſatisfactionis ex dignitate vitæ effuſæ, quæ erat vita Dei, & hominis.

QVOMODO (ait Vulpes) vitam Dei obtulit in cruce; ſi Chriſtus non eſt paſſus ratione Diuinæ naturæ? aut quomodo dignitas paſſionis Chriſti ex dignitate perſonæ eſt penſanda? aut quomodo Iudæi crucifixerunt Dominum gloriæ? vt ait Apoſtolus 1. *Cor*. 2.

RESPONDETVR ex dictis *diſp*.3.*quæſt*.8 & *diſp*.18. 327
quæſt.1.*& ſeq*. abſque contradictione ſtare Chriſtum non eſſe paſſum ratione Deitatis, quia licèt dicatur Dei Filius, quatenus ſubſiſtit in natura humana, & conſtituit hunc hominem; paſſus, & mortuus, eo

quod

quod actiones sunt suppositorum, attamen ipsum Verbum non est formaliter passum, sed solum ratione humanæ naturæ; neque tamen propterea impe-
328 ditur, quin actiones, & passiones, quæ sunt circa singularia, seu suppositorum, moralem dignitatem infinitam contraxerint, & vita illa re sit vita Dei, & verè Rex gloriæ crucifixus dicatur, non vt subiectum, sed vt terminus, vt ipse Vulpius ait, nimis mordax.

QVÆSTIO XXV.

Quibus sit mors CHRISTI *adscribenda actiuè.*

D. Bonau. ad 18. Lucæ. dist. 21. dub. 1.
D. Thom. quæst. 47.

329 ASSERO primò, Christum occisum à Iudæis, & Paganis.

PROBATVR à D. Thoma *art.* 1. & D. Bonauent. *ad* 18. *Luca*, ex Christi vaticinio, se à Iudæis tradendum gentibus ad illudendum, flagellandum, & occidendum. Huius figuram habes in Ioseph tradito à fratribus suis pretio Ismaëlitis *Genes.* 37.

AUDVNT verò S. Thomas *art.* 1. & S. Bonauent. *dist.* 21. *dub.* 1. posse dici, Christum tradidisse seipsum, sinendo se occidi, cùm possit impedire Iudæos, & Paganos: Ideò *Ioan.* 10. vt notat S. Doctor, testatur Christus, se liberè ponere vitam; & affert ibi D. Augustin. tract. 47. dicentem: *Non glorientur Iudæi, quasi præualuerint, ipse posuit animam suam.* Idem habet 4. *parte Breuil. cap.* 8. & aliis locis, asserens, sic Christum à Patre traditum Iudæis, vt ipse semetipsum tradiderit.

330 GRAVITAS deicidij à D. Bonauent. *dist.* 20. *q.* 5. *ad* 6. innuitur, & D. Thom. *quæst.* 47. *art.* 6. vbi ait, peccatum eorum fuisse grauissimum, tum ex malitia, quia cognouerant Christi innocentiam, & potuissent cognoscere etiam Deitatem; Deinde fuit grauissimum ex genere, quia fuit Deicidium, contra religionem, & ideò post peccata in virtutes Theologicas, hoc fuit grauissimum: Vide Suarez *ad eum articulum D. Thomæ.*

QVÆSTIO XXVI.

De ictu Lanceæ in CHRISTI *corpus.*

331 PRIMÒ quidem assero, ictum Lanceæ inflictum Christo, iam mortuo: Ita expressè Ioan. 19. *Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed vnus militum lancea latus eius aperuit.*

HÆRETICVS quidam Petrus Ioannes, quem referunt Castro *lib.* 4. *cont. hæreses*, & alij, detorquebat sensum, vt poneretur perfectum pro plusquamperfecto *aperuerat*, & ideò viuum percussum esse lanceâ.

332 VERVM hanc opinionem hæreticam declarat Clemens V. in Concilio Viennensi *de summa Trinitate*, & ipse textus clarus est, vt obseruat Suarez *disp.* 41. *sect.* 1. post D. Bonauenturã ad eum locum; nam ibi dicitur: *Cùm vidissent eum iam mortuum, non fregerunt crura*, sicut à Pilato impetrarant, si adhuc viueret, vt de cruce eum traherent; sed tamen vnus militum, &c. quasi dicat; etiamsi mortuo, tamen inflixere vulnus lanceæ.

QVO verò in latere infixa sit lancea, non est certum: S. Bonauent. *in Meditationibus, cap.* 80. dicit effossum fuisse latus dextrum.

OMNES quidem fatentur, tunc impletam figu- 333
ram insignem formationis Euæ è latere Adæ; & ita hîc formatam è latere Christi Ecclesiam: Ita D. Bonauent. *ad eum locum Ioannis*, & colligitur ex illo, Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, vt notarunt Clemens Papa V. in citata Clementina, Eucherius, Rupertus, & alij *in Genes.* August. *tract.* 9. *in Ioan.* & 9. *Genesi ad litt. cap.* 19. Leo Papa *epist.* 22. Ambrosius, Hieronymus, Anselmus, & Chrysost. *in eam epistolam*, Tertullian. *lib.* 3. *contra Marcionem*, & *lib.* 5. *cap.* 18. & *lib. de anima, cap.* 11. & 21.

CONIICIVNT tamen nonnulli, sinistro latere vulneratum, vbi cor vergit acumine, & ideò sentitur motus dilatationis, & contractionis.

FVISSE autem verum sanguinem, & veram 334
aquam, vt definit Innocentius *cap. In quadam, de celebratione Missarum*, probat S. Doctor acutè; nam illo sanguine significabatur, Christum Ecclesiam suo sanguine redemisse, & aquâ baptismi abluendam, vt ait Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 1. *Quare aqua? quare sanguis? aqua vt emundaret; sanguis vt redimeret*, & idem habent S. Cyprianus *de Syna Sion.* in fine, & *de Pass. Domini*, in fine: Tertullian. *lib. de Baptismo, cap.* 16. suppositis dictis, *cap.* 9.

ALII etiam PP. dicunt, inde profluxisse Sacramenta Ecclesiæ, vt docet D. Bonau. *in Meditation. loco citato.* & *ad* 19. *Ioan.* vbi Patres refert: Sic Leo Papa *epist.* 4. *cap.* 6. August. *tract.* 15. & 120. *in Ioan. lib.* 2. *de Symbolo ad catech. cap.* 6. *lib.* 15. *de ciuitate, cap.* 26. *lib.* 22. *contra Faustum, cap.* 10. Chrysost. *homil.* 84. *in Ioan.* Cyrillus *lib.* 12. *cap.* 39. Ambros. *lib.* 10. *in Lucam, cap. de commendatione Mariæ.*

ALII per aquam Baptismum; per sanguinem Martyrium explicant: Ita Ruffinus *in expositione Symboli*, Hieronym. *epistola* 83. 335

ALII aquam ad lauandam maculam Pilati, qui lauans manus aquâ in signum eius innocentiæ, tamen eum condemnarat; sanguinem verò, ad delendum peccatum eorum, qui clamarant: *Sanguis eius super nos.* Ita Cyrillus Hierosol. In hoc autem videtur S. Doctor *ad locum Ioannis*, admittere meritum, non quidem tunc acquisitum, quia erat mortuus, & extra viam, sed antea præuisum hoc vulnus acceptando: Ita etiam Suarez *tom.* 1. *q.* 19. *art.* 3. *D. Thom.*

AQVAM distinctam à sanguine emanasse vide- 336
tur asserere Euangelium, & ipse Euangelista vidisse distincta: *Et qui vidit, testimonium perhibuit*, loquitur enim hîc de se ipso in tertia persona, vt notat, Suarez *disp.* 51. *sect.* 1. post D. Bonau. *ad eum locum.* Vnde exploditur opinio dicentium, loqui de milite
cæco, qui lancea eum confodit, & aqua illa, & san- 337
guine illo aspersus visum recepit: Hunc multi Longinum vocant, sic etiam eum vocat S. Bonau. *in Meditation. cap.* 8. hoc tamen Apocryphum clamat Suarez, sed Longinum ait fuisse Centurionem, qui clamauit: *Verè Filius Dei erat iste*, & affert Lippoman. *tom.* 6. Surium *tom.* 2. ex Metaphraste *die* 25. *Martij*, & 16. *Octobris.*

ENIM verò ego vidi Mantuæ in Ecclesia Ducali depositum S. Longini militis, qui lancea confixit Christum, & sanguinis ampullam pretiosi illi elargitus est, qua guttulæ pretiosissimi sanguinis Christi continentur.

Ex hoc fonte flumina Sacramentorum, & gratiæ ef- 338
fluxisse, ait S. Bonau. *loco cit.* *in c.* 19. *Ioan.* vbi refert PP. authoritates, atque Scripturas eximias.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXVII.

De CHRISTI *Domini sepultura.*

339 PRimò quidem depositum est corpus Sanctum à Nicodemo, & Arimathæo, aptatis altè scalis ipsi cruci: Sic & Ecclesia picturis demonstrat.

DEINDE verò aromatibus conditum fuit corpus sanctissimum, non modò ad odorem, sed etiam ad incorruptionem procurandam: Ex quo deducit S.Bonauentura *ad* 19. *Ioan.* hos viros bene quidem professos in Iesum, non tamen incorruptibilem ex vnctione Deitatis æstimasse: Vnde Chrysostomus, homilia 84. in Ioannem, ait: *Adhuc de eo tanquam de puro homine opinabantur, & ea ferunt aromata, quæ maximè corpora seruare solent, quod nihil magnum de Iesu ipsos existimare arguebat; multum tamen amorem præ se ferunt.* Hæc S.Doctor.

340 NON autem ideò putes, corpus sanctissimum fuisse exenteratum; hoc enim dicere esset impium; neque tamen ob id illa erat vnctio honoris tantùm, vt putant Suarez, & Nazarius, sed etiam ad præseruandum; nam erant centum libræ aromatum myrrhæ, & aloës: Iuxta morem igitur Iudæorum, vt dicitur *Ioan.* 19. etiam ad honorem, quasi magni Principis aromatibus conditus est.

341 ADVERTE hîc, B.Virginem dolores maximos pertulisse: Pluries autem D.Bonauentura *in Meditationibus*, dicit B. Virginem dolores excessiuos passam, primò cum ei onerato cruce occurrit: Ita *cap.* 77. & *in crucifixione, cap.* 79. cum Anselmo *Dialogo de Passione Domini*, & Bernardo *opusculo de lamentatione Virginis Mariæ*, & in lanceæ percussione idem affirmat S. Bonauentura *cap.* 80. Et similia reperiuntur apud alios, qui dicunt, B. Virginem semimortuam, vel exanimem recidisse: Ita etiam B.Laurentius Iustinianus *de Christi agone*, Lodulphus *de vita Christi, parte* 2. *cap.* 64. & 70. Dionysius Carthusianus, *Ioan.* 18. Vide etiam Sixtum *lib.* 6. *annot.* 125. & Damascenum *lib.* 4. *de fide, cap.* 15. vbi ait: *Dolores, quos effugit pariens, hos sustinuit tempore passionis.*

HÆC tamen non inferunt, defecisse Virginem
342 cum perturbatione, quod probat Suarez, *disput.* 4. *sect.* 3. cum D. Bonauentura *ad* 19. *Ioan.* ad ea verba: *Stabat iuxta crucem mater eius*, vbi constans erat: *Innixa dilecto Filio*, vt dicitur *Cantic.* 7. & ideò cum D.Gregorio *homil.* 3 *in Euangel.* ante medium, eius constantiam, B. Felicitatis constantiâ adumbrat: Sic probatur etiam à Suarez *disput.* 40. *sect.* 2. habuit enim B.Virgo perfectissimum dominium super omnes actus, & affectus suos: Itaque eos regebat, vt nihil dissonum, nihil indecorum in anima permitteret.

343 QVOAD sepulturam verò, S.Bonauentura *ad* 19. *Ioan.* asserit, decens fuisse, Christi corpus sepulchro condi propter nostram consolationem, nam sepulturæ mortuorum solatia sunt viuorum, vt ait D.Augustinus 1. *de ciuitate, cap.* 12. & *de cura pro mortuis, cap.* 2. Ad firmiter verò astruendum, Christum verè mortuum pro nobis, decens fuit in loco patenti, & publico sepeliri, & à custodibus seruari, vt docet D. Bonauentura *loco citato*, cum D.Thom. *quæst.* 51. *art.* 2. Chrysolog. *serm.* 74 & 75. Hieron. *epist.* 26. & sic nostra etiam fides resurrectionis firmatur, à quo totum negotium dependet, vt ait; Apostolus: *Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra.* Itaque, vt notarunt Augustinus, Cyrillus, & alij in Ioannem, præcipua ratio sepulturæ Christi ex nostra vtilitate est sumenda: Eam verò, quæ ex voluntate Dei sumitur à Scoto *dist.* 20. & Vulpio *disp.* 62. communis est omnibus factis Dei, & ab ipsis etiam sanctis Doctoribus asserta.

OPVS verò ex parte discipulorum sepelientium 344
fuit pium: Itaque meritò Nicodemus, & Ioseph ab Arimathæa, quæ est Ramata, decurio, idest, Senator de curia, laudantur, & extolluntur ab Euangelistis: Vide S.Doctorem ad loca *Lucæ* 23. & *Ioan.* 19. *de Christi sepultura*, vbi habes de his præclaras laudes. Ibi etiam sepulturæ solemnitatem, formam sepulchri, & alia eximia videbis, quem imitatur Suarez *disp.* 51. *sect.* 3. & Nazar. *ad art.* 2. *quæst.* 51. *D. Thom.* & Baronius *anno* 34. qui omnes laudant cum S.Bonauentura maximè Iosephum, quia ad Pi- 345
latum accedens, ausus sit petere corpus condemnati Iesu, quod alioqui fuisset forsan proiectum: Id verò dicunt fecisse, suadente Virgine Matre.

QVÆSTIO XXVIII.

An Corpus CHRISTI *fuerit in sepulchro tribus diebus.*

D. Bonau. dist. 22. quæst. 3.
D. Thom. q. 51. art. 4.

D. THOMAS huius quæstionis titulum instituit: 346
An Christus fuerit in sepulchro vna die, & tribus noctibus: Hunc carpit Vulpes *disp.* 62. *artic. vltimo*, quia non erat Christus in triduo illo. Verùm in Symbolo dicimus: *Credo in Iesum Christum, qui mortuus est, & sepultus*, hoc verò per Synecdochen dicitur, vt dixi *quæst.* 19. initio: Sicut autem ipse Vulpes *disp.* 53. *art.* 3. cum Scoto *distinct.* 25. *quæst.* 1. concedit, Christum descendisse, licet sola anima in verbo descenderit; cur hic obmurmurat?

SVPPONO cum D.Bonauentura, Christi corpus 347
datum sepulturæ ad vesperam feriæ sextæ, & ita fuit ibi vsque ad auroram Dominicæ: Et secundùm D. Augustinum *lib.* 4. *de Trinitate, cap.* 5. excurrerunt triginta sex horæ: Itaque solas duas noctes, & particulas aliquas Feriæ sextæ, & Dominicæ diei, & tota die artificiali Sabbathi iacuit; & ità tres dies sepultus est.

Id probant, & sic exponunt vaticinium, Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus*, nempè per figuram Synecdochen: Ita omnes ferè veteres PP. vt refert Maldonatus *ad* 12. *Matth.* Ità D.August. *epist.* 49. *quæst.* 6. Hieronym. *Matth.* 12. & *Ionæ* 2. Beda, & Theophylact. *ad Matth.* Oportet autem sumere
tres dies naturales, vt sumuntur apud Hebræos 348
Genes. 7. *vers.* 12. *Exod.* 24. *v.* 18. *Deuter.* 9. *v.* 9. & 18. *v.* 25. & 10. *v.* 10. & 1. *Reg.* 30. *v.* 12. & 3. *Reg.* 19. *v.* 8. Sic igitur erunt tres dies Synecdochi: Ponamus igitur dixisse tribus diebus naturalibus, nemo dubitabit, intelligendum per Synecdochen, quia aliqua parte eorum trium dierum fuit, nempè parte sextæ feriæ, per totum Sabbatum, & parte Dominicæ: Cùm enim Iudæi à vesperis diem inchoarent, nox Sabbati in die Dominico, qui tertius est, numeratur: Cur ergo eodem modo dubitant intelligere, quia tribus diebus, & tribus noctibus dixit,

dixit, cùm nihil aliud his verbis voluerit, quàm tres naturales dies significare: Ita Maldonatus. Neque est necesse figuram in omnibus esse similem, sicuti & respondet S.Bonau. *ad* 1. Figura huius mysterij in Sampsone aspicitur quia media nocte erupuit, Gazà clausus.

349 Scotus *dist.* 21. quem sequitur Vuipes *disp.* 61. *art. vltimo*, asserit, fuisse quidem in sepulchro condendum Christi corpus tribus diebus & tribus noctibus integris, sed merito Christi acceleratam fuisse resurrectionem.

Hoc tamen mihi videtur inane; nam Christus *ibi*, & *Luca* 11. affert sepulturam Ionæ in ventre ceti, vt miraculum, in semetipso exequendum: *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ, &c.* Ergo oportet, vt iuxta figuram datum fuerit miraculum corporis Christi, atque adeò per Synecdochen dies sint destinati, & ita D.Bonauentura, & D.Thomas cum Patribus exponunt. Deinde quo è fonte hausit Scotus, fuisse quidem permansurum corpus Christi tribus diebus, & tribus noctibus integris, nisi merita accelerassent? Satis enim acceleratio ad tertium diem meritis Christi videtur, cum reliqua corpora iaceant.

350 Probat deinde S.Bonauentura ex illo Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo*, & subdit Ioannes, eum hoc dixisse: *De templo corporis sui.*

Tertiò probat è Symbolo Apostolorum, & Ecclesiæ obseruantia, quæ feria sexta sepulturam Christi, & die Dominico celebrat resurrectionem.

Congruentias multas affert S. Doctor tridui sepulturæ.

Prima est, quia debuimus de morte, & resurrectione Christi certiores fieri: Mors igitur Christi triduo sepulturæ confirmatur, nullus enim triduum durat non dans signum aliquod vitæ; quod si statim surrexisset forsan dixissent, finxit se mortuum resurrectio verò probata est ex sepulchro clauso, cu-

351 stodito, & obsignato.

Secunda congruentia est, quia numerus triginta sex horarum ex senario, sexies in se ducto constat; numerus autem senarius primus perfectus est; nam eius partes diuisæ 1.2.3. deinde simul coniunctæ, adhuc constituunt sex.

Tertia sumitur ex D.August. 4. *de Trinit. cap.* 5. quia in horis 36. sunt duæ noctes, & vna dies ita, vt salva sit ipsi proportio simpli ad duplum, idest, duodecim horarum ad vigintiquatuor: Itaque Deus suà nouitate abstulit nostras duas vetustates. Vide D.Augustinum *ibi*.

Quarta congruentia est ex Glossa ad ea verba, 352
Lucæ 24. *Oportuit pati Christum*, qui sua Luce duplicem noctem fugauit, mortis nempè animæ, & corporis: Ita etiam D.Thomas.

Hinc congruentiam carpit Vulpes, quia omnes adhuc morimur.

Puerilis argutia, voluit enim dicere, Christum suà morte meruisse victoriam de morte, vt resurgentes viuamus: Sic ipse D.Thomas se explicat, *quæst.* 50. *art.* 6. vbi affert id 1.Cor. 15. *Absorpta est mors in victoria.* Et D.Bonauentura ex Glossa allata *ad cap.* 6. *Rom.* vbi Apostolus hanc Christi victoriam de duplici morte animæ, & corporis prosequitur.

Obijcies primò: *Actor.* 2. dicitur: *Quem Deus suscitauit à mortuis, iuxta quod impossibile erat detineri eum:* Ergo non fuit in sepulchro vna die.

Respondet S. Bonauentura *ad* 2. non fuisse 353
detentum violenter, sed voluntariè ex prouida ratione expectasse ad tertiam diem; non erat autem possibile detineri more aliorum ad corruptionem, vt dicitur Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Igitur vltra tertium diem, quo voluntariè decubuit in sepultura & alij permanent, non fuit impossibile, Christum detineri, quia nolebat morari, more aliorum, vsque ad diem extremum, vt notat S.Doctor *argumento vltimo*.

Obijcies secundò: Anima Christi, vel appe- 354
tebat resurrectionem, vel non, in illo triduo, si non: Ergo non est eiusdem naturæ cum aliis animabus. Si appetebat: Ergo retardabatur à contemplatione ob violentiam.

Respondet D.Bonauentura, appetiisse appetitu remoto vnionem; attamen proximè adeò Verbi vniti coniunctione, amplexibus Diuinis detentam, & Oceano gratiæ natantem non fuisse distractam. Reliqua in S.Bonauentura sunt facilia.

Quo autem pacto calculentur tres dies sepulturæ differam *disp.* 41. *quæst.* 4.



DISPVTATIO XL. DE DESCENSV CHRISTI AD INFEROS.

IVXTA diuersitatem status, in quo animæ defunctorum reperiuntur, diuersus ipsis locus assignatur: quædam enim animæ ex hac vita discedunt, mortalis, & actualis culpæ reatui obnoxiæ; & hæ proculdubio in puncto ad infernum descendunt, vt loquitur Iob. Aliæ culpam tantùm habent originalem, propter quam pœnâ damni sunt punibiles, non autem sensus: & hæ in locum, *Limbum puerorum* dictum, recedunt. Nonnullæ etiam maculâ solùm veniali asperguntur, alioquin Deo ob inhabitantem eius gratiam non perosæ, & quidem istæ cum Diuinæ iustitiæ satisfaciendæ sint obstrictæ, & ad Paradisi gloriam simul ius habeant, necesse est vt in tertio aliquo loco collocentur, quem Purgatorium nuncupamus; vt ibi perfectè ab omni labe purgatæ, beatitudinem tandem consequantur, quam inquinatum nil possidet: Porrò ante Christi aduentum hæc tria loca, vti modò, extabant; verùm cùm etiam tunc quartus fuerit animarum status, earum scilicet, quæ in hac vita nullo maculatæ crimine Dei gratiæ fideliter sunt cooperatæ, vel mox post discessum pro venialibus condignè satisfecere; oportet, vt quartum quemdam locum, à prioribus distinctum, inuestigemus, quod præstant hîc Sancti Doctores, priusquam singulares de Christi ad inferos descensu quæstiones instituunt.

QVÆSTIO I.

Qui fuerit status fœlicitatis annimarum Sanctorum Patrum ante CHRISTI *mortem.*

D. Bonauent. distinct. 18. quæst. vlt.
D. Thom. 3. sent. d. 18. q. 5. art. 6. q. 1.

1 ASSERO primò, animas sanctorum Patrum decubuisse in singulari loco, priuatas visione Dei, vsque ad Christi mortem.

PROBATVR primò à D. Bonauentura *ex epistola ad Hebraeos*, vbi adducit testimonium etiam D. Augustini, qui aliqua de his habet *in libro quæstionum Exodi, qq. 129. & 113.* & aliis locis adductis in Glossa ordinaria.

VERVM ipse Apostolus clarè id significat; nam *cap. 9.* explicans, cur Pontifex singulis annis tenebatur ingredi Sanctum Sanctorum nouis semper sacrificiis: dicit hoc significasse, nondum fuisse propalatam Sanctorum viam, donec Christus Summus Sacerdos seipsum pro peccato in sacrificium obtulit: Ita exponit Chrysostom. *homil. 15.* Theophilactus, & alij.

ET D. Ambrosius ait, cœlum mortalibus fuisse inaccessibile: Idem dicunt S. Anselmus, & S. Thomas, qui addit, propterea Christum vocari *Ostium*, Ioan. 10. & *Viam*, Ioan. 14. quia ipse aperuit viam, & ostium regni cœlorum, & D. Bonau. *ad 10. Ioan.* addit Apocal. 4. *Visum ostium cæli apertum*, cùm Christus apparuit. Hinc subdit Apostolus: *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, qua initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, idest carnem suam.* Vbi Chrysostomus, homil. 18. *Introitum in cœlum dixit, & accessum ad spiritualia, qua initiauit, seu propalauit. Dedicatio enim dicitur initium vtendi, & ideò nouam dicit, siquidem nunc aperta sunt porta cæli, quod neque tempore Abrahæ contigit.* Eodem modo exponunt alij PP. citati. 2

Ac propterea de Patribus antiquis, cap. 11. ait: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus* 3

missionibus, sed à longe eas aspicientes, vt exponunt ibi D. Anselmus, S.Thomas *ibi*, & S. Bonauentura *in 4. dist. 21. part. 1. quæst. vltima, ad 1.*

4 PROBATVR tertiò à S. Doctore *loco adducto in corpore, & in Ligno vitæ* infrà citando loco, ex modis loquendi Apostoli, vt *Coloss. 2.* vbi de Christo resuscitato ait: *Expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Hic enim est sensus genuinus, vt ait Lyranus *ibi.* Sic *Ephes. 4.* dicitur: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, ex Psal. 67. vbi animas sanctas interpretantur PP. & D. Bonau. *serm. 2. de Ascens.*

PROBATVR quartò à S.Doctore *serm. 1. Resurrectionis, & in Meditationib. cap. 85.* ex illo Lucæ 1. *Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis. Sicut locutus est per os Sanctorum. Illuminare his, qui in tenebris sedent, &c.* Sic exponit Damascen. 3. *de fide, cap. 29.* vt vrget S Doctor in *3. dist. 22. q. 4. in corpore, & fundamento 2.*

5 AVDIT S Bonau. *in Ligno vitæ, §. Iesus triumphans mortuus*, illud Isa. 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.*

PROBATVR quintò à S.Doctore *serm. 4. Resurrect.* ex illo Zach. 9. *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Sic exponunt etiam Hieronymus, Rupertus, & alij: Eodem testimonio vtitur, *in Ligno vitæ.* Idem videtur significasse Petrus, *prima Can. cap. 3.* Eadem authoritate Zachariæ, addita Glossa, vtitur S.Doctor *3. dist. 22. quæst. 5. argumento 3. addito responso.*

6 PROBATVR sextò à D.Bonauentura *dist. 22. q. 4. fundamento 1.* ex 2. Actor. *Quem Deus suscitauit à mortuis, solutis inferni doloribus*, idest, Lymbi. Vide quæ dixi *quæst. 1. huius dispu.* vbi ex D.Augustino hoc exposui.

PROBATVR sept[illegible] à S.Doctore *in Meditation. cap. 85.* ex illo Psal. 23. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales; & introibit Rex gloriæ*, quod de hoc mysterio exponunt Hieronymus *ibi*, & Augustin. *ibidem, & serm. 2. de resurrect.* & indicat Athanasius *serm. 4. contra Arrianos*, finem versus.

7 PROBATVR verò à S. Bonauentura *dist. 18. citata in corpore*, ratione à priori, qua nititur Suarez, *disp. 41. sect. 1.* ex ordinatione diuinæ Iustitiæ, quæ in lapsu humani generis fundatur: Adam enim peccando omnibus hominibus clausit regnum cœlorum, ipse enim totam naturam humanam infecit, & Deo reddidit inuisam, atque benedictione indignam: Fuit ergo diuinæ Iustitiæ consentaneum, neminem ad eam beatitudinem admittere, donec pro tota natura esset satisfactum.

PROBATVR à S. Doctore etiam *dist. 22. quæst. vlt. ad 2.* ex 23. Lucæ: *Hodie mecum eris in Paradiso*, vbi nomen Paradisi significat gloriam, antea inauditam, vt ait D.Augustinus *epist. 57.*

IDEM probat S.Doctor *in 3. dist. 22. quæst. 6. fundamento 3.* ex oratione Paschæ: *Deus, qui æternitatis nobis aditum deuicta morte reserasti, &c.*

8 QVÆRES primò: An animæ illæ essent confirmatæ in gratia?

RESPONDETVR affirmatiuè, quia mors est terminus vitæ, vt habetur *Ecclesiastici 11.*

PROBATVR à D.Bonauentura, *ad 16. Lucæ*, ex illis verbis Abrahæ: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur; tu verò cruciaris: Et in his omnibus, inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint; neque inde huc transmeare.*

Ex his habes etiam, animas illas fuisse in consolatione absque tormentis: hic enim ponitur antithesis; *Hic consolatur; tu verò cruciaris*, vt colligit D. 9
Bonauentura, cum Chrysost. *homil. de Diuite, & Lazaro*, & D.Thom. *quæst. 52. art. 5. ad 1.* & D.Gregor. 13. *Moral. cap. 16.* qui tamen eis concedit cum D. August. *serm. 2. de resurrect.* tædium quoddam ex carentia gloriæ: Ita etiam D.Bonau. *dist. 22. quæst. 4.* vbi ait cum D. Augustino, animas illas vinctas habuisse consolationem è Christi descensu.

AD 16. verò Lucæ ad id: *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, dicit, in hoc sensu Lazarum positum, ab omnibus malis esse liberatum,

Hoc solùm facit difficultatem, quod videtur 10
mendicus fuisse beatus, dicitur enim: *Hic consolatur*, quo testimonio ex hoc loco videtur colligere *epist. 96.* animas sanctas ante Christi aduentum diuinitatem vidisse: Et eodem modo intellexit eum locum Iustinus Magnus *quæst. 60. ad gentes*, quamvis ipse historiam illam non admittat: Et Paulus Heb. 11. ait: *Sancti per fidem vicerunt regna, adepti sunt repromissiones*, quod de repromissione vitæ æternæ intelligit Anselmus.

D. BONAVENTVRA ad eum locum 16. *Lucæ*, ait: Per quem sinum intelligitur requies beatarum ani- 11
marum, de quo Matth. 8. *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum.* Vnde videtur idem asserere: Enim verò se explicat ante: Deferunt (ait) Angeli mendicum iustum in sinum Abrahæ, idest, in locum quietis: Qui quidem locus ante apertionem ianuæ erat in Lymbo, & dicitur Sinus, quia in illo loco sancti PP. conseruabantur, & pergit ostendere, ibi in deposito collocatos SS. Patres immunes ab omni malo, & securos ab omni casu in via ad regnum gloriæ, vt iterum dicam initio quæstionis sequentis, & hoc tantùm vult D.Augustinus, qui, vt verum fatear, nil concludit, sed solummodo dubitando multa proponit.

QVOAD Iustinum respondet Suarez, falsò eum ci- 12
tari: Quoad Paulum, respõdetur, D.Anselmũ exponere locum illum pro tempore, quo Paulus scripsit epistolam; tunc enim iam Patres adepti erant gloriam, licèt alij PP. de temporalibus repromissionibus explicent, pro tẽpore antiquo interpretantes Apostolũ.

QVÆSTIO II.

An domicilium Sanctorum PP. ante CHRISTI *mortem esset Infernum.*

D.Bonau. in 4. dist. 45. q. 1.
D.Thom. 3. p. q. 5 art. 2.

LOCVM istum sinum Abrahæ appellat Lucas, 13
cap. 16. vt dixi suprà: *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Et infrà expressè dicitur, ibi fuisse Abraham, ex quo deduxit D.Aug. *epist. 99.* ibidem fuisse alios iustos Patriarchas, & Prophetas; & absonum existimat de hoc dubitare: Vnde *in lib. de anima, & eius origine, cap. 15.* definit, sinum Abrahæ intelligendum esse remotam sedem quietis, atque secretam, quæ dicta est Abrahæ, non quod ipse tantùm ibi sit, sed quod ipse Pater multorum gentium sit positus, quibus est ad imitandum fidei principatum propositus, sicut & Deus, se Deum Abraham vocari voluit, cùm sit innumerabilium Deus: Eisdem propemodum verbis describitur à S.Bonau. *loco cit. Lucæ.*

QVA

14 QVA verò parte orbis sit; videtur S. Bonau. dubius dicens *in 4.q.citata in corpore*, Infernus dicitur locus pœnarum, & locus, qui est inferior: Potest igitur Infernus denominari à suo summo, & sic est locus damnatorum, quia est locus infimus, & locus omnium pœnarum sensus, & damni: Potest etiam dici infernus locus inferior, quo quis punitur damno, & in hunc descendebant Patres ante Christi aduentum: Ille ergo locus dicitur Infernus, & quia inferior, & quia aliquo modo locus miseriæ Lymbus, quia erat pœna carentiæ; sed sinus Abrahæ, quia erat expectatio gloriæ, & ita infernus non sonat, nisi in malum, qualitercunque accipiatur: Sinus autem Abrahæ in bonum, quia est ibi requies, aut per priuationem mali; aut per collationem omnis boni, & sic est locus gloriæ.

15 TIMVIT igitur eum vocare infernum, quia D. August. *epist*. 57. & 99. & 12. *Genes. ad litt. cap*. 33. semper intelligit pro loco pœnarum, & miseriæ. Vocat autem libentiùs sinum Abrahæ, qui *Luca* 16. per antithesim opponitur inferno, vt notauit D. Bonauentura, cum D. Augustino. Vnde quidam existimarunt, esse locum aliquem cœlestem, vt Calvinus, & Beza: Alij esse Paradisum terrestrem: S. Doctor definit, Patrum animas in infernum descendisse, & ibi priuatas Dei visione vsque ad Christum: Idem habet *quæstionibus* hanc *sequentib*. & *in* 3. *dist*. 18. *quæst*. *vltima*, & alibi.

16 ASSERO, locum, in quo detinebantur animæ Sanctorum ante Christi aduentum, fuisse in inferiori parte terræ, contra hæreticos, Calvinum *lib*. 2. *Instit*. *cap*. 16. §. 9. Bucerum *in cap*. 27. *Matthæi*, Bezam *in cap*. 2. *Actorum*.

17 PROBATVR à D. Bonauent. primò ex *Genes*. 42. & 44. vbi sanctus Patriarcha Iacob ait: *Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos*. Et Genes. 37. *Descendam ad Filium meum lugens in infernum*. Quo loco non potest intelligi sepulchrum, vt putat Beza, quia nec id significat vox Latina, neque Hebræa שאול cuius loco LXX. Interpretes vertunt ᾅδης quod significat gehennam, non autem τάφος quod significat sepulchrum. Deinde cum Iacob putaret, filium voratum à feris, non poterat dicere, se in idem sepulchrum iturũ, non enim desperatus loquebatur, more illius.

Mi'l ventre istesso ingoi.

apud Tassum: sic exponunt & alia duo loca *c*. 42. & 44. Chrysost. *homil*. 4. *in Marcum*, Hieronym. *Eccl*. 3. vbi ait, idem optasse Iob *cap*. 14. dum ait: *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me?* Quod in eundem sensum exponit Gregor. *lib*. 12. *Moral*. *cap*. 6. & *lib*. 13. *cap*. 16. & 17. Simili modo illud, Iob 17. *Si sustinuero infernus, domus mea est*, quo nititur S. Doctor *fundamento* 2. & Suarez *disput*. 42. *sect*. 2. Bellarmin. *lib*. 4. *de Christo*, *cap*. 10. *tom*. 1.

18 CONFIRMATVR ex alijs locis, vbi infernus non potest accipi pro sepulchro, & scribitur eodem modo, Numer. 16. *Descenderunt in infernum viuentes, operti humo*. Quæ verba de loco damnatorum exponit Hieronymus, & Epiphanius, Hebraïcæ linguæ peritissimi: Isa. 14. *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci*, vbi itidem habetur שאול Vbi etiam de diabolo intelligitur, qui sepulchri est incapax: Chaldæus habet גיהנם gehenna. Rabi Dauid in Psal. 9. ad id: *Conuertantur impij in infernum*, & in Psal. 13. *Si Descendero in infernum*, cum Rabbi Abenezra: Rabbi verò Leui *in cap*. 15. *Prouerb*. & *cap*. 26. *Iob*. exponunt per *Sceol* locum animarum subterraneum.

19 PROBATVR deinde à D. Bonauentura peritissimo linguæ Grecæ; nam in nouo Testamento, vbicunque Latinè est infernus, est ᾅδης; non autem τάφος, quod significat sepulchrum, *Matth*. 11. *Luca* 16. *Actor*. 2: Profectò Locus 16. Lucæ, vbi dicitur epulo *Sepultus in inferno in tormentis*, non potest de sepulchro intelligi; nisi velint, animas esse in sepulchris cum corporibus: Similiter cùm *Matth*. 11. ait Christus: *Et tu Capharnaum, nunquid vsque ad cœlum exaltaberis? vsque ad infernum descendes*, non potest accipi pro sepulchro vox ᾅδης, esset enim ridicula antithesis; nam infernus dicitur oppositus cœlo, vt sicut se habet terra ad cælum; sic infernus ad terram, vt notat D. Bonau. *in* 4. *dist*. 44. *part*. 2. *quæst*. 2. *fundam*. 3. & D. Gregor. *lib*. 4. *dial*. *c*. 42.

TANDEM Chrysost. *homiliis de Lazaro*; Lucian. 20
in Dialogo de luctu, peritissimi Græci idiomatis; nomen hoc existimant infernum, & Henricus Stephanus solum in gratiam Bezæ admittit significare sepulchrum: Verum & ipse Beza *lib*. *cont*. *Brentium*, ait, eos in meridie cæcutire, qui ex historia Lazari, & diuitis *Luca* 16. non deducunt, verum locum inferorum, vbi damnati torquentur, & ibi defendit Bullingerum, qui ex loco *Numer*. 16. probauerat, inferos esse vera loca subterranea, cùm tamen ibi sit vox *Sceol*, & ibidem profert locum, Psal. 138. *Si descendero in infernum, ades*, ad probandum contra Brentium, & tamen est ibi vox *Sceol*.

IN his igitur locis probat, fuisse animas sancto- 21
rum Patrum tum ex illo *Act*. 2. *Luca* 16. tum ex Symbolo Apostolorum: *Descendit ad inferos*, quod vbique scribitur ᾅδης. Vide Bellarminum.

PROBATVR deinde à S. Bonauent. *hîc*, & *in* 3. *dist*. 25. *quæst*. 1. ex vniuersali Ecclesiæ sensu in illo articulo: *Descendit ad inferos*, & ex PP. quos referunt Bellarminus, Suarez, & nos ex parte, infrà.

PROBATVR vltimò à S. Doctore ratione, qua vtitur Suarez, ex ordine Diuinæ iustitiæ sumpta. Non enim illæ animæ erant solutæ à debito pœnali originario: Ideò neque in Paradiso terrestri, neque in cœlesti degere debuerunt; & cùm essent adhuc dæmonis ergastulæ, ad inferna debuêre detrudi: Valeant igitur hæretici dicentes, Christum descendisse ad infernum, idest sepulchrum.

NOTANDVM verò D. Bonau. *hîc*, & *sequentib*. 22
quæstionibus, & alios Theologos, *eadem dist*. 25. iuxta quatuor genera animarum pœnis obnoxiarum ante Christi aduentum, quatuor etiam loca subterranea distinxisse. Quædam enim sunt in æternum damnatæ: Lucæ 16. *Sepultus est in inferno*. Et his centrum terræ deputatur, quod à nobis distat milliaria ter mille quingenta; tantus est enim terræ semidiameter.

ALIÆ verò sunt animæ iustæ purgandæ aliquâ pœnâ ignis; & hæ locum illis superiorem exigunt de quo *tom*. 2. agam.

ALIÆ sunt, quæ cum solo originali decedunt, & harum locum in inferno collocat Concilium Florentinum *in litteris vnionis*.

ALIÆ fuere animæ iustæ nulla purgatione indi- 23
gentes; tamen ob originarium impedimentum vsque ad Christum ibi detentæ, & hæ in superiori loco esse debuerunt, vtpotè vitæ, nullâ pœnâ ignis cruciandæ, nullâ purgatione indiguæ, & Christo adueniente glorificandæ: Vnde maximam inter damnatũ Epulonem, & mendicum Lazarum elongationem considerat S. Doctor *ad* 16. *Luca*. in illis verbis: *Eleuans autem oculos vidit Lazarum: &c. Chaos magnũ, &c.* quod notarunt antea Tertul. *lib*. 4. *cont*. *Marcion*. *c*. 34. & Greg. *lib*. 12. *moral*. *c*. 6. At in Compendio Theolog. veritatis, *cap*. 22. ponit Lymbum puerorum, quippè æternum damnatorum, sub purgatorio.

Obiicies primò authoritatem D. Augustini.

24 Respondet D. Bonauentura, S. Augustinum fuisse eo locu dubium; attamen postea agnouisse veritatem, vt patet 20. *de ciuit. cap.* 15. & in id, Psal. 85. *Eduxisti animam ex inferno inferiori*, vbi sinum Abrahæ agnouit. Ratio verò, quæ mouerat D. Augustinum, soluta iacet; nam etiam sinus Abrahæ erat locus pœnæ damni: Ita etiam D. Thom. *art.* 1. & Suarez *loco citato*. Cætera sunt facilia in sancto Doctore.

QVÆSTIO III.

De statu animæ CHRISTI *post separationem.*

{D. Bonau. dist. 21. art. 2. q. 1.

25 HÆRETICI, qui crucem veluti dæmones fugiunt, vt libertati laxent habenas, & satisfactiones pro peccatis, tanquam superuacaneas irrideant, dicunt, animam Christi, etiam separatam, pœnis, & quidem Inferni tortam; præcipuè verò anxietate ex Deo, apprehenso infesto: Ita Calvinus, Brentius, & alij, quos retuli *disput.* 39. *quæst. prima, & secunda.*

Aliqui Catholici apud Medinam *quæst.* 52. *art.* 8. dicunt, animam Christi post separationem, passionibus innoxiis quidem, obnoxiam fuisse, puta alicui tristitiæ ea peccatis, vel damnatione hominum; eam tamen opinionem temerariam ipse vocat.

26 Suarez *disp.* 43. *sect.* 1. refert D. Bonau. *disp.* 21. *art.* 2. *quæst.* 2. dixisse, incertum esse, an anima Christi post mortem fuerit impassibilis, quamvis id probabilius existimet; & cum eo citat Gabrielem *ibi, dub. vlt.* at S. Doctor solùm dicit, non esse determinatum certitudine authoritatis ea fide: Id resolutè supponit *in Meditation. cap.* 86.

Caietanus *quæst.* 52. *art.* 5. admittit in Christi anima aliquam pœnalitatem, prout dicit priuationem accidentarij boni, absque tamen dolore, vel tristitia: De hoc autem iterum agam *quæst.* 5.

27 Assero primò, animam Christi nunquam passam tristitiam inferni: Probatum est *dic.* 3.

Hoc solum assero, Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* ibi obseruat S. Bonauentura cum D. Ambros. *lib.* 10. *in Luca* 23. Christum promittere societatem suam Latroni in regno suo, quippè qui, cùm ipse sit in abstracto vita, & regni Dominus, habet regnum inamissibile: Et ideò D. Hilarius *lib.* 10. *de Trinitate*, ait: *Anne tibi infernum metuere credendus est; dicens Latroni: Hodie mecum eris in Paradiso? Dominus communionem ei Paradisi mox pollicetur; tu Christum sub pœnali terrore constituis?* Profectò diceres eum errorem Calvini præcuisse.

28 Assero secundò: Anima Christi separata, non est passa ignem Inferni, vel Purgatorij.

Probatur ex D. Bonau. *in* 3. *dist.* 22. *quæst. vlt.* ea eodem loco *Luca* 23. vbi cum D. Augustino *epistola* 57. obseruat, Christi animam promittere Latroni statim societatem in beatitudine.

Probatur secundò à S. Doctore hic, *fundamento* 2. quia Scripturæ ponunt terminum passionum Christi in morte, Lucæ 14. *Ecce ascendimus Hierosolymam, &c.* Lucæ 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Psal. 21. Isaïæ 53. Philip. 2. Hinc Christus, Ioan. 19. dixit: *Consummatum est*, quo ostendit passiones suas, & redemptionem habere complementum: Ita etiam Suarez.

29 Probatur tertiò à S. Doctore *in Compend. Theol. lib.* 4. *cap.* 22. & *in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 5. ex 13. Oseæ: *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne*; vbi non ad pœnas, sed ad triumphum dicitur descendisse ad infera, vt obseruat S. Augustin. *serm.* 137. *de tempore*, Hieronymus *ibi*, & *ad cap.* 4. *Ephesios epistola.*

Probatur quartò à S. Doctore *loco adducto in* 3. ex illo Ioan. 12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Eundem locum exponens S. Bonauentura Ioan. 12. obseruat, Christum in ipsa cruce mortuum triumphasse de inferno, & adducit id Coloss. 2. *Delens Chirographum decreti, & affigens illud cruci, expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*: Et idem obseruat S. Augustinus, *loco citato.*

30 Probatur quartò à Suarez *fundam.* 35. *S. Doctoris.* De fide est, animas sanctas, si sint omnino puræ, nullumque reatum pœnæ habeant, cum separantur à corpore, non experiri pœnas aliquas, sed statim glorificari: Ergo multo magis id de Christi anima sentiendum.

Assero tertiò, animam sanctissimam Christi ab egressu è corpore fuisse impassibilem.

31 Probatur primò à D. Bonauentura, quia anima Christi non fuit passibilis, nisi per vnionem corpori: Ergo egressa ab eo est impassibilis: Antecedens probatur à S. Bonauentura *fundam.* 2. quia anima quæcunque separata non potest pati passione à contrario extrinsecus illata, quæ ad corruptionem tendat; est enim spiritualis, quæ à corporibus pati non potest, neque ab vlla creatura alterari, aut corrumpi, cùm non habeat contrarium. Neque potuit pati ab aliquo spiritu vim aliquam, aut intentionalem impressionem alicuius notitiæ, quæ tædium affert, quia erat Verbo vnita, & ideò potentissima gratia, & scientia plenissima, atque beata, atque adeò nil poterat contristans accipere. Neque potest assignari supernaturalis aliquis influans instrumentarius pœnalis in animam.

32 Probatur secundò à D. Bonauentura, quia nihil patitur, nisi vel secundum ordinem naturæ, sicut contrarium patitur à contrario; vel secundùm ordinem Diuinæ iustitiæ, vel secundùm dispensationem Diuinæ misericordiæ ad salutem aliorum: Sed anima Christi non est passa à contrariis, vt vidimus; neque ex iustitia, quia est innocentissima: Et quoad dispensationem aigno sic: Suscepit quidem nostras pœnalitates; & miraculosè fecit, vt anima existens in corpore, etiamsi beata esset, capax foret tristitiæ, sed consummauit opus nostræ salutis viuus, & moriens: Ergo statim fuit impassibilis. Maior propositio est de fide. Minor est certa ex illo: *Consummatum est*, & hæc est potissima differentia inter animam Christi coniunctam, & separatam propter quam, licèt in vtroque statu fuerit beata, & vnita Verbo, in vno tamen fuit passibilis, & non in altero.

33 Probatur tertiò à S. Doctore *argumento quarto*, supra facto pro secunda assertione: Animæ Sanctæ post Christi mortem statim ab egressu sunt gloriosæ, si nil purgandum habeant: Sed anima Christi nil habuit purgandum: Ergo multò magis fuit gloriosa. Minor probatur, quia Purgatorium est pro culpis propriis, vel reliquiis propriis pœnarum luendis, quæ in Christo non possunt asseri, quia innocentissimus, & nullas pœnas pro se

luendas

luendas habuit. Hoc tamen argumento Nicephorus *lib.1.hiſt.cap.31.* nititur, Chriſtum nullam moram traxiſſe in inferis, ſed ſtatim cum ſanctis Patribus euolaſſe in Paradiſum.

At reſpondetur cum S. Doctore *l. citando*, *q.5.* Chriſtum non ad pœnam fuiſſe in loco pœnæ, ſed vt expectaret reſurrectionem, ſicuti decebat protrahi ad ſuæ mortis veritatem oſtendendam. Ita etiam Suarez *diſp.43.ſect.4.*

34 Probatvr quartò à D. Bonauent. Nulla paſſio Chriſti vacauit merito, vt ait Petrus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*, vbi paſſiones vniuerſaliter pro nobis aſtruit toleratas; at poſt mortem non potuit mereri, quia eſt extra viam: Ergo.

Assero quartò, caruiſſe animam Chriſti aliquibus bonis in triduo; non tamen inde aliquid paſſam.

35 Prior pars patet, quia caruit corpore, & operationibus corporis, caruit loco cœleſti, &c. Altera pars probatur, quia non caruit in pœnam; alioqui etiam in cœlo nunc, vbi caret aliquâ gloriâ, qua priuatur à non credentibus, & blaſphemantibus, pœnam pateretur.

36 Fvndamenta hæreticorum conuulſa ſunt *diſp.18.quaſt.1.* cæterarum opinionum infirma ſunt: Si verò audias Pſal. 17. *Dolores inferni circumdederunt me.* Pſal.87. *Poſuerunt me in lacu inferiori*, loquitur de ſeipſo Dauid, prout timebat eas pœnas; & dum premeretur ab inimicis. Argumenta verò contra vltimum aſſertum facilia ſunt in D. Bonauentura.

QVÆSTIO IV.

An verè, & conuenienter Christi *anima deſcenderit in Infernum.*

{ D. Bonauent. diſt 22. quæſt. 4.
D. Thom. q.52. art.1.

37 Hæretici nouatores proclamant chimeram eſſe à Catholicis confictam locum ſubterraneum inferni. Eos retuli *diſp.39. quaſt.1.* vbi eos confutaui latrantes, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, quia pœnas inferni ſuſtinuit: eoſdem confutaui etiam quæſtione præcedenti. Quod verò detur locus infernus, ſatis è Scriptura oſtendi *quaſt.2.*

Assero primò, Animam Chriſti verè ad inferos deſcendiſſe.

38 Probatvr primò à D. Bonauentura ex illo *Actorum 2.* præclaro teſtimonio, vbi Apoſtolus Petrus: *Hunc Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et ſubdit: *Prouide locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* Ità interpretantur hunc locum Baſilius, Theodoretus, Hieronymus, & reliqui expoſitores *Pſal.15.* & Beda cum aliis *Actorum 2.* & Auguſtinus *epiſt.57. & 99.* & Ambroſius *ſerm.74.*

39 Theodorvs Beza *in 2. Actorum*, reſpondet, Infernum ſæpè accipi pro ſepulchro, aliquando verò apud Poëtas, pro loco damnatorum; & ita etiam hîc pro ſepulchro intelligi.

Sed impudenter ita loquitur, nam ibi habetur vox Græca ᾅδη, quæ nullibi ſepulchrum, ſed infernum ſignificat. Hoc porrò teſtimonium eductum eſt ex Pſal.15. vbi pro inferno habetur שאול *Sceol*, quod pro inferno accipi oſtendimus *quaſt.2.*

Deinde reſpondet Beza non habere animam, ſed cadauer in inferno.

Impvdens iterum arguitur, nam habetur ψυχὴ, quod animam ſignificat. 40

Instat Beza, Licèt vox illa animam ſignificet propriè; attamen accipi etiam poſſe pro corpore. Primò, quia anima accipitur pro vita, quæ ſimul cum corpore obruitur ſepulchro. Secundò, quia ex anima poteſt intelligi totum, & ſignificare *non derelinques me.* Rurſus ex toto poteſt intelligi pars, & ita idem poterit dicere homo: derelinques me, & non derelinques cadauer meum. Tertiò, quia ψυχὴ Græcum, & נפש Hebraïcum idem ſignificat. Porrò נפש inuenitur in Scriptura acceptum pro cadauer *Leuit.21. verſ.1. & 11.* vbi legitur: *Super anima non contaminetur.* Prohibet autem lex, tangi cadauera, & ea animas appellat.

Verum etſi anima pro carne ſumeretur; attamen hic non eſt accipiendum, nam diſtinguitur à carne, vbi dicitur: *Nec caro vidit corruptionem, nec anima derelicta in inferno.* Præterea vox ᾅδης, ſemper ſignificat infernum, nunquam ſepulchrum; at corpus Chriſti non fuit in inferno: Ergo anima ibi fuit. Prætereà de anima, & inferno id exponunt Ambroſius *ſerm.74.* Hieronymus *pſal.15.* Auguſtinus *epiſt.99.* Beda *2.Actorum*, & alij. 41

Ad primam rationem Bezæ reſpondetur, licèt anima accipi poſſit pro vita, nunquam tamen accipitur pro cadauere, cùm ſit priuatum vitâ.

Ad ſecundam reſpondetur, licèt pars pro toto accipiatur, & totum pro parte, nunquam tamen partem accipi pro alia parte: ratio eſt, quia pars eſt clauſa in toto, & totum claudit partem, non tamen pars includit partem, vnde nuſquam Synecdoche, vel alius tropus ad hoc extenditur.

Ad tertiam dico, diuerſam eſſe rationem inter נפש, & ψυχὴν; nam נפש eſt vox generaliſſima, & ſignificat ſine vllo tropo, tam animam, quàm corpus, vt patet ex plurimis Scripturæ locis. Vnde etiam ferè ſemper adiungitur cum ſubſtantiuo *Nephes* adiectiuum *viuens*, quod eſt proprium totius compoſiti Geneſ. 1. *Producant aqua reptile animæ viuentis.* Ibidem: *Producat terra animam viuentem.* Et ibidem: *Factus eſt homo in animam viuentem.* Igitur ſignum eſt, ſignificare aliquid indifferens ad viuens, & non viuens, alioqui fruſtra adderetur particula, qua ſignificatur viuens. 42

Qvare *Numer.23.* dicit Balaam: *Moriatur anima mea morte iuſtorum.* Et Numer.31. dicuntur omnes animæ ſexus fœminei ex præda Madian fuiſſe triginta duo millia. 43

At certum eſt, animam nec mori poſſe, nec ſexum habere. Ideò anima ibi ſignificat totum hominem, vel ipſum corpus. Item Geneſ. 37. *Non interficiamus animam eius*, vbi anima, nec animam propriè ſignificat, quæ eſt immortalis, nec totum hominem, nam dicit animam eius, ideſt illius adoleſcentis; ſed pro ipſa carne propriè accipitur. *Numer.19.* cadauer vocatur: *Morticinum animæ hominis.* At Græcum ψυχὴ, vti Latinum anima, non eſt tam generale, vt ſine tropo accipi poſſit pro toto animali. Itaque in Leuitico non ponitur pars pro parte, ideſt anima pro corpore; ſed vocabulum, quod ipſum corpus ſigni-

Tt 4 ficare

ficare solet; aut certè ponitur totum pro parte, idest viuens pro corpore: vt *Actorum* 2. ponitur ψυχὴ, quæ animam solam significat.

44 PRÆTEREA etiam *nephes*, quando opponitur *carni*, non potest sumi pro carne, vt Leuit. 17. *Anima carnis in sanguine est.* Hîc autem anima opponitur carni, cùm dicitur neque anima relicta in Inferno; nec caro vidisse corruptionem: Ergo falsa est interpretatio Bezæ, accipi animam pro cadauere.

PROBATVR secundò à S. Doctore ex Symbolo Apostolorum: *Descendit ad Inferos.* Quo nihil expressius posse dici, notat S. Doctor.

45 RESPONSIO verò hæreticorum, descendisse ad inferos, idest sepulchrum, inanis est; nam vt notat S. Bonauentura *distinct.* 25. *quæst.* 1. & cum eo Bellarminus *lib.* 4. *de Christi anima*, *cap.* 14. Iam dixerat: *Mortuus, & sepultus.* Symbolum autem est breuis explicatio fidei; neque subsequens explicare potest antecedens, sic enim notius, quod est, sepultum esse, explicaretur per ignotius, quod est, descendere ad inferos.

46 SIC intelligunt hunc locum, Concilium Toletanum IV. *cap.* 1. vbi ait: *Descendit ad inferos, vt animas, quæ illic tenebantur, erueret.* Et Concilium Lateranense sub Innocentio III. *cap.* 1. ait: *Descendit ad inferos: resurrexit à mortuis; ascendit in cælum*, sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit pariter in vtroque. Id allegat S. Bonau. *lib.* 4. *Compendij Theologicæ veritatis*, *cap.* 22.

PRÆTEREA omnes Patres ita intelligunt, Thadæus discipulus Domini apud Euseb. *lib.* 1. *hist. cap. vltim.* dicens: *Descendit ad inferos, & disrupit maceriem, quam nemo in sæculo disrupe-rat, qui descendit quidem solus, ascendit autem*
47 *cum grandi multitudine.* Idem habet S. Ignatius *epistola ad Trallianos.* Iustinus *Dialogo cum Tryphone*, Irenæus *lib.* 5. *in fine*, Origenes *homil.* 5. *in Genesi*, & *lib.* 2. *contra Celsum*, & *lib.* 5. *in epistolam ad Rom.* Eusebius *lib.* 4. *Demonstr. cap.* 12. Cyrillus Hierosolymit. *Catech.* 4. & 14. Athanas. *lib. de Incarnatione*, & *in Symbolo*, Basilius *in Psal.* 44. & 48. Clemens Alex. *lib.* 1. & 6. *strom.* Nyssen. *oratione* 1. *de Resurrect.* Gregorius Nazianzenus *oratione* 2. *Paschatis*, Epiphanius *in Ancorato*, & *hæresi* 46. Chrysostomus *homil.* 2. *de Symbolo*, Cyrillus *lib. de recta fide ad Theodosium* circa medium, & *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 36. Theodoretus *in psal.* 15. Damascenus 3. *de fide, cap. vltimo*, vt refert D. Bonau. *fundamento* 2.

48 E Latinis, Tertullianus *lib. de anima*, *cap.* 31. Hippolytus Martyr *oratione de Antichristo*, Cyprianus *oratione de vnctione Chrismatis*, & *seq.* Hilarius *in psal.* 138. & *lib.* 10. *de Trinitate*, vltra medium, Philastrius *lib. de hæresibus*, *cap. de descensu ad inferos*, Gaudentius *Tract.* 6. *Exodi*, Prudentius *hymno* 9. Ambrosius *lib.* 3. *de fide*, *cap.* 3. & *de Mysterio Pascha*, *cap* 4. & in *cap.* 10. *Rom.* & 4. *Ephes.* Hieronymus *in cap.* 4. *Ephes.* & in 3. *cap. Eccl.* & 9. *Zach.* Ruffinus *in explic. Symboli*, Augustinus *epistola* 57. *quæst.* 1. & *epistola* 99. & *Tract.* 78. *in Ioan.* & *lib.* 17. *de ciuitate*, *cap.* 11. & *lib.* 20. *cap.* 15. & *in psal.* 85. Leo *serm.* 1. *de Resurrect.* Fulgentius *lib.* 3. *ad Trasimundum*, *cap.* 23. & *cap.* 35. Vigilius Martyr *lib.* 1. *contra Eutychem*, Arator Subdiaconus *lib.* 1. *in Acta*, Gregorius *lib.* 13. *Moral. cap.* 20. & 21. & in psal. *De profundis*, Beda *lib.* 3. *in Iob. cap.* 7. Vide Bellarminum *cap.* 14.

ADMIRENTVR sapientes hic Nouatorum teme- 49
ritatem, qui omnibus Patribus se præferunt.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *in Meditationibus*, *cap.* 85. ex illo psal. 23. *Attollite portas Principes vestras, &c.* quod de hoc Mysterio exponit cum Hieronymo, & Augustino *ibi*, & cum eodem Augustino *serm.* 2. *Resurrectionis*, & Athanasio *serm.* 4. *contra Arrianos.*

PROBATVR quartò à D. Bonauentura *serm.* 3. 50
de Resurrect. ex Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Vbi considerat S. Doctor comparationem. Ionas enim dixit: *De ventre inferi clamaui: Proiecisti me in profundum maris*, vbi Interlinearis: *In Infernum.* Deinde considerat, Christum asserere, sic in corde terræ, quod est centrum, esse discensurum. Quod glossat D. Hieronymus in cap. 2. Ionæ: *Sicut cor in medio est animalis; ita infernus in medio terræ esse perhibetur.* Eodem modo explicant hunc locum Irenæus *lib.* 5. circa finem, Tertullianus *lib. de anima*, *cap.* 31. Nyssenus *oratione* 1. *de Resurrect.* Ambrosius *in cap.* 4. *Ephes.* Gregorius *in Reg. lib.* 6. *cap.* 179. *indict.* 13. vt notat D. Bonauentura *ibi.*

CALVINVS *in psychopannychia*, respondet, ven- 51
trem ceti fuisse figuram mortis, quæ triduo Christum detinuit.

AT Christus dicit, ventrem ceti fuisse similem cordi terræ: Cor terræ non est mors, sed locus sub terra internè.

ALII respondent, cor terræ vocari sepulchrum.

AT repugnat similitudo, vt notat D. Bonau. nam cor terræ dicit partem intimam; at sepulchrum, neque sub terra fuit, sed in spelunca; erat enim veluti domus quædam rotunda, in rupe excisa, tantæ altitudinis, vt homo extenta manu vix tangeret culmen, habens introitum ab oriente.
Locus autem corporis sepulti erat ad Aquilonem 52
in ipsa rupe septem pedes habens longitudinis, tribus palmis à terra eminens, à parte meridiana omninò patens, vnde corpus inferebatur. Hoc autem voluit Deus, ne aliquis diceret suffossum esse sepulchrum, vt refert S. Doctor *ad* 23. *Lucæ*, in ea verba: *Et posuit in monumento.*

PROBATVR quintò ex illo Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* quem locum de Inferno exponunt Chrysostomus, Hieronymus, & alij.

ASSERO secundò, animam Christi non solùm 53
virtualiter, sed substantialiter ad inferos descendisse. Ità Scholastici omnes, contra Durandum *in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 3. cuius sententia visa est probabilis Pico Mirandulo *in Apologia*, *quæst.* 1. attamen Suarez eam erroneam, & planè hæreticam proclamat.

PROBATVR, quia supradicta testimonia, si rectè ponderentur, definiunt descensum substantialem. Qua enim ratione diceretur, impossibile esse detineri in inferno virtutem?

Ex quibus testimoniis S. Bonau. vtique des- 54
census colligit secundùm substantiam, maximè verò ex definitione Ecclesiæ in Symbolo colligitur hæc veritas; alioqui, etiam figuratè accipies ascendisse in cœlos. Fundamentum verò Durandi, quod spiritus non sit in loco, nisi per applicationem virtutis ad corpus, elisum est *prima primæ*, *Tract.* 4. *de Angelis*, *disput.* 9. *quæst.* 2.

Deinde

Deinde quidquid sit de naturali virtute ipsius animæ, tamen posse per Diuinam virtutem alicubi constitui, vbi nil operetur, docet S.Augustinus 21. *de ciuitate, cap.* 10. & non potest ab vllo Catholico negari, suppositis receptaculis animarum. Adde ibi illuminasse animas *ibidem* degentes, vel etiam corpora, vt habet S.Thomas 3.*dist.* 22. *quæst.* 2.*artic.* 1. *quæstiuncula* 1. Richardus *art.* 3.*quæst.* 2. at D.Bonau. *dist.* 22.*quæst.* 1. solam irradiationem spiritualem admittit ibi fulgentem, sed *in compendio, l. citando,* asserit etiam lumen corporale ad regiam Christi ornandam.

55 AduertE, in Symbolo Nycæno non haberi hunc articulum: *Descendit ad inferos*, & aliqui antiqui Patres exponentes Symbolum, omittunt hunc; ita August.*lib. de fide, & Symbolo ad cathec.* Irenæus *lib.* 1. *cap.* 2. Tertullianus *lib. de velandis virginibus*, & *lib. de præscript. cap.* 13. *& contra Praxeam* initio; Origenes initio *Periarchon.* Hi tamen non referunt integrum Symbolum Apostolorum. Ideò alij Patres illum referunt, Chrysostomus *homil.* 2. *de Symbolo,* Cyril.Hierosol.*cathec.* 4. Ruffinus *in expositione Symboli*, qui tamen addit, non haberi in Ecclesiæ Romanæ Symbolo, & in Orientis Ecclesiis. Videtur autem loqui de Nycæno, vbi non habetur. Augustinus etiam *serm.* 137. & 181. *de tempore*, & *serm.* 115. singulis Apostolis tribuens singulos articulos, Thomæ Apostolo tribuit hunc: *Descendit ad inferos.* Eum sequitur S.Bonauent.*in* 3. *dist.* 25.*quæst.* 1.& 3.*p.art.Breuil.cap.* 38. Vnde impudenter hæretici aliqui nouatores dicunt, illum esse additum à Scholasticis.

56 Fursan à Patribus illis, & Concilio Nicæno omissus est, quia non est explicitè necessarius, vt notat Suarez: at D. Bonauentura *in* 3. *dist.* 25. *q.* 1. *ad vltimum*, alias assignat rationes, omissum in Concilio Nicæno, & à nonnullis Patribus, qui contra hæreticos disputabant, siue quia nullus hæreticorum id negauerat, & Symbolum Nycænum ad hæreses nouas elidendas editum est, nec de hoc orta erat noua difficultas. Quam sententiam securam fatetur Suarez *loco cit.* & Medina *quæst.* 52. *art.* 1. siue quia potuisset in illis principiis, orta iam multitudine hæreticorum, pullulare hinc error ex mala intelligentia.

57 Mvltas rationes, seu congruentias, ob quas Christi anima descenderit ad inferos, recenset S.Doctor, ob quas asseto conueniens etiam probari.

Geminam assignat *in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 4. *in corpore.*

Prima est ad consolandas illas animas suo benigno aduentu, & eas è tenebris eruendas, vt dixi *quæst.* 1. & *hic* suprà. Sic Oseæ 13.

Secvnda est ad expoliandos Tartareos Principes, eosque terrendos, vt dicitur *Oseæ cap. cit. Coloss.* 2. suprà relatis, & affert D.Thom. *loco cit.* & Vulpius *disp.* 63. *art.* 1. & alij *loco cit.*

58 Hanc conuenientiam vrget S. Doctor *lib.* 4. *Compendij Theologicæ veritatis*, *cap.* 22. Diabolus enim meritò spoliatus est in domo sua, qui in mundum veniens tot rapuerat, & vitam ipsius Christi, in quem nullum ius obtinebat, eripuerat.

Alias etiam rationes affert *loco cit. Compendij.*

59 Vna est, vt tantus esset descensus, quantus fuerat casus hominum liberandorum. Primus enim homo in statera liberi arbitrij positus fuerat, vt posset ad vitam æternam ascendere, vel ad infernum descendere, prout vellet: Sed peccato peracto vltimum brachium stateræ inclinatum est ad inferos, & brachium iustitiæ Dei exaltatum est; non poterat autem ascendere vas stateræ depressum, nisi descenderet alterum: Sic igitur descendit Deus suâ gratiâ, & meritis; ad iustitiam soluit peccata, & exaltauit homines, descendens ad inferos. Vbi forsan Criticus ille Vulpius *loco cit.* mussitaret contra D. Bonauenturam, quasi indicet, descendisse ad eas pœnas, quod est hæreticum, sic enim carpit etiam D. Thomam, cum tamen vterque S. Doctor, nil aliud velit, vt genuinè loquar, nisi Christum descendisse, non vt pœnæ reum, sed vt in pœnis iacentes erigeret. Sic enim se exponit hîc D. Bonauentura, & *quæst. citata ad primum*, & *in corpore, &c.* & D.Thom. *ad* 1. vt notat ibi Suarez.

Alia ratio est, quia Christus erat Lux mundi, 60
& debuit etiam lux esse inferorum, & hanc rationem innuit etiam D. Thomas, suprà citatus *in* 3. *dist.* 22.

Alia ratio est, vt iam exequeretur efficaciter, quod meruerat suâ morte; meruit enim satisfaciendo, & ianuam cœli aperiendo. Ideò debuit soluere vincula reorum, & Paradisum in orco aperire, illuminando, &c.

Obiicies primò. Non videtur anima Christi tam potens, vt omnes spiritus Tartareos vinceret.

Respondet S.Bonau. *in corpore*, potuisse id præstare, vt instrumentum diuinitatis, cui vnita erat.

Obiicies secundò. Locus respondere debet lo- 61
cato: sed anima Christi est nobilissima; Ergo non erat in inferno.

Respondet S. Bonauentura, infernum fuisse locum non habitationis, sed victoriæ; non habitandus, sed dissipandus, qui munitissimus erat præsidio dæmonum; magna autem est gloria Ducis locum munitissimum, licet inter palustria erectum, expugnare. Cætera sunt facilia.

Hoc libet apponere, Vulpium *disp.* 63. *art.* 3. inurere D. Bonauenturæ *dist.* 22. *dub.* 3. & D. Thomæ *quæst.* 52. *art.* 3. errorem, & repugnantiam, quod dixerint, totum Christum fuisse in inferno, cùm alibi negarint, Christum mortuum fuisse hominem; at satis se explicant SS. DD. quia nempe masculinus: *Totus*, significat personam, quæ fuit semper vnita animæ. Cùm igitur anima fuerit in Inferno, hoc sensu potest dici totus Christus ibi fuisse.

Eandem omnino doctrinam cum D.Thom. ha- 62
bet vnanimis D. Bonau. *dist.* 22. *dub.* 3. vbi adducit cum D. Thom. authoritatem D. Augustini *lib.* 3. *de Symbolo*, *cap.* 7. quem refert etiam Magister *dist.* 22. vbi ait: *Totus Christus erat in inferno.*

Respondet Vulpius Augustinum dixisse: *Totus Filius*; non *totus Christus.* Fateor *ibi* dicere *Filius.* At *in lib. contra Fælicianum, corpore* 14. vbi citatur à D.Bonauentura, postquam semper Christum, non Filium, prænominarat, subdit: *Erat ergo totus in inferno, totus in cælo.* Rursus pergit alia de eodem Christo asserere. Igitur quia *totus* masculinè significat personam, dicitur *totus Christus* fuisse in inferno; at quia *Totum* significat naturam, & sola anima ibi fuit, ideò non dicitur totum, quod est Christus.

Si dicas: Vbicumque ego sum totus, etiam to- 63
tum sum.

Respondet S.Bonau. negari paritatem, quia in me persona non se extendit vltra naturam; non sic in Christo.

QVÆSTIO V.

An CHRISTVS *aliquam moram traxerit in inferno.*

{ D.Thom. q.52. art.4.

64 VIDETVR sanè D. Thomas sentire moram traxisse Christum in inferno, quia nostras pœnalitates subiit. Et quidem Caietanus *hic*, & *Actor*.2. id concedit; attamen sine tristitia, & dolore id factum esse omnes astruunt.

AT neque D. Thomas id dixit, nempe hanc pœnalitatem à Christo assumptam, habuisse rationem pœnæ, seu pœnalitatis; non enim vllam tristitiam sensit ob descensum ad inferos. Quatenus ergo pœna significat aliquid, dolorem afferens, non potest hæc vocari pœna, vt notat Suarez *ad artic. citatum D. Thomæ*. Et hoc sensu obseruat, D.Bonauenturam acutè dixisse 3.*dist*.22. *quæst*.4. *in corpore*; Christum fuisse in loco pœnæ sine pœna, vt latius probaui *quæst*.3.

65 FVISSE autem ibi illo triduo probatur Matth. 12. *Erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Cor autem terræ est profundum terræ, sicut terra est profundum respectu cœli, vt notat D.Bonauentura *in* 4. *dist*.44. *parte* 2. *quæst*.2. *fundamento* 3. & hoc asserunt D. Augustinus *epistola* 57. Irenæus *lib*. 5. *contra hæreses*, *cap*.31. Tertullian. *lib. de anima*, *cap*.55. Chrysologus *serm*.74. & omnes Scholastici *in* 3. *dist*.22. vt notat Suarez *disp*.43. *sect*.4.

HOC censet autem D. Bonauentura *in* 3.*dist*.22. *quæst*.3. *ad* 2. addita *quæst*.4. *fundamento primo*, vbi id videtur probare de anima. Et ex illo *Act*.2. quo
66 vtitur etiam D. Thomas: *Quem Deus suscitauit, solutis inferni doloribus, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Vbi videtur in inferno immorata anima vsque ad horam resurrectionis. Vulpes tamen *d*.63. *art*.4. ait colligi contrarium, quia hoc non erat necesse ad soluendos dolores; At non ob necessitatem infertur.

IDEM asserit clarius D. Bonauentura *lib*.4. *Compend. Theologicæ verit. cap*.22. vbi id videtur pro-
67 bare ex illo Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Probabile enim est, in Lymbo resplenduisse, ita vt regia Paradisi fieret, vt innuitur *Zach*.1. *Isa*.9. & dixi *quæst*.1. & asserit S. Bonauentura *loco cit. Compendij*, §. *Quarta ratio*. Et *in Ligno vitæ*, §. *Iesus triumphans mortuus*, & colligitur ex D. Augustino *epistola* 57. & sequitur Vulpius *disp*.63. *art*.4. vbi moram in inferno non benè colligit ex deletione chirographi, quæ facta erat iam in Cruce *Coloss*.2. Imò ad hoc adducit etiam locum *Lucæ* 23. allatum à D. Thoma, nempe Paradisum fuisse in Lymbo, vbi Deitas est reuelata, at D.Bonauentura *in Meditationibus vitæ Christi*, *cap*.85. dicit, fuisse aliqua parte horum dierum in para-
68 diso terrestri cum Enoch, & Elia, quod multi colligunt ex illo: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ità Iustinus *quæst*.76. *ad orthod.* Euthymius *ad* 23. *Lucæ*.

QVÆSTIO VI.

An CHRISTVS *ex inferis Sanctos Patres extraxerit.*

{ D. Bonauentura dist.22. quæst 5.
D.Thom.quæst.52.art.5.

ASSERO, Christum illos ex inferis eruisse. Probatur primò à D. Bonauent. ex illo *Psal*. 89. 69
Eruisti animam meam ex inferno inferiori.

PROBATVR secundò ex illo Zach. *Tu in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Sic Hieronymus, Cyrillus, & ferè omnes exponunt.

PROBATVR tertiò à Seraphico *in corpore*, ex illo Ioan.12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, vbi allegat D. Gregorium *homil*.22. *in Euangelia*.

PROBATVR quartò ex illo Oseæ 13. *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* Sic interpretantur Augustinus *serm*.137. *de tempore*, Gregorius 12. *Moral. cap*.8.

EADEM assertio probata est *quæst*.1. & 4. & 70
ita Ecclesia intelligit articulum: *Descendit ad inferos*, vt notat S. Doctor *in* 3.*dist*.25.*quæst*.1.& 3.*p. Breuil. cap*.38. ex Patribus suprà relatis *quæst*.4.

PROBATVR etiam à S. Doctore 4.*dist*.20 *quæst. vlt.* ex Coloss.2. *Expolians Principatus, & Potestates, traduxit, &c.*

PROBATVR etiam à D. Bonau.*dist*.18.*quæst.vlt.* 71
cum D.Thoma *hic*, quia Christus suâ passione soluit debitum peccati originalis; nempe non solùm culpam, sed etiam reatum, & debitum seruitutis, & carendi visione Dei, atque beatitudine: Similiter & reatus singulorum, vsque dum veniret redemptio, vt prophetæ clamant; ac proinde descendens in infernum hæc executus est, vt dixi *quæst*.4.

OBIICIES: D. Augustinus *epist*.99. ait, se non inuenisse quid eis contulerit Christus.

D.THOMAS respondet, Augustinum agere con- 72
tra dicentes, animas illas fuisse in cruciatibus, quod confutat, quia *Lucæ* 16. Lazarus dicitur consolari, vnde infert, se non inuenire posse, quid contulerit eis Christus, quoad remouendos cruciatus; attamen contulisse quoad libertatem à seruitute. Hanc responsionem affert Vulpius *disput*.63. *art*.5. quasi D. Thomas non satis responderit. Vide etiam Suarez *disp*.42 *sect*.1. *in fine*.

QVÆSTIO VII.

Vtrum CHRISTVS *aliquos damnatorum liberauerit.*

{ D.Bonau.loco cit.
D Thom. art.6.

ASSERO, animam Christi non liberasse damna- 73
tos æterno supplicio.

PROBATVR à D.Bonau. primò ex Isa.66. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Vnde Matth.25. *Ite in ignem æternum. Et ibunt hi in supplicium æternum.* Ponderat autem S.Bonau. non modò ignem absolutè fore æternum, sed ignem relatiuum

riuum eorum,& eis fore inextinguibilem: In inferno enim nulla est redemptio, vt ait Ecclesia. Itaque assertio ex lege ordinaria est de fide.

74 PROBATVR secundò à S.Doctore *in corpore*, ex illo Oseæ 13. *O mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* Sic interpretantur Gregorius 12. *Moral. cap.*8. & D.Augustinus *serm.*137. quod scilicet dicatur mortem occidisse, quia eam omnino extinxit, causans resurrectionem omnium; at infernum tantùm momordisse, quia aliquos tantùm hic Leo de Tribu Iuda,ad prædam descendens, dum accubuit in sepulchro, ore voraci e Tartaro rapuit. Confirmatur à S.Doctore ex illo Lucæ 16. *Chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt,non possint hinc transmeare.*

75 OBIICIES primò, 1. Petri, cap.3. *Christus pro nobis mortuus est, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe.* Profectò increduli damnati erant: His ergo Christus descendens ad inferos libertatem prædicauit. Sic exponit Clem.Alex. *lib.*6. *Stromata n* ante medium. Huic alius locus *c.*4. *Petri* addendus: *Ideo & mortuis prædicatum est Euangelium: vt iudicentur quidem secundùm homines in carne, viuant autem secundùm Deum in spiritu.*

76 Hæc loca de Christi descensu ad inferos intelligunt Athanasius *epistola ad Epictetum*,& *lib. de Incarnatione*, Epiphanius *hæresi* 77. Cyrillus *lib. de recta fide ad Theodosium*, & *lib.*12. *in Ioan. cap.*36. Hilarius *psal.*118. in id: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* Ambrosius *in cap.*10. *ad Rom.* Ruffinus *expositione Symboli*, Oecumenius *in hunc locum Petri.*

PRÆTEREA Iustinus *in Dialogo cum Triphone*, & Irenæus *lib.*3. *c.*13. citant verba quædam Isaiæ, quæ modò non inueniuntur simillima istis verbis D.Petri; vt credibile sit, ea inde Petrum accepisse; sunt autem hæc verba: *Commemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis; & descendit ad eos euangelizare salutem, quæ est ab eo, vt saluaret eos.*

77 VENIENS igitur in spiritu, in anima prædicauit bonis saluis, & inter hos nominant eos, qui fuerant increduli,sed adueniente aquarum eluuione conuersi sunt, de quibus profectò dixerat *Genes.*6. Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro sunt*, vbi D. Hieronymus *in quæstionibus Hebraicis* exponit, Deum suâ benignitate puniuisse aliquos aquis mortiferis, sed vt animas saluaret, neque puniret in æternum. Hoc videtur dicere Petrus *cap.*4 Christi animam prædicasse illis, qui secundùm humanum iudicium damnati censebantur, sed secundùm Deum viuunt, & hoc sensu videtur accipere Stromateus. Hos autem ait: *Qui increduli fuerant aliquando*, vbi particula *fuerant*,& particula *aliquando* indicant, eos olim ante incredulos, tamen posteà credidisse, nam si voluisset perseuerantiam eorum in peccato indicare, dixisset: *Qui increduli fuerunt.*

78 SVAREZ *disp.* 43 *sect.*3. non admittit rationem Bellarmini, ob quam specialis de illis animabus fiat mentio,eo quia scilicet de his dubium erat magnum, an essent salui; nam (ait Suarez) debuissent nominare Salomonem, & alios peccatores inueteratos, qui posteà saluati sunt, de quorum salute est maius dubium.

79 RESPONDET igitur, in emendatiori codice haberi: *Vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu, in quo veniens prædicauit, &c.* Et sensum esse, nos animandos ad tolerantiam, quia salutem parturit, Et affert exemplum eorum, qui tempore Noë fuere inter omnes maximè mortificati, nam remansere bonis omnibus spoliati,morte rapida cum affinibus sublati, & tamen multi ex fide Christi vixerunt. Hoc modo videtur accipi à D.Bonauentura *in prol.*3. *sententiarum*, locus ille Petri, nempe, vt nos viuificatos redderet. Et sic legunt emendatiores Codices, vt videre est in Complutensibus, & aliis: Et idem fuit in Græcis codicibus; nam ita legit, iuxta Peltani translationem, Petrus Alexandrinus *lib.de Deitate*,& refertur in Concilio Ephes. *t.*2.*c.*7. & Cyrillus *lib.*1. *de fide ad Theodosium*; & *lib.*2.*ad Reginas*, vt habetur *in eodem Codice,cap.*4.*&* 6. etsi attentè consideretur contextus, magis quadrat illud *viuificatos spiritu*, si de nobis dicatur; vt colligitur ex D. Bonauentura *ibi*, & notat Suarez.

OBIICIES secundò illud Isa.24. *Congregabuntur in lacum, & claudentur in carcere: & post multos dies visitabuntur.* De damnatis autem loquitur, qui militiæ cœli deseruierunt,& qui idololatræ fuere,vt notat D.Thomas, non de his, qui militiam cœli deseruierunt, vt putat Vulpes *disp.*53. *art* 6. 80

RESPONDET D.Thomas, etiam damnatos fuisse visitatos ad confusionem, & pœnam ampliorem, Ita etiam D. Bonau.*dist.*22.*quæst.*4. Addit Vulpes, forsan Christum propriè animâ descendisse ad eos.

OBIICIES tertiò Glossam Interl.ad id Zach. 9. *Eduxisti vinctos de lacu*, vbi ait: *Tu liberasti eos, qui tenebantur vincti carceribus, vbi nulla misericordia eos refrigerabat, quam diues ille petebat.* Hi profectò sunt damnati. 81

RESPONDET S.Doctor primò,Glossam illam satis impropriè loqui; posse tamen intelligi de his, qui in inferno erant; hoc modo Christi animam liberasse iustos, qui erant in inferno in illis carceribus subterraneis, vbi simul etiam diues Epulo, & alij reprobi iacent; omnes enim in inferno, extenso inferni nomine,sunt: Sicut si dixisses: Princeps Venetiarum de obscuris carceribus vinctos eduxit, vbi tamen non intelliguntur damnati sententia, sed de iis carceribus, qui sunt simul cum illis, vbi iacent necandi.

RESPONDET secundò S.Doctor, ibi non fuisse misericordiam liberantem, sed solam relaxantem, quia SS. Patres non poterant ante Christi aduentum inde exire. Ità respondet etiam D.Thomas. 82

HANC responsionem impugnat Vulpes, quia Glossa dicit: *Liberasse de Inferno, vbi erat diues, vbi non est misericordia vlla.*

RESPONDETVR, consideranda esse verba Glossæ; ait enim, ibi in lacu non fuisse misericordiam illam, quam petebat diues; hic verò petebat exire, dicens: *Mitte me in domum Patris mei*: ea igitur nulla aderat in eo lacu vsque ad Christi aduentum; non loquitur autem vniuersaliter, ibi fuisse pœnas ignis, & alias diuitis.

OBIICIES quartò. Christus pro omnibus mortuus est. 83

RESPONDET D.Bonauentura,mortuum esse sufficienter pro omnibus, & pro ipsis actu damnatis, quatenus pro eis soluit pretium peccatorum, & gratias, & auxilia, quæ reprobi prodigè consumpserant: at quia iam abusi erant, & erant in termino, non est mortuus pro illis efficaciter.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

An eduxerit Infantes, solâ originali labe conspurcatos.

{ D. Bonau. loco cit. ad vlt. mum.
D. Thom. art 1.

ASSERO, Christum non eduxisse ex inferis infantes, solo peccato originis culpatos.

84 PROBATVR ab vtroque S. Doctore; primò quia redemptio efficax Christi, & liberatio eis erat impendenda, qui per fidem fierent membra Christi: ait enim Apostolus Rom. 3. *Deus proposuit Christum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius:* at pueruli neque propriam fidem habebant; neque fidem parentum participabant; neque aliquo fidei Sacramento erant mundati: Ergo. Eodem argumento vtitur *lib. 4. Compend. Theolog. cap. 22.*

85 SECVNDÒ quia nullus saluatur, nisi gratiam habeat sanctificantem, vt dicitur Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna;* Cùm igitur paruuli illi gratiam non habuerint, sequitur, non esse saluos; neque enim poterant post mortem recipere gratiam, cùm iam essent extra viam meriti, vt notat S. Doctor *quæst. 5. ad* 5. & Suarez *ad art. citatum D. Thomæ.*

VVLPES *disp. 63. art. 7.* ait, infantulos erutos à Christo ex illo loco, vbi tyrannicè detinebantur à diabolo, & de his explicat illud *Isa. 14.* suprà allatum *quæst.* 7. Sed hæc sunt absque fundamento dicta, neque de his locutus est S. Augustinus *serm. de Resurrect. quæst. 1.* sed de Sanctis Patribus, qui ex pœna originaria captiui vinciebantur.

86 OBIICIES Rom. 5. *Si vnius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit:* Sed pueri ob peccatum originarium detinebantur omnes in inferno: Ergo multò magis liberati sunt.

RESPONDETVR, particulam *plures*, non esse comparatiuam, vt notant Patres, alioqui sensus esset, plures esse liberatos à culpa, quàm fuisse lapsos, quod est ridiculum. Igitur particula *plures*, significat positiue, multos efficacius liberatos, quàm inquinatos; at liberatio debitis mediis assumi de-
87 buit. Et hoc significat particula *multò magis*, quam formidare videtur Suarez *ad art. D. Thomæ citatum.*

QVÆSTIO IX.

An liberauerit animas Purgatorij.

{ D. Bonau. loco cit.
D. Thom. art. 8.

88 CONCEDERE quidem libet omnibus animabus Purgatorij, aliquam eas consolationem è Christi triumpho percepisse, tamen quæstio est: An liberatæ fuerint.

PRIMA opinio est, omnes fuisse tunc liberatas. Citatur Marsil. *in 3. quæst. 13. art. 2. dub. 3.* vbi refert in hanc sententiam Thomam de Argentina; ipse verò valde dubius est, licèt tandem in hanc partem inclinet, quia (ait) est magis pia; eandem tenet Maior *in 3. dist. 22.* & inclinat etiam Gabriel *ibi dub. vlt.* indicans, hanc esse communem sententiam Doctorum, quam obscurè tractat supplementum Gabriel. *in 4. dist. 45. q. 1. art. 1.* vbi prius dicit, Christum euacuasse sinum Abrahæ, omnes & singulos, qui erant, liberando. Postea subdit, Christum liberasse singulos è Purgatorio. In hanc inclinant Soto *dist. 15. quæst. 1. art. 3.* Gerson *Alphabeto 83. litt. F,* vbi ait, Christum fortè Purgatorium euacuasse.

ADDVCI potest etiam Turrianus *lib. 4. contra* 89
Magdeburgenses, cap. 12. quamvis indefinitè loquatur de animabus Purgatorij.

PRO hac citatur etiam D. Bonau. *in 3. dist. 22. quæst. 5.* vbi tamen de Purgatorio nihil dicit, aut indicat: Si verò interdum dicit liberasse omnes electos, loquitur de solis electis in sinu Abrahæ cum D. August. *serm. 137. de tempore,* cum D. Gregorio *lib. 13. Moral. c. 20.* ait enim *ad primum:* Quod Christus solum ad Lymbum descendit, vnde Sanctos Patres eripuit, & ita adiit supremam partem inferni, non ad mediam, vel vltimam, vt aduertit Suarez *disp. 43. sect. 3.* Idem asserere videtur *lib. 4. Compendij Theolog. cap. 22.*

SECVNDA sententia est, Christum nullam ani- 90
mam è Purgatorio tunc liberasse, quæ non iam ex integro luisset pœnas. Pro hac sententia refertur D. Bonau. à Suarez *loco cit.* & eam videtur tenere Viguerius *in Instit. cap. 16. §. 4. vers. 30.*

TERTIA sententia media est, animam Christi eduxisse aliquas è Purgatorio animas: Ità videtur D. Thom. *hic ad* 1. licèt ibi sub disiunctione loquatur, illos liberatos, qui vel purgati iam erant, vel dum adhuc viuerent, meruerunt per fidem, & deuotionem mortem Christi, vt eo descendente liberarentur: Tamen Caietanus, & alij Thomistæ intelligunt D. Thomam in sensu copulatiuo. Sequitur Durandus *3. dist. 22. quæst. 4.* Palodanus *quæst 3.* Vulpes *disp. 63. art. vlt.* credit, ferè omnes per Indulgentiæ thesaurum fuisse erutas.

IN hac re videtur S. Bonauent. cautè omittere 91
huius rei definitionem, cùm nihil adsit solidum pro alterutra parte, vt patet attentè legenti: & eundem sensum pandit Richardus, eius sectator *dist. 22. art. 3. quæst. 2.* Potuit quidem Iubilæum propalare, sed nescitur factum.

DICO igitur, non haberi rationem solidam id affirmandi; quia SS. Patres communiter dicunt, Christum descendisse tantùm ad Lymbum Sanctorum Patrum, quod expressè tractat Cyrillus Hierosol. *cat. 4.* Damascenus *lib. 3. cap. vlt.* adductus à D. Bonau. *dist. 22. quæst. 4.* Ruffinus *in Symbolo,* Tertullianus *lib. de anima.*

D. AVGVSTINVS tamen *epist. 99.* videtur ali- 92
quid dicere, quia nondum agnouerat, sinum Abrahæ esse locum subterraneum, & partem inferni, in qua Sancti Patres patiebantur dolores inferni, nempe priuationem diuinæ visionis, & tristitiam inde manantem.

QVÆSTIO X.

An post CHRISTI descensum, animæ habeant receptacula.

{ D. Bonau. in 4. dist. 42. q. 2.
D. Th. 3. p. q. 69. art. 1. & in 4. d. 13 q. 1. art. 1.
Aduerte numerari quæstiones D. Thom. à principio supplementi.

ANTE Christi descensum posuimus quatuor 93
receptacula animarum; In infimo centri gehen-

nam:

nam: Suprà, Purgatorium: Deinde Lymbum puerorum: Vltimò Lymbum Sanctorum Patrum, vt vidimus *quæst.2. in fine*, licèt aliàs S. Bonauentura ponat Purgatorium supra pueros.

An gehennam autem non descendisse Christum dixi cum S.Doctore *dist.22. quæst.5.* quem sequuntur *eadem distinctione*, D. Thomas, Richardus, Gabriel, Paludanus, & Marsilius, *quæst.13.* eo fun-
94 damento, quia secundùm Patrum sententiam, Christus descendit in inferos, vt animas liberaret, vt præcipuè docet S. Augustinus *epist.99.* vbi nullam aliam causam agnoscit: At damnati non fuere liberati, vt dixi *quæst.7.* Idem habent alij Patres citati *quæst.9.*

Scio, Bellarminum *lib.4. de Christi anima, c.16.* oppositum tenere, ob illud Eccl. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, & D. Augustinus *epist.99.* vbi ait; descendisse, vbi peccatores torquebantur: Sed locus Ecclesiastici non est certus, quod loquatur de Sapientia incarnata. D. Augustinus verò loquitur modo suprà dicto in fine quæstionis præcedentis. Idem dixi de aliis receptaculis, excepto Lymbo Sanctorum Patrum.

Nvnc verò quæstio est: Quænam receptacula animarum adhuc sint.

95 Assero primò, dari receptacula animarum.

Probatvr à D. Bonauent. *fundamento 2.* & D. Thoma *argumento cont.* ex D. Gregorio *lib.4. Dialog.cap.25.28.30.& 40.* vbi diuersa receptacula narrat, tum in cœlo, quod probat ex illo 2.Cor.5. *Si terrena nostra habitatio dissoluatur, domum habemus in cœlis.* Et 1. Cor. 13. *Raptus est in Paradisum*, vbi D. Gregorius: *Qui Christum in cœlo esse non dubitat in corpore, nec Pauli animam esse negat.* Idem probat de animabus damnatis ad pœnam, vt de Theodorici regis anima deducta ad gehennam, &c.

96 Probatvr secundò à D. Bonau. ex Lucæ 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in Inferno.*

Probatvr tertiò ab vtroque S. Doctore, quia ex D.Gregorio *lib.4. Dial.c.1.* licèt animæ sint extra corpora quoad informationem; tamen secundùm dignitatem debent in locis conuenientibus poni ad earum operationes, quibus corpora subiiciuntur, & per eas reguntur. Itaque animabus purissimis purissimus locus debetur, nempè Empyreum cœlum ad retributionem; reis verò, pro diuersitate criminum, loca conuenientia: Sic damnatis culpis mortalibus locus pessimus, & fœcum centrum assignatur, illis verò, quæ sunt maculatæ solis venialibus, Purgatorium; illis tandem, quæ originali labe scatent, Lymbus subterraneus in captiuitatis sortem datus est.

97 An verò detur alius locus; certum est ex Concilio Florentino *sessione vltima*, animas solutas, quæ nil purgandum habebunt, statim recipi in cœlum; attamen narrat Beda *lib.5. hist.cap.13.* visum esse locum amœnum, veluti Elisiorum, vbi animæ aliquæ nil patientes detinebantur, quæ non adhuc visioni Dei erant aptæ. Similia refert Dionysius Carthus. *Dial. de Iudicio particulari, cap.31.* & Ludouicus Blosius *in Monili spirituali, cap.31.*

Prætereà Bellarminus *Tom.2. lib.2. de Purgatorio, cap.7.* concedendo probabiliter talem locum, veluti Purgatorium, per carentiam visionis Dei absque pœna sensibili, sed sola tristitia, qualis refertur in Purgatorio à S.Brigitta *lib.4. cap.124.* de qua ait
98 Turrecremata in Prologo reuelationum: *Omnia, quæ locuta es, vera sunt*, sicut de Iudith.8. dicitur: *& non est in sermonibus tuis vlla reprehensio.* Et D. Thomas *in 4. dist.21. art.1.* dicit, in iis, quæ de Purgatorio non sunt definita ab Ecclesia, standum esse his, quæ sunt magis consona dictis, & reuelationibus Sanctorum. Idem videtur innuere S. Doctor *in 4. dist.20. p.p. quæst. vltima*, vbi de quæstionibus, non definitis ab Ecclesia, se remittit dictis, & reuelationibus Sanctorum.

Probatvr vltimò à D.Bonauentura, quia societas multum facit ad iucunditatem retributionis: Ergo datur locus retributionis gloriæ communis, similiter societas in pœnis, licet videatur minuere pœnam, quia solatium est miseris socios habere pœnarum, tamen habere socios exprobrantes, auget pœnam, quod ego infero ex argumento D. Bonauenturæ.

Assero secundò. Animæ iustæ, purgatione 99
non indigentes, statim ab egressu recipiuntur in cœlum.

Probatvr primò à D.Bonau. *fundamento 2.* & D.Thom. art. 2. ex 2.Cor.5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, habemus, &c.* vt suprà. Et Philip.1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, vbi D.Gregorius *lib.4. Dialog.c.25.* ait: *Qui ergo Christum esse in cœlo non dubitat in corpore; nec Pauli animam esse negat.* Profectò est validum argumentum: Si enim Paulus, secundùm animam dissolutam, est cum Christo, & Christus est in cœlis: Ergo & anima Pauli.

Probatvr secundò à SS.DD. *in corpore*, quia 100
sicuti corporibus est grauitas, vel leuitas ad motum; ita animabus meritum, vel demeritum, quibus ad propria loca tendant, vbi est finis operationum: Sicut ergo corpora per grauitatem ad centrum tendunt, vel ad sphæram sursum, nisi impediantur, ita & animæ, nisi aliquo impedimento veniali detineantur, ascendunt protinus in cœlum.

De animabus verò malis idem argumentum fit in ordine ad centrum, & Probatur à D.Bonau. ex illo Lucæ 16. *Mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.* Hæc adeò certa sunt, vt sit hæresis ea negare, vt notat D. Gregorius *loco citato.*

Obiicies primò Glossam in id Psal.36. *Adhuc* 101
pusillum, & non erit peccator, vbi ait: *Adhuc pusillum, & vsque ad finem vitæ cuiusque, quando liberabuntur sancti: Post hanc tamen vitam non ita erit, vbi erunt sancti, quibus dicetur: Venite benedicti*; sed illi sancti erunt in cœlo: Ergo Sancti statim post hanc vitam non ascendunt in cœlum.

Respondent SS.DD. Glossam loqui de statu secundùm stolam, subdit enim, *Idest non habebis geminam stolam, quam habebunt Sancti in resurrectione.* Itaque euolant in cœlum statim, sed non statim ad secundam stolam resurrectionis.

Obiicies secundò ex D.Augustino lib. de Spi- 102
ritu, & anima, c.30. *Quædam animæ puniuntur in loco, vbi deliquerunt; quædam in abditis receptaculis.*

Respondet S.Bonauentura, loqui Augustinum de loco purgationis, de quo idem habet *in 4. dist.20. part.1. quæst. vltima*, vt dicam, cùm de Purgatorio agam.

Obiicies tertiò ex D. Augustino *in Enchir. cap.109.* vbi ait: *Tempus, quod inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem interponitur, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est requie, vel ærumna:* Sed hæc receptacula non possunt esse cœlum, & infernus, quia hæc erunt etiam post resurrectionem: Ergo.

Respondent SS. DD. inter hæc receptacula, 103
pro hoc tempore, numerari & cœlum, & infernum,

quæ tamen distinguuntur, quia nunc ibi degunt animæ separatæ, expectantes resurrectionem; aliæ verò in diuersis locis purgantur, vel diutiùs, vel citiùs, prout digni sunt pœnâ, vel requie.

QVÆSTIO XI.

Vtrum Animæ aliquando exeant è suis receptaculis.

D. Bonau. in 4. dist 45. quæst. 3.
D. Thom. 3. part. q. 6. art. 3.

104 NEGANT Magdeburgenses cum Tertulliano, *lib. de anima* ad calcem.

ASSERO primò. Nulli è Paradiso, vel Inferno exeunt ad semper.

PROBATVR ab vtroque S. Doctore, quia Gloria, & Gehenna, æternæ sunt.

ET quidem ratio huius æternæ mansionis efficax assignatur à S. Doctore *in corpore*. Nam receptaculum datur animabus, vel secundum immutabile Dei consilium, quod vocat Seraphicus causam su-
105 periorem; vel secundum mutabilem sententiam, niaam mutationi meritorum cuiusque, quam appellat pariter S. Doctor causam inferiorem: Si fiat primo modo, certum est animas nunquam exituras finaliter, & hoc fit in ordine ad sempiternam pœnam, vel æternam gloriam: Possunt tamen tales animæ exire ad tempus; & hoc vel ad complendam remunerationem, iam à multo tempore ipsis debitam; quo pacto omnes animæ tam beatæ, quam damnatæ sistent se coram tremendo iudice in die, & loco iudicij, vt vnusquisque recipiat, prout in corpore gessit; post quam receptionem remunerationis, non erit imposterum vlla ratio è determinatis receptaculis exeundi. Interim tamen animabus beatis ad tempus egredi aliquando conceditur ad perficiendam aliquam charitatis operationem in proximum, scilicet confortando, reuocando, liberando, &c. vt habet S. Bonauentura hic *in corpore*: Sicut enim Angelis non officit cura mortalium, quin simul cœlesti fruantur beatitudine; iuxta illud Christi: *Angeli eorum vident faciem Patris*, & variis ad nos funguntur missionibus, cum stabili tamen gloriæ fruitione; ita beatæ animæ, prout supernæ sapientiæ expediens videtur, possunt erga nos reali præsentiâ charitatis exhibere officia absque propriæ beatitudinis præiudicio: Hoc tamen de animabus damnatis non admittit ordinariè S. Doctor, quippe quæ habeant omnem operandi facultatem quoad nos ligatam.

106 NEC obest quod dæmonibus licèt reprobis permittitur exitus, vt aliquas circa nos operationes exerceant; hi tamen maiorem pœnam, & detentionem merentur, maiori enim malitiâ eccidetunt.

RESPONDET enim S. Doctor *ad primum*, disparem esse rationem: Nam dæmones, quippe Angeli, ea primitiua institutione sunt administratorij spiritus, vnde adhuc decet, vt penitus non ligentur, sed virtutis, & meriti ansas nobis ministrent, licèt maleuola, ex illorum parte, intentione; vt sic ipsis etiam inuitis, stet inconcussus diuini decreti ordo, quo statutum est, vt nobis proficiant ad implendas ruinas, quas ipsi fecere.

ASSERO igitur secundò, animas beatas secundùm ordinem Diuinæ Prouidentiæ exire ad tempus è cœlo.

PROBATVR ab vtroque S. Doctore ex SS. PP. 107
Augustino *de cura pro mort. cap. 56.* Paulino *in vita Ambrosij.* Sulpitio *in vita Martini.* Theodoreto *lib. 5. hist. cap 24.* præcipuè D. Gregorio *lib. 4. Dialog. cap. 36. & 40.* vbi narrat, multas Sanctorum animas apparuisse. Prætereà *in vitis Sanctorum in Breuiario*, idem habetur: Sic enim Beata Agatha legitur apparuisse Beatæ Luciæ, Beata Agnes suis parentibus, & Constantiæ: Sic Stephanus, Laurentius, Vincentius Martyres apparuerunt, reuelantes sua corpora.

ALIA exempla referunt Eusebius *lib. 6. hist. cap. 6.* Augustinus de cura pro mortuis, *cap. 16.* Sulpitius *in vita S. Martini*; Paulinus *in vita S. Ambrosij*, Theodoret. *lib. 5. hist. cap. 24.* Gregorius *lib. 3. Dial. cap. 24. & 25.* & VII. Synodus *act. 4.*

CONFIRMATVR à D. Bonauentura, quia beatæ animæ possunt nos suis visitationibus iuuare, vt est suprà dictum.

ASSERO tertiò, damnatas animas ordinariè non 108
apparere. Ita D. Bonauent. cuius ratio est, quia sunt in carcere perpetuo: *Ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores*, attamen aliquas exiisse ad tempus refert Author proprietatum apum; & idem refertur *in vita Sancti Brunonis*, de Doctore Parisiensi.

ASSERO quartò, è Purgatorio exire aliquando animas ad apparendum.

PRÆCLARA exempla habes in D. Gregorio *lib. 4. Dial. cap. 40. & 55.* & aliis authoribus suprà citatis.

QVOD etiam antiquitus è Lymbo Patrum exierint animæ, probatur à D. Bonauent. ex *lib. de cura pro mortuis, cap. 15. & 16.* ex *lib. 1. Reg. cap. 28.* vbi anima Samuëlis apparuit Saüli. Fuisse autem veram eius animam probatur, quia dicitur Ecclesiastici 48. *Mortuus prophetasse*, ibi enim prædixit Saüli euentura.

SIC Moyses apparuit in monte Thabor *Matth. 56. Lucæ 9.* vt notat etiam S. Bonauent. ad eum Lucæ locum.

QVOD verò mortuorum animæ fuerint excitatæ 109
è Lymbo Patrum, probatur ex Libris Regum, vbi Elias, & Elisæus mortuos suscitarunt. Patet ex Euangelio, vbi Christus defunctos resuscitauit, & ex Apostolorum actis, vbi Petrus, & Paulus idem præstiterunt. Hi sanè, cùm fideles fuerint, creduntur fuisse in Purgatorio, vel Lymbo.

ADDIT Abulens. *quæst. 57. in 4. cap. 4. Reg.* hos iustos in gratia confirmatos, vt nullo modo perire potuerint; alioqui facta fuisset eis iniuria. Si quæ autem argumenta contra primas assertiones fiunt, solùm inferunt, ad tempus id esse factum.

QVÆSTIO XII.

An ex Inferno aliquis è priuilegio sit erutus.

MVLTAS habemus historias, quæ hanc difficillimam quæstionem videntur definire; attamen magna adhuc est contentio.

PRIMÒ

110 PRIMÒ quidem refertur Traianus Imperator, orationibus D. Gregorij Papæ ex inferno penitus liberatus. Fundamentum huius communiter habetur ex Damasceno *oratione pro mortuis*.

EANDEM opinionem secuti sunt, vt probabilem, Altisiodorensis, Durandus, Richardus *in 4. dist.* 45. apud Nazarium 3. *part. quæst.* 52. *artic.* 6. *controu.* 2. Abulensis *in cap.* 4. 4. *Reg. quæst.* 57. Status Senensis *Tom.* 2. *Biblioth. annot.* 47. Alphonsus Liaconius *in sua Apologia*, imò etiam D. Thomas *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *artic.* 2. *quæstiuncula prima*, *argumento quinto*.

ALII admittunt hanc historiam, si Damasceni sit. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 2. qui ait, eam historiam sibi durissimam esse creditu, Medina *ad quæst.* 52. *art.* 2. *tertia partis D. Thom.* Suarez *disput.* 43. *sect.* 3. §. *Ad alia verò*, & nonnulli alij.

111 ALII tamen id omnino negant, eamque historiam Damasceni non esse conclamant. Ita Meleh. Cano *lib.* 11. *de locis*, *cap.* 2. Bellarminus *de Purgatorio*, *lib.* 2. *cap.* 8. & ante hos Albertus Magnus *in* 4. *dist.* 45. quos sequitur Nazarius *loco cit.* Baronius verò, *anno* 604. eam historiam concedit esse Damasceni, sed negat esse veram.

112 S. BONAVENTVRA *in* 4. *distinct.* 20. *p. p. dub.* 3. solùm ait: Si alicui vnquam post mortem dedit gratiam, intelligendum est, quod ille non erat damnatus per sententiam, sicut legitur de Traiano.

ALIQVI etiam dicere voluerunt, quòd hoc priuilegium speciale fuit, vt Dominus ostenderet quantum Sanctos suos diligeret. Quare nec historiam Damasceni nominat, neque ea proprio sensu credit, sed tantùm refert conditionaliter, nempe, si hæc historia defendi debeat, oportere dicere, Traianum non fuisse damnatum absolutè ad inferos, sed solùm punitum in inferno secundùm præsentia eius demerita, & suspensam sententiam propter præuisas S. Gregorij preces: & præterea non immediatè ex infetis transisse, sed priùs corpori vnitum, & pœnitentem baptizatum. Ita tenent communiter etiam, qui primam sententiam astruunt, vt notat Bellarminus *loco citato*.

113 DEINDE supponit, si hoc verum est, voluisse Deum magnam gratiæ suæ, & misericordiæ ostentationem exponere. Fuit enim Traianus scelestissimus. Christianos enim acriter est persecutus, & ex eis sanguinum torrentes sparsit, vt luculenter refert Baronius *ab anno Christi* 100. *Tom.* 2. *& anno* 604. *Tomo* 8.

114 SANGVIS Sanctissimi Clementis Papæ I. Flauiæ Domitillæ, Nerei, Achillei, Anacleti Papæ, Ignatij Episcopi Antiochiæ, Onesimi Apostolorum discipuli, Vndecim millium Martyrum eius crucifixorum in montibus Armeniæ, Simeonis fratris Domini, Zoaimi, Ruffi, Parmenæ, Dionysij Areopagitæ, Timothæi Ephesiorum Episcopi, & Apostolorum discipuli, Virginum Antiochenarum, & Inclytorum Brixiæ Patronorum, Faustini, & Iouitæ, testantur huius feræ sæuitiam.

TANDEM hoc epiphonemate Baronius claudit: *Immenso Christianorum numero deleto, cum & nullum finem fecisse Christianos persequendi; nam moriens adoptionis tabulas Hadriano dedit simul cum decretis, & norma in Christianos sæuiendi. Hic, veluti rabida Tygris, suum pedicemem secutus est in desæuiendo*.

DE Traiano conqueri potest Deus: Vox sanguinis generationum, quæ successerunt de secundo Abel iusto, clamat ad me de terra, maximè Romana, ad quam vndique rapiebantur innumeri Christi fideles laniandi, quorum sanguines in cœlum clamabant contra hunc portentosum Tyrannum, purpura cruentatum tunica, ebrietatibus vinolentum, subuculâ infandis spurcitiis vndique conspurcata, carne Sodomiticum redolentu fœtorem; animâ (si Cassio Dioni credas) Domitianis, & Neronibus longè deteriori, cuius nomen est æterno dignissimum Tartaro, & cadauer inferni centro tumulandum, ne vniuersum orbem contagione corrumpat: Spiritus, 115
Lucifero tortore dignus. Legem Scantiniam de infando scelere puniendo è medio tulit spurcissimus iste Pentapolitanus, ignis, & sulphuris æterni pœna dignissimus. Hunc ipse Iulianus Apostata, neque sub Luna in Deorum conuiuium admittendum concessit. Hic igitur, si Paulo *Rom.* 1. fidem habeas, in reprobum à Deo penitus ex plosus traditus est, neque facilè credatur ad cœlos rectà euolasse absque grauissimo fundamento: Ipse etenim se Deum acclamabat, teste Dione. 116

CÆTERVM videamus, quàm solidè scribatur Alcides iste ex Orco fumigabundus erupisse. 117

HISTORIA narrat, Sanctum Gregorium per forum Traiani transeuntem, anno secundo sui Pontificatus, cùm vidisset Traiani statuam ex equo desilientis, vt viduelæ aures benignas adhiberet, & pecunias erogaret; tam nobili, ac generoso facto permotum, ad cœlos respicientem, supplicem pro anima tam pij Principis orasse, atque Angeli monitu accepisse exauditum; attamen ne talia ampliùs peteret, fuisse monitum.

PRIOR sanè historia incerta est, nec habet antiquum aliquem authorem de vidua illa, & Traiano. Hæc verò Sancti Gregorij improbabilis est; nam eius tempore forum Traiani prostratum statuis, maximè verò æneis, fuerat à Barbaris expoliatum, vt ipse narrat Sanctus Gregorius *homil.* 18. *in Ezech.* & *lib.* 2. *Dial. cap.* 1. 118

PORRÒ *lib. quinto*, *epistola* 15. *ind.* 15. hæreticos vocat, damnatos, audentes dicere, Christum ab inferis damnatos gehenna reuocasse. Et *lib.* 34. *Moral. cap.* 13. disertè docet, non posse orari pro infidelibus defunctis, quemadmodum, nec pro diabolo, quia sunt damnati in æternum. Dicere enim cum Abulensi *quæstione* 57. *in cap.* 4. *lib. primi*, 4. *Regum*, Gregorium peccasse mortaliter, orando pro Traiano; est magna temeritas contra Sanctum, & prudentissimum Pontificem. Aduerte autem cum Baronio, Librum Dialogorum scriptum esse anno 4. Pontificatus, cùm anno secundo dicatur orasse pro Traiano. 119

PORRÒ historia illa Damasceni non fuit, nam ibi non solùm de Traiano, & Falconilla asserit liberatos; sed iam antea multos damnatos à descendente Christo erutos, quod est erroneum, & contrarium Damasceno *lib. secundo*, *de fide*, *cap.* 4. vbi dicit: *Id est hominibus mors, quod Angelis casus*.

NVLLVS sanè author Latinus meminit huius historiæ, & Ioannes Diaconus in vita Diui Gregorij solùm dicit, eam esse apud Anglos inuentam, nec fidem ei à Romanis habitam, nec historiam ex Damasceno probat; imò illi contra- 120

dicit, dicens, Gregorium non orasse pro Traiano, ne eum præuaricatorem, iuxta eius dicta *lib. 4. Dialogorum*, proclamaret, vbi docet non licere orare pro damnatis.

121 ERRANT propterea Græci *in suo Euchelogio, cap. 96.* orantes pro defunctis, vt sicut precibus Gregorij Dialogi liberata est anima infidelis Traiani ex inferno; ita liberare velit fideles è Purgatorio, vbi etiam aduerte, Gregorium Dialogum non esse huoc primum, Magnum meritò nuncupatum, sed secundum.

ADDVCVNT reuelationem S. Brigittæ *lib. 4. cap. 13.* quæ tamen solùm dicit, eum eleuatum esse ad gradum altiorem in inferno, puta ad minorem pœnam.

122 ADDVCVNT reuelationem factam Sanctæ Mathildi. Hæc verò petiit à Domino, quid egerit cum animabus Sampsonis, Salomonis, Origenis, & Traiani, & responsum accepit, se nolle cognitum alicui, quid sua liberalitas cum illis egerit. Igitur ignorant quid dicant quotquot asseruot. Posset quidem responderi, noluisse Deum id sciri certò ex reuelatione, & in hoc detrahitur reuelationi Brigittæ; sed hoc non impedire quin ex historia sciatur. Attamen cùm dicat, nolle sciri, quid sua liberalitas egerit de his, satis clarè videtur eos erui, & Deum cum eis misericorditer, & liberaliter egisse, liberando eos ex inferno, tametsi nolit sciri an statim, an ad Purgatorium priùs, &c. traduxerit. Quare quoad hæc non satis Baronius, *anno 604.* & Bellarminus *loco citato*, expiscantur contradictiones, vt quod Deus noluit sciri, id reuelauerit.

123 AFFARVNT etiam testimonia Ioannis, & Petri Diaconorum Sancti Gregorij *ex Bibliotheca Vaticana*: At si hæc esset Petri, qui fuit Diaconus D. Gregorij, non diceret Ioannes, id non inueniri in Bibliotheca Vaticana, sed solùm apud Anglos. Præterea fragmentum illud multa habet redolentia nouitatem suppositam paucis iam ante Ioannem annis, vt probant Bellarminus, & Baronius.

ADDVCVNT etiam Ioannem alium Diaconum *libro secundo, cap. 44.* Sed iste dicit tantùm, animam Traiani id obtinuisse, vt in inferno manens, igne non cruciaretur. Diuus vero Thomas probabile putat, suspensum esse Traianum à pœnis inferni, solùm vsque ad diem vltimum iudicij. 124

REFERVNTVR alij etiam damnati, ad vitam reuocati. Primus fuit affinis quidam Cæsaris, orationibus D. Petri suscitatus, vt refert Egesippus *lib. 3. cap. 2.* Secundus fuit ante Baptismum, vt refert Euodius *lib. 1. de Miraculis*, quem ad reliquias Sancti Stephani ait suscitatum. Tertius quidam orationibus Sancti Seueri, vt refert Sanctus Gregorius *lib. 1. Dial. cap. 12.* hic deducebatur in infernum à dæmonibus.

QVARTVS fuit adolescens, qui cum B. Agnetem stuprare voluisset, fuit suffocatus, & orationibus Sanctæ Agnetis, miseros iuueniles amores miseratæ, suscitatus. Hunc narrat Sanctus Ambrosius *serm. 90.* Sanctus Maximus *serm. 2.* Addit Bellarminus aliquos ethnicos ab Apostolis fuisse suscitatos. 125

RESPONDAT Soto, ethnicos illos laborasse ignorantia inuincibili fidei, atque adeo Purgatorio addictos. Sed hoc non admittit S. Bonauentura, vt vidimus *prima secunda*.

DEINDE quid dicet de adolescente, qui necatus est, dum volebat Sanctam Agnetem violare? 126

DICENDVM igitur cum D. Bonauentura, quem alij sequuntur, eos non fuisse damnatos, sed suspensam eorum sententiam, & interim punitos secundùm præsentem iustitiam. Idem habet D. Thomas *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2.* aliique, vt notat Bellarminus.



DISPVTA

DISPVTATIO XLI.

DE

RESVRRECTIONE CHRISTI, ET NOSTRA.



T omnia impleret Christus, defunctus descendit in inferiores partes terræ. Mox rediuiuus superiorem Cœli sedem occupat, sic post summam demissionem sequitur suprema eleuatio: Hæc incœpit à Resurrectione, per quam citò refloruit caro ipsius, vt de virgâ Aaron dicitur *num.* 17. quod citò refloruerit, manentibus Magorum virgis in ariditate sua; quod de Christi Resurrectione exponit D. Gregorius in Glossa apud D. Bonauenturam *serm.* 3. *de Resurrect. Domini*, dum enim cætera defunctorum corpora permanent in ariditate incinerationis, & ossium vsque ad diem iudicij, Christi corpus tertia die resurgit; vnde sicut germinatio virgæ Aaron erat in signum exaltationis ipsi, & generationi eius; ita Resurrectio Christi indicat exaltationem nostram, modò ipsius gratiâ regenerati comperiamur: Hinc vna disputatione bipartita Christi Resurrectionem, & nostram tractabimus; illa præcessit, vt hanc secuturam credamus, caput enim absque membris resurgere non tam decorum est, licèt id simul fieri non deceat, cum non sit caput physicum, sed morale, & eminentiorem habeat dignitatem, & gratiam, quàm membra: Præter plura autem fidei testimonia, quæ pro nostra resurrectione militant, sunt rationis persuasiones non paucæ: qualis est Diuinæ iustitiæ remuneratio, quæ cuique ad mensuram meriti retribuit; deinde id suadet naturalis appetitus gloriæ, quem, nisi peccato peruertatur, quietari, & satiari conuenit: Vltimò naturæ perfectio, quæ stare nequit in separatione partium, sed in compositi vnione, hoc ipsum conuincit; vt discurrit S. Doctor *dist.* 43. *quæst.* 1. *in corpore.*



PARS PRIMA.

De Resurrectione nostra.

DE Resurrectione in communi aliquid prælibare libet, vt facilius capiantur, quæ de Christo resurgente dicturi sumus; ad hæc confert, vt primam partem de nostra resurrectione præmittamus, in qua multa piâ curiositate indaganda occurrunt, qualia sunt carnis identitas, par corporum statura, partium integritas, sexuum diuersitas, & similia, quæ infra è quæstionum titulis indicantur. Et hæc pariter discutienda sunt in resurrectione, seu ad gloriam, seu ad pœnam; nam in vtrauis, naturæ status illæsus seruabitur, quamvis in bonis, seu iustis ad beatitudinis complementum perfectior erit, in malis autem, seu reprobis ad tormentum incuruabitur.

QVÆSTIO I.

Quid RESVRRECTIO *significet.*

1 NOTA primò ex D. Bonauentura *lib.7. Compendij Theolog. cap.16. & ad psal.1.* Resurrectionem apud antiquos significare iteratam surrectionem: Ideò, quod ceciderat, dicitur resurgere, & hinc aptatur resurrectioni, tam corporis noua animatione spiritus, quam resurrectioni spiritus, seu animæ, noua informatione gratiæ.

2 ADVERTE autem resurrectionem corporis fuisse Ethnicis ignotam. Ideò Actorum 17. *Noua res visa est Athenis.* Itaque apud Catholicos hic Resurrectio est hominis mortui ad vitam perditam reuocatio. Hanc verò agitabimus, eamque definiemus, cum illius conditiones exquisierimus, simulque impropriam ostendemus resurrectionem animæ ad gratiam, quia non ad eandem numero surgit homo; sed ad nouam.

QVÆSTIO II.

An resurrectio sit eorundem corporum.

D. Bonau. in 4. dist. 43. q. 4.
D. Thom. in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. & 4. cont. Gent. c. 81. & quodl. 11. art. 6.

3 OMNES concedunt, necessariam esse eandem numero animam rationalem, quæ habet gradum sensibilem, & vegetabilem; alioqui non resurget, qui mortuus est, sed alius; nam identitas specialiter venit à forma.

QVÆSTIO ergo hîc est de materia eadem numero, idest de corpore.

PRIMA opinio est, non esse necesse ad resurrectionem idem corpus resumi. Ità Durandus 4. *dist.41. quæst.1.* post Origenem, vt ex Methodio refert Epiphanius *hæresi 64.*

4 COMMVNIS tamen sententia est, necessariam esse identitatem materiæ numero: & quidem hi, qui formam organizationis corpori attribuunt, eam etiam nomine materiæ includunt, vt D. Bonauentura *loco cit.* Scotus *in 4. distinctione eadem*, & eius asseclæ.

QVI verò materiam absque anima nudam ponunt, & formam organizationis ab anima agnoscunt, loquuntur de solitaria materia. Ita D. Thomas *locis adductis*, vbi Thomistæ, & Iesuitæ ferè omnes, præcipuè Nazarius *tertia parte, quæst.54. artic.1. controuersia vnic.* Valentia *Tom.4. disp.11. quæstione 3. puncto 3.* Suarez *disputatione 44. sect.2.* & alij, qui asserentes, necessariam esse primam materiam, multò magis de corpore id dicent.

5 ASSERO, ad resurrectionem necessarium esse idem corpus.

PROBATVR à D. Bonauent. primò ex illo Iob. 19. *In nouissimo die de terra surrecturus sum: & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & non alius.* Vbi grauiter aduertit S. Iob, se in eadem carne resurrecturum, quia ille ipse resurgere debet, qui obiit, nam resurgere est eum, qui cecidit, rursum surgere. Hinc D. Gregorius *lib.14. Moral. cap. 27.* ait: *Non rectè resurrectio dici potest, vbi non resurgit, quod cecidit.* Et eodem modo Damascenus lib. 4. de fide, cap.28. *Resurrectio nihil aliud est, quam secunda eius, quod cecidit, surrectio.* Ex quo efficitur consequens, vt illud ipsummet corpus, quod interit, & dissoluitur, tandem interitus expers ad vitam rediturum sit.

PROBATVR secundò à S. Doctore. Identitas rei venit ab identitate principiorum; sed resurgens est idem: Ergo iisdem principiis constans essentialibus. Hæc autem sunt materia, & forma; corpus, & anima. Sicut enim materia est de essentia hominis, vt habetur 1. *Physic.* ita hæc materia est de essentia huius hominis, hæc autem est eadem in genito, & in corrupto, vt ait Aristoteles. 6

PROBATVR tertiò à D. Bonauent. Omnis forma debet esse in propria materia, non extra: sed in resurrectione erit eadem forma, & anima: Ergo in sua materia. Hæc autem est corpus organicum. Similiter forma organizationis corrupta debet esse in eadem prima materia. Eadem ratione vtitur S. Bonauentura *tertia parte Breuiloq. cap. 5.*

PROBATVR quartò à S. Doctore ad illud Ioan. 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala, in resurrectionem iudicij.* 7

HIC duo ponderat S. Doctor. Primum est, eadem cadauera de corruptione resurrectura redintegrata, ex D. Augustino *Tract. 23. in Ioannem.*

DEINDE rationem moralem colligit, nempe eosdem cum iisdem corporibus surrecturos ad pœnam, vel ad præmium, vt sicuti corpora in merito, vel demerito cooperata sunt, ita ad præmium, vel ad pœnam euocentur, & hæc ratio fundatur in ordine Diuinæ iustitiæ, & sumpta est ex Dionysio *cap.7. de Ecclesiastica Hierarchia parte 1.* vbi ait: *Alij verò animabus aliorum corporum tribuunt, iniuriis (vt reor) quantum in se est, afficientes corpora, quæ cum sanctis animabus laborauerunt, sacrisque retributionibus priuantes, quæ ad finem Sanctissimi cursus peruenerunt.* Eandem rationem habet D. Fulgentius *de fide ad Petrum, cap.3.* mox adducendus. 8

PROBATVR quintò à D. Bonauentura ad illud Lucæ 21. *Capillus de capite vestro non peribit.* Ex D. Augustino in Enchiridio, cap.87. vbi ait: *Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quamlibet puluerem, cineresuè soluatur, in quoslibet habitus, aurasuè diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium, & hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, vt homo fieret, cresceret, viueret, animauit.* 9

VBI D. Bonauentura pergit cum D. Augustino argumentari: Si vsque ad capillum extremum occipitis idem resurget, multò magis eadem materia numero, eadem caro, &c. & nullam sinet particulam perire: Idem argumentum innuit S. Doctor *7. parte Breuil. cap. 5.* 10

PROBATVR sextò à S. Doctore *7. parte Breuil. cap. vltimo, & in 4. dist.49. part.2. art.2. quæst.1. in resolutione,* ex 1. Corinth.15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale. Seminatur in corruptione; surgit*

get in incorruptione. Hoc saltem de iustis conuincit, vt notat cum S.Bonauentura, Valentia *disp.* 11. *q.* 3. *punct.* 3. qui pro iustis adducit etiam id, Sap. 3. *Fulgebunt iusti, &c.* & id Sap. 5. *Ecce quomodo inter sanctos sors illorum est.* Et Isa. 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum; & auferet Dominus Deus lacrymam, &c.* quæ explicat etiam S.Doctor ad ea loca Sapientiæ citata.

11 Eodem modo aliquas è supradictis Scripturis explicant S Hieronymus *epist.* 61. *cont. errores Ioannis Hierosol.* S. Augustin. 22. *de ciuitate, cap.* 22. & *in Enchir. cap.* 84. *& sequentibus,* & *lib.* 2. *de consol. mortuorum,* vbi id confirmat ex Isaïæ 26. *Exurgent mortui, & resurgent, qui in monumentis sunt.* Et Ezech. 37. *Ossa arida audite verbum Domini,* quem locum discutie S.Doctor *in opusculo, Compendiosum principum libro sent. tom.* 6. vbi etiam ad id adducit simul id Ezech. 26. *Comportabit in gyro.* dicens: *Idest cineres, in quos resolutum est corpus humanum, in idem numero corpus humanum reformare, & eidem animam reunire.* De hoc gyro potest intelligi quod etiam *in Ezech. cap.* 37. scriptum est: *Circumduxit me per ossa in gyro, & dixit mihi; Fili hominis, putasne viuent*
12 *ossa ista?* Ponderat dici *ista.* Vide etiam Fulgentium *lib. de fide ad Petrum, cap.* 3. vbi eadem fere verba cum D. Bonauentura habet dicens: *In Christi aduentu ab illo primi hominis corpore, quod Deus de terra plasmauit, vsque ad omnium hominum corpora, ab illo resuscitabuntur, vt singula anima in singulis corporibus suis accipiant retributionem, in quibus, siue bonam, siue malam qualitatem habuerunt.* Similia habet Tertullianus *lib. de resur. carnis,* Chrysostomus *in variis homiliis de resurrect.* & alij Patres, infrà citandi.

13 Tandem confirmatur à D. Bonauent. *dist.* 25. *quæst.* 1. ex Symbolo: *Credo carnis resurrectionem.* Idem habetur in Symbolo Athanasij: *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.*

Obiicias primò cum Durando. Materia est pura potentia, & habet à forma, vt sit hæc, & distinguatur ab alia, quia sicut totum esse eius est à forma, ita & identitas, & diuersitas actualis: Ergo si eadem erit forma, erit idem numero homo.

Respondetur ex S.Bonauentura, resurrectionem asserendam Theologicè ad normam reuelationum, vt probat *in primo fundamento,* & ideò quia Scripturæ, & Patres asserunt, futuram eandem carnem, & eandem materiam, idem nobis dicendum: Adde, indiuiduum haberi etiam à materia, ideò Aristoteles 1. *cæli, text.* 92. *&* 93. ait: Sicut caro, & cœlum secundùm speciem sunt à forma; ita & hæc caro, hoc cœlum à materia, indiuiduatur autem forma vt in hac materia, & hæc materia, vt cum hac forma, vt probabilior fert opinio de principio indiuiduationis, quod ostendi *p. p. tract.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 4.

14 Obiicias secundò: In homine per nutritionem variatur semper materia; & tamen manet idem homo: Ergo etiamsi aliam materiam suscipiat anima: Hoc argumentum vrget Origenes.

Respondetur, semper manere partes primas spermaticas, quæ sunt de ratione fabricæ humani corporis, vt dixi cum S.Doctore *p. p. tract.* 10. *de anima, disp.* 4. *quæst.* 6. Sed hæc latius infrà discutietur, vbi videbimus casus multos.

15 Obiicies tertiò: Forma corrupta, & iterum generata, non est eadem numero, sed specie, vt dicit Aristotel. 2. *de Gener. text. vlt. &* 5. *Phys. text.* 56. Sed humanitas in morte corrumpitur, & iterum in resurrectione reproducitur: Ergo. Neque verò potest eadem actio, & idem tempus redire, alioqui id, quod est præteritum, non esset præteritum, quod est falsum: Ideò enim hac de causa Virgo, quæ fuit corrupta, non potest reintegrari, & fieri iterum Virgo, quia non potuit id, quod iam fuit, & præteriit, non fuisse.

Respondet primò S.Bonauentura *ad* 1. Deum 16 eandem entitatem permanentem vnionis, personalitatis, & organizationis corporis reproducere, esto quod sub alia ratione sint præterita. Addunt alij, posse etiam entitatem eandem temporis numero iterum reproducere, sicuti primò produxit, esto nequeat fieri, vt sub ratione præteriti fiat aliquid præsens, in quo solo est implicantia: Sic igitur eandem rationem, idem tempus, & alia præterita reproducere poterit, vt ostendi *p. p. tract.* 5. *disp.* 7. *quæst.* 6.

Respondet secundò S. Doctor, posse Deum alia ratione eundem effectum reproducere; actio enim non est de intrinseca ratione termini, vt etiam 17 notat S.Doctor *quæst.* 79. *art.* 1. *ad* 2. quam responsionem substantialem acclamat Valentia: Quanquam enim causæ naturales pendeant à loco, & tempore, quibus indiuiducetur actio extrinsecè necessaria ad indiuiduum effectum; Deus tamen, qui est infinitæ virtutis, potest quandocunque, & quomodocunque reproducere: Inde ait S. Hieron. epist. 61 *Potest vtique Deus eadem potentiâ, qua de nihilo cuncta fabricatus est, reddere, quæ fuerunt: quia multò minus est restituere quod fuerit, quàm facere, quod non fuit.*

Esto igitur, eandem numero statuam æneam 18 liquatam non reficiat artifex homo, ob rationes allatas suæ dependentiæ; attamen Deus id potest, neque id concedit naturæ, quam vult pendere ab extrinsecis, nec sibi adæquari, vt ait S. Doctor *ad* 2. & Suarez *disp.* 44. *sect.* 2. circa finem.

Obiicias quartò: Differentiæ essentiales diuersificant rem; sed mortale, & immortale sunt differentiæ essentiales: ergo homo resurgens immortalis est alius à se ipso ante mortali.

Respondet S.Doctor primò *in fundamento* 2. ex Aristotele *sixto Topic.* negari Maiorem.

Respondet secundò *ad tertium,* Immortale ex principiis intrinsecis diuersum esse à mortali intrinsecè, quia supponunt diuersa principia intrinseca, vt elementum, & cœlum, corpus animale, & anima; at mortale secundùm naturam non differt entitate ab immortali secundùm extrinsecum additum statum, sic corpus humanum in hac vita habet statum mortalitatis; attamen in resurrectione per additam extrinsecè gloriam mutat statum, sed manet eadem natura. Vnde ipse Iob de se suscitato ait: 19 *In nouissimo die surrecturus sum; & in carne mea hac, videbo saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, & non alius.* Vbi notat S. Bonauent. *fundamento* 1. particulam, *& non alius.* Sanè non dicit; non alius specie diuersus, puta Leo, sed numero; atque adeò idem numero homo. Quænam verò partes corporis sint necessariò ordinatæ ad resurrectionem, dixi *p. p. tract. de anima,* qui est tomo tertio *disp.* 3. *quæst.* 6.

Obiicias quintò. Operationum diuersarum 20 sunt diuersi effectus; at generatio, & resurrectio sunt diuersæ operationes: Ergo aliud est corpus, quod generatur; aliud quod resurgit.

Respondet S. Doctor, Maiorem veram esse *ex* 4. *&* 5. *Physic. text.* 18. *&* 48. quia operationes naturaliter diuersæ, habent suos finitos effectus diuersos, non subordinatos, iuxta finitatem poten-

tiæ agentis; at verò si potentia est infinita, & in secunda actione rendat ad restituendum, quod primò productum, fuerat destructum, potest idem numero refici.

21 Obiiceiss: Quomodo potest hoc intelligi, cùm istæ operationes sint discontinuæ, & esse rei sit continuum, & vnius continui duo extrema sola dentur. Si ergo discontinuarut esse: ergo erit aliud. Rursum, quomodo vnum indiuiduum potest bis incipere, & esse idem? Impossibile est enim, aliquem currere bis eodem cursu.

Respondet S. Doctor: Esse rei posse dupliciter considerari. Primò in se: Secundò quoad defluxum, & durationem: Et quidem quoad durationem alia erit, & alia secundùm durationis diuersitatem; at secundùm se diuersificatur à diuersitate principiorum permanentium, & quia hæc sunt eadem in mortuo, & susceitato corpore, quamvis duratio sit alia; hinc est, vt corpus sit idem.

22 Adde actionem, vt est productiua rei permanentis, non esse ens successiuum, vt notat Valentia *puncto* 3. Neque est simile de animabus successiuis, quæ commensurantur præterito, & futuro secundùm varias suæ durationis partes; non sic est iudicare de forma absoluta, quæ corrupta potest à Deo iterari eadem, quia aliquo modo manet in ratione seminali.

23 Pro hoc notat S. Doctor *in corpore*, formas in rationibus seminalibus materiæ esse, vt ex S. Augustino 3. *de Trinitate, cap.* 8. colligitur, & ideò corruptæ, in materiam resoluuntur, ita vt adhuc seminalis earum virtus in materia lateat, modo tamen diuerso, quàm antea in ordine ad agens: Antea enim talis erat, vt naturale agens suâ virtute influente posset educere perficiendo id, quod seminaliter est in materia suo influxu, quod vnum completum effectum facit cum semine, & quia agens habet suam virtutem limitatam, & partibilem postquam dedit esse illi rei suo influxu; si illa res corrupta sit, licèt lateat adhuc seminaliter imperfectè in materia, non potest reproduci eadem numero, quia agens naturale non communicat illum eundem influxum primum, sed nouum, atque adeò non illam primam

24 rem, sed nouam constituit: at Deus, qui rationes seminales potest ad perfectum deducere absque alicuius noui immissione, potest secundò idem è rationibus seminalibus reproducere, & sic facit in resurrectione, reducendo eandem numero formam corporis, eandemque subsistentiam è ratione seminali.

QVÆSTIO III.

An Caro, quæ est in duobus hominibus, resurgat in primo.

D.Bonau. 4. dist. 44. q. 1.
D.Thom. quæst. 80. art. 4.

25 Vna ex rationibus, quibus Durandus negat, resurgere idem corpus, est, quia potest euenire, vt eadem caro sit in vno, & postea manducetur ab alio: Ita non potest resurgere in primo, maximè si secundus sola carne humana sit nutritus: Hoc argumento vtebantur Pagani ad eluendam resurrectionem, vt refert Iustinus *in quæstionibus Græcorum ad Christianos* in fine.

Primò quidem Athenagoras, *libro de resurrectione* dicit, eum, qui humanis carnibus vesceretur, nunquam illis nutriri, nec eas in se conuertere, sed vim nutritiuam impediri.

Secundò D. Thomas 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 2. 26
quæst. 4. *ad* 3. & 4. & *lib.* 4. *contra Gent. cap.* 81. dicit, si eadem pars materiæ in duobus hominibus fuerit, illi esse tribuendam, qui eam habuit in sua prima productione; quod si contingit in hoc esse æquales, illi esse tribuendam, qui primus illam habuit: Et hac sola posteriori regula vtitur D. Augustinus *lib.* 22. *de ciuitate, cap.* 31. & *in Enchir. c.* 84. & *sequentib.* dicens, illam materiam illi animæ esse tribuendam, quæ primo illam informauit: Ita etiam Gregorius de Valentia *disp.* 11. *quæst.* 3. *punct.* 3. finem versus, §. *Ad secundum casum.*

Hoc tamen opponit Suarez. posse esse, vt is, qui 27
posterius habuit eam, habuerit à Patre per generationem, tanquam fundamentum sui corporis; Pater verò solum per nutritionem.

Respondet autem, non posse esse, vt homo semper carnibus humanis vescatur, & ideò non posse stare, vt duo homines in toto vitæ decursu eandem omnino materiam habeant, quod si in aliqua parte membri communicet, & non sufficiat ad vtriusque integrum corpus efformandum, tunc pro ratione Diuinæ Prouidentiæ, vel diuidetur, vel dabitur alteri pro ratione iustitiæ, nempè cum ordine ad merita, vel demerita operum illius partis; alteri verò supplebitur à Deo.

D. Bonaventvra, sic quæstionem definit: 28
Primò potest esse, vt caro illa sit in vno tanquam principio generante; in altero verò, sicut in indiuiduo proprio: Tunc autem non in generante erit, quia in eo ordinabatur ad aliud, & in hoc oppositio Suarez ostenditur inanis; nam quando D. Augustinus dicit, seruandum ordinem prioritatis, loquitur data paritate, vt in vtroque sit tanquam indiuiduo; nam si in altero sit ordinata ad aliud, vt costa Adæ ad Euam, profectò in genito resurget.

Secvndò potest esse in vtroque illa caro pro- 29
pria, tanquam in indiuiduo absoluto: Tripliciter autem hoc potest intelligi. Primò, si in vtroque caro illa sit secundùm speciem, nempè ad fabricam humani corporis substantialem spectans. Secundò, si in vtroque sit caro secundum materiam, non autem spectans ad humanam fabricam. Tertiò, si in vno sit secundùm speciem; in altero secundùm materiam: Hanc doctrinam vide *p. p. tractat. de anima, disput.* 3. *quæst.* 6.

De primo verò est controuersia, & circa hoc ali- 30
qui dicunt, quòd caro vnius secundùm speciem, potest fieri caro alterius secundùm speciem, vtpote si homo de illa nutriatur, & generet: Est enim transmutabilis, non minus, quàm reliqua caro.

Dicvnt igitur, resurrecturam in eo, in quo maiorem, & essentialiorem habet ordinationem, & Deus supplebit alteri id, quod deesset; Exempli gratia, si aliquis de modica parte carnis secundum speciem sit generatus, illa resurget in genito, & Deus supplebit in deuorato: At quomodo ait Iob 19. *In carne mea videbo Deum, &c.*

Alii dicunt, non posse aliquem nutriri carne 31
alterius, quæ est secundùm speciem, sed hoc est contra experimentum, nec assignatur ratio, ob quam nequeat talis caro transmutari, cum illa caro possit redigi in puluerem, & in decoctum: quod enim dicunt, carnem illam habere appetitum ad propriam formam, nec aliam admittere, non est satis; nam si forma inueniat de materia sua, quod est secundùm speciem satis ad informandum, sufficit.

Igitvr

Igitvr S. Doctor censet, recurrendum ad Di-
32 uinam Prouidentiam, quæ supernaturaliter resurrectionem ordinauit, & ideò carnem secundùm speciem vnius, seruat resurrecturæ animæ propriæ, nec sinit confundi: Et hoc sensu D. Augustinus vult, esse in primo; & ratio est, quia forma exigit propriam materiam, & sic respondet Suarezio pro D. Augustino, & D. Thoma.

Qvòd si caro vtriusque hominis sit tantùm secundùm materiam, redit ad primum; vt dicebat D. Augustinus.

Qvòd si tantùm in vno sit caro secundùm speciem; in altero secundùm materiam, redit ad eum, cuius est caro secundùm speciem, quia ad illum es-
33 sentialiorem habet ordinem, siue sit primus, siue secundus. Vnde si aliquis nutritur de carnibus alterius secundùm speciem, talis caro redit ad primum; Si autem generatur de carnibus secundùm materiam, quia de his, quæ secundùm speciem non potest generari; dico, quòd caro stat in secundo, & Deus recompensat primum, & ratio est, quia caro habet essentialiorem ordinationem ad animam in secundo.

QVÆSTIO IV.

An, & quomodo, qui paruulo corpore decessit, debeat resurgere in procero.

D. Bonau. in dist. 44. p. parte dub. 3.
D. Thom. dist. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4.

34 Alivd argumentum Durandi erat, non esse necesse ad vnitatem resurgentis vnitatem corporis eiusdem, quia infantuli resurgent in plenitudine ætatis: Similiter pygmæi: Ergo aliud erit corpus.

Svppono, resurrecturos omnes in ætate perfecta, vt dicitur à D. Bonauentura 7. *parte Breuil. c. 5.* Ephes. 4. *In mensuram ætatis plenitudinis Christi*, de quo D. Augustin. 22. *de ciuitate*, *cap. 15.* Anselmus *in Elucidario*, *&* *Ephes.* 4. S. Gaudentius ad Paulum Diaconum, & Theologi, *in* 4. *distinctione* 44.

Advlt S. Bonauentura *in 4. distinct.* 44. *dub.* 1. omnes resurrecturos in ætate iuuenili; ratio est, quia ea est perfectissima: Idem habet *septima parte Breuil. cap.* 5. & *parte septima Compendy Theologiæ, cap.* 16.

35 Qvoad modum, aliqui dicunt, ex particula quauis materiæ, puta ex infantulo mox animato, posse formari corpus procerum, sicut corpus Euæ ex costa Adæ: Ita D. Gregorius Nyssenus *Orat. 3. de resurrectione*, circa medium, & insinuat Augustin. *serm. 2. de consol. pro mortuis*, *cap.* 3. Nec defuêre Philosophi id possibile credentes, quod etiam videtur tenere D. Bonauentura *loco citato* dicens, ita Christum de quinque panibus produxisse pro tot millibus hominum escam.

Aliam opinionem affert S. Bonauentura, quæ ei etiam placet, & est D. Thomæ, necessariam esse aliquam additionem materiæ: Id tenet etiam Suarez *disputat.* 44. *sect.* 2. Valentia *disputat.* 11. *quæst.* 3. *puncto* 3.

36 Nota verò ex Seraphico ad ea verba Ioan. 6. *Et collegerunt duodecim cophinos*, ad quem locum se remittit, hanc multiplicationem non esse factam per creationem, & extrinsecæ rei appositionem, nec tamen fuit extensio materiæ, sicut est per virtutem agentis naturalis, sed vt crementum panum, & multiplicatio in materia, & forma simul: Nec est simile inuenire in natura, vt ait Hugo *de Sacram. lib. 1. p. 6. cap.* 37. Hoc pacto asserit, fieri crementum in resurrectione.

Ex his habes, Seraphicum nolle id fieri per so- 37
lam replicationem materiæ in multis partibus, veluti per rarefactionem; sic enim corpus solidum, quale debet esse in resurrectione, non componeretur; nam corpus humanum pro sua necessaria densitate requirit tantam materiam, sicut & quantitatem, vt optimè arguit Suarez cum D. Bonauentura:
Igitur vult, ex corpusculo infantuli nouam mate- 38
riam, nouamque formam educi, & hic modus est debitus proportionatus, vt corpus perfectum humanum in resurrectione producatur: Ita etiam habet *septima parte Breuil. cap.* 5.

QVÆSTIO V.

An qualibet membra recipere debeant partem suam materiæ pristinam.

D. Bonau. in 4. dist. 44. part. 1. art. 2. quæst. 2.
D. Thom. 3. p. q. 80. art. 5.

Prima opinio est, non esse de necessitate resur- 39
rectionis: Ita supplementum Gabrielis 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 6. qui dicit esse communem Scholasticorum: Eam sequitur Suarez *disp.* 44. *sect.* 2. qui citat pro ea D. Augustinum *in Enchirid. cap.* 89. *&* 22. *de ciuitate, cap.* 19. Anselm. *in Elucidario, & ad cap. 4. Ephes.*

Secvnda sententia est D. Thomæ, D. Bonauenturæ, & aliorum, id esse de necessitate resurrectionis.

Probatvr à S. Bonauentura primò ex illo, *Ezech.* 37. vbi forma resurrectionis narratur, & dicitur: *Accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam.*

Probatvr secundò ab vtroque S. Doctore, quia 40
resurrectio est omnino eiusdem; sed si manus fieret ex materia pedis, non esset eiusdem, & sic de reliquis: Ergo, &c. Obserua tamen, Seraphicum non inferre diuersitatem essentialem, sed solùm eam, quæ perfectam identitatem facit, & hoc sensu teor locutum etiam D. Thomam.

Probatvr tertiò à S. Doctore: Resurrectio est ad remunerationem, sed contingit, vnum membrum nobilius esse altero, & vlterius animam magis mereri in vno, quàm altero: Ergo sicut corpus, quod fuit animæ instrumentum ad opera iustitiæ, debetque esse particeps beatitudinis eius; ita & pars, quæ ad talia opera, v. g. oculus ad lacrymas, resurgat idem, vt visione Christi, & Sanctorum, ac illius ciuitatis perfruatur; iuxta illud Iob 16. *Quem oculi mei conspecturi sunt.* Hac ratione ait Suarez nostram sententiam esse probabiliorem.

Probatvr vltimò à S. Doctore: Sicut se ha- 41
bet totum corpus ad animam, sic etiam oculus ad potentiam visiuam, vt dicit Philosophus: Sed necesse est, materiam totius corporis aptari huic animæ, ita vt non alij: Ergo & materia potentiæ visiuæ huic, & non alteri potentiæ: Confirmatur *ad secundum*, quia singulæ partes materiæ ad suam formam habent

bent appetitum. Attamen S. Doctor concludit ibi, hoc magis venire ab ordinatione perfecti artificis, qui perfectissimam resurrectionem corporum ordinant: Hoc pacto Suarez nobiscum est.

42 Ad D. Augustinum respondet S. Bonauentura,
eum loqui de parte materiæ quoad materiæ super-
excrescentiam, & superfluitatem, quæ potest esse
in vna parte, in resurrectione; spargetur enim illa
materia per totum, vt inde monstruositates, & im-
perfectiones emendentur; vt si aliquis habeat ni-
43 mis crassum caput: Attamen quoad propriam cuius-
que materiam, secundùm optimam artificis disposi-
tionem persuasum habeo, suis propriis locis distri-
buendam: Idem ad D. Anselmum dic.

QVÆSTIO VI.

An in resurrectione reperiri debeant intestina, dentes, capilli, vngues, & similia.

D Bonauent. in 4. dist. 44. p. 1. quæst. 2.
D. Thom. q. 80. art. 2. & 4. sent. d. 44. q. 1.

44 Assero primò, Intestina in corporibus resurgentibus futura.

Probatvr à D. Bonauentura primò *ex 2. Machab. cap.* 14. vbi Razias complexus intestina sua euulsit, atque proiecit manibus super turbas, inuocans dominatorem vitæ, ac spiritus, vt hæc illi iterum redderet, atque ita defunctus est.

Probatvr secundò à S. Doctore ratione, qua vtitur etiam D. Thom. *loco cit.* Suarez *disp.* 47. *sect.* 1. Quod est de prima integritate naturæ, debet resurgere; talia sunt intestina: Ergo. Maior probatur à D. Bonauentura, quia debet resurrectio esse perfecta. Minor probatur ab eodem, quia conditus fuit cum intestinis, & hæc animantur, vt notat in corpore S. Doctor, & si non peccasset homo, fuisset traductus immortalis in gloriam, ita, vt erat cum intestinis (nisi velis, exenterandum, vt veluti in carnificina poneretur:) Ergo etiam nunc erit ita: Confirmatur, sunt enim intestina organa animæ ad operationes, sicut instrumenta artis ipsi arti.

Probatvr tertiò à S. Doctore, alioqui venter ad modum vtris vacuus iaceret.

Assero secundò, etiam capillos in corpore re-
45 surgente futuros: Ita S. Bonauentura *loco citato. &*
7. parte Breuil. cap. 5. & in Compend. Theolog. lib. 7.
cap. 16.

Probatvr primò à D. Bonauentura, Lucæ 21. *Capillus de capite vestro non peribit.* Et Matth. 10. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.*

Probatvr secundò à S. Doctore, quia priuatio capillorum per caluitium est imperfectio, vt dicitur *Isa.* 3. & in aliis Prophetis, vbi sumptâ metaphorâ à Caluitio, describitur populus exhonorandus, atque deformandus.

Probatvr tertiò à S. Doctore; quia capilli sunt ornamenta naturæ, sicut folia arborum. Idem probat de vnguibus, & dentibus: Confirmatur, de omnibus à S. Doctore *in corpore*, ex D. August. 22. *de ciuitate, cap.* 24. id asserente.

46 Obiicies primò: intestina sunt ad superfluitates recipiendas, ibi autem non erunt superfluitates.

Respondet S. Bonauentura, tunc non habitura vsum hunc, qui est imperfectus, sed alium perfectum, idest obiicere visui harmoniam humani corporis ad laudandum Creatorem, erit enim corpus diaphanum.

Obiicies secundò: intestina, aut erunt vacua, aut plena; si vacua: Ergo imperfecta; si plena: Ergo immunda.

Respondet S. Doctor, futura plena spiritibus subtilibus purissimis, qui totum corpus reddent agilius.

Obiicies contra secundùm asserum, quia capilli sunt superflui, nec de veritate naturæ, & sunt veluti folia arboribus, arbores autem, maturatis fructibus, folia demittunt. 47

Respondet S. Bonauentura, capillos esse superfluitates reiectas à nutritione, nec sunt necessarij stomacho, non sunt tamen superflui capiti, sed ad frigiditatem reparandam, & ad ornamentum, vt patet: Similiter & barba ad virilem ornatum deseruit.

Qvoad arbores dicit D. Bonauentura, spoliari 48
eas ornamentis, vt patet in hyeme, vbi arbores horrorem obiiciunt; & si deberent seruare decorem, semper eum retinerent: Hoc pacto ea sunt de constitutione naturæ, vt mox dicam.

QVÆSTIO VII.

An Humores in corpore debeant resurgere.

D. Bonau. in 4. dist. 44. q. 1.
D. Thom. q. 80. art. 3.

Assero primò, in corpore resurgente reperiri 49
humores, qui sunt quatuor, Sanguis, Pituita
Flaua bilis, Atra bilis, & Melancholia.

Probatvr à D. Bonauentura primò: Quod est de constitutione humani corporis, erit in resurgente: Tales sunt humores ex D. August. *lib. de Spiritu, & Anima, cap.* 15. Ergo. Eodem argumento vtitur Suarez *disp.* 47. *sect.* 3.

Probatvr secundò de sanguine, quia est medium principale ad vitam, vt dicitur Deuter. 12. *Sanguis eorum est pro anima.*

Probatvr tertiò principaliter: Corpus Christi 50
resurgens, est corporum resurgentium exemplar; sed in corpore Christi est sanguis: Ergo. Maior probabitur *q.* 9. *partis* 2. Minor est de fide; nam in Sanctissimo Sacramento consecratur vinum, & conuertitur in sanguinem Christi, qui per concomitantiam est totus ibi, sanè quia sanguis est in Christo.

Confirmatvr à S. Bonauentura *in corpore*, ex D. Ambrosio *serm.* 22.

Obiicies primò: Humores non sunt de veritate humanæ naturæ, quia quotidiè mutantur: Ergo.

Respondet S. Doctor, aliqua esse de veritate 51
naturæ tripliciter: Primò vt constitutiuum; secundò, vt perficiens, tertiò, vt adornans. Quæ sunt de ratione humanæ naturæ primo modo, debent integra resurgere; talia sunt membra: Quæ verò secundo modo, vt humores; & tertiò modo, vt capilli, debent resurgere in ea quantitate, & qualitate, quæ in corpore resurgente conuenit: Cætera vide in S. Doctore *loco cit. & lib. 7. Compend. Theol. cap.* 16.

QVÆSTIO VIII.

An ad Reſurrectionem neceſſaria ſint accidentia, & idem ſexus.

{D. Bonau. in 4. diſt. 44. p. p. dub. 2.

52 CVM reſurrectio ſit mutatio ſubſtantialis, videbitur forſan, non eſſe neceſſariã identitatem accidentium, ſed ſufficere, ſi reſtituatur eadem ſubſtantia: Itaque Eutyches dixit, reſurrectura corpora aëre ſubtiliora: & Origenes, corpora rotunda reſurrectura aſſeuerauit, vt refert Prateolus verb. *Origeniſta*, & verbo *Eutychiani*, Caſtro verbo *Reſurrectio, hæreſi 2. & 13.*

53 ASSERO primò, neceſſaria eſſe aliqua accidentia, ſaltem ſimilia in ſpecie.

PROBATVR à D. Bonauentura *ad 14. Lucæ*, ex illis verbis: *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere: Hoc ergo exemplo capitis noſtri* (ait Concilium Toletanum XI. in confeſſione fidei) *confitemur veram fieri reſurrectionem carnis omnium mortuorum, neque in aërea, vel qualibet alia carne* (vt quidem delirant) *reſurrecturos nos credimus: ſed in iſta, qua viuimus, mouemur, & ſumus:* Vbi obſeruat S. Bonauentura ex Gloſſa ad hunc locum, ſtatum veræ reſurrectionis exponi, vbi corpus glorioſum erit palpabile per veritatem naturæ: Caro enim, & oſſa, vt habeant veritatem naturæ, debent eſſe ſolida, vt notat etiam Suarez *diſp. 44. ſect. 3.*

ASSERO ſecundò, aliqua accidentia eſſe neceſſaria ad reſurrectionem, etiam numero eadem.

54 PROBATVR de quantitate, quam ſuppono compoſito inhærere cum D. Bonauentura, cuius loca retuli *p. p. tractat. 5. diſp. 1. quæſt. 1.* ſuſtinens eam opinionem probabilem: Quod ad aliquid neceſſariò conſequitur, idem omnino manere debet; ſed quantitas hæc neceſſario conſequitur hanc materiam, & hanc formam: Ergo eâ reſtitutâ redditur.

ASSERO tertiò, in reſurrectione ſeruandam ſexuum identitatem: Ita S. Bonauentura cum omnibus Scholaſticis *eadem diſt.*

55 PROBATVR primò à S. Doctore hîc, quia diſtinctio ſexuum non ad vitium, ſed ad naturam pertinet, eſt enim ſexus fœmineus à Deo primò formatus ad perfectionem ſpeciei neceſſariam; & in corporibus noſtris natura ſeruabitur.

PROBATVR ſecundò à S. Doctore *ad 20. Lucæ*, ex illis verbis: *Illi verò, qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores:* Obſeruat autem, ſupponi, permanſuros ſexus; & quod non nubent fœminæ; neque viri ducent vxores: Quod argumentum ponderauit Beda *Lucæ 20.* Chryſoſtomus *homil. 71. in Matth.* clarius Euthymius ſub *cap. 53.* vbi eadem verba cum Seraphico habet: *Neque viri matrimonium contrahent, neque mulieres nuptui tradentur:* Et notat, Lucam addidiſſe: *Neque amplius mori poterunt*, quia nuptiæ propter mortem factæ ſunt, & loco mortuorum alij generantur; vbi autem non eſt mors, ita neque nuptiæ ſunt: Idem refert S. Doctor ex Beda *ibi.*

56 OBSERVAT tamen Suarez cum D. Bonauentura ad eum locum, ſequi in ſtatu innocentiæ, futuras non fuiſſe nuptias.

RESPONDET tamen, in ſtatu innocentiæ habuiſſe, vt poſſent mori, & ideò nuptiæ fuiſſent; at in gloria mori non poterunt, ideò nuptiæ non erunt; quia erunt, ſicut Angeli immortales.

OBIICIES primò *Epheſ. 4.* dicitur: *Donec occurramus omnes in virum perfectum:* Ergo omnes erunt viri.

RESPONDET D. Bonauentura, & cum eo Suarez 57
Ambroſ. *ibi*, vocari virum non à ſexu, ſed à virtute, & perfectione ætatis, ac iudicij, quo modo dicitur: *Beatus vir, qui non abijt in concilio impiorum*, quod etiam de mulieribus intelligitur: Et: *Beatus vir, qui timet Dominum*, vt exponunt Auguſtinus, Hieronymus, & alij: Idem habent Tertullianus *lib. de reſurrect. carnis, cap. 60.* Hieronym. *epiſtola 61.* & *epiſt. 27.* Auguſt. *22. de ciuitate, cap. 17.*

OBIICIES ſecundò ex Ariſtotele *2. de Gener. cap. 4. & 1. Phyſ. text. 18.* fœmina eſt vir occaſionatus, & imperfectus.

RESPONDET S. Bonauentura, eſſe occaſionatum, 58
quoad operationem ſingularem naturæ, quæ nititur perfectum conceptum edere; attamen eſt volita à natura vniuerſali; vnde ait Dominus, Geneſ. 2. *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Vide alia in D. Bonauentura.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Reſurrectio ſit mutatio inſtantanea.

{D. Bonau. in 4. diſt. 43. dub. 1. lit.

CERTVM eſt, ſubſtantialem mutationem animationis in inſtanti fieri poſſe: Difficultas igitur 59
eſt de diſpoſitionibus præcedentibus.

D. AVGVSTINVS *epiſt. 49. quæſt. 1*, ſignificat totum faciendum in inſtanti, etiamſi materia ſparſa, ſit localiter colligenda, & ita exponit illud 1. Cor. 15. *In momento, in ictu oculi.* Idem ſentiunt Theodoretus, Oecumenius, Anſelmus, & alij *ibi*, & 1. *Theſſ. 4.* Et D. Gregorius Nyſſen. *Orat. 3. de reſur.* & S. Hieronymus epiſt. 152. ait: *Non ſaltem in breui ſpatio, ſed in atomo, & in puncto temporis, atque momento.*

IDEM tenent Scotus, *in 4. diſt. 43. quæſt. 5.* Durandus *quæſt. 4.* Paludanus *quæſt. 4.* Soto *quæſt. 2. articulo tertio.*

ALII verò Thomiſtæ negant, fieri hanc muta- 60
tionem in inſtanti, ſed in tempore breuiſſimo: Ita Viguer. *lib. Inſtit. cap 21. §. 2. verſ. 3.* Videtur etiam Valentiæ *diſput. 11. quæſt. 9. punct. 2.* in fine.

SVAREZ *diſp. 46. ſect. 5.* anceps iacet, & vtramque probabilem iudicat.

QVOAD D. Bonauenturam, *in eo dubio* ſolùm accinit, ſubitò faciendam; at *diſt. eadem, quæſt. 5. fundamento 3.* videtur aſſerere cum prima ſententia, quia arguit, fore ſupernaturalem, eò quòd erit ſubitò, in ictu oculi, & *lib 7. Compend. Theologicæ veritatis, cap. 16.* ſolùm ait, faciendam velociter: Idem habet *ſerm. vltimo reſurrect.* Remitto ad ea, quæ dixi *diſp. 29. q. 3.* circa formationem corporis Chriſti: An ſit facta in inſtanti. Idem enim vtrobique dicendum, vt notat etiam Suarez *loco citato.*

ID verò, quod ait Apoſtolus: *In momento*, non 61
conuincit, eam futuram in inſtanti; nam ſubdit: *In ictu oculi*, quod tempus includit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

Vtrum Resurrectio sit futura naturaliter, vel supernaturaliter.

D.Bonau. in 4. distinct. 43. quæst. 1 & 5.
D.Thom. q. 69. art. 2. & q. 75. art. 3.

62 TERTVLLIANVS *lib. de præscript. heret. cap. 7.* refert, omnes Philosophos negasse omnino resurrectionem futuram; imò & impossibilem esse, ex eorum sumitur principiis, diuersis tamen fundamentis. Epicuræi enim, & Stoïci putabant, animam cum corpore interire, & ideò hi audientes Paulum prædicantem resurectionem *Actor.* 17. Nouorum dæmoniorum annunciatorem appellarunt: Eodem errore scatuit Plinius *lib. 2. histor. cap. 7. &*
63 *lib. 7. cap. 55.* Et Saducæi *Matth.* 21. *Marci* 12. *Actor.* 5. 23. & 25. vbi Festo insanire visus est Paulus, quia resurrectionem prædicabat: Eos imitatus est Marcion apud Tertullianum *loco citato*, & alij plurimi apud Valentiam *disput.* 11. *quæst.* 2. *punct.* 1. præcipuè libertini huius ætatis Sectarij, & apud Suarez *disp.* 50. *sect.* 1.

ALII verò Philosophi, qui Deum agere ex necessitate naturæ dixerunt, quamvis animam immortalem crediderint; eam tamen à Deo restitui posse corpori negarunt, naturalem ordinem immutando: Ità forsan Aristoteles, & alij.

64 SECVNDA verò extremè posita sententia est, futuram resurrectionem, iamque etiam naturaliter posse euenire: Ita Scotus *in 4. distinct. 43. quæst. 3.* Richardus *artic. 3. quæst. 1. ad 6.* D. Thomas *ibi, art. 1. quæstiuncula 3. & dist. 44. art. 1. quæst. 2. ad 1.* fauere videtur.

TERTIA sententia est, resurrectionem hominis futuram; aliorum verò animalium esse impossibilem: Ita Durandus *in 4. distinct. 43. quæst. 1.* Ioan. de Neapoli *quodl. 21. quæst. 6.* Marsil. *2. de Gener. quæst. vltima.* Quibus videtur fauere D.Thomas *in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 1. & 3.*

65 VERA sententia est, resurrectionem futuram supernaturaliter, neque alio modo, hanc, quæ futura est, fieri posse. Hæc est Theologorum omnium: Ita D.Bonauentura, & omnes alij Theologi *in 4. dist. 43. & 44.* vbi D.Thomas, Paludanus, Richardus, & alij. Item D.Thom. *quodlib. 4. art. 5. & 4. contra Gentes, cap. 81.* Henricus *quodlib. 7. quæst. 16.* & Ægidius *theor. 1.*

66 IMÒ Resurrectionem, vt est reparatio eiusdem numero hominis, non posse vllo modo ab agente naturali propriis viribus fieri, communis est TT. sensus, vt refert Suarez *disp. 44. sect. 6.* præsertim verò eam habet *quæst. 5. citata, & quarta eiusdem distinctionis*, S. Bonauentura.

ADDO aliorum etiam animalium eorundem posse supernaturaliter esse resurrectionem: Est ferè communis TT. *in 4. dist. 43.* vbi D.Bonau. *locis adductis*, præcipuè *quæst. 4.* Capreol. *quæst. 1.* Palud. *q. 2. & 3.* Scotus *dist. 44. art. 1.* D.Thom. *quodl. 4. art. 5. & opusc. 9. cap. 82.* Henric. *quodl. 7. quæst. 16.* Suarez *disp. 44. sect. 6.*

ASSERO primò, Resurrectionem esse possibilem omnium rerum per Dei potentiam.

67 PROBATVR à Suarez *loco citato* ratione, quam *sect. 8.* ferè demonstrationem acclamat, & est S.Doctoris, *in dist. 4. 44. quæst. 5.* in fine, & *7. parte Breuil. cap. 5.*

SVMITVR autem hæc ratio à D.Bonauentura, 68
ex D.August. *in Enchir. cap. 88. & serm. 19. de verbis Apostoli, & serm. 64. de verbis Domini*, in fine, *& epist. 49. quæst. 1. & epist. 146.* & aliis locis sumitur etiam ex D. Gregorio *homil. 26. in Euangel. & homilia 20. in Ezech. & lib. 14. Moral. cap. 28.* Lactantio *lib. 7. cap. 23.* Cyrillo Hierosolymitano, *catech. 4. & 18.* Athenagora *libro de mortuorum resurrectione*, quam Suarez rursus clamat habere vim demonstrationis; sumitur autem à maiori ad minus: Deus potest rem ex nihilo condere, & animare: ergo potest destructam reparare.

PROBATVR Consequentia, quia Diuina potentia creando rem non est aliquo modo imminuta: Ergo ex parte sua manet æquè efficax ad illam rem iterum creandam, si productione ea res indiguerit; sed postquam illa res desiit esse, quantum est ex parte suâ, indiget productione, & nulla est repugnantia, vt iterum producatur: Poterit ergo iterum produci: Ideò S. Augustinus, *in Enchirid.* citato à S. Bonauentura, ait, posse Deum colligere pulveres hominis vbicunque sint, cum eundem hominem ante creauerit, & idem dicunt reliqui Patres allegati.

OBIICIT Durandus, hoc argumentum seipso 69
implicari; nam si res iterum est: Ergo bis est: Ergo habet duplicem durationem: Ergo duplicem existentiam: Ergo sunt duæ res, & non vna & eadem.

RESPONDETVR, esse ibi Sophisma; idem autem posset inferri etiam de homine resurgente quoad totũ compositum: Quamvis ergo res, quæ prius fuit, & iterum producitur, possit dici bis esse, non proptereà potest dici habere duplicem durationem intrinsecam, ac permanentem, sed vnam, & eandem, quæ dicitur bis esse, quia non durauit continuè, & ideò in ordine ad extrinsecam durationem coexistit duabus durationibus discontinuis, & ideò dicitur bis esse, vt notat Suarez *disp. 44. sect. 6.* ex D.Bonau. *4. dist. 43. quæst. 4. ad vltimum.*

VRGEBIS cum Durando: Hoc ipso quod actio 70
interrumpitur, necesse est postea esse nouam actionem, quæ non magis potest redire, quàm motus, vel tempor. Deinde cùm mutata sit habitudo agentis ad passum, necesse est, actionem mutari: Ergo & terminum eius multiplicari.

RESPONDETVR cum D.Bonauentura *loco citato*, quem sequitur Suarez negando assumptum: actio enim, qua Deus producit, non est successiua, sicut motus, & tempus, & ita potest eadem numero redire; Deinde addunt, terminum pendere ab actione extrinsecè, ita vt Deus possit eundem met terminum producere etiam aliâ actione, quippè est infinitæ virtutis, vt dixi *quæstione secunda ad vltimum.*

PROBATVR secundò à S.Bonauentura *dist. 23.* 71
quæst. 4. in corpore, contra opinionem suprà allatam, quæ concedit resurrectionem hominis; & negat resurrectionem eiusdem pulli, eò quòd in hoc destructa sit aliqua forma. Tunc sic: Non minus destruitur in homine mortuo forma substantialis aliqua, quàm destruatur in pullo; sed homo potest nihilominus suscitari: Ergo. Probatur Maior, nam separatâ animâ destruitur forma organizationis, & caro in pulverem, & serpentes mutatur: Dari verò formam organizationis ostendi, *p. p. tract. 9. disp. 2. quæst. 3.*

PORRÒ resurrectionem hominum fuisse possibilem

item testantur Scripturæ, quæ testantur mortuos ab Elia, Elisæo, Christo, & Apostolis suscitatos; Item verò de quibusdam brutis habetur resurrectio in vitis Sanctorum, præcipuè Nicolai de Tolentino, & Antonij Patauini, &, hæc pro admittentibus Scripturas, & vitas Sanctorum valent.

72 PROBATVR tertiò a D. Bonauentura *quæst. citata in corporis fine*, argumento, quod est S. Dionysij *cap. 6. de Diuinis nominibus*. Resurrectio est suprà vires naturæ, quatenus agens naturale debet è potentia seminali materiæ idem educere, nec potest, quia agens naturale, puta cœli, & generans immitit aliquem influxum, qui simul cum ratione seminali vnum effectum completum constituit, & quia primum iam influxum emisit, & mutatum est agens, non potest eundem numero ad resurrectionem immittere, sed alium novum, & ideò novum effectum producere, vt dixi *quæstione secunda, ad vltimum*; At Deus omnipotentiâ suâ agit independenter ab immissione alicuius influxus, nec eius operatio ex parte virtutis est limitata: Ergo potest eundem numero effectum destructum reproducere. Et hoc est, quod ait S. Dionysius, resurrectionem suprà naturam quidem esse, non suprà omnipotentem. Vide etiam Suarez *sect. 6.*

ASSERO secundò, futuram resurrectionem mortuorum.

73 PROBATVR primò à S. Doctore *hic*, & *ad 20. Lucæ* loco citando, Iob 19. *In nouissimo die de terra surrecturus sum.*

DEINDE Ioannis 11. *Scio quod resurget in resurrectione in nouissimo die.* Isa. 26. *Viuent mortui tui; interfecti mei resurgent.* Ezech. 37. *Hæc Dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus.*

74 Secundo Machab. 7. *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vitæ resurrectione suscitabit.* Matth. 22 *In resurrectione neque nubent, neque nubentur: Sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Oseæ 6. *tertia die suscitabit vos.* Ioel. 3. *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat.* Daniel. 12. *Qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt.* Idem ad cap. 20. Lucæ probat S. Doctor, vbi affert id etiam prima Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus.* Ioan. 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.*

75 IDEM probat S. Bonauentura ad hunc locum Ioan. vbi addit illud primæ Thessal. 4. *Dominus in iussu, & in voce Archangeli descendet de cælo, & mortui resurgent.* Idem probat S. Doctor ad id Ioan. 11. *Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die*; vbi addit Scripturam id probantem prima Corinth. 15. *Si resurrectio mortuorum non est? Neque Christus resurrexit. Si autem Christus resurrexit; quomodo quidam dicunt, quod resurrectio non erit?* Est enim Christus exemplar resurrectionis omnium. Ita vrget D. Bonauentura etiam *hic in corpore*, & Valentia *disputatione* 11. *quæstione* 2. *puncto primo*, ac Suarez, qui Patres adducunt harum Scripturarum expositores.

76 PROBATVR deinde argumento solidissimo Christi *Matth.* 22. *Luca* 20. à D. Bonauentura *ibi* in commentario: *De resurrectione autem mortuorum, & quia mortui resurgant, & Moyses ostendit secus rubum. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum.* Hinc arguit Christus: Animæ Abraham, Isaac, & Iacob non dicuntur propriè, Abraham Isaac, &c. Sed sunt pars solùm; ergo cùm dicatur Deus Abraham, oportet vt ei viuant, vel actu, vel potentiâ. Hoc est subtilissimum Christi argumentum, vt notat etiam D. Thom. *quæstione septuagesimaquinta, articulo primo, ad secundum*, & Valentia *loco citato*; & Suarez *loco citato*. Quod si dicant; solùm probari viuere animas: Respondetur cum Suarez, hoc satis esse, nam debetur animabus corpus.

ADDIT verò S. Doctor cum Hieronymo *ibi* alia loca Scripturæ suprà allata ad probandam resurrectionem: Sed notat; Christum non esse vsum his authoritatibus ad redarguendos Saducæos; qui solum Pentatheucum recipiunt. Ita etiam Suarez *loco cit.* 77

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura ad eundem textum Lucæ aliâ ratione, quam adhibet *hic, fundamento tertio*. Sumitur autem ex iustitia Dei, & adhibita est à generosa matre illa ad animandos filios, vt iugulum darent pro diuina Lege: *Sed enim mundi Creator, qui formauit mundi natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum nobis iterum cum misericordia reddet, & vitam*, vt notat D. Bonauentura, & idem habetur *capite decimosecundo*, vbi Iudas suffragia pro mortuis instituit: *Benè & religiosè de re-* 78
surrectione cogitans, nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Eodem argumento vtitur Apostolus prima Corinth. 15. *Quid facient, qui Baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? Et si omnino mortui non resurgunt, vt quid & nos periclitamur omni hora? Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Vide quæ dixi etiam *quæst.* 2. Idem argumentum habetur secunda Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.*

PROBATVR quartò à S. Doctore *fundamento quarto*. Beatitudo est bonum omni aggregatione perfectum: Sed inter bona animæ est etiam vt saturetur eius appetitus per vnionem ad corpus: Ergo. 79

PROBATVR quintò à S. Doctore. Complementum gratiæ supponit complementum naturæ; sed ad complementum naturæ requiritur vt totum compositum hominis fit: Ergo in resurrectione, in qua erit complementum gratiæ, erit resurrectio, & noua vnio animæ cum corpore ad compositum.

PROBATVR sextò à D. Bonauentura. Ad complementum vniuersi requiritur creatura corporalis, spiritualis, & composita ex his; sed post vltimam diem erit perfectus mundus, imò perfectior, quàm nunc, & cœli noui, &c. Ergo erit etiam creatura composita ex spiritu, & corpore, quæ est homo. 80

ASSERO tertiò, resurrectionem supernaturaliter tantùm faciendam, nec fieri naturaliter posse eo modo, quo nunc fit. Ità omnes Thomistæ.

PROBATVR primò à D. Bonauentura *quæstione quinta, fundamento secundo*, quod est D. Dionysij Areopagitæ *cap. 6. de Diuinis nominibus*, vbi ait: *Nos totos, animas dico, & corpora, ad perfectam vitam immortalem transferre pollicetur: Quod veteribus quidem præter naturam fortasse videatur; mihi verò, tibique, & veritati, & diuinum, & supra naturam, vt est, videatur; supra naturam nostram dixerim visibilem, non supra omnipotentem.* Hinc arguit S. Doctor: Transferre à morte ad vitam, & hanc perfectissimam, immortalem, 81

est supra naturam; sed talis translatio est resurrectio nostra: Ergo. Idem argumentum est D. Augustini, *libro 13. de Trinitate*. Maior probatur, quia quod est generabile, est corruptibile, vt docet Aristoteles,

82 PROBATVR secundò à D. Bonauent. *fundamento vltimo*, quòd est D. Augustini *loco citato*, vbi ait: *Fides totum hominem immortalem futurum, qui vtique constat ex anima, & corpore, non argumentatione humana, sed diuina authoritate promittit.* Similia habet *lib. 22. de ciuitate D. 1, cap. 4.* Hinc arguit S. Doctor: Id, quod est articulus fidei, non potest naturaliter fieri; sed resurrectio est articulus fidei: *Credo carnis resurrectionem*: Ergo. Confirmatur primò, quia ideò Apostolus *prima Corinth. 15.* eam vocat mysterium dicens: *Mysterium dico*, & eodem modo loquitur scriptura tanquam de supernaturali, ac diuino opere, vt notat Suarez *disputat. 44. sect. 6.* Hinc S. Ambrosius, lib. de fide resurrectionis ait: *Ideò resurrectio difficile creditur, quia Dei munus est.*

83 PROBATVR tertiò à D. Bonauent. fundamento sumpto in responsione *ad vltimum*. Cuiuscunque rei, quæ naturaliter fit, habet naturá appetitum, vt patet; at natura non habet appetitum ad vitam immortalem, atque beatam supernaturaliter: Ergo. Minor probatur, quia pulueres ad summum possunt appetere suam formam, vt forma est; at beatitudo cognitionem requirit: anima verò, vt natura est, non cognoscit beatitudinem Diuinam.

84 PROBATVR quartò à D. Bonauentura *fundamento tertio*. Reuocare ad vitam in momento, in ictu oculi pulueres sparsos, est supra naturam, quæ suas petit dispositiones: Talis erit resurrectio nostra, vt dicitur *prima Thessal. 5.* Ergo. Est argumentum Chrysostomi *in primam ad Thessal.*

ASSERO quartò. Resurrectio, quippe restitutio eiusdem numero, non potest fieri naturaliter.

85 PROBATVR à D. Bonauent. *primo fundamento*. A priuatione ad habitum non datur regressus: at resurrectio est regressus vitæ à priuatione, & corporis a corruptione: Ergo. Est argumentum ex S. Augustino *in Enchir. capite* 88. quem allegat S. Doctor *ad vltimum*, ibi enim ait: *Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro. Sed in quemcumque puluerem, cineremve vertatur, in quoslibet halitus, aurasve diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quemcunque cibum, &c. illi animæ etiam in puncto temporis redditur, quæ animauit.* Quasi dicat: Hæc restitutio est opus Deo reseruatum, reuocare scilicet à priuatione carnis pulueres, & carnem à priuatione vitæ.

86 PROBATVR secundò à S. Doctore *fundamento quarto, & quæstione quarta, in corpore* ratione, quæ, vt ait Suarez, est propria, & sumitur ex parte organizationis corporis. Quia enim agentia naturalia educunt formas é ratione seminali materiæ, operando, & influendo virtutem, quæ simul cum virtute illa seminali vnum integrum componunt influxum.

HINC est, vt cùm agens naturale habeat determinatum influxum, influat singulis vicibus nouum semper influxum, & ideò alium effectum, saltem numero distinctum.

Ex quo sequitur, vt idem numero effectus non possit ex potentia materiæ reproduci, etiamsi agens maneat alio ex capite inuariatum; potest enim ordinariè variari, vt patet, præcipuè in causis, etiam cœlestibus influentibus. Itaque poterit 87 quidem natura generare corpus organicum diuersum; at idem restituere non potest, quia diuersus est semper eius influxus, & nouus. Quam rationem fundamentalem non penetrauit Suarez, sed solùm infert, si esset idem numero effectus, sequeretur, futurum semper eundem numero calorem, qui millies in aqua reproducitur, postquam deperditus est. Hanc autem sequelam admitterent aduersarij.

E regione autem Deus, cùm sit infinitæ virtu- 88 tis (ait S. Bonauentura) continens eminenter omnium causarum virtutes infinitè, potest semper eundem numero effectum reproducere: neque enim dependenter ab aliquo influxu externo operatur, & hanc rationem eruit S. Doctor *ex secundo Machabæorum, capite septimo*, vbi pia Mater ad futuram resurrectionem sperandam filios hortabatur: *Quia mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, spiritum esset illis cum misericordia redditurus, & vitam*, sic notat etiam Valentia *disputatione 1. quæstione tertia, puncto primo.*

OBIICIAS primò Iob. 14. *Homo, cùm dormie-* 89 *rit, non resurget, donec atteratur cœlum*: Sed cœlum non atteretur, quia est incorruptibile: Ergo neque homo resurget.

RESPONDET S. Doctor, atterendus cœlos quoad exteriorem faciem, vt ait Paulus: Ideò & Petrus ait secunda, cap. 3. *Cœli magno impetu transient, cœli ardore soluentur.*

OBIICIES secundò prima Cor. 15. *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt.*

RESPONDET D. Bonauentura ex Irenæo, & aliis Patribus, quos adducit etiam Valentia, per carnem intelligi, vel praua opera; quæ dicuntur opera carnis; vel ipsam naturam hominis, vt est in hoc statu corruptibili; vel eandem naturam absque gratiæ præsidio, & ipse Apostolus *ad Galatas* se explicat, vt ait S. Bonauentura.

OBIICIES tertiò contra tertium assertum: Iob. 90 *cap. 14.* comparat resurrectionem germinationi ligni præcisi, & Apostolus *prima Corinth. 15.* germinationi grani emortui, & corrupti in terra: Sed hæc sunt naturalia: Ergo.

RESPONDET D. Bonauentura, argumentum hoc à minori esse validum. Si natura potest, facere vt lignum excisum germinet, multò magis Deus potest cadauer ad vitam reuocare.

OBIICIES quartò ex D. Augustino de quantitate animæ, cap. 33. *Si cursum naturalium rerum attendamus, certius erit nobis, resurrectionem esse futuram, quàm Solem oriri cras.*

RESPONDET S. Doctor, S. Augustinum argue- 91 re: Si mirabilia naturæ opera pensitemus, deducemus certissimè, futuram resurrectionem, quia Deus multo altiora opera potest facere, quam natura, nam continet omnes naturæ effectus, & alios infinitos in infinitum perfectiores eminenter.

OBIICIES quintò, *prima Cor. 15.* Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem. Quod autem oportet, non est supra naturam.

RESPONDET S. Doctor oportere ex decreto Dei, non ex necessitate naturæ.

OBIICIES sextò. Maior est aptitudo pulueris 92 hominis ad generationem hominis, quàm alterius animalis; sed natura ex cadauere generat animalia: Ergo.

RESPONDET S. Bonau. animalia imperfecta aliqua posse gigni ex putri, non autem hominem,

&

& animalia perfecta, quæ solo semine gignuntur: multò verò minus possunt eadem reproduci. Concedit autem S. Doctor (vt videtur,) magos virtute diaboli produxisse in Ægypto serpentes.

93 Obiicies septimò. Quod est in appetitu naturæ, est naturale, quia appetitus naturæ non est frustra, sed anima naturaliter appetit reuniri corpori ex D. Augustino *lib. 21. de Genes. ad litt. cap. 35.* Ergo. Idem verò appetitus probatur etiam ex parte corporis, quia coniunctio materiæ cum sua forma, est naturalis.

Respondet S. Doctor primò, negando maiorem, appetitus enim naturæ beatitudinem, quæ tamen naturaliter obtineri non potest, appetit.

Respondet secundò, appetitum esse quidem in anima, non autem in puluere ad resurrectionem.

94 Refert autem tres opiniones circa hoc. Prima est, pulueres humani cadaueris habere naturalem ordinem ad incorruptionem propter animam, & ob id non posse resolui in elementa. Hanc impugnat, quia incredibile est, posse aerem conuerti in vermem, vel in carnem Lupi voratoris; & non posse conuerti in elementa. Deinde, quia ex D Augustino *capite 88. Enchir.* possunt cadauera in elementa resolui.

95 Secunda opinio est, posse resolui cadauer in elementa; attamen manere in his appetitum ad resurrectionem, quia elementa illa, vt fuerunt materia corporis humani, habuerunt multum de natura lucis, quæ stat cum omnibus elementis, & ratione illius naturæ habent appetitum, & ordinationem.

Hanc opinionem redarguit, quia lux cum terra opacissima non stat, etiamsi sit materia corporis humani; est enim adhuc verum elementum terræ.

96 Respondet igitur cum tertia opinione, cadauera in elementa resolui, neque reperiri in his appetitum ad corpus humanum naturaliter, sed solùm ratione Diuinæ prouidentiæ. Deus igitur, non vt author naturæ, resurrectionem operabitur, cùm hæc non sit debita ipsi naturæ, quæ destructa non exigit regressum à priuatione ad habitum. Ex quo sequitur, Deum, vt authorem naturæ, non teneri ad hoc opus, sicut tenetur corpori organizato infundere animam. Ita etiam D.Thom. *in 4. dist. 43. articulo 1. quæstiuncula 3.* Sotus *quæst. 1. articulo 2.* & alij communiter, quos sequitur Suarez *disp. 44. sectione 7.*

97 Neque alia causa moralis in ordine naturali cogit Deum ad resuscitanda corpora, quia homini naturaliter non debetur beatitudo supernaturalis, sed sola naturalia, vt homo est, vt ait Aristoteles *primo Eth. cap. 10.* ita verò debetur ei beatitudo pro hoc statu naturali, quamdiu est homo, idest in hac vita, neque vlterius supernaturalem prætendit, vt docet D Cyprianus *sermone de resurrectione Christi*, dicens: *Homo, qui ex cælesti, & terrena materia compactus est, vestitus extrinsecus pelle, & carnibus, tempus accepit, quo te iubente, redderet terra quod de terra assumpserat, & ad immaterialem originem reuerteretur spiritus, cuius natura*
98 *dissolutionis non admittit iniuriam. Corpus putredine, & caro vermibus consumenda secundùm naturæ suæ rationem non poterat æternitatis priuilegio perfrui; & quod sibi iure non competebat, à Conditore nequibat exigere: Neque vlla eorum interrogatio super hoc merebatur responsum. Sed tu, optime Domine, vltrò gratiam volens dare spiritui, decreuisti clementius, vt ex societate, & clientela, quam reddideras anima caro, aliquid ei commodi prouenirèt, & quæ ei vehiculum fuerat, & particeps studiorum in recompensatione ministerij, iterum dilecto accolæ consociata, pudica, & pacifica rediret, nullas secum reuehens contumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem. Sed & hoc, Domine, ad cumulum beneficij* 99
addidisti, vt inter legem carnis, & spiritus, nulla postmodum esset diuersitas, nec post initum fœdus vlla iterum inter eos recrescat rebellio; sed per manum tuam reconciliatio ordinata stabilis in perpetuum perseueret. Te igitur iubente, terra fit caro, & expulsa de domo, iterum coniungatur viro, non iam ancilla, sed libera: & habitans vnius moris in domo, murmurationibus consopitis, quas olim compugnantes inter se concupiscentiæ concitabant.

Ex quibus vltimis verbis alia ratio colligitur ad 100
idem confirmandum, quia si animæ separatæ deberetur reditus ad corpus, iam deberetur ad corpus idem materiale pugnis obnoxium; & ita post illius corruptionem rursum deberetur reditus ad idem corruptibile, & sic in infinitum, quod tanquam ingens absurdum infert S. Augustinus *12. de ciuitate, cap. 13.* Non deberetur autem reditus ad corpus immortale, cùm antea illud tale non haberet.

Colligitur secundò ratio, qua D. Bonau. 101
ostendit in fine quæstionis; cur anima potius appetat hunc puluerem, nempe, quia illi carni coniugnata fuerat; anima enim in hoc differt ab Angelo, vt sit forma, & appetat naturaliter vnionem cum corpore; sicuti, si quis vxorem ducturus, eique optio daretur duarum æqualis pulchritudinis fœminarum, & indifferens esset ad vtramlibet; attamen post coniugium magis diligeret eam, quam sibi
coniugem præoptauerat, & assumpserat, ita (ait 102
S.Bonau.) anima, licèt esset indifferens ad plura corpora informanda; tamen postquam hoc informauit, arctum, & dulce coniugium contraxit, & hoc appetit præ cæteris.

QVÆSTIO XI.

An Resurrectio erit vniuersalis.

{ D Bonau. in 4. distinct. 43. quæst. 2.
D.Thom. dist. 43. quæst. 2.

Fvit opinio dicentium, iustos, qui in extremis 103
illis diebus viuent, non esse resurrecturos, quia neque erunt morituri. Ita multi Patres apud Suarez *disp. 50. sect. 2.*

Assero, omnes resurrecturos. Ita omnes scholastici cum D. Bonauentura.

Probatvr à S. Doctore primò *hic*, & *ad 5. Ioan.* ex illo: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei*, & prima Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, idest, ad gloriam. Hic locus vrget, vt notat Suarez; distinguit enim resurrectionem, quam facit vniuersalem, ab immutatione.

Probatvr deinde à S. Doctore: *Statutum est* 104
hominibus mori; & post hæc iudicium, Heb. 9. tunc enim reddendum est præmium bonorum, & malorum operum; sed hoc præmium è scriptura est æternum. *Ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.* Matth. 25. Ergo erit resurrectio omnium. Confirmatur à D. Bonau. quia Christus

est caput nostrum, & eius resurrectiu est exemplar nostræ resurrectionis: at Christus resurrexit: Ergo omnes resurgemus. Et hoc est argumentum Apostoli 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. Si Christus resurrexit, & nos resurgemus.*

105 Ex his habes, terminum à quo resurrectionis futurum mortem. Itaque omnes prius morientur, vt ait Apostolus, 1. Thessal. 4. *Mortui resurgent.* Et licèt de iustis videatur dicere, rapiendos, &c. At vult tantùm dicere, paruo tempore mansuros mortuos, vt ait Oecumenius, & D. Thomas. Vide Suarez *disp.* 50. *sect.* 2. & Damasc. *lib.* 4. *cap.* 28. Resurrectio propriè non est nisi eius, quod cecidit, & interiit; & idem probat S. Bonau. *dist.* 43. *dub.* 5. *litera*, ex D. Ambrosio. Et respondet euidam authoritati D. Hieronymi *ad Marcellam*, vbi videtur oppositum dicere, nempe, id dixisse recitando opinionem cuiusdam Græci.

106 Est autem aliqua difficultas: an omnes priùs resoluendi sint in pulueres, nam dicitur Genes. 3. *Puluis es, & in pulverem reuerteris*, quod est decretum vniuersale. Ita tenet D. Thom. 3. *part. quæst.* 78. *art.* 2. & alij.

Attamen videtur D. Bonau. *hic ad vltimum* censere, satis esse, si moriantur, & hoc solùm xigi illo decreto, vt sicut è terra inanime corpus sumptum est animatum, ita etiam exanime in terram cadat. Et per hoc respondetur ad locum Genesis: etiam à D. Augustino *lib.* 20. *de ciuitate Dei cap.* 20. Sic enim multa corpora Sanctorum seruata sunt.

107 Præcipua Scripturæ testimonia soluam *parte secunda disputationis, quæstione vltima.*

Obiicies primò Danielis 12. *Multi de his, qui dormierunt in puluere terræ, euigilabunt:* Ergo non omnes.

Respondet primò cum D. Augustino 20. *de ciuitate Dei, cap.* 6. & 23. particulam *multi* significare omnes; & hic modus in Scriptura est frequens, vt Rom. 5. *Vnius delicto multi mortui sunt.* Matth. 26. *Hic est sanguis, qui pro multis effundetur.*

Respondet secundò, verbum *euigilandi* significare resurrectionem, & aliquid amplius, nempe ad vsum sensuum, & discretionem; sicuti, qui post
108 somnum excitatur: Iam verò non omnes resurgentes euigilabunt, quia infantes non resurgent ad discretionem, & vsum perfectum sensuum; non enim in eis erit tristitia, &c.

Obiicies secundò. Christus *Ioan.* 6. solis ad se venientibus promittit resurrectionem, dicens: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Respondet S. Doctor, resurrectionem ad vitam omnibus promitti, vt dicitur Ioan. 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei:* at verò *Ioan.* 6. promittit iustis resurrectionem, debitam meritis ad gloriam.

109 Obiicies tertiò. Pro peccato, quod patrauit anima in corpore, satis punitur in Purgatorio sine corpore: Ergo & in inferno sufficienter punitur sine corpore.

Respondet D. Bonauentura, id fieri in Purgatorio ad supplementum debiti, vt anima soluta euolet ad gloriam, & ideò absque corpore interim purgatur, tanquam in loco, quasi viæ; at verò in fine erit status, & ideò etiam corpus debet resumi ad pœnam.

Obiicies quartò. Resurrectio est ad remunerationem corporum, quatenus fuere instrumenta operandi; at paruuli non sunt vsi corpore ad opera: Ergo non resurgent.

Respondet S. Doctor, paruulos decedentes in 110
originali, culpam ex vnione animæ cum corpore contraxisse, & ideò necesse est, vt simul etiam corpus subeat pœnam damni; aliorum verò puerorum corpora, qui originatia labe sunt diluti, debent resurgere ex Diuina ordinatione. Statuet enim Deus decedentibus cum gratia, quomodocumque statum gloriæ, etiam corporibus donare, etiamsi operibus propriis non sint emeriti; vnde resurrectio non ad solam remunerationem propriorum meritorum est ordinata.

Tandem obiicies psal. 1. *Non resurgent impij.*

Respondetur ex 2. *Machab. cap.* 7. Ita dici, quia resurrectio non erit eis certè ad vitam.

Ex his habes, etiam damnandos resurrecturos, vt 111
habetur Ioan. 5. *Omnes audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala, in resurrectionem iudicij*, vt notat D. Bonau. ad eum locum, & Suarez *disp.* 50. *sect.* 3. habetur in Symbolo Athanasij, & in Concilio Lateranensi *cap. Firmiter.*

QVÆSTIO XII.

An omnes simul resurrecturi sint.

D. Bonau. d. 43. q. 3
D. Thom. q. 2. art. 3

Chiliastæ olim vocitarunt, futuram resur- 112
rectionem iustorum, mille annis ante iudicium. Vide Suarez *disp* 50. *sect.* 9.

Catholici verò aliqui concedunt, futuram eadem die, sed diuersis locis. Ita Scotus. Vide Suarez *loco citato.*

Assero primò, resurrectionem mortuorum futuram omnium simul.

Probatur à D. Bonau. primò ex 1. *Cor.* 15. 113
vbi ait: *Omnes resurgemus in momento, in ictu oculi mortui resurgent incorrupti:* loquitur autem de tempore iudicij, vt patet; dicit enim, futuram in nouissima tuba, vt notat etiam Suarez *disputat.* 50. *sect.* 9.

Dices: idem Paulus *ibidem*, ait: *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos.*

Respondetur, denotari successionem non inter resurrectiones ipsas, sed inter resurrectionem, & raptum in aëra. Ita D. Thomas, & Anselmus apud Suarez *loco cit.*

Probatur secundò à D. Bonauentura, quia 114
sicut per Adam omnes mortui sunt; ita & per Christum omnes viuificabuntur; sed omnes mortui sunt simul, quia simul damnati in Adam: Ergo omnes simul viuificabuntur.

Probatur tertiò à S. Doctore, quia mundus debet statum mutare, & meliorari, & fieri cœlum nouum, & terra noua; hoc autem exigit, vt mutetur status mortalis, etiam hominum.

Probatur quartò à D. Bonauentura, quia debet dari terminus viæ, in quo cessent Angeli sancti à ministerio: dæmones à venatione; sed hoc est per resurrectionem hominum: Ergo hæc debet esse omnium simul.

Alias congruentias affert S. Doctor *in corpore*. 115

Prima est ad meritum fidei, nam si identidem homines resurgerent, non mereremur credendo resurrectio

surrectionem, quia humana experientia id euidenter ostenderet.

SECVNDA est veritas corporis mystici Ecclesiæ, quod simul debet resurgere.

TERTIA est ad subsidium nostræ infirmitatis, quia dum sancti resurrectionem suam desiderant, cupiunt etiam nostram salutem, qua completa erit resurrectio, & ideò ait Apostolus *Heb.* 11. quod sancti nos expectant, vt non sine nobis consummentur, vt notat etiam Suarez *loco citato.*

116 QVARTA est ad ostensionem iustitiæ retributionis omnibus. Vide S. Doctorem cuius argumenta in oppositum facillima sunt: Idem habet Durandus *dist.* 43. *quæst.* 4. Valentia *disp.* 11. *quæst.* 3. *puncto* 2.

PROBATVR etiam à S. Doctore *ad* 5. *Ioan.* ex illo: *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.* Surgent ergo omnes simul eadem horâ, vt notat Suarez.

PROBATVR à D. Bonauentura *ad* 6. *Ioan.* ex illis Christi verbis: *Hæc est voluntas Patris; vt omne, quod dedit mihi Pater, resuscitem in nouissimo Die,* & rursum: *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

117 QVÆRAS: an id futurum sit die, vel nocte: S. Thom. *quæst.* 77. *art.* 3. & alij dicunt credibile futurum in aurora, quia eodem crepusculo surrexit Dominus, & hoc videtur etiam D. Bonau. *dist.* 43. *in expositione Magistri*, & Suarez *disp.* 50. *sect.* 10. multos referentis.

DICES Matth. 25. dicitur: *Media nocte clamor factus*, quem de tuba vocante cadauera ad resurrectionem intelligit S. Augustinus *lib. de gratia noui, & veteris Testamenti.*

118 RESPONDET S. Doctor cum Magistro, asseri media nocte, quia occultè fiet: *Dies enim Domini, velut fur*, vt habetur 1. *Thessal.* 5. Ita etiam Valentia *disp.* 11. *quæst.* 3. *punct.* 2.

OBSERVANDVM autem, instrumentalem causam resurrectionis, qua Deus suscitabit mortuos, asseri vocem Domini, vt notat S. Doctor ad illud, Ioan. 5. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent.*

119 HANC autem vocem articulatam fore refert Soto *in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 1. *art.* 4. ex Hieronymo in regula Monachorum: *Surgite mortui, venite ad iudicium,* sed ibi non reperitur, vt notat Suarez *disp.* 50 *sect.* 4. Hæc sanè vox erit supernaturalis; attamen negat Suarez, proferendam à Christo, quasi non deceat Christum sic clamare: at *Ioan.* 5. id asseritur: *Audient vocem Filij Dei.*

120 OBSERVAT autem S. Doctor *in* 4. *distinct.* 43. *dub.* 1. & 2. asseri prima Thessalon. 4. *Quoniam ipse Dominus in voce, & iussu Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Has autem fore distinctas, vocem, tubam, & iussum, foréque diuersas, ait Valentia *loco citato*, probabile esse: At S. Doctor *loco citato*, quem alij sequuntur, indicat, fore eandem Domini vocem: Quatenus habebit virtutem dicitur *Iussus*; Erit autentica, & ideò vox Archangeli Principis Erit seuera, & ideò vox Tubæ dicitur, & sic eadem Christi vox dicitur tripliciter: Vide Suarez *disp.* 50. *sect.* 4. latè disserentem: Idem ait Anselmus, & Oecum. *ad cap.* 4. 1. *Thessal.*

QVÆSTIO XIII.

An corpora Electorum resurgent cum deformitatibus.

D. Bonau. in 4. d. 44. art. 3. q. 1.
D. Thom. in suppl. q. 81.

ASSERO, nullam deformitatem corporibus Sanctorum remansuram. 121

PROBATVR à D. Bonau. ex D. August. 22. *de ciuitate, cap.* 19. *&* 20. & *in Enchir. cap.* 91. *&* 92.

PROBATVR secundò, quia resurrectio est restitutio in perfectum statum naturæ; sed hic non habet deformitates: Ergo.

ADVERTIT autem S. Doctor cum D. August 22. *de ciuitate Dei, cap.* 20. cicatrices Martyrum, si in aliquo resurgente reperientur; fore ad decorem: Vide S. Doctorem, & Valentiam *quæst.* 3. *puncto* 3.

QVÆSTIO XIV.

An corpora damnandorum resurgent cum deformitatibus.

D. Bonau. d. citata art. 3. q. 2.
D. Thom. q. 86. art. 1.

ASSERO primò, remansuras deformitates ex superfluitate: Ita S. Bonauentura, quem sequuntur Durandus *dist.* 44. *quæst.* 2. *&* 3. Valentia *disp.* 11. *quæst.* 3. *punct.* 3.

PROBATVR à D. Bonauent. primò argumento D. August *in Enchir. c.* 92. quo nititur etiam Durandus, & Valentia. Non est quærenda pulchritudo in eo, qui carnificinæ æternæ est donandus; nam cum damnatione istorum congruunt deformitates; & pulchritudo dissonat. Confirmatur à S. Doctore; nam à corporibus damnatorum non tolletur tarditas, nec passibilitas: Ergo neque deformitas. 122

CONFIRMATVR secundò à S. Doctore, quia ablatio deformitatum à iustis est gratiæ; at nulla est gratia concedenda damnatis: Ergo.

CONFIRMATVR tertiò à S. Doctore: Deformitates non tollentur ab animabus istorum: Ergo neque à corporibus. 123

CONFIRMATVR quartò à S. Doctore, quia deformitates redundant in pœnam; corpus autem reddetur damnatis ad maiorem pœnam.

ARGVMENTA in oppositum solùm ostendunt, deformitates non esse suscitandas à Deo, vt authore naturæ, sed vt iudice puniente.

ASSERO secundò, resarciendas deformitates ex membris multis: Ita S. Bonau. *ad vlt.* Suarez *disp.* 50. *sect.* 5. Durandus, & alij. Probatur ab eodem S. Doctor, quia sic punietur in illis membris voluntas, quæ ea desiderauit ad libertatem effrænem. 124

OBIICIES primò cum Suarez è D. Thoma. Resurrectio est opus Dei: Ergo perfectum.

RESPONDET S. Doctor, esse perfectum in ordine iustitiæ magis, quàm naturæ, & ideò sicut in Cœlis erunt dotes, sic in Inferno defectus. 125

SVAREZ arguit contra D. Bonauenturã argumento eiusdem S. Doctoris. Corpus mutilum habere, non est pœna, alioqui deberet magis mutilari, qui habuit corpus integrum, & plura mala patrauit, quam, qui minus peccauit, & fuit viuens mutilus. Confirmatur; nam imò integritas membrorum erit ad pœnas subeundas.

Respondet S. Doctor *ad vltimum*, habentem
126 corpus mutilum, habiturum totum in infreno integrum, quia voluntas, quæ fuit rectrix, & omnia habere voluit, debet in omnibus puniri: Quare falsò citatur D. Bonaueotnra à Suarez cum dicentibus, non esse futura corpora integra quoad omnia membra: Id enim probat *ad vltimum argumentum*, quo secunda assertio astruitur.

PARS SECVNDA.

De Resurrectione Christi.

Scholastici post D. Thomam *quæst.* 53. *artic.* 3. dicentes, Resurrectiooem Christi oecessariam fuisse, ooo loquuntur de ea oecessitate, quæ libertati officiat; sed quæ ex Dei Decreto sequitur; oam data Prophetia resurrectionis Christi, necesse erat, vt adimpleretur; item supposito Christi merito, cui resurrectio debita est, non potuit aliter fieri, quio Diuina Iustitia illam exequeretur. Secus autem, certum est, Deum libertimè ad hunc actum concurrisse, sicut & Christum ipsum meruisse, ac proinde simpliciter potuisse non resurgere, vel regnando in sola anima cum aliis beatis, vel sineodo corpus in corruptionem perpetuam abire; hinc enim absurdum nullum obuenit, vt docet Suarez in commentario ad citatum locum Diui Thomæ; vbi aduertit, verbum *Necessariò* ibi sumi pro eo, quod multò conueoieotiùs & opportuniùs actum est; Nam ad ipsius Christi gloriam, & ad nostram redemptionem conuenientissimum erat, vt corpore, & aoimâ gloriosus regnaret; vt *quæstione* 2. referam, interim hic, vtrum verè resurrexerit, ad Catholicæ veritatis firmitatem expeodam.

QVÆSTIO I.

An CHRISTVS *verè resurrexerit.*

1 Hæretici plurimi, quos refert Suarez *disp.* 45. *sect.* 1. negarunt, Christum resurrexisse: Hos antiquatos, & dudum sepultos relinquo.

Assero, Christum verè resurrexisse.

Probatvr à D. Bonauentura *ad* 24. *Lucæ*, è
2 Scripturis, qua Christus interpretabatur duobus peregrinis; hæ autem præcipuè spectant ad passionem, & resurrectionem eius: Ideò ait: *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysis, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die.*

Primò quidem in Libris Moysis habetur cele- 3
bris illa prænunciatio Iacob, cap. 49. Genes. *Catulus Leonis Iuda: requiescens accubuisti, vt Leo, quis suscitabit eum?* vt refert S. Bonauentura *sermone* 5. *Resurrectionis*, & multi Patres: Sic Isaac in spe resurrectionis ductus ad immolationem, *Genes.* 22. vt dicitur *Hebr.* 11. & indicat D. Bonauentura *ad* 24. *Lucæ*, & *lib.* 4. *Compendij Theologiæ*, *cap.* 23. multas alias figuras, & scripturas affert S. Doctor *lococit. Compendij*, præcipuè Isaac eruti è sacrificio, Io- 4
seph è carcere. In Psalmis præclara habemus vaticinia: Illud est præcipuum, quod ab Apostolo Petro expositum est, *Actor.* 2. & à Paulo *Act.* 13. ex Psal. 13. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.*

Hvc reuocat Paulus id Psal. 2. *Dominus dixit ad* 5
me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Actor. 13. ideò subditur: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Vocat autem Christus Patrem Dominum, quia loquitur vt homo, qui, postquam astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in eum, describit suam regenerationem ad nouam vitam: Ideò enim dicitur à Paulo Coloss. 1. *Primogenitus ex mortuis*, & tempus resurrectionis vocatur regenerationis, *Matth.* 18. Ita exposuerunt hunc Psalmum Hilarius, & Theophylactus, Antiochenus *ibi*, Ambrosius, *libro* 3. *de Sacrament. cap.* 1. Chrysostomus, *Actor.* 13. Eusebius *lib.* 6. *Demonstr. cap.* 2.

Ad hoc Mysterium inseruit etiam id Psal. 3. *Ego* 6
dormiui, & somnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me. Sic adhibetur ab Ecclesia in die Resurrectionis, & exponitur ab Augustino *ibi*. Iustino *dialogo cum Tryphone*. Eusebio *lib.* 13. *de præpar. Euangelica*, 7. Ideò addit: *Exurge Domine, saluum me fac Deus meus*, vt exponit S. Bonau. *serm.* 1. *Resurrectionis*, & ad id Ioan. 16. *Ego pono animam meam.*

Ad ea etiam *Psal.* 56. qui totus videtur de Christi passione, & resurrectione. Vnde Christo aptantur ea verba: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara. Misit de cælo, & liberauit me.* Et ita exponit latè S. Doctor *serm.* 2. *de Resurrect. Christi*, cum D. Augustino, S. Hilario, & aliis.

Ad idem applicat S. Doctor *serm.* 2. *Resurrect.* id 7
Psal. 101. *Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.* Et id Psal. 131. *Surge Domine in requiem tuam*, serm. 5. Resurrect. Vide alia in eo.

In prophetis denique multa habemus præclara testimonia: Insignis est iste locus, Oseæ 13. *O mors ero mors tua*, quem adhibet ad hoc S. Doctor *in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 5. *in resol.*

Deinde *in sermone primo, de Resurrectione* 8
Christi, affert illud Iob 19. *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum.* Quasi dicat, vt notat S. Bonauentura ibi: *Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt, adducet cum eo*, vt dicitur 1. *Thessal.* 4. Ita exponit D. Gregorius *lib.* 14. *cap.* 26.

Tandem habetur in articulo Symboli Apostolici, vt notat D. Bonau. *in* 3. *dist.* 25. *quæst.* 1. & idem dicitur in Euangeliis omnibus.

Ex his habes, Christum resurrexisse eundem, cum

cum eodem corpore; hæc enim sunt necessaria ad veram resurrectionem, vt ostendi quæstionibus prioris partis huius disputationis.

9 DICES 2.*Corinth*. 5. ait Apostolus: *Etsi cognouimus Christum secundùm carnem: sed iam non nouimus*: Ergò non est in carne.

RESPONDETVR, nomine *carnis* intelligi passibilem carnem. Vide etiam Suarez *disputatione* 45. *sectione* 1.

QVÆSTIO II.

Propter quas causas CHRISTVS *resurrexit*.

10 PRÆCIPVA causa resurrectionis est gloria Dei, etiam Christo debita, quippe qui cùm esset Filius Dei, impossibile erat, corpus illud sanctissimum vnitum Verbo detineri in sepulchro, vt notat D. Bonauentura *in* 3. *dist*. 22. *quæst*. 3. *argumento* 2. *&* 3. *ad oppositum additis responsis*, & *collat*. 87. *in Ioan*. Sic enim dixerat Dauid Psal. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Vnde Athanasius *lib. de Incarnatione Verbi Dei*, & corporali eius aduentu ait: *Eum, qui Dominici corporis resurrectionem non credit; non satis intelligere vires Verbi,*
11 *sapientiaque Dei. Nam si verum est eius corpus assumpsisse, eaque, quæ propria corporis sunt vindicasse, quid de corpore quæso statuere debuit, aut quo fine tandem illud consumere, cùm semel intra corporis viscera receptus esset: Vt enim non moreretur, fieri non poterat, quia pro omnibus erat in mortem offerendum, vt autem extinctum maneret, neque illud fieri debuit; eò quòd vita sacrarium esset. Vnde reuixit per suam, quæ in ipso erat, vitam*. Et infrà: *Quomodo Dominus ex toto se vitam demonstrasset, nisi id, quod mortale erat, viuificasset*.

12 HINC sequitur, statim post mortem Christum ex dignitate vnionis viuificandum. Dilatio autem resurrectionis facta est, vt euidentius agnosceretur mortuus fuisse, cum tanto tempore in sepulchro iacuerit; neque dici debuit differre, ne Verbum impotens æstimaretur, vt ait D. Athanasius suprà, & cum eo D. Bonauentura 4. *parte Breuil. cap*. 10. & *lib*. 4. *Compendij Theologicæ veritatis, cap*. 3. vbi alias etiam rationes affert, quas addo.

13 SECVNDA ergo ratio, ob quam Christus resurrexit, est, vt suam potentiam ostenderet, cum resurrectio sit opus omnipotentis. Hæc est ratio D. Athanasij, *lib. de Incarnatione Verbi*, vbi ait, *Christum resurexisse, vt ostenderet non ex imbecillitate mortuum esse; sed ad extinguendam mortem, qua profligata, quid reliquum erat, nisi vt in trophæum deuicta mortis excitaretur?* Idem habet S. Bonauentura *collat*. 87. *in Ioan*. vbi affert id 2. Cor. 13. *Crucifixus ex infirmitate, sed viuus ex virtute*.

14 TERTIA ratio est ad fidem viuificandam nostræ resurrectionis, nam Christo resurgente credere, & sperare tenemur, etiam nostram resurectionem, vt ait Iob. 19. Paulus 1. *Cor*. 15. & 1. *Thessal*. 4.

QVARTA ratio est, quia ex resurrectione Christi excitamur ad nouitatem vitæ, ad pœnitentiam, ad Iustificationem ostendendam; sicut enim resurrectionem Christi præcessit passio, & mors; ita no-
15 stram debet præcedere mortificatio. Ideò ait Apostolus, Rom. 4. *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*. Resurrectio enim Christi mouet, & excitat ad vitam renouandam, & ad iustitiam, per quam acquirimus illam gloriam, quam credimus Christum habuisse in sua resurrectione, vt talia sint corpora nostra, qualia Christus in sua resurrectione monstrauit, vt dicitur Rom. 6: *Quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Sic igitur passio, & mors ad moriendum peccato; & resurrectio ad viuendum gratiæ excitant. Rursus, resurrectio Christi se habet etiam vt exemplar, seu norma, & regula dirigens ad vitam æternam. Ad quod S. Doctor *loco cit. collat*. adducit illud Coloss. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*, &c. Tandem habet rationem termini quietantis nostra desideria. Hæc S. Bonauentura *in* 3. *dist*. 19. *quæst*. 1. *in resolutione*.

ALIAM rationem habet S. Doctor *in collatione allegata*, ex D. Paulo, Rom. 14. *Resurrexit; vt & viuorum, & mortuorum dominetur*. 16

HACTENVS de fine resurrectionis. De efficiente verò causa egi supra priori parte huius disputationis; fuit enim Deus: *Quem Deus suscitauit à mortuis*. Actorum 2. *Qui suscitauit Iesum à mortuis*. Rom. 8. & hoc voluit Ioan. 10. *Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam*, vt notat D. Bonau. *ibi*, vbi adducit, etiam psal. 3. *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me*.

ANIMA verò ipsa sanctissima habuit virtutem instrumentalem resurrectionis, vt dixi, cùm de miraculis Christi disserui. 17

AN verò ministerio Angelorum sit vsus; ipse S. Doctor *serm*. 1. *Resurrectionis*, negat cum communi Patrum consensu, vt notat Suarez *disput*. 45. *sect*. 12.

QVÆSTIO III.

Qua die, & hora CHRISTVS *resurrexit*.

ASSERO primò, Christum resurrexisse die Dominica, contra multos hæreticos. Ita D. Bonauentura *cap*. 81. *Medit*. & alibi citandus. 18

PROBATVR à S. Doctore primò *cap*. 28. *Ioannis*, ex illo *Matth. vltimo*, vbi dies resurrectionis asseritur: *Prima Sabathi*. Vbi aduerte, Hebræos solitos à Sabbatho numerare dies, vt prima Sabbathi sit Dominica, secunda Sabbathi dies Lunæ, &c. quod notauit Beda *lib. de ratione temporum, cap*. 6. Vnde Augustinus, quia *in psal*. 23. ponitur titulus: *In prima Sabbathi*, exponit de resurrectione Domini, quæ prima Sabbathi facta est, qui iam dies Dominicus dicitur: & D. Hieronymus in psal. 47. ait: *Prima Sabbathi fecit Lucem; prima Sabbathi resurrexit Lux Christus*. Idem confirmat S. Doctor *loco cit*. ex illo Ioannis ibi: *Vna autem Sabbathi Maria Magdalena*, quæ est prima post Sabbathum Iudaïcum, vt ait D. Augustinus *Tract*. 20. *in Ioan*. nam more Hebræorum vna ponitur pro prima. Sic Genes. 1. *Et factum est vespere, & manè dies vnus*, idest primus. Adducit etiam Chrysostomum *homil*. 84. *in Ioan*. vbi ait: *Vna Sabbathorum, idest Dominico die*. 19

IDEM refert S. Bonauentura *ad* 24. *Lucæ*, vbi obseruat, Euangelistam claudere caput 23. de mulieribus: *Et Sabbatho quidem siluerunt secundùm mandatum*. Deinde verò ordiri caput. 24. *Vna autem Sabbathi valdè diluculo*. Obseruat autem, Sabbathum dici totam hebdomadam Sabbathi, & ita prima dies Sabbathi idem est, ac prima dies hebdomadæ, idest Dominica dies, & ideò dies ista voca- 20

tur vna, quia vnitas est principium numerorum *Genes.* 1. vt dictum est: Hæc D. Bonauent. quem sequitur Suarez *disp.* 46. *sect.* 1.

21 PROBATVR secundò à S. Doctore *in speculo animæ, cap.* 2. ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ hunc diem semper est venerata, & festiuum præcipit propter Domini resurrectionem. Ità enim appellatus est à Domino: Vnde S. Leo Papa epist. 81. *In die* (inquit) *quâ mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium.* Hæc autem ex Apostolorum traditione haberi asserit S. Clemens *lib.* 7. *Constit. cap.* 31. & 36. Iustino *Apol.* 2. Ignatio *epistola* 5. *ad Trallianos*, Athanasio in illud dictum: *Omnia mihi tradita sunt à Patre.* Hieronymo *in cap.* 4. *ad Galat. lib.* 21. *epistola* 3. & ex aliis Patribus: Multa quoque congerit Vualdensis *de Sacramentalibus, cap.* 40. Propter quæ Beda *lib. de ratione computi, cap.* 27. & *lib. de ratione temporum, cap.* 45. Ambrosius *in psal.* 47. negant licere viro Catholico dubitare, num Christus die Dominica resurrexerit. Idem habet Suarez *loco citato*.

22 ADHIBET Suarez etiam congruentiam ex D. Bonauentura 4. *part. Breuil. cap.* 10. & *in* 3. *dist.* 22. *quæst.* 3. *in corpore*, quia Christi mors non debuit amplius differri, quàm necessarium fuit ad veritatem mortis declarandam: ad hoc autem sufficiens fuit, vt vsque ad tertium diem in monumento iaceret.

PAVLVS Mildeburgensis dixit, etiam post septuaginta horas, eos qui mortui videntur, dare signa vitæ; sed incertum est, & in homine tot vulneribus confosso, tot flagris laniato non potest esse, vt notat Suarez.

23 OBIICIES: Si Christus resurrexit die Dominica; sequitur, non intercedere quinquaginta dies vsque ad Pentecosten, seu aduentum Spiritus sancti; neque potest vtrumque Mysterium die Dominica euenire: nam Spiritus sanctus venit die Pentecostes Iudæorum, vt dicitur Act. 2. *Cùm complerentur dies Pentecostes*, idest ipsa die, qua Iudæi celebrabant Pentecosten; sed necesse fuit, illum diem eo anno occurrere in Sabbatho. Probatur nam *Leuit.* 23. & Ioseph. *lib.* 3. *antiq. cap.* 10. habetur secunda die azymorum, seu sexta decima
24 Luna primi mensis, præceptum fuisse offerendi manipulum nouarum spicarum, & illa die numerarent quinquaginta dies, & in quinquagesimo celebrarent festum hebdomadarum. Tunc sic: Eo anno prima dies azymorum fuit Sabbathum, & ita ab illo die computando, quinquagesima dies occurrebat in Sabbatho: Ergo & festum Pentecostes.

RESPONDET Suarez, primò computandos quinquaginta dies à primo die azymorum exclusiuè, ad quinquaginta inclusiuè, hunc enim includi innuitur *Leuit.* 23. & Ioseph. *loco citato*.

25 RESPONDET secundò, Spiritum sanctum descendisse, non die Pentecostes Hebraïco, sed postridie. Quod verò dicitur Act. 2. *Cùm complerentur dies Pentecostes*, intelligitur; cùm completi essent. Ita colligitur ex Chrysostomo *homil.* 4. *in Acta*.

QVOAD horam resurrectionis, suppono, resurrexisse post euolutam mediam noctem Sabbathi, vt dies Dominicus esset.

26 PRIMA opinio est, nil certè posse asseri. Ita Dionysius Alex. *epistola ad Basilidem, can.* 7. Hieronymus *ad Hedibiam, epist.* 150. *quæst.* 6. & Theophylact. *Marci vltimo*.

SECVNDA opinio est, resurrexisse prima hora post mediam noctem. Ita Athanasius *lib. de Virg.* io fine. Nyssen. *oratione prima, & secunda de Resurrectione*. Cyrillus Alex. *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 44. Victor Antioch. *in cap.* 16. *Marci*. Euthym. *cap.* 68. *in Matth.* vbi ait omnes vnanimiter Sanctos Patres, & Doctores id sentire, Christum surrexisse circa illam horam post Galli cantum, Nicephor. *lib.* 1. *hist. cap.* 31. qui septima hora, vel octaua. Hieronymus *loco cit. quæst.* 3. & 4. Ambrosius *lib.* 10. *in Lucam, cap. de hora Dominica resurrect.* Rupertus *lib.* 1. *de Diuinis officiis, cap.* 8. & *lib.* 5. *cap.* 24. & *lib.* 7. *cap.* 16. vbi adducit figuram Sampsonis, qui media nocte erupit ex vrbe, vbi erat clausus, quam explicans etiam S. Gregorius *homil.* 21. *in Euang.* dicit, Christum ante lucem surrexisse; non tamen explicat, quâ horâ noctis.

TERTIA sententia est, Christum resurrexisse 27
in aurora. Ita D. Bonauentura *in* 3. *dist.* 22. sed ille *quæst.* 3. ibi potius dicit resurrectionem factam post mediam noctem, dici verò à multis, factam in Aurora, quia tunc innotuit, & sæpè id dicitur fieri quando innotescit. Idem asserit *ad* 24. *Lucæ*, vbi incertum reliquit, vtra sententia sit vera, & ait: Qui autem verius dicant, Deus nouit: Vel certè (addit S. Bonauentura) fuit facta secundùm aliquos inter horas post mediam noctem, & auroram; & ideò à S. Doctore oppositio asseritur in extremis
facta, dum horas medias ad extrema trahunt. In 28
Meditationibus verò *cap.* 87. asserit, factam summo manè: & *in Ligno vitæ*, §. *Iesus resurgens*, ait, factam illucescente die.

HANC verò sententiam tenent D. Thom. *q.* 51. *art.* 4. *ad* 3. & *quæst.* 53. *art.* 1. *ad* 3. & *in* 3. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 2. vbi Scholastici, & *d.* 22. Richardus, Durandus, Paludanus, eam sequuntur, & D. Antoninus *prima parte historiæ, tit.* 5. *cap.* 7. Gullielmus Durandus *in Rationali diuinorum offic. lib.* 6. *cap.* 72.

EST multorum Patrum, præcipuè Ignatij *epistola* 5. *ad Trallianos*, vbi eadem verba habet cum
D. Bonau. suprà: *Illucescente Dominico die resurrexit.* Eusebij *lib.* 10. *Demonstr. cap. vlt.* Cyrill. 29
Hierosol. *cathec.* 14. Hilarij *can.* 33. *in Matth.* Ambrosij *in psal.* 45. Augustini 4. *de Trinitate, cap.* 6. & *in psal.* 29. & 58. & 129. Et *epistola* 49. S. Leonis *serm.* 1. *de resurrect.* Cypriani *in oratione Dominica*, Eusebij Emiss. *homil.* 8. *in Paschate*, Hieronymi *Marci vltimo*, Sedulij *lib.* 4. *Carminum*, Prudentij *in quodam Hymno*, Alcuini *lib. de Diuin. offic. cap. de Parasceue*, Prosperi *lib. sent.* Augustini 103. Bedæ *vltimo Lucæ*, & *Marci*, & *Matthæi* 12. vbi idem docet Anselmus.

TANDEM videtur Ecclesiæ sensus, quæ canit in 30
octaua Paschæ.

Aurora cœlum purpurat,
Cùm Rex ille fortissimus
Victor surgit de funere.

ASSERO, probabile esse, Christum resurrexisse nocte quidem, idest cœlo obscuro, sed ad auroram tendente.

PROBATVR à D. Bonau. *ad* 24. *Lucæ*, & 20. 31
Ioan. ex illo Matth. 28. *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Tunc autem resurrexit Dominus, nam postea auditus est terræmotus, & Angelus descendit de cœlo, & reuoluit lapidem; Christus autem profectò exiit è sepulchro, immoto lapide, penetrando. Itaque non amouit Angelus lapidem, vt Christus exiret, sed vt mulieres ingredi possent, vt omnibus nota esse posset resurrectio, vt habetur ex Chrysostomo

homil.

32 *homil.90. in Matth.* & Euthymio suprà, & colligit S. Doctor ad id Ioan.20. *Maria Magdalene venit mane.* Vesperam autem Sabbathi non potuit appellare auroram diei Dominici, neque etiam eam, in qua Sol in Sabbatho occidit, quia tunc non resurrexit Dominus: Ergo appellauit vesperam Sabbathi ipsam profundam noctem, quæ iam vergit ad lucem Dominicæ. Confirmatur ex illo Ioan. 20. *Venit Maria ad monumentum, cùm adhuc tenebræ essent*, tunc verò iam Christus resurrexerat.

33 Deinde verò cùm addit Matthæus, *quæ lucescit in prima Sabbathi*, indicat totam illam noctem, quæ nomine *Vespere* intelligitur, ad auroram inclinasse, vt notat D. Bonauentura: Vbi obserua cum S. Doctore *l. cc.* quem sequitur Suarez *disp.46.sect.2.* solere vesperam pro nocte sumi, Genes.29. *Vespere Liam introduxit ad eum.* Igitur germanus sensus est: Nocte illa tendente ad auroram venit Magdalena, & hoc modo concordat etiam Ioannes.

34 Qvod verò *Marci 16.* dicitur: *Venerunt orto iam sole.* Respondet S. Bonauent. bis eas venisse: Ita censet D. Hieronymus *in Commentario*, & Dionysius Alexand. *epistola ad Basilidem.* Imò Athanasius pluriès venisse ait *quæst.90.*

Commvniter verò sic conciliantur, vt mane valde discesserint; sed peruenerint orto iam sole, nempe iam irradiante, etiamsi super horizontem non ascendisset, vt referunt Suarez *loco citato*, & Maldonatus *ad 28. Matthæi.*

35 Ex quo etiam conciliantur à D. Bonauentura omnes Euangelistæ, vt subobscuro cœlo discesserint, & claro cœlo peruenerint, aut saltem bis venerint: Sic conciliantur etiam opiniones variæ, vt videre est in suprà dictis.

Si qua autem diuersitas apparet; Respondet S. Doctor, Christum ante diem resurrexisse, sed describi ab Ecclesia in Aurora, quando incepit apparere.

36 Nota verò, hanc vesperam denominari à Sabbatho, communi loquendi modo; nam communi more protenditur vsque ad mediam noctem, & ideò tota illa nox dicitur nox Sabbathi; eam autem denominat à Sabbatho, vt ait D. Augustinus etiam ob aliam rationem, vt significet à quo tempore licuerit mulieribus parare aromata, & alia ad monumentum.

QVÆSTIO IV.

Quomodo Christvs *tribus diebus in sepulchro iacuerit.*

D.Bonau. in 3.dist.22. quæst.3.

37 Commvniter triginta sex horæ assignantur sepulturæ. Ità D. Bonau. alios allegans, mortis verò quadraginta horas assignant. Habetur ex communi traditione Ecclesiæ, & asseritur à D. Augustino *Dialogo ad Orosium 65. qq. quæstione 26.* quem sequuntur Beda, Anselmus, & alij suprà citati *quæst.3.*

Difficvltas verò est in explicando, quomodo fuerit in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, iuxta vaticinium Christi *Matth.12.*

38 Omissa opinione computantium hos tres dies à nocte cœnæ, in qua potest dici traditus morti; nam hæc veritatem litteræ omittit, & ad metaphoras fugit.

Aliqvi enumerant has horas à crucifixione, & primam noctem ponunt tres horas tenebrarum. Sed hic modus est omnino improprius, vt patet.

Vera ergo sententia est S. Bonauenturæ hic, 39
calculandas horas istas à morte Christi, vel sepultura ad resurrectionem. Igitur sunt tres dies per Synecdochen, à parte totum numerando, qui modus frequentissimus est, tam in scripturis, quàm in aliis auctoribus. Et hoc modo benè possunt tres dies in quadraginta, vel etiam in triginta sex horis comprehendi; nimirum vt dies intermedius sit integer: extremi verò secundùm partes. Sic resoluunt Hieronymus *Ionæ 2.* & *Matth.12*, & ibi Beda, Anselmus & communiter Expositores, Augustinus frequenter *lib.3. de consensu Euangelistarum, cap.24. lib.1. quæstionum Euangelicarum, quæst.7.* & *lib.3. de Doctrina Christiana, cap.35.* & aliis locis suprà citatis, Cassianus *lib.6. de Incarnatione, cap.vlt.* Beda *in homil. Feria 4. post primam Dominicam Quadragesimæ*, & indicat Ignatius *epist.5. ad Trallianos.* D. Thom. *3.p. quæst.51. art.4 ad 1.* & *in 3. dist.21. q.2. art.3 ad 5.* & ibidem alij Theologi; alij verò *dist.22.* & Alens. *3 part. quæst.20. memb.1. art.3.*

Enim verò licèt sit inuenire tres dies, nempe 40
partem Feriæ sextæ, totum Sabbathum, & partem Dominicæ, vt ait D. Bonauent. *ad 20. Ioan.* attamen tres noctes est arduum assignare, quia solæ duæ erant noctes, prima integra, adueniente Sabbatho; altera adueniente Dominica die, ferè integra.

Svarez confutatis aliis solutionibus, respondet 41
ex D.Bonau. *dist.22. quæst.3. ad primum*, vnam noctem diei naturalis, non esse totam noctem continuam, quæ est ab occasu Solis vsque ad eius ortum, sed duas complecti partes noctis, inter quas artificialis dies continetur, quarum altera incipit à media nocte, vsque ad ortum Solis: Altera verò ab occasu Solis ad mediam noctem. Dies enim naturalis à media nocte incipit, & ad mediam noctem terminatur. Propter hoc cœna, quæ fit post mediam no-
ctem, ad diem sequentem pertinet. Itaque prima 42
dies, & prima nox mortis Christi durat ab hora nona Feriæ sextæ, ad horam sextam noctis (erat enim Æquinoctium, vt notat S.Bonau. *in corpore.*) Secunda dies, & secunda nox durant à sexta hora noctis, vsque ad Sabbathi noctem mediam, & hæc dies; & nox integræ sunt: Tertia verò dies incipit à media nocte Sabbathi ad horam resurrectionis; est enim illa pars diei naturalis: Ita D. Leo serm.1. de Resur. ait: *Nihil de dierum numero deperiisse, dum ad integrum secundum diem pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit.*

Qvæ verba vsurpans Anselmus *Matth.12.* ex- 43
plicat: Nam primus dies à parte extrema annumeratus est: dies verò tertius à parte prima sextæ quidem Feriæ, diei partem, in qua sepultus est cum parte noctis, pro nocte, & die accipiens. Sabbathum cum nocte & die; noctem Dominicam cum eadem die illucescente pro toto similiter accipiens, habet triduum, & tres noctes. Eandem sententiam explicat Isidorus Pelusiota *epist.144.* & *212.* & Baronius, *anno 34.*

QVÆSTIO V.

An CRISTVS *resurrexerit primus; & an solus immortalis.*

{ D.Thom. q.53. art.3.

44 NOTANT D. Thomas *hic*, & D. Bonauentura *lib.4. Compendij Theolog. cap.23.* in fine, Resurrectionem duplicem, aliam imperfectam, quæ est ad vitam morituram, quamdiu enim subiecti sumus morti, habemus vitam imperfectam. Altera resurrectio est perfecta ad vitam immortalem.

ASSERO primò, Christum, non fuisse primum resurgentem à mortuis ad vitam mortalem.

PROBATVR à D.Bonauentura *ibi*, quia ante passionem, Lazarum suscitauit, & alios.

ASSERO secundò, Christum fuisse primum resurgentem ad vitam immortalem.

45 PROBATVR à S.Doctore *serm.1. Resurrectionis*, & D.Thom. *hic*, ex 1. Corinth.15. *Christus resurgens à mortuis primitia dormientium*, & quidem Christum esse primitiam resurgentium ad vitam immortalem negatiuè; vt nullus ante eum resurrexerit ad vitam immortalem, est de fide, nam ita exponitur ab omnibus Patribus. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Ambrosius, Hieronymus, Anselmus, D. Thomas, D.Bonauentura, & cæteri Græci, & Latini, Athanasius *lib. de Incarnatione*, Damasc. *lib.4. de fide, cap. vltimo*, Prosper. *de promissis, & prædictionibus Dei*, *p.3. cap.29.* Cyprian. *serm. de Resurrect. Domini.*

46 HINC illi, qui opinati sunt, sanctos aliquos Patres resurrexisse cum Christo ad vitam immortalem, dixere, eorum resurrectionem referri per anticipationem in morte Christi, quia surrexerunt post Christum; nomen enim *primitiæ* significat primum ordine, non dignitate. Sic non dicuntur primitiæ fructus perfectiores, sed primi maturati. Quo sensu dicitur etiam primogenitus mortuorum *Apoc.1. Coloss.1.* quia primus resurrexit, vt notat D. Ambr. *lib.5. epist.22.* Imò ad id *Coloss.1.* non primogenitus, sed primitiæ legitur apud Græcos, Chrysostomum, Theophylactum, & alios.

47 QVOD verò Christus prius tempore resurrexerit ad vitam immortalem, non est de fide, quia viget probabilis opinio, mox citanda, multos cum Christo surrexisse ad vitam immortalem. Ad veritatem autem loci Apostoli *1.Corinth.15.* sufficit, esse primum natura, & causalitate.

48 EST igitur opinio, multos SS. Patres surrexisse cum Christo ad vitam immortalem. Ita multi antiqui PP. Origenes *lib.1. ad Rom.* Epiphan. *hæresi 75.* Clem.Alex. *lib.6. Strom.* Iustinus *quæst.85.* Ambros. *in primum psal.* Hieronymus, vel Sophronius *serm. de Assumptione.* Idem docet Sophronius Patriarcha Hierosol. *in epistola Synodali*, quæ probatur in sexta Synodo *act.11.* vbi de Christo sic loquitur: *Triduanus resurgens de sepulchro ex corruptione, ad immortalitatem eos perducens per suam resurrectionem ex mortuis.* Idem asserunt Euseb. *lib. 4. demonstrat. cap.12.* Remigius *in Matth.* relatus à D. Thoma *in catenam Matth. 27.* Ibi Beda, & Anselmus, Bedam citans, D.Thom. *ibi*, & *in 4. dist. 43. q.1. ad 3.* vbi nonnulli Theologi, & alij *in 3.dist.22.* vbi Carthus. *quæst.6.* Caietan. *quæst.53. art.3.* & *super Matth.* Iansenius, *cap.143. concordia.* Suarez *ad art.3. quæst.53. D.Thom.* & alij.

49 SECVNDA opinio est, mortuos resurrexisse cum Christo ad vitam mortalem. Est sententia D. Augustini *epist.99.* Hieronymi *Matth.27. epist.150. quæst.8.* Chrysostomi *homil. 89. in Matth.* Theophylact. *ad 27. Matth.* Euthym. *cap.65. in Matth.* Insinuat Prosper *de promissione Dei, parte 3. cap.29.* D.Thom. *3 part. quæst.53. art.3.* Soto *in 4. dist.43. quæst.2. art.1.*

50 QVOAD D. Bonauenturam, videtur mihi esse cum priori opinione, nam *in Compend. Theolog. lib.4. cap. 23.* dicit, Christum surrexisse integraliter, nempe in anima, & corpore; & Socialiter, quia multa corpora Sanctorum surrexerunt, *Matth. 27.* Æternaliter etiam, quia *resurgens ex mortuis, iam non moritur*, Rom.6.

IN fine verò dicit, Christum resurrexisse perfectè ad vitam immortalem: aliquos imperfectè, vt Lazarum iterum moriturum; vbi omittit Sanctos Patres suscitatos cum Christo.

51 PRÆTEREA *in serm.1. resurrect.* probat, Christum esse primitias dormientium, dicit, Apostolum exprimere primitias nouitatum, quas posteà habuit Christus resurgendo, & refert resurrectionem Sanctorum Patrum. Cùm igitur dicat, Patres post Christum resurrexisse, quia ipse est primitia dormientium, loquitur profectò de resurrectione ad vitam immortalem; nam quoad mortalem, non fuit primus: Simili ratione deducitur, Bedam *Matth.27.* fuisse nostræ sententiæ, vt notat Suarez *loco cit.* Vnde infert, omnes, qui hac ratione vtuntur, posse pro hac sententia allegari.

52 ASSERO igitur, probabile esse, Sanctos Patres ad vitam immortalem resurrexisse.

PROBATVR primò ex illo *Act.2.* vbi Petrus loquens de Dauide ait: *Sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.* Vbi aduertit Sophronius suprà *serm. de Assumpt.* non esse ausum dicere, corpus Dauid esse apud nos.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *loco cit. Compend.* ex illo Matth.27. *Multa corpora Sanctorum venerunt in sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis*, nam signum est, habuisse corpora gloriosa, quæ possunt apparere, & occultari, vt indicat S. Hieronymus, & D. Thomas *ibi*.

RESPONDET Suarez, potuisse habere corpora mortalia cum virtute se occultandi ad libitum, sicut habebant Moyses, & Elias in Thabor.

53 CONTRA, quia hoc argumento vtuntur SS.PP. allegati, qui supponunt, debuisse esse cum Christo aliquos socios, & contestes resurrectionis eius.

PRÆTEREA animæ Sanctorum Patrum erant beatæ, vt dixi *disp.39 quæst.1.* eis autem debebatur etiam corpus gloriosum; siquidem ex sola dispensatione Diuina, Christi anima in via corpus habebat passibile.

OBIICIES primò. Hi sancti surrexerunt ante Christum: Ergo non surrexerunt ad vitam immortalem. Antecedens patet; nam Matthæus ponit hoc inter signa mortis Christi.

54 RESPONDETVR, id describi per anticipationem. Et quidem sepulchra aperta sunt in morte Christi; at verò corpora surrexerunt in Christi resurrectione, quod probatur, nam exeuntes Sancti venerunt in sanctam ciuitatem; non enim probabile est, iacuisse viua corpora in sepulchris quadraginta horas.

OBIICIES secundò cum D. Augustino *Act.2.* dicitur: *Monumentum Dauidis esse apud nos*, hoc

autem

autem argumentum affert Petrus ad probandum, corpus Dauid esse corruptum, & ideò de illo non fuisse dictum: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quod si ibi non esset corpus, iam argumentum nil valeret.

55 RESPONDEO primò, potuisse Dauid non esse ex resuscitatis. Deinde potest responderi, adduci monumentum, vt ostenderet corpus Dauid vsque ad Christi resurrectionem fuisse apud nos, & potuisse videri corruptum; at verò iam solum sepulchrum nominari.

OBIICIES tertiò. Hebr.11. dicitur: *Hi omnes non acceperunt repromissiones.*

RESPONDETVR, Paulum solùm significare, Patres non accepisse in lege veteri gloriam etiam animæ, & ideò sine nobis non accepisse, quia in statu hoc gratiæ receperunt.

56 OBIICIES quartò. Iob fuit magnus Sanctus, & tamen, cap.19. dicit: *In nouissimo die surrecturus sum.* Vrgent autem de S. Ioanne Baptista, qui inter sanctos fuit primus, & tamen eius reliquiæ adhuc sunt Romæ, & Genuæ.

RESPONDETVR, posse dici resuscitatos eos, qui magis possent testari resurrectionem Christi; fuisse autem assumptos eos, qui erant apud antiquos magis æstimati, vt Moyses, Abraham, &c.

QVÆSTIO VI.

An corpus CHRISTI *surrexit integrum.*

57 EX dictis *priori parte, quæst. 2. & sequentibus,* patet, corpus Christi, vtpote gloriosum, debuisse integrum resurgere. Solùm est quæstio de Præputio, quia dicitur, adhuc esse in terra, vt refert Innocentius III. *lib.4. de Mysteriis Missæ.* Ecclesiæ etiam traditio habet, illud seruari in Sancto Sanctorum Lateranensis Ecclesiæ.

58 SECVNDA opinio tamen est, in corpore Christi gloriosi esse Præputium. Ita Theophylact. *Lucæ 2.* Supplem. Gabrielis *in 4. dist. 44. quæst. 1.* Medina *quæst. 54. art.2.* citatur à Suarez *disp.47. sect.1.* etiam D. Bonauentura *in 4. distinct. 11. dub.2.* Sed ipse Seraphicus fatetur quidem, corpus Christi esse integrum, quoad ea, quæ sunt de veritate humani corporis; attamen de Præputio est anceps. Eum sequuntur Turrecrem. *cap.* Innitat. *de consecrat. dub.2.* Syluester *in Rosa aurea.* Itaque S. Bonauent. (vt fatetur Suarez) dicit; fortasse in Præputio fuisse aliquid de veritate corporis humani, & illud reassumptum; & aliquid materiale, & hoc relictum inter reliquias.

59 SVAREZ dicit, Christi corpus habere Præputium formatum ex aliqua parte materiæ corporis Christi, quæ antea erat in alia parte; primum verò seruari in terris. Ita ait, saluari integritatem corporis Christi, & traditionem de hac reliquia.

INNOCENTIVS verò cum D. Bonauentura anceps ait, totum hoc esse Deo committendum; maximè verò facultates vegetationis, & sensus iam satis ostendi *prima secunda, Tract.1. disp.1.*

QVÆSTIO VII.

An in corpore CHRISTI *cicatrices vulnerum salua eius integritate manserint.*

CERTVM est, cicatrices in manibus, pedibus, 60
& latere Christi remansisse, vt habetur *Ioan. 20.* vbi Christus ait: *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum.* Et ipse Thomas: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c.*

HAS verò fuisse reales, non apparentes certissi- 61
mum est, vt testantur Sancti Patres, Ignatius *epistola 10. ad Smyrnenses;* Hilarius *lib.3. de Trinitate,* Iustinus *Dialogo cum Tryphone,* Dionysius *cap.7. de cælesti Hierarchia,* Leo Papa *serm.1. de Resurrect.* Augustinus *epistola 49. quæst.1.* & *lib.2. de Symbolo, cap.8.* & *lib.22. de ciuitate, cap.20.* Ambrosius, & Beda *Lucæ vltimo,* Cyrillus Alex. *lib.12. in Ioan. cap.59.* & Hierosolymitanus *catech.14.* Athanasius *epistola ad Epictetum, & oratione contra Arrianos,* Gregorius *homil.26. in Euangelia,* & omnes Interpretes *Ioan.20.* Ex quibus præclarè S. Bonauentura, id probat cum Suarez *loco citato,* quia ostendit eis videnda, & palpanda in signum veri corporis: Ergo debuêre esse vera, ne deciperet, vt ait D. Augustinus *lib.16. cont. Faustum, cap.33. Tom.6.*

QVÆRITVR verò: an remanserint foramina, 62
an verò sola insignia.

MVLTI enim dicunt, sola signa remansisse. Ita videtur D. Augustinus *epist.49.* & aliis locis relatis. Idem sentire videntur Gregorius, vterque Cyrillus, & alij.

COMMVNIS verò sententia est remansisse manus, & pedes perforata. Ita D. Bonauentura *ad 20. Ioan.* ad ea verba: *Infer digitum, &c.* vbi vera vulnera fateri videtur. Sequuntur Abulens. *paradoxo 5. cap.25. & 26.* & Recentiores, Caietanus 63
quæst.54. art.4. & Medina *ibidem,* Iansenius *c.147. Concord.* Toletus *Ioan.20.* Suarez *disp. 47. sect.2.* & videtur sensus Cyrilli *lib. de fide ad Theodosium,* circa finem, Nazianzeni *orat.42.* Euthymij *in Ioan.* & videtur conuinci in Euangelio suprà relato, & describit Chrysologus *serm.18. & 76.* Neque verò his impeditur, quin & nerui, arteriæ, & venæ continuæ sint, & suis fungantur officiis, quia ita disposita sunt omnia, vt ritè operentur; & nullam deformitatem, sed pulchritudinem afferant, vt describit S. Bonauentura *loco citato.*

MVLTA verò motiua, ob quæ voluit Christus 64
ea insignia retinere, affert S. Doctor *loco citato.*

PRIMVM est in signum trophæi, vnde colligit S. Augustinus *22. de ciuitate, cap.20.* remansura quædam in Martyribus insignia vulnerum ad triumphi gloriam exhibendam.

SECVNDVM est ad fidem confirmandam resurrectionis eiusdem, qui in cruce pependerat, vt ait D. Leo Papa *serm.1. de Resurrect.* & Cyril. Alex. *loco cit.* Damascenus *lib.4. de fide, cap.18.* Augustinus, Beda, & alij Patres suprà adducti, & D. Thomas *loco citato.*

TERTIVM motiuum est, vt vulnera semper osten- 65
dat Patri. Ita etiam Beda *loco cit.* & Cyprianus *serm. de Baptismo Christi.*

QVARTVM est in excitamentum Spei, & ad gratias ei agendas. Ita D. Ambrosius *loco cit.* Bernardus *serm.61. in Cant.* Gregorius *Cant.2.*

QVINTVM est ad confundendos hostes in die iudicij.

iudicij. Ita D. Augustinus *loco cit.* Hyppolitus Martyr *oratione de fine mundi*, Cæsar Arel. *homil.* 23. & ad demonstrandum, quæ, & qualia passus est pro nobis, vt ait Beda in Glossa *ad Lucæ vltimum*.

66 Ex quibus S. Doctor diluit cum D. Augustino *epistola* 49. oppositiones Porphyrij, qui sic obiiciebat: Si post resurrectionem status beatus est futurus, quid sibi vult, Christum fuisse cibatum, & vulnera monstrasse? Sed si propter incredulum fecit; finxit: Si autem verum ostendit: Ergo in resurrectione accepta futura sunt vulnera.

67 Itaque, qui potuit mortuos suscitare, potuit etiam illa vulnera claudere, neque ficta, neque falsa, neque ex necessitate retinuit, sed gratuita voluntate.

De Dotibus corporis Christi *gloriosi.*

68 Vide *prima secunde, Tract.* 1. *disput.* 2. vbi latè omnes ferè quæstiones agitantur de corpore glorioso, quas omnes in Christo necesse est fateri in summo.

QVÆSTIO VIII.

An Christus *Dominus primò apparuerit Beatissimæ Virgini Matri.*

69 Assero. Ita D. Bonauentura *in Meditationibus*, *cap.* 87. & omnes Catholici, vt refert Suarez *disp.* 49. *sect.* 1. Vide D. Ambrosium *lib.* 3. *de Virg.* Sedulium, Anselmum *de Excellentia Virginis*, *cap.* 6. Rupert. *lib.* 7. *de Diuin. offic. cap.* 25. qui respondet argumento, quod posset fieri ex Marci *cap.* 16. vbi dicitur, primò apparuisse Mag-
70 dalenæ; respondet autem ab Euangelistis describi ea sola testimonia, quæ poterant testari resurrectionem, vel quæ egebant ad firmiter credendum; & hoc indicat etiam S. Doctor *loco citato*.

QVÆSTIO IX.

De Apparitionibus Euangelicis Christi *resuscitati.*

71 Videntur sanè Euangelistæ circa numerum istarum mulierum varij, nam Ioannes solius Mariæ Magdalenæ meminit: Matthæus addit alteram Mariam. Marcus addit Salome, & non dixit alteram Mariam, sed Mariam Iacobi. Lucas verò omissa Salome nominat Ioannem cum duabus Mariis, post addit, *Et cæteræ quæ cum eis erant.* Addit verò S. Doctor *ad* 24. *Lucæ*, nullam esse varietatem, quia omnes enumeratæ profectæ sunt, sed non omnes à singulis numerantur. Profectò incertum apparet, quot fuerint; quæ verò fuerint, patet ex nomine.

72 Magna tamen est difficultas, an fuerint plures Magdalenæ; nam Matthæus, & Marcus dicunt, apparuisse Christum Magdalenæ summo mane, quando iuit ad monumentum; Ioannes verò refert eam post illam apparitionem perstitisse ad monumentum plorantem: ergo hæc nondum viderat Christum: sunt ergo diuersæ.

Deinde arguit Eusebius: Magdalena apud Ioannem non est permissa tangere Christum, cùm illi apparuit: apud alios verò Euangelistas permissa est tangere: Ergo sunt plures.

Præterea Marcus dixit, fuisse eam, de qua septem dæmonia eiecerat; id verò non alia ratione dixisse videtur, nisi vt eam à sorore Lazari discerneret. Itaque has duas Magdalenas discriminant, Clem. Papa *lib.* 3. *Const. cap.* 6. Origenes *Tract.* 35. *in Matth.* & *homil.* 1. *in Cant.* ex his, quæ Hieronymus transtulit. Chrysost. *homil.* 61. *in Ioan.* & 81. *in Matth.* Macarius Ægyptius *homil.* 12. Theophylact. *Marci* 14. Hieron. & Euthym. *Matth.* 26. qui omnes distinguunt Magdalenam peccatricem, à Maria sorore Lazari, quamuis non dicat, fieri vtriusque mentionem in apparitione resurrectionis; sed de hoc taceant, vel potius censeant, solam peccatricem quæsiuisse Christum ad monumentum, cuique Christus apparuit. Atque hanc distinctionem probabilem existimat etiam D. Augustinus *Tract.* 49. *in Ioan.* 73

Sunt etiam, qui duas Magdalenas peccatrices faciunt distinctas à sorore Lazari. Ita Photius Constantinopolit. apud Turrianum super Clementem. Iacobus Faber, & Iodocus Clictouæus. 74

Quoad Seraphicum, primò quidem *loco cit.* existimat, vnam esse Magdalenam, de qua Euangelistæ loquuntur in apparitionibus Resurrectionis; Hanc verò ab omnibus Euangelistis nominari, præcipuè à Ioanne. Hæc est sententia omnium Patrum, & Expositorum, vt refert Suarez *disputatione* 49. *sect.* 4.

Et quidem apud Matthæum, Marcum, & Lucam omnes eandem asserunt.

Eam verò esse eandem apud Ioannem, probatur à Suarez, quia cùm dixisset, Mariam Magdalenam venisse in monumentum, & viso lapide sublato vocasse Petrum, & Ioannem, eosque venisse, & postea recessisse, subdit: *Maria autem stabat, &c.* Quibus verbis relationem habet ad Mariam, de qua prius meminerat. De qua postea subdit: *Venit Maria Magdalena annuncians discipulis.* 75

Quod verò secundùm Ioannem sit eadem Magdalena, de qua loquuntur alij, probatur à D. Bonauentura ex nomine, quæ est grauis coniectura, quando nil obstat, vt notat Suarez.

Quod enim opponebat Eusebius: Respondent S. Hieronymus *epistola* 150. *ad Hedibiam*, *quæst.* 4. & 148. *ad Marcellam*, Eusebius suprà, quem refert Athanasius Nicænus *quæst.* 90. fuisse diuersas apparitiones, & in priori Magdalenam esse reiectam, tanquam incredulam, seu in fide imperfectam; in posteriori verò vel eandem Magdalenam iam firmam, vel alias admissas. Ita S. Doctor ad ea verba Ioan. 20. *Noli me tangere*, quod ex D. Augustino confirmat *Tract.* 120. *in Ioan. serm.* 60. *de verbis Domini*, & 162. & 155. *de tempore*, Hieronymo suprà, Ambrosio *Lucæ vltimo*. 76

Assero secundò, hanc Magdalenam, cui Christus apparuit, fuisse peccatricem, & sororem Lazari. 77

Probatur primò à D. Bonauentura *ad* 24. *Lucæ*, ad ea verba: *Erant autem Maria Magdalena, & Ioanna, &c.* ex illo Marci 16. vbi dicitur: *Maria, de qua septem dæmonia eiecerat*; Hæc autem dæmonia exponunt Patres septem vitia capitalia: Eos refert Suarez *disput.* 49. *sect.* 2. & D. Bonauent. *ad* 7. *Lucæ*. Et idem tenet Ecclesia in officio Magdalenæ peccatricis, quam eandem asserit, quæ & peccatrix fuerat; imò eandem, quæ & soror Lazari. Est autem Sanctorum Patrum sententia, Augustini suprà, Gregorij *homil.* 25. & 33. *Euang.* & *lib.* 6. *Epistola*

Epiſtolarum, *cap.*186. & *epiſt.* 21. Bedæ *lib.* 3. *in Lucam*, *cap.*28. Innocentij *lib. de Myſterus*, *cap.* 57. Ambroſij *lib. de Salomone*, *cap.* 5. Origenis *homil. de Magdalena*, & aliorum apud Suarez, quos ſequitur S. Doctor 24. *Luca*, & *in ſermonibus Magdalena.*

78 Eam verò fuiſſe ſororem Lazari, quæ in reſurrectione recenſetur, probatur: Illa enim, quæ eſt ſoror Lazari, ante ſex dies Paſchæ adhibuit vnguentum odoratum, & cum Iudas peteret venundari, Chriſtus reſpondit: *Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud*: Ioan. 12. ad quem locum obſeruat S. Doctor, non prætendere ibi Chriſtum, vt ſinerent ſeruari totum vnguentum, cum ſuper caput verſaret; ſed partem, vt cum eo iret ad ſepulchrum, hoc deſiderio vngendi, ſicuti futurum præuidebat. Hinc S. Doctor deducit, fuiſſe eandem ſororem Lazari, eamque, quæ fuit ad monumentum in reſurrectione, vt notat etiam Suarez *loco citato.*

79 Deinde Eccleſia in hymno veteri: *Lauda Mater Eccleſia*, canit, fuiſſe eandem, de qua ſeptem vitia exierant, & ſororem Lazari, & quæ prima vidit Chriſtum glorioſum, prima meretur gaudia, quæ plus amabat cæteris, vbi videtur rurſum alludere ad ea verba Lucæ 7. *Dilexit multum*, vt colligit S. Bonauentura ad locum citatum 24. *Luca*, vbi primùm apparuiſſe Magdalenæ ait, quia plus cæteris amabat. Alias etiam rationes huius priuilegij affert ibi S. Bonauentura.

80 Tandem in epitaphio ad ſepulchrum Magdalenæ, ſororis Lazari, legitur apud Maſſiliam, fuiſſe mulierem peccatricem, quæ poſtea ſedit plorans ad ſepulchrum Domini; creditur autem inſcriptum à Maximino, vno è Septuaginta diſcipulis, vt refert Segibertus *lib. de vna Magdalena.*

81 Ad id, quod dicitur Marci 15. *Magdalena, de qua ſeptem dæmonia exierant.* Reſpondet D. Bonau. ad 24. *Luca*, & cum eo Suarez, id dixiſſe non vt diuerſam Magdalenam aſſereret, ſed vt adderet, quod à Matthæo eſt omiſſum, & vt efficaciam Diuinæ gratiæ oſtenderet, & dandam peccatoribus fiduciam, propter quod dicitur Rom. 5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*, & ad oſtendendam Diuinam miſericordiam erga peccatores, & conterendam humanam ſuperbiam. Ideò Matth. 21. dicitur: *Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Quod ſi videtur alicui nouum, quòd Chriſtus ad tam arctam ſecum amicitiam admiſerit peccatricem; ne miremur, quia, vt ait S. Doctor *loco cit.* ipſe Matth. 9. dicit: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Ita reſpondet etiam Suarez.

82 Primò igitur apparuit Chriſtus Magdalenæ: Secundò mulieribus (inter quas Magdalena) redeuntibus ad monumentum: Tertiò Petro; Quartò duobus pergentibus Nicopolim: Quintò diſcipulis congregatis. Itaque quinque ſunt apparitiones eâdem die. Ita D. Auguſtinus *de conſenſu Euang. cap.* 25.

Prima quidem apparitio ex *Marci* 16. eſt clara, & ei conſonat etiam narratio Ioannis.

83 Secunda viſio aſtruitur ex ſententia omnium Patrum, & Expoſitorum, Auguſtini *lib.* 3. *de conſenſu Euang. cap.* 24. Hieronymi *ad Hedibiam*, *epiſt.* 150. Euthymij *cap.* 68. *in Matth.* Theophyl. *Matth.* 28. Chryſoſtomi *homil.* 90. *in Matth.* Tatiani *in Harmonia.* Driedonis *lib.* 3. *dogm. tract. c.* 4. Suarez *diſp.* 49. *ſect.* 3. apud quos cæteri videntur.

Magnam verò difficultatem affert, quia, vt ſuprà opponebatur, Magdalena vetita eſt tangere Chriſtum *Ioan.* 20. at in apparitione facta mulieribus conceſſum: Ergo non fuit eadem Magdalena.

Iam ſuprà reſpondimus cum S. Doctore, vetitam eſſe primò ob fidei imperfectionem, ut Seraphicus apponit; imò ob eandem cauſam dictum eſſe Thomæ, c. 20. Ioan. *Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.*

Deinde ratio videtur repugnare: *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, hoc enim magis eſt ad oppoſitum, quia poſtquam aſcendiſſet ad Patrem, non potuiſſet tangere. Expoſitio enim illa: *Nondum aſcendi ad Patrem*, in mente tua, quia non credis me æqualem Patri, eſt Myſtica, non litteralis. 84

Reſpondetur ex D. Bonauentura, ſenſum eſſe: Adhuc ſum apud te, nondum aſcendi ad Patrem in gloria, vbi mea præſentia diuinitatis perfruaris, & cognoſcas me, ſicuti ſum. Interim expedit, vade ad diſcipulos citò, & annuncia meam reſurrectionem! Itaque iam hoc munere functa, permiſſa eſt cum aliis amplecti pedes Chriſti.

Tertiam igitur apparitionem factam eſſe Petro aſſerit D. Auguſtinus *lib.* 3. *de conſenſu Euang. cap.* 25. Huius verò meminit Paulus 1. *Corinth.* 15. & Lucas, antequam apparitionem factam vndecim recenſeret, dicens: *Apparuit Simoni.* Itaque ante omnes viros primus Petrus Chriſtum vidit, vt notat S. Bonau. *ad* 24. *Luca*, ex Gloſſa Interlineari ad allegata verba, nam etiam ſtatim, ac eadem hora reuerſi ſunt duo illi Emaüs, audierunt, iam Chriſtum apparuiſſe Simoni: Ergo ante alios viros in tertia apparitione viſus eſt à Simone. 85

Quarta igitur apparitio facta eſt duobus meantibus Emaüs, eſt ſenſus Patrum. 86

Dices hi diſcipuli ex Marco nunciauerunt diſcipuli, nec creditum eſt eis. Lucas verò refert, his creditum, quia apparuit Simoni: Ergo priùs apparuit illis duobus, quibus aduenientibus non eſt creditum, deinde Simoni aduenienti, cui creditum eſt à diſcipulis incredulis.

Reſpondet Suarez, aliquos non credidiſſe diſcipulis illis, & aliquos neque etiam Petro.

Quintam verò apparitionem factam eſſe vndecim patet ex contextu Lucæ, qui ait: *Dum hæc loquerentur, ſtetit Ieſus, &c.* ideſt, dum illi duo peruenîſſent Emaüs, diſtante duabus leucis, & dimidia, & ſero iam facto diſcurrerent, *ſtetit Ieſus.* 87

Cæterum videtur repugnare id, quod dicitur congregatos tunc ibi fuiſſe vndecim, vt ait Lucas *cap.* 24. nam *Ioan.* 20. dicit non affuiſſe Thomam.

Reſpondet D. Bonau. ad ea verba Lucæ 24. *Conturbati verò, &c.* ex D. Augſtino *lib.* 3. *de conſenſu Euang. cap.* 25. verè affuiſſe Thomam, quando venerunt duo illi; ſed receſſiſſe, antequam Chriſtus intraret in Cœnaculum. Idem ſentit Beda, Lyranus, & alij *in Lucam*, & hanc eſſe veram expoſitionem ait Suarez *diſp.* 49. *ſect.* 4.

Ita apparitiones hoc ordine recenſet D. Bonau. *lib.* 4. *Compendij Theologicæ veritatis*, *cap.* 23. ad ea verba Lucæ 24. *Et ipſi narrabant, quæ geſta erant, &c.* Et in huius memoriam ait, Sacerdotem inter ſacrificandum quinquies ſe ad populum vertere, ſed tertia vice tacitè, dum ſignat apparitionem factam Petro, quæ non narratur. 88

Poſt diem verò reſurrectionis recenſet S. Bonauentura *locis adductis*, apparitionem factam vndecim Apoſtolis, vt refert Ioannes cap. 20. *Poſt dies octo, &c.* Hæc eſt ſexta apparitio.

Septima facta eſt ad mare Tyberiadis, vt ait 89

S. Doctor *locis adductis*, vt refert D. Ioannes *cap.* 21. Hæc autem asseritur tertia in ordine ad eas, quæ factæ sunt pluribus discipulis in Cœnaculo; cæterùm enim, vel soli Petro, vel duobus euntibus Emaüs visus est, vt notat Suarez *disp.* 49. *sect.* 5.

RESPONDET secundò S. Doctor ad hunc locum: *Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus*. Ioan. 21. non numerati demonstrationes, sed dies demonstrationum; nam quinquies in die Paschæ, semel post dies octo, & septimò ad mare Tyberiadis, Petro, Thomæ, Iacobo, Ioanni, Nathanaëli, & aliis duobus. Id probat ex D. August. *lib.* 3. *de cons. Euang. cap.* 25. & *Tract.* 123. *in Ioannem*.

90 OCTAVA apparitio à D. Bonau. assignatur in monte Galilææ *Matth.* 28. Ita etiam D. Augustinus *lib.* 3. *de consensu*, *loco cit.* Et hæc fuit præcipuè intenta reuelatio, vnde eò direxit discipulos, ideò ibi fuerunt plurimi congregati.

NONA apparitio est in cœnaculo, vt ait S. Bonauentura *locis adductis*, eam refert Marcus *cap. vlt.* Ita D. Augustinus *loco citato*.

91 DECIMA est in Olioeto die Ascensionis. Ità D. Augustinus, & D. Bonauentura suprà. Vide etiam D. Thom. *quæst.* 55 *art.* 4.

ADDE prætereà, sæpe Christum apparuisse, vt colligitur *ex primo Actorum*, & Paulo 1. *Cor.* 15. vt notat D. Bonauentura *lib.* 4. *Compendij Theologicæ veritatis*, *cap.* 24.

QVÆSTIO X.

An Resurrectio CHRISTI *sit causa nostræ resurrectionis.*

D. Bonau. in 4. dist. 43. quæst. 6.
D. Thom. ibi quæst. 6. art. 7.

92 IN hac quæstione Seraphicus expedit, quæ prolixis alij disputationibus intersecant.

ET quidem agendum de causa extrinseca, non enim est huius causa materialis, vel formalis.

DE causa finali: an scilicet nostra resurrectio sit propter Christum, iam id suppono ex dictis *p. p. Tract. de operibus Dei*; licèt resurrectio nostra ad nostrum bonum ordinetur, vt dixi *quæst.* 2.

QVOAD meritoriam satis dictum est hic *disp.* 22. *quæst.* 7.

QVOAD efficientem principalem, satis ostendi *in hac disputatione*, *quæst.* 1. & *seqq.* præcipuè 10. Deum solum posse esse resurrectionis nostræ principem causam.

93 QVÆSTIO ergo remanet de causa Instrumentali Physica, & de Exemplari.

PRIMÒ certum est, Christum virtute suâ, & Angelorum aliquid effecturum in resurrectione. Ita S. Bonauent. *hic*, & *dub.* 2. *lit. eiusdem distinct.* & *in* 3 *dist.* 19. *q.* 1. & *Ioan.* 5.

PROBATVR primò hic, quia 1. *Cor.* 15. arguit Paolus: *Si Christus resurrexit, & nos resurgemus*, quod indicat aliquam causalitatem.

94 PROBATVR secundò hic à D. Bonauentura, & *in dubio citato*, & *loco cit. Ioan.* ex illo 1. Thessal. 4. *Dominus in iussu, & voce Archangeli, & tuba Dei descendet de cœlo, & mortui resurgent.* Et ibi Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.* Hoc autem à Christi humanitate faciendum notat ex D. August. *tract.* 23. *in Ioan.* ante medium.

OBSERVA verò, de eadem voce loqui Christum, 95 & Paulum, vt innuit S. Bonauent. *loco cit. Ioan.* & notant *in Ioannem.* Cyril. *lib.* 12. *cap.* 143. Rupertus *lib.* 5. Euthym. *cap.* 7. & D. Thom. *lect.* 5. & *super Paulum*, Ambrosius, Anselmus, & D. Thomas, & indicant Chrysostomus, Theodoretus, & Oecumenius, & potest ex eo colligi, quia ad vtramque vocem dicuntur mortui resurrecturi. Hanc autem vocem fore sensibilem dixi *parte priori huius disputationis*, *quæst.* 12. Vide ibi.

HVIC addit S. Bonau. hîc illud psal. 67. *Dabit voci suæ vocem virtutis*, vbi Glossa ait, *vocem suscitandi mortuos*.

DEINDE dico, congregationem cinerum factam 96 iri imperio Christi; ministerio tamen Angelorum, licet principaliter à Deo, vt notat D. Bonau. *dist.* 43. *quæst.* 5. *ad vltimum*, & probat ex D. Augustino *in Enchir. cap.* 88. vbi ait: *Non perit Deo terrena materies, sed in quemcunque puluerem, cineremve vertatur, in quoslibet halitus, aurasve diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quemcunque cibum cedat, &c. illi animæ humanæ redit, quæ animauit.* Ita etiam D. Thomas, & cæteri Theologi, vt refert Suarez *disp.* 50. *sect.* 4. & est sententia D. Augustini 3. *de Trinitate*, *cap.* 4. Gregorij 4. *Dial. cap.* 5. & reliquorum Sanctorum. Ratio est, quia Deus per causas secundas operatur, & per superiora administrat inferiora. Hanc autem congregationem agendam à pluribus Angelis, colligitur ex Matth. 24. *Mittet Angelos, &c. & congregabunt electos à quatuor ventis.*

QVÆRES, quomodo Angeli cognoscent cineres 97 singulorum, maximè commixtas; vel factam ex esis aliorum carnibus?

RESPONDET Suarez cum D. Bonau. supra, id euenturum virtute Diuinæ Prouidentiæ, vnde habebunt Angeli cognitionem.

TERTIÒ dico, suscitationem corporum ab ipso Christo exequendam, quoad vnionem animæ cum corpore, non ministerio Angelorum.

PROBATVR à D. Bonau. *hic*, & *ad* 5. *Ioan.* ex illis 98 verbis: *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat; sic & Filius, quos vult, viuificat.* Quæ verba D. August. *tract.* 21. de vniuersali resurrectione exponit, & ait, loqui de Christo-homine, idque colligit ex antecedentibus verbis: *Et maiora horum demonstrabit opera*; Nam propriè hoc humanitati conuenit. Idem etiam colligitur ex sequentibus: *Neque enim Pater iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit Filio.* Videtur enim esse sermo de Filio, vt habet naturam, & voluntatem distinctam à Patre.

NAQVE solùm intelligitur de virtute speciali ad suscitandos aliquos, sed de generali, ideò subdit: *Nolite mirari. Venit hora, quando mortui, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei*; & ita hunc locum intelligunt Patres, Chrysostomus, & Augustinus apud D. Bonauenturam, & Suarez *loco cit.* à quo tamen caue, quia asserit, Christi humanitatem habuisse virtutem Physicam operandi miraculosa opera, cuius oppositum ostendi *disputat.* 15. *quæst.* 3.

PROBATVR secundò à D. Bonau. *hic*, ex 1. Rom. 99 *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum*, vbi potentiam communicatam animæ Christi ostendit, & probat ex resurrectione mortuorum, quos suscitauit viuens, & post mortem resurgens, & quos suscitabit in nouissimo die, vt exponunt Lyranus, Glossæ, Ordinaria, & Interlinearis.

PROBATVR

PROBATVR tertiò à S. Doctore *in psal.29.* vbi postquam descripsit ascensum Christi animæ ab inferna, virtute Diuinâ: *Eduxisti ab inferno animam meam*, & victoriam Christi de morte, ait: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Hanc autem lætitiam causandam ab ipso homine Christo, homines resuscitando, exponit Interlinearis, & ferè D. August. *enar.2. in eum psalmum.*

100 QVOD verò non modò vnio animæ cum corpore, sed neque organizatio causanda sit ministerio Angelorum physico, probatur tum ex dictis *prima primæ, Tract. de Angelis, disp.11.q.1.* tum ex dictis *hac disputatione, p.p. quæst.10.* nam suscitatio est reproductio substantialis, vt dixi *quæst.1.* & soli Deo seruata, vt innui *quæst.10.* neque Angeli habent virtutem influendi substantialiter in potentiam seminalem materiæ, & cum ea constituendi vnum perfectum influxum, quo effectus producatur; sed solùm potest localiter mouere, etsi virtutem haberet more agentis naturalis, adhuc ille non esset semper idem, atque non posset eundem effectum reproducere, vt ostendi *in hac disputatione, quæst.10. partis prioris.*

QVOAD causalitatem exemplarem.

101 ASSERO primò, Resurrectionem Christi esse exemplar nostræ resurrectionis quoad terminum, *ad quem.*

PROBATVR à D. Bonau. *in corpore.* Ratio talis
exemplaris stat in hoc, vt ad eandem vitam resurga-
mus, ad quam Christus resurrexit: Sed talia erunt
corpora nostra, quale fuit Christi: Ergo. Hoc argu-
mentum est D. Augustini *lib.10. de ciuitate Dei,*
cap.29. Maior est nota ex ratione exemplaris. Mi-
nor probatur ex multis Scripturis, Philip.3. *Refor-*
mabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori
claritatis suæ, vt notat D. Bonau. *serm.1. de Ascensio-*
102 *ne.* Idem colligitur *ex 1. Corinth.15.* vbi Christus
dicitur: *Primitiæ dormientium*, & subdit: *Sicut in*
Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viui-
ficabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine, primi-
tiæ Christus: & deinde ij, qui sunt Christi, idest,
quia illi maximè similes, & ideò subdit: *Qualis*
terrenus, tales & terreni: Et qualis cælestis, tales &
cælestes. Sicut portauimus imaginem terreni; porte-
mus & imaginem cælestis. Loquitur autem de ima-
gine gloriæ; & hoc explicat: *Omnes quidem resur-*
gemus, sed non omnes immutabimur. Loquitur autem
de immutatione gloriæ, quæ non est omnibus com-
103 munis. Idem docet Rom.6. *Si complantati facti su-*
mus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis
erimus, & cap.8. *Si Spiritus eius, qui suscitauit Ie-*
sum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Iesum
à mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra.
Et infrà: *Si filij, & heredes: heredes quidem Dei,*
cohæredes autem Christi: Si tamen compatimur, vt &
conglorificemur.

104 RATIO autem sumitur à Suarez ex D. Bonau. *hîc, in corpore, & quæst.1. in corpore, & dist.19. quæst.1.* ibi: Nam caput est exemplar membrorum; & primum in vno quoque genere est exemplar, & mensura aliorum. Cùm igitur Christus sit primogenitus mortuorum, & primitiæ resurgentium, & Caput Ecclesiæ, debet esse exemplar aliorum fidelium, & quoad gloriam pro iustis; & quoad vitam pro incapacibus gloriæ.

105 PRIMò igitur est exemplar omnium quoad vitæ restitutionem, quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.

SECVNDò in perfecta corporis quantitate, non quidem æquali staturæ Christi, sed proportionali, vt colligitur ex D. Augustino *in Enchir. cap.90.* Vide etiam priorem tomum tertiæ huius partis, *quæst.4.*

TERTIò consistet hæc ratio exemplaris in similitudine ætatis. Resurgent enim omnes: *In mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Vide locum citatum.

QVARTò erit similitudo in omnibus sensibus, facultatibus corporis, in pulchritudine, aliisque naturæ ornamentis.

ADDO verò, damnatorum corpora habitura deformitates, in quibus, & cæteris, erunt Christo dissimilia. Addit Suarez, futura illa corpora integra quoad sensus, organa, membra, &c. vt docet D. Thom. *in 4. dist.44. quæst.3. art.1. q.1.* Richardus, Paludanus, & alij *ibidem.* Licet D. Bonauentura, & Durandus oppositum sentiant. Hoc verò perperam dici ostendimus *parte priori disputationis, quæstione vltima.* 106

ASSERO tertiò, Christum resurgentem esse exemplar nostræ resurrectionis, etiam quoad terminum *à Quo* proximum, idest à priuatione vitæ. Id ostendi *priori parte huius disput. quæst.11.* 107

CONFIRMATVR à D. Bonauent. *in 4. dist.43. quæst.2.* Resurrectio enim propriè mortem præcedentem supponit, vt arguit etiam D. Athanasius *lib. de Incarnatione*, ante medium, dicens: *Mortem resurrectionem anteuertere oportet, si quidem resurrectio oriri non potest, nisi mors præcedat.* Idem repetit *serm.3. contra Arrianos.*

NOTA verò fundamenta oppositæ sententiæ, quam sequuntur Chrysostomus *homil.42. in primam ad Corinth.* & *homil.7. in primam ad Thessal.* Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius *in Paulum.* Origenes *lib.5. contra Celsum.* Hieronym. *epist.148. quæst.3.* Augustinus etiam *quæst.3. ad Dulcitium*, anceps propter testimonium 1. *Thessal.* 4. referendum, Gennadius verò de Ecclesiasticis dogmatibus *cap.7. & 8.* hanc sententiam, vt probabilem relinquit. Eam verò docet Tertullianus *lib. de Resurrect. carnis, cap.41. & 42.* & D. Ambrosius 1. *Cor.15.* 108

PRIMVM fundamentum est 1. *Cor.15.* iuxta Græcum: *Ecce Mysterium vobis dico: Non omnes quidem dormiemus; omnes tamen immutabimur.* 109

RESPONDETVR, Vulgatam, quæ est canonica, legere: *Omnes dormiemus.* Imò ex Græcis eodem modo legerunt Didymus Alex. & Achatius Cæsar, & in pluribus codicibus Græcis ita scriptum fuisse testatur D. Hieronymus *epistola 152.* & ita legit D. August. *20. de ciuitate, cap.20.*

SECVNDVM fundamentum 1. Thessal. 4. *Hoc
enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui* 110
viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt. Loquitur autem Paulus de his, qui tempore iudicij viui reperientur, & ait, non esse præuenturos eos, qui dormierunt, vbi supponit, eos non esse dormituros; & quia hic sequi videbatur, hos priùs fore glorificandos, quàm alios; eò quòd resurrectione non indigerent, sicuti illi; admonet Paulus, non ita esse futurum: *Quoniam*, inquit, *ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera.* Scilicet per gloriosam immutationem absque morte, & resurrectione. Ita hunc locum exponunt allegati Patres, præcipuè verò Augustinus fatetur, se nescire, quo alio sensu exponi queat.

ATTAMEN *loco citato de ciuitate Dei*, respondet, Paulum solùm asserere, homines, qui inuenientur viui tempore resurrectionis generalis, esse rapiendos in aëra; non negare tamen esse morituros. Vnde fieri potuerit (inquit) vt in ipso raptu moriantur, & paulo post resurgant. In eandem expositionem inclinant Beda, Anselmus, & alij. Hanc expositionem Suarez impugnat.

112 RESPONDETVR secundò cum Oecumenio, eos, qui tunc viui reperientur, morituros paulò ante generalem resurrectionem; sed quia modicum erit tempus inter mortem, & resurrectionem, ideò Paulus de illis, tanquam de viuentibus loqui, distinctoque modo, quàm de aliis dudum mortuis.

RATIO autem, ob quam docuit, hos non esse præuenturos alios, qui iam dormierant, non est, quia ij non sint morituri, sed (vt ait Oecumenius) quia cum àlij essent multò ante mortui, eorumque cineres essent per orbem dispersi: ij verò paulò ante essent vita functi, & corpora fortasse manerent integra, videri poterat facilius, hos, quàm illos, esse suscitandos; ac propterea ait, non ita futurum, sed tantùm; facilè esse Deo iam diu mortuos, quàm eos, qui tunc ibi erant in momento, & ictu oculi, excitare.

TERTIVM fundamentum est, quia Christus dicitur iudicaturus viuos, & mortuos. 113

RESPONDEO loqui, Symbolum pro tempore, quo fidem profitemur, vt Christus iudicaturus sit iam ante nos mortuos, & nos posteà morituros, quamvis nunc viuos.



DISPVTATIO XLII.

DE ASCENSIONE CHRISTI.



HIc terminatur primus Christi Aduentus, de quo huc vsque egimus; Pauca verò dicenda restant de Ascensione, cùm breuissimè eam Euangelistæ descripserint: Duo tantùm obuiant, de quibus à nonnullis olim dubitatum est: Primum, vtrum Ascensio Christi fuerit corporalis, an verò metaphorica; nam sicut descendisse dicitur, eo quòd Diuinam Majestatem suam sub Humanitate in terris occultauerit; ista ipsum ascendisse obtendebant quidam, eo quod Humanitatem in cœlis ad Diuinitatis gloriam eminentius participandam exaltauerit. Secundum est, quo sensu Christus dicatur sedere ad dexteram Patris: Hæc eximiè explicat S. Doctor *serm.1. de Ascensione Domini*, vbi Christum, tanquam Aquilam prouocantem Pullos suos ad volandum describit, & eleuatum super omnes cœlos, ponentem Sedem suam ad dexteram Majestatis in excelsis; Inter cætera enim commoda, quæ ex Christi Ascensione nobis accrescunt, præcipuum est, quod super nos volans, ad fidei, spei, & charitatis exercitium nos prouocet: nam, vt obseruat Suarez è S. Leone serm.2. de Ascensione Domini: *Magnarum vigor est mentium, & valdè fidelium lumen animarum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere desiderium, quo nequeas inferre conspectum.*

QVÆSTIO I.

An verè CHRISTVS *in cælum ascenderit.*

{ D.Thom.quæst.57.

1 MVLTI ex antiquis Hæreticis negarunt, Christum in cœlos ascendisse, vt referunt D.Aug. *lib.de agone Christiano, cap. 25. & lib. de hæresibus, num.23. & cap.59.* Nazianz. *orat.* 51. Tertullianus *lib. de carne Christi, cap.24.*

ASSERO tamen, Christum corpore in cœlos ascendisse. Est de fide, articulusque in fidei Symbolo notatus.

PROBATVR à D.Bonau. *lib.4. Compendij Theologicæ veritatis, cap.24.* Primò ex primo Actorum; *Videntibus illis, eleuatus est, &c.* Est historica narratio sine tropis. 2

SECVNDÒ

SECVNDÒ ex illo Lucæ 24. *Et factum est, dum benediceret illis, eleuatus est, & ferebatur in cælum.*

TERTIÒ ex illo Psal.46. *Ascendit Deus in iubilatione*, quod à multis Patribus sic exponitur, licet à Cyrillo *cathec.* 14. & Prospero *lib.* 2. *de promiss. Dei, cap.* 31. Mysticum in sensum vertatur.

3 QVARTÒ e psal 67. *Ascendit super occasum Dominus nomen illi. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*, quem locum Paulus *Ephes.* 4. exponit de Christi Ascensione; vt notat Suarez *disput.* 51. *sect.*1. cum Seraphico *hic.*

QVINTÒ ex Ioan.14. *Vado parare vobis locum.* Et Ioan.16. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet, si autem abiero, mittam eum.*

4 SEXTÒ ex illo Isaiæ 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, intinctis vestibus de Bosra?* Vbi Cyrillus in Exegesi ad Achatium, ait: *Vnigenitus Dei verò cum carne sibi vnita rediit, eratque nouum hoc in cælis spectaculum. Obstupuit enim Sanctorum Angelorum multitudo, cum Regem gloriæ, exercituumque Dominum in forma humana cerneret.* Aiebat enim: *Quis est iste, qui venit de Edom? idest, ex terra.* Eodem modo exponit Origenes, coniungens hunc locum
5 cum alio psal.23. *Tollite portas principes vestras.* Tract. 9. in Ioannem. Et Ambrosius *lib. de Instit. Virg. cap.*3. & *lib. de iis, qui initiantur Mysteriis, cap.*7. & Augustinus *serm.*5. *de Resur.* Denique eodem modo exponunt eum locum Dionys. 7. *c. cælestis Hierarch.* Iustinus *Dial. cum Tryphone*, Cyrillus Alex. 12. *in Ioan. cap.* 57. & *super Isaiam*, vbi etiam Hieronymus.

EASDEM Scripturas affert *cap.*14. *in Lucam*, in fine, & *in Meditationibus vitæ Christi, cap.*98. vbi addit illud psal.103. *Ponis nubem ascensum tuum.*

PROBATVR etiam à D. Bonau. *ad* 20. *Ioan.* ex illo: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Mox subdit: *Dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.*

6 ADDIT D.Bonau. *in Compend. loco cit.* aliquas rationes: Prima est, quia opere perfunctus redemptionis triumphum merebatur post pugnas.

SECVNDA, Mediator Dei, & hominum ascendebat, vt staret coram Patre interpellando pro nostris peccatis, suaque merita, ob quæ nobis indulgeatur, exhibendo.

TERTIA, vt fiduciam nobis æternæ hæreditatis porrigeret, vt dicitur Ioan.14. *Vado parare vobis locum.* Ita etiam S. Thomas *art.*1 *ad* 3.

QVARTA, vt mitteret Spiritum sanctum: *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet.*

7 QVINTA, vt desiderium nostrum post se traheret: *Trahe me post te.* Ita etiam S. Thom. *ad* 4. Hinc S. Bonau. addit, quòd Christus ascensurus eduxit eos foras, vt scirent, se non habere manentem ciuitatem. Vide S. Doctorem *locis allegatis*, vbi multa habet præclara.

HÆC, & alia loca affert in serm. de Ascensione, Psal.17. *Ascendit super Cherubim.* Act.7. vbi Stephanus, *vidit Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Vide ibi Seraphicum.

8 OBIICIVNT id Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi, qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Cùm igitur sola Diuina natura descendesit quoad effectus solos: Ergo hæc sola ascendit.

RESPONDET Suarez *disp.*51. *sect.*1. ex D. Bonauent. ad eum locum, & D. August. *Tract.*12. *in Ioan.* Theodoreto; ad Ephes.4. *Qui ascendit, ipse est, qui descendit*, quem locum etiam Seraphicus componit cum illo Ioannis, non alium ascendisse; alium descendisse, sed eandem personam descendisse quoad effectum, & ascendisse corpore. Itaque in 9 descensu non motio localis personæ notatur, sed veritas Incarnationis. In ascensu intelligitur veritas personalis in natura assumpta. In vtrumque verò relatiuum *Qui* personam significat, non naturam, nisi quatenus in natura assumpta. Quod rectè declarat S. Augustinus *lib. de agone Christiano, cap.*25. Igitur eadem persona descendit, cùm non haberet corpus; & ascendit cum corpore. Itaque descensus, & ascensus sumendi sunt iuxta capacitatem, & statum personæ. Idem habet S. Doctor *in* 3. *dist.*22. *dub.*4. *litt.* vbi etiam aliud soluit dubium, si solus ascendit in cœlos, qui & descẽdit: Ergo solus Christus ascendit.

RESPONDET, solum ascendisse propriâ virtute, 10
& solum sedere ad dexteram Patris. Ipsum vide.

RESPONDETVR etiam argumento priori, loqui de descensu ad inferos; & hunc, qui descenderat, ascendisse.

ASSERO secundò, Christum ascendisse vsque ad cœlum supremum. Ita S. Doctor *loco cit. in* 3. *dist.* 22. *dub.*4. *litt.* & *in compendio, & sermonibus.*

PROBATVR à S. Doctore *serm.*3. *Ascens.* ex illo 11
Psal.18. *A summo cælo egressio eius; & occursus eius, vsque ad summum eius.*

PROBATVR secundò à D. Bonauent. *serm.* 4. *Ascens.* ex illo Psal.17. *Ascendit super Cherubim*, & Psal.67. *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*, vt refertur à Paulo *Ephes* 4. Vbi Græcus legit: *In fastigium*, vel *sublimitatem.* Vide Suar.z *disp.*1. *sect.*1.

EST tamen difficultas: An Christus ascenderit 12
super cœlum, etiam empyreum, vt in conuexa eius superficie insideat. Et quidem D. Thomas *quæst.*57. *art.*4. *ad* 2. Caietanus, Nazarius, & alij Theologi asserunt *ad eum articulum*: Et Ferrar. 4. *cont. Gent. cap.*87. Paludanus *in* 3. *dist.*22. *q.*3. Suarez *disp.*51. *sect.*1. negant. Idem videtur S. Bonau. *lib.*4. *Compend. Theolog. cap.*25.

OPPOSITVM verò asserit Durandus *in* 3. *d.*22. 13
*quæst.*8. Syluester *in Rosa aurea*, D.Thom. *in* 3. *d.*22. *quæst.*3. *art.*3. *q.*1. *ad* 1. & alij plures, quos sequitur Tanner. *disp.*2. *quæst.* 3. *dub.*5. *num.*118.

ASSERO, Christum non ascendisse extra empyreum, sed quidem ad partem supremam.

RATIO D.Bonau. & D.Thomæ est, quia corpus 14
Christi, quia est corpus, & nobilissimum, debet poni in loco etiam nobilissimo: Sed summitas empyrei est locus nobilissimus; extra verò empyreum non est inuenire locum: Ergo.

CIRCVMSTANTIAS Ascensionis vide in S. Doctore *ad Euangelium Lucæ, & sermonibus*, & *in Compend. loco cit.* & *in Meditationibus, cap.*97.

QVÆSTIO II.

Qua ratione dicatur CHRISTVS *sedere ad dexteram Patris.*

{ D.Thom. quæst.58.

NOTANDVM primò ex D. Bonau. *lib.* 4. *Com-* 15
pendij Theologicæ veritatis, cap. vlt. quem imitantur D. Thom. *hic, art.*1. Suarez *dispnt.*51. *sect.*3. Tannerus *disp.*2. *de Mysteriis vitæ Christi, quæst.*3. *dub.*5. *n.*121. sessionem Christo attribui, vt Filio Dei, in quo æqualitas cum Patre exprimitur; de quo ad Hebr. 1. & 8. *Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Psal. 109. Attamen etiam Christo, vt ho-

mo est, debet adscribi sedere ad dexteram Dei: *Ascendit enim in cælum, & sedet à dextris Dei*, vt dicitur *Marci* 16. & hæc sessio exprimit potiora dona gratiæ, potestatis, & præmij gloriæ.

16 NOTANDVM secundò cum D. Bonau. *loco cit.* & D. Thoma, hanc dignitatem deduci adeò Christo propriam, vt nulli alij conueniat. Sic Hebr. 1. *Ad quem Angelorum dixit: Sede à dextris meis?*

NOTANDVM tertiò, Metaphoram hanc esse; nam Deus non habet corpus, vnde ad dexteram eius sedeat Christus. Sumitur autem hæc metaphora ex eo, quòd sedere est quiescentis, & iudicantis: dextera verò est honoris, & dignitatis. Quia igitur Christus est in gloria, quæ est summa quies, & in ea summæ dignitatis gloriâ potitur, ideo dicitur sedere ad dexteram Patris.

ASSERO igitur, Christum hominem dici sedere ad dexteram Patris, ratione dignitatis eximiæ, & potestatis gloriæ. Ita Ephes. 1. *Suscitans eum à mortuis, & constituens eum à dextris in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* 17

Ex quo habes, hanc propriè non esse corpoream sessionem; vnde & Stephanus vidit illum stantem, vt notat D. Bonauentura *loco citato.*

DISPVTATIO XLIII.

DE IVDICIO EXTREMO.

PRIOR Christi aduentus erat ad saluandum, posterior erit ad iudicandum; ad vtrumque verò discernendum, sic loquitur de primo Christus, Ioan 3. *Non misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Cum enim meritum, & meriti compensatio sit à Deo, decuit vt priùs mitteret filium, vt in ipso, & per ipsum homines mererentur, deinde in secundo aduentu iuxta merita iudicarentur; Consistet itaque posterior Christi Missio in iudiciaria potestate, cuius materia circa quam erit actus humanus, bonus vel malus: Res etenim aliæ, quæ sunt extra statum libertatis, nequeunt iudicium subire; Porrò in hac Christi potestate plures, nec leues, occurrunt difficultates, quas concors hæreticorum calumnia, & dissonæ sententiæ variis implicant ambagibus; eas exactè elucidare conabimur; Prima igitur est de immanissimo illo peccati monstro, quod Antichristum vulgò nuncupant, ideò dictum, non quòd ante, sed quod contra Christum venturus sit, vt ex nominis ethymologia infra dicam, *quæst.* 4. Huius originem, sedem, prælia, malitiam, aliásque non paucas circumstantias examinabimus: Deinde qui Sancti Christum sint præcursuri, quævè signa, ipsum præcessura, expendemus: Sunt etiam nonnulla differenda, quæ in ipso iudicio interuenient, vt qui sunt iudicaturi, vel iudicandi; denique quædam sunt post iudicium perficienda, vt mundi renouatio, cœlorum quies, perennisque Christi cum sanctis gloria; quæ omnia hac disputatione absoluentes, vtrumque Christi aduentum vno tractatu ad ipsius gloriam complebimus.

QVÆSTIO I.

Quæ potestas Iudiciaria sit Christi.

{D. Thom. quæst. 59.

1 QVICVMQVE futurum Iudicium negant, consequenter etiam iudiciariam potestatem tollunt. Hi sunt omnes Epicurei, negantes animæ immortalitatem, plurimique hæretici apud Suarez *disp.* 52. *sect.* 1.

SOLET deinde hic referri Scotus *in* 4. *distinct.* 48. *quæstione secunda*, negasse Christo datam fuisse potestatem iudicandi; attamen Scotus verè hanc non negat, vt ostendit Vulpes *disputatione* 70. *artic.* 2.

ASSERO

Assxro primò, Christum, vt Deum, hxbete potestatem iudieiariam simul cum Pxtre.

2 Probatvr à D. Bonauentura ek *Danielis* 7. vbi dicitur: *Antiquus dierum sedit*, & Glossa exponit de Patre, & *cap. 5. Ioan.* dicitut: *Pater omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*: At filius non honorificatur æque xc Pxter, nisi vt Deus: Ergo.

Probatvr deinde à S.Doctore. Eius est indicare, cuius est retribuere: Sed retribuere est Dei, vt habetur Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia remunerator est*: Ergo.

Proxatvr adhuc, quia iudicium Christi est inappellabile: Ergo non habet iudicem superiorem: Ergo indicat vt Deus.

3 Probatvr vltimò *in corpore* argumento, quo vtitur Txnnerus *disp. 2. quæst. 4. dub. 3. num. 71.* Absoluta, & independens iudicandi facultas sequitur supremum, & independens dominium, quod commune est toti Sanctissimæ Trinitati.

Qvia verò ad iudicium ferendum tria exiguntur: Potestas, Beatitudo, & Sapientia; & hæc attribuitur filio, ideò ei adscribitur etiam indicare.

Asssro secundò, Christum, vt hominem, habere à Deo iudiciarixm potestatem.

4 Proaatvr à D. Bonauentura primò Ioan. 5: *Pater non iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit filio: & dedit ei potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est.* Ibi autem de extremo iudicio xgi probatur ex sequentibus verbis: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.* Sie explicant etiam S. Augustinus *tract. 19. & 22. in Ioan. lib. 20. de ciuitate, cap. 6.* & *lib. 1. de Trinitate, cap. 13.* Tertullixnus *lib. cont. Praxeam, cap. 21.* Hieronymus *Isaia* 50. Vigilius *lib. 5. contra Eutychen.* Beda *Ioan.* 5. Rupertus *lib. 5. in Ioan.* S. Thom. *quæst 59. artic. 2.* vbi Suarex, & alij expositores, & D.Bonau. *ad 5. Ioan.* cum xliis commentxtoribus.

5 Fvndamxntvm xutem huius potestatis collatæ est vnio ad Verbum, vt notat Suatez *loco citato*, post D.Bonauenturam, qui addit *in corpore*, ideo esse supremam inappellabilem sententiam Christi.

Dsinos probatur à S. Doctore, quia *Matth.* 26. Christus vt homo promulgabit, & feret sententiam: Ergo secundum eam naturam erit Iudex.

Probatvr etiam *in corpore* ex illo Actorum 10. *& præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est iudex viuorum, & mortuorum.* Ibi autem sermo erat de Christo homine; nam xntea dixit, hunc fuisse suspensum in ligno, passionibus maceratum.

6 Deinoe verba illa: *Constitutus est iudex*, significant authoritatem liberè datam, vt notat Suarez *disp. 52. sect. 1.* Et idem eruit S. Doctor ex illis verbis Ioan. 5. *Omne iudicium dedit filio*, si enim iudicium datum est filio, & constitutus est Iudex: Ergo loquitur de filio, vt homo est, nam ea, quæ conueniunt filio ad extra, sunt indiuisibiliter communia Patri.

7 Avverte hic cum Seraphico *ad 5. Ioan.* & Maldonato *ibidem*, eum locum *Ioannis 5. vers. 23.* quem attuli pro prima assertione: *Pater omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*, ostendere datum esse iudicium filio, vt Deus est, sic enim, & non vt homo, meretur honorificari æquè ac Pater, vt notat S. Doctor suprà *in fundamento secundo*, & post eum Suarez *ad art. 1. quæst. 49.* cum Chrysostomo *homil. 38.* Cyrillo, Beda, Theophylacto, & Euthymio. Hilario *lib. 7. de Trinitate, cap. 140.* Augustino *libro de vera relig. cap. 51.* licet obscurè locutus sit apud Tannerum *loco citato*, & Suarez *ad art. D. Thomæ.* Athxnasio *sermone 4. contra Arrianos*, Tertulliano *lib. cont. Praxeam, cap. 16.* Ambrosio *lib. de fide, cap. 4.* Cyrillo *lib. 2. in Ioan.* Ex quo eruunt validissimum contra Arrianos argumentum.

8 Iu autem videtur repugnare xliis verbis positis infrà *vers. 27.* vbi xit: *Dedit ei iudicium facere; quia Filius hominis est*, vbi, postquam dixit, filium habere vitam in semetipso, & suscitare mortuos (vtique loquitur in iudicio) subdit, dedisse ei iudicium faciendi potestxtem, quatenus homini, quo fundamento vtitur S. Doctor *secundo loco.*

Vxrvm non repugnant, nam Christo, vt Filio Dei genito ab æterno, data est potestas suprema ex natura per generationem; sicuti Rex generans primogenitum, generat Regem: at verò potestatem dependentem dedit Christo, vt homini per grxtiam in humana generatione, vt dicitur psal. 2. *Constitutus sum Rex ab eo. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: Ego hodie genui te.* Hoc sensu: *Pater dedit omne iudicium filio*, vt homini, quia ipse vt homo descendet ad iudicium, & in Iosaphat sententiam feret.

9 Igitvr duæ rationes xfferuntur suæ potestatis iudiciariæ, nempe æternx generatio; & temporalis in vnione hypostatica, & ratione prioris probatur à D.Bonauentura, prima assertio; ratione posterioris secunda. Quod verò ait Christus: *Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit filio*, explicatur à D.Bonxuenturx, quod solus filius apparebit iudex in formx assumpta humana, & in humana persona est. Ità exponit D. Augustinus *lib. 1. de Trinitate cap. 13. Tract. 21. in Ioan.* Hieronymus *in 27. Isaia*, & *ad psal. 74.* Indicat Cyprianus *lib. 3.* contra Iudæus *cap. 28. & lib. 3. ad Quirinum, cap. 33.* qui de Christo homine locum illum exponunt: *Pater non iudicat quemquam*, ex quo etiam soluitur difficultas, qua ratione pro vtraque xssertione allegetur.

10 Vsrvm difficultatem facit, quod omne iudicium sit à Patre ademptum, & datum filio, vt Deus est, nam sicut dominium est irrenuntiabile, ita & iudicium. Propter hanc difficultatem S.Augustinus *loco citato de Trinitate*, hanc expositionem deseruit.

11 Potsst igitur sic verificari, vt Pater solus non iudicet sine filio, sed cum eo, & per eum. Ita Suarez *loco citato.*

QVÆSTIO II.

An Christvs *iudicet singulos in morte.*

12 Hìc dubium occurrit: an iudicium formetur etiam in morte singulariter de quolibet.

Fvit enim opinio Lactantij *lib. 7. de Diu. Inst. cap. 21.* negantis: Et possent adduci etiam Patres negantes, xnimas ante diem iudicij vltimum recipere præmium.

Verà tamen, & Catholica sententia est affirmatiua.

Probatvr à D. Bonauentura ad illud *Luca 16. de diuite, & mendico*, vbi diues statim post mortem deiectus in infernum; & mendicus allatus dicitur in sinum Abrahæ: diues xutem clamabat, se cruciari linguâ; quod S. Doctor ponderat ex Dei

iudicio inflictum, vt peccata linguæ puniret. Hoc
13 argumentum est D. Augustini *lib.* 20. *de ciuitate, capite* 1. & *lib.* 2. *de anima, & eius origine, cap.* 4. vbi ait: *Illud rectissimè, & valdè salubriter creditur, iudicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari.* Et infrà: *Quis aduersus Euangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, vt in illo paupere, qui post mortem oblatus est in sinum Abrahæ: & in illo diuite, cuius infernus cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat?* Idem argumentum est etiam Irenæi *lib.* 2. *contra hæreses, capite* 62. & 63.

IDEM probatur illis authoritatibus; quæ astruunt, Sanctos post obitum in cœlum asportari ad beatitudinem, vt vidimus *prima secunda, Tract.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 19.

14 QVÆRES, quo tempore hoc iudicium fiat.

COMMVNITER respondetur, in instanti separationis animæ, eam cognoscere suum statum, nam ante hunc punctum adhuc in via sumus, licèt aliquando Deus terruerit aliquos; post illum verò, iam finis est viæ. Ita loquitur D. Bonau. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 5. in fine *resolutionis.*

DICES. In instanti separationis anima iusta, & pura sit beata; & peccatrix torquetur: Ergo ante illud instans fit iudicium.

15 SVAREZ *disp.* 54. *sect.* 2. refert, aliquos negare Antecedens, quia in instanti separationis anima audit sententiam, & post illud instans vel beatur, vel punitur. Pro hac responsione refert D. Bonauenturam *in* 4. *dist.* 20. *parte prima.* Sic refertur etiam à Tannero *disput.* 2. *de mysteriis vitæ Christi, quæst.* 4. *dub.* 3. *num.* 79. neque referunt locum indiuiduum, & reprehendunt Seraphicum, quia (inquiunt) in instanti separationis recipitur præmium, vt ait Apostolus: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

ADDIT Suarez, malè etiam dicere Bonauenturam, quod anima in instanti separationis est iuxta corpus audiens sententiam, quod (ait) est falsum, nam in instanti separationis non potuit esse factus motus localis animæ, transeundo per medium.

16 PERLEGI ego non semel totam illam distinctionem, & primò nullibi dicit S. Bonauentura, animam in instanti separationis reperiri extra corpus, & iuxta illud; imò oppositum ait: Alterum verò sic asserit *quæst.* 5. *in corpore:* Credendum est, quod in egressu animæ à corpore assistant Spiritus, & tunc secundùm veritatem ferri sententiam, & si bona est per ministerium boni Angeli, vel adducitur in cœlum, vel in purgatorium, quousque postquam purgata fuerit, per eius ministerium educatur: Si verò sit mala, per ministerium dæmonum deducitur in infernum.

17 HINC habes primò, animam non fuisse egressam in instanti separationis, sed educi postea, ita vt instans separationis sit vltimum non esse motus localis ex mente S. Bonauenturæ.

QVOD verò in eo instanti non sit beata, probatur, quia beatitudo debet conferri post latam sententiam, qua declaretur digna, & tunc debet ipsa anima cognoscere suum statum, ad hanc verò cognitionem requiritur omnino instans saltem, ita vt non modò natura, sed duratione antecedenter hoc fiat, vt naturaliter fiat (esto posset Deus posterius solùm conferre naturâ beatitudinem) Addo, S. Doctorem non omnino astruere posterioritatem durationis.

HINC etiam eruo, non esse necesse, vt anima ad tribunal Christi in cœlum deferatur, aut Christus descendat, sed satis esse, vt intellectualiter rapiatur ad suum statum cognoscendum.

VBI aduerte, D. Bonauenturam *ad* 12. *Lucæ* in 18
illa verba: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis; vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei;* asserere cum D. Gregorio *homil.* 13. *in Euangelia,* Christum ad iudicium descendere, non quidem corporaliter, vt putant aliqui, sed manifestando singulis animabus earum meritum, & præmium, vt notat S. Bonauentura, & hoc solùm vult Innocentius III. *lib.* 2. *cap.* 43. *de contemptu mundi,* & Ludolphus Chartus. *tomo* 3. *cap.* 46.

ALIQVI dicunt posse realem aduentum Chri- 19
sti ad singulorum mortem probari ex illo Ioan. 14. *Si abiero, & præparauero vobis locum: & iterum veniam, & recipiam vos ad me ipsum, vt ibi sum ego, & vos sitis.* Verum, vt notat S. Doctor, ibi loquitur de reditu reali ad iudicium extremum, vbi etiam Apostoli non solùm animabus, sed resuscitati erunt cum Christo.

ADDIT S. Doctor *ad cap.* 12. *Ioan.* hanc potestatem iudiciariam non fuisse Christo datam, vt vteretur eâ pro tempore vitæ mortalis, nam ideò di-
xit: *Non veni, vt iudicem mundum,* & Ioan. 3. *Non* 20
misit Deus filium, vt iudicet mundum; sed post resurrectionem, & sic concordat S. Doctor hunc locum cum illo Ioan. 5. *Pater non iudicat: sed omne iudicium dedit filio.* Suarez verò *loco citato,* & Tannerus *num.* 8. qui potestatem negant Christum habuisse in vita, non satis poterunt respondere huic vltimo loco Scripturæ. Melius ergo dicitur à Seraphico, hanc potestatem Christo collatam in Incarnatione, cum facta est vnio hypostatica. Et ideò Christus vtitur hac ratione ad probandum, se rectè fecisse in Sabbatho, sanando paralyticum, vt fatetur Suarez *quæst.* 49. *art.* 1. vt ostenderet, se adhue mortalem authoritate pollere supra hominum vitas, & animas, esto iudicium non esset exer-
cendum, nisi post resurrectionem. Et hæc consona 21
sunt his, quæ diximus *disp.* 24. *quæst.* 5. datam esse Christo in Incarnatione dignitatem regiam.

QVÆSTIO III.

An futurum sit vniuersale Iudicium, à CHRISTO *faciendum.*

{ D. Bonau. loco citato.

ALBANENSES hæretici negarunt iudicium 22
vniuersale, vt refert Guido Carmelita.

ASSERO de fide, futurum Iudicium vniuersale, in quo Christus erit supremus Iudex.

PROBATVR primò ex dictis *quæst.* 1. & *in* 3. *dist.* 25. vbi id probat S. Doctor è Symbolis, Apostolico, Nicæno, & Athanasij.

PROBATVR à D. Bonauentura *in* 4. *distinct.* 48. multis Scripturis, præcipuè *Matth.* 24. & 25. vbi historica prophetia iudicij apponitur.

PROBATVR secundò à S. Doctore *ad* 22. *Lucæ,* vbi historia narratur iudicij futuri. Vbi plurimas intermiscet Scripturas.

PROBATVR tertiò à S. Doctore *septima parte* 23
Breuil. cap. 1. ex *Apoc.* 20. vbi Iudicium describitur.

MVLTAS etiam congruentias *ibidem* affert. Præcipua verò est, quia cùm Deus sit à seipso, & propter

ter scipsum optimum principium, optimusque finis, creauit homines, vt à Diuina virtute producti, ad Diuinam tenderent bonitatem, & hoc mediis proportionatis, libero nempe arbitrio, & Diuino auxilio, promittens eis præmia beatitudinis; & intimas pœnas æternas transgressoribus. Vtrorumque autem debet esse consummatio, vt ad præmia, vel pœnas pro meritis deducantur, & Diuina virtus, & iustitia, veritas, & bonitas in terminando appetitum dignorum.

24 QVAMVIS autem in morte detur cuique pro meritis, vt dicitur Ecclesiastici 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique iuxta vias suas: & in fine hominis denudatio operum illius*, & Heb. 9. *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem iudicium*, vt exponit Ambrosius, Anselmus *ibi*, & docet Chrysostomus *homil. 37. in Matth.* Tertullianus *lib. de anima, cap. vlt.* Augustinus 20. *de ciuitate cap. 1.* & *lib. 2. de anima, cap. 4.* & alij; attamen quia nunc adhuc sunt obscura multorum merita, & demerita, & aliqui damnati, vel damnandi, decipiunt vulgi opinionem; & alij iusti miserè pereunt in ore Criticorum; hinc oportet, vt fiat iudicium vniuersale, & aperiantur in conspectu om-
25 nium libri conscientiarum, vt prædixit Ioan. *Apoc.* 20. vt occulta cætera innotescant, & palam fiat iustitia Dei: Nam liber ille, vt ait D. Augustinus 20. *de ciuitate, cap. 14.* est vis, qua fiet, vt ad memoriam cuiuslibet cuncta mirabiliter reuocentur, vt lucidè appareat æquitas diuinorum iudiciorum in apertissimo lumine veritatis.

26 ALIAM congruentiam subdit, quia debet fieri iudicium modo humano à Iudice homine, & simul inappellabili potestate prædito: & hic est Christus, qui est homo, & Deus. Eadem habet D. Thom. *quæst. 59. art. 5.* vbi Thomistæ, & Tannerus *disp. 2. quæst. 4. dub. 3. num. 81.* Itaque venturus est iudicare viuos, & mortuos.

OBIICIVNT primò illud Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi:* Ergo iam factum est.

27 RESPONDET D. Bonauentura ad eum locum, factum esse iudicium contra diabolum, & ideò subdit: *Et Princeps huius mundi eiicietur foras.*

QVÆSTIO IV.

An Iudicium præcursurus sit Antichristus, & quis sit.

28 ANTEQVAM formam iudicij, & circumstantias discurramus, oportet ea, quæ præitura sunt, præmittere, Inter quæ computarunt Antichristus. Nomen autem Antichristi significat vnum oppositum Christo; vox enim ἀντὶ significat oppositionem, vt notauit Damascenus 4. *de fide, cap 27.* Hieronymus *epistola 151. quæst. 11.* Augustinus *Tractatu 3. in primam Can. Ioan.* Bellarminus *lib. 3. de Romano Pontifice.*

29 HÆRETICI huius temporis dicunt, Antichristum non esse personam aliquam præcurrentem Christi aduentum, sed esse quendam Potentatum per multos, sibi succedentes, & hunc audent attrita fronte proclamare Romanum Pontificem. Ita Lutherus *in supputatione temporum*, & *in assertione artic. 8. & 36.* & alibi passim. Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 7. §. 23.* Magdeburgenses *Centur. prima lib. 2. cap. 4. colum. 434.* & *sequentibus*, & in omnibus sequentibus Centuriis *cap. 4. 7. & 10.* Illyricus *lib. de Primatu.* Dauid Chytræus *in cap. 9. & 13. Apoc.* Vuolfgangus Musculus *in locis communibus, titulo de Ecclesia*; Theodorus Beza *in cap. 2. epistola secunda ad Thessal.* Theodorus Bibliander *in chronico, tabula 10. 11. 12. 13. & 14.* Henricus Pantaleon *in cronologia*, Henricus Bullingerus *Præfac. in suas homilias, ad Apocal.* & ante hos omnes Ioannes Vuicleph. *art. 30.* inter eos, qui damnantur in Concilio Constantiensi. Hi omnes Pontificem Romanum, Christi hostem, & Antichristum conclamant ore sacrilego.

SECVNDA sententia est, Antichristum non es- 30
se aliquem determinatum hominem, non tamen Pontificem Romanum; sed quemcunque Christi hostem insignem.

TERTIA sententia est, Antichristum fore determinatam personam, non tamen hominem, sed Dæmonem insignem in forma humana. Ità D. Hyppolitus *lib. de consummatione mundi.*

QVARTA sententia est, futurum verum hominem, & Dæmonem, seu Dæmonem incarnatum: Indicat hoc Theodoretus *lib. 5. diu. decret. c. de Antichristo.* Citari etiam solent Ambrosius *secunda Thessal.* 2. Hieronymus *Daniel.* 7. Beda *Apoc.* 13. sed nil clarum habetur.

VERA, & Catholica sententia est, Antichri- 31
stum fore vnam personam, verum hominem, & hostem insignem Christi. Eum verò non esse Romanum Pontificem, sed quendam hominem singularem pessimum, qui iudicium vltimum præcedet. Vide Banderum *lib. 1. de visibili Monarchia*, Bellarminum *lib. 3. de Romano Pontifice*, Pererium *lib. 14. & 15. in Danielem*, Suarez *Tom. 2. in 3. partem disp. 54. sect. 1.* Valentiam *Tom. 4. disputat. 11. quæst. 2. puncto secundo.*

ASSERO primò, Antichristum futurum quendam hominem indiuiduum.

PROBATVR à D. Bonauentura primò *libro 7.* 32
Compendij Theol. cap. 7. & *serm. 16. Hexaëmer.* ex secundo cap. secundæ ad Thessal. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Ex sententia omnium est sermo de Antichristo, & loquitur Apostolus de persona particulari, vt ex Græcis articulis ostendit Bellarminus *cap. 2.*

PROBATVR secundò à S. Doctore *ibi* & *serm.* 33
15. Hexaëmer. ex *Genes.* 49. vbi Iacob loquens Dan, filio suo, ait: *Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita, &c.* Hunc locum de Antichristo singulari homine exponunt Irenæus *lib. 5.* Hyppolitus Martyr *lib. de mundi consummatione*; Ambrosius *lib. de benedict. Patriarch. cap. 7.* Augustinus *quæst.* 22. *in Iosue*, Prosper *de promiss. puncto* 4. Theodoretus *quæst. 109. in Genesim*, Gregorius *lib. 31. mor. capite 10.* Beda, Rupertus, Arethas, Richard. Ansel. *in Apocal. cap. 7.* & alij, quos refert Lippomanus *in Genesim*, Suarez *disp. 54. sect. 2.* Bellarminus *lib. 3. de Rom. Pontifice cap. 12.* qui tamen aduertunt, non esse adeo certum argumentum, quia etiam de Sampsone explicatur locus ille ad litteram; de Antichristo autem videtur allegoricè exponi: Attamen authoritas tot Patrum est magna, saltem quoad probandum, eum futurum hominem vnum; generatio enim est veri vnius hominis, vt notat Suarez *disp. 54. sect. 1.*

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *loco citato* 34
cap. 8. ex Vaticiniis *Danielis 7. 11. & 12. cap.* vbi

loquitur

loquitur de Antichristo, vt docet Hieronymus, & Theodoretus *ibi*. Irenæus *lib*. 5. Augustinus *lib*. 20. *de ciuitate, cap*. 23. Irrepit Calvinus, Magdeburgensis, & Beza *supra*. Ibi autem loquitur de Antichristo, tanquam de vno homine, vt etiam fatetur Calvinus, qui ait, ad litteram loqui de Antiocho illustri, & allegoricè de Antichristo, cuius figuram gerebat Aotiochus, quod etiam docet Cyprianus *lib. de exhort. Martyrij, cap*. 11. Hieronymus *in cap*. 11. *&* 12. *Danielis*.

35 PROBATVR quartò à S. Doctore ibi, & *ferm*. 16. *Hexaemer*. *ex* 13. *&* 17. *Apoc*. quæ loca intelligi de Antichristo docet Irenæus *lib*. 5. & perspicuum est è similitudine verborum Danielis, & Ioannis. Vterque enim mentionem facit decem regum, qui erunt in terra quando veniet Antichristus, & vterque Antichristi regnum tribus annis, & dimidio duraturum asserit. Sicut ergo Daniel de vno certo Rege loquitur, ita & Ioannes. Hunc autem Ioaones asserit, acclamaturum se Deum. Tandem multi Patres obseruant, eandem esse bestiam visam à Daniele, & Ioanne, eamque esse Antichristum.

36 PROBATVR quintò à S. Doctore *ad cap*. 5 *Ioan*. ex illis Christi verbis: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Hunc locum de vno homine Aotichristo exponunt Chrysostomus, & Cyrillus *in hunc locum*. Ambrosius 2. *Thessal*. 2. Hieronymus *epistola ad Algasiam, quæst*. 11. Augustinus *Tract*. 29. *in Ioan*. Irenæus *lib*. 5. *contra Hæreses Valentini*, Theodoretus *in Epitome diuinorum decretorum, cap. de Antichristo*, & alij. Vide *ibi* S. Bonauenturam.

CONFIRMATVR à S. Doctore ex textu, nam Christus ponit antithesim inter se, & alium, sanè inter se reprobatum à Iudæis, & alium acceptandum in Messiam. Igitur alium singularem hominem sibi opponit, non autem fallos prophetas in genere, vt putant Calvinus, & Mosculus apud Marloratum in commentario huius loci. Idem obseruat Bellarminus *cap*. 2. Suarez *loco citato*, Valentia *disp*. 11. *quæst*. 1. *puncto* 2. §. 1. Tannerus *Tom*. 3. *disp*. 1. *quæst*. 4. *dub*. 5.

37 ASSERO secundò, futurum Antichristum verum hominem, & veram insoper personam humanam, non autem Dæmonem incarnatum. Ita Damascenus *lib*. 4. *cap*. 27. & alij Patres. Patet *ex disp*. 8. *quæst*. 1.

ASSERO tertiò, Antichristum nondum venisse contra plurimos dicentes venisse. Inter hos Lactantius *lib*. 7. *cap*. 5. *diuinarum instit*. asseruit, venturum circa annum 500. à Christo, & Episcopus quidam Florentinus, circa annum 1105.

38 HÆRETICI verò huius temporis, cùm asserant Papam Antichristum, dicunt, eum natum in aliquo Papa. Sic Samosateni astruunt natum paulò post tempora Apostolorum. Illyricus *in Catalogo testium* dicit, natum circa tempora Honorij Imperatoris. Dauid Chytræus asserit, natum circa annum 600. & primum fuisse S. Gregorium. Lutherus *in supputat. temporum* ait, venisse Antichristum cum gladio spirituali circa annum 600. & cum gladio temporali circa 1000. Vide Bellarminum, hos impios conterentem.

39 PROBATVR ergo primò assertio nostra à D. Bonauentura *in Compend. Theol. lib*. 7. *cap*. 7. quia ante Antichristi aduentum futura est totalis desolatio Romani Imperij: Hoc autem probat D. Bonauentura ex illo Thessal. secunda, cap. 2. *Ne quis vos seducat vllo modo; quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus. Num retinetis, quod cùm essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat, scitis, vt reueletur in suo tempore*. Itaque vult detineri, ne veniat Antichristus, quia oportet prius Romanum imperium auferri. Ita exponunt Patres Græci, & Latini, Cyrillus *catech*. 15. Chrysostomus *in hunc locum*, Theophyl. & Oecumenius.

Ex Latinis Tertullianus *in Apologetico, cap*. 32. 40
Lactantius *lib*. 7. *cap*. 15. Ambrosius *ad eum locum*. Clarissime Hieronymus *ad Algasiam* sic exponit: *Nisi venerit discessio primum, vt omnes gentes, quæ Romano Imperio subiacent, recedant ab eis, & nisi fuerit Romanum Imperium antea desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet: tantùm vt Romanum Imperium, quod nunc vniuersas Gentes tenet, recedat, & è medio fiat, & tunc Antichristus veniet*. Idem habet D. Augustinus 20. *de ciuitate, cap* 19.

RESPONDET Suarez *disp*. 56. *sect*. 2. ibi loqui 41
de spirituali Apostasia, vt ait S. Leo *sermone* 1. *de Apostolis*, & Chrysostomus cum aliis Græcis, & D. Augustinus.

RESPONDETVR, Augustinum, Chrysostomum, & alios Græcos nobiscum esse: D. Leonem verò non excludere nostram sententiam. Vide Bellarminum *cap*. 5.

DEINDE & Daniel *cap*. 7. *vers*. 23. id prædicit de quarta Bestia, quæ est Romanum Imperium, vt notat Tannerus *disputatione* 2. *quæstione* 4. *dub*. 1. *numero* 13.

IAM verò neque annu 200. id impletum est, vt 42
volebant Transyluani, quia tunc florebat Romanum Imperium. Neque postea decidit Romanum Imperium, vt patet; nam adhuc Rex Romanorum eligitur, vt fiat Imperator, & omnes Reges præcedit, & hic eligitur à Principibus, inter quos tres Lutherani nunc sunt, vt gloriantur ipsi Protestantes.

IDEM lapsus Romani Imperij totalis asseritur *Danielis* 2. *Apoc*. 13. vt probat Irenæus *lib*. 5. Idem habetur *Apocal*. 15.

HINC ruit effugium aduersarij, sufficere decli- 43
nationem Romani Imperij, vt indicetur venturus Antichristus; nam Patres, & Scripturæ exigunt desolationem.

INSTANT Lutherus, Illyricus, & Chytræus, hæc pro se facere, nam prædictum erat *Apocal*. 13. Bestiam, quæ Romanum Imperium significabat, vulnerandam ad mortem, & ab Antichristo iterum sanandam, quod sanè factum est, cùm Papa Imperium occidentale, quod iam erat periens, restaurauit, conferens Carolo Magno titulum Imperatoris.

RESPONDET S. Doctor *cap*. 9. nusquam habe- 44
ri, sanandam bestiam, quæ Romanum Imperium significat, sed solum vnum ex capitibus bestiæ moriturum, & paulò post iterum resurrecturum operâ Draconis, idest, Diaboli, sanandum id, quod omnes ferè veteres exponunt de Antichristo, qui finget se mortuum, & iterum operâ diaboli se excitabit, vt imitetur veram Christi resurrectionem. Ita exponunt D. Gregorius *lib*. 11. *epistola* 3. Primasius, Beda, Haymo, Anselmus, Richardus, & Rupertus *in* 13. *Apocal*. Et sanè illud caput Bestiæ mortuum reuiuiscens non potuit esse Carolus Magnus, sed Antichristus, nam caput illud potestatem habuit

buit

buit solùm menses quadragintaduos, & blasphemabat Deum, & eos, qui in cœlo habitabant: at Carolus Magnus Deum coluit, & regnauit multò diutius, magna Religionis Catholicæ, ac pietatis Christianæ monumenta relinquens, vt disserit etiam D. Bonau. *serm.16. Hexaem.*

35 PROBATVR secundò à S. Doctore *loco citato*, & & *cap.12.* quia venturi sunt Henoch, & Elias, vt se opponant Antichristo; hi autem nondum venerunt. Quatuor autem Scripturæ id prædicunt.

PRIMA Malach. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus. Et conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad patres.*

SECVNDA Ecclesiastici 48. *Qui receptus es in turbine, in turbine equorum igneorum. Qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob,* & cap. 44. *Henoch translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.*

TERTIA Matth. 17. *Elias quidem venturus est & restituet omnia.*

QVARTA Apocal.11. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus* 1260.

36 THEODORVS Bibliander *in Chronico, tabula* 14. respondet intelligi per Eliam, & Henoch ministros Dei fideles contra Antichristum, quales sunt Lutherus, Zuinglius, & cæteri. Idem ait Chytræus *ad* 11. *Apocal.*

AT ineptè loquuntur isti, nam Malachias dicit, ab Eliam, & Henoch conuertendos Iudæos, dum ait: *Mittam vobis*, & Eccles. 48. *restituere tribus Iacob.* at Lutherus, aut Zuinglius, vel cæteri sectarij Iudæos non conuerterunt, sed omnia susdeque vertere conati sunt.

37 INSTANT, ea, quæ de Elia dicuntur, exponi à Christo de Ioanne, Matth. 11. *Ipse est Elias*, & Hieronymus *in cap. 4. Malachiæ* exponit de omnibus prophetis. At verò Malachias loquitur de die magno, & terribili, idest, iudicij; non de primo aduentu, quo venit Ioannes, ille enim dies dicitur acceptabilis.

QVOAD Hieronymum *Matth.* 11. & 17. exponit de vero Elia, & hanc esse communem fidelium expositionem testatur D. Augustinus 20. *de ciuitate Dei, cap.*29. Confirmatur, quia Christus *Matth.* 17. cùm Ioannes iam esset officio perfunctus, asserit: *Elias venturus est.* Et quidem Apostoli, qui mouerunt quæstionem, locuti sunt de vero Elia, qui in transfiguratione apparuerat. Et de hoc asserit: *Ipse restituet omnia*; at Ioannes non reduxit omnia, idest omnes Iudæos, & hæreticos, ac deprauatos non conuertit.

38 INSTAT Bibliander, Christum *Matth.* 11. dixisse de Ioanne: *Ipse est Elias, qui venturus est.*

RESPONDETVR asserere eum Eliam mysticum; vnde ait: *Qui habet aures, audiat*, vt notat S. Bonauentura *ad* 2. *Ioan.* ex D. Augustino *Tract.* 4. Quod etiam id intelligatur *in Apoc.* de Elia, & sancto eius commilitone Henoch, probatur, nam dicit, occidendos, & corpora tres dies mansura in platea, & postea resurrectura.

RESPONDET Chytræus, id significare, multos ministros Lutheranos interficiendos à Papistis. Verum hæc leuia sunt. Dicat mihi, qui sunt hi duo Lutherani, induti saccis, qui interfecti à Papistis resurrexerunt?

39 DEINDE, futurum verum Eliam, probatur ab Hilario, Hieronymo, Origene, Chrysostomo, & aliis *ad* 17. *Matthæi.* Lactantio *lib.7. cap.*17. Theodoreto *in capite vltimo Malach.* Augustino *tract.*4. *in Ioan.* Primasio *in cap.*11. *Apocalypsis.*

DE Henoch, & Elia simul asserunt multi, qui scribunt *in Apoc.* vt Beda, Richardus, Arethas, Damascenus *lib. 4. cap.* 28. Hyppolitus Martyr *de consummatione mundi.* D. Gregorius *lib.*14. *cap.*11. *vel* 12. & *lib.*9. *cap.*4. *Moral.* & D. Augustinus *lib.* 9. *cap.*6. *de Genes. ad lit.* & alij Patres. Vide Suarez *disp.*55. *sect.*1.

PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *cap.*13. ex persecutione Antichristi, quæ erit omnium grauissima, & notissima, vt censent omnes publicæ religionis cæremoniæ. Vnde Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque erit; Et nisi abbreuiati essent dies illi, non fieret salua omnis caro.* 40

TVNC verò *cessabit iuge sacrificium*, vt dicitur *Daniel.* 12. vt notant Irenæus *lib.* 5. Hieronymus, & Theodoretus in hunc locum, Hyppolitus Mart. *loco citato*, Primasius *in cap.* 11. *Apoc.* Iam verò nondum cessauit sacrificium: Imò ex hoc sequitur, Romanum Pontificem non esse Antichristum, sed potius hæreticos, qui sacrificium tollere nituntur, esse Antichristi præcursores.

PROBATVR quartò à S. Doctore *loco citato*, quia Antichristus regnabit solùm tres annos, & dimidium: at Papa regnauit supra 1675. annos. Porrò Antichristum regnaturum tres annos, & dimidium probatur *ex Danielis cap.7. &* 12. & *Apoc. cap.* 12. vbi habetur, duraturum regnum Antichristi per tempus, & tempora, & dimidium temporis, qui sunt tres anni, & dimidius. Sic enim Ioan. *cap.*11. & 13. ait, regnaturum mensibus 42. & *cap.*11. dicit, Henoch, & Eliam prædicaturos diebus 1260. qui idem tempus efficiunt, nam Hebræi vtebantur annis, & mensibus Lunaribus, etiamsi eos reuocarent ad solares, addendo sexto quoque anno vnam Lunationem. Tres autem anni Lunares cum medio faciunt quadragintaduos menses, siue 1260. dies. Si quidem annus Lunaris plenus, & perfectus constat duodecim mensibus, quorum quilibet habet triginta dies, vt docet Augustinus *lib.* 15. *de ciuitate, cap.*14. 41

NEQVE obstat, quod *Danielis* 12. dicitur Antichristus regnaturus 1290. diebus, idest dies triginta amplius, quàm dixerit Ioannes; nam Ioannes loquitur de Henoch, & Elia, qui ab Antichristo occidentur vno mense, antequam Antichristus pereat. 42

HOC spatium regni Antichristi asserunt Hyppolitus Martyr *loco citato*, Irenæus *lib.* 5. Hieronymus *in cap.7. Danielis*, Cyrillus *catech.*15. Augustinus *lib.*20. *de ciuitate, cap.* 23. Theodoretus *in cap.7. Danielis*, Primasius, Beda, Anselmus, Haymo, Arethas, Richardus, Rupertus *in Apocalypsim.*

HINC eluduntur responsa Hæreticorum dicentium, poni dies pro annis, vel numerum certum pro incerto: 43

CONFIRMATVR à D. Bonauentura *loco citato*, & *ad cap.*12. *Ecclesiastæ.* Nam *Matth.* 24. *Apoc.* 12. & 20. dicitur futura breuis persecutio Antichristi, vt quantò est magis intenta, tantò minus extendatur duratione, vt notat S. Doctor ex Glossa *in loco citato Matthæi*, & vt notat D. Augustinus 20. *de ciuitate, cap.*8. & Gregorius lib. 33. Moral. cap. 12. *Nisi breuis esset illa persecutio, multi perirent, vt dicitur Matth.* 24. At quomodo erit breuissima, si durabit tot annos, quot dies numerantur?

OBIICIT Chytræus primò, sæpè diem pro anno 44

anno sumi, vt Lucæ 13. *Oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, & die tertia consummor*, ità & Ezechielis quarto.

S. Doctor ad eum locum concedit, posse intelligi tres annos, quibus Dominus prædicauit, non tamen id necessariò intelligendum, quia, vt scribit S. Hieronymus *lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in Ioannem*; & res ipsa patet; Matthæus, Marcus, & Lucas non scripserunt acta, & verba Christi priorum duorum annorum, sed solùm tertij anni. Dominus igitur per tres illos dies, vel intellexit triduum, quod erat consumpturus in itinere Hierosolymitano, vt Albertus, & Caietanus exponunt; vel certè, modicum tempus significans sibi reliquum esse vitæ, vt exponit Iansenius.

45 Ad illud Ezechielis respondetur, præceptum fuisse, vt dormiret 390. dies, qui si essent anni, obdormisset tot annis, quot non vixit. Vult igitur dicere, dies pro annis dedi tibi, idest hi dies significant annos, quibus Deus tolerauit peccata Israelitarum.

Probatur quintò à D. Bonauentura *cap.* 14. quia post mortem Antichristi, quæ erit completo tempore supra dicto, breui iudicium erit. Sic colligitur *Danielis* 7. & *Apocal.* 20. & *Matth.* 24. & *secunda Thessal.* 2. vt notat S. Doctor, & *serm.* 1. *Aduentus*, & Sancti Patres suprà allegati. His mediis vtuntur Bellarminus, Suarez, Valentia, & alij.

46 Quæres primo ex quo genere oriturus sit.

Respondet S. Doctor *loco citato, cap.* 7. futurum Iudæum. Ità D. Hieronymus *Daniel.* 11. Ambr. *secunda Thessal.* 2. Seuerus Sulpitius *lib.* 2. *dialogorum*. Et omnes ferè Patres, vt refert Bellarminus *c.* 12. Vide probationem secundam pro prima assertione, vbi attuli Patres dicentes, futurum ex tribu Dan. Hoc tamen non audet omninò asserere D. Bonauent. *serm.* 15. *Hexaemeronis*.

Confirmatur tamen, vt dixi ibi *argumento quinto*: Iudæi eum accipient in Messiam; at non reciperent virum, non circumcisum, atque adeò recipient Iudæum.

47 Quæres secundò, quænam futura sit patria Antichristi?

Respondet S. Doctor *loco citato*, nasciturum Babylone. Ità author operis *de Antichristo* apud D. Augustinum, D. Hieronymus *Daniel.* 11. Anselmus *in Elucidario*. Lactantius verò *lib.* 7. *cap.* 17. dicit oriturum in Syria. Vide Suarez *disp.* 54. *sect.* 2.

Obiiciunt primò contra primam assertionem, *secunda Thessal.* 2. dicitur: *Mysterium iam operatur iniquitatis*. Loquitur autem *ibi* de Antichristo, quem iam venisse ait; sed occidendum in fine mundi: Ergo non potest esse vna persona tantùm durans. Sic arguit Beza ad eum locum, & Calvinus *loco citato*. Confirmatur ex prima Ioan. cap. 4. *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.*

48 Respondetur, ibi Apostolum velle incepisse Mysterium iniquitatis, quia incipiebant persecutiones Ecclesiæ in præcursoribus Antichristi, siue Nerone, vt asserunt Ambrosius, Chrysostomus *ad eum locum*. Hieronymus *quæst.* 11. *ad Algasiam*; vel incipere in Simone Mago, & aliis hæreticis, vt exponunt Theodoretus, & Sedulius *in hunc locum*, & Augustinus 20. *de ciuitate Dei, cap.* 19. sic & Ioannes loquitur mysticè, sicut Christus de Helia, vt suprà dixi.

Obiiciunt secundo *Daniel. cap.* 7. singularibus nominibus bestiarum, Leonis, Vrsi, Pardi, non intelligit singulares Reges, sed singula regna, quorum vnumquodque plures Reges continet. Igitur, ita intelligit & Paulus.

Respondetur, aliquando sanè ità intelligere aliquam personam, vt per Arietem Darium; per Hircum Alexandrum, & per cornu paruulum intelligit personam Antichristi.

Deinde negatur consequentia, nam Apostolus per hominem peccati intelligit cornu paruulum.

Obiicit tertiò Calvinus, nam Apostolus *loco citato* asserit, Apostasiam venturam, & eius caput esse Antichristum, qui est Papa. 49

Respondetur, insolentem infandum delirare, nam per Apostasiam intelligitur defectio à Romano Imperio, vt exponunt multi Latini, Ambrosius, Sedulius, Primasius, & D. Bonau. *lib.* 7. *Compendij, cap* 7.

Respondetur secundò: Si accipiamus Apostasiam à fide, id significari, non tamen intelligitur multorum sæculorum, sed quædam insignis, quæ erit tempore Antichristi. Ita multi veteres, vt refert S. Augustinus 20. *de ciuitate, cap.* 19. vbi cum multis Patribus intelligit per Apostasiam in abstracto Antichristum, qui erit summus Apostata.

Quod si concedamus, intelligi Apostasiam generalem, & hanc esse Antichristi; Respondetur, eam esse Lutheranorum, qui à Romano Pontifice defecerunt, vt fatetur Erasmus Sarcerius *in secundam Thessal.* 2. 50

Contrà secundum assertum obiicit primò Lutherus *in assert. arti. vlt.* 27. *Danielis* 8. dicitur Antichristus fore Rex impudens facie, hoc est (sicut Hebræus habet) potens speciebus; pompis, & cæremoniis, extincto interim spiritu fidei; hoc autem vidimus impletum tot religionibus, ritibus, vestibus, statutis, regulis, & obseruantiis Papisticis.

Respondet S. Bonauent. *lib.* 7. *Compendij, cap.* 8. ex Glossa *ad* 8. *Danielis* ex Hebræo haberi hunc futurum פנים fronte dura, perfricata, superbum, audacissimum. Ità LXX. Interpretes, & Hieronymus, & Theodoretus legit, & ex Rabbinorum regulis Vatablus. Ex hoc deducitur, insurrecturum contra Deum ipsum, & Ecclesiam, inducturum nouas leges, cæremonias, &c. Hi profectò Hæretici sunt, inter quos Lutherus, qui à religione, & fide perduellis Sanctimonialem ænea fronte duxit vxorem; omnia susdeque vertit antiquissima instituta Ecclesiæ, & cursum temporum supputatione diabolicâ subuertit, ac in Deum ipsum insurrexit. 51

Obiicit secundò Synodus Smalchaldica. Paulus *ad Thessal.* describit Antichristum sedentem in templo in sede Dei, & aduersarium Christi; at nullus est talis ethnicus, sed solus Papa: Ergo. 52

Respondet S. Doctor *loco citato* cum Chrysostomo, Ambrosio, & cæteris *huius epistolæ* expositoribus, Antichristum sessurum, non vt Episcopum, sed supra Deum, euertendo leges Diuinas, cultumque Dei. hoc autem non facit Papa, sed Deum adorat, Christum colit, eiusque leges, & iura sartatecta seruare studet. Potestatem autem suam exercet obtentam à Christo *Matth.* 18. *Ioan.* 20. vt ostendi *prima secunda, Tract. de Legibus, disp.* 1. & *prima parte, tract.* 1. *disp.* 4. & 5.

Obiicit tertiò Calvinus *secundo cap. epistola* 2. *ad Thessal.* Papa se extollit supra Deum, nam leges conscientiæ imponit, cùm sit Dei solius, vt habetur *Isaia* 33. præsumit saluare, & perdere; quod solus Deus potest, vt habetur *Iacobi* 4. Sacramenta mutat, euertit, condit, totam denique religionem subuertit. 53

Respon

RESPONDETVR cum D. Bonauentura *in speculo B.Virginis, cap. 9.* Deum esse supremum Dominum, Legislatorem, & iudicem, sed aliquibus etiam concessisse authoritatem, Dominio à se pendente, sic etiam B. Virginem nostram Reginam constituit. Sic Prou.8. dicitur: *Per me reges regnant*, vt ostendi *prima secunda, Tract. de Legibus, disp. 1. q. 9. & disp. 6. quæst. 1. & 2.* Omnia autem, quæ Pontifex agit, legitimâ agere authoritate ostendi 2. 2. *Tract. 1.*

54 OBIICIT quartò Illyricus de Primatu Papæ hoc inter alia firmissimum (ait) argumentum, nam Ioannes *prima can. cap. 2.* definit Antichristum esse eum, qui Christum negat: Talis est Papa, dum Sacerdotium sibi vsurpat, & suis dispertitur; Multos in cœlo mediatores prædicat, & per merita suorum nos vult saluari, cùm hæc omnia sint Christi propria.

55 HÆC sunt Sectariorum inuenta, quæ suis propriis locis diluuntur: Christum enim adorat Papa, agnoscit, & veneretur verum Mediatorem. Sacerdotes verò Christi ministros instituit; Sanctos intercessores apud Christum agnoscit, per cuius merita Sancti habent, vt possint intercedere, vt in propriis disputationibus asseritur. Premit Illyricus canonem dist. 40. cap. *Si Papa infinitas animas secum in infernum traheret, tamen nemo debet ei dicere, quid facis?* Vbi Glossa ait: *Est Papa pro ratione voluntas.*

RESPONDETVR, eum Canonem non esse alicuius Papæ, sed S. Bonifacij Episcopi Moguntini Apostoli Germanorum, & Martyris, qui solùm negat, Romanum Pontificem posse iudicari ex authoritate, sed fatetur, eum corripi posse.

56 ILLVD verò ego premo, quod insolentissimè subdit titio iste inferni, hoc signum afferens Antichristi in Papa; Quia Antichristum *ex Danielis cap. 11.* dicit, non curaturum amorem mulierum, quod Papa fecit, tum præcipiendo suis cœlibatum; tum per suas Sodomiticas libidines.

OMITTO responsionem insolentissimæ calumniæ. Illud vnum respondeo cum D. Bonauent. *lib. 7. Compendij Theol. cap. 8.* verba Danielis ex Hebraico fonte à D. Hieronymo esse translata. Sic enim ille vertit: *Et erit in concupiscentiis fœminarum*; & quamvis verba Hebraica על חמדת נשים solùm significent in concupiscentia fœminarum, & non habeant vllum verbum adiunctum, quo intelligi possit, vtrum erit, aut non erit Antichristus in concupiscentiis fœminarum, duæ tamen coniecturæ reddunt versionem S.Hieron. probabilem; tum quia Antiochus, de quo hic etiam est sermo, eratque figura Antichristi, fuit libidinosissimus: Tum quia, cùm Antichristus sit futurus Messias Iudæorum, qui pluralitatem mulierum à suo Messia expectant, non est credibile Antichristum laudaturum cœlibatum.

57 ADDO, quod si indicere cœlibatum sit nota Antichristi, iam Apostoli erant Antichristi, qui cœlibatum docuerunt, vt declarat Concilium Carthaginense II. *can. 2.* Reliqua vide in Bellarmino *cap. 21.* nam vrget me zelus defendendi Seraphicum contra Tilmannum Heshusium, qui *in libro de 600. erroribus Pontificiorum, titulo 33.* multa obiicit ex *Compendio Theologiæ Seraphici* tacito nomine S. Doctoris, quem blatero ille nominare non est dignus.

PRIMVM errorem dicit, quis Pontificij dicunt, Antichristum è Babylone de tribu Dan venturum.

58 GRATIAS habemus Tilmanno, qui Pontificios fatetur tot SS. Patres id asserentes, suprà in prima assertione relatos. Igitur confitetur Papistas Irenæum, Hyppolitum Martyrem, Ambrosium, Augustinum, Prosperum, Theodorecum, Gregorium, Bedam, Aretham, Rupertum, Anselmum, Richardum, & S. Bonauenturam; qui tamen *sermone 15. Hexaemer.* non audet omnino asserere Antichristum de tribu Dan oriundum.

59 SECVNDVS error ab eo Papistis imititur *ex parte 7. Compend. cap. 13.* Antichristum regnaturum tantùm tres annos, & dimidium.

IMMORTALES debentur gratiæ Tilmanno, qui non modò omnes veteres Patres asseuerat Papistas, sed etiam Danielem Prophetam, Ioannemque Euangelistam, vt vidimus supra. Hi sunt Irenæus, Hyppolitus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Primasius, Arethas, Beda, Anselmus, Richardus, Rupertus, Bonauentura, &c.

60 TERTIVS error Pontificiis adscribitur, qui dixerint, Antichristum in monte oliueti occidendum. Ex *lib. 7. Compend. Theologiæ S Bonau. cap. 14.*

AT hic etiam magnos viros Papistas facit, D. Hieronymum *ad cap. 11. Danielis*, vbi ait esse traditionem Scriptorum Ecclesiæ, & aliorum.

QVIBVS autem mediis hos errores refellat, ridiculum est. Vide Bellarminum *cap. 22.* qui neque dignatur respondere illius ineptiis.

61 OBIICIES vltimò cum Chytræo *ex cap. 9. Apocal.* vbi stella cecidit è cœlo, cui data est clauis abyssi, & factus est fumus magnus, vnde eruperunt Locustæ. Hæc verò de Papa sunt dicta.

RESPONDETVR, gratis hæc asseri, nam veteres Interpretes intelligunt Luciferum, de quo Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti Lucifer?* & quia ante iam ceciderat, non ait Ioannes, vidi cadentem, sed cecidisse, vt Patres aduertunt. Huic verò data est clauis abyssi. Vide Bellarminum *cap. 22.*

QVÆSTIO V.

Quo nomine appellandus sit Antichristus.

62 FATENTVR omnes de nomine, & charactere Antichristi locutum Ioannem, Apocal. 13. *Et faciet omnes pusillos cum magnis diuites, & pauperes liberos, & seruos habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere, aut vendere, nisi habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius, hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus eius 666.*

63 CIRCA hunc numerum Bullingerus *præfat. homil. in Apoc.* vult, designari tempus aduentus Antichristi. Magdeburgenses verò *Centur. 1. lib. 2. cap. 4.* volunt designari mortem eius. Alij verò, teste Clictovæo *in lib. 4. Damasceni, cap. 28.* mortem Mahumetis, quem dicunt esse Antichristum. Lyranus verò, licèt non putet Mahumetem esse Antichristum, tamen vult eius mortem designari futuram anno 666.

DAVID Chytræus *in cap. 13. Apoc.* docet, nomen Antichristi esse רומיית Romanus, quod facit 666. Idem docet Bibliander *tabula 19.*

64 TERTIA opinio est aliquorum Catholicorum, qui suspicantur Antichristum vocandum ἀρνοῦμε, quod nomen facit 666.

QVARTA opinio est Ruperti, hoc numero non significari nomen Antichristi, sed triplicem

præuaricationem diaboli complendam in Antichristo. Prima cum in se peccauit diabolus: Secunda cùm ad peccatum induxit hominem; & tunc numero senario deficiente à septenario beatitudinis, auctus est ad 60. Tertia, cùm per Antichristum totum mundum seducet.

Beda è contrario dicit, numerum sextum esse perfectum, quia sex diebus Deus mundum creauit, sexagesimum verò perfectiorem, & 600 perfectissimum, hunc verò numerum vsurpandum ab Antichristo, qui se perfectissimum prædicabit, & Deum. Videtur D. Bonauenturæ *lib. 7. Compendij, cap.* 8.

65 Verissima igitur sententia est, nomen Antichristi adhuc ignorari: Ita D. Irenæus *lib.* 5. Arethas *hic*, Bellarminus *lib.* 3. *cap.* 10. & vt reor est sententia S. Bonauenturæ, *lib. 7. Compend. cap.* 7. 8. *&* 9. Ratio præcipua S. Irenæi, quæ me conuincit, est, quia multa nomina reperiuntur, quæ continent numerum 666, Illud verò nomen, quod dicebat Chrytræus, errat in vltima littera ה, quæ non ponitur in nominibus masculinis in fine, vt notat Bellarminus, cùm potius sic scribatur Romanus רומיי *Romy*, quod summat 266. vt patet in sequentis numeri computatione

ר
200
ו
6
מ
40
י
10
י
10

266

Illa tamen ratio Bellarmini mihi non omnino satisfacit, sunt enim multa nomina Hebræa masculina, quæ in ה desinunt, vt אבוה *auot* Patres, & alia apud Rabbinos.

Melior est ratio S. Irenæi, qua vsus sum aliquando, Pusclauij prædicās, cum mihi per hæreticos obiiceretur, hanc propositionē: *Il Papa è l'Antichristo*, Summam 666. constituere: Primò respondi, Ioannem non ponere in aliqua propositione hunc numerum; sed in nomine solo Antichristi. Deinde postulaui pugillarem, & ostendi, eorum Ministrum Lutheranum, hac viâ, esse Antichristum; Idemque de multis alijs ex numero Lutheranorum ostendi posse computari.

66 Qvoad characterem, hæretici huius temporis dicunt, esse signum aliquod obedientiæ Romano Pontifici: Ex his aliqui dicunt, esse Chrisma in fronte; alij vnctionem Sacerdotalem, alij professionem Romanæ Fidei.

Catholici aliqui dicunt, characterem esse litteras, quibus scribetur nomen Antichristi: Ita Primasius, Beda, Rupertus, & alij non pauci.

67 S. Hyppolitus Martyr vult, characterem Antichristi esse execrationem signi crucis, vt ⊥ inuersum vel 3 inuersum ɛ, quod significat: nego Trinitatem. Nomen Christi pariter inuersum SdX nego Christum, & duo SS. non adoro Sanctum Sanctorum.

Miror Bellarminum omisisse sententiam D. Bonauenturæ *in 2. dist. 8. parte 2. quæst. 6. ad 2. & in 4. dist. 6. quæst. 5. ad 2.* characterem futurum omnimodam impudentiam ad omnia facinora atrociora, quæ in brachio, idest operando, & in fronte audendo inscribitur, dum mercatoribus præcipietur, vt 68
nulli vendant, nisi qui talia enormia coram eis dixerint, & fecerint, sicuti tempore Diocletiani non poterant comestibilia vendi, nisi his, qui exposita ibi in nundinis, & plateis Idola adorarent, & blasphemias in Iesu Christi nomen eiacularentur: Hæc sanè opinio est probabilis, eamque tenere videtur Rupertus, qui numero illo 666. peccata Antichristi significari asserit, vt refert Bellarminus *cap.* 10. characterem verò esse litteras, quibus nomen scribetur Antichristi, vt refert Bellarminus *cap.* 1. Attamen *lib. 7. Compendij, cap.* 9. alias etiam opiniones refert S. Doctor, nec refutat dicens: Nihil 69
vendetur eis, neque emetur ab eis, nisi habeant characterem, aut signum aliquod ad litteram, vt adhærentes sibi cognoscantur; & alij interficiantur; aut nomen bestiæ, idest, confessionem oris, aut numerum nominis eius, idest, multiplicationem operum, vt habetur *Apoc.* 13.

Ex quo habes, authores secundæ sententiæ deceptos, dum legunt characterem nominis eius, & ob characterem esse litteras nominis, nam legitur correctè, aut characterem, aut nomen, vt notat etiam Bellarminus, *capite vndecimo*. Hinc 70
verò deduco ex S. Bonauentura, characterem Antichristi esse ignotum, esse tamen aliquod signum rebellionis in Christum, & eius Ecclesiam.

QVÆSTIO VI.

Quæ futura sit Antichristi sedes.

Hæretici audaces asserunt, sedem Antichristi 71
esse Romam, quod probant, quia in Apocalypsi dicitur sedes Antichristi Vrbs magna, quæ sedet super septem colles, & quæ habet regnum super Reges terræ. Quòd verò in aula Neronis sessurus non sit, probant, quia dicitur 2. Thessal. 2. *Antichristus sessurus in templo Dei.*

Vera tamen sententia est, sedem Antichristi fore Hierusalem: Ita D. Bonauentura *lib. 7. Compendij, cap. 7. &* 14.

Probatvr primò à S. Doctore *cap.* 7. quia Antichristus erit Iudæorum Messias, & Rex: Ergo 72
sedem eriget in Hierusalem: Ita Irenæus *lib.* 5. & Lactantius *lib. 7. cap.* 15. id asserunt: Hieronymus, & Theodoret. *in cap.* 11. *Danielis* colligunt, Antichristum fixurum tentoria in regione Hierusalem, & tandem in monte Oliueti occidendum, vt notat etiam D. Bonauent. *cap.* 14.

Probatvr secundò à S. Doctore *cap. 7. &* 12. quia ex 11. *Apoc.* Henoch, & Elias pugnaturi sunt contra Antichristum in Hierusalem, & ibi occidendi ab eodem Antichristo: *Et corpora* (inquit) *eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Hæc autem de Hierusalem ab omnibus exponuntur Patribus; nam ibi crucifixus est Dominus.

Probatvr tertiò à S. Doctore, *cap.* 8. ex 2. 73
Thessalonicen. 2. vbi ait: *Ita vt in Templo Dei sedeat.* Hoc autem intelligitur templum Salomonis quod reparabunt; nam in Nouo testamento per Templum Dei, nunquam intelligitur Ecclesiæ Christianorū, sed semper templum Hierosolymitanū.

Et

Et quod maius est, veteres Patres Latini, & Græci per aliquot sæcula nunquam Ecclesias Christianorum Templa vocarunt, quæ dicuntur Græcè *ναοί*, vt hoc loco Pauli, sed *εὐκτήρια* oratoria, vt Ecclesias, vel domos orationis, vel Basilicas.

74 Certa nec Iustinus, nec Irenæus, nec Tertullianus, nec Cyprianus templi nomine vtuntur, cum de Christianorum Ecclesiis agunt, & Hieronymus *epistola ad Riparium*, dicit, Iulianum Apostatam iussisse, vt Basilicæ Sanctorum, aut destruerentur, aut in templa verterentur.

Ratio verò, cur Apostoli non vocent templa Christianorum Ecclesias, duplex est: Altera, quia tunc habebant tantùm aliqua priuata Oratoria pro Missis, concionibus, &c. Altera, ne viderentur cum Iudæis conuenire, at postquam euersa est Hierosolyma, & euersum est Templum, & abolita memoria eius, cœperunt Patres vti nomine Templi, & Sacerdotij: Vide Bellarminum *loco citato*, Suarez *disputatione quinquagesima quarta sectione* 5.

75 Cum ergo Apostolus scribens, Antichristum sessurum in Templo Dei, vellet intelligi ab his, quibus scribebat, & illi tunc nomine templi intelligerent Templum Hierosolymitanum, certum videtur de eo locutum Apostolum. Quod etiam confirmatur ex communi Patrum expositione: Ita Irenæus *lib.* 5. Hyppolitus Martyr. *de mundi consummatione*, S. Martynus, apud Sulpitium *lib.* 2. *Dialogorum*, Cyrillus Hierosolymitanus *Catech.* 15. Hilarius *can.* 25. *in Matthæum*, Ambrosius *in* 21. *Lucæ*, Sedulius in hunc locum Apostoli Damascenus *lib.* 4. *cap.* 27. Theodoretus verò, ac Theophylactus, cum Chrysostomo concedunt, sessurum quidem, etiam alibi, sed tamen Hierosolymis, Augustin. 20. *de ciuit. cap.* 19. Hieron. *quæst.* 11. *ad Algasiam*, id non negant.

76 Probatur vltimò ad hominem: Antichristus sessurus est in Ecclesia Dei, vt omnes hæretici conclamant; sed per vos Papa est Antichristus: Ergo Papa sedet in vera Ecclesia Dei: Ergo omnes quotquot sint Lutherani, & Caluinistæ, cum non sint eiusdem Ecclesiæ cum Papa, sunt extra veram Dei Ecclesiam.

Respondet Caluinus *lib.* 4. *Instit. cap.* 2. 5. 11. *&* 12. se sedere super ruinas Ecclesiæ.

Contra: Ergo Ecclesia ruit contra promissum Christi, Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Deinde sequitur, hæreticos non esse in vllo vestigio Ecclesiæ, si Ecclesia est semiruta, & in ea sedent Papistæ.

77 Ad illud *Apoc.* 17. respondetur primò cum Augustino *in Psal.* 26. Aretha, Haymone, Beda, Ruperto *in cap.* 17. *Apoc.* per meretricem intelligi vniuersam diaboli ciuitatem, vt opponitur vniuersali Ecclesiæ Dei; Per septem autem montes intelligi omnes superbos.

78 Respondetur secundò, intelligi Romam Ethnicam Christianos persequentem: Ita Tertullianus *lib. contra Iudæos, & lib.* 3. *contra Marcionem, epistola* 17. *& quæst.* 11. *ad Algasiam.* Vbi aduerte, Romam eo tempore Tertulliani, de qua Hieronymus loquitur, Ethnicam esse contrariam Romæ Christianæ. Quod si tunc Roma Christiana erat Babylon, cur Tertullianus de præscriptione dicit: *Fælix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!* Et cur Hieronymus *lib.* 2. *contra Iouinianum*, Romam alloquens ait: *Ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti.* Frustra igitur hæretici, vt probent, Romanam Ecclesiam esse meretricem purpuratam, vtuntur testimoniis Tertulliani, & Hieronymi; Confirmatur ex Ioanne ipso, qui ait, se loqui de illa, quæ tenebat imperium super Reges terræ, & quæ erat ebria sanguine Sanctorum, & Martyrum.

Obiiciunt secundò; *Daniel.* 9. dicitur, Templi desolationem duraturam vsque ad finem: Ergo non restaurabitur Templum Salomonis.

Respondetur, mansuram desolationem vsque ad finem mundi, quia esto reædificetur, tamen erit prophanum, cum in eo sessurus sit Antichristus, clamans, Christum fuisse Antichristum, vt notat D. Bonauentura *cap.* 8.

Obiiciunt etiam Patres, Hieronymum *loco* 79
citato, & Ocumenium, qui videntur asserere sessurum Antichristum apud Christianos.

Respondetur cum S. Bonauentura, *cap.* 8. sessurum quidem in Ecclesiis Christianorum, non vt Episcopum, sed tanquam esset Deus, vt ait Chrysostomus 2. *Thessal.* 2. & ipse Apostolus Paulus, ac Ioannes testantur.

QVÆSTIO VII.

Quam doctrinam tradet Antichristus.

Quatuor capita doctrinæ Antichristi colli- 80
guntur, vt docet D. Bonauentura *cap.* 8. & Bellarminus, *cap.* 14.

Primum est; quod negabit Christum, ac proinde omnia Christi instituta, Baptismum Eucharistiam, &c. Docebit circumcisionem, & alias cæremonias Iudaicas: Sic 1. Ioan. 2. *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Et hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.* Probatur euidenter; erit enim Iudæus, & ideò Christi hostis omnino, vt dixi *quæst.* 4. & docet S. Bonauentura *cap.* 96.

Secundum: prædicabit, se esse Christum, vt 81
dicitur Ioan. 5. *Si alius venerit, &c.* quam particulam, *Si*, intelligunt Patres pro *Cum*, & de Antichristo exponunt, vt notat Suarez *disputat.* 54. *sect.* 4.

Tertium affirmabit, se esse Deum, & hominem, vt dicitur *loco citato*, & 2. *Thessalon.* 2. Vt in Templo Dei sedeat ostendens se, tanquam sit Deus. Qui extollit se super omne, quod dicitur Deus.

Quartum affirmabit, se solum esse Deum, & 82
oppugnabit tam Deum verum, quàm Deos falsos, vt ait Daniel. cap. 11. *Et Deum Patrum suorum non reputabit; nec quemquam Deorum curabit: quia aduersum vniuersa consurget.* Idem habetur *loco citato ad Thessal.*

Confirmatur ex communi sensu Patrum, apud Bellarminum *cap* 14.

Vnde ruit effugium hæreticorum, qui, vt Papam incusent Antichristum, dicunt, eum non negaturum apertè Christum, & Deum, nec se solum acclamaturum: Itaque erit Athæus.

Obiiciunt: Adorabit Deum Maozim, vt dicitur *Danielis* 11.

Respondet Bellarminus pro *adorabit*, seu ve- 83

uerabitur legi in Hebraico *glorificabit*, & sensum esse, seipsum glorificabit, vt exponit Theodoretus.

RESPONDET secundò meliùs, Antichristum futurum Magum, & secretò adoraturum dæmones, quorum operâ patrabit mirabilia; & sanè diabolum diei *Maozim*, idest fortissimum. Dicitur enim etiam Lucæ 11. *Fortis armatus*. Id innuit etiam D. Bonauentura *capite nono*. Vel dic *Maozim* esse locum, vbi Antichristus adorabit diabolum. Vide Suarez *loco citato*, & Bellarminum.

QVÆSTIO VIII.

Quibus mediis Antichristus seducet.

84 QVATVOR media præcipua refert S. Bonauent. *libro septimo Compend. capite 9.* ex D. Anselmo *in Elucidario*, quæ referunt etiam Pererius *lib. 14. in Daniel.* Suarez *disp. 59. sect. 4.* Bellarminus *locis adductis*.

PRIMVM erit eloquentia, quâ callidè doctrinam nouam insinuabit. Erit enim à dæmone instructus in omnibus scientiis. Itaque D. Anselmus de eo ait: *Erit sapientiâ, & eloquentiâ incredibili, & omnem artem, & Scripturam memoriter sciet; Scripturam verò adulterabit, Quamvis autem initio Legem Moysis sit docturus ad Iudæos decipiendos, tamen postea eam negabit, regno iam firmato, Docebit curiosa, vt doctos, & curiosos alliciat.*

85 SECVNDVM medium erit, vt trahat auarus, munerum, quinimo & thesaurorum, quos inueniet, elargietur; Erit enim Rex, super omnes ditissimus, ac potentissimus, vt dicitur *Daniel. 7. & 11.* vnde & dignitates, & honores ambitiosis dispertietur.: *Dominabitur autem thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti*, vt dicitur *Daniel. 11.* & D. Anselmus in Elucidario: *Industria dæmonum omnis pecunia occulta erit ei manifesta; vnde vi diuitiarum potentissimus Regum omnium euadet*, vt dicitur *Daniel. 7.* & *Apocal. 17.*

86 TERTIVM medium, vt pios trahat, erit multitudo mirabilium. Vnde ait Paulus 2. Thessal. 2. *Cuius est aduentus secundùm operationem Sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.*

Ex hoc testimonio deducit S. Bonauentura, Antichristum futurum Magum, & signa, ac prodigia operaturum magicis cautionibus. Itaque poterit ea mirabilia facere, quæ non superant virtutem causarum secundarum, addita motione locali dæmonum. Sic *Apoc. 13.* dicitur, daturum loquelam statuæ, seu idolo, emittenti per os eius sonum articulatum, non tamen instrumentis loquelæ: Et faciet, vt statuæ ambulent. Ignis de alto descendat, vt dicitur *Apoc. 17.* ad se contestandum cum suis plenum Spiritu Sancto magis quàm Apostoli Christi.

87 Hoc prodigium Rupertus adscribit ipsi Antichristo, attamen Anselmus, Richardus *ibi*, Irenæus *libro quinto, capite 28.* id imputat alicui ministro Antichristi, quod parum refert, nam etiam per ministros suos signa edet. Vnde Christus *Matthæi 24.* ait in plurali numero: *Dabunt signa, & prodigia.* Sic finget Antichristus se mortuum, & resurgere, vt dicitur Apocal. 13. *Plaga mortis curata est*, vt omnes ferè antiqui exponunt & sentit Gregorius *libro vndecimo Epistolarum, capite tertio*, sine aliam sectatorem suum grauiter saucium curabit, nam virtutes herbarum, pharmacorum comprehendet, multa prædicet, &c. mouebit cadauera. At vera miracula, vt suscitare mortuos, illuminare cæcos, penetrare corpora, non valebit, vt notant Pererius, Suarez, Bellarminus, Valentia, & alij cum S. Bonauentura.

IGITVR signis, & potentia trahet multos, Ecclesia tunc miracula non patrante, vt notat S. Bonauentura. Hinc obseruat cum S. Augustino ad id psal. 9. *Insidiatur in abscondito, quasi Leo in spelunca sua*, ibi per Leonem in specu, intelligi Antichristum, in quo vis, & dolus operabitur, cuius persecutio superest, quæ nihil est periculosius, quoniam violenta & fraudulenta erit, vim habebit in imperio, & dolum in miraculis. 88

CONFIRMAT ex D Gregorio 23. *Moral. capite decimosecundo*, & *libro trigesimosecundo*, & Isidoro *libro primo, de summo bono, capite 28.* qui dicunt: *Pensandum, quæ erit humana mentis illa tentatio, quando prius Martyr corpus tormentis subiiciet; & tamen tortor ante oculos eius miracula faciet. Olim faciebant miracula Martyres; tunc autem videbuntur facere ipsi persecutores.*

HINC habetur quartum medium, quod erit per exquisitissima tormenta, qualia potest diabolus excogitare. Ideò Christus Matth. 24. ait, *Tantam esse futuram persecutionem, vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* 89

VBI nota cum D. Bonauentura *loco citato*, & *serm. 16. Hexæmer.* ex hoc loco haberi, non omnes electos decipiendos, sed vexandos, vt in errorem inducantur, vt docet etiam D. Augustinus 20. *de ciuitate Dei, cap. 10.* & habetur in Ezech. Daniele, Paulo, Ioanne, & Patribus, qui de Antichristo loquuntur, nempe triumphaturam tandem Ecclesiam. Quis enim credat Christum vinci ab Antichristo? Deum à diabolo? Ex quo patet, non benè Soto *in 4. dist. 46. quæst. 1. art. 1.* dixisse, tunc fidem, & religionem extinguendam, vt notat etiam Bellarminus *cap. 17.* in fine, & Suarez *dis. 54. sect. vltima.*

SERVARI enim debet Ecclesia sartatecta vsque ad finem mundi, vt premittitur *Matth. 16.* 90

VEHEMENTIAM persecutionis probat S. Doctor secundò ex *Apoc. 1.* vbi pedes Christi auricalco ignito videbuntur similes, vt in camino ardenti. Per pedes vltima Christi membra, per caminum ignis tribulationem maximam intelligit, vt indicatur *Daniel. 7.*

PROBATVR tertiò ex *Apocal. 10.* vbi dicitur, soluendum esse diabolum, vt habeat permissiuè potestatem torquendi iustos. In aliis sanè persecutionibus illata sunt tormenta ab hominibus, tunc autem ad quæstionem rapientur à dæmonibus ad torturas inauditas, & deceptionibus multis, ita vt persecutio sit temporalis, & spiritualis futura.

EX quo deducit S. Doctor, quòd sicuti acrior erit Antichristi persecutio; ita Martyres illo tempore erunt gloriosiores, vt supponunt, & docent Augustinus 20. *de ciuitate cap. 19.* Lactantius *lib. 7. cap. 16.* Cyrillus Hierosol. *catech. 15.* & Hyppolitus Martyr *oratione de consummatione mundi*, ac Suarez *disp. 54. sect. vltima.* 91

CIRCA miracula, quæ S. Paulus vocat mendacia, oportet aduertere cum S. Bonauentura *serm. 1. Aduent.* & *in 2. distinctione 7. parte 2. articulo 2. quæst. 2.* 92

quaestione 2. ad 5. prodigia posse dici mendacia, vel ex parte materiæ, si apparentia tantùm sint; vel ex parte formæ, si eis desit essentia miraculi, licèt mira sint, vt si sine talia, quæ à natura, cooperante Dæmone, possint fieri; vel ex parte finis, si vera sint, sed tamen ordinata ad decipiendum.

Ex parte verò efficientis mendacia erunt per accidens, quatenus diabolus operans ea mendax est. Iam verò aliqua erunt prodigia vera ex parte materiæ, idest signa aliqua vera, quæ possint à natura, mouente dæmone localiter, & applicante causas, fieri, vt eleuari in aëra; dare vocem statuis, maria commouere, diuersas
93 figuras rebus dare: nulla tamen erunt vera ex parte formæ; quia essentiam miraculi non habebunt, sed aliquam tantùm apparentiam, vt cadauera excitare, vt videantur resuscitari. Similiter omnia, quæ etiam ex parte materiæ, verè signa & mira erunt, attamen falsa erunt ex parte finis, quia ordinabuntur ad decipiendum. Similiter ex parte efficientis, sed hoc per accidens est.

94 Magdebvrgenses *centuria prima, libro secundo, capite quarto, col. 436.* latrant, talia signa mendacia facta esse à Papistis; sed solitæ eorum nugæ sunt istæ. Vide Bellarminum *cap. 15.*

QVÆSTIO IX.

De prælijs Antichristi: & de Gog, & Magog.

95 Antichristvm fore belligerum asserit Daniel. *capite 7. & 11.* & D. Hieronymus *ibi*, & Theodoretus. Irenæus *libro quinto*, Lactantius *lib. 7. cap. 16.* Celebre autem est prælium Gog, & Magog.

Ivdæi suis deliriis insanientes dicunt, Gog esse Antichristum, Magog esse gentes Scythias vltra Caspium mare, quibus armatus veniet Antichristus in Palestinam, & dissipabitur. Hunc errorem refert S. Hieronymus *in 38. Ezechielis*, Galatinus *libro quinto, capite decimosecundo*, contra Iudæos, Rabbi Dauid Limi *in commentariis Psalmorum*, & D. Bonauentura *libro septimo, Compend. Theol. cap. 11.*

96 Secvnda sententia est, Gog & Magog futurum exercitum Antichristi venturum ad expugnandam Ecclesiam in fine mundi. Ita refert D. Bonau. *loco citato.*

Hi dicunt, Gog significare Antichristum; Magog exercitum eius. Addunt verò, Magog esse gentem Scythiæ, vt innuitur *Genes. 10.* vbi filius secundus Iaphet dicitur Magog, & hic gentem Scythiæ genuit, vt refert Iosephus *lib. 1. antiq. cap. 11.* Hieronymus *in qq. Heb. in Genes. cap. 10.*

Tertia sententia est D. Augustini *20. de ciuitate, cap. 11.* Gog esse diabolum, Magog Antichristum. Multas alias opiniones refert Bellarminus *capite decimoseptimo*, Valentia *disputatione 11. quæst. 2. puncto 2.*

Hæc quidem opinio, quatenus id explicat de tempore Antichristi, vera est, quam sequuntur omnes ferè expositores Apocalypsis, attamen deficere videtur, quia *Apoc 20.* dicitur Sathanas solutus congregaturus gentes Gog, & Magog in prælium: Ergo Sathanas ipse non est Gog.

Probabilis est ergo sententia, quam secundo loco affert S. Bonauentura, per Gog significari Antichristum: per Magog exercitum; nam *Ezechiel. 38.* semper Gog vocat Principem, & Magog nationem, quæ est Scythiæ, vt dixi, non quæ retineatur vltra Caspium, sed quia barbaræ gentes erunt. Igitur prælium Gog & Magog erit vltima persecutio, & belligera incursio Antichristi contra Ecclesiam. Neque obstat, quod Ezechiel ait, per septem annos cremanda arma Gog à Iudæis; cum tamen occiso Antichri-
sto breui sit venturus finis mundi, vt dicitur *Da-* 98
niel. 12. vbi quadragintaquinque dies numerantur: nam Ezechiel loquitur figuratè, nempe tantam futuram cladem, vt non sufficeret multum tempus ad hostium spolia comburenda. 97

QVÆSTIO X.

Quæ, & quanta sit futura Antichristi malitia.

99 Pessimvm hominum omnes Antichristum conclamant, & probat S. Doctor *in Compend. lib. 7. loco citato.*

Primò quidem erit libidinosissimus, vt dicitur *Danielis 11.* dolosissimus, ideò comparatur Cerastæ *Genes. 49.* erit Magus, vt dicitur *2. Thessal. & Apoc.* Erit superbissimus super Nabuchodonosor, & Luciferum, vt dicitur *Danielis 8 secunda Thessal. & Apocal.* vt indicat D. Gregorius *libro secundo Epistolarum.*

Hoc vnum sit instar omnium, quod ab Apostolo, 2. Thessal. dicatur: *Homo peccati* antonomasticè: *Filius perditionis ille iniquus: cuius est aduentus secundum operationem Sathanæ, in omni seductione iniquitatis. Extollitur super omne, quod Deus est, aut quod colitur.* Quid deterius? Erit igitur scelestissimus, reprobissimus, &c.

100 Hinc deducit S. Doctor *cap. 7.* Angelum bonum deputatum custodiæ eius, tandem eum deserturum, quam sententiam tribuit etiam D. Thomæ Viguerius *Instit. cap. 3. §. 3.* licèt Suarez *disp. 54. sect. 3.* dicat, se nihil tale in D. Thoma inuenire, & non esse probabile, quia non denegabit ei Deus sufficientia auxilia.

At cùm Antichristus nulli Sanctæ inspirationi sit vnquam obediturus, nil mirum, si Angelus custos desinat eum instruere, qui se totum dedit Sathanæ, vt dicitur 2. Thessal. *Secundum operationem Sathanæ.* Quo sensu Damascenus *lib. 4. cap 27. de fide*, ait: *Omnem Sathanæ afflatum suscipiet, Deus etenim incredibilem quandam futuræ ipsius voluntatis peruersitatem præmoscens, diabolum in eo suum domicilium constituere sinet.*

101 Mirvm sanè videtur, Deum permittere tale scandalum Ecclesiæ, vt tot Sancti vincantur, deturbentur, vt dicitur à Daniele, & Ioanne, & tanta in eo malitia permittatur.

Respondet S. Doctor *ad 5.* hunc venturum in nomine suo obstinatissimè resistendo Diuinæ voluntati. Ideò dicitur *ibi* venturus in nomine suo proprio, idest efferendo se supra Deum, eumque pessumdando, & Sanctas Inspiratio-

nes : Scandalum porrò erit ad exercitium Sanctorum, vt iusti, veluti aurum in camino probentur, vt indicant pedes Christi *Apoc.* 1. & notat D. Bonauentura *cap.* 9. *libri septimi compendij*. & mali veluti scoria repellantur. Iudicia Dei sunt sancta, iustificata in semetipsis.

102 IAM verò tandem à S. Michaele occidetur in monte Oliueti, & postea (vt habetur Daniel. 12.) quadragintaquinque dies pœnitentiæ reliqui erunt; post eos autem breui erit iudicium. Vide S. Bonauenturam *cap.* 14.

QVÆSTIO XI.

De Sanctis, CHRISTVM IVDICEM *præcursuris.*

103 IAM ostendi *quæstione* 4. Eliam, & Henoch præcursuros Christum iudicem, quod amplius probat S. Doctor *sermone* 15. *Hexaemer.* in fine *ex Matth.* 17. *Marci* 9.

Hos autem adhuc viuere supponit S. Doctor *libro septimo Compendij, capite* 12. & *ad cap.* 9. *Lucæ* ad ea verba : *Erant autem Moyses, & Elias*, vbi videtur in cœlo eum asserere. Et *in meditationibus vitæ Christi, cap.* 85. vbi asserit, esse in terrestri Paradiso ambos.

Et quidem de Henoch Sancto asseritur in Genes. cap. 5. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus*, & Ecclesiastici 44. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam*, & Heb. 11. *Henoch translatus est, ne videret mortem.*

104 DE Elia manifestus est locus 4. *Reg.* 2. vbi translatus dicitur per turbinem in cœlum, & *Ecclesiastic.* 47. Idem asseritur.

IDEM asserunt Patres apud Suarez *disputat.* 11. *sectione* 1.

VIVERE autem in terrestri Paradiso, sentiunt Irenæus *lib.* 5. *cap.* 5. idque confirmat ex traditione Presbyterorum Asiæ, qui hoc ab Apostolis acceperunt. Iustinus Martyr. *quæst.* 85. *ad ortodox.* Athanasius *in epistola quadam*, continente decreta Concilij Nicæni, Augustinus *lib. de peccatorum meritis, cap.* 3. Hieronymus *epistola ad Pammachium*, Isidorus *lib. de vita, & obitu Sanctorum, cap.* 3. D. Thom. 3. *parte, quæst.* 49. *articulo* 5. *ad* 2. & *prima prima, quæst.* 102. *art.* 2. *ad* 3. & *in* 2. *dist.* 29. *quæst. vnica, art.* 5. *ad* 4.

105 QVOD verò probabile sit, eos esse translatos in locum aliquem cœlestem, vt ait S. Bonau. in Lucam, probatur, nam id sentiunt Hieronymus *Amos* 9. Ambrosius *lib. de Paradiso, cap.* 3. Dorotheus *in Synopsi*, Alchimus, Auitus *libro quarto, de diluuio, capite sexto*. Hæc sanè quæstio ex illis est, quæ ad dogmata fidei non spectant, vt ait D. Augustinus *libro secundo, de peccato Originali, capite vigesimotertio*, & indicatur 4. Reg. 2. *Ascendit Elias per turbinem in cœlum*, & primo Machab. 2. *Elias dum zelat Zelum legis, receptus est in cœlum.* Idem potest dici de Henoch. 49. Ecclesiastici. *Henoch receptus est à terra.* Qua autem vita fungatur, vide Suarez *loco citato.*

106 CERTVM est, eos non esse beatos. Ità D. Aug. 9. *de Genes. ad litt. cap.* 6. Bernardus *serm.* 6. *de Ascens.* Epiphanius *hæresi* 64. Hieron. *ad Pammachium.*

OMITTO illos Patres, qui de cæteris animabus Sanctis id asseruêre.

NON tecor tamen, esse in statu merendi, nam in tam longo tempore omnes sanctos, & B. Virginem superassent. Erunt tamen in aduentu suo; patientur enim Martyrium.

AUDO tamen, eos confirmatos esse in gratia, quia cùm sint iusti, & mereri non possint, non est cur demereri posse censeantur.

HI venturi sunt Iudicis præcursores, vt dixi q. 4. 107
Et est aut de fide, aut proximum fidei, vt notat Sua ez *disp.* 55. *sect.* 2.

PRÆTER hos, aliqui dixêre venturum, etiam Hieremiam. Hanc opinionem fuisse plurimorum ait Hilarius *can.* 20. *in Matth.* Potest probari illo Hieremiæ 1. *Prophetam in gentibus dedi te.* Cùm ergo ætate sua solis Iudæis prophetauerit, videtur venturus etiam gentibus.

VERVM respondetur, prophetasse eum etiam gentibus, Babylonijs, & Ægyptijs, vt patet legenti.

ALII dixere, venturum etiam Moysen. Ita Hilarius *loco citato.* Catharinus *Genes.* 3. Ioannes Arboreus *Theophia, lib.* 11. *cap.* 11. eandem secutus est Ioachimus Abbas *in cap.* 11. *Apoc.* & Gagnæus *ibidem.* Ratio est, quia in primo aduentu Elias, & Moyses fuere testes gloriæ Christi : Ergo erunt etiam Iudicij.

HÆC tamen non est probabilis, quia Sancti Patres ponunt solos duos suprà relatos; oppositio autem nulla est, & negatur Consequentia. 108

ALII dixêre, etiam Ioannem Euangelistam venturum. Dicitur enim Ioan. vltimo. *Sic eum volo manere donec veniam, Quid ad te?* Hanc sententiam tenuêre S. Hippolytus Martyr *oratione de consummatione mundi*, & indicat Damascenus *oratione de Transfiguratione*, tractans ea verba Lucæ 9. *Sunt de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo.*

MVLTI verò Patres censent, Ioannem non adhuc esse mortuum, vt refert Suarez *disputatione* 55. *sectione* 3.

ATTAMEN probabilius est, Ioannem esse mortuum, neque posse niti illo Christi dicto contrariam opinionem; ibi enim Ioannes protestatur. 109
Et non dixit ei Iesus : Non moritur; sed : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Quasi dicat : Esto vellem eum viuum seruare vsque dum veniam ad eum recipiendum suaui morte, vel vsque ad desolationem Romanorum, vel etiam vsque ad iudicium; Quid ad te? Mortuum igitur Ioannem fatentur Eusebius *libro* 3. *hist. capite* 31. Ex Polycrate *in epistola ad Victorem Papam.* Hieronymus *de scriptoribus, & libro* 1. *contra Iouin.* & *Matth.* 20. Nicephorus *libro* 2. *histor. cap.* 16. & *lib.* 2. *cap.* 24. Tertullianus *libro de anima, cap.* 59. Ambrosius *lib. de fide resur.* Augustinus *serm.* 549. *de tempore*, & *Tract.* 124. *in Ioan.* Beda *ibi.* Theophylactus *Ioan. vltimo*, & Euthymius *cap.* 43. *in Matth.* Chrysostomus *homil. prima in Ioan.* Isidorus *libro de vita, & obitu Sanctorum, capite* 74. Dorotheus *in Synopsi in Ioan.* Epiphanius *hæresi* 79.

QVOD caput est, Concilium Ephes. *Tomo tertio, capite sexto*, sic habet : *Sacras Sanctorum triumphatorumque Martyrum : maximè B. Ioannis Theologi, & Euangelistæ reliquias videndi, easque complectendi desiderio flagrant*, & Tom. 2. cap. 14. Cœlestinus Papa, epistola ad Synodum Ephesinam, 110
ait :

ait: *Ante omnia vos pracipuè considerare, & iterum, atque iterum recolere deces, quibus Ioannes Apostolus pradicauit, cuius reliquias prasentes honoratis.* Idem ferè habetur septima Synodo *act.* 5. propè finem: Hinc habes, Ioannem esse mortuum, & sepultum Ephesi.

Deinde verò Ioannem esse in gloria, supponit Ecclesia in eius festo, non enim celebrat, nisi festa Beatorum: & cùm anima beata non sit rursum vnienda corpori mortali ad pœnas, non est cur Ioannem asserant præcursurum Christum Iudicem.

111 Confirmatvr, nam *Apocal.* 11. Ioannes ait, venturos solos duos supra relatos, vt exponunt Patres.

Qvod verò *cap.* 10. de se dicit, prophetaturum gentibus, intelligitur, vel de prophetiis Apocalypsia, vel de Euangelio, quod erat editurus, vel de prædicatione eius post reditum ex Insula exilij.

QVÆSTIO XII.

An signa futura sint in omnibus creaturis ante Iudicium.

112 MVlti multa signa præuentura Iudicis aduentum astruunt.

Qvindecim signa referunt ex Magistro D. Bonauentura *in* 4. *distinct.* 48. *dub.* 3. & D. Thomas *ibi, quæstione* 1. *articulo* 4. *quæst.* 4. Sotus *dist.* 46. *quæstione* 2. *articulo* 1. Hæc tamen neque ex S. Hieronymo refert Seraphicus, vt putat Suarez *disputatione* 56. initio, neque ea approbat, sed in fine concludit: An hæc ita se habeant, Deus nouit. Hæc verò quindecim diebus exhibenda refert S. Bonauentura.

113 I. Signum est: Maria exaltabuntur quindecim cubitis super excelsos montes orbis, vt verificetur illud Psal. 92. *Mirabiles elationes maris.*

II. Maria in profundum demergentur, vt vix oculis exposita sint futura, vt habetur Nahum 1. *Dominus in tempestate increpans mare, & exsiccans illud.*

III. Maria redigentur ad statum primum, in quo creata sunt, vt habetur Iob. 12. *Narrabunt pisces maris.*

IV. Belluæ, & omnia, quæ natant in aquis, simul conclamabunt, quasi contridentia

V. Omnia volatilia congregabuntur vlulantia, neque comedent, neque bibent.

114 VI. Flumina surgent ab occasu solis contra faciem firmamenti vsque ad Orientem.

VII. Planetæ, & Stellæ fixæ spargent ignitas comas, vt in cometis apparet: *Stella cadent de cælo,* Matth. 24.

VIII. Signum est, quòd terræmotus erit magnus, quo omnes homines, & omnia animalia prosternentur, vt habetur Apoc. 16. *Terramotus factus est magnus.*

IX. Omnes lapides in quatuor partes scissæ, inuicem collidentur, vt contingit etiam in passione. *Matth.* 27.

X. Omnes plantæ, omniaquè olera sanguineum emittent rorem. Apoc. 11. *Exiuit sanguis de lacu.*

115 XI. Omnia ædificia, omnes montes, & colles in puluerem redigentur, Apoc. 16. *Ciuitates Gentium ceciderunt.*

XII. Omnia animalia terræ venient ad campos lugentia, nec edent, aut bibent.

XIII. Omnia sepulchra aperientur, & patebunt.

XIV. Omnes homines descendent stolidi, ac veluti insani currentes, Lucæ 21. *Arescentibus hominibus pra timore.*

116 XV. Signum est, omnes morientur, vt resurgant cum mortuis, iam antea defunctis, Ezech. 37. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris*: Adde cap. 21. Lucæ. Hæc quindecim signa refert S. Bonauentura ex D. Hieronymo, aliqualiter varia à *quarto sententiarum*, sic etiam *sermone* 4. *Dominica* 24. *post Pentecosten.*

QVÆSTIO XIII.

Qua signa in Cælis sint futura ante diem Iudicij.

117 OMnes Catholici fatentur, post mortem Antichristi futura signa in Sole, Luna, & Stellis, vt aduertit S. Bonauentura *in* 4. *dist.* 48. *dub.* 2. *litterali*; & ad ea verba Lucæ 21. *Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis*, vbi ex Matth. 24. obseruat, ea signa futura statim post tribulationem dierum illorum, idest Antichristi: Hæc asserunt Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius *ibi*, Hilarius *can.* 25. & 26. *in Matth.* August. *epist.* 80.

Tria autem signorum genera in cœlo prædicit: Primum est Solis, & Lunæ obscuratio: Secundum Stellarum casus: Tertium virtutum motio.

118 Oportet autem prælibare, antequam ea signa declarem, ea omnia futura ante resurrectionem mortuorum, vt docet D. Bonauentura ad eum locum, vbi etiam per quindecim dies ordinatè refert ea quindecim signa, quæ D. Hieronymo adscribuntur, quæque ait, se inuenisse in Annalibus Iudæorum: Eaque habet Eusebius Emiss. *Dominica secunda Aduentus.*

Probatvr verò, ea futura ante resurrectionem, nam erunt causa anxietatis: *Arescentibus hominibus pra timore, & expectatione*; post resurrectionem autem non erunt necessaria signa ad terrendum. Confirmatur à S. Doctore *loco cit.* ex Ioelis 2. *Dabo prodigia in cælo, &c. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis,* vbi iuxta communiorem expositionem Theodoreti, & Ruperti *ibi*, Origenis, & D. Thomæ *Matth.* 24. Bedæ *Marci* 13. & *Luca* 21. Sermo est de signis iudicij. Vnde ipse Christus, ait: *Cum videritis hac fieri, scitote quia prope est in ianuis.*

119 Obiicit S. Augustinus epistola 80. *Dies iudicij, vt fur veniet. Cum enim dixerint: pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus*: Ergo non habebimus signa præcedentia. Vrgeo contradictionem; quia suprà diximus, post quadraginta quinque dies à morte Antichristi futurum mundi finem: Ergo non veniet Christus ex inspetato.

RESPONDETVR cum D. Bonauentura *ad 17. & 21. Lucæ*, & *in Compend. Theolog. lib. 7. cap. 14.* etiam post illa signa venturum Christum inopinato, ad modum furis, quia adhuc ignorabitur dies, maximè verò ab impiis, qui in cœno dormitabunt. Et licet quadraginta quinque dies promittantur post necem Antichristi, tamen ignoratur, quot dies postea remaneant ad iudicium.

120 IAM verò obscuratio Solis, quæ est primum signum, à multis asseritur causanda excellentiori Christi aduenientis lumine, sicut adueniente Sole operiuntur Stellæ. Ita Hilarius *can. 26.* Hieronymus, Chrysostomus, & Beda *in Matth.* Eusebius Emissenus, *Dominica 27. post Pentecost.* Augustinus *serm. 130. de tempore*, vbi id tribuit præcipuè splendori Crucis. Idem sentit D. Thomas *opusc. 10. art. 36.*

ALII dicunt, eam obscurationem solis futuram propter oppositionem Lunæ, & astrorum motibus inordinatis; Adde caliginem; & nubes interponendas, vt ait Sotus *in 4. dist. 46. quæst. 2. art. 2.*

121 D. BONAVENTVRA *in 4. distinct. 48. dub. 2. litteralis*, docet primò, obscurandos Solem, & Lunam per interpositionem corporum, vel suspensionem concursus Dei ad illuminandum, & hoc necesse est fieri ante aduentum Christi, quia hæc signa erunt diuinitus incussa, vt dixi, ad terrorem. Addit verò, Christum postea aduenientem suo splendore operturum Luminaria cœli, vt volunt Sancti Patres citati.

122 IN commentario autem 21. *Lucæ*, probat, fore obscurationem per priuationem luminis interni, quod probat ex illis verbis Matth. 24. *Sol obscurabitur*, & ex Ioëlis 2. & 3. *Sol, & Luna obtenebrati sunt*; & ex Apoc. 6. *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus*, & hanc expositionem indicant etiam Origenes, & Rabanus *Matth. 24.* & D. Thomas 4. *dist. 48. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula 2.*

123 HVNC tamen modum non laudat Suarez *disputatione 56. sect. 3.* vbi multiplicari ait miracula absque necessitate, sed putat verisimilius, id futurum per interpositionem corporum: At video etiam hic necessarium esse miraculum, quia non potest dari corpus operiens omnino Solem, & Lunam, nisi cœlestium periodi motuum subuertantur, vt discurrit etiam Lactantius *lib. septimo, cap. 16.*

CIRCA secundum signum, idest casum Stellarum, illud ad litteram intelligunt Origenes *Tract. 30. in Matth.* & Tertullianus *lib. contra Hermog. cap. 34.* licèt diuerso fundamento.

SVPPOSITA tamen Stellarum incorruptibilitate, & fixarum immobilitate à sphæra, dicendum est, non stellas, sed quosdam cometas casuros, vt notat S. Doctor *ad 21. Lucæ*, & indicatur *Ioëlis 2.* vt habet Suarez *loco citato*.

124 CIRCA tertium signum, vel prodigium Virtutes cœlorum commouendas, idest Angelos, vt exponit D. Bonauentura *ibi, ad 21. Lucæ, ex opere Imperfecto, in Matth. 24. homil. 49.* S. Hieronymo *in Matth.* Emiss. *homil. in Dominica secunda Aduentus*.

HÆC autem commotio assignatur à D. Bonauentura primò per admirationem, & timorem reuerentialem, videndo tantam mutationem, & iudicis seueritatem, vt exponit Chrysostomus *homil. 75. in Matth.* & ibidem Theophylactus, Oecumenius, & Beda, cum Augustino *serm. 130. de tempore*.

DEINDE fiet commotio Angelorum, dum ad vindictam armabuntur: Vnde refert S. Doctor *ex opere Imperfecto, loco cit.* Si Rex processurus ad bellum contra aliquem expeditionem, mandat in populo; dignitates omnes mouentur, exercitus excitantur, tota ciuitas feruet, quantò magis Rege cœlesti exurgente ad iudicandum viuos, & mortuos, Angelicæ virtutes commouentur, terribiles Ministri, terribilem Dominum præcedent? ante ipsum pro candelabris fulgura viua præcedent? pro tubis horrenda tonitrua? verè magna vox, cui omnia obediunt elementa, quæ peccatum scindit, inferos aperit, vincula mortis disrumpit. Idem indicatur *Apocal. 9. & 16.* vt notat Suarez disput. 56. sect. 3. *Erit etiam in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris*, vt probat S. Bonauentura *ex 21. Lucæ*, & ex Bedæ, Glossa ad hunc locum. Ideò *Apoc. 1. Ezech. 1.* sonus Diuinæ vocis videtur sonus aquarum multarum, vt notat S. Doctor *loco citato*. 125

126

CIRCA homines primò erunt mores perditissimi, vt notat D. Bonauentura *ad 18. Lucæ*, ad ea verba: *Veruntamen Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Vbi addit etiam illud Matth. 24. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Statum illum describunt Hippolytus Martyr *de consummatione mundi*. Lactantius *lib. 7. cap. 15. & 16.* Cyrillus *catech. 15.* 127

ITAQVE erunt mala culpæ grauissima: Secundò mala pœnæ, vt dixi, quia arescentes, &c. & *Apoc. 9.* dicitur: *Quærent homines mortem, & non inuenient eam.* 128

QVÆSTIO XIV.

An sit futurus ignis, CHRISTVM Iudicem præcedens.

D. Bonauent. in 4. dist. 47. art. 2.
D. Thom. in 4. dist. 47. quæst. 2. art. 1.

VBIQVE ferè in Scriptura sancta de Iudicio loquente fit mentio futuræ conflagrationis mundi, vt notat Suarez *disput. 57. sect. 1.* cum D. Bonauentura *hic*, Psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet.* Isaiæ 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus diiudicabit.* Ioël. 2. *Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma.* Daniel. 7. *Thronus eius flamma ignis: rota eius ignis accensus. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius.* Denique 1. Cor. 3. *Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* 129

VBI S. Doctor *quæstione 4.* his testimoniis probatum supponit, futurum verum ignem. Et quidem *psal. 96.* planè loquitur de igne conflagrationis, vt notant Lyranus, Theodoretus, & Euthymius, qui ambo adducunt etiam illud *Danielis 7.* Item Titelmanus, & Carthusianus ad 130

eum

eum psalmum, vbi etiam id confirmat illâ comparatione, quâ nititur etiam S. Doctor *distinctione citata, quæstione prima, fundamento tertio, & corpore, quæstione tertia, fundamento secundo,*
131 ex D. Petro *epistola 2. cap. 3.* Item Bellarminus eadem comparatione vsus est ad eum psalmum, sic autem loquitur Petrus: *Ille tunc mundus aquâ inundatus periit: Cœli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi, sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.* Vbi ex antithesi diluuij aquæ, & diluuij ignis planum est, non loqui metaphoricè. Sicut enim vera aqua primò mundum destruxit; ita tunc verus ignis, vt notat etiam Suarez *disputatione 57. sect. 1.*

Similiter locus *Isaiæ 66.* à Glossis omnibus de vero igne explicatur, licèt à quibusdam etiam mysticè exponatur. Sic etiam ille *3. Malach.* exponitur litteraliter: Et hæc sunt quæ S. Doctor affert.

132 Ex quo deducit S. Bonauentura *quæstione prima*, illum ignem futurum elementarem eiusdem naturæ cum nostro, quod probat: tum quia *Genes. 2.* Deus requieuit à creatione nouarum creaturarum, vt exponit Glossa: tum quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; & ille ignis ad renouandum mundum sufficit.

Tandem id probat ex D. Augustino 20. *de ciuitate, cap. 16.* vbi eadem Antithesi ignis illius cum aquis diluuij dicit: *Figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit; sicut factum est aquarum inundatione diluuium.* Hinc S. Bonauentura deducit: Sic ignis conflagrabit mundum, sicut aquæ destruxerunt illum: At aquæ illæ fuere eiusdem speciei productæ per eleuationes vaporum ampliatæ: Ergo & ignis ille per reuerberationes, & alios modos ampliabitur.

133 Hæc est sententia communis Theologorum *in 4. distinctione 47. & 48.* vt notat Suarez *loco citato*, & Tanner. *disp. 2. quæst. 4. dub. 5. num. 149.* contra Lactantium *lib. 7. cap. 21.*

Addit Suarez in fine, ignem illum futurum eiusdem naturæ cum igne inferni, qui operaturus est, tanquam instrumentum Diuinæ iustitiæ; imò aliqui existimant, ab inferno reuocandum.

134 Seu verosimilius est, quod ait Lactantius suprà, è superiori regione demittendum, quod asserit etiam D. Bonauentura *quæst. 1. citatâ in corpore*, dicens, esse doctrinam Sanctorum. Idem habet Suar. *loco citato.*

Addit verò S. Doctor, non solùm in nubibus, veluti speculis concauis gignendos à sole ignes, sed plurimos ex abysso, e terra, è cauernis ignes erupturos ad mundum destruendum. Hoc tamen impugnat Tostatus *Matth. 25. q. 436.* quoad descensum.

Verum, vt ait S. Bonauent. sicut pluit ignem, & sulphur super Pentapolim, ita etiam erit super mundum; non enim ordo naturalis quærendus est, vbi Deus operatur supra naturam, vt ipse Tostatus fatetur *quæst 437.* & notat Nazarius *articulo 3. quæstione 6. in fine sexti Tomi*, vbi de Iudicio. Vide S. Bonauenturam.

135 Qvæstione secunda quærit D. Bonauentura: an ille ignis acturus sit virtute naturali.

Primò quidem statuit *in corpore*, similem fore ignem illum in modo operandi aquæ diluuij. Supponit autem, non potuisse causas naturales tot aquas conglobare, quæ ad mundum sic euertendum sufficerent; at verò naturaliter submerserunt: Sic igitur ignis ille supernaturaliter producetur constipatis, & ad conspirationem deductis à Deo causis secundis; At verò comburet suâ virtute naturali; purgabit, &c. Est enim insita virtus igni vrendi, purgandi, subtiliandi; & ob id Deus assumpturus est ignem ad hoc patrandum, quia instrumenta debent habere aliquid in se, quo possint operari, vt assumantur à Deo.

Qvæstione tertia agit de extensione illius 136
ignis.

Respondet igitur ex Glossa, & Beda; ascensurum super altissimos montes, saltem quantum aquæ diluuij ascenderunt. Ita communiter alij Scholastici: & probatur à D. Bonau. illa comparatione ignis cum aquis diluuij, vt arguit etiam Tannerus *loco cit. num. 151.*

Addit S. Doctor, non ascensurum ad tangendos cœlos. Vide S. Doctorem.

Iam verò videndum est: an hic ignis præ- 137
cessurus sit iudicium; an verò consecuturus, de quo S. Bonauentura *quæstione 4.* Hoc autem, vt definiatur, videndum est, ad quem finem mittendus sit hic ignis.

Prima igitur sententia est D. Thomæ *in 4. distinctione 47. quæstione 2. artic. 3.* & *in supplem. quæstione 74. articulo 7.* Magistri *in 4. distinct. 47.* Richardi *articulo 2. quæstione 4. & 5.* Durandi *quæstione 3.* Paludani *quæstione 1.* Supplem. Gabrielis *quæstione 2. articulo 3.* Soti *distinct. 48. quæstione 4. articulo 1. & 2.* Valentiæ *disput. 11. quæstione 2. puncto 2.* Eam mundi conflagrationem, mundique purgationem per eam efficiendam præcessuram aduentum Iudicis, quod etiam significat Beda *de ratione temporum, cap. 69.*

Addunt alij, ignem futurum ad purgandos iustos, iam resuscitatos, & bonos à malis discernendos. Ita Lactantius *lib. 7. cap. 21.* Origenes *homil. 14. in Lucam*, & *lib. 8. in epistolam ad Romanos*, & *homil. 3. in psal. 36.* & alij.

Secvnda sententia est, conflagrationem il- 138
lam futuram post Iudicis aduentum; & tunc futuram etiam mundi innouationem; Est Anselmi *in Elucidario*, Prosperi *in dimidio temp. cap. 19. & 20.* Pomerij *lib. 3. Prognost. cap. 46.* Suarez *disputatione 57. sectione prima*, Tanneri *disput. 2. quæstione 4. dub. 5. numero 153.* vbi simul cum Suarez citat S. Bonauenturam *in 4. distinctione 47. articulo 2. quæst. 4.* sed de Seraphico mox dicam: Hæc sententia vult, ignem deseruiturum ad mundum expurgandum: hoc autem fieri debet post iudicium, quo tempore adhuc fœdus erit.

Sententia Seraphici ea est, duos ignes futu- 139
ros: Alterum ante iudicium ad purgandos iustos, & ad cruciandos forsan reprobos; deinde alium ignem ad mundum etiam purificandum, & hic sequetur iudicium. Quare vtramque concordat opinionem.

Aduerte autem, Seraphicum non asserere, ignem illum, qui præcedet, purgaturum necessariò omnes iustos, non enim aut infantes baptizati, ac in infantia mortui, aut B. Virgo, aut Mar-
tyres egebunt purgatione. Et quidem certum est, 140
aliquos iustos absque purgatione transire ad gloriam,

tiam, vt ait Apostolus *secunda Corinth.* 12. vbi eos tantùm asserit transire per ignem, qui ædificant fœnum, aut stipulam; non autem qui ædificant aurum, vt exponit D. Augustinus *psal.* 37. & docet D. Hieronymus *libro secundo, contra Iouinianum*, & idem definit Concilium Florentinum *sessione vltima.*

141 Qvod verò nulli tunc purgandi sint, tum qoia pœnas in purgatorio solverint, &c. tum quia iam sint gloriosi, vt arguit Suarez, non bene contedit opiniooem Seraphici, quia ipse docet, futurum illum ignem ad purgandos iustos ante resurrectionem, vt notat *ex prima Thessal.* 4. & infrà dicam. Addit Cæsarius Arelat. *homil. in id* prima Corinth. 3. *Saluus erit, quasi per ignem*, posse fieri vt aliqui resurgant, & purgentur antequam beentur: Sed opponit Suarez, duos esse tantum ordines resurgentium, alterum iniquorum; alterum beatorum, vt ait Apostolus *prima Corinth.* 15. *& prima Thessal.* 4.

142 Assero primò, futurum ignem ante Iudicis aduentum ad terrendos, & torquendos reprobos.

Probatvr à D Bonauentura *in corpore*, & *fundamento primo* ex illo psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, ad quem allusit Paulus secunda Thessal. 1. *In reuelatione Domini Iesu de cœlo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt eum.* Confirmatur ex illo Ecclesiæ: *Qui venturus est iudicare sæculum per ignem.*

143 Probatvr secundò à S. Doctore ex Glossa ad id Malach. 3. *Purgabit filios Leui*, vbi duos ignes ponit; Alterum ad purgandos; Alterum ad reprobos puniendos.

Eadem dicunt Glossæ, Ordinaria, & Interlinearis ad illud Danielis 7. *Thronus eius flamma ignis.*

Assero secundò, ignem præcessurum ad purgandos etiam iustos ante iudicium.

144 Probatvr à D. Bonauentura *in corpore* ex eadem Glossa ordinaria, quæ est D. Augustini 20. *de ciuitate Dei, capite vigesimoquinto*, vbi ait: *Ex his videtur euidentius apparere in iudicio quasdam quorundam purgatorias pœnas futuras.* Et idem probatur ex suprà allata Glossa pro prima assertione.

Probatvr secundò à S. Doctore ex 3. capite Malachiæ: *Ipse enim quasi ignis conflans; & purgabit filios Leui, & colabit, sicut colatur aurum.* Hoc medio vtitur D. Ambrosius *in psal.* 46. & *serm.* 5. *&* 20. *in psal.* 118.

Confirmatvr à D. Bonauentura 1. *Thessal.* 4. vbi asserit, aliquos inueniendos iustos viros, qui possint purgari.

145 Assero tertiò, ignem alium futurum post iudicium ad mundum renouandum.

Probatvr à D. Bonauentura primò ex D. Augustino 20. de ciuitate, capite decimosexto. *Iudicatis hominibus, tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit; sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij*, & capite decimooctauo. *Quærat* (inquit) *aliquis, si post factum iudicium mundus iste ardebit, antequam pro illo cœlum nouum, & terra noua reponantur, eo ipso tempore conflagrationis eius, vbi erunt Sancti?*

146 Neqve verò tantùm dubitando loquitur, sed asserendo. Idem habet D. Anselmus *in Elucidario*, & Prosper *in dimidio temporis, capite primo, & vigesimo.*

Probatvr secundò à S. Doctore, qoia Ignis ille ad innouandum mundum ordinatur, vt supponimus; at innouatio erit post iudicium, vt dicitur *Apoc.* 21. Ergo.

147 Ex his habes, quomodo intelligendi sint Sancti Patres, præsertim Hieronymus, Ambrosius, & Hilarius, cùm dicunt, omnes iustos per ignem purgandos, aut probandos; nam probabuntur aliqui, dum testimonio ignis eorum innocentia ostendetur. Sic probati dicuntur tres pueri Babylone, vt notat Suarez *disputatione* 57. *sectione* 1. §. *ex hac igitur resolutione*; post D. Bonauenturam *quæstione* 4. in fine.

QVÆSTIO XV.

An signum Crvcis *præcessurum sit Iudicem.*

148 Oritvr hæc quæstio. Ex illo Matthæi 24. *Tunc parebit signum filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli*, quem locum de signo Crucis exponunt omnes Patres expositores, Chrysostomus, & Græci; Hieronymus, Hilarius, Beda, omnesque Latini ad hunc locum, Leo Magnus *epistola* 97. Author imperfecti *in Matth. homil.* 49. Hilarius *lib.* 3. *de Trinitate*, Augustinus *sermone* 130. *de tempore*, atque Ecclesia canit: *Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Nullum enim signum antonomasticum Christi potest inueniri, præter hoc, vt ait Cyrillus *catech.* 15. Eos sequitur D. Bonauentura *in* 4. *distinctione* 48. *quæstione* 3. *ad primum*, & *in Dieta salutis, titulo* 9. & *in ligno vitæ*, §. *Iesus Iudex.*

149 Mvlti censent, ipsam crucem Christi, collectis vndique particulis, & in vnam compactis, apparituram. Ita videtur S. Ephrem *libro de vera pœnitentia, capite quarto*, & Sybilla *libro sexto* in fine, & Vualdensis *Tom.* 3. *de Sacramentis, titulo* 20. *cap.* 158. & credit esse Chrysostomi sententiam *homil. de Cruce, & Latrone.* Idem sentit Gretserius *lib.* 1. *de Cruce, cap.* 92.

150 Alii credunt, solum signum Crucis apparitutum. Ita D. Anselmus *in Elucidario*, Antoninus 4. *parte, titulo* 24. *capite* 11. §. 5. eamque tribuit D. Thomæ, qui eam insinuat *in* 4. *distinct.* 48. *quæst.* 1. *artic.* 2. *ad* 2. & *opusculo* 2. *capite* 245. Abulensis, Iansenius, & alij expositores *Matthæi* 24. Idem videtur Seraphici *locis adductis.* Vnde ex Chrysostomo refert, illud signum fore splendidius toti orbi, quàm Sol, & idem ait D. Augustinus *loco citato.* Hoc autem non posset esse à paruo ligno Crucis, neque ab omnibus videri, sicut videbitur illud signum, vt ait S. Doctor *in Dieta, loco citato.* Idem probabilius putat Suarez *disputatione* 57. *sectione* 2. Tannerus *disputatione* 2. *quæst.* 4. *dub.* 3. *numero* 99.

151 Circa tempus, quando sit apparitura Crux; aliqoi credunt, apparituram multos dies ante Christi aduentum. Videtur innui à D. Clemente *libro* 7. *Const. cap.* 3. Attamen alij dicunt, crucem apparituram

die

die iudicij, & non ante. Ita Anselmus *in Elucidario*, & Ephrem, Cyrillus, Chrysostomus, & Augustinus suprà citati.

152 QVÆRES an simul appatitura sint etiam alia instrumenta passionis. Videtur D.Bonauentura *locis adductis in Diata*, & *Ligno vita* id affirmare. Estque D. Thomæ *opusculo citato*: hæc tamen nec à D. Bonauentura asseruntur, nec certa sunt.

QVÆSTIO XVI.

An CHRISTVS *apparebit reprobis in sua Deitatis forma.*

D. Bonau. in 4. dist 48. quæst. 2.
D. Thom. suppl. q 90. art. 2.

153 MAGNA sanè appariturus est Christus Maiestate, vt Scripturæ testantur; *Matth.* 19. 24. & 25. *Luca* 21. *Apocal.* 20. *Daniel.* 7. Vide Suarez *disput.* 57. *sect.* 3. & D. Bonauenturam *serm. de prima Dominica Aduentus*, & *serm. de Dominica* 24. *post Pentecosten*, & *in Diata salutis*, *tit.* 9. & *Luca* 21. & *dist.* 48. *quæst.* 2.

154 ASSERO primò, iustos quidem visuros Christum in forma Deitatis, non reprobos. Ita D. Bonauent. & D. Thom. *hîc*, & Valentia *disput.* 11. *quæst.* 4. *puncto* 1. Prior pars patet, quia erunt beati, vt dixi contra Cæsarium, *quæst.* 14.

QVÒD verò reprobi non sint visuri Deum clarè.

PROBATVR à D. Bonauentura primò ex D. Augustino, & Isidoro, quia non potest aliquis videre Deum clarè, quin summè delectetur; Sed reprobi non sic delectabuntur: Ergo.

HÆC verba, ait Marginista S. Bonauenturæ, non esse Augustini, vel Isidori, sed Magistri c. 1. Aliquid sanè innuit S. Augustinus 20. *de ciuitate Dei, cap.* 30. explicans illud: *Aspicient in eum, quem confixerunt: & plangent, &c.* Zachariæ 12.

155 RATIO autem, cur videns Deum consequenter delectetur, nec posset non delectari, saltem ex potentia Dei ordinaria, est, quia bonum per essentiam oblatum voluntati ob proportionem, trahit illam, tanquam obiectum, quod cum nil habeat quoad specificationem non appetibile, appetitur, & in eo voluntas delectatur, vt discurrit D.Thomas *quæstione* 2. *articulo* 3. apud Nazarium *Tract. de Iudicio in fine sexti Tomi, tertia partis*. Et Tostatus *quæstione* 330. *in* 25. *Matth.* Hoc verò etiam de potentia Dei absoluta fieri non posse, vt quis videat, & non delectetur, videtur Seraphicus *ad argumenta* concedere; vbi etiam rationem ex bonitate sumptam innuit.

156 PROBATVR secundò à S. Doctore, & D.Thoma ex 17.Ioan. *Hæc est vita æterna: vt agnoscant te Deum Patrem, & quem misisti Iesum Christum*, sed reprobi non fruentur vitâ æternâ: Ergo.

PROBATVR tertiò à S. Doctore, quia videre Deum, est à gratia consummata, qualem non habebunt reprobi. Vide S. Bonauenturam.

157 ASSERO secundò, reprobos cognituros diuinitatem Christi.

PROBATVR à S. Bonauentura, quia veniet cum potestate, & maiestate, vt dicitur *Matth.* 25. & hoc ad terrorem rebellium; vt autem terreantur, debent agnoscere terrentis Maiestatem.

DEINDE, quia nemo tristatur amissione alicuius boni, nisi illud cognoscat: Sed reprobi debent tristari amissione Diuinæ essentiæ: Ergo.

OBIICIES ad probandum, non negari reprobis visionem Deitatis, ne delectentur. Omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: Si ergo reprobi habebunt oculos infirmos ad videndam Diuinam essentiam, potius contristarentur ex tali visione, sicut oculus ex visione excessiua luminis. 158

RESPONDET S. Doctor, oculos infirmos animæ confortari a Lumine gloriæ, & proportionari non ad videndum facilius Deum, sed ad videndum absolutè; & tunc delectari. Itaque animæ reprobæ non possunt simpliciter videre Deum. Quod verò dicebatur de luce Solis, non est ad rem, nam oculus infirmus videt, licèt non perfectè, lumen Solis; neque habilitatur, & proportionatur aliquo medio, ideò videt cum tristitia.

OBIICIES secundò. Non minus potest separari delectatio à visione Dei, quàm calor ab igne: At hic separatus est, vt patet in pueris Babylonis: Ergo. 159

RESPONDERE videtur S. Doctor, delectationem à visione Dei esse inseparabilem.

QVÆSTIO XVII.

An CHRISTVS *apparebit reprobis Humanitate gloriosâ.*

D. Bonau. dist. 48. q. 3.
D. Thom. in suppl. q. 90. art. 3.

ASSERO, Christum etiam reprobis appariturum gloriosum.

PROBATVR primò à S. Bonauentura ratione, quæ est etiam D. Thomæ: Christus, cùm sit Mediator inter Deum, & nos, participat de vtroque extremorum; in primo autem aduentu ostendit infirmitatem, qua communicat nobiscum: Ergo in secundo aduentu debet demonstrare gloriam, qua cum Patre communicat. 160

PROBATVR secundò à D. Bonau. Christus venturus est Iudex, & vltor Diuinæ iustitiæ; at hæc magis exprimuntur Maiestate, & gloria, quàm humilitate: Ergo.

PROBATVR tertiò à S.Bonauentura: Talis apparebit, qualis est; at verò est gloriosus: Ergo.

OBIICIES primò. Christus apparebit cum signis cicatricum, & Cruce, quæ sunt signa infirmitatis. 161

RESPONDET S. Doctor ex dictis *quæstione* 15. Cicatrices, & Crucem, coruscatura cum Maiestate multa.

OBIICIES secundò. Sicut se habet oculus animæ ad Deitatem; ita oculus corporis ad videndam gloriam corporis; at oculus animæ seipso non potest videre Deum: Ergo.

RESPONDET S. Doctor, negando paritatem: nam Lux spiritualis transcendit sphæram naturalis facultatis animæ (quamvis sit obiectum eius) 162

idcò

ideò non potest vllo modo videri; at Lux corporea, licet excedat, non tamen transcendit vires naturæ.

QVÆSTIO XVIII.

An Apostoli coniudices assidebunt CHRISTO *in vltimo Iudicio.*

D. Bonau. in 4. dist. 47. quæst. 1.
D. Thom. in suppl. quæst. 89. art. 1.

163 ASSERO, etiam Apostolos tunc assessuros coniudices cum Christo.

PROBATVR à D. Bonau. primò ex Matth. 19. *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

PROBATVR secundò *ex Matth.* 12. vbi loquens de Apostolis, ait: *Ipsi iudices vestri erunt*, vbi Glossa, ait: *Habebunt authoritatem iudicandi.*

SI dicas, iudicaturos solùm è regione, seu comparatione aliquorum.

164 CONTRA, hoc enim modo etiam Niniuitæ, & Regina Austri iudicabunt *Matth.* 12. Iudicatur enim comparatione, cùm ex comparatione cum aliis aliquis ostenditur deterior: Sic multi Christiani iudicabuntur à Turcis, & Ethnicis, quorum comparatione peiores fuerunt, vt notant D. Bonauentura, & S. Thomas.

PROBATVR à S. Doctore ad 22. Lucæ: *Ego dispono vobis, vt sedeatis, iudicantes, &c.* vt mox dicam *quæst.* 19.

QVOMODO autem Apostoli esse possint coniudices Christi, qui solus constitutus est iudex, vt dicitur *Actorum* 10. & *Ioan.* 5.

165 S. BONAVENTVRA *in corpore* notat, Iudicem dupliciter dici, vel quia fert sententiam, vel quia tanquam assessor Iudici assistit. Christus ergo solus est iudex principalis, habens iurisdictionem, vt patet *Matth.* 25. vbi solus profert sententiam, vt ostendi *quæstione prima*: At verò Apostoli, & alij viri perfecti, qui etiam consilia Euangelica obseruarunt assistentes, non consultores; his enim non indiget Christus, sed dignitas illa erit honorabilis concessio, vt indicat Christus. Neque tamen S. Doctor hanc meram assessionem admittit; hæc enim non sufficeret ad officium Iudicis, vt notat etiam D. Thomas, sed insuper addit, præter comparationem vitæ cum vitis Sanctorum illorum, vt Apostoli, & Sancti illi confirment sententiam, & approbent, ostendentes, se tanquam libros, in quibus videantur iusta decreta Diuinæ sententiæ.

166 HAC distinctione obiecta quæcumque soluuntur. Vide S. Bonauenturam, & Platum *de dono Religionis.* Et Suarez *disput. quinquagesimaseptima, sectione quarta.*

QVÆSTIO XIX.

An etiam Angeli iudicabunt in die iudicij.

D. Bonauent. distinct. 48. quæ l. 2.
D. Thom. in suppl. q. 89. art. 3.

167 ASSERO, Angelos non consessuros ad Iudicandum cum Christo.

PROBATVR à D. Bonauentura, & D. Thoma primò, quia Deus dedit Christo potestatem iudicandi homines, quia Filius hominis est, vt dicitur *Ioan.* 5. sed hoc non competit Angelis: Ergo.

PROBATVR secundò, quia erunt Ministri, vt dicitur *Matth.* 13.

PROBATVR tertiò, quia potestas iudiciaria data est Apostolis ex priuilegio vitæ Euangelicæ, quæ Angelis non conuenit. Vide S. Bonauenturam *ibi*, & *ad* 22. *Lucæ*, vbi ex hoc deducit priuilegium: *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: Et ego dispono vobis, sicut disposuit Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo; & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.*

168 Hoc autem priuilegium concessum esse Apostolis ob consilia seruata, maximè paupertatem, asserit S. Bonauentura *distinct.* 48. *quæst.* 1. & 2. cum Sanctis Patribus, Augustino 20. *de ciuitate*, c. 5. & *epistola* 89. *quæstione* 4. Beda *homil. in Natali S. Benedicti*, Hieronymo *epistola* 28. Anselmo *epistola* 10. Gregorio *lib.* 10. *Moral. cap.* 17 & *lib.* 26. *cap.* 20. Bernardo *serm.* 8. *in psal. Qui habitat*, & *serm. in Euang. Ecce nos reliquimus omnia.* 169 Fundantur autem omnes in verbis Christi, qui dicenti Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, respondit: *Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis, &c.* Igitur obseruantia exacta consiliorum, maximè paupertatis, hoc priuilegium dat, quatenus sic Christum imitantes merentur cum Christo glorificari, vt ostendit S. Bonauentura *Apolog. Pauperum*, & *hîc*, Tostatus *quæstione* 105. *in Matth.* 19. eadem est sententia D. Thomæ *in* 4 *distinctione* 47. *quæstione* 1. *articulo* 2. *quæstiuncula* 1. & *opusc.* 19. *cap.* 6. & 7. Paludani, Soti *ibidem*, & D. Antonini 4. *part. tit.* 14. *cap.* 11. §. 6.

170 HINC S. Bonauentura *quæstione* 1. *in corpore*, hoc priuilegium astruit perfectis omnibus, qui non modò voluntariam paupertatem, sed reliqua perfectionis consilia amplexi sunt, & id sentiunt Sancti Patres allegati, præsertim Augustinus, Hieronymus, Gregorius, nam sola paupertas est imperfecta, benè tamen est dispositio. Vnde ait Christus: *Si vis perfectus esse, vade, vende, &c.*

ALIQVI dicunt id concedendum omnibus Sanctis canonizatis: Sed refellit Suarez, quia multi non canonizati sunt maioris meriti.

171 IGITVR Angeli iudicabunt consentiendo, & approbando, vt notant S. Bonauent. & S. Thom. non tamen consedendo, & ex tribunali confirmando, in quo Iudiciaria stat potestas.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XX.

An omnes boni, & mali homines sint iudicandi.

D.Bonauent. distinctione 47. quæst. 3.
D.Thom. in suppl. quæst.89. art.6. & 7.

ASSERO primò, omnes conuenturos ad iudicium, vt eorum merita ad præmium conferantur.

172 PROBATVR à D. Bonauentura ex 2.Corinth.5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et Romanor. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.*

HÆC sanè loca non solùm concursum ad iudicium exprimunt, vt putat Suarez *disputatione* 57. *sectione* 5. Sed concursum iudicandorum, vt eorum merita manifestentur in iudicio, quod postea concedit.

173 ASSERO secundò, non omnes conuenturos, vt eorum causæ discutiantur, & inquirantur quoad omnia.

PROBATVR à S.Bonauentura ex Patribus, præcipuè D. Gregorio 26. *Moralium*, *cap.* 20. vbi distinguit duos ordines reproborum: Alterum eorum, qui iudicantur, & pereunt: vt sunt Christiani peccatores, & eorum culpæ: Alterum eorum, qui non iudicantur, & pereunt, vt sunt Infideles quoad infidelitatem. Quia: *Qui non credit, iam iudicatus est*, vt dicitur *Ioannis tertio.* Et idem dicendum de decedentibus in solo peccato originali; licèt non condemnandi sint; tamen causa eorum condemnationis iam est definita legitima, quia: *Sine fide impossibile est placere Deo*, vt ipse S.Gregorius explicat.

174 DVOS alios ordines iustorum ponit; Alterum eorum, qui iudicantur, & regnant, vt sunt omnes sancti adulti: Alterum eorum, qui non iudicantur, & regnant, vt sunt parvuli baptizati decedentes: Eodem modo sentiunt Anselmus *in Elucidario*, Pomet. *libro tertio*, *Prognostic. cap.* 33. Isidor. *lib.*1. *de summo bono*, *cap.* 30. & sequuntur communiter Scholastici *in* 4.*dist*.47. de iudicio discussionis.

FAVET etiam Origenes, *homilia* 21. *in Numeros.*

175 IDEM sentiunt de Infidelibus, Basilius, & Hilarius *ad cap.3.Ioan.* Ambrosius *in Psalmum* 118. Lactantius *libro septimo*, *cap.* 20. Augustinus *sermone* 38. *de Sanctis*, vbi ait: *Ad iudicium non veniunt nec Pagani, nec Heretici, nec Iudai, quia de illis scriptum est: Qui non credit, iam iudicatus est*, vbi nolunt dicere, Infideles nullo de peccato discutiendos; hoc enim Sancti Patres nequidem somniarunt, vt dicam *ad argumenta.*

ASSERO tertiò, omnes gentes conuenturas ad sententiam salutis, vel damnationis, à Christo accipiendam.

176 PROBATVR primò à D. Bonauentura ex illo, *Roman.* 14. vbi retundit Apostolus eos, qui iudicant fratrem suum; & suæ reprehensionis rationem reddit: *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim*, Isaïæ 45. *Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.* Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Hinc iniungit, non pertinere ad nos alios iudicare.

PROBATVR à S. Bonauentura illis authoritatibus, quæ vniuersale de omnibus, etiam Sanctis, iudicium asserunt, Ecclesiaste 12. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum sit*, Sophoniæ 1. *Et erit in tempore illo: Scrutabor Hierusalem in lucernis*, idest, in die iudicij, de quo mox subdit: *Iuxta est dies Domini magnus.* Idem habetur Matth. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes. &c.* Vide S. Doctorem *in fasciculario*, *cap.* 4. vbi mira habet. 177

Idem docent Patres, præcipuè Hieronymus *Ecclesiast. vltimo*, Lactantius *lib.*2. *cap.*22. Anselmus *in Elucidario*, *& libro de similitudinibus*, Gregorius *in Psal.*88. Hugo de S Victore *lib.*3. *de anima*, *cap.*23. Augustinus passim præcipuè *lib.* 20. *de ciuitate*, *cap.* 14. & *lib. medit. cap.*4. & Bernard, *serm.* 55. 178

PROBATVR secundò à D. Bonauentura: Quia debet omnibus nota fieri Dei iustitia, tum in remuneratione bonorum; tum punitione malorum, vt dixi *quæst.*1. Ergo etiam Sancti iudicandi sunt, iuxta id Psal. 74. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

ASSERO tertiò, etiam parvulos iudicandos, eosque apparituros in Iudicio: Ita S. Bonauentura *in* 4. *distinctione* 47. *artic.* 1. *quæstione* 3. & ibi Sotus *quæstione* 1. *artic.* 3. *ad* 2. Idem eguntur tenere, qui dixerunt, pueros, originali labe decedentes, puniendos pœnâ sensus, vt indicat S. Doctor *loco citato.* Hi sunt citati *prima secunda*, *tractat.* 3. *disputatione* 5. *quæstione* 4. Idem docent Suarez *disputat.* 57. *sect.*6. Tannerus *disput.*2. *quæstione* 4. *dub.* 4. *numero* 121. cum D.Thoma passim. 179

PROBATVR ex illo 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet, &c* & aliis allatis scripturæ Testimoniis generalibus, & ex PP. præcipuè Augustino *serm.*14. *de verbis Apostoli*, & *lib.*3. *de libero arbitrio*, *cap.*23. *Hypognost. lib.* 5. *& lib.* 9. *moral. cap.* 12.

RATIO S. Doctoris est, quia debet vniuersalis Dei iustitia manifestari, & cùm infantes illi sint in æternum puniendi, æquum est, vt publicè condemnentur. 180

ASSERO quartò, omnia peccata iustorum discutienda.

PROBATVR ex 12. *Ecclesiast.* 1. *Corinthior.* 4. *Sophonia primo*, suprà relatis, & Matth.12. *De omni verbo otioso.* Idem probabo *quæstione* 22. *assertione* 2.

CONTRA secundum asserendum obiiciunt multa Suarez, *disputatione* 57. *sectione* 5. Tannerus *disputatione* 2. *quæstione* 4. *dub.*4. *numero* 117. quia putant, nos asserere, nulla de culpa discutiendos esse infideles.

PRIMÒ quia *Ioëlis* 3. dicit Dominus: *Deducam omnes gentes in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis*, & Hierem. 25. *Iudicium Domini cum gentibus*, vbi D.Hieronymus ait, etiam infideles diuersis afficiendos pœnis; Idem habet S.Augustinus *lib. de agone Christiano*, *cap.*27. 181

HÆC tamen nihil redolent vniuersalis discussionis omnium peccatorum, sed solius iudicij damnatorij

natorij ; disceptaturus verò dicitur de his, de quibus oportebit.

182 Obiiciunt secundò Tannerus, & Suarez, quia sæpe peccatum infidelitatis est occultum.

Respondetur, etiamsi occultum sit, tamen satis erit proferre in infideles sententiam, cum iam causam secum ferant decisam.

Instat Suarez, se ignorare, quæ disceptatio erit magis cum fidelibus, aut quæ discussio ; nam sicuti à Diuino decreto statutum est sine fide non posse aliquem placere Deo ; ita statutum est, non placere eos, qui habent fidem sine operibus.

Respondetur, specialem in operibus esse faciendam discussionem, in quibus sunt intensiones, sunt species variæ, & diuersæ peccatorum, & transgressionum indecisæ circumstantiæ, de quibus Morales agunt, & ideo dicitur : *Reddet vnicuique iuxta opera sua.* Tunc quidem opiniones decidentur, & videbunt, quali conscientiâ vnusquisque egerit, & qua Doctorum authoritate, seu rationum momento nixus sit vnusquisque, dum vnum præ alio sibi delegerit.

183 Instat Suarez, nam ad iudicium reddere tenentur rationem non modò peccatorum, sed etiam quantitatis eorum : Itaque sicuti, qui non amat, iam iudicatus est, eo sensu vt damnatus sit ; attamen malitiæ quantitas, quibus scilicet auxiliis restiterit, quot actus omiserit charitatis, quot peccata propterea commiserit ; ita is, qui non credit. Hæc ratio colligitur ex D. Hieronymo ad ea verba Hierem. 25. *Iudicium Domini cum gentibus. Quia sunt* (inquit) *Gentium merita diuersa, & idcò, qui non credit, iudicatus quidem est in eo, quod non credit, sed ipsi, qui non credunt, diuersis inter se afficientur suppliciis, iudicantur ipsi cum omni carne, vt nullus non iudicatus abeat.*

184 Respondetur ex D. Bonauentura *ad tertium Ioannis*, & hic *in corpore*, ibi poni antithesim. *Qui credit, non iudicatur : qui autem non credit, iam iudicatus est : quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei.* Quia ergo fundamentum omnis salutis est fides, sine qua impossibile est placere Deo ; propterea ponitur damnatus, quicunque non credit ; sicuti autem, qui credit, non iudicatur quidem, idest, non discutitur ; an sit admittendus ad salutem ; sed discutiuntur tantùm opera ; ita, qui non credit, iam iudicatus est, idest, non est discutiendum, an sit admittendus, nec ne ; sed opera sunt discutienda, inter quæ est etiam resistentia inspirationibus,
185 illuminationibus, &c. Et hic est sensus germanus Sanctorum Patrum, & aliorum, quos suprà retuli, maximè D. Bonauenturæ, quod probo ex ipso Suarez *disputatione quinquagesimaſ. prima, sectione septima*, & Tannero *disputatione secunda, quæstione quarta, dub. 4. numero* 224. nam iuxta D. Gregorium, suprà citatum, ordo vnus iustorum est, qui non iudicabuntur, & regnabunt, vt sunt, quibus Christus promisit, Matth. 19. *Vos sedebitis iudicantes.* Idem autem non potest esse iudex, & reus, vt notat S. Bonauentura *quæstione tertia, fundamento secundo*, & tamen omnes eorum culpæ etiam leuissimæ discutientur in sententia S. Bonauenturæ *quæstione secunda*
186 *& tertia*, vt allegatur ab his : Ergo signum est, Seraphicum non negare perfectis discussionem iudicij in aliquo, sed solùm in hoc, quod iuxta Diuinum promissum sunt saluandi, de quo non est dubium ; & ita etiam opposito ordinis reproborum, qui sunt infideles, non negarem discussionem peccatorum, sed solùm, an saluari possint, quia iam desperati sunt, carentes fide.

❧❧❧❧❧❧❧❧:✝:❧❧❧❧❧❧❧❧

QVÆSTIO XXI.

Vtrum Angeli sint iudicandi.

D. Bonau. in 4. dist. 47. arte 1. quæst. 4.
D. Thom. 3. parte, quæst. 95. art. 6.

PRIMA opinio negat omnino, Angelos iudicandos ; Ita D. Thomas, qui docet hoc iudicium directè ad Angelos non pertinere, sed solum indirectè, quatenus actibus hominum fuere commixti. Idem docent Caietanus, & omnes Thomistæ, & Valentia *disputatione decima, quæstione quarta, puncto secundo*, & Tannerus *disputatione secunda, quæstione quarta, dubio quarto, numero* 129. 187

Opposita sententia est D. Bonauenturæ, quem sequitur Richardus *eadem distinctione, articulo primo, quæstione sexta*, Suarez *disputatione quinquagesimaſ:xta, sectione* 8.

Assero cum hac sententia, Angelos subituros extremum Iudicium. 188

Probatur primò à S. Doctore ex 40. Iob. vbi dicitur de Diabolo : *Spes eius frustrabitur eum, & cunctis videntibus præcipitabitur.*

Probatur secundò à D. Bonauentura, ex illo prima Corinth. 6. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus.*

Respondet Tannerus *num.* 132. intelligi posse de Angelis malis ; quoad accidentale supplicium, ex insidiis iactis hominibus.

At argumentum D. Pauli irritum foret ; nam 189 dehortatur Corinthios, ne Iudicium subeant ad tribunalia infidelium : *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt ? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis ? Nescitis quoniam Angelos iudicabimus ? quantò magis sæcularia ?* Hoc autem argumentum vrget, Angelos de omnibus iudicandos, nam si de solo ministerio tantùm conuinceret, posset redargui : Sicut ergo aliqua sola accidentalia de Angelis reseruantur vobis ; ita & de hominibus in via nos possumus aliqua saltem iudicare. Itaque argumentum Pauli eneruaretur, vt videtur concedere etiam Suarez.

Probatur tertiò *aliis fundamentis* à Seraphico, iudicandos Dæmones quoad ministerium, quia sunt complices in culpis nostris. 190

Probatur quartò *in corpore* validis argumentis assertio. Primum sumitur ex iustitiæ Dei manifestatione, propter quam fiet iudicium, sicut igitur omnium hominum salus, & damnatio, quia spectat, tanquam obiectum, ad iustitiæ Diuinæ actus, est tunc iudicanda ; ita & Angelorum. Vide etiam Suarez.

Secundum sumitur ex gloria Christi, quia 191 sicut triumphauit de Diabolo, quo suggerente iudicatus est iniquè ; ita debet in eum potestatem iudicis exercere, sic etiam Suarez.

Obiicit

OBIICIT primò: *Princeps mundi iam iudicatus est*, vt dicitur *Ioan.* 16.

RESPONDET S. Bonauentura, iudicatum fuisse, quatenus ablata est ei potestas in homines, tanquam tyrannica. Deinde iudicatus est, sicuti de infidelibus dictum est, idest, iam actum est de dæmone; attamen quantitas meritorum est discutienda.

192 OBIICIT secundò Tannerus *num.* 130. quia *Matth.* 25. vbi iudicium describitur, soli homines recensentur: *Venite benedicti: Discedite maledicti, &c.*

RESPONDETVR primò cum Tannero *num.* 123. in Matthæo non commemorari omnia, quæ in iudicio futura sunt, sed tantùm ea, quæ ad hominum correctionem conferre possunt.

RESPONDET secundò D. Bonauentura, iudicatum iudicari diabolum igne æterno, Matth. 25: *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*; attamen discutienda esse merita Diaboli, sicut de infidelibus dictum est, & hoc seorsù fieri mentionem Diaboli.

LICET autem iam facta sit sententia de Angelis; tamen illud iudicium fuit priuatum, vnde sicut iudicati iam homines priuati iterum iudicandi sunt. Ita, &c.

OBIICIT tertiò Iansenius: Iudicium est sensibile, quod puris spiritibus non conuenit.

RESPONDETVR, Angelos apparituros in corporibus assumptis.

193 OBIICIT quartò. In Symbolo solùm credere cogimur, Christum esse iudicem viuorum, & mortuorum; & ratio est, quia hominum tantùm est Redemptor: Ergo & Iudex.

RESPONDETVR, cogi credere quod ad nos spectat, & de fide est; at non dicimus, esse de fide nostram sententiam, sunt enim multa vera,
194 quæ non sunt definita. Quod verò Christus non sit Redemptor Angelorum, parum obest; nam alias rationes affert S. Bonauentura, ob quas Iudex futurus sit dæmonum.

QVÆSTIO XXII.

An, & quomodo manifestanda sint omnium opera.

D. Bonau. dist. 43. art. 2. quæst. 3.
D. Thom. p. p. quæst. 24. art. 3.

195 QVID sit LIBER VITÆ, & quid scriptum contineat, dixi *p. p. Tract.* 2. *disputat.* 23. *quæst.* 1.

ASSERO, in iudicio manifestanda esse iudicandorum opera.

PROBATVR à D. Bonauentura *quæstione citata* ex Apocal. 20. *Et vidi mortuos, pusillos, & magnos stantes in conspectu throni, & Libri aperti sunt: & alius Liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in Libris, secundùm opera eorum.* Per Libros autem, in quibus omnia erunt aperta, intelliguntur conscientiæ cum Hieronymo, Theodoreto *Danielis* 7. Per Librum autem vitæ, intelligit D. Augustinus 20. *de ciuitate, cap.* 15. Diuinam

mentem, in qua prædestinati sunt conscripti, vt dixi *p. p. loco citato.* Vnde sicut in aliis Libris scripta sunt opera; ita in isto nomina.

ASSERO secundò, opera cuiusque non solùm 196
ipsis, qui ea patrarunt, sed omnibus manifestanda. Ita D. Bonauentura *in* 4. *distinct.* 43. *artic.* 3. D. Thomas *quæst.* 1. *artic.* 5. *quæst.* 3. Richardus *art.* 7. *& dist.* 47. *art.* 1. *quæst.* 3. Soto *quæst.* 2. *art.* 3. Suarez *disp.* 57. *sect.* 9.

PROBATVR quidem à S. Doctore *quæstione* 1. *articulo* 3. legenda esse à singulis propria opera, ex illo Rom. 2. *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum.*

PROBATVR secundò à D. Bonau. ex D. August. 197
20. *de ciuitate, cap.* 14. id astruente.

PROBATVR verò à S. Doctore *quæstione prima, & secunda*; omnium opera manifestanda esse publicè omnibus, ratione, qua nititur Suarez *disp.* 57. *sect.* 9. quia iudicium vniuersale fiet ad declarationem iustitiæ, & misericordiæ; ad hoc autem necesse est, vt acta publicè legantur.

PROBATVR secundò à S. Doctore *quæstione* 2. ex prima Corinth. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, vbi Glossa sic hunc locum exponit.

PROBATVR tertiò ibi, quia iusti debent iu- 198
dicare, & mali comparatione eorum redargui: Ergo opera malorum erunt nota bonis. Similiter opera bonorum malis erunt nota, quia ex his redarguentur, vnde dicitur: *Viri Niniuitæ surgent in iudicium cum generatione hac, & condemnabunt eam.*

CONFIRMATVR à S. Doctore, tum ex D. 199
Gregorio 28. *Moral. cap.* 27. vbi ait: *Vnius mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet*, & ex D. Augustino 20. *de ciuitate, cap.* 14. vbi ait: *In futuro vno aspectu videbimus omnium cogitationes.*

PROBATVR à D. Bonauentura etiam *in corpore*, ex D. Anselmo *lib. de similitudinibus, cap.* 60. vbi asserit, peccata iustorum videnda, vt de eorum liberatione gratiæ Deo agantur. Idem probat S. Doctor ex Diuo Bernardo *sermone* 55. *in Cantica.*

ASSERO tertiò, omnia ab omnibus videnda simul. Ita S. Doctor *quæst.* 3.

PROBATVR à D. Bonauentura ex Glossa 200
id habente *Iob.* 8.

PROBATVR secundò, quia simul infligetur tota pœna: Ergo sub hac saltem ratione, vt ad vnam pœnam reducuntur, omnia peccata cuiusque videbuntur: & idem dic de operibus bonis, in ordine ad præmium.

PROBATVR tertiò, quia sicuti Beatus habet perfectum gaudium; ita damnatus perfectissimam tristitiam: Sed perfectissimum gaudium est ex omnibus obiectis delectabilibus, & perfecta tristitia ex obiectis contristantibus: Ergo.

OBSERVAT tamen S. Doctor, id non ha- 201
beri certum, sed omnia vel simul, vel respectu; & quidem ad plura per modum plurium cognoscenda perfectè, non sufficit virtus naturalis, vt dixi *prima primæ, Tract. de anima, disputatione* 9. *quæst.* 6. Ideò necesse foret virtus Dei, vt ipse S. Doctor fatetur.

INCERTVM est autem, Deum facturum mira-

cula, vt notat Magister, & cum eo Suarez *disp.* 57. *sect.* 9.

Saltem verò erit hæc cognitio repente per mentalem cognitionem, non autem per vocalem expressionem, quia hæc esset nimis morosa, & non necessaria expressio, vt docet D. Augustinus 20. *de ciuitate*, *cap.* 14.

202 Potest tamen asseri, futuram expressionem vocalem, quoad opera misericordiæ, vt indicatur *Matth.* 25. & quoad alia insignia.

Ex quo etiam colligitur, sententiam quoad vniuersalem condemnationem, aut saluationem proferendam esse voce sensibili; at verò quoad gradus pœnæ vel gloriæ cuiusque proferendam mente, &
cuique sic aperiendam. Ita videtur D. Bonauent.
203 *in Dieta salutis*, *tit.* 9. circa finem. Vide eum *ibi*,
vbi præclara dicit.

QVÆSTIO XXIII.

In quo loco faciendum sit Iudicium.

D. Bonau. in 4. dist. 48. dub. 1.
D. Thom. in 4. d. 43. quæst. 1. art. 4. q. 4. quodl. 10. art. 2. & opusc. 60. cap. vlt.

204 Commvnis sententia est, futurum in Valle Iosaphat, quæ iacet inter Hierusalem, & Montem Oliueti. Ita D. Bonauentura *hic*, *dist.* 48. Albertus *ibidem*, *art.* 8. D. Thom. *loco cit.* Paludanus *dist.* 47. *quæst.* 1. *art.* 1. D. Antonin. 4. *p. tit.* 14. *c.* 11. §. 5. & sequuntur Recentiores propter locum Ioëlis 3. *Deducam eos in Vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis.* Verum non ita æstimare debemus futurum iudicium in valle illa, vt Christus in ea sedens iudicaturus sit, vt notat S. Doctor *loco cit.* aut ita, vt omnes gentes in illa vallicula comprehendantur; hoc enim falsum est, vt ait Glossa Ordinaria, & Magister *dist.* 47. & Alens. 1. *p. quæst.* 25. *memb.* 2. qui pro opposita sententia adducuntur, sed Christus in aëre altius suprà vallem residens, eleuatis secum omnibus iustis, relinquet in tota regione distentos reprobos, vt omnes ferè expositores docent *ad c.* 4. *primæ Thessal.* Vide Suarez *disp.* 53. *sect.* 3. Tanerum *disput.* 2. *quæst.* 4. *dub.* 3. *num.* 84. Valentiam *quæst.* 4. *part.* 2.

205 Forsan ex Mysterio dicta est Vallis Iosaphat, quæ significat iudicium Domini, aut vallis diuisionis iuxta, vt habet Chaldæa lectio. Vnde non benè aliqui negant, futurum iudicium in valle illa, sed in aliqua mundi latitudine, quæ dicetur Iudicium, hoc enim videtur repugnare eidem Ioëli, qui *loco cit.* dicit, Deum iudicaturum in Sion, & *Actorum* 1. dicitur, reuersurus, sicut ascendit, è Monte Oliueti.

206 Qværes. Si reprobi erunt in terra; & iusti in aëre, quomodo dicit, se separaturum oues ab hædis, vt oues à dextris sint, & hædi à sinistris?

Respondetvr primò posse seiungi, ita vt omnes reprobi à parte sinistra Christi in terris sint; iusti verò in aëre à dextris.

Respondetvr secundò, à dextris significare locum honoris; à sinistris verò locum abiectionis,
& ita diuidentur hi in terra relicti, illi ad aërem
207 eleuati. Ita Hilarius *can* 28. Anselmus *Matth.* 25.
& communiter Scholastici.

QVÆSTIO XXIV.

An dies Iudicij sit nota alicui creaturæ.

D. Bonau. in 4. dist. 48. quæst. 4.
D. Thom. suppl. q. 88. art. 3.

Iam *disput.* 14. *quæst.* 5. vidimus, omnia, quæ ad scientiam Visionis spectant, cognosci à Christo.

Fvit opinio aliquorum, diem iudicij futurum 208
post 6000. annos. Ita Lactantius *lib.* 7. *Instit. cap.* 14. & 24. Iustinus Martyr *quæst.* 71. *ad Gentes*, Irenæus *lib.* 5. *cap.* 28. Hilarius *can.* 17. *in Matth.* Hieronymus *epistola* 139. Gaudentius Episcopus Brixiensis *Tract.* 8. *in Exodum*, & Augustinus 20. *de ciuitate*, *cap.* 7. eam non improbabilem indicat. Refert verò Lactantius, hanc opinionem apud Ethnicos non fuisse improbabilem, & Sybillas affert, & Hebræos Rabbinos, quos refert Galatinus *lib.* 4. *cap.* 20. & Picus Mirand. *lib.* 7. *Nephtali*, *cap.* 4. Vide Bellarminum *lib.* 4. *de Romano Pontifice*, *cap.* 3. Suarez *disp.* 53. *sect.* 4. qui alias etiam opiniones referunt.

Aliqvi enim 6000. annos addunt, alios 500. 209
vt Germanus Episcopus Constantinopolitanus *in Theoria rerum Ecclesiasticarum*, parum à medio, vbi refert multos Patres, Chrysostomum, Cyrillum, Hyppolitum: Sed non inueniuntur hi hoc dixisse.

Alii verò dicunt, post Aduentum Christi duraturum adhuc mille annos mundum. Ita Lactantius, & Chiliastæ, quorum opinio est hæretica.

Assero primò, diem iudicij esse occultum, 210
nisi speciali reuelatione pandatur.

Probatvr à D. Bonauentura ex Matth. 24. Marci 13. *De die illa, nemo scit.* Quod verò non sola dies, sed & annus ignoretur, probatur ex illo, Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in potestate sua.* Quo testimonio arbitratur S. Augustinus 19. *de ciuitate*, *cap.* 53. redargui omnes, qui tempora durationis mundi definiunt. Eodem argumento vtitur S. Augustinus *in psal.* 6. & 89. & *epistola* 78. & 80. & Cyrill. *catech.* 15.

Confirmatvr à S. Doctore *in* 12. *Lucæ*, 211
ad ea verba: *Quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Ex Glossa ad eum locum, & ex *prima Thessal.* 4. vbi dicitur: *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Eccl. 9. *Nescit homo finem suum.* Et cap. 5. *Subitò veniet ira eius; & in tempore vindictæ disperdet te.* Ideò (ait S. Doctor) dicitur media nocte insperatò venire *Matth.* 25.

Assero secundò, diem iudicij notum factum esse Christo, vt ostendi *loco cit.*

Probatvr à D. Bonauent. quia Christus non potuit proficere scientiâ.

Assero tertiò. Probabiliter Angelis notus as- 212
seritur, saltem aliquibus; est tamen incertum. Ita D. Bonauentura, quem sequitur Suarez. Vide ipsum etiam *ad argumenta*, & *in corpore*.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXV.

An, & quomodo post Iudicium mundus sit renouandus.

D. Bonau. in 4. distinct. 48. artic. 2.
D. Thom. in supplement. quæst. 91. art. 1.

213 SERAPHICVS titulum apponit: An corpora cœlestia post iudicium renouabuntur; vbi non solum remunerationem quærit, sed etiam: An ad meritum, non quidem mundi, quod est inanime, sed an hominis meritum renouandus sit, quatenus homini ad meritum inseruit.

214 OMNES quidem concedunt, cœlos, & totum mundum renouanda. Ita habetur Isaiæ 65. *Ecce, ego creo cælos nouos, & terram nouam.* Idem habetur, cap. 66. & Apocal. 21. *Vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit*, & Petrus secunda cap. 3. *Nouum verò cælum, & nouam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.*

RATIO verò huius renouationis est D. Bonauenturæ *in corpore*, qua vtitur Suarez *disputatione quinquagesimaoctaua, sectione prima.* Quia mundus est propter homines, & præsertim propter electos, iuxta id primâ, Corinth. 3. *Omnia vestra sunt: vos autem Christi.* Cùm ergo status electorum sit innouandus, ac perficiendus, decet, vt totus hic mundus innouetur, & perficiatur, modo consentaneo huic statui Sanctorum.

215 SECVNDA ratio S. Doctoris est, quia cùm homo iustus vsus sit mundo ad Dei amores, & ideò præmio dignus sit; congruum est, vt etiam mundus ipse, qui fuit instrumentum, seu motiuum ad Deum amandum, aliqua veluti remuneratione compensetur. Hac phrasi vtuntur Glossæ *ad 30. Isaia*, vt notat D. Bonauentura.

QVÆSTIO verò est, quæ innouatio mundi facienda sit.

216 FVERE aliqui Catholici asserentes, hanc Innouationem faciendam per mutationem substantialem corporum. Ita Catharinus *ad Heb. 1.* & *secunda Petri 3.* & Hieronymus Magius *libro 2. de exustione mundi, cap. 6. & 7.* & Vallesius *lib. de Sacra philosophia, cap. 89.* Molina *de operibus sex dierum, disp. 3.* Salmeron *Tom. 1. prol 8.*

Ex antiquis verò Patribus videtur fauere Hilar. in id psal. 118. *In æternum Domine permanet Verbum tuum.* Chrysostomus homil. 14. in id ad Rom. *Vanitati creatura subiecta est*, & homil. 15. ad populum; Et eum imitantur Theodoretus, & Oecumenius *in cap 8. Rom.*

217 EANDEM sententiam constanter docent Iustinus Martyr *quæstione nonagesimatertia, nonagesimaquarta, & nonagesimaquinta*, Ambrosius *libro primo, Hexæmer. capite sexto*, Basilius *homil. 3. Hexaëmer.* Nyss. *libro de creatione hominis, capite vigesimoquarto.* Denique *in libro secundo, & tertio, recognitionum Clementis* legimus, supremum cœlum (quod Empyreum vocamus) immutatum permansurum; inferiores verò cœlos prorsus abolendos, & in meliores commutandos. Quàm sententiam referens D. Hieronymus *Isaia 51. & 65.* dicit, hanc fuisse antiquorum philosophorum opinionem; omnia scilicet, quæ cernimus, igni aliquando peritura, & hanc opinionem philosophorum attigit Eusebius *libro decimoquinto, de præpar. capite decimoseptimo*, vbi ait, hoc fuisse illud dogma Stoicorum, quod Zeno, Cleantes, & Crysippus astruxeruot.

SECVNDA opinio fuit, hanc innouationem fore substantialem solùm in elementis. Ita videtur 218
Beda *secunda Petri, capite tertio*, vbi etiam Glossa Ordinaria. Et quoad elementum aquæ, non reputant improbabile Diuus Augustinus 20. *de ciuitate, cap. 16.* Ambrosius *in Apocal. 21.* (si illius sunt illi Commentarij,) vbi de mari dicitur, abiisse.

OPPOSITA tamen sententia est, neque ele- 219
menta, neque cœlos immutanda substantialiter. Ita D. Augustinus 20. *de ciuitate, capite 14. 16. 18. & 24.* nec dissentit *in psal. 101.* Irenæus *libro quarto, contra hæreses, capite sexto*, Epiphanius *hæresi 64.* Hieronymus *in cap. 65. Isaia*, Gregorius 17. *Moral. cap. 5.* Beda *libro de ratione temporum, capite 66.* Gennadius *de Eccles. dogm. capite 70.* Primasius *in cap. 1. epistola ad Heb.* Anselmus *Heb. 1. & 12. & Apoc. 20. & 21.* Eadem est communis Doctorum *in 4. distinctione 47. & 48.* vbi S. Doctor cum Magistro. Eandem sententiam sequitur Pererius *libro primo, in Genes. quæstione 1. & 2.* Gregorius de Valentia *disputatione 11. quæstione 6. puncto vnico*, Suarez *disputatione 58. sectione 2.* Tannerus *in dissert. de cœlis, quæstione 11.* & *Tom. 1. disputatione 6. quæstione 4. dub. 5.* & *Tomo quarto, disput. 2. de myst. vita Christi, quæstione quarta, dub. 5. numero 161.*

ASSERO primò, cœlos non esse substantialiter 220
post iudicium immutandos. Ita D. Bonauentura *quæst. 1.*

PROBATVR à S. Doctore *fundamento primo*, quia Scripturæ non dicunt, cœlos destruendos, sed in melius commutandos, & innouandos, vt dixi initio. Vnde *Ecclesiastæ 3.* dicitur: *Cognoui, quod omnia, quæ fecit Deus, ipsa erunt in æternum*, non quidem quoad singula indiuidua, sed quoad cœlos saltem, & species elementorum; & *psal. 148.* De cœlis dicitur: *Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi*, qui locus clarus est, vt notat Suarez *disp. 58. sect. 2.* Cum D. Bonau. *in 4. dist. 9. parte 2. artic. 3. quæst. 1. ad primum.*

HÆC tamen assertio non est adeò certa, vt oppo- 221
sita, quæ est tot Patrum, absona sit.

IDEÒ S. Doctor *quæstione prima ad primum* exponens illud psal. 101. *Tui sunt cæli. Ipsi peribunt, &c.* timidè respondet, non ideò dici cœlos perituros, quia destruendi sint, sed quia innouandi. Imitatus est D. Augustinum, qui ad eundem locum, sic ait: *Sunt autem, & cœli cælorum superiores in firmamento: Sed vtrum & ipsi perituri sint igne; an ij soli, qui etiam diluuio perierunt, disceptatio est aliquantò scrupulosior inter doctos, nec facilè, maximè in angustia temporis, explicari potest.*

ASSERO secundò, Cœlos mutandos accidentaliter.

PROBATVR à S. Doctore *quæst. citata* primò ex 222
loco adducto *psal. 101.* Sic exponitur etiam à D. Hieronym. *Isa. 51. & 65.* & Ambrosio ad eundem psalmum.

PROBATVR secundò à S. Doctore ex Isaiæ 30. *Erit Lux Lunæ, sicut Lux solis, & Lux solis septempliciter.* Quæ verba sic exponit Diuus

Hieronymus *loco adducto* ; & Glossæ , ex quibus
223 asserit Interlinearis , augendam lucem , quia per
peccatum hominum fuit minorata , vt refert S.
Doctor *quæstione prima* , *fundamento prim.* , quod
quidem Suarez irridet , adducens D. Thomam
distinctione 48. *quæstione* 2. *articulo* 3. *ad* 3. &
Sotum *distinctione* 47. *quæstione* 1. *articulo* 3. sed
vult dicere tantùm Solem , & Lunam fuisse
sæpius ob peccata obscurata , maximè tunc in
fine mundi , nam in signum horroris peccato-
rum obscurantur : *Erunt signa in Sole, &c.* vt
notat S. Doctor ad eum locum Lucæ , & dixi
quæstione 13. ob peccata Babylonis *Apocal.*6. &
*Ezech.*32. ob peccata Pharaonis.

224 PROBATVR tertiò à D. Bonauentura *quæst.*3.
ex illo prima Corinth. 7. *Præterit enim figura
huius mundi* , quem locum sic exponit Epipha-
nius , dicens *hæresi* 64. citans Proclum , & Me-
thodium : *Hic mos est Scripturis , vt hanc mun-
di transmutationem in meliorem , ac magis glorio-
sam restitutionem , interitum , ac perditionem di-
cant , tanquam videlicet prior figura pereat per
vniuersorum , ad illustriorem statum mutationem :
nam nulla contrarietas , aut absurditas est in diui-
nis Scripturis* : Præterit enim figura huius mun-
di , *non mundus , dictum est ; sic sanè morem ha-
bent Scripturæ , vt perditionem , vocent mutatio-
nem in meliorem , aut pulchriorem prioris for-
mæ.* Idem probat Irenæus adhibens eundem lo-
cum.

ASSERO tertiò , neque elementa esse de-
225 struenda.

EST communis Theologorum *in* 4. *dist.* 42.
Probatur ex Patribus allegatis , qui vniuersaliter
de mundo asserunt , non esse destruendum , præ-
cipuè Hieronymus , Augustinus , Anselmus
in Elucidario , Isidorus *libro de Doctrina fidei* ,
cap. 36.

PROBATVR à D. Bonauentura primò ex illo
prima Corinth. 7. *Præterit enim figura huius
mundi.*

SECVNDÒ ex D. Augustino *de Ecclesiasticis
dogmatibus* , *cap.* 70. (si tamen est S. Augustini)
vbi dicitur : *Elementa non dicimus abolenda ; sed
in melius commutanda.*

TERTIÒ , quia destrueretur harmonia vni-
uersi.

226 ASSERO quartò , innouanda Elementa quoad
qualitates.

PROBATVR primò à D. Bonauentura *quæstione
tertia* , quia alioqui in continua transmutatione
versarentur , & nunquam ad statum perfectum
reducerentur ; hoc autem est falsum , quia , vt
ait Apostolus , Rom. 8. *Omnis creatura inge-
miscit , & parturit vsque adhuc* , quorum ver-
borum sensus est , omnes creaturas ingemiscere ab
sui innouationem , sicut & nos , vt exponunt Epi-
phanius , & Hieronymus. Confirmatur è supra-
dictis eum Patribus.

227 ADVERTIT S. Doctor , qualitates oriri è sub-
stantia , & non posse omnino tolli , vt notat S.
Doctor *quæstione tertia* , *argumento penultimo* , sed
adimendas eas tantùm , quæ in suo genere ha-
bent imperfectionem , puta ex mari salsedinem ,
&c. & eos gradus , qui ad pugnam , & destru-
ctionem datæ sunt , vt sunt calor excessiuus ,
& frigus Et aliqua est addenda claritas , non
improportionata. Ita docent Sancti Patres ci-
tati.

ASSERO quintò , plantas , & animalia non esse 228
innouanda , sed destruenda.

PROBATVR à S. Doctore *quæstione* 4. primò ,
quia sunt facta propter hominis necessitatem ; &
ideò cessante hominis statu , cessabunt.

OBIICIES primò contra primum , & ter-
tium assertum multas Scripturas , Isaiæ 34. *Ta-
bescet omnis militia cælorum , & complicabuntur
sicut liber cœli , & omnis militia eorum defluet ,
sicut defluit folium de vinea.* Vbi per militiam 229
cœli significantur Stellæ. Hinc Hieronymus , &
Cyrillus *ibi* tradunt , hæc verba Isaiæ eadem
esse cum illis , Matth. 24. *Stellæ cadent de cœlo* ,
quæ propriè esse intelligenda , videtur Propheta
indicasse similitudine foliorum.

PRÆTEREA Isaiæ *cap.* 51. dicitur : *Cœli , sicut* 230
*fumus liquescent , & terra sicut vestimentum atte-
retur.* Vbi Aquila , & Simmacus vertunt : *Cœli
comminuentur in nihilum , & in salis modum con-
terentur , & euanescent.*

ET cap. 65. *Ego creo cœlos nouos , & terram
nouam , & non erunt in memoria priora.* Et
Apocalypsi. 21. *Vidi cœlum nouum , & terram
nouam : Primum enim cœlum , & prima terra abiit ,
& Mare iam non est.*

PRÆTEREA Iob 14. *Homo , cum dormierit ,
non resurget , donec atteratur cœlum.* Psal. 101.
Opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt.
Eadem verba habentur *ad Hebr.*1. & *Matth.*24.

RESPONDET S. Doctor *quæstione prima , ad* 231
primum , innouationem tantùm accidentalem astrui ,
quatenus omnia pulchriora , & lucidiora fient ,
quod si aliquando cœlum dicatur destruendum ; ser-
mo est de cœlo aëreo.

OBIICIES secundò locum insignem *Petri se-
cunda* , *cap.* 3. vbi primò dicit , cœlos , qui
nunc sunt , reseruati in diem iudicij. Secundò ,
cœlos magno impetu transituros. Tertiò ; ele-
menta calore soluenda. Quartò ; terram , & quæ
in ea sunt , exurenda. Quintò ; hæc omnia dis-
soluenda. Sextò ; futurum , vt cœli ardentes
soluantur , & elementa igne tabescant , vbi simul
etiam cœli contra elementa distinguuntur.

RESPONDET S. Doctor *quæstione tertia* , 232
Elementa destruenda ab igne , quoad qualita-
tum intensiones , quibus inter se ad pugnam ,
& destructionem congrediuntur , & quasi in
vnum refracta , & perpetuitate donata conser-
uanda. Et quia mortale , & immortale dicuntur
specie differre , etiam ab Aristotele ; ideò dicun-
tur dissoluenda.

QVOAD cœlos , respondet eos transituros
quidem magno impetu , quoad motus , ita vt
irruant , & tandem quiescant in perpetuum ;
cœli verò aërei destruantur igne , modo dicto : 233
Etsi autem distinguantur ab Elementis , non di-
stinguuntur ab omnibus , sed à Terra , & Aqua ,
quæ dicuntur elementa singulariter , nam vox
Græca στοιχεῖον , respondens elemento , signifi-
cat primordiale fundamentum , cuiusmodi pro-
priè sunt Terra , & Aqua respectu totius vni-
uersi.

HOC verò probat Tannerus , quia *ibidem* ter- 234
ram ab elementis distinguit , dicens : *Elementa
verò calore soluentur ; terra autem , &c.* Hoc verò
meo iudicio est sarculo pedem ferire , nam si præ-
cipuè Terra inter omnia dicitur elementum , cur
ibidem ab elementis seiungitur ? id enim , quod
propriissimè dicitur tale , non debet distingui
ab

ab aliis; id, quod est ei propriissimum, ei negando, & attribuendo aliis: Sic, quia inter lucida præcipuum est Sol; non dicetur nomen lucidi de cæteris, & per hoc distinguentur à Sole: Ita potius sibi noua opponit; quam soluat.

235 DICO igitur, ibi in elementis includi etiam Terram: at verò aliquid amplius terræ addi renouationis, veluti si dicerem: Omnia lucida habent efficacem formam lucis: Sol verò præcipuè habet insignes influxus alios.

QVÆSTIO XXVI.

An Cœli post iudicium quiescent.

D.Bonau. dist. 48. art. 2. quæst. 2.

236 ASSERENDVM, cœlos post iudicium vniuersale perpetuò quietandos.

PROBATVR à D.Bonauentura primò: Habito fine cessat motus, sed post iudicium habebitur iam, & cessabit finis motuum cœlestium, qui est generationum multitudo: Ergo.

DEINDE, quia Cœli habebunt tunc nobiliorem statum: Ergo quiescent, nam quies est nobilior motu.

237 DENIQVE sublata causa finali tollitur medium ad ipsam ordinatum; sed hominis corruptibilitas est causa, propter quam cœli nunc variantur, vt scilicet continuo obsequio ipsi ministrent: Ergo. Patet insuper è Sacra Scriptura Isaïæ 6. *Non occidit vltra Sol tuus, & Luna tua vltrà non minuetur*, Si autem post diem Iudicij futurus esset horum motus, necesse esset, vt etiam ortum, & occasum haberent, vt notat Suarez *tomo 2. in parte, sect. 3.* vbi obseruat è S. Bonauentura hic, statum cœlorum ex propria, & peculiari natura non exigere alium motum, quam eum, qui vniuersi gubernationi consonet; post diem verò iudicij cum ordo vniuersi motum vllum non exigat, naturaliter quietabuntur; quod ingenuè explicat S. Doctor *in corpore*, exemplo circularis lapidis, qui rotatur ad acuendum cultellum; hic enim motum ad intra ex naturæ determinatione non obtinet, licèt figuram motui aptam habeat; sed solum ea intentione finis, quare sufficienter cultello acuminato, vlterius non mouetur lapis, vel si mouetur, frustra erit talis motus, cum fini primitus intento non deseruiat: Sic cœlorum motus, completa hominum generatione, desinet, vel frustra exercetur; hoc autem vltimum non est concedendum: Ergo primum.

QVÆSTIO VLTIMA.

Qua gloria CHRISTVS *regnaturus sit cum Sanctis post iudicium.*

238 DIFFICVLTATEM excitat locus ille Psal. 109. *Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*, vbi videtur terminum ponere regno Christi, cùm sederit, contritia inimicis suis post iudicium, vt declarat Apostolus 1. *Corinth. 15.* Hunc locum discussi *disputatione 28. quæst. 8.* cum D. Bonauentura *in 4. dist. 30. dubio quarto, litter.* & ad psalmum illum *in Commentario.*

RESPONSIO S. Doctoris, quem sequuntur communiter est, particulam *donec* aliquando astruere aliquid, vsque ad aliquod tempus, de quo poterat dubitari: Sic *Matthæi primo* dicitur, Ioseph non cognouisse intemeratam Virginem Dominam nostram, donec peperit. De cætero autem indefinitam relinquit propositionem: Cùm igitur dubitare quis posset: an Christus regnet, dum ab inimicis insidias, & certamina experitur, ideò vsque ad perfectum de eis triumphum astruit, regnaturum. Cùm autem sub pedibus suis supposuerit colla inimicorum; quid dubij? Hanc regulam huic loco aptant D August. *lib. 83. qq. quæst. 69.* Gregorius Nazianzenus *oratione 3.* & alij. 239

VERVM hanc responsionem videtur restringere locus ille Apostoli, prima Corinth. 15. *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius.* Cùm autem illi subiecta fuerint omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. 240

RESPONDETVR cum S.Doctore, *Opuscul. de septem donis Spiritus Sancti, de dono sapientiæ, cap. 11.* Paulum loqui de persona Christi secundum humanitatem; nam secundùm humanam naturam Christus resurrexit, & mortem absorbuit, atque destruxit, & omnia habet sibi subiecta, præter eum, qui omnia sibi subiecit; tunc igitur cùm in resurrectione generali mors ablata fuerit, omnia erunt Christo homini triumphanti subiecta; ipse verò Christus secundùm humanam naturam cum omnibus erit subiectus Deo: Ita exponunt Chrysostomus; Anselmus; Primasius, Sedulius, D. Thomas *ibi*; Ambrosius *lib. 5. de fide, cap. 6.* Augustinus *libro primo de Trinitate, cap. 8.* & *lib. contra serm. Arrianorum, cap. 37.* & Epiphanius *hæresi 69.* 241

SPECIALEM verò ex tunc subiectionem Christi hominis Deo astruit, quia nunc videtur sibi regnare ordinando Ecclesiam, dirigendo, mittendo Angelos ad salutem nostram; tunc autem cessabit hæc superintelligentia, & Christi Humanitas solo regno cœlesti vacabit, vt sit Deus omnia in omnibus, & vnus Deus in omnibus glorificetur: Ita exponit S. Doctor *loco citato*, & indicat D.Nyssenus *lib. de Resurrectione, & anima*, Epiphanius, & Theodoretus *loco citato.* 242

ASSERO ergo primò, Christum post iudicium regnaturum in æternum. 243

PROBATVR à D.Bonauentura *ad 1. Lucæ*, ex illo: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Addit illud Danielis 7. *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: Et regnum eius, quod non corrumpitur.* Et illud Isaïæ 9. *Super solium David, & super regnum eius sedebit: vt corroboret illud in sempiternum.*

ASSERO secundò, etiam Sanctos cum Christo regnaturos in sempiternum. 244

PROBATVR ex 21. *Apoc.* vbi latè gloriosum hoc Sanctorum regnum describitur.

VIDE præclara in S. Bonauentura *de septem donis, de Dono Sapientiæ, à cap. 9.* & *in Dieta salutis, tit. 10.* vbi è regione perpetuam etiam inimicorum Christi captiuitatem ad maiorem triumphantis gloriam spectabis. 245

HVIVS gloriæ æternitas probatur *ibi* à priori

ea

ex æternitate Beantis, eiusque beatitudinis, cuius visione, & fruitione, nusquam deficiente, omnes ciues supernæ Ierusalem, tanquam torrente voluptatis, inæbriantur.

246 Huius beatitudinis excellentiam describit S. Doctor iuxta septem donorum numerum, per quem ad eam peruenitur; Ipsum vide præclarè Paradisi gloriam, dignitatem, vbertatem, charitatem, iucunditatem, saturitatem, sobriamque ebrietatem gradatim distinctis paragraphis depromentem, tandemque cum D. Augustino exclamantem: O Vita vitalis, dulcis, & amabilis, vbi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda fœlicitas, fœlix æternitas, æterna beatitudo, & beata sine fine vita, visio, atque laudatio Dei; ibi affluentia diuitiarum, influentia deliciarum, confluentia bonorum: Eò nos fœliciter confluere, vnde diuinæ facit fluenta gratiæ profluere, faxit ille, qui ideò inde ad nos Incarnatus descendit, vt istuc cum eo glorificati ascendamus, qui est Christus, Deus Benedictus in sæcula.

Atqui hic finis esto Tomi Primi tertiæ Partis de Salvatore.

Hæc, & alia quæcunque sub meo nomine proditura Opera ab intemerata semper censura S. R. Ecclesiæ, stabilis fidei columnæ, & infallibilis veritatis Magistræ, pendula sunto.



INDEX



INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ Quæ in hoc ſexto Tomo de Salvatore Chriſto habentur, & appoſitè explicantur.

Littera P. Paginam: Littera N. Numerum indicat Marginalem.



E TESTAMENTO VETERI.

Geneſis.

Exodus.

Leuiticus.

Numeri.

Deuteronomium.

Iosue.

Liber Iudicum.

Regum primus.

Regum secundus.

Regum tertius.

Regum quartus.

Esdræ primus.

Tobias.

Iudith.

Iob.

Psalmi.

Liber Prouerbiorum.

Ecclesiastes.

Canticum Canticorum.

Sapientia.

Ecclesiasticus.

Isaïas.

Hieremias.

Threni.

Baruch.

Ezechiel.

Daniel.

Oseas.

Ioël.

Amos.

Michæas.

Nahum.

Habacuc.

Sophonias.

Aggæus.

Zacharias.

Malachias.

Machabæorum primus.



E TESTAMENTO NOVO.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

Actus Apostolorum.

Ad Romanos.

Non

Prima ad Corinthios.

Ad Corinthios secunda.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Ad Thessalonicenses prima.

Ad Thessalonicenses secunda.

Ad Timotheum prima.

Ad Timotheum secunda.

Ad Titum.

Ad Hebræos.

Prima Petri.

Secunda Petri.

Ioannis prima.

Epistola Iudæ.

Apocalypsis.

Finis Indicis Tractatus de Salvatore Christo.



INDEX



INDEX
RERVM, ET VERBORVM
magis Notabilium, quæ in hoc Tomo de Salvatore Christo continentur.

Prior Numerus Paginam, posterior Numerum denotat Marginalem.

A

Hæretico

Index Rerum,

Christi

D

Decimatio.

Non

Conue

N

Natiuitas.

Prædestina

R

Regnum.

Relatio.

Reliquia.

Reprobi.

Resurrectio.

S

Sacerdos.

Sacramentum.

Sacrificium.

Sanhedrin.

Sanguis.

Satisfactio.

Scientia.

Verbum.

FINIS.